






THESAURUS GRÆCARUM ANTIQUITATUM.

VOLUMEN VI.

THESAURUS
GRÆCARUM
ANTIQUITATUM,

CONTEXTUS ET DESIGNATUS

ab

JACOBO GRONOVIO.

VOLUMEN SEXTUM

Consuetudines Græcorum in variis partibus continens.

Series librorum voluminis præfationem sequitur.



VENETIIS,

Typis Jo: Baptistæ Pasquali.

M. DCC. XXXV.

SUPERIORUM PERMISSU.

NOI REFORMATORI
DELLO STUDIO DI PADOA.

HAvendo veduto per la fede di Reviſione, & Approbatione del P. F. Tomaſo Maria Gennari Inquiſitore nel Libro intitolato: *Theſaurus Roman. Antiquitatum congeſtus a Jo: Georgio Grevio* VII. VIII. IX. X. XI. XII. & li Tomi intitolati: *Theſaurus Antiquitatum Græcarum congeſtus a Jacobo Gronovio* VI. VII. VIII. IX. X. XI. XII. non v'eſſer cos' alcuna contro la Santa Fede Cattolica, & parimente per Atteſtato del Segretario Noſtro; niente contro Principi, & buoni Coſtumi, concedemo Licenza a Gio: Battiſta Paſquali Stampatore, che poſſi eſſer ſtampato, oſſervando gl'ordini in materia di ſtampe, & preſentando le ſolite copie alle Publiche Librarie di Venetia, & di Padoa.

Data 25. Novembre 1735.

(Z. Pietro Paſqualigo Reff.

(Michiel Moroſini Kav. Reff.

(Lorenzo Tiepolo Kav. Proc. Reff.

Agoſtino Gadaldini Segretario.

1735. primo Decembre.


Regiſtr. nel Magiſtrato Eccellentiſſimo della Beſtemia.

Angelo Legrenzi Segr.

LECTORI ΦΙΛΕΛΛΗΝΙ

S. P. D.

JACOBUS GRONOVIUS.



ON ea hic Thesaurus conditione utitur, ut gazæ quam recepturus est, flandæ ac feriundæ ipse præsim ; neque ista lex illi dicitur, ut omnia utique in aspero & recentis sæculi obrussa explorata adferantur, arceaturque, quidquid non ex purissima ac penitus proba vena promptum huic vel illi queat videri. Non hoc instituti, non rationis nostræ genus. Etiam Cæsaris procurator usitata omnia & per mensas manusque ambulantia quotidie ad vectigal fisci admittebat; placentque ut veterrimi sæpe, ita nonnunquam & propioris ætatis, quanquam notæ pejoris nummi, dummodo genium sui & temporis & auctoris retineant. Varietati interdum decedet bonitas, & quum cœlo dante varia sint ingenia, variis quoque animadversionibus acquiescitur. Quas ut commisceri non conducit; sic vicinia tamen quadam copulari non est absurdum, placetque sequi & venerari venustates, quas quæque memoria produxit. Cum Cl. Meursio versati sumus in Attica aliquamdiu, & (fatebor enim) forsan nimis diu; sed tanta erat & locorum dos & ipsius ductoris blandiens ac efficax peritia ad perpoliendum & nos demerendos. Neque excessus inde factus fuit, quasi per priores paginas consummatum locupletissimæ ejus regionis orbem accepisses, nec superesset quidquam, quod instruere ultra posset, aut cur ad eam revisere nova amœnitatis alicujus hauriendæ spe dignareris. Multum abest, ut ad omnia circumtulerimus oculos. Non poteram dememinisse adsiduitatis. Hæc quidem ubique sic defertur ut producat fastidia, ipsa etiam ornatissima Circensium pompa apud Romanos odiis fere appropinquante. Idcirco vereri quoque oportuit, ne perpeti noctuarum obversatione nimium læte satiante succresceret intercurreretque aliquid nauseæ. Præstabat igitur abrumpere illam licet gratissimam moram imperfecta etiamnum tot eximiarum rerum notitia, & transitus aperiendus fuit versus alterum Græciæ lumen, vocibus tantum non vocans. Et quam bene Attica nobis exciderat? Quam suaviter Sparta affectus oculosque afficiebat? Sic extra Atticam quoque formabamur egregiis hominum magnorum inventis, nec inamœnus erat per Peloponnesum transitus. Sic libertatis ac disciplinæ bona quædam altera, licet austera magis, non tamen minora, immo ad purgationem humani ingenii & cujuscunque ætatis validiora circa Spartam, illam justissime ab Simonide dictam ΔΑΜΑΣΙΜΒΡΟΤΟΝ, æternum mansuram, si modo mens queat esse non læva, deprehendebamus, omni specie Attica emendatioribus Lycurgi rhetris. Ita denique factum est, ut discere licuerit multa, quæ in imperio Attico vel Lacedæmonio eminentia commoverunt diversos ex eruditis, ut diligentius scrutando notandoque monstrarent; & quum plurimam Meursio dede-

rimus operam, aliunde tamen arceſſitæ partes & intertextæ non perfuſoria nos jucunditate reficientes huc deduxerunt.

Eam ipſam augere poſſe videbatur Joachimus Stephani ex Pomerania. Hic enim circa annum MDCLX. ſatis ſcite conſiderata utraque urbe, vel dicam generatim patefacta univerſa Græcorum indole, iſtuc quidem ferente, ut ΔΙΚΗΝ, ut ΘΕΜΙΝ coleret; tamen ſic inhæret Athenienſi, ut manifeſte eruditeque declaret juſta cauſæ ſuæ, cur ad leges civitati donandas ipſe cum Romanis Athenas potius ſpectare velit quam Lacedæmona. Nec ſane illepida eſt comparatio Atticarum rerum cum Romanis. Hinc occaſione data breviter noſcendos exhibet velut in albo magiſtratus, ipſaque tribunalia enumerat, & in eis ubique obverſantem Theſmothetam penitus intimeque evolvit. Inſuper egrediens ad extranea, & præſertim Amphictyonicum, publicis privatiſque cauſis deſtinatum, & quantum ad id conferrent Athenæ, regreditur, & jam ipſas judiciorum partes ſeparans, ipſa etiam actionum nonnulla genera colligens, peculiares quoque criminibus attribuit curias, ita ut poſt Meurſium audeat quoque Areopagum tractare, idque interpoſita decora ſatis hiſtoria de ſatis cultuque & honore ſtudiorum in ſuburbanis Muſeis. Hanc partem quum ex libris quatuor præter Græcos noſtros etiam pertinentibus ad Judæos, Romanos & Eccleſiaſticos excerptam huc tranſtulerimus, operæ erit ipſum audire in præfatione ſic ſcribentem: *Secundo libro Juriſdictio Græcorum, hoc eſt, Athenienſium tractatur. Cum enim Athenæ fuerunt* ἑλλὰς ἑλλάδος *& oculus Græciæ, non ſolum eæ legibus præclaris imperarunt toti Atticæ, Eubœæ, Chalcidi, ac Inſulis maris mediterranei, quarum magna pars Athenienſium imperio continebatur: ſed etiam vicini Græci, Theſſali, Thebani & alii Aſiatici leges ſuas, uti & diſciplinas & ſcientias liberales, ab his acceperunt; quam ſcientiam Juris & humaniorum diſciplinarum omnes pene Aſiatici uſque ad Euphratem & Amaomontem, tanquam Coloniam, in ſuas deduxerunt. Quare principium & caput Juriſdictionis ab his Athenienſibus, tanquam ab Apolline Delphico, quem Socrati & Soloni leges ſuas dictaſſe affirmarunt, petere viſum fuit. Fuerunt autem Athenis duo ſumma tribunalia, (nam Amphictyonicum conſilium, quod fuit omnium ſtatuum & civitatum Græciæ, qui eo ordinarios ſuos Aſſeſſores habuerunt, ad horum omnium curam ſpectabat,) ceteris aliis omiſſis, Areopagus &* πεντακόσιον *ſeu concilium quingentorum civium Athenienſium. In illo criminales, in hoc vero publicæ & civiles cauſſæ, quæ ſpectabant ad commodum Imperii & privatorum ac civium, agebantur. Quamvis enim Socrates apud Platonem in Legibus ſuis Juriſdictionis formulam ac Leges Athenienſibus præſcribit; tamen Solonis tabulas, in quibus Leges Prytaneo propoſitæ erant, Athenienſes ſecuti ſunt. Et quidem Plato in his Legibus, quas Ariſtoteles in Politicis interdum perſtringit, ſapienter Rempubl. Athenienſium circumſcribit; quales magiſtratus & Judices, Imperium & Juriſdictio requirat, qualeſve cives eſſe debeant, quæ conditio ſervorum ac liberorum melior diſcernenda ſit, Socrates quam prudenter apud eundem diſſerit. Quod etſi Athenienſes ex parte obſervarunt: tamen Solonis Leges, æquiore libramento conſcriptas, complexi ſunt. Illud autem ſingulariter notandum, quod ſapiens illa vetuſtas Græcorum omne animi judicium & cogitationem mentis eo conjecerit, ut in Areopago ſaltem pœnas juſtas ſeu cri-*

minibus exacte dignas reis delatis, accuſatis & convictis criminibus irrogaret, uti in Sanhedrim Hieroſolymis diſceptationes, quæ fuerunt inter ſanguinem & ſanguinem, Judæi Seniores ſeptuaginta & duo acute hoc obſervaverunt, cum ſanctius eſſe exiſtimarunt, NOCENTEM *abſolvere, quam* INNOCENTEM *condemnare: Idque ideo quod, uti & jure Romano, pœnæ irrogatio, non Juriſdictionis, ſed Legis erat, hoc eſt, non pendebat a magiſtratu conſtitutio pœnæ, ſed ſaltem a Lege. Erant autem pœnæ criminum ex Legibus Solonis certæ & definitæ, quæ a Magiſtratu mutari non poterant. Hinc in Areopago de hominis vita tollenda carioſe diſceptatum, & calculis ſeu fabis nigris & albis judicatum eſt, & ſi reus paribus calculis abſolvebatur,* ψῆφος Ἀθηνᾶς *ſeu calculus Minervæ dicebatur, uti & inter pares numero Judices, ſi diverſi calculi fuerunt, eos prævaluiſſe, qui pro reo abſolvendo jacti fuerunt. In criminibus vero dubiis, cum plane non conſtabat, an ex lege condemnandus vel abſolvendus eſſet reus, ipſi dilationem dederunt ad certiſſimum & primum annum, quo temporis intervallo licet reus inter reos receptus manebat, non tamen ut reus peragi poterat, ſed Judicio Deorum pœna committebatur. Qua ſagacitate prudenti explorandi criminis qualitatem & pœnam ideo uſi ſunt Areopagitæ, ne Græcorum ſanguinem, qui vehiculum vitæ eſt, niſi æquo Deorum libramento effundi permitterent. Græci enim, quod a Barbaris vita, ingenio, moribus & lingua diſtincti erant, in ſumam felicitatem hominum id collocarunt, uti Platonem glorioſe lætatum eſſe conſtat, quod non ex Barbaris, ſed parentibus Græcis Græcus, & non Barbarus, natus ſit. Cauſſarum vero civilium cognitiones & judicationes, ut & hæ, quæ ad ſummam Reipubl. curam ſpectabant, in Pentecoſio habebantur. Quæ qualiſve in hoc judicio, uti & in Areopago, fuerit procedendi judicialis ratio, ex Demoſthenis, Æſchinis & aliorum orationibus liquido conſtat. Illud autem obſervandum, in his judiciis fuiſſe clariſſimos oratores, qui litigatorum cauſſas non ſcriptis, ſed voce proponebant, ac præcipue in Areopago reorum cauſſa fuerunt Paracleti, qui defenſores reorum ex crimine capitali peragendorum fuerunt, ut eos a pœnis capitalibus criminis commiſſi cauſſa, induſtria, defenſionis arte eriperent, aut ſi atrocitas commiſſi criminis defenſionis jura a reo omnia excluderet, aſſiduis aditionibus, precibus & querelis apud Judices Areopagitas tandem veniam impetrarent. Quod utrumque Judicium, Areopagus & Pentecoſion, ut Præſides & Aſſeſſores continentes, juſtos & inculpatæ vitæ poſtulabat ad conficiendam Juriſdictionem: ita & Oratores, Paracletos & Patronos Juris ſcientia ſplendidiſſimos, Juriſprudentia eloquentiſſimos requirebat, uti ex Demoſthenis Midiana, Ariſtocratiana, Timocratiana, Polycletiana, & aliis videre licet.* Atque ita iſte Jochimus. Utinam Romuli curiam ex culmo & ſtramentis contextam non indicaſſet diſci debere ex relatione Alexandri ab Alexandro, quem cum ſodali Cœlio pro ratis auctoribus admodum ſæpe produci videbis! Utinam majore cum cura liber iſte in editione prima fuiſſet adminiſtratus! Hinc columna 2712. φρέαρ cernes omnino non bene conceptum, quod tamen Meurſius in Areopagi capite XI. ante tot annos publicato tam large liquideque deſcripſerat; ubi tamen advocatur etiam Cæcilius lib. VI. quum innuat Cœlium Rhodiginum libro X. cap. 17. Hinc col. 2728. Antigonus & Demetrius dicuntur Athenis non ſolum regis nomen adepti fuiſſe, ſed etiam Deos & Sacerdotes Athenienſium vocandos edictum fuiſſe, idque ex relatione Plutarchi, quum

Plutarchus magna certe differentia ſcribat Μόνοι δὲ σωτῆρας ἀνέγραψαν θεὺς, atque ita non ſacerdotes, ſed ſervatores innuere voluerit. Hinc col. 2718. Scirophorionem videbis indigetari Martium, at ſequente, ut & 2747. Majum.

Huc quoque pertinere poterat alterius Joachimi, Perionii ſcriptum ab fratris filio Franciſco editum & libellis comprehenſum tribus, ubi poſt inquiſitas ſocietatum origines, itemque magiſtratus, poſt civem quoque multis quidem excuſſum, labens deinceps ad tribus aliaſque populorum diviſiones, ſane Romano-Græcas, & hinc non indignas lectu, denique totus ſe includit & obruit rebus Romanis, adeo ut liber ille tertius nequaquam explicet impleatque inſcriptionis promiſſum ac materiam. Super hæc quum paſſim in eo appareant teneriora quædam & iſti literarum pueritiæ, quæ ne Dionyſium quidem Halicarnaſſeum Græce viderat, congrua, tum ſatis ingrata occurrit citationum confuſio, etiam ab ipſius ratiociniis aliena. Cernes columm. 2774. ex Livio dici Algido Romam transfugiſſe Appium, qui idem col. 2782. fertur ab urbe Regillo fuiſſe. Γυναικονόμοι quidem ex Polluce prorſus ignoti ſunt, qui tamen ſic prædicantur col. 2762. ſed γυναικόκοσμοι, ubi etiam ſuppleri debet τὰς αὐτῶν ζημίας γράφοντες: γυναικονόμων vero habemus notitiam ex Philocle, Menandro & Philochoro, quos citavit Athenæus libro VI. ut melius obſervatum fuit ab aliis. Plurimum abeſt, ut intelligam verba col. 2794. *Plato quidem in* VI. *lib. de legibus* πινακίυ, *id eſt, tabellæ mentionem facit, ſed hoc ſolum de tabella, in qua milites patris, tribus, populi cujus quiſque eſſet, intelligit*. Certe aliena hinc vox eſt *milites*, & Platonis verba ſunt de ætate militari & hinc admittenda ad electionem magiſtratuum: Φέρειν δ' ἐπὶ τὸν τῦ θεῦ βωμὸν ἕκαςον εἰς πινάκιον γράψαντα τὔνομα πατρόθεν, καὶ φυλῆς, καὶ δήμυ ὁπόθεν ἂν δημοτεύηται.

Cæterum & huic iſtorum & multorum antecedentium labori parci potuiſſet, iſque aliis emolumentis impendi, ſi pro paucis, ut videtur, ab ſtudioſo excerptis etiamnum ſuperſtitibus præberi potuiſſet integrum opus Heraclidæ περὶ πολιτειῶν, unus profecto liber, totius Theſauri inſtar futurus. Ita patet ex tenui illo ſceleto eum diligenter circumiviſſe Græcas urbes, fataque & diuturnos caſus libertatiſque notas apprime diverſas obſervantem. Juberem ſane male eſſe illis malis tenebris, quæ primæ abſorbentes tam nobile ſyntagma, hanc maciem & umbram ex orco remiſſam, velut ad commutationem ſuppoſuerunt, eamque ut mihi videtur, perinepte confuſam, quod ſatis uno exemplo evincam. Ecce enim illa verba Κεφαλῆνες δὲ ἀπὸ Κεφάλυ (ita enim habet Romana editio, non ἀπὸ τῦ Κεφ.) ἐκλήθησαν quid obtinent vinculi, ut ſubnectantur Molottis, quum ſequatur caput τῶν Κεφαλληνίων, ad quod illa ipſa omnino redigenda ſunt? Immo his pariter adhærere oportebat narrationem, quæ ſequitur de Cephalo Arceſii patre, quum tamen incommode abſurdeque adjungatur Ακραγαντίνοις, ubi fruſtra Cragius hæſitavit de mendo, quum & fabulæ utplurimum ſint diſcordes, & loquutio exſtet integerrima. Itaque merito videar jubere illis male, immo peſſime eſſe, niſi in his ipſis minutiis, quas vicina ſæcula quomodocunque ad nos tranſmiſerunt, vaniores etiam ludos excitarent hodiernæ editiones vel interpretatio, tanquam crudelitate in laceris his

Hera-

Heraclidæ exuviis certandum foret. Nam quum ille ſcribat clare Piſiſtratum τριάκοντα τρία ἔτη τυραννῆσαι, dicunt Latina *Piſiſtratus triginta aunos tyrannidem tenuit*. Ad hunc modum poſtquam reddidit ex Haſnia anno 1593. Cragius, ſimiliter edidit Tornæſius anno 1613. poſtrema Leidenſi idem retinente, quod utique indignum eſt, reciſis tribus annis. Sic quum præmiſſum eſſet ab Lacedæmoniis creari etiam Ephoros, quibus ſumma ſit in republica poteſtas; additur velut ad fidem ac probationem *Nulli enim aſſurgunt Lacedæmonii, præterquam Regi & Ephoro*. Ita interpretatus fuit Cragius vocem *Lacedæmonii* prorſus de ſuo adjiciens, quum non ſit in Græco. Et ſane hæc verba adducuntur ab Cragio in libro 11. de re publica Lacedæmoniorum cap. 11. ubi ſuſtinet ſtatuere *Nam Regi ſoli & Ephoris ex omnibus magiſtratibus aſſurgere moris fuit*. Quum tamen is ipſe ſciret aliunde nos doceri legem illis fuiſſe τὰς νέας τοῖς πρεσβυτέροις ἐπανίςασθαι, atque adeo debuiſſe Lacedæmonios pluribus aſſurgere, quam Ephoris & Regi. Unde apparet ſermonem iſtum de Lacedæmoniis generatim non debuiſſe intelligi, nec interponi vocem *Lacedæmonii*; ſed ſermo illic Heraclidæ fuit de quibuſdam poteſtate aut privilegio ornatis & ſuccinctis, ac forſan fuit περὶ γερυσίας, ut γέροντες, vel Senatus dicantur, ὐδενὶ ἐπανίςασθαι, πλὴν βασιλεῖ καὶ Εφόρῳ, *aſſurgere nulli, niſi Regi & Ephoro*. Quod autem ita ſub Heraclidæ nomine collegit Cragius, id ipſum vel certe ad eandem ſententiam vergens ex Nicolao Dam. reponit col. 3855. Υπανίςανται δὲ βασιλεῖ πάντες, πλὴν Εφόρων. Sic durum & procax videtur Lacedæmonios appellare hordearios, & tantum hordeo veſci ac paſci ſolitos, idque propterea, quod ab Heraclide dicantur σιτεῖσθαι ἄλφιτα, quibus jam non merum nudumque hordeum notatur, ſed præparatum, ſed polenta, ut plerumque vocant, atque adeo diverſum quid ἀπὸ τῆς κριθῆς: quod tam notum & certum eſt, ut exemplis probare defugiam, niſi quod commode in hoc ipſo volumine palam id doceant Feithiana, quæ exſtant columu. 3732. Vere hordearii fuerunt in Latomiis Athenienſes, ut ſcribit Plutarchus in Nicia. Sic quum dixiſſet Sytherios etiam χρῆσθαι σύκοις, addit, φέρει γὰρ ἡ νῆσος πολλά: id interpres maluit referre ad omne genus rerum, ſcribendo *eſt enim inſula admodum fertilis*, quum dubitare liceat, an non auctor Græcus intelligat πολλὰ σῦκα, & ficuum feracem notet. Nam quum Cretes dicuntur dare Archonti partes quatuor Heraclide addente μίαν μὲν ἣν καὶ τοῖς ἄλλοις, neſcio cur maluerint pro verſione ponere *unam quam aliis communicent*, potius quam *unam, quam etiam reliquis*, ut ad marginem poſuit Tornæſius. Certe dedecet tot ſpecimina tractationis nequaquam laudandæ in tam paucis & exiguis fragmentis deprehendi, ne quid de libertate editionum ultra addam. Verum his omnibus ſuccurrat tua ſolers induſtria, & tantum interpoſitus ſit Heraclides ad varietatem, quo hodierna brevi antiquitatis guſtu diſtinguens ad ſequentia & forſan inopina fercula refectior accedas.

Non enim videbatur jam importunum, ſi poſt loca jure dicendo inſignia, poſt magiſtratus moreſque multorum Hellenum auditos monſtraretur terra & juriſdictioni iſti ac magiſtratuum poteſtati exempta, & apud Græci generis gentes frequentatus ita, ut ad cœli curam vix ſe pertinere arbitrarentur, niſi hinc quoque potuiſſent invicem æmulari, quo poſſeſſione ASYLI leges ac diſciplinam ſan-

ctitati civili debitam possent eludere. De quo quum exstarent & alia, & hæc dissertatio nominis per studia & literas diu laudati, vetustatem primaque exempla & immunitatis fidem declarans, idque presse, visa ea fuit satis congrua, cui loculum proximum destinarem. Optandum foret, ut abesset, quod non satis intelligo, cur num. XXIII. Vir egregius citaret ex Tacito lib. 3. annal. cap. 36. *ab Annia Ruffilla, quem fraudis s. i. damnasset*, & mox pari imprudentia ex se dixerit *severa in Ruffillam animadversio, qui abusus jure Asyli, remotus cæteris terrori fuit*; denique *Ita Ruffilla objecerat Cæsaris imaginem, atque se tutum illa esse existimabat*; tanquam Ruffillas aliquis ab eo suppositus fuisset. Sed & alterum satis arguti computi specimen columm. 2846. *Cadmus regnare cœpit anno secundo bis millesimo quingentesimo vigesimo octavo: quanquam alii illum ad annum secundum bis millesimum sexcentesimum vigesimum quintum referant*, bis supervacuo illo secundo. Denique difficile & nodosum, quum ait columm. 2839. *non exiguum errorem Trogi, quem Justinus secutus fuit, notavit Eusebius*, quod scilicet Nini posterorum historiam, cum minus cæteris cognitam haberet, confuderit &c. non aliter ac si Eusebius citavisset Trogum, perinde ut novimus id ab Hieronymo & aliis Christianis factum esse.

Hoc igitur habe totius Græciæ certamen atque ideo non modo in scriptorum reliquiis, sed vel maxime in nomismatum ostentationibus per plurimas ejus regiones inveniendum, perinde ut te per complura vel gentium vel oppidorum nomina duxerat Heraclides. Atque hac ratione quoniam egressi Peloponneso aliquid rursus Atticæ adhærens velut in transitu spectavimus, liceat circumspicere ad omnia ejus latera & vestigando venari, si quid suo limite & vocabulo dissseptum per studia illustratum fuit, & quidquid hodiernum ad ΠΟΛΕΙΣ ΕΛΛΗΝΙΔΑΣ tam bene in Scylacis periplo nitentes hic illic lustrandas collatum exstat. Inde est ut mirari non debeas continente nexu apponi Macedoniam, Massiliam, Melitam, Byzantium, etsi locis perquam dissita, hoc tamen nexu conciliante satis belle coitura. Ex quibus Macedonica sic procedunt, ut quum priora id agant quod pollicentur, diligenterque convehant, quidquid varia ætas in isto regno extulit usurpavitque, tum pars tertia vix discedat ab Philippo & Alexandro, ac vere sit tantum repetitio rerum de illis regibus memoratarum ab auctoribus, qui quotidie in manibus habentur: nomismata autem fideliter ex editionis prioris archetypo, non ex ipsius nummis (quod in alieno opere faciendum non censui) reposita aut admodum sunt vulgaria aut suspecta nec ad hujus temporis curiosos & delicatos veracesque collybos accedentia: etsi lepide sibi ipse placeat col. 2878. scribens *Aristotelis imaginem, quam in argenteis nummis cernimus, cur non a grato discipulo Alexandro iis impressam credamus?* adeo ut etiam columm. 2907. statuat referri effigiem Aristotelis. Sit igitur felicior nobis, qui id credere nequimus. Ita quod colum. 850. notabamus in loco Livii ex libro XLI. cap. 20. ab Meursio prave intelligi Perseum, quum sint actiones Antiochi Epiphanis; ab eo ne nunc quidem abstineri, ut tamen oportuerat, video tum columm. 2877. tum rursus columm. 2883. Et sane ad asseverationem, quam ponit de Macedonibus lib. II. cap. III. qui fuerint rei nauticæ

admodum imperiti, probandam frigida & aliena prorſus argumentatio eſt ex ingenti illa trepidatione, cum æſtu maris naves attollerentur, iterumque a recedente in ſicco deſtituerentur. Quum enim de Macedonum & vicinarum gentium re nautica agitur, ea non erat exploranda in Oceano, non magis quam Attica, ſed in mari quod illis adjacet, ſi non Ægæo, utique Mediterraneo; & tamen ſic quoque didicerunt brevi Oceanum pati eumque navigare potuerunt. Prima vero æſtuum Oceani experientia ſi fatiget aliquos, illi potuerunt re nautica in ſuo mari vel peritiſſime callere. Et ſane quum partis tertiæ capite primo citatur Polybius, qui dicat Macedonas πρὸς τὰς κατὰ θάλατταν ἐκ τοῦ καιροῦ χρείας ἑτοιμοτάτους, ille id non tam ſenſit de ſui modo temporis Macedonibus, quam de toto curſu ac ſpatio, quo ſic magnifice innotuerunt. Sic potuit col. 2912. ex auxiliariorum manipulis expungere Balacros, quum eos ex nulla alia regione poſſet educere, niſi ex corruptiſſimo loco Curtii IV. 13. *Philacus Balacros regebat in ſocietatem nuper aſcitos*: neque profecto aliam regionem habitarunt, de quibus alibi. Ita mirum quid velit columin. 2919. in loco Livii lib. XLIV. cap. 41. Rogat, *quinam illi cetrati? Num forte ii, qui Polybio ſcutati?* Polybius quidem ſcutatos non dixit, utpote Græce ſcribens. Cetratos quis ignorat in Macedonica militia? & an non ſatis manifeſte Livius ipſe aliis locis oſtendit fuiſſe inter armaturæ levis militum corpora? Clypeatos omnino diverſos fuiſſe a cetratis alio loco ſatis docet ipſe Livius, dum XXXIII. 15. junguntur ab eo *clypeati cetratique*, reſque ipſa ſatis diſtinguit. Ridicule quidem colum. 2920. obſervandum judicat gladio Macedonas cominus rem geſſiſſe, idque putavit tanti, ut verbis Curtianis firmaret. Maius operæ pretium tuliſſet, ſi oſtenderet aliquos gladio eminus uſos. Haſtarum fuit geminus ille uſus, non gladiorum. Nimium quoque levis & fallax demonſtratio eſt in Macedonicis caſtris ita comparatum fuiſſe, ut bini milites in uno tabernaculo tetenderint, quod ſcribitur columin. 2930. ex loco Arriani, ubi duo quidem deſignantur ξυσκηνοῦντες καὶ ἅμα ξυμπίνοντες, ſed non ita, ut ſoli obtinuerint tentorium, nec plures eorum fuerint contubernales, præſertim quum eos vel denos octonos in Romanis caſtris ac papilionibus fuiſſe docuerint viri docti.

Sed placet ire ulterius, & quum ferox Thracia nondum permittat tranſitum, libet exſpatiari verſus meridiem, ubi ſpecioſa conſuetudinis artiſque Græcæ jactatrix & mirum quantum diuturna inter barbaras tum nationes cuſtos ſedet Maſſilia, nunquam Græciæ abrupta. Hæc ſicut olim per varia blandimenta allectos peregrinos vix dimiſit ullos, quos non propter ſummam ſui admirationem relinquens coegit & crebros & fauſtos ubique de ſe ſermones ſerere, ſic memoria tantæ virtutis ſibi inſcriptam pagina omnis gerere affectavit, nec invita credo Minerva vidit in faſciculum quem ſequi cernis, pleraque illa comportari, ut huic ita Theſauro proluderetur. In quo quidem columin. 2951. apparet valde multiplex & ancipiti dubitationi implicata notatio temporis, in quam auctores videntur diſceſſiſſe, nullo conciliandi remedio; ubi tamen neſcio cur ex tot ſententiarum auctoribus expungat Agathiam, cujus locum citari videbis col. 2964. quo loco refert Francos habere Maſſiliam urbem, Jonum coloniam.

Hanc enim Phocenſes (in Græco eſt φωκαεῖς) *quondam per Medos ſedibus ſuis abacti incoluere*, *Dario Hyſtaſpis filio rege Perſarum regnante* , quum hac columna citentur nonnulli, qui id attribuunt Cyri temporibus , prout notum eſt , & collegit eadem ac plura ad Ammiani librum xv. Valeſius. An judicavit ſpernendum , quia ipſe noſter Cyri temporibus conditam eſſe ſcribit , probari poſſeex hiſtoricorum ſcriptis, cui coætaneum facit Tarquinium Priſcum ? Nec male , ſed quæcunque illic magnæ eruditionis nomina prætexta cernis , apparet hanc temporis ambiguitatem dependere ab eventu , qui ab illis quidem negligitur , ſed exacte Trogus Pompejus perpendi vult. Ex illo enim clare memorat Juſtinus duplicem navigationem accidiſſe ; primam tentamenti inſtar ſeu fato ſeu de induſtria; deinde quum plures ſollicitati eſſent , juſtam claſſem iviſſe . Itaque ſive priorem navigationem contigiſſe vult temporibus Tarquinii , ſive alteram ; certe videntur Cyri tempore ſic per maria erratum iviſſe, ac mox ſub Dario inſtruxiſſe tantam claſſem & Maſſiliæ nomen ad Rhodanum ſtatuiſſe. Id vero ab ipſo Trogo fictum & excogitatum non eſſe, ſed ex certis documentis arceſſitum colligitur vel ex eo , quod etiam apud Strabonem Antiochus huc reſpiciens ſcribit eos primum navigaſse εἰς Κύρνον καὶ Μασσιλίαν, hoc eſt, loca Maſſiliæ, ſed repulſos fuiſſe; tum inde, quod alii Servio Tullio regnate id contigiſse tradunt. Quin etiam quem non morantur & advertunt, immo feriunt column. 2953. verba Poldi d'Albenas? Illa non modo dubie agunt de ſiſere *dont eſcrit Dioſcorides*, *que Tiberius Ceſar faiſoit apporter tous les ans d'Allemagne* (quæ ſi ita junctim legas, ac ſi Dioſcorides ſcripſerit de Tiberio, apertam habent falſitatem) ſed etiam ſequentia *d'un chaſteau du Rhin nomme Geldiera*? Omnia vero iſta Gallica ſunt ex Plinio xix. 5. *& ipſum Tiberius princeps nobilitavit* , *flagitans omnibus annis a Germania. Gelduba appellatur caſtrum Rheno impoſitum*, *ubi generoſitas præcipua*. Ex quo eodem Poldo venit occaſio miſcendi res ſatis alienas , quæ referuntur column. 2963. de Nemauſenſibus , *apud quos ſcenici hi ludi admodum viguerunt*, *illiſque ſpectandis ampliſſimum extructum erat Amphitheatrum*. Neque enim Romanus homo ſcenica attribuit amphitheatris. Etiam columna 2969. non erat, cur majore cura proſequeretur Dianam ab Maſſilienſibus cultam, ut declararet patrium numen fuiſse, quam ſatagebat in Minerva, cujus cauſam plane negligit, & tamen perinde in nummis Maſſiliotarum apud Goltzium conſpicuæ, perinde ex ipſa patria repetitæ, non ab Epheſo, ut Diana, quod diſcimus ex egregia nota Xenophontis libro I. Ελλην. Τοῦ δ' ἐπιόντος ἔτους ὁ ἐν Φωκαίᾳ νεὼς τῆς Ἀθηνᾶς ἐνεπρήσθη πρηστῆρος ἐμπεσόντος: atque etiam Pauſaniæ in Corinthiacis, ἀρχαῖος μὲν οὖν καὶ Φωκαεῦσι τοῖς ἐν Ιωνίᾳ ναός ἐστιν Ἀθηνᾶς , ὃν Αρπαγος ποτε ὁ Μῆδος ἐνέπρησεν. Verum inprimis tetra confuſio eſt column. 2983. ubi enarrans ex Livio libri XXII. caput XIX. de navigatione circa oram Hiſpaniæ & prælio in oſtio fluminis Iberi , memorat neſcio quas Syrtes , quaſi eas ſcrutaturæ præiviſsent naves Maſſilienſes , haud Polybio; haud Livio in iſta pugna memoratas & nimis longo inde ſpatio diſtantes, quam ut memorari poſsent.

Ad quas tamen ſi forſan curſum tenere fert libido , eſt Melite ferme objecta, ad quam te ſtructura hujus Theſauri vocat, etſi Phœni-

ferme objecta, ad quam te ſtructura hujus Theſauri vocat, etſi Phœniceis originibus addictam, & ſæpe Carthaginienſium juris, immo & Ægyptii aliquid libenter in moneta ſpectantem; non tamen ita ut Græciæ nomen ejuret. Hanc in illa oſtendit rex Battus in Ovidii Faſtis repoſitus: hanc cultus Junonis, hanc appellationes incolarum Græcæ, hanc inſcriptiones nomiſmatum fatentur, quæ exiſtimari debeat. Itaque habuit portionem Græci ſpiritus, quem comprimere tamen debuit nec affectare aliquid tranſmarinæ poſſeſſionis, unde nulla apud eam auditur Peræa, ut olim apud Rhodon ac Lesbon & Tenedon Aradonque: ipſa inſulæ ſuæ bona recte diſpoſuiſſe ſategit, affatim mirabili tenuitatis & abſtinentiæ diſciplina, quum præſentes haberet Phœnicum quotidie appellentium opes & ſolertem induſtriam ſibi ex cognato jure libenter militaturam. Utinam modo aliquid locupletius ex antiquitate potuiſſet erui? aut hoc Syntagma tam magno circuitu & pari copia uti potuiſſet in Melite, quam quidem ſibi vindicavit Malta, & vel ex prædio Nobilis Abelæ quaſdam ſacras aut profanas reliquias aut ex ejuſdem cimeliarchio nomiſmata celebrata etiam ab ipſo pro emblematum ornamentis adfixiſſet! Hoc certe mirari licet inter σεβάσματα hujus inſulæ non niſi Herculem ac Junonem celebrari, quum & Dea Proſerpina & templum ejus in inſcriptione apud Gualterum tam aperte nominetur, prout jam in epiſtolis adnotatum eſt, quas Scrutationibus ſuis admiſcuit Cl. Sponius, ne in Miſcellaneis quidem iterare eandem dubitans. Porro tu, ſtudioſe lector, circumibis ad inſpiciendum, quid veteris ſpectaculi Paruta, quid commercia epiſtolæ inter Sponium & Chaillovium, quid Theſaurus Brandeburgicus extulerit, quorum nihil ſperno. Veruntamen quum ab benignitatis ſuæ guſtu ne nunc quidem me arceret Vir plane ſingularis & antiquitati ſervandæ reparandæque perquam efficax D. Jacobus de Wilde, monetam in ære ΜΕΛΙ-



ΤΑΙΩΝ, prout erat, expreſſam accuratiſſime ex quinque fideliſſimæ notæ ectypis huc adducere malui. Ex quibus ſicut de mitræ hodiernæ apud nonnullos uſurpatæ velamento nihil poteſt adſeverari; ita apparet tamen mitræ formam penitus in his nummis eductam ab Paruta, Sponio aliiſque, illuſiſſe potius oculis eam in ſuo tractu cernere abſuetis, quum verius fœmineorum capitum ſint ornamenta. Quinetiam ne ambigerem, utrum linea, an pellicea & maculoſa eſſent illa amicula capitum, ſed cum ipſo Abela ſtatuerem

eſſe omnia obſita unionum ordinibus margaritiſque & gemmis, quidquid ab Chaillovio adferatur, adegerunt me oculi, manifeſto lumine in poſtico, ubi non ſunt detritæ nec glabræ, eas oſtendentes; ea autem quæ circa malas dependent, ſunt ἀληθινὰ monilia, compoſita ex eiſdem unionibus, ſed qui diſtinguuntur ab gemmis variæ figuræ, quod apparet evidenter admodum, & quidem præcipue in nummo tertio ipſa clariſſime exhibente. In his autem illa quæ ponitur numero 4. ante frontem habens prominulum aliquid & inflexum inſtar criſpatæ ſpiræ aut anguis per volumina curvati, videtur diſtincte liquideque indicare quod genus velamenti illud fuerit ac pariter quæ materia: eſt enim ipſa tenuis ac brevis cauda catuli Melitenſis, ex ipſa pelle perſpicue egrediens ac pars ejus ex neceſſitate naturali caudæ, unde colligitur reliqua eſſe ipſum catuli hujuſmodi tergus, ita pretioſe ornatum, ut dixi. Itaque habes veriſſimam κυνῆν, de qua aget Feithius IV. 8. non ἀπὸ τοῦ κυνὸς ποιμένος modo factam, ſed ex vernaculis hujus inſulæ ornantem caput fortaſſe matronæ hanc inſulam referentis. Sed etiam iſta κυνῆ ſe exhibet manifeſte ex inferiore parte circa humeros, ubi ſinum facit ita, ut quod prope maxillas dependet pro monilibus, ſint ipſi pedes anteriores catulini; poſt quos pelle ſe incipiente colligere & anguſtare in collum, caputque, quæ pars tergo inhæret, propterea neceſſario exiſtere debet ille ſinus, qui facit ut humerus liquide ſit nudus & conſpiciatur, plane ut exhibui, non ut eſt apud Sponium, & Paruta ac Theſaurus Brandeburgicus nullam habuerunt rationem, ſatis erronee. Itaque id quidem pro veriſſimo habeo, & ovinam pellem Sponii jocoſam opinor. Huic autem quod ſuperimpoſitum eſt & vertice geſtatur, quid levius eſt, quam inde Iſin concipere, & in eo videre panarium, ut exiſtimat Sponius, qui etiam illo ornamento eam diſtingui cenſet ab omni alio numine? Sed plura capitibus geri queunt quam ornamenta Ægyptia. Et ſane illud orbiculatum, quod apparet plerumque in iſtis Ægyptiis & nunc in iſto idolo muliebri, quod ibidem affert Sponius, nullum eſt in hoc noſtro. Propterea ſicut catulum Melitenſem in pelle adſpicimus, ita in capitis ſarcina roſam ipſam Melitenſem. Hujus etſi memoria ferme univerſa exoleverit, tamen non tralaticie ſententiam noſtram inſtruit, immo certiſſimam facit Cicero lib. V. in Verrem cap. 11. In lectica *pulvinus erat pellucidus, Melitenſi roſa farctus: ipſe autem coronam habebat, unam in capite, alteram in collo, reticulumque ad nares ſibi admovebat, tenuiſſimo lino, minutis maculis, plenum roſæ.* Quæ iſtius loci ſcriptura vetus egregie ſtabilitur ex conſpectu horum nummorum roſam Melitenſem oſtentantium, etſi ea in ſcriptis veterum ſuperſtitibus ſit valde infrequens. Iſta autem ratio demittendi corporis in ſiniſtrum genu, altero fere in trigonum projecto, eſt mere Ægyptia, ut patet ex fimbria tabulæ Iſiacæ circumdata, ubi aliquoties occurrit. Nec minus pro Ægyptio exiſtimari debet quatergemina ala, qua & Abraxam inſtruxiſſe nugatores apparet apud Chifletium tabula VI. ut videtur, ex Ægypto petentes emblema. In nummo 3. Sponius & amicus ejus plane non ſunt aſſecuti figuras corporum portentoſa, ſed vere Ægyptia tenuitate & varietate notabilium, quas ad amuſſim ex Wildiano ære produco. Quod ſi

vel bacula iſta aſcenderint etiam ultra primam curvaturam, cui adherent pendentia quædam tintinnabula, vel frugum genera, & fornicatum aliquid concavumque ſuſtinuerint, id in hoc quidem nummo plane exolevit; & ſane talia bacula non pauca exſtant in eadem tabula Iſiaca, velut ſpondentia non poſſe in his ſupponi alterum convexum ſublimius ad inſtar tholi. Ita non ſine oblectamine extremo parumper his egregiis Melitæ priſcæ notis imminui, ut aliquanto clarius cognoſcerem. In ipſo enim opere quod vides column. 3029. de Melite nympha citari Heſychium, is error eſt, & debuit poni Heſiodus.

Sed cavendum eſt, ne in extremis jam Græciæ finibus elabamur, & irritamenta Punica Lotophagorum cupediis per viciniam adjuta nimium nos auferant, velut ſurdaſtros ad clamorem Byzantii ultra fas differri ſe quiritantis. Urbs hæc quidem magnis pelagi ac barbaræ terræ ſpatiis ab Græcorum ſitu ac regionibus diviſa, etiam ab alienigenis circumſeſſa, tamen accenſeri Græciæ debet vel originis cauſa vel diſciplinæ vel aſſidua quæ interceſſit ſocietate communique ac conveniente plurimarum rerum ſenſu & lingua, cujus uſum & intus per ſingulas ſuas partes & extra in præfluentibus aquis amaviſſe ſe fatetur, ipſam Thraciam Græcis annectere cogente Lazio. Sed etiam tanto majus illa momentum in hoc congeſtu facit, & præmiſſa antecedit, quanto excellentius ipſa adfert ſimul pretium ſui, ſimul quanto ad guſtum antiquitatis feſtivior induſtria Gyllii, quem revereri etiam is qui non vidit, cogitur vel ex teſtimonio Joſ. Scaligeri in Euſebianis Animadverſionibus adſeverantis, *Quæcunque de Byzantio dici poſſunt, compendifacere nos jubet egregium opus Petri Gyllii Albicenſis*. Quod ſi illic recte dici poteſt, certe non minor laus Gyllii eſt in Boſporo Thracio, cujus modo recedentis, modo ſe immittentis continuos & mirabiles impetus, pedibus & ſcaphis & periculo a ſe metatos velut terminorum quorundam ſignis inenarrabili cura ſequutus fuit ac notavit, antiquis nominibus revocatis, ſimul publicata notitia Dionyſii Byzantii, ſimul Procopii lacunis tam notabili refectione expletis. Attamen nec labore hoc nec Scaligeri teſtimonio terrefactus Carolus du Freſne ſuſtinuit magno gradu eandem orbitam velut tempore exoleſcentem premere, eademque Byzantii cujuſcunque temporis vocabula grandibus paginis iterum inſcribere. Nec infauſte; nam plurimum quidem aucta fateamur oportet ſingula; ſed quorum magna pars omitti poterat, utpote mera Gylliana, ut quaſi videatur laborem alienum & iſto tempore laudatiſſimum indigne dilacerare. Ille ſane aliquoties quoque Gyllium agnoſcit, neque tamen ubi diſſentit aut reprehendere aliquid poterat, non libenter etiam captat & nominat; immo & non nominat interdum, ubi ex indicio ejus aliquid didicit. Sed adeo inficetum eſſe, ut non dubitet varias partes ex Dionyſio, quem dixi, Byzantio, quas prior Latine produxit Gyllius, Latine iterare; in tergo paginæ, quæ continet delineationem Boſpori & Conſtantinopoleos, exigua particula Græce præmiſſa, (ut oſtendat Dionyſium nec det) inque ea cum legatur δυεῖν ἡμερῶν, ad marginem ponere ἴσ. δυοῖν (an in media luce cæcutiebat?) tum teſtari ejus editionem ſe ab Holſtenio, qui fato ſubductus erat, exſpectaſſe, & quum haberet tot ad

manum bibliothecas, in quibus extat Dionysii Ἀνάπλους Βοσπόρου, detrectare descriptionem tamdiu debitam & rebus Græcis profuturam, sane nullus probo. Utique hoc fuisset ad ornandas istas paginas choragium vere speciosum. Nam plura testimonia ad eosdem locos nominandos aggerari posse, quam attulit Gyllius, nemo nescit, quum inter ipsius & hanc ætatem tot excusi sint scriptores tunc etiam latentes: adeo nec multum laudari meretur iste labor. Gyllius plane primus magnam hanc urbem animo amplexus, viam enarrationis claram contemplatus, sua edidit omni quod desiderari potest studio congesta, etiam sermone ditior & lucubrationis perpolitæ. Unde quum & patri meo admodum probaretur, isque puero mihi eum commendaret (narrare enim libet quid contigerit) mirabiliter advertit me quod scribit in hac Topographia lib. 3. cap. 4. *Fuisse etiam in parte Fori orientali Cedrinus tradit Amphitriten, unam ex Sirenibus, habentem forcipes cancri in capitis temporibus*. Et certe, quanquam Sirena non appellet Cedrenus, reliqua adfirmat, scribens: Πρὸς δὲ τὴν ἀνατολὴν ἡ Ἀμφιτρίτη, χηλὰς ἔχουσα καρκίνου ἐπὶ τῶν κροτάφων· ἤχθη δὲ καὶ αὕτη ἀπὸ Ῥόδου. Sic ex certo auctoris tam veteris testimonio, imo etiam ex antiquissimæ insulæ fabrica, constat figura ejus marini in mediterraneo pelago numinis apud priscos Græcos qualis fuerit; & sic proxime ante patrum nostrorum ætatem ex isto vetere Gyllius Latina amantibus indicavit habitum & insigne illius Deæ. Hinc scribit etiam du Fresne in Constantinopoli Christiana lib. 1. cap. 24. pag. 73. *Præterea ad plateam Fori erant duæ statuæ, quarum una versus occasum erat Minervæ Lindiæ, quam alii pro foribus Senatus stetisse volunt, ut suo loco monemus* (pag. 148.) *altera Amphitrites, cancri forfices habentis super temporibus, Rhodo adducta, uti est apud Cedrenum pagg.* 322. 323. *quam Junonis fuisse opinatur* Codinus *pag.* 14. Prior horum pars quum sit ipsa Gylliana, tum posterior mantissa tota nostri du Fresne, & quantum video, tota falsa, nec magis vera, quam est illud, quod ab eodem pag. 86. scribitur aliquid prædicasse *Janum Dousam in Itin. Constantinopol.* quem sæpius ipse vocaverat Georgium. Agit enim in isto loco Codinus περὶ ἀγάλματος κρατοῦντος ψαλίδα χαλκῆν. Certe forfex ex ære multum differt ab chelis cancri. Sed vide ipsam Codini declarationem: Τὴν Ἥραν λέγουσιν εἶναι τὸν ἀέρα· καὶ ἐπεὶ ὁ ἀὴρ καθαίρει, ποιοῦσι τῆς Ἥρας τὸ ἄγαλμα βαστάζειν ψαλίδα χαλκῆν· ἀπὸ μεταφορᾶς ψαλίδος τῆς ἄνω κειρούσης τὰς τρίχας καὶ καθαρὸν ἀποδεικνυούσης τὸ σῶμα. Nihil ergo prorsus ab veri forficis specie abfuit id quod aderat isti Junonis simulacro. Et cur igitur Codinus chelas cancri sic appellavisset, quæ sane ad tondendum sunt ineptæ? Tum an βαστάζειν vel κρατεῖν dicetur simulacrum, si quid illi ab temporibus adhæret? Certe aliter mox consideratur Δημήτηρ βαστάζουσα πύργον. Denique non ait Codinus, eo loco istud simulacrum fuisse situm. Itaque ego ante aliquot lustra quum inciderem in conspectum nummorum, puerili oculorum ictu statim deprehendi ipsam hanc figuram istius Amphitritæ exstare in nummo hoc Bruttiorum, quem hic adponere volui, primam monetam excipiens ex Goltzio, duas alias ex Thesauro Palatino. Et sodes quid in ea tam notabili & conspicua elaboratum inde fuit? & præsertim hoc nummario Sæculo? Jam centum & ultra anni sunt, quum Goltzius hunc nummum proposuit in Magna Græcia inter alias Bruttiorum monetas tab. XXVII.

&



& solummodo annotare potuit ista: *Jovem præterea*, *Junonem*, *Apollinem*, *Dianam*, *Aquilas variaque alia virtutis & fortitudinis symbola non sine artificio expressa*. Nuper vero scriptor illustratorum nummorum perabsurdus: *Nummos ii olim Jove*, *Junone sceptrifera*, *Marte*, *Pallade*, *Hercule*, *Vulcano aliisque Numinibus* (quid opus est hæc scribi; quæ videt unusquisque?) *signaverunt*. *Cancer bis etiam interdum insculptus*, *oræ maritimæ symbolum*. Procedit igitur ulterius, quam ille prior, nescio an veritus cancrum ab Goltzio visum non esse, nec ab ullo spectatore visum iri, ut eum adeo disertis verbis monstrare debuerit, nec tamen quidquam adderet de singulari adhæsione circa tempora istius cujuscunque fœminæ. Ergo interpres Palatinus pag. 182. quum duos nummos nonnihil diversos ab Goltziano posuisset, nihil potuit etiam tum adferre: at recentiore titulo instructi Dulodorus & Archæophilus pag. 341. eandem laminam contemplantes, ubi & Limenetim Dianam excitassent, portusque & piscatorum dona illi oblata & inter hæc pagurum, denique philosophantur in paguro de lunæ mutationum in eo efficacia; immo & prudentiam suspicantur, nec illa alterius, quem nominant, ego nominare nolo, alteruter improbet. Hi sunt scilicet, qui idoneis doctrinæ subsidiis formatos se ostendunt ad priscos nummos versandos; & hæc est testificatio & syngrapha clausura agmen eruditionis & notarum universi sæculi. Equidem sicut priora nauci non sunt; ita hæc posterior pars omnem ineptiæ finem excedere mihi videtur vel per ipsam hariolandi ambiguitatem. Nullus dubito, quin Gyllio quilibet sit acturus gratias, cujus occasione verissimam Amphitrites speciem nunc produxi, ipsa appellatione pulcherrimam Græcismi speciem, sed etiamnum vix consideratam præferentem, quum & præpositio illa ἀμφὶ, destituta intra solum caput, nec reliquo corpori attributa, sic usurpetur in voce Homerica Ἀμφιδρυφὴς de fœmina fœdante genas & utramque frontis partem. Non aliter Ἀμφιτρίτη exhibet præstatque attritam modo in duobus temporibus, & simul Græci ingenii in appellatione ista concinnanda viam ac doctrinam (heu! quam prave cognitam ab Etymologis & Grammaticis!) indicat, & robustissima fide istius loci apud Cedrenum ex insula quondam θαλασσοκρατούση digitis fere Deam istam monstrat. Et hoc quidem ad quæsitissimam præpositionis Græcæ usurpationem. Quod ad verbum τρίβειν attinet, id vero quam

propric sit desumptum ab cancris, nemo melius observavit & docuit, quam Dionysius ille Byzantius & ex eo hic noster Gyllius lib. II. de Bosporo Thrac. cap. XI. hujus editionis columna 3145. ad cujus elegantissimam considerationem nulla accedunt lexica; quæ τρίβειν & παρατρίβειν μέτωπον quidem annotaverunt, sed longe alio in sensu. Αμφιτρίτης caput velut maris saxum ab cancrorum chelis continuo earum motu teritur. Hoc ut Amphitritæ proprium similiter ex Cedreni indicio, ex Gyllii observatione, ex Dionysii Byzantii consensu discimus.

Equidem quum & ob hæc ipsa & ob infinita alia amemus Gyllium, conspectu decoro eum ornare pergamus. Hinc quum is libro II. ejusdem Topographiæ Constantinopolitanæ cap. XI. tam late enarret Hippodromum & obeliscum, ac cum illius formam, tum hujus erectionem ex præclara marmoris sculptura publicaverit Cl. Sponius, eam ex editione Gallica relatam huc inserendam putavi, notavitque litterarum hujus editionis differentiam Fresneus pag. 105. cui appicta est figura columnæ, ut vocatur vulgo, historicæ,



de qua agit Gyllius lib. IV. cap. VII. Nunc quoque post ista ocliferia, ut decet, eidem admoveamus pumicem; quippe cui exciderunt aliqua non hujus temporis, & ideo advertenda. Nec enim Zosimus scribit sacerdotes adfirmasse Constantino Ægyptium quendam posse scelerum ejus impietatem purgare, ut citat column. 3234. de quo ipsum Zosimum videas oportet, & caute intelliges. Ita verum non est, quod col. 3285. scribit Suidam dicere in fornice similiter statuas Constantini & Helenæ & Crucem inter eas mediam fuisse, hanc inscriptionem habentem: UNA SANCTA ET DUO

CELERES CURSORES. At Suidæ verba ſunt *Οτι ἐν τῇ ἀψῖδι τῆς καμάρας τοῦ φόρου ἵσαντο δύο στῆλαι Ελένης καὶ Κωνσαντίνου, καὶ σαυρος ἐν μέσῳ αὐτῶν, γράφων οὕτως.* ΕΙΣ ΑΓΙΟΣ. *καὶ δύο ταχυδρόμων στῆλαι ὁμοίως.* Sic plane probari nequit citatio Titi Livii columu. 3300. quem ait ſcribere Romulum regiones ab oriente ad occaſum determinaſſe dextras; ad meridiem parteſque ad Septentrionem lævas; quum illa omnia ſint Theatrum Venatorium quod appellat col. 3322. quum theatrorum longe diverſus fuerit uſus.

His Gyllianis quum eadem ſint, quæ in Itinere ſuo deſcripſit ille nobilitate perinde ac nomine eruditis omnibus amabilis Georgius Douſa, magnam partem privata, ſed tamen & publico utilia, merito etiam jungi locis quum velle viderentur, curavi ut ſtatim ſubſequi poſſent non ingratam lectionem præbitura. Merebantur ea nunc recudi, quando Camenetia ante centum annos ab ipſo perluſtrata memoratur, quam poſtea aliquamdiu Chriſtianis ereptam, cummaxime vero reſtitutam glorioſe gratulatione debita gaudemus. Neque incommode cecidit, ut duas inſcriptiones inde ab eodem delatas etiam inter Coſſonianas exuvias ediderim, unde illæ præclare poſſunt ſuppleri & explicari. Sed & inſcriptionem columnæ ad Pontum Euxinum ab Gyllio omiſſam Douſa poſuit col. 3350. Sponio & Whelero ne cogitantibus quidem aut de hoc aut de Leunclavio. Accedit pari brevitatis ſtudio conſcripta ab Leon. Aretino fortuna mutationis, quæ notiſſimis tribus Græciæ urbibus accidit velut pugillar ad ſubitam memoriæ inſtaurationem. Et ut iterum diſcas alio quodam circuitu deſcriptas, quas obivimus terras, adhæret Wolfg. Lazii Græcia antiqua. Voluit enim & ille hoc agere, ut regiones primo traderet, mox in eis circuiret urbes & fluvios & montes, & tum incolarum origines, tum geſta primaria obiter commemorans, ac denique nummos quarumcunque ſubjiciens partim ex eis peculiaria populorum, partim typos eorundem doctrina veteri explicaret. Quod dolium quum ipſe fateatur ſe quoque movere voluiſſe, ſane non tango, nec muto appellationem: immo etiam relinere detrecto; adeo nimis fæculentum intus eſſe vereor ex halitu, qui ſic quoque non admodum gratus me adflat.

Joſephi Laurentii diſquiſitio, tum inſcriptione, tum ipſa principii illecebra videbatur aliquid Græculum & hujus ſcopi proprium promittere. Sed nimis breviter defungens, & verſus peregrina & aliena ſtatim flectens poſſidet quidem locum, quem tamen vix tenet ob exſpectationem tantopere deluſam non mutatione iſta modo, ſed etiam negligentia. Non decuit ſcribere, quod exſtat col. 3665. *Livius quoque lib.* v. *dec.* I. *ita Fabium Maximum loquentem facit;* non col. 3669. oſtentare Mauricium Brutum: non col. 3697. Domitiano attribuere *fumo pereat, qui fumum vendat*: non col. 3704. proferre ex Suetonii *Galba c.* XVII. *minutiſſimis ictibus ipſum Galbam fuiſſe excarnificatum.*

Majore adeo gratia & favore excipiendus eſt labor ſanequam politus Everhardi Feithii, dum Homeri cum juſta utilitate volvendi exemplum præbet incomparabile, & in iſta temporis ſui diligentia & amplo ſtudioſorum numero arripit materiam, unam profecto ab ſolerti tot eruditiſſimorum virorum gravitate non tactam, eo tamen magis neceſſariam, quanto Homerus & aliis eſt præſtantior & omni-

bus doctrinæ rebus partibusque præbuit exordia , & vetustam Græciam alioqui prorsus obscuram & ignorandam unus aperuit & enarravit posteris . Itaque quum sparsim & varie nonnulla hinc sint annotata, tum in unum corpus congesta habere opinor studiorum interfuisse vel maxime. Ipsa scribendi simplicitas mirabiliter est ϑακιτιδκη & nescio qui Meursiana, perinde ut ipsa operis designatio & series , ut publicam privatamque vitam Græcorum transeat. Opinabor libenter eos, qui primi ediderunt, expressisse auctoris optimi chirographum fideliter. Sed ut credam a Feithio scriptum esse, quod exstat colum. 3723. *Ac tale* templum omnium deorum *Atheniensibus struxit Ælianus Imperator*, non patitur reverentia, qua doctrinam Feithii, nominis mihi dilecti & honorati, metior, & vel si per incuriam ita scriptum exstitisset, non debuerant editores permisisse, ut id sic exiret, quum perspicue intelligatur Ælius Hadrianus. Nullus credo verba Aristotelis libro I. cap. 5. citata ex libro VI. Polit. c. VIII. πολλὰς ϰαὶ κεχωρισμένας τῆς ἱερωσύνης ab Feithio versa Latine fuisse *plures & distinctas per sacerdotia*, quæ locutio Flori supponit sacerdotes multiplices & complura sacerdotum genera. At vero non ναοφύλακες possunt dici sacerdotes, non item ταμίαι τῶν ἱερῶν χρημάτων pro sacerdotibus haberi queunt; sed curare aliquid separatum ab sacerdotio, nec aliter intelligitur iste locus ab interpretibus Aristotelis. Parum intelligo column. 3742. has voces : *Ubi alba vestis ; quasi etiam amictum strati corpus ex Ægeo in urbem intulerunt Sicyonii*, *teste Plutarcho*. Nec enim assequor vel locum Plutarchi, vel historiam quam respicit. Column. 3346. prave faciunt meminisse *Ægypti Regis in Bœotia*, qui fuit in Arcadia. Sed neque verba illa Όταν ἀλόντος ᾖ, ϰαὶ ϛρέφονται περὶ δῖνον οἱ βόες, habet Ælianus Var. Hist. lib. XIV. ut citantur in lib. IV. capite primo, sed lib. IV. animal. cap. 15. Optavi quidem ista ante annos legens , ut & auctoris honori & evolventis commodo inserviissent alacrius illi , quorum id munus fuit: nam ab Feithio illa venisse nunquam credo. Sed quum hæc vota in vanum cadant, nunc annotanda duxi, ut pateret me pati nolle , ut inveterascentem jam doctrinæ Feithianæ laudem aliqua negligentiæ invidia frangat aut comminuat. Et ista hactenus. Nam nunc intercapedo quædam facienda erat, ad quam ut transires gustu vetustatis & amœniore infectus, commodissime quidem evenit, ut restaret nihil præter id quod fragmentorum Nicolai Damasceni collegit jam aliquoties laudatus Cragius, in quibus ut multa exstant aliena & extranea , tum nonnulla scopo nostro & Græcis inservientia . Atque ita ad varietatem hujus voluminis te dimittens sicut voveo , ut id tale experiaris, quo instauratione ejus gaudere queas; ita facias ut in eos qui ingenium suum tibi suppeditant, benevolentiam tuam profectibus & judicii sanitate comprobes. Vale , & pag. 5. vers. 24. vocem *limes* illic omissam restitue, ut sit *& limes apud*.

SERIES SCRIPTORUM

Quæ in volumine ſexto Theſauri Antiquitatum Græcarum inveniuntur.



JOACHIMI STEPHANI,

POMER. J. U. D.

DE

JURISDICTIONE

VETERUM GRÆCORUM,

LIBER.

Index Capitum.

Cap. I. *Athenas præ ceteris civitatibus Atticæ, Thessaliæ & Peloponesi esse Legum & Scientiarum emporium.*

SUMMARIA.

Athenæ, Lacedæmon & Thebæ quando imperium in Græcia habuerint. Athenæ liberalium artium Emporium. Athenienses tria gymnasia exstruxerunt. Atheniensium cives juventutem literis & studiis imbuere consueverunt. Athenæ a Stobæo quomodo appellatæ. Spartani non tam literarum quam armorum studia amplexi. Romani cur leges suas ab Atheniensibus & non Lacedæmoniis petierint. Spartani Philosophiæ contemptores. Oratores produnt civitates, & se ipsos. Socrates Philosophiæ princeps, & suavitas Attici mellis dictus. Socrates coactus poculo venenato sibi mortem intulit. Reip. defensio ab armatis manibus militum pendet. Spartanorum lex aspera. Spartani excesserant Ephebis XV. *anno. Spartanorum liberorum doloribus & laboribus sustinendis corpus assuefactum. Spartanis uti corporis venusta dispositio displicebat;ita animus infractus ab iis non satis laudari poterat. Athenienses erant venustæ formæ, & moribus optimis præditi, &c. Ab Atheniensibus petendum, quidquid ad hominem bene vivendum spectat. Athenienses cum Barbaris & Scythis non servarunt cognationem. Athenienses in Republ. mutabiles. Athenienses tria genera Rerumpublicarum experti. Athenis fuit jurisdictio & imperium penes populum. Athenis etiam fuit ἀναρχία. Athenarum urbs præ cæteris Græciæ civitatibus fulsit majestate imperii. Athenienses ex legibus divinis & Moysis jurisdictionem furtim subtraxerunt. Athenienses ante bellum Trojanum non scriptis legibus, sed Principum placitis vixerunt. Draco a Phœnicibus leges suas accepit.*

Cap. II. *De imperio Atheniensium.*

SUMMARIA.

Magistratus Atheniensis eligebatur vel populi suffragiis, vel sorte. Magistratus ad duo obstringebatur. Magistratus Atticus definitur ab Aristotele. Solon imperium & jurisdictionem ad populum transtulit. De capite saluteque civis Atheniensis injussu populi statuere quid, non licuit. Solon duplex constituit forum,criminale & civile.Solon sustulit Ephetarum potestatem. Caussæ criminales in Areopago,civiles in Pritaneo tractabantur. Areopagus imperium habuit. In Areopago quorum fuerit criminum cognitio & executio. In Heliastico judicio quæ caussæ tractabantur. Quæ crimina Populus judicarit. Phocion criminis insimulatus, a populo damnatus. Pausanias a populo capitis damnatus. Imperatores belli in quæ crimina animadvertebant. Ephori Spartani habuerunt merum imperium. Athenienses invenerunt formam dandæ actionis.

Cap. III. *De Jurisdictione Atheniensium, quæ conficiebatur in Prytaneo.*

SUMMARIA.

Prytaneus forum civilium caussarum,uti Areopagus publicorum criminum. Prytaneus fuit judicium sexcentorum judicum. Prytaneorum Magistratus annus erat, & cur. In Prytaneo cur plures judices fuerint. Judices Prytanei eligebantur ex populo. Senatus distributus in decem partes. Pars quælibet L. *Senatores continens gubernavit per* XXXV. *dies anni lunaris. Prytaneis diebus jure experiri Athenis constituitur. Heliastæ in Prytaneorum præscripta jurabant. Quinquaginta viri* XXXV. *diebus præfuerunt jurisdictionis. Prytaneorum judicum numerus post in quinque partes divisus. Decem diebus* XXXV. *in Prytaneo judicabant. Undecimviri qui. Septemviri judices qui. Athenis fuit triplex ratio constituendi magistratum. Judices per sortem electi.* Χειροτονίᾳ *qui electi.* Αἱρέσει *electi qui. Sorte cur præses electus. Prytanei Summi Magistratus jurisdictio qualis. Athenarum reditus in Acropoli unde colligebantur, & quot numero fuerunt. Epistata convocabat Ecclesiam. Ecclesia duplex Athenis. Athenis bis fiebant magna comitia. Pœna Epistatæ non convocantis Ecclesiam,itemque consiliariorum non aperte dicentium Reip. utile quid esset. Consiliarii dicti* πάρεδροι. *Concilia quando facta. Prytaneusæ ultra septimanam jurisdictio non concedebatur exercenda.*

Cap. IV. *De caussis quæ in Prytaneo tractabantur.*

SUMMARIA.

In Prytaneo causæ civiles leviores apud Argentarios tractabantur. Actor apud Prytaneum deposuit decimam partem litis. Reus si ab actore vocatus non sequebatur,in jus vi trahebatur. Reus satisdationis loco deposuit decimam partem litis. In Prytaneo sportulæ judiciales colligebantur. Ex Prytaneo alimentabantur bene de Republ. Atheniensi meriti,laboribusque exhausti. Athenis tria genera publicorum præmiorum. A munere collationis ad Triremes & belli subsidia nemo immunis erat. In Prytaneo tractabantur etiam caussæ criminales quædam. Cædes a brutis & inanimatis commissa cognoscebatur a Prytaneis. Prytaneus habuit potestatem irrogandi pœnam mortis. Socrates in Prytaneo condemnatus ad ebibendum propinatum venenum. Lictoris oratio ad Socratem. Origo punitorum instrumentorum. Statua virgis cæsa adversarium oppressit. Instrumenta quibus bos mactabatur, quomodo rea peragebantur. Ensis condemnatus ideo quod sit caussa cædis. Buphonia & Diipolia quid. Vesci sanguine bruti quare lex divina prohibuerit, &c. In Prytaneo agebantur etiam caussæ religiosæ. Solonis leges cur ἄξονες *vocantur.*

Cap. V. *De Judicio Heliastico.*

SUMMARIA.

Ad Heliasticum judicium appellabatur a Parabysto & Trigono. Heliasticum judicium sub aperto cœlo exercebatur. Heliastæ juramentum præstabant. Heliastæ in tres classes dividebantur. Thesmothetæ principes in Heliæo. Thesmothetarum officium. Thesmothetæ sex quales. Thesmothetis primo per annum unum eis jurisdictio committebatur. Thesmothetæ probati in Senatum Areopagitarum recipiebantur. Thesmothetæ malæ administrationis convicti,ex ordine Thesmothetarum ejiciebantur. Thesmothetæ primo dabant litigantibus arbitros. Arbitri si nihil proficerent, tum Thesmothetæ dabant actionem. Reus apud Thesmothetas proponebat exceptiones. In criminalibus quid observetur apud Thesmothetas. Thesmothetarum officium ex parte simile fuit Prætoris Romani jurisdictioni. Declaratur. Thesmothetæ in civilibus uti procedebant. Ἀνάκρισις *a Thesmothetis quomodo fiebat, in criminalibus. Thesmothetæ quomodo differant a Prætore Romano. A Thesmothetis quare actionis & accusationis introductio facta. Introductionis actionum præscriptionis tempus. Thesmothetæ præstantes fide & integritate. Apud Thesmothetas actio* ὕβρεως *tractabatur.*

re. Ab arbitris si lis componi nequiverat, deducebatur vel in Prytaneum vel Areopagum. Arbitrio certum tempus præstituebatur. Judicii in Prytaneo exordium fuit vocatio in jus. Vocatio in jus fiebat caussa vel negotii civilis, vel criminis. In negotio civili, actor privata authoritate reum in jus trahere potuit. In criminibus & delictis, vero a Magistratu erat vocatio in jus impetranda. Amphictyones per Præconem delatos criminis citarunt. Romani per tubæ sonitum. Hoc modo vocati sive citati, si non compareant, prehendi manibus possunt. Ἀνδρολη‐ψία in legibus Solonis quid. Ἀνδρολη‐ψία etiam privato concessa. Vicanus ex contractu vel delicto sui convicani tenetur. Clarigatio vel Repressaliæ cur probibitæ. Athenis sub pœna Eremodicii dicto sibi die reus comparere tenebatur. Eremodicii pœna quæ. Dilatio sine juramento non dabatur. Annuo spatio lites finiebantur. Duplex actio non citato & tamen condemnato competebat, δίκη ψευδοκλητίας, & ἀπρόσκλητος.

CAP. X. *De modo proponendi actiones in Judicio.*

SUMMARIA.

Oratores actiones datas non scripto, sed sermone proposuerunt. Demostenes Atticæ eloquentiæ medulla dictus. Athenæ magis Atticæ. Isocratis suavitas, Lysiæ subtilitas, Hyperidis acumen, Æschinis venusta pronuntiatio, Demosthenem non adæquabant. Sophistæ a Rhetoribus quid differant. Oratores Tribunal conscendebant. Oratores a conviciis abstinere oportebat. Oratores ad Clepsydram formabant. Oratores in foro usi sermone etiam Asiatico. Genus dicendi εἰρόμενον quale. Genere dicendi εἰρόμενῳ usus Rhetorum more D. Paulus in oratione. Lex de non movendis affectibus in oratione. Præco oratores quosdam devovebat imprecationibus. Actori una clepsidra, Reo vero duæ concessæ. Oratores ad clepsydram tribus terminis distinctamorationem finiebant. Διωμοσία quid. Λόγος quid. Scribæ cur Athenis minus accepti. Testes quando & quomodo examinabantur. Testes ducebantur ad aram. Testium conditio qualis requirebatur. Servi alieni testimonium quomodo eruebatur. Servi confessio πρόκλησις: Liberi vero μαρτυρία dicta. Instrumentorum liquidorum & confessorum maxima apud Athenienses authoritas, & qualis. Instrumenta testibus non impugnabantur. Probationis species μαντεία. Oraculum consultum in dubiis factis adhibitum. Oraculi probatio non semper subsistit. Judices non judicabant, priusquam jurassent. Judices quidnam jurarint. Æquitas præstat aliquando vicem scriptæ legis.

CAP. XI. *De sententiis & earum exsecutione.*

SUMMARIA.

Dice & Themis dicuntur præsidere judiciis. Δίκη ad judicium criminale, at διαδικασία ad civile refertur. Athenis dirimebant judices controversias calculari sententia, non tabulari. Sententia vocalis quando Athenis recepta. Ostracis quomodo condemnatio fiebat. Ostracismo qui relegantur. Aristophanta nonagies quinquies accusatus, tamen semper evasit. Cato quater & quadragies accusatus, & semper absolutus. In Areopago & Prytaneo reus aut condemnabatur aut absolvebatur. Arbitrium pœnæ quando condemnato propositum. Æqualitas calculorum ampliationem sententiæ fecit. Thesmotbetæ aliquando ex decreto præscripserunt formam agendi, quam in columna ænea insculptam publice proposuerunt. Adversus proditores non comparentes quomodo processum. Sententiæ sub quorum nomine edebantur. Pœna non probantis plene accusationem. Athenis Corona aurea decreta & aurea statua collocata est Hircano Judæo. Lacedæmonii cum Abrahamo familiaritatem babuerunt. Subscriptio sententiæ vim obsignationis babuit. A sententiis ex calculis receptis non licuit appellare. Ἔφεσις καὶ ἔκκλητος *quid differant. Athenis nulla fuit appellatio ad Reges Macedoniæ. Tempus judicati faciundi. Actio τῆς ἐξούλης in debitorem quando dabatur. Mulcta quanta irrogata. Magistratus Romanus jurisdictionem suam pœnali judicio defendit.*

CAP. XII. *De pœna falso accusantium, & Reorum ex criminibus condemnatorum.*

SUMMARIA.

Pœna deferentis accusationem, quæ. Sycophantæ qui fuerint. Sycophantarum conditio plebi exosa. Oratores quinam Sycophantæ dicti. Sycophantarum præmium quale. Sycophantas sustulerunt Titius, Domitianus, Trajanus. Emtio vexationis & calumniæ exterminata. Sycophantæ notio. Athenis quando accusator in calumniæ pœnam incidebat. Pœna accusatoris non obtinentis quintam partem calculorum. Accusatore non probante accusationem, non semper incidit in pœnam Sycophantæ. Abolitio generalis est vel specialis. Sycophantæ pœnam exasperavit Antoninus Imper. In accusatore & reo dispar probationis ratio. Pœnarum genera duo: Unum commonitionis, alterum animadversionis. Athenienses lenioribus pœnis usi sunt. In Græcia summum supplicium fuit crucifixio. Rotæ & Restis supplicium. Ob professionem fidei in Christum varia tormenta exercita. Athenienses Rotæ & Restis supplicium improbarunt. Veneni haustus Atheniensium summum supplicium. Veneno interficiebantur Athenis seditiosi, &c. Prothagoras relegatus. Anaxagoras in carcerem conjectus. Condemnati ad veneni haustum, venenum suo pretio emere tenebantur. Pœnæ medii generis quæ. Interdictio aquæ & ignis cur deportationi similis. Pœnæ minimi generis quæ. Ostracismus exilii genus a Clisthene constitutum. Exilii hujus finis fuit Hyperbole. Exilium annuum quibus irrogatum. Mulcta pecuniaria Athenis plerunque exacta. Romani uti gladio, ita Athenienses veneno sontes interemerunt. Manus quæ deliquit abscindebatur. Ex bonis patris proscripti alimenta præstabantur liberis. Leges vero Romanæ filios omnino a bonis paternis arcent, & quare. Mulieres gravidæ non condemnatæ Athenis.

CAP. XIII. *De Jurisdictione Scholarum Athenis.*

SUMMARIA.

Scholarum gubernatio absque jurisdictione confici non potest. Scientia asserit quem ex servitute in libertatem. Musas servire facere, Scythica est crudelitas. Cynosarges schola antiquissima. Socrates utilius docuit quam septem Sapientes Græciæ. Socrates Philosophiam practicam antea ignotam aperuit. Socrates non publice, sed domi suæ & quidem gratis docuit. Vulgus quare Philosophos oderit. Mortuo Socrate Philosophi prius in publicum prodierunt. Socratis accusatores Melitus & Anytus qualiter condemnati. Socrates ærea imagine publice honoratus. Socrates præceptor Platonis. Academia a Platone populi consensu fundata. Philosophi jurisdictioni magistratus Politici exempti. Plato quid in Academia professus. Scholarum jurisdictio. Platonis discipulus Aristoteles. Platoni surrogatus Xenocrates. Aristoteles fundat Scholam quam vocavit περίπατον. Athenis duæ sectæ Philosophorum. Aristoteles discessit Athenis Chal-

A cidem, & quare. Aristoteli successit in peripato Theophrastus. Contentio inter magistratum & Philosophos Athenis. Philosophi nolebant esse sub jurisdictione magistratus civilis. Pompejus Philosophos Athenis & præmiis & singulari humanitate prosequutus est. Sophoclis lex incidit jurisdictionem Scholæ. Theophrastus urbe excessit, relicta Schola vacua. Sophocles ob excitatam a se descriptionem Scholæ, in quinque talenta condemnatus est. Sophoclis lex abrogata. Philosophis concessa jurisdictio & imperium. Leges Scholasticæ quales. Zenonis authoritas Athenis magna. Pentathli Philosophi qui dicti. Philosophis concessa potestas disponendi in testamentis suis de Scholis. B Aristippus Athenis primo docuit pro mercede Philosophiam. Pretii exactio nimia multos tenuitate fortunæ coegit a proposito desistere. Huic avaritiæ Philosophorum consuluit D. Antoninus Pius, constitutis certis salariis professoribus.

CAP. XIV. *De legis actionibus.*

SUMMARIA.

Athenis dabantur actiones a Thesmothetis. Actionum genera quot. Emtionis & venditionis forma C *Athenis quæ. Venditor habens emtori fidem, si circumventus fuerit, non competit ideo ei actio Emtio namque, & venditio vera non est, ubi fides loco pretii est, sed tum cum pretium numeratum. Prædia quomodo distrahebantur. Arrhæ datio. Romæ civis quis dictus. Peregrinus non potuit Atheniensem in uxorem ducere. Numerus domorum & civium Athenis. Contractuum instrumenta. Actio ἀναστροφῆς quæ. Æditiliam actionem unde Romani desumserunt. Athenis de syngraphis liquidis non dabatur judicium. Condictio certi ex mutuo cum stipulatione usurarum apud Athenienses observata. Usura duplex: Nautica &* D *terrestris. Usura terrestris singulis mensibus exacta. Ex sorte minæ Atticæ solvebatur drachma Attica. Usura centesima. Solonis σεισάχθεια quid. Usura nautica non fuit menstrua, uti terrestris. Nauticum creditum requirebat majores usuras, & quare. Pro securitate nautici crediti, hypothecata erat creditori navis. Actio data propter fœnus nauticum quæ. Contrahentibus licet se invicem negociative circumscribere. Creditori quando dabatur actio τῶ ναυτικῶ δανείσματος. Creditores cauti ratione crediti nautici. Maris mediterranei littus quando maxime excurrat. Littoris* E *definitio a Celso tradita, mari occidentali non competit. Δίκη χρέως & δίκη τῶ ναυτικῶ δανείσματος differunt. Δίκη ἀφορμῆς. Δίκη ὑποθήκης. Δίκη προστάγματος dabatur ex mandato privati. Mandatum aut expressum, aut tacitum. Mandatarius non debet fines mandati excedere. Ex mandato universitatis dabatur δίκη πρεσβείας. Δίκη παραπρεσβείας ob dolum malum legati dabatur. Actio alimentorum seu δίκη σίτω quibus competat. Pater egens tunc saltem a filio petere poterat alimenta, si honestis artibus eum imbui fecit. Δίκη ἐπιτροπῆς dabatur pupillis contra tutores. Δίκη μισθώσεως adversus quos dabatur, & quibus.* F *Δίκη παραθήκης actio depositi: cui similis est actio fiduciæ. Δίκη ἀντιδόσεως qualis, & cui dabatur, &*

A *contra quem. Δίκη τῶ κλήρω, sive petitio hereditatis. Hereditas defertur vel ex testamento vel ab intestato. Athenis faciebat duntaxat testamentum paterfamilias, non etiam filiusfamilias. Actio familiæ erciscundæ. Majus mensis Atheniensibus ad res agendas fuit infestus. Actio dotis quibus detur & quando. Fundum dotalem maritus nequivit alienare. Actio servitutis ad quid inventa. Athenis cur de aquæ ducendæ & hauriendæ jure præcipue actiones fuerint. Actio finium regundorum. De præscriptione quinque pedum distantiæ. Actio ingrati quibus, & adversus quos dabatur. Δίκη ἀποστασίω quibus dabatur, &* B *contra quos.*

CAP. XV. *De actionibus ex delictis & criminibus descendentibus.*

SUMMARIA.

Actiones publicæ patebant Athenis omnibus ex Populo. Actionum publicarum distinctio. Accusatio ἀσεβείας quæ. Aristoteles quare Athenis discesserit. Demades & Euagoras cur puniti. Alexander voluit Deus vocari. Accusatio τῆς ἱεροσυλίας quæ, & in quos data. Asylorum jus. Asyli jus con- C *cessit Ecclesiæ Carthaginensi Justinianus. Accusatio cordis diligentissime tractata Athenis. Homicidia non uno modo committuntur. Homicidii accusatio omnibus civibus competebat. Homicidam exulantem ubivis occidere licitum. Homicida in corpore puniendus, non in ære. Homicida cur ligno suspensus. Homicida vere est sacrilega, & quare. In homicidio non eventus sed animus facientis spectandus. Homicidia casualia. Necessaria defensio propulsat actionem. Necessariæ defensionis requisita. Mandator homicidii etiam puniebatur. δίκη μοιχίας accusacio adulterii. Ro-* D *manis legibus permittitur patri adulterum occidere. Adulterium gravius crimen sacrilegio. In Judæa non fuerunt meretrices, cum scortatio fuerit capitalis. Adultera injuriam fecit Deo, familiæ & marito. Actio malæ tractationis, δίκη κακώσεως. δίκη προαγίας. Accusatio parricidii apud Athenienses non tractata. Solon nunquam futurum putavit, quod liberi parentes occidant. Plato parricidis cur legem non sancivit. δίκη ὕβρεως fuit publica. δίκη προβολῆς. δίκη λοιδορίας & αἰκίας. Furti actio duplex Athenis. Fur alius diurnus, alius nocturnus, eorum pœna diversa. κλόπη τῶν δημοσίων χρημάτων seu peculatus. δίκη* E *βλάβης. δίκη ἀργείας. Areopagus in desides & ignavos animadvertebat. Prodigo non erat locus Athenis. Athenis juvenes facti puberes tenebantur discere artificium: Crimina militaria.*

CAP. XVI. *De Exceptionibus.*

SUMMARIA.

Reorum partes favorabiliores quam actoris. Exceptiones aliæ intentionis, aliæ dilationis. Dilatoriæ exceptiones intentionis seu peremtoriæ quæ F *sint. Injuriarum actionis præscriptio. Replicatio, duplicatio, triplicatio Athenis non admittebantur.*

JOACHIMI STEPHANI, POMER. J. U. D. DE JURISDICTIONE VETERUM GRÆCORUM, LIBER.

CAP. I.

Athenas præ ceteris civitatibus Atticæ, Thessaliæ & Peloponesi esse Legum & Scientiarum emporium.

SUMMARIA.

Athenæ, Lacedæmon & Thebæ quando imperium in Græcia habuerint. Athenæ liberalium artium Emporium. Athenienses tria gymnasia exstruxerunt. Atheniensium cives juventutem literis & studiis imbuere consueverunt. Athenæ a Stobæo quomodo appellatæ. Spartani non tam literarum quam armorum studia amplexi. Romani cur leges suas ab Atheniensibus & non Lacedæmoniis petierint. Spartani Philosophiæ contemptores. Oratores produnt civitates, & se ipsos. Socrates Philosophiæ princeps, & suavitas Attici mellis dictus. Socrates coactus poculo venenato sibi mortem intulit. Reip. defensio ab armatis manibus militum pendet. Spartanorum lex aspera. Spartani excesserant Ephebis XV. anno. Spartanorum liberorum doloribus & laboribus sustinendis corpus assuefactum. Spartanis uti corporis venusta dispositio displicebat; ita animus infractus ab iis non satis laudari poterat. Athenienses erant venustæ formæ, & moribus optimis præditi, &c. Ab Atheniensibus petendum, quidquid ad hominem bene vivendum spectat. Athenienses cum Barbaris & Scythis non servarunt cognationem. Athenienses in Republ. mutabiles. Athenienses tria genera Rerumpublicarum experti. Athenis fuit jurisdictio & imperium penes populum. Athenis etiam fuit ἀναρχία. Athenarum urbs præ cæteris Græciæ civitatibus fulsit majestate imperii. Athenienses ex legibus divinis & Moysis jurisdictionem furtim subtraxerunt. Athenienses ante bellum Trojanum non scriptis legibus, sed Principum placitis vixerunt. Draco a Phœnicibus leges suas accepit.



TRES fuerunt in Græcia civitates, Athenæ in Attica, Sparta in Peloponeso, & Thebæ in Bœotia, imperio, potentia, & armis florentes, quarum Respublicæ sui juris & mancipii fuerunt, suisque legibus & Jurisdictione utebantur. Athenienses enim a dicto Xerxe Rege Persarum ad annos XLV. rerum potiti erant. Cum vero bello Peloponesiaco Græcia laboravit, Spartanorum potestas teste Demosthene III. *Olinth.* erupit, qui Athenas ceperunt, easque in tyrannidem potius quam in imperium sibi subegerunt, dominandique asperam potestatem per annos XXVII. obtinuerunt usque ad pugnam Leuctricam, qua Lacedæmonii rursus a Thebanis victi, ac imperio & potentia exuti in ordinem coacti sunt, ut ita omnis rerum gerendarum potestas & authoritas ad Thebanos translata fuerit, quam ad annos XXX. pene possederunt. Quibus elapsis, a Phocensibus hi rursus attriti imperium amiserunt, & ad Athenienses ceu jure postliminii pervenit, duravitque usque ad Philippum Amintæ filium, qui potentiam harum civitatum ut fraude clam attentavit, ita Alexander postea vi aperta eam incidit.

Inter has autem civitates moribus ingenuis cultissimæ fuerunt Athenæ, quas παιδευτήριον τῆς Ἑλλάδος juste Pericles appellavit, ideo quod mercaturam humaniorum literarum & disciplinarum præstiterit toti orbi, ut & legum scientia, vita, moribusque liberalibus harum Cives præ ceteris aliis Græciæ incolis fulserint, quod eleganter Syngelus refert, inquiens, τὸ τῆς Ἑλλάδος εὖχος τὸ πανασίδημον ἄστυ, τὸ τῶν φιλοσόφων διαιτητήριον, καὶ τῶν ἐπὶ λόγῳ μέγα βοωμένων γυμναστήριόν τε καὶ παιδευτήριον.

Ut autem studia præclara & honestæ leges in his florerent, impensis præclaris tria Gymnasia, teste Suida, ut puta Lycæum, Cynosargen & Academiam totius Philosophiæ, legum & doctrinarum tractandarum gratia aperuerunt, ex quibus ceu perenni artium fonte omnes scientiarum & artium rivuli non solum in Asiam, sed & in Europam ac alias mundi partes emanarunt.

Præterea & cives ac incolæ juventutis primas partes ad præclaram ingenii accessionem acquirendam, subjicere studiis consueverunt, ut in Republica gerenda dignitatem legum & auctoritatem Magistratus tuerentur, ac Jurisdictionem ex æquitatis naturalis & scriptæ norma conficerent: cujus gratia judicia & forum constituerunt, ex quibus non solum leges dirimendis controversiis aptæ ad Romanos profectæ, sed & in foro procedendi ratio conspecta est. Propterea & a Pindaro ἔρεισμα, & ab aliis μουσεῖον, hoc est, sacrarium augustius exquisitioris sapientiæ, teste Stobæo, appellatæ fuerunt, ut & sciscitantibus his, consultum oraculum responderit: Tanto eas fore excellentiores cæteris urbibus, quanto alias aves præcellit in nubibus Aqui-

la, ut Cælius *lib.x.* refert. Etsi enim Spartam A seu Lacedæmona Athenis parem fuisse dicatur, eo quod hæ civitates duo oculi totius Græciæ habitæ fuerint, ac una destructa Græciam eluscari seu fore ἑτερόφθαλμον, uti Phocenses occupatis a Lacedæmoniis Athenas dixerunt. Tamen Spartani militiæ & armorum gerendorum peritiam magis quam liberalium studiorum solertiam amplexi sunt, cum a primis annis ceu lacte nutricis asperitatem morum imbiberunt, quam & sordido cultu victuque corporis & rigida institutione ita confirmarunt, ut ad quasvis fortunæ partes sustinendas sese recipere possent, B qua de causa plus virium quam ingenii habuisse de eis dictum est.

Et quamvis Lycurgus his Lacedæmoniis ex Apollinis authoritate leges constituerit: tamen Romani ab Atheniensibus eas petere ideo maluerunt, (ut D. August. lib. II. *de Civitate Dei* ait,) quod hæ leges diuturnitatem Reipubl. tantum afferre visæ sunt, quæ ex solo honestatis fonte ceu divino gurgite originem trahunt; ut Plato ait; & scientiarum ac artium aureis habenis a ratione ducuntur & reguntur, quas artes & scientias Spartani contempserunt. Philosophiam enim præcipue Dialecticam & C Rhetoricam non admissas fuisse in Spartanorum Repub. refert Athenæus lib. XXIV. *Deipnosoph.* idque διὰ τὰς ἐν λόγοις φιλοτιμίας καὶ ἐρίδας ut ait, cum dissidiis Oratorum de jure in republica dissentium, non solum civitates pereunt, sed & ipsi Oratores sibi exitium afferunt. Cujus rei evidens exemplar allegarunt Socratem Philosophiæ principem, in quo licet arguta disputandi acies enituerit, propter quam & suavitas Attici mellis dictus fuerit: tamen nulla dicendi aut disserendi facultate se in vita conservare potuisse, sed poculo venenato mortem inferre coactum fuisse. Tutius igitur præsidium Reipublicæ im- D poni putarunt, si juvenes a primis annis armis & exercitio corporis sese dederent, ac præcipue voluptatum saginam, adhibita tenui cura corporis declinarent, cum defensio Reipublicæ non a sermonibus Oratorum, sed armatis manibus militum pendeat. Quare & lege Ephororum ita cautum erat, Ælianus refert, μηδένα Λακεδαιμονίων ἀι ανδρότεροι ὁρᾶσθαι τὴν χρόαν, ἢ τὸ ὄγκον τοῦ σώματος ἔχειν ὑπὲρ τὰ γυμνάσια, id est, *Nemo Lacedæmoniorum præ se ferat mollem seu delicatum colorem, nec alat pingue corpus exercitiis inconveniens.* Hi quoque Spartani qui ex Ephebis ex- E cesserant decimoquinto anno sese his Ephoris exhibere tenebantur, qui si membrum aliquod delicatius nutritum in eis inveniebant, ad Dianæ Orthiam flagris cædendum condemnabant, ut doloribus & laboribus sustinendis corpus assuefieret. Quare & formæ venustas & corporis optima dispositio cum lepore suavitatis conjuncta his semper fuit dedecori, animus vero infractus, & ad quævis fortunæ incommoda perpetienda paratissimus, laudibus & elogio vix satis extolli ab his poterat.

Athenienses vero, cœli quædam clementia & li- F beralis institutio ad corporis habitudinem bonam, mores cultissimos, & studia humaniora, natura effinxit, ideo & αὐτόχθονες se dici voluerunt, & non ἐπήλυδες ut alii, quod ex concretione ingenui sanguinis nati erant, & apud quos Philosophiæ & humanitatis medulla suaviter delitescebat, ut quicquid spectat ad hominem bene præclareque vivendum ab his petendum solummodo sit. Quare cum libertatem animi sectabantur, nullam cognationem cum Barbaris & Scythis ceu servis sibi intercedere putarunt, nihilque intentatum quoque reliquerunt, ut Respublica & civium libera capita omnis servitutis expertia apud hos florerent. Ob quam caussam & δυστραπέλυς τῆς πολιτείας fuisse scribit Heracles in *Politiis*, & ad vicissitudines seu mutationes Reipublicæ propensissimos, ut eam imperii speciem introducerent in civitatem qua libertas civis Attici nullo modo lædi posset. Et ideo primum βασιλείαν seu regnum sub Cecrope, Erechtheo, Theseo, Codro, & hujus successoribus sustinuerunt, quæ cum in τυραννίδα sub Pisistratis resolvebatur, Ἀριστοκρατίαν elegerunt, & tandem ut pari libertatis jure omnes viverent, δημοκρατίαν duce Solone constituerunt. Præcipue autem in id incubuerunt semper, ut Imperium & Jurisdictio, quæ ipso jure cohærebat, civitati & territorio Attico per Magistratum sorte vel suffragiis ex civibus delectum conficeretur; quæ potestas penes populum longo tempore resedit, nisi tunc cum a XXX. Tyrannis oppressa Respublica tenebatur, quo temporis spatio ἀναρχίαν fuisse Athenis Ælianus refert. Cum itaque urbs Athenarum legum & disciplinarum humaniortm fuerit columna seu potius τῆς Ἑλλάδος μουσεῖον, ut Athenæus ait, Jurisdictionis & imperii gerendi etiam majestate præ cæteris aliis in Græcia civitatibus fulsit, quam non a natura & cœli clementia adepta est, quod legibus & humanitate ab origine rerum floruisse hanc urbem gloriose dixerunt, sed furtim permutatis tantum quibusdam signis, ex legibus divinis & Moysis subtraxerunt; uti & quæcunque ad Rempublicam præclare constituendam & legibus regendam spectarunt, inde solummodo peti possunt, ut eleganter Philo *contra Appionem* disserit, qui & addit; ante bellum Trojanum Græciam fuisse sine literis, & populum Atheniensem omnino ἀνόμιμον, ut nec secundum aliquam legem scriptam, sed placitis & jussionibus regum, gubernatus fuerit, longo tempore vero post a Judæis vicinis omnem scientiam & leges suas scriptas accepisse, cum Draconem Legislatorem ex Phœnicibus leges suas paulo ante Tyrannidem Pisistrati conscripsisse, & Atheniensibus exhibuisse referat.

CAP. II.

De imperio Atheniensium.

SUMMARIA.

Magistratus Atheniensis eligebatur vel populi suffragiis, vel sorte. Magistratus ad duo obstringebatur. Magistratus Atticus definitur ab Aristotele. Solon imperium & jurisdictionem ad populum transtulit. De capite saluteque civis Atheniensis injussu populi statuere quid, non licuit. Solon duplex constituit forum, criminale & civile. Solon sustulit Ephetarum potestatem. Caussæ criminales in Areopago, civiles in Prytaneo tractabantur. Areopagus imperium habuit. In Areopago quorum fuerit criminum cognitio & executio. In Heliastico judicio quæ caussæ tractabantur. Quæ crimina Populus judicarit. Phocion criminis insimulatus, a populo damnatus. Pausanias a populo capitis damnatus. Imperatores belli in quæ crimina animadvertebant. Ephori Spartani habuerunt merum imperium. Athenienses invenerunt formam dandæ actionis.

IMPERIUM & Jurisdictio in Græcia præcipue Athenis exacta verborum figura distincta non erat, uti Romani postea fecerunt, idque præcipue ante Solonis tempora. Nam quicunque in Magistratum suffragiis populi aut sortitione designabatur, duo officia præstare compellebatur, ut ju-

ut judicaret & imperaret, nec ulla ratione invicem hæc sejungi poterant. Qua de caussa & Aristoteles lib. IV. *Politicorum* cap. XIV. ex consuetudine Attica Magistratum definit, ἄρχας ὅσαις ἀποδέδοται βουλεύεσθαι περὶ τινῶν ϗ κρίναι ϗ ἐπιτάξαι, hoc est, *Cuijus seu facultas est consultandi de his, quæ concernunt Jurisdictionem & Imperium*. Horum autem quod proxime ad Magistratus officium accedit est Imperium, ait enim ἀρχαικώτερόν ἐστιν ἐπιτάττειν, ut legibus latis delicta & crimina juste coerceantur & vindicentur. Ad quod & Cleon respicit in oratione *pro libertate Rhod.* ubi ἄρχειν δικαίως κολάζεσθαι definit.

Hæc autem publica potestas judicandi & imperandi cum Athenis apud Principes populi familia & natalibus illustres exstitit, cui plebs ambitiosa rabie tandem restitit, ut potestatem magistratus ad se traduceret: Solon Rempublicam mutuis discordiis & æmulationum facibus optimorum & plebis flagrantem restinxit, & in tranquillum restituit, ita quod parem gratiam ab utraque parte retulerit. Ex qua tamen reconciliatione id evenit quod Jurisdictio imperium ad populum translata fuerit, sine cujus jussu aut consilio ut in publicis rebus, quæ ad statum urbis spectabant nihil suscipiebatur, ita nec de capite aut salute civis Atheniensis statuere quicquam sine hujus jussu licuit. Ne tamen promiscuæ vulgi multitudini imperii meri & Jurisdictionis exercitium committeretur, quæ ut bellua multorum capitum in sententiam legibus conformem vix coire potest, ut nec lites propositas sine animi perturbatione aliqua definire, nec forensium naturam intelligere potest. Idem unicuique caussarum generi criminali & civili certum forum assignavit, quas caussas conjunctim ante eum in Prytaneo tractatas esse constat, præsidentibus Ephetis aut Undecim-Viris, quorum administratio tandem multum exosa fuit plebi. Ephetarum quoque potestatem ac eorum decreta, quæ θεσμοὺς vocarunt, sustulit, & in Prytaneo caussas civiles; in Areopago vero Criminales agi ordinavit. Etsi enim ante Solonis Magistratum Areopagitarum judicium exstitisse ex decima tertia Tabula ejusdem octava lege patet, quæ ita perscripta erat: *Ex crimine damnatis ante Solonis imperium honores capere liceto, præter hos, qui ab Areopago, aut Ephetis, aut in Prytaneo homicidii, aut latrocinii, aut Tyrannidis Rei peracti sunt.* Tamen certis generibus caussarum forensium & procedendi exacto modo minus Judicia distincta erant, quam formam præclaram cum Solon singulari industria judiciis adjecerit, merito instituisse primum Areopagum censetur. Ut autem ordine & legitime crimina in judicio, jure populi Atheniensis, vindicarentur, Areopago facultatem animadvertendi in facinorosos concessit ac mandavit, quam Romani postea Merum Imperium, & jus gladii appellarunt, ut aut ad instantiam accusatoris sontes pœnis subjicerent, aut deficiente accusatore jure potestatis in delicta inquirerent, eaque suppliciis legitimis vindicarent, quod ex Isocratis *Areopagitico* patet. Et quamvis Dmosthenes & alii Rhetores actionum genera in duas classes ἰδιότικας ϗ δημότικας distinxerint, ac criminum vindictam seu executionem sub τοῖς δημοτικοῖς comprehenderint: tamen non omnia δημότικα crimina ad Areopagum spectarunt, sed tantum ea principaliter, quæ vindictæ gratia per se sunt publica, tamen præcipue ad privati alicujus damnum vel injuriam spectarunt, ut adulterii, stupri, homicidii, aut his similia. Eorum vero criminum cognitionem & executionem, quibus immediate civitas aut populi universus status aut libertas lædebatur, populus sibi reservavit, & in judicio Heliastico convocatis omnibus tribubus populi conventu publico de his statuit, ut si legatus mandati fines excesserat, idque tam omittendo quam comittendo δίκη παραπρεσβείας in hunc dabatur, cujus criminis cognitio & exsecutio penes populum fuit, ut ex Demosthenis *falsa legatione* patet. Sic & cives repetundarum delati & accusati populo sistere, ejusque cognitionem exspectare compellebantur, quod & Aristidi evenisse Plutarchus refert. Proditionis quoque criminis insimulatus Phocion ad Regem Antipatrum confugit, ad quem cum populus Atheniensis Legatum Agonida misit, ut Athenas eum reduceret, ac caussam populo diceret, quidque de ejus capite commissi criminis caussa statueret, experiretur, Rex Phocionem remittit Athenas, ut populo se sisteret, cui, ut Plutarchus in *Vita ejusdem* refert, liberam statuendi de civis capite facultatem concessit. Pausania quoque capitis damnato a populo, populus delatorum impulsu homines certos ad Themistoclem comprehendendum misit, ut in Judicium adductus proditionis caussa condemnaretur, ut Plutarchus in *Vita Themistoclis* refert.

Ex quibus & aliis patet publicorum quorundam criminum cognitionem & exsecutionem jure potestatis vel imperii meri fuisse penes populum Atheniensem, cum non omnia τὰ δημόσια ad Areopagitarum Judicium translata fuerant, uti & Græci post, teste Harmenopulo, publica & fiscalia judicia sub δημοσίοις complexi sunt. Imperatores quoque suffragiis populi bello gerendo electi, jus vel potestatem animadvertendi in milites non habuerunt, nisi ex certo modo & forma, quæ eis demandata erat, ut propter crimina communia, quæ in expeditione committebantur, milites justis pœnis afficerent, non autem militaria, ut si metu periculi fracti ex acie fugissent, vel clypeum abjecissent, vel largitione corrupti ad hostes defecissent, hos ex fuga retractos bello finito ad Areopagum deferre, ac actione λειποταξίας ἢ ἀποστασίας reos peragere compellebantur, ut caussa cognita ab Areopagitis suppliciis legitimis subjicerentur.

Spartæ vero alia animadvertendi in facinorosos ratio observata fuit, nam Merum Imperium seu Jus adimendi vitam penes Ephoros tantum fuit, ad quorum arbitrium & sententiam omnium Lacedæmoniorum mores, vita, & facultates regebantur. Lege enim Spartanorum, teste Stobæo, horum potestas descripta exstat his verbis: Εφοροι οὖν δυνατοὶ μέν εἰσι ζημιοῦν ὃν ἂν βούλωνται, κύριοι δὲ πράττειν παραχρῆμα, κύριοι δὲ ϗ ἄρχοντας μεταξὺ καταπαῦσαι, ϗ εἶρξαί τε, ϗ περὶ ψυχῆς εἰς ἀγῶνα καταστῆσαι, hoc est: *Ephori possunt unumquemque Lacedæmoniorum quemcunque volunt punire, & statim suo jure omnia agere in Repub. & jure eodem possunt in carcerem ducere, & de vita alicujus statuere.* Sed tamen Athenis Solonis forma constituta in Areopago & Prytaneo dispositionem Spartanorum longe præstantius excessit, qui licet Imperium & Jurisdictionem penes populum Atheniensem ipso jure residere constituerat, tamen ita judicia aperuit, ut legum majestate & Oratorum splendido comitatu de jure partium legibus præclaris & lepore Attico condecoratis in foro differentium, fulserit, ac libidinem populi effrænem legum & juris observantiæ adstrinxerit, ut & vere dictum fuerit, referente Æliano *lib.* III. *cap.* XXXVIII. Athenis tantum inventum esse δίκην δοῦναι, ϗ λαβεῖν, ut scilicet in judicio solemni actionum & exceptionum modo & forma procederetur, ac caussæ in foro ab Oratoribus, qui horum patrocinia in se receo-

perant, juris legitimo tramite finirentur, cum ante Solonem in judiciis non δίκαι, sed δικήματα tantum a litigantibus proponebantur & introducebantur.

CAP. III.

De Jurisdictione Atheniensium, quæ conficiebatur in Prytaneo.

SUMMARIA.

Prytaneus forum civilium caussarum, uti Areopagus publicorum criminum. Prytaneus fuit judicium sexcentorum judicum. Prytaneorum Magistratus annuus erat, & cur. In Prytaneo cur plures judices fuerint. Judices Prytanei eligebantur ex populo. Senatus distributus in decem partes. Pars quælibet L. *Senatores continens gubernavit per* XXXV. *dies anni lunaris. Prytaneis diebus jure experiri Athenis constituitur. Heliastæ in Prytaneorum præscripta jurabant. Quinquaginta viri* XXXV. *diebus præfuerunt jurisdictioni. Prytaneorum judicum numerus post in quinque partes divisus. Decem diebus* XXXV. *in Prytaneo judicabant. Undecimviri qui. Septemviri judices qui. Athenis fuit triplex ratio constituendi magistratum. Judices per sortem electi.* Χειροτονία *qui electi.* Αἱρέσει *electi qui. Sorte cur præses electus. Prytanei Summi Magistratus jurisditio qualis. Athenarum reditus in Acropoli unde colligebantur, & quot numero fuerunt. Epistata convocabat Ecclesiam. Ecclesia duplex Athenis. Athenis bis fiebant magna comitia. Pœna Epistatæ non convocantis Ecclesiam, itemque consiliariorum non aperte dicentes Reip. utile quid esset. Consiliarii dicti* πάρεδροι. *Concilia quando facta. Prytaneusæ ultra septimanam jurisdictio non concedebatur exercenda.*

Ut in Areopago publicorum criminum cognitio ex instituto Solonis erat, ita in Prytaneo publicæ caussæ quæ ad curam Reipubl. belli & pacis spectabant, ac quæ rerum Provincialium cognitionem desiderabant, civiles seu privatæ caussæ tractabantur, cui judices Jurisdictionis conficiendæ gratia præfecti sunt. Theseus autem, teste Plutarcho, Senatorum Curias Athenis & Magistratus harum sustulit, unumque commune omnibus Prytaneum constituit. Solon vero postea huic Judicio quingentos Judices præfecit, ut & quingentorum judicium, seu πεντακοσίων ideo dictum fuit. Tandem vero auctis tribubus cœperunt esse ἑξακόσιοι, hoc est, *sexcenti*, ut Plutarchus in *Solone* & *Demetrio* refert. Hic Senatus Prytaneus Athenis præcipuus fuit, in quem ordinem tantum familia illustres ante Solonem cooptabantur, verum ex ejusdem instituto postea ex Tribubus populi indiscrete deligebantur. Fuit autem eorum administratio tantum annua, seu ut Libanius κατ' ἐνιαυτὸν διεδέχετο. hoc est, *ad annuum imperium tantum eligebantur*. idque ideo ne potestas diuturnior occasionem contra leges & æquitatem quidque committendi præberet, quo stabilito, administratio Reip. gravissime læditur.

Præterea plures numero Judices præesse voluerunt, quo tanto major in dicenda sententia libertas & authoritas esset, ne inferiores metu fracti in potentiorum injustas sententias pedibus ire compellerentur. Eligebantur autem hi Judices ex civibus omnium tribuum, & in ordinem Magistratus cooptabantur, excepto filio natu maximo Athamantis, cujus familia cum fuit Athenis amplissima, id cautum erat, ne primogenitus ex hoc genere eligeretur. Cum vero difficilis & molesta fuit ad quos libet caussarum actus, qui in singulos dies, excepto festo, designati fuerunt, totius Senatus congregatio, ac multitudine negotiorum civilium hoc forum magis magisque obruebatur, facta est distributio Senatus quingentorum in decem partes ad modum divisi populi in decem tribus, ut quælibet pars quinquaginta Senatores contineret, quæ imperii gubernationem teneret per XXXV. dies anni lunaris, quibus diebus juris experiundi, omnisque rei gerendæ in Republica constituendæ decernendæque, tunc & alia in Jurisdictione civili conficiendæ potestas fuit, quos dies appellarunt πρυτανείας ἡμέρας, uti Græci postea ὡρισμένας seu utiles dies hos appellarunt. Ut enim Romæ cives divisi erant in XXXV. Tribus, ita Athenis in decem Tribus, & rursus ex qualibet Tribu quinquaginta sorte eligebantur Reipublicæ gerendæ caussa, ita ut ex decem Tribubus quinquaginta constituerentur, qui βουλὴ τῶν πεντακοσίων dicti sunt. Ex his quingentis, quinquaginta vicissim eligebantur, qui dies XXXV. imperitabant, & πρυτάνεις tunc vocabantur, ex his quinquaginta rursus præsides sumebantur, quos προέδρους vocarunt.

Jus quoque constituendarum legum necessitatis gratia hi Prytaneis habuerunt, ac Judicibus inferioribus & Arbitris modum agendi præscripserunt, ut & Heliastæ, qui licet numero & dignitate postea his superiores habiti sunt, in eorum præscripta, quæ βουλῶ vocat Demosthenes, jurare coacti fuerint, ut Ulpianus κατὰ Τιμοκρ. refert. Jus quoque convocandi senatum, seu ut Ulpianus vocat, totam Ecclesiam, penes hos fuit, quæ constabat ex Tribubus populi Atheniensis, qui Comitia celebrabat. Elapsis vero XXXV. diebus, quinquaginta hi imperii gubernationem deposuerunt, ac in publicam administrationem successit secunda pars quingentorum, nempe quinquaginta. Deinde tertia & quarta pars usque ad decimam, ita ut semper confectis XXXV. diebus ex continua successione decime partis quingentorum anni lunaris periodus, quem Athenienses observaverunt, absolveretur. Superstitibus saltem ex anno lunari IV. diebus, quos ἀνάρχους ἡμέρας seu *dies sine imperio* vocarunt, teste Ulpiano *in Androciana*, qui electioni magistratus assignati erant. Verum cum temporis ratio ac negotiorum varietas, quæ indies magis magisque increscerat Athenas, efflagitarat contractiorem imperii formam, eo quod singulis diebus experiundi juris potestas data fuit, ac mole laborum magistratus hic nimium opprimebatur, numerus quinquagenarius horum judicum, qui antea simul & eodem imperio præfuerunt jurisdictioni XXXV. diebus, in quinque partes divisus est, ac quælibet hujus pars decem viros habuit, qui diebus septem jurisdictionem conficiebant, quibus elapsis ex ordine reliqui decem viri successerunt, donec per successionem decem virorum quinque septimanæ absolverentur. His absolutis secunda pars quingentorum, videlicet quinquaginta, capessebat Rempublicam ad XXXV. dies, seu quinque septimanas, eX quo partitionis modo hos dies Prytaneos vocarunt, hoc est, utiles Jurisdictionis exercendæ gratia inductos, quos decem viri inter se distribuerunt, qui πρόεδροι appellati fuerunt. Ait enim Libanius κατ' Ἀνδρ. οἱ πεντήκοντα ἐκαλοῦντο Πρυτάνεις, οἱ δὲ δέκα πρόεδροι, ὁ δὲ εἷς ἐπιστάτης, quos Ulpianus recte προεδρεύοντας τῶν πεντακοσίων vocat: eo quod penes hos summa potestas rerum civilium, & judicii in Republica erat. Cum autem his decem viris scriba semper adfuit, qui annotationem eorum, quæ in foro acta erant, conficeret, ἕνδεκα, seu undecim viri dicti sunt, etiam post Solonem de delictis & criminibus quibusdam, excepta cæde, judicabant, & sententias exsequebantur, quod ex *Apologia* & *Phædone* Platonis evidenter patet. Magistratui

autem insignia, ex quibus imperii majestas elucescebat, præferebantur, videlicet, βακτήρια καὶ σύμβολα, ut Demosthenes περὶ στεφάν. idque ob hanc caussam, ut ait, quod significetur τὸ φρόνημα τὸ τῆς πόλεως νομίζειν. Cum autem hic numerus decem virorum superabat quantitatem dierum septimanæ, sortitione ex decemviris tandem septem viri electi sunt, ut cuilibet unus dies, saltem in quo imperii majestatem gereret, competeret, qui ἐπιστάτης dictus est: Scribit enim Libanius in *Androt.* ἕκαστος δὲ ἀρχων ἐν μιᾷ ἡμέρᾳ ἐκαλεῖτο ἐπιστάτης, penes quem cardo Reipublicæ vel civitatis verteretur.

B Triplex autem apud Athenienses fuit ratio constituendi Magistratum, quidam enim per *sortem* seu κλῆρον eligebantur, & κληρωταὶ dicti sunt; quidam vero per χειροτονίαν, qui χειροτονηταὶ; quidam δι' αἵρεσιν, & αἱρεταὶ appellati sunt. Per sortem electi sunt Judices, qui rebus civilibus & capitalibus præfuerunt, cujus caussam Isocrates reddit in *Areop.* Χειροτονίᾳ vero Duces & Imperatores exercitus navalis vel terrestris eligebantur, quod fiebat porrectione vel expansione manus in porrectum, quæ solemnitas actus seu gestus tacitum suffragium & consensum denotabat, uti & Ecclesia antiqua hanc formam suffragii in eligendis Episcopis, qui C veluti Duces sunt exercitus Christianorum, observavit, quod etiam ex Canonibus Apostolorum patet. Αἱρέσει vero hi eligebantur, quibus publica munera, aut sumtus publici obeunda imponebantur, in qua electione patrimonii, vel facultatum cujuslibet Civis Atheniensis habebatur ratio, ut non solum cura corporis, sed facultatum impendiis munus publicum præstarent. Sortitione autem ἐπιστάτης seu Præses judicii ex septem viris eligebatur, ne odii aut gratiæ suspicione alicui imperii gerendi potestatem datam existimaretur, sed potius a fortunæ arbitrio id profectum esse censeretur, quæ sortitio Athenis non solum in decernendis magistratibus, D sed etiam in dandis & eligendis judicibus, & arbitris ad controversias caussarum dirimendas, recepta fuit. Ac ita ex his decemviris septem cum imperio, tres vero ἄναρχοι, seu *sine imperio* vel magistratu fuerunt. Ἐπιστάτης autem seu ἄρχων, qui summus Magistratus, veluti Imperator Prytaneus erat, non tantum jurisdictioni præfuit, quam imperii sui die confecit, sed etiam de rebus spectantibus ad universitatem dispofuit, cui & ideo claves ἀκροπόλεως tradebantur, ut Libanius refert, seu ærarii civitatis publici, ut interpretes explicant. Fuit enim Acropolis Munimentum Athenarum, ἐν ᾧ ἡ θάλασσα ἐστὶ σωζόντος, ut Cælius *lib.* x. ait, in qua E omnes thesauri civitatis custodiebantur, ac etiam reditus Athenarum ex insulis & oppidis, ut puta Amphipolis, Pydnæ, Potideæ, Pegasæ, Magnesiæ, Methonis, & aliorum, quæ fuerunt in Athenarum Patrimonio, præterea vectigalia & pensiones ex fodinis, salinis, aliisque Republicæ patrimonialibus fundis, collectæ reservabantur, qui reditus tempore Periclis fuerunt octo millia Talentorum, quos Periclem in Acropolin retulisse refert Isocrates in oratione *de Pace*. Non solum pensiones & censum ex civitatibus & bonis, quæ fuerunt in patrimonio Reipub. exegerunt, sed etiam ex sociis F civitatum, ut puta Chiis, Rhodiis, Byzantiis, & aliis, quas sub tutela sua receperant Athenienses, quo nomine etiam sexcenta talenta annua eis persolvebantur, ut Thucydides refert. Cum vero Lysander Athenienses vicit, πλείω δ' ἢ μύρια τάλαντα εἰς τὴν ἀκρόπολιν συνήγαγον, hoc est, *plus quam decem millia talentorum congessisse in Acropoli*, Demosthenes refert III. *Olinth.* Convocabat quoque hic Epistata Græcorum ἐκκλησίαν, ut Ulpianus κατὰ Τιμοκρ. refert, quod ter fiebat Athenis quolibet mense, quæ Ecclesia duplex fuit, una ἐκκλησία νομιμὴ seu ὡρισμένη, hoc est, *ordinaria* vel *legitima*, alia ἐξαίφνης γενομένη seu *repentina* ex insolita & insperata caussa indicta, uti & Romæ habebatur conventus legitimus & indictus, ut Tranquillus in *Augusto* refert, cum alias magna comitia, quæ Athenis ἀρχαιρεσίαι vocabantur, & quibus Magistratus eligebatur, ut κατ' Ανδροτ. ait Demosthenes, bis tantum in anno fiebant. Ne quoque convocationem hanc Ecclesiæ Epistata negligeret, & ea exclusa pro arbitrio suo Prytaneusa quidquam statueret, pœna a legislatoribus sancita erat, qua non tantum afficiebatur Epistata, quod aut negligentia aut contumacia excluserat Tribus populi: Verum etiam si in convocata concione consiliarii Tribuum ad hoc delecti sententiam suam, quod utile fore sentirent, non aperte dicerent, ut patet ex Demosthene κατὰ Τιμοκρ. Consiliarios enim, quos Tribus Atheniensium ad concionem miserunt, παρέδρους vocarunt, seu ut Ulpianus κατὰ Μειδίαν ait, πεμπομένους ἐν τῇ βουλῇ παρὰ τῆς πρυτανευούσης φυλῆς. Fiebant autem concilia seu Ecclesia hæc a prima Prytanea, undecimo die mensis. A secunda Prytanea vero vicesimo die mensis. A tertia, tricesimo die, ut Ulpianus *ibidem* refert. Ac Demosthenes in *Orat.* κατὰ Μειδίου legem recenset. Τοὺς πρυτάνεις ποιεῖν ἐκκλησίαν ἐν Διονύσου τῇ ὑστεραίᾳ ἐν Πανδίοις. Cum autem, ut dictum est, penes hos decemviros seu semptemviros, qui quinta pars fuerunt ex quinquaginta, ut & ideo Prytaneusa dicta sunt, summa rerum potestas erat, singulari prudentia & constitutione providebatur, ne Jurisdictio ultra septem dies propter occasionem & periculum affectandæ tyrannidis aut expilationis committendæ, aut in Republica abutendæ potentiæ, cuilibet Prytaneusæ concederetur, sed elapsa una septimana, secunda Prytaneusa cum eodem imperio & potestate succederet, quæ insequentis septimanæ gubernationem suscepit: ut ita continua successione decemvirorum vel Prytaneusæ imperium annum lunarem, quem Athenienses observarunt, expleret.

Cap. IV.

De caussis quæ in Prytaneo tractabantur.

Summaria.

In Prytaneo causæ civiles leviores apud Argentarios tractabantur. Actor apud Prytaneum deposuit decimam partem litis. Reus si ab actore vocatus non sequebatur, in jus vi trahebatur. Reus satisdationis loco deposuit decimam partem litis. In Prytaneo sportulæ judiciales colligebantur. Ex Prytaneo alimentabantur bene de Republ. Atheniensi meriti, laboribusque exhausti. Athenis tria genera publicorum præmiorum. A munere collationis ad Triremes & belli subsidia nemo immunis erat. In Prytaneo tractabantur etiam caussæ criminales quædam. Cædes a brutis & inanimatis commissa cognoscebatur a Prytaneis. Prytaneus habuit potestatem irrogandi pœnam mortis. Socrates in Prytaneo condemnatus ad ebibendum propinatum venenum. Lictoris oratio ad Socratem. Origo punitorum instrumentorum. Statua virgis cæsa adversarium oppressit. Instrumenta quibus bos mactabatur, quomodo rea peragebantur. Ensis condemnatus ideo quod sit caussa cædis. Buphonia & Diipolia quid. Vesci sanguine bruti quare lex divina prohibuerit, &c. In Prytaneo agebantur etiam caussæ religiosæ. Solonis leges cur ἄξονες vocantur.

A TRactabantur autem in hoc Senatu Prytaneorum præcipue caussæ civiles, quæ magni momenti fuerunt, cum quæ pretii levioris erant, ac ex contractibus descendebant, in foro apud Argentariorum Mensas agebantur, uti & Socrates in *Apologia* se ibidem caussarum tractandatum caussa nunquam visum fuisse refert, cum apud Argentarios ibidem, uti & Romæ negotia & contractus conficiebantur. Ne autem cuilibet præceps sit aditus confugiendi ad judicium, sed potius temeritas litigantium coerceretur, actor qui reum in jus vocarat, pœnæ loco antequam data fuit ei a Thesmothetis actio, pecuniam deponebat apud Prytaneum,
B nempe decimam partem æstimatæ litis, uti Romæ litigantes tam actor, quam reus quingentos æris ad pontem deposuerunt, quod Sacramentum vocabant. Actor autem, si judicio vicerat, suum Sacramentum a sacro auferebat, sin victus, pecunia deposita cedebat ærario, a quibus Prytanei alebantur. Reus quoque Athenis vocatus, si actorem non sequebatur manu injecta vi seu obtorto collo in jus trahebatur. Ne autem manus injectio fieret, reus satisdationis loco, quam tamen asperitatem juris Prætor Romæ correxit, decimam partem litis æstimatæ deponere cogebatur, cum satisdatione seu locupletibus fidejussoribus non liberabatur, quæ pe-
C cunia Prytanea appellata erat, magnaque copia quotannis in hoc judicio colligebatur, ex qua judicibus τὰ δικαστικὰ seu sportulæ dabantur.

Habebant & Prytanei alios reditus ac contributiones ex civibus multas, ex quibus Triremes conficiebant, ut Libanius κατὰ Ανδρ. ait. Id quoque singulare fuit, quod ex hoc Prytaneo victus & alimenta tanquam beneficia civibus Atheniensibus bene de Republ. meritis dabantur, ut & ideo, teste Platone in *Apologia*, Socrates interrogatus a Judicibus, quo supplicii genere dignus esset, dixerit, se dignum esse, ut aleretur in Prytaneo, id
D enim summum civitatis beneficium Demosthenes sæpe judicavit, conferebaturque in hos cives, qui patrimonia sua aut operas in salutem Reipublicæ contulerant, ac ideo facultatibus lapsi, & ætate exhausti laboribus imposterum conficiendis minus commode superesse poterant. Tria enim Athenis beneficia vel præmia publica constituta erant, quibus benemeritos de Republica cives affecerunt, ut Ulpianus *ad Demosth.* περὶ Λεπτ. refert. Primo jus seu facultas collocandi publice statuam, seu χαλκὴν εἰκόνα, quod Illustribus genere & familia competebat, qui alendi beneficio ex publico non indigebant, & quod comitatu vel equitatu incede-
E bant Heniochi appellati sunt, ut Rhodig. *lib.* X. ait. Secundo, victus præstatio seu σίτησις in Prytaneo. Tertio, immunitas ab oneribus patrimonialibus, quæ onera λειτουργίαν vocarunt. Immunitas autem omnium bonorum immobilium dabatur, excepto munere collationis ad Triremes & belli subsidia, a quibus nemo excusabatur.

Non solum autem civiles caussæ in hoc Senatu agebantur, ut quidam putant, sed etiam quædam criminales ac præcipue delatis vel accusatis his, quorum crimina Reipublicæ statum læsisse videbantur. Similiter & cædes a brutis & inanimatis,
F ut puta lapide, fustibus sine facto aut culpa hominis commissa. Socrates enim cum septuaginta annorum fuit, falso impietatis & corruptelæ juventutis accusatus, apud hos suam cassam dixit, & reus peractus ab his condemnatus est. Non enim tantum jus prehendendi & conjiciendi in carcerem habuerunt, verum & pœnam mortis irrogandi potestas his fuit. Id enim ex *Phædone* Platonis patet, ubi lictor ex jussu Undecimvirorum seu Prytaneorum venenum præparatum ebibere jussit Socratem, verecunde tamen injuste decretam pœnam ei denuncians his verbis: *O Socrates, non arbitror in te mentem talem me deprehensurum, quam reprehendere in aliis soleo, cum Magistratibus ita compellentibus venenum esse bibendum denunciem mihi irascuntur: Te vero scio hoc tempore, mansuetissimum & optimum virum omnium, qui in hunc locum devenerunt, scis quem tibi nuncium adferam, vale atque annitere, quæ necessaria sunt pro viribus facile ferre;* & his dictis abibat lachrymans. Et quod Prytaneusa merum imperium veneno tollendi sontes habuit, Musonius Socratis poculum venenatum apud Stobæum *lib.* I. vocat σίπσιν πρυτανείῳ. Judicibus enim adhortantibus Socratem, ut multam solveret pecuniariam, noluit parere horum suasioni, ἀλλὰ τῆς ἐν πρυτανείῳ σιτήσεως ἐτιμήσατο, ut idem Stobæus refert.

Quod autem pœnis ultricibus ad expiandas cædes hominum subjecerint non solum animata, sed etiam inanimata, id ex Draconis legibus retentum fuit Athenis, qui cum a Phœnicibus, teste Josepho, scientiam & leges suas surripuit, consentaneum est ex legibus Moysis id profectum esse, quæ bruta vel pecus si interfecerit hominem mortis pœna afficiendum statuit, ut a vindicta destructæ in homine imaginis Dei, nec pecus eximeretur, ac a temeritate humani sanguinis fundendi tanto magis homines ex aspectu pœnæ quadrupedum absterrerentur. Instrumenta autem animata, seu σκεύη τοῦ φόνου in Prytaneum ab accusatore adducebantur, quæ quod organa fuerant cædis, rea peracta & punita sunt, ut patet ex Demosthene κατὰ Αριστοκρ. ubi Demosthenes legem Prytaneorum recenset, & addit de hac cæde judicium tantum reddi in Prytaneo, ait enim ἔχη τὸ τὸν φόνον εἰργασμένον. τούτοις ἐνταῦθα λαγχάνεται. Originem autem cur anima carentia puniantur, Pausanias in *Atticis* refert, Quod Sacerdos, qui Buphorus appellatus, in bovem Jovi sacrificandum securim ejaculabatur, & facta ejaculatione arrepta fuga abierat, astantes vero cum non videbant jaculatorem, sed securim tantum, eam apprehensam in Prytaneum allatam ream peragebant. Idem & in *Eliacis* de Theagenis statua refert, in quem vivum cum adversarii ulciscendi libidinem explere non poterant, mortuum contumeliis insectari attentarunt, & ideo noctu quidam ex his ingressus fanum in quo statua collocata erat, eam flagris cedebat, ex qua cæsione mota statua collabendo adversarium oppressit: Filii autem interempti statuam in judicium deduxerunt, eamque cædis accusatam, & ream peractam condemnari petiverunt, ut in mare projiceretur. Nec tantum ea instrumenta, quibus homicidia conficiebantur, rea judicarunt & condemnarunt, sed etiam, quibus bos jugulo transfixus necabatur, in judicium adducebantur. Et cum multa sint instrumenta mactationis, ordine ea in judicium attulerunt, ac de his cognoverunt, tandem vero absolverunt præter ensem, quem ut proximam caussam mactationis condemnarunt, ait enim Ælianus *lib.* VIII. Αττικὸν τοῦτο τὸ ἔθος, ὅταν ὁ βοῦς ἀποσφαγῇ, τῶν μὲν ἄλλων ἀποψηφίζονται, κρίνοντες ἕκαστον ἐν τῷ μέρει φόνου. καταγινώσκουσι δὲ τῆς μαχαίρας, καὶ λέγουσι ταύτην ἀποκτεῖναι αὐτόν. Hoc est: *Atticis receptum erat, cum bos mactabatur, quod omnia instrumenta ordine judicabantur, & libera a cæde pronunciabantur. Ensem autem ex his solum condemnarunt, & dicebant illum cædis caussam fuisse,*

Diem quoque quo hæc solemnia judiciorum peragebantur expiationis loco, vocabant Buphonia & Diipolia, quæ festivitate publica celebrabantur. Ac sane sapiens vetustas Græcorum hac judicandi & condemnandi ratione τὰ ἄψυχα signi-

ficare voluit, ut in vita & societate civili hominis immanitas & præceps temulentia sanguinis fundendi coerceretur, qua facilitate si mentes hominum imbuerentur, etiam ad effusionem humani sanguinis impellerentur, uti & ideo vesci sanguine bruti divina lex interdixerit, aut ne suffocata animalia ederentur, sed prius his jugulatis sanguis horum effuderetur, *Genes.* cap. VIII. *Carnem enim*, inquit, *in sanguine suo non comedetis, etenim sanguinem vestrum animarum vestrarum requiram, de manu cunctorum animantium requiram eum.* hoc est, ut Doctores explicant, Videre ne dum permitto vobis animalia occidere, eorumque sanguinem effundere, qui vehiculum & sedes est animæ, existimetis etiam vobis permissum esse sanguinem hominis effundere. Quare & ea instrumenta, quæ vitam brutis eripiunt & mactant, ut ex carnibus horum alimenta hominibus præstentur, licet necessitatis gratia adhibeantur, tamen suppliciis addictis ea expianda esse voluerunt, atque pœnæ nomine in mare præcipitarunt. Præterea in hoc Judicio caussæ rei religiosæ, quæ ad festivitatem & ritum dierum sacrorum & solemnium spectabant, agitabantur, ac cognitio delictorum ac injuriarum, quæ in his publicis congressibus commissa erant, suscipiebatur. Idque ex præscripto Solonis, cujus legem recenset Demost. κατ' Μειδ. ubi ait: *τοὺς πρυτάνεις ποιεῖν ἐκκλησίαν. ἐν δὲ ταύτῃ χρηματίζειν πρῶτον μὲν περὶ ἱερῶν, ἔπειτα τὰς προβολὰς παραδιδῶσαν τὰς γεγενημένας ἕνεκα τῆς πομπῆς*. Et ut per tramites legum controversiæ & lites dirimerentur, in curia Prytaneorum Solonis leges, quæ pluribus quam XIV. tabulis inscriptæ fuerunt, cum Plutarchus & ex XV. tabula leges alleget, asservabantur quas *ἄξονες*, Aristoteles vero *κύρβεις* vocat, eo quod omnium hominum deliquentium pœnas continebant, ut si leges hæ tabulis inscriptæ usu centum annorum consensu populi totius comprobarentur, fore, quod tota universitas vitæ civilis & humanæ ad has, veluti axem, rectissime verteretur.

CAP. V.

De Judicio Heliastico.

SUMMARIA.

Ad Heliasticum judicium appellabatur a Parabysto & Trigonio. Heliasticum judicium sub aperto cœlo exercebatur. Heliastæ juramentum præstabant. Heliastæ in tres classes dividebantur. Thesmothetæ principes in Heliæa. Thesmothetarum officium. Thesmothetæ sex quales. Thesmothetis primo per annum unum eis jurisdictio committebatur. Thesmothetæ probati in Senatum Areopagitarum recipiebantur. Thesmothetæ malæ administrationis convicti, ex ordine Thesmothetarum ejiciebantur. Thesmothetæ primo dabant litigantibus arbitros. Arbitri si nihil proficerent, tum Thesmothetæ dabant actionem. Reus apud Thesmothetas proponebat exceptiones. In criminalibus quid observetur apud Thesmothetas. Thesmothetarum officium ex parte simile fuit Prætori Romani jurisdictioni. Declaratur. Thesmothetæ in civilibus uti procedebant. Ἀνάκρισις a Thesmothetis quomodo fiebat, in criminalibus. Thesmothetæ quomodo differant a Prætore Romano. A Thesmothetis quare actionis & accusationis introductio facta. Introductionis actionum præscriptionis tempus. Thesmothetæ præstantes fide & integritate. Apud Thesmothetas actio ὕβρεως tractabatur.

CUm autem penes hos Prytaneos, qui per septem dies imperitabant, præcipua fuerat Athenis potestas, non tantum in imperio, sed jurisdictione exercenda, & Epistatæ ac Paredri ejusdem judicii angustia temporis jurisdictionem expedire non potuerunt, ac caussarum & negotiorum multitudo plures Judices efflagitabat, institutum est Judicium Heliasticum, quod numero assessorum & judicum maximum fuit, ad quod a sententiis caussarum in inferioribus judiciis latis, nempe in Parabysto & Trigono, provocabatur. Hoc judicium sub aperto cœlo agitabatur, ut omnia soli exposita essent, ac a suspicione injustitiæ Judices eximerentur, Deumque perfidiæ ultorem præsentem ex aspectu cœli contemplarentur. Nemo autem Athenis recipiebatur in hunc ordinem Judicum, nisi prius præstito juramento sese obligasset, se secundum leges judicaturum sub imprecatione diri exitii, tam sui ipsius, quam suæ familiæ. Ut si præter fas & fidem temere in judicando quid commisisset, quod solem tanquam vindicem iniquitatis ulciscendæ funesto & exsecrabili interitu contra se suosque concitaret. Ut itaque fidei & juramenti memores essent, præcipue ex aspectu solis & diei ad justitiam colendam invitabantur. Eligebantur vero in hunc numerum amplissimum judicium viri prudentes, ita ut electi ex nulla caussa excusabantur ab hoc munere vel officio publico, & in tres consessus, tanquam classes distinguebantur, ut Pollux refert, ita ut ad quemlibet consessum quingenti designabantur, unde & *διὰ τὸ πλῆθος τῶν δικαστῶν*, hoc est, *propter multitudinem judicum*, Heliasticum dictum fuisse Interpres Demosthen. ait κατ' Τιμοκρ. Ex horum vero judicum principibus qui *ἄρχοντες* vocabantur, fuerunt Thesmothetæ, qui ut Prætores Romæ jurisdictionem exercebant ac litigantibus actionem dabant, ita & illi actiones dabant, easque in judicium introducebant, hoc enim eorum officium fuisse ex Demosth. κατ' Ἀριστοκρ. patet, ubi ait eos *δοῦναι δίκην ὡς νόμος τάττεται*, hoc est, *actionem dare secundum leges præscriptas, & caussas introducere*, seu *εἰσάγειν τὰς γραφάς*. Et πρὸς Λεπτ. Ulpianus ait: *καὶ προδιαγινώσκειν ὅτι τὴν τῶν παρὰ νόμων γραφὴν εἰσῆγον*. Ut & idem Ulpianus *κατὰ Τιμοκρα.*

Sex autem hi Thesmothetæ numero fuerunt, spectatæ prudentiæ & integritatis vitæ ac morum viri, nam ut Ulpianus refert in Oratione *contra Androt.* antequam in magistratum eligebantur, cumque ingrediebantur, in vitam eorum ante actam accurate inquirebatur, an fide consisterent ac honeste præclareque vitam egerant, rebusque suis prudenter administrandis superfuerant, & si omnibus partibus integri comperiebantur, per annum tantum eis jurisdictio conficienda demandabatur, quo anno elapso eorum industria & fides, quam in officio publico præstiterant, denuo ad calculum revocabatur & discutiebatur, ac si fides publica integre probata exstabat, eos ingenue & utiliter functos fuisse suo munere, accessionis honoris loco in Senatum Areopagitarum recipiebantur: Sin vero male administrasse jurisdictionem deprehensi fuerant, cum ignominia ex ordine Thesmothetarum prorsus expellebantur.

Ab his igitur Thesmothetis primo jus agendi, seu actiones litigantes impetrabant, qui prius naturam facti & negotii propositi exquirebant, ac ne ad forenses concertationes partes coirent, Arbitros seu *διαιτητὰς* eis assignarunt, ut ex æquo & bono caussam judicarent seu transigerent: Sin vero æquitati vel arbitrio locum non futurum videbant, actionem scripserunt, ad quam actor postea petitionem suam formavit, quam & *γραφὴν* ideo passim appellat Demosthenes. Impetrata actione, & actore adversario in jus vocato, apud hos Thesmothetas primo præparatoria Judicii fiebant, seu *προαγωνίσματα*, ac exceptiones, tam di-

latoriæ, quam peremtoriæ, quæ litis ingreſſum impediebant, proponebantur ac examinabantur, quibus ſi actionem elidi aut perimi cognoſcerent Theſmothetæ introductionem in Heliæam denegabant, & interpoſita ſententia litem dirimebant; idque in civilibus obſervabatur. In criminalibus vero cauſſis impetrata accuſatione cautiones & ſatiſdationes de accuſatione perſequenda apud eoſdem præſtabantur, quo facto cauſſa introducebatur. Et ita non ex parte abſimile fuit Theſmothetarum officium a Juriſdictione Romani Prætoris, qui ſi actio erat privata, & in jure verſabatur, Arbitros dabat, ut ex æquo & bono judicarent, aut judices aſſignabat & judicii formulam, quam ſequerentur eis præſcripſit. Ipſe vero Prætor non judicabat, ſed judicium tantum dabat, ſeu jus dicebat, aſſignatis judicibus, qui de controverſia cognoſcerent ac judicarent, quod judicatum is poſtea exequebatur. Sin autem de facto fuerat controverſia, Recuperatores dabat, idque in civilibus obſervabatur, in criminalibus vero ſi publica erat actio ſeu accuſatio, Quæſitores, qui de criminibus quærerent & cognoſcerent, conſtituit. Eodem modo & Theſmothetæ Athenis dabant actiones litigantibus in Heliæa, non tamen ut ex albo Prætores Romani præſcripta certa forma & modo agendi, ſed cauſſæ conjectio apud hos fiebat, quæ ἀνάκρισις dicebatur, qua facta εἰσαγωγὴν ſeu *introductionem* petitiori decernebant, aut eidem denegabant. Erat enim hæc ἀνάκρισις Theſmothetarum ſummaria inquiſitio, tam in civilibus, quam criminalibus cauſſis. In civilibus cum facti ſtatum, ejuſque qualitates ab actore percunctando explorabant, an ei actio competeret, nec ne, & ex qua lege dari poterat, ac ſi in re ſeu facto conſiſteret controverſia, quæſiverunt an teſtibus vel inſtrumentis cauſſæ veritatem probare poſſet: Deinde quid reus contra intentionem actoris objiceret, percunctabantur, ac ita lis apud eoſdem conteſtabatur, ſeu judicium accipiebatur. His præmiſſis apud eoſdem poſtea actionem ſuam ſcriptam actor exhibuit, qui ut Libellorum Magiſtri acceptam tradiderunt curiæ, ac ſimul actorem una cum reo introducebant in forum ſeu judicium, ſtandique in eo jus & poteſtatem aſſignarunt, id enim eſt εἰσάγειν δίκην. Poſt quam introductionem ſequebatur in Heliaſtico foro εὐθυδικία; ut litigantes ocioſis cauſſarum diſputationibus & exceptionibus omiſſis apud Judices, quæ ad merita & ſtatum negotii ſpectabant, tractarent, quæ fiebat ab oratoribus ſeu patronis cauſarum ad certam menſuram clepſydræ.

Ut autem in Prytaneo Epiſtata, ſic in Heliæa ἄρχοντες curiæ vel conſeſſui præfuerunt, qui introductis Actore & Reo a Theſmothetis litem curiæ propoſuerunt, ut de ea cognoſcerent, eamque ſententia definirent. Et ut Theſmothetæ εἰσάγειν γραφὴν, ita ἄρχοντες εἰσάγειν κρίσιν dicebantur, quod diſcrimen Ulpianus tradit in *Midiana* Demoſthenis, ubi diſtinguit ἀρχόντων officium a Theſmothetis, his verbis: ἐδίδοντο τοῖς θεσμοθέταις αἱ γραφαὶ, ἄρχοντες δὲ ἐν ἑκάστῳ δικαστηρίῳ τὰς κρίσεις εἰσάγοντες, Ideo & ſententiæ Judiciales ſub nomine ἀρχόντων conceptæ fuerunt, ut poſtea dicetur. In criminalibus vero cauſſis ἀνάκρισις a Theſmothetis adhibebatur, cum ex accuſatore, qui crimen intentabat, exquiſite facti qualitatem inveſtigabant: Accuſatori die ſolemni ad hoc conſtituto, an delatum vel accuſatum reum peragere velit, & an criminis probatio evidens exſtaret, & inter reos eum referre poſſet, ne actor deficiens aut ſuccumbens probationibus pœna calumniæ teneretur. Id enim ex *Midiana* omnino elucet, ac Ulpianus interpres exacte idem refert *ibidem* his verbis: ὅτε τὶς ἀποθῆται γραφὴν, ἀνακρίνεται πρὸ τοῦ δικαστηρίου παρὰ τοῖς ἄρχουσιν, εἰ ἐπέξεισιν; εἰ μάρτυρας ἔχει; εἰ χρῄζει τοῦ παρεῖναί τινα; ἵνα πάντων εὐτρεπισθέντων, εἰσέλθη εἰς τὸ δικαστήριον.

Eo tamen differre Theſmothetas hos a Prætore Romano maxime videtur, quod ejus juriſdictio tantum fuerit in civilibus, non autem criminalibus, licet quæſitores dabat, cum jus gladii vel merum imperium penes populum Romanum erat, qui ad Auguſtum poſt id tranſtulit, non autem prætorem: Illi vero in utroque cauſſarum genere parem juriſdictionem & poteſtatem habuerunt, ac præcipua pars τῆς ἐπαγωγῆς, in Heliaſtico fuit criminalium actionum introductio, id enim paſſim ex Demoſthene, ac præcipue *Midiana*, patet, ubi legem orator recenſet, ἐάν τὶς ὑβρίζῃ τινὰ, ἢ παῖδα, ἢ γυναῖκα, ἢ παράνομόν τι ποιήσῃ εἰς τόπον τίνα, γραφέσθω πρὸς τοὺς θεσμοθέτας ὁ βουλόμενος Ἀθηναίων οἷς ἔξεστιν, οἱ δὲ θεσμοθέται εἰσαγόντων εἰς τὴν Ἡλιαίαν τριάκοντα ἡμερῶν ἀφ' ἧς ἂν ἡ γραφὴ ἐὰν μήτι δημόσιον κωλύῃ. Introductio autem actionis vel accuſationis ideo fiebat a Theſmothetis, ne judicium, cujus ſanctiſſima ſemper debet eſſe authoritas, temeritate auſus a quolibet pro libidine inſtituendi actiones inquinetur, nec niſi ſine cauſſa adverſarium quiſpiam in jus vocet. Præterea ne Judices ocioſis & frivolis dilationum exceptionibus, quæ in ingreſſu litis cauſſarum moram injiciant, diſtringerentur, ſed recta & parata via ipſa εὐθυδικία ſeu merita cauſſæ coram Judicibus tractarentur, ut tanto citius lites ſententiis dirimerentur. Et ne jus ἐπαγωγῆς ſeu introducendæ actionis apud Theſmothetas præſcriberetur, tempus legitimum conſtitutum eſt introductioni, nempe xxx. dierum, intra quod actionem impetratam litigatorem introduci a Theſmothetis curaſſe oportet, quæ προθεσμία ſeu præſcriptio in aliis actionibus a Solone introducta eſt.

Ex his Solonis Legibus etiam introductio appellationis, quæ εἰσαγωγὴ τοῦ ἐκκλήτου καὶ διάφοραι προθεσμίαι, ut in βασ. titulo de appellationibus patet, emanavit, ut interpoſita appellatio Judici ad quem appellatum eſt repræſentetur, ac acta cum ſubſcriptione Judex a quo litigatoribus edat, quod ſimiliter intra xxx. dies conſtitutum erat, *L. Judicibus C. de appellat.* qui dies, ut in actionibus Solonis fatales, ſeu προθέσμιοι erant, ita ut in appellationibus nec reparari olim poterant. Non autem paſſi ſunt Theſmothetæ culpa aut dolo dies hos introductionis exire, ſi eo nomine a litigantibus interpellabantur: nam propter publicam fidei & integritatis opinionem, qua præ cæteris aliis eminebant, a doli & culpæ ſuſpicione eximebantur, nam δικαίως ἄρξειν καὶ μὴ δῶρα λήψεσθαι ut jurare compellebantur, ita & hac publica opinione & fama confirmati fuerunt apud omnes, ut Heraclides in *Politiis* refert. Id tamen patet ex Demoſth. παραγραφῇ πρὸς Πάντ. quod actio ὕβρεως, ad hos tanquam competentes, judices ſpectabat.

CAP. VI.

De judicio Amphictyonico.

SUMMARIA.

Amphictyonicum judicium Græciæ ſanctiſſimum judicium. Amphictyona Acriſius primo inſtituit, & quomodo. Amphictyonum conventus habebatur ad Thermopylas. Amphictyonum judicium ſive concilium publicum fuit. Amphictyonicum judicium cur vetuſtas inſtituerit. Inter Græcos non eſt bellum, ſed diſcordia. Bellum adverſus peregrinos geritur. Græci ſe ipſos invicem libertate non privant. Le-

gati missi ad Amphyctyona Pylagoræ & ἱερομνήμονες appellati. Amphictyones cur bovem in frusta dissectum immolarint. Templum Apollini exstructum. Templo huic præfecti Philosophi & Poetæ. In templo hoc Delphico quomodo Apollo vaticinabatur. Templum a Græcis, Romanis & aliis colebatur. Consulti oraculi origo. Legatorum electio peperit sæpe dissensionem. Athenienses jus pleni suffragii habent: cum aliæ civitates tantum partem suffragii habuerint. Amphictyonatus conventus vocabatur Ecclesia. Amphictyonum ordo. Et quidem primum locum tenebat Sacerdos vel Pontifex. Secundus fuit Pylagorarum. Tertius erat συνέδρων. Judices sancti reputati, & quare. Amphictyonum imprecatio. Amphictyones fidem violarunt. Pylagoræ pecunia corrupti. Calathis sacris calculos Pylagoræ injiciebant. Decreta ex majori parte calculorum concepta. Calculi pares absolvebant reum. Amphictyonici decreti forma. Phocensium sacrilegium. Philippus Macedo suffragia duo in Amphictyonatu adeptus. Demosthenes oratorum Atheniensium præcipuus. Phocenses quod Gallos represserunt in Græcia, restituti sunt ordini Amphictyonum. Græcia cum Romanis jus societatis contraxit. Callicrates jurisdictionem Amphictyonatus quomodo ad Romanos transtulerit. Romanus Senatus cognitionem civilium causarum ad Achæorum conventum rejecit. Achæi jus gladii sibi reservarunt. L. Mummius curias & Amphictyonatum in Græcia sustulit. Græcia in provinciam redacta prætoriam. Prætor Achaiæ & Macedonius quis. Augustus Amphictyonatum reparavit, & Actiacis jus suffragii dedit. Acrisius quibusdam civitatibus dedit jus suffragii per se, quibusdam vero conjunctim. Augustus idem fecit. Declaratur. Nero Imperator jurisdictionem Amphictyonum incidit. Vespasianus Imperator Amphictyonatum sustulit. Apud Amphictyones causæ civiles & criminales agebantur. In Amphictyonatu Syndicus admissus, qualis fuit Æschines. Syndici differebant a Pylagoris seu judicibus. Amphictyonum Dux exequebatur decretum. Amphictyonatus vindicat crimina etiam ex officio. Penes Amphictyonatum erat Jurisdictio & imperium merum & mixtum. Declaratur. Thebanorum cum Thessalis apud Amphictyones disputatio. Quæ in jure consistunt, nequeunt occupari. Thebani restituti. Postliminii jus inter Græcos locum non habet.

CELEBERRIMUM apud Thermopylas Amphictyonum consessus erat, qui totius Græciæ, ut Demosthenes ait, sanctissimum concilium fuit, ac quod, ut Strabo ait *lib.* IX. Acrisius primo instituit, qui civitatibus totius Græciæ a finibus Regni Macedoniæ, inter mare Ionium & Ægæum conclusis, jus conventus publici vel Synodi dedit. Nec tantum jurisdictionem convocandi civitates in districto illo comprehensas, sed & dijudicandi earum controversias Synodo concessit. Ordinavit præterea, quot vota vel suffragia assessores civitatum in causis vel negotiis dirimendis haberent, ac unus per se integrum, alter vero cum pluribus aut cum aliis sententias suas dicere, constituit. Et si collectis votis a se invicem discreparent Judices, quot & quæ dignitate essent superiora, ut *lib. eodem* Strabo refert. Habebatur autem hic conventus ἐν πύλαις, id est, ad Thermopylas, seu angustias montis Oeti in Phocide juxta Delphos, quas Phocenses metu Thessalorum muro obserarunt, ut loci communitio securitatem præstaret coeuntibus civitatibus Græciæ. Fuit autem publicum concilium, ideo quod in eo præcipue negotia & lites inter civitates Græciæ coortas judicialiter cognoscebantur, & sententiis definiebantur. Sapienti autem consilio a vetustate institutum est, ne contentiones & lites, si quas concepissent invicem civitates, in dissensiones hostiles & bella exardescerent: sed potius judicii hujus æqua disceptatione & autoritate concilii dirimerentur, ut Plato in V. *de Repub.* disputat, Græcos invicem esse cognatos familia & sanguine conjunctissimos, barbaros vero his extraneos, nulloque cognationis jure devinctos esse, ideoque licet Græcus interdum contra Græcum insurgat, tamen ex eo jus cognationi non tolli, nec proprie bellum, sed tantum discordiam inter eos agitari. Bellum enim adversus Barbaros geri tantum, qui peregrini seu ἐπήλυδες prorsus habentur, quibuscum nec fœdus, nec societas, neque hospitium est, quos & jure belli licet cædere, & in captivitatem ac servitutem redigere, quod a Græcorum pietate & humanitate longe alienum esse existimatur, qui Græci, si interdum occupentur a Græcis, tamen jus libertatis ex eo his non adimi, eo quod in capientium potestatem non redigantur, nec ideo postliminii jure libertati & civitati, si redeant ex captivitate restituantur.

Ut igitur ea Græcorum mutua fides & publica humanitas conservaretur, ac dissensiones civitatum transigerentur, a duodecim urbibus nobilissimis totius Græciæ hic consessus habitus est, ut Pausanias in *Phocicis* refert, videlicet ab Ionibus, Doribus, Perrhæbis, Dolopibus, Thessalis, Achæis, Magnetibus, Meliensibus, Bœotiis, Phtiotis, Phocensibus & Delphis. Hi mittebant bis in anno, in principio veris & autumni, suos legatos ad Thermopylas juxta Delphos, ubi hic consessus judicum habebatur, qua de causa legatos missos Pylagoras vocabant, quod ἐν πύλαις congregabantur, ut Strabo *lib.* IX. ait, hoc est, in Phocide ad montem Parnassi, ubi Pylades propter Clytemnæstræ cædem condemnatus erat. Demosthenes vero in *oratione* κατὰ Τιμοκρ. ἱερομνήμονας hos legatos vocat, ideo quod sancti fuerunt, & religionis prima cura in consessu ab eis habebatur. Præterea ut societatis jus inter Græciæ civitates perpetuo duraret: Primum antequam negocia tractabant, bovem in minimas partes dissectum Apollini Deo Delphico immolarunt, quo sacrificii ritu, quod corpus bovis in partes dissecuerunt easque immolarunt, unionem civitatum totius Græciæ ostendere voluerunt.

Et ut etiam religionis perpetua in Græcia consisteret autoritas, communibus sumptibus templum Apollini dicatum Delphis construxerunt. Cum autem ibidem natura loci oppidum in vertice montis Parnassi situm, & in ambitu suo præcipiti vallo communitum erat, templum in medio hujus tanquam centro ædificarunt, ut & ideo teste Strabone *lib.* IX. τῆς γῆς ὀμφαλόν, hoc est, *Umbilicum terræ* appellarint seu totius Græciæ, ut quæ intra & extra Isthmum sita sunt loca, æqualitate dividat, cujus evidentiæ gratia fabulam Pindari Strabo refert, Jovem duas dimisisse Aquilas, alteram ab ortu, alteram vero ab occasu, & in locum templi simul convenisse. Templo autem præfecerunt sacerdotes philosophiæ & poetices peritissimos, qui Apollinis oracula metro poetico interpretabantur. Ne autem Templum hoc temeritate ausus humani vi aut insultu hostili impugnaretur, aditu difficili & angusto ascensum ejus ex quinque lapidibus mole objecta gradus communiverunt, quanquam tamen immani cupiditate ducti hanc vastam & præruptam munitionem ejus spoliandi gratia evicerunt. Oraculorum autem responsio hoc modo fiebat, erat in medio templi quædam vorago ex qua spiritus acer & subfrigidus emanabat, ad cujus ostium virgo quædam consecrata in tripode sedebat, quæ consulta certis & statis diebus, quibus

Apollo loquebatur, halitu afflata cito in furorem resolvebatur, ac ita furore correpta responsa edidit ænigmatica, quæ sacerdotes poetices eruditi carmine concinnarunt. Et ideo Heraclites vere dixit, Apollinem ὄτε λέγειν, ὄτε κρύπτειν, ἀλλὰ σημαίνειν, hoc est, *non aperte dicere, nec occultare, sed tantum ænigmatice vel obscura mente rei eventum præsagire.*

Nec tantum a Græcis cultu & religione singulari hoc templum colebatur, verum etiam a Romanis & aliis, ac præcipue Duces belli potiti victoria partem prædæ hostibus ablatam huic per suspensionem consecrarunt, quæ Anathemata ideo vocarunt, uti Athenienses Palladis statuam ex solido & puro auro confectam, propter rem feliciter gestam adversus Persas, & spolia his adempta ibidem collocarunt, ac Flaminius Romanus devicto Perseo argenteos clypeos & alia monumenta aurea in eo pro recordatione præclaræ victoriæ ibidem suspendit, ut Plutarchus refert. Quam superstitiosam rationem consultandi Deos in templo magnificentia operis constructo, Græci prava imitatione accepere a Judæis, qui cum auspicato negotium suscipere voluerunt ad Arcam Fœderis, quæ in Sancto sanctitatis collocata erat, Deum consuluerunt, qui si placatus erat ex operculo vel tegmine arcæ, quod propitiatorium ideo vocarunt, responsa dabat, ut *Exod.* XXV. Consultum autem oraculum hoc Demosthenes μαντείαν vocat, nec tantum in privatis negotiis futuri eventus exquirendi gratia expetebatur, sed etiam cum de rebus spectantibus ad publicam utilitatem consilium capiebatur, ut felici eventu negotium terminaretur, quod responsum seu μαντεία in privatis negotiis loco probationis in foro ab oratoribus allegabatur, ut post dicetur.

Legati autem missi ad hunc conventum sancti habebantur, ut & ideo Pylagoræ ad sanctum Apollinis in Delo consessum missi a Demosthene περὶ στεφ. appellantur, ac ex civitatibus suffragiis populi aut delectu singulari ad hoc munus cooptabantur, ut & Athenis inter Oratores propter electionem sæpe atrox inciderit dissensio, quemadmodum Demosthenes in *Orat.* περὶ στεφάν. Æschini objicit, quod populus corruptus calculo eundem ad concilium hoc elegerit, cum Hyperides negotiis ibidem recte & utiliter expediundis Æschine fuerat industrior, ut etiam perfidiam ejusdem apud Amphictyones probro objicit. Et cum ex Acrisii instituto civitates quædam perfectum jus suffragii habuerunt, quædam vero tantum partem, Atheniensibus jus pleni suffragii competebat, qui & in sessione primum locum obtinebant, ac voce vel sententia prius a se dicta totum consessum in suam mentem sæpe attraxerunt, quod Themistoclem fecisse Plutarchus in *Vita Demosthenis* refert, qui ne Thebani & Thessali, quorum patrocinium is odio Lacedæmoniorum susceperat, condemnarentur effecit, ac Pylagorarum seu Amphictyonum mentes seduxit, veritus si ad Lacedæmonios suffragia transferrentur, eas civitates ab his tanquam a fide Græcorum alienas & Medis conjunctas condemnatum iri.

Conventus autem hic, Ecclesia dicebatur, ut Æschines *contra Ctesiphontem* refert: Cottyphum Ducem Amphictyonum Ecclesiam convocasse, ut puta Sacerdotes, ac qui sacra peragebant, qui simul considebant cum Pylagoris, ait enim ἐκκλησίαν συγκαλοῦσιν, ὅταν μὴ μόνον τὰς πυλαγόρας καὶ τὰς ἱερομνήμονας συγκαλέσωσιν, ἀλλὰ καὶ τὰς συνθύοντας καὶ χρωμένας τῷ θεῷ, hoc est: *Concionem vocant (Amphictyones consessum) cum non solum Pylagoræ & Legati, sed etiam hi, qui una sacrificant, & Deo inserviunt convocantur.* Si enim Sacerdotes Pylagoris non adjungebantur, nulla poterat ferri sententia, ac decretum latum per se invalidum & imperfectum erat. Decenti autem ordine assessores pro conditione & dignitate cujuslibet sedebant, ac primum locum obtinebat ἱερεὺς *Sacerdos*, vel Pontifex Apollini Delphico dicatus, qui si de communi statu Græciæ deliberatio suscipienda fuit, consultationis capita ipse tanquam Præses consessui proposuit, ac decretum quod a consilio factum erat ab hujus nomine auspicabatur, quemadmodum Sacerdote Clinagora Præside contra Amphissanos decretum legitur. Sequebantur hunc in ordine Pylagoræ, qui plena potestate & jure agendi mittebantur a civitatibus, ac jus habebant integri suffragii, quales fuerunt Athenienses, Lacedæmonii & Thebani, qui nec unum tantum, sed & plures Pylagoras miserunt, uti & Athenienses Diognetum, Mediam & Æschinem simul suffragiis populi delectos ablegarunt, ut Æschines in oratione *contra Ctesiphontem* refert. Inferior ordo autem fuit συνέδρων, qui Pylagoris consilii suggerendi gratia adjungebantur, quos ideo ἱερομνήμονας seu πεμπομένας συνέδρας vocarunt, ut Ulpianus κατὰ Τιμοκρ. ait. Qui ordines Judicum in Amphictyonum decretis publice propositis exprimebantur, ac dignitate & authoritate dicendi sententiam a se invicem distinguebantur.

Judices autem hi sancti habiti sunt propter juramenti religionem, quam Apollini, Latonæ & Dianæ sub imprecatione diri exitii & vindictæ præstiterunt, & ideo præter fas & æquitatem nihil fecisse quidquam existimati sunt, sed fide bona & constantia semel promulgatum decretum tueri & exequi. Quod quidem factum fuisse veritati congruum est eo tempore, quo Solon Legislator Pylagora missus fuit ad Amphictyona, qui ut Æschines refert, cum Cirrhæi scelerato insultu Templum Delphicum violarunt, ac dona his consecrata ademerunt: Consultum Apollinem de pœna, qua impietatis gratia plectendi sint respondisse, ut Amphictyones terram horum bello devastarent, eosque in servitutem redigerent, agrumque Apollini, Dianæ, Latonæ & Palladi in perpetuam solitudinem consecrarent, ut nec ipsi Amphictyones agrum colant, nec aliis eundem colere permittant. Huic oraculo ut Amphictyones perpetua obsequia præstarent, Solon cum Pylagoris juramento præstito diris imprecationibus sese obstrinxit his verbis: *Si quis hæc violet, sive civitas, sive privatus, sive gens aliqua, piaculum esto, Apollinis, Dianæ, Latonæ & Palladis. Neque terra ibidem fruges producat, neque mulieres liberos pariant parentibus similes, sed monstra, neque pecudes secundum naturam fœtus edant, & ut cladem accipiant in bello, judiciis & nundinis, ut intereant ipsi, & domus, & familia eorum, neque unquam sancte faciant sacra, neque Dii suscipiant eorum sacra.*

Verum cum nihil adeo sanctum est, quod non temeritas humana violare attentet, posteri a religione fidei & integritatis Solonis & antecessorum non servato juramento diræ execrationis multum discesserunt, cum muneribus, gratia aut odio se corrumpi, ac in transversum agi passi sint, ut & Æschines probro Demostheni objicit, quod Pylagoræ hi Amphictyonum spreta religione Sacramenti ab Amphictyonibus pecunia expugnati sint, eo quod regionem eorum Diis antea consecratam nunc occupari & inhabitari rursus permiserint, cujus gratia se dedisse Demostheni mille drachmas, ac quotannis insuper viginti minas, Athenas eidem missuros promisisse. In suffragiis ferendis autem ut Pylagoræ omni suspicione gratiæ & invidiæ carerent in sacris Calathis, quæ juxta Aram collocati erant, ordine calculos suos bona fide & pietate injiciebant, & quo animo, oculis & fronte id fieri debeat Æschines Judices admo-

admonet, ne diritatem ſupplicii per imprecatam execrationem ſibi accerſant.

Cum autem Athenæ, Sparta & Thebæ per ſe integrum ſuffragium habuerunt, reliquæ vero civitates aliis conjungebantur, decreta non ex numero judicum, ſed majori parte calculorum immiſſorum concipiebantur, qui calculi vel theſſeræ, teſte Ulpiano *κατὰ Τιμοκρ.* fuerunt *τετρημέναι καὶ μέλαιναι, ἄτρητοι καὶ λευκαί*, hoc eſt, *perforatæ & condemnatoriæ, ſolidæ & abſolutoriæ*, ac *ἱερομνήμονας* & Pylagoras Amphictyonum ſolere *κυαμεύειν* Demoſthenes *ibidem* refert. Illud autem receptum fuit in hoc judicio, ſi pares fuerunt calculi injecti, quod Judices ſecuti ſint ſemper ſententiam benigniorem quæ pro reo fecit, quod & in Areopago obſervatum fuiſſe, Auguſtinus l. XVIII. *de Civitate Dei* refert: *In Areopago*, inquit, *ſi pares numeri ſententiæ fuiſſent præponi abſolutio damnationi ſolebat*. Decreta itaque quæ *δόγματα* appellarunt, ex qualitate & quantitate calculorum concipiebantur, quibus ſi pœna irrogabatur univerſitati, publice columnis inſcribebatur, quorum formam Demoſthenes *περὶ ςεφάν.* recenſet ita: *Sacerdote Clitagora, concilio verno, placuit Pylagoris & aſſeſſoribus Amphictyonum, cum Amphiſſam ſacram regionem invadant, eamque conſecrent & jumentis depaſcant, ut eam occupent Pylagoræ aſſeſſores, & limites columnis diſtinguant & interdicant Amphiſſanis, ne regionem hanc amplius ingrediantur*. Eodem modo & Amphictyonum decretum promulgatum eſt, ut ad Philippum Macedonem Legati mitterentur, implorandi auxilii gratia adverſus Amphiſſanos: Evocarunt autem Amphictyones Philippum cauſa Amphiſſenſium & Phocenſium, quorum illi propter admiſſum ſacrilegium in Templo Delphico, hi propter contumaciam non ſolutæ mulctæ condemnati armis hoſtilibus executioni decreti reſtiterunt. Ex quibus id evenit, quod maxima pars hujus concilii devictis Phocenſibus & Amphiſſenſibus ad Philippum, ejuſque ſucceſſores in Macedonia traducta fuerit, ut & teſte Pauſania in *Phocicis*, hoc Phocenſium ſacrilegium, quo ſceleratus Dux eorum Phayllus decem millia talentorum e Templo Delphico vi hoſtili ſurripuit primo mutationem curiæ Amphictyonum attulerit, ideo quod Philippus & Macedoniæ ſucceſſores tunc locum primo in ea adepti ſint, nec exemplo primarum civitatum Athenarum Spartæ & Thebarum unum, ſed duo ſuffragia ex decreto ei aſſignabantur, Phocenſibus & Lacedæmoniis prorſus a jure conſeſſus excluſis, hi propter admiſſum ſacrilegium, illi quod Phocenſibus opem tuliſſent, quamvis tamen Lacedæmonii ſtatim reſtituti ſint ordini. Et quamvis Athenienſes Phocenſium partes odio Philippi Regis, cujus creſcentem potentiam metuebant, ſequebantur, ut ex Demoſth. *Olinth.* patet, ac auxiliaribus copiis quinque millibus & quadringentis equitum ad hoc tranſmiſſis eis ſuccurrerunt, ut merito hoſtes ab Amphictyonibus haberi & mulctari potuerunt: tamen Oratorum Athenienſium, qui Pylagoræ mittebantur ad Amphictyonas, quo in numero Demoſthenes præcipuus, verſatili arte & eloquentia impune evaſerunt.

Cum autem poſtea Galli Duce Brenno Græciam hoſtiliter invaſerunt, ac omnia ſacra & prophana incendio & ruinis fœdarunt, ac tandem Delphos adorti fuerunt, ut etiam Valerio Maximo teſte: Brennus templum Apollinis ingreſſus ſit, ex quo Dei voluntate in ſe manus vertit; Phocenſes fortiter præ cæteris Græcis contra Gallos dimicarunt, ac ſtrenue rem geſſerunt, cujus præclaræ virtutis & laboris pro liberata Græcia ut extaret viciſſitudo aliqua meriti, Phocenſes in Amphictyonatum, & ut Pauſanias ait, in omnem

A veterem dignitatem reſtituti ſunt.

Verum cum Romanorum potentia longe latiſſimeque excrevit in Europa & Aſia, ac devictis & expulſis Regibus Aſiæ, qui ut ſucceſſores Alexandri reguum inter ſe diviſerunt, Amphictyones, qui jus conſeſſus habuerunt adhuc integrum, cum nec Græcia Romanis tunc paruit, ſed jus ſocietatis cum eis contraxit, mutuis ſimultatibus & odiis invicem concertabant, ex quo id evenit, quod Callicrates Achæorum Pylagoras, Juriſdictionem Amphictyonatus præter fidem datam ad Romanos tranſtulit, ut Pauſanias in *Achaicis* refert. Cum enim is Romanorum Legatos ad conci-

B lium Amphictyonicum evocarat, ac præſentibus his Achæos quibuſcum & ſanguine & patria conjunctus erat, accuſarat, quod Perſei Regis Macedoniæ partes ſecuti fuerant, ac hoſtes Romanorum ſuis copiis & ſubſidiis erogatis armarant, & ideo capitis damnari contenderat; Amphictyones præſentiam Legatorum Romanorum metuentes videbant in quas anguſtias concilium devenerat, perfidiam Callicratis accuſare non audebant, ſed id efflagitabant, ut nomine certo exprimeret reos, cum iniquum ſit quempiam condemnari, cujus nomen nondum delatum, nec is criminis convicti re-

C us peractus ſit. Legatus vero cum ex inſtinctu Callicratis replicabat ac affirmabat, omnes Achæos ſecutos fuiſſe partes Perſei, ac ideo omnes pœnis ſubjiciendos eſſe: Xenon Pylagoras, qui & ipſe Achæus fuit, ac præclara autoritate apud omnes floruit, indigne ferens Callicratis perfidiam & accuſationem, reſpondit: *Quod ad hoc crimen attinet ipſe ego Achæorum copiis præfui, cum Perſeus contra Romanos bellum geſſit, ſed neque ulla in re Romanos læſi, neque unquam mihi odio Romanorum cum Perſeo amicitia interceſſit, ac ita hujus objecti criminis cauſa, vel in Achæorum conventu, vel in Romanorum ſenatu non reformidarem judicium ſubi-*

D *re*. Ex hac interpoſita defenſione Xenonis legatus ex ſententia Callicratis anſam arripuit incidendæ poteſtatis Amphictyonum, & nomine ſenatus Romani Xenoni & aliis delatis ac nominatis a Callicrate, quorum mille fuiſſe ſcribit Pauſanias, diem dixit, ut Romæ coram ſenatu ad cauſam dicendam ſeſe ſiſterent, quod (ut idem Pauſanias refert) novum & inuſitatum Græcis fuit, quod contempto patrio foro & juriſdictione Amphictyonum, cauſæ & controverſiæ Græcorum ad Romanos primo cognoſcendi & definiendi gratia devolutæ ſint, cum nec Philippus Amyntæ filius, qui Græcorum

E libertati hoſtiliter inſidiabatur, nec Alexander ejuſdem filius qui armis victricibus Græciam ſibi ſubegit, nullum quempiam Græcorum evocarunt in Macedoniam ad ſua Tribunalia, ſed illæſam autoritatem Amphictyonum conſervarunt, ac cognoſcendi definiendique de Græcorum rebus contro verſis poteſtatem huic Curiæ permiſerunt. Hæc itaque violenta avocatio cauſæ a Curia Amphictyonum, quæ facta eſt a Legato Romano, mutationem ſplendidiſſimo & celeberrimo conſeſſui attulit, ut & Lacedæmonii paulo poſt controverſiam de finibus regendis, quæ cum Argivis eis interceſſerat non ad Amphictyonatum, ſed

F ſenatum Romanum traduxerunt, ubi & cauſa cognita & ſententia dirempta eſt. Verum ſenatus Romanus, conſiderando multitudinem cauſarum & varietatem negotiorum in Græcia, cenſuit, tollendum eſſe quidem imperium & juriſdictionem Amphictyonum, ſed tamen ne laboris aſſiduitate in conficienda juriſdictione nimium exhauriretur, cauſarum civilium cognitionem ad Achæorum conventum rejecit, cum Achæi amore Callicratis tunc primo jus curiæ impetrarunt, ſupremam poteſtatem vero vel jus gladii ſibi pror-

A fus refervavit, ut de caufis capitalibus in Græcorum conventu nulla effet amplius cognitio nec executio. Cum autem L. Mummius contra Romanorum avitam clementiam & humanitatem Corinthum funditus everterat, ac lapides murales indigno odio in pulverem redegerat, Græcofque omni libertate exuerat, etiam concilia & curias plane fuftulit in Græcia: Ex quo Græcia redacta eft in provinciam Prætoriam, ut & Prætor ad hanc regendam miffus non Græciæ, fed Achajæ dictus fuerit, quamvis poft confulatum Pifonis & Gabinii is Macedonius Prætor appellabarur, eo quod fub his confulibus Græcia, B Achaja, Theffalia, & Bœotia jurifdictioni Macedoniæ conjungebantur, ut ab uno Prætore gubernarentur, nec tamen fub confularibus fed prætoriis Provinciis eas permanere voluerunt.

Ab his itaque Prætoribus reftitutus eft confeffus Amphictyonum, ut certo modo jurifdictio in eo conficeretur, quodque duravit ufque ad Auguftum Imperatorem, qui eum priftinæ dignitati reftituit, fed tamen fupremam poteftatem difponendi & conftituendi in eo affeffores fibi refervavit. Quo jure & primo Actiacos præclare de fe meritos contra Antonium inter affeffores annumeravit, ac Magnetas & Malenfes in voto conjungi Theffalis ordinavit. C Præterea certo numero affeffores confcripfit, ut triginta ætate fua fuiffe Paufanias referat. Ac ut antea Acrifius jus fuffragii aliquibus civitatibus per fe, aliis vero conjunctim conceffit, ita & Auguftus votum integrum quibufdam, aliis vero partem tantum affignavit, & Macedonibus, Nicopolitanis, qui Dolopum fuffragium adepti erant (quæ gens tempore Augufti plane interciderat) Theffalis, Bœotiis, & Phocenfibus duo fuffragia; aliis autem, quo in numero & fuerunt Athenienfes, tantum unum conceffit. Deinde ex ejufdem difpofitione quibufdam jus confeffus quocunque tempore competebat, D ut in principio veris & autumni continua fucceffione annorum refidendi jus & poteftatem haberent, quales fuerunt Athenienfes, Delphi & Nicopolitani, aliis autem ex certo tempore datum erat per ambitum decurfa annorum periodo, ut ex intervallo tantum convenirent, quemadmodum Macedones, Theffali, Bœotii, Eubœi fecerunt. Quæ tamen difpofitio id incommodi attulit, quod caufæ & controverfiæ Græcorum non ab omnibus ordinibus Græciæ, fed a quibufdam tantum gratia delectis, cognitæ & dijudicatæ fint, quæ judicii fingularis forma occafionem præbuit æmulationibus E & diffidiis inter Amphictyones, ut & tandem tota Græcia libertate exuta fuerit, quod poftea a Nerone factum eft, qui hanc cædibus & rapinis extreme devaftavit, ut Dion in *Vita ejufdem* refert. Et quamvis is poftea libertatem eidem reftituerat, ac hujus loco Sardiniam in formam provinciæ redegerat, Amphictyonibufque jus confeffus permiferat: tamen hujus judicii poteftas ita accifa fuit, ut tantum in levioribus non vero gravioribus caufis etiam civilibus cognitionem habuerint.

F Deinde Vefpafianus cum immani cupiditate quæftus exercendi ac auri contrahendi flagrabat, Græciæ tributa & cenfum immenfum impofuit, ob quam caufam feditionibus concitata Græcia per Amphictyones interpofitis confiliis & autoritate a cervicibus hanc fervitutem excutere annixa eft, quod Vefpafianus indigne ferens Amphictyonatum ejufque jurifdictionem & libertatem Græciæ plane fuftulit, eofque Romanis Præfidibus parere coegit, addens caufam, ut Paufanias refert, Græcos jam libertate uti dedidiciffe. Et ita anfam abrogatæ hujus nobiliffimæ curiæ præbuerunt inteftina odia & diffenfiones Græcorum, ut nec poftea jurifdictioni & libertati fint reftituti.

Judicium autem cum univerfale erat totius Græciæ, tam criminales quam civiles actiones in eo fine difcrimine tractabantur, ac non tantum Univerfitatis, fed & privatorum controverfiæ eo deferebantur & dijudicabantur. Et fi civitas vel univerfitas contra quempiam in jure experiri cupierat, Syndicus ab eadem conftitutus admittebatur, qui univerfitatis patrocinia fufcepit in Amphictyonatu, qualem, ut Demofth. περὶ στεφ. ait, Athenienfes elegerunt & miferunt Æfchinem, ut nomine civitatis pro Delio facro apud Amphictyones diceret, feu communi mandato Athenienfium caufam in judicio ageret aut defenderet, qui Syndici difcernebantur a Pylagoris feu Judicibus. Cum enim fumma poteftas feu merum imperium & jurifdictio in tota Græcia fuerat penes hoc Synedrium, utrumque genus litium quibus tam de capitis, quam fortunarum & exiftimationis periculo vertitur, ipfo jure eidem competere voluerunt, ut non folum de his cognofcat & judicet curia, fed & judicatum, fi executioni non paritum fuerit manu militari exequatur, cujus gratia Dux Amphictyonum conftitutus erat, qualem fuiffe Cottyphum, Æfchines & Demofthenes referunt, qui copiis militaribus decretum Amphictyonum exequebatur, ac Cirrhæum agrum everfo portu & incenfis ædibus occupavit.

Præterea ut inter civitates Græciæ confenfio animorum pax & tranquillitas publica coercitionis metu confervaretur, non tantum ad inftantiam partis contra univerfitatem crimina deferebantur, fed etiam ipfe Amphictyonatus tanquam ἔκδικος jure fifci, in delicta, crimina & mores improbos civitatum & regionum ex officio obfervabat, & ita Athenienfibus, ut Æfchines refert, Amphictyones mulctam quinquaginta talentorum impofuerunt, quod odio Thebanorum clypeos aureos in templo Athenis recens incepto, non tamen opere abfoluto, fufpenderant, adfcripto falfo Epigrammate: Athenienfes a Medis & Thebanis cum pugnarent contra Græcos. Sic & privatorum controverfiæ huic foro competebant, cum non tantum pœnæ fed & compendii nomine in jure experiebantur, præcipue fi lis ex contractu locationis agrorum defcendebat, vel confines de finibus regundis difceptabant, ut cum ex conventione vel contractu innominato actio nafcebatur, cujus generis aliquot leguntur: & præcipue apud Paufaniam in *Meffenicis* Polycharis & Euæphrii recenfetur controverfia, qui Polychares ex conventione boves fuos in prædium ac agrum Euæphrii pafcendi gratia egit, ea lege, ut ufusfructus pars boum vice mercedis exfolvendæ fpectet ad Euæphrium. Sic & idem Euæphrius, qui filium Polycharis interfecit, a Polychare accufari cædis apud Amphictyones, aut Athenis apud Areopagitas elegit, ut Paufanias refert.

Præcipue autem nobilis controverfia Thebanorum & Theffalorum apud Amphictyones agitata obfervanda eft, quam Quintilianus *lib.* v. non Oratorum modo ad argumentorum fedes monftrandas fictione Thematis, fed veritate gefti actus recenfet. Cum enim Alexander Magnus Thebas evertiffet, invenit ibidem tabulas feu cautionem, in quibus continebatur Theffalos ex contractu mutui centum talentorum Thebanis obligatos effe. Cum vero Alexander Theffalorum opera tunc multum in militia ufus erat, inftrumentum hoc crediti

donavit ultro Thessalis. Postea vero Thebani restituti a Cassandro petunt a Thessalis centum talenta, Thessali debere se his quidquam negant, condicunt Thebani hujus crediti nomine Thessalos apud Amphictyones, pecuniam autem hanc accepisse Thessalos, nec reddidisse Thebanis citra controversiam est, sed an ideo quod Alexander tabulas Thessalis donarit ab obligatione soluti sint, controvertitur. Thessali enim redditionem cautionis inducere remissionem sortis contendebant, ideo quod in ea principalis obligatio debendi contenta fuerit, qua cautione remissa aut donata jus petendi omnino extingui. Thebani replicarunt, Alexandrum donatione tabularum Thessalorum obligationem crediti non peremisse, ideo quod is pecuniam non crediderit, nec Thessalos ex numeratione ejusdem sibi obligarit. Ubi de jure belli concertatio exorta est, dicentibus Thessalis, hoc jure Regna, populos, fines gentium & urbium contineri, & ideo cum tabula pervenerit in manus victoris occupatione harum proprietatis, jus eum quoque adeptum fuisse, easque potuisse donare alteri. Thebani contra ex jure belli objiciunt eas saltem res in bello captas cedere occupanti, quæ detentionem patiuntur, ut & spolia belli manubiæ vocantur, quarum corpus materia ac substantia possidentur, quæ vero in jure consistunt non detineri nec occupari posse, ideo quod incorporalia ut jura & obligationes in victoris Alexandri potestatem nunquam venisse censeantur: nam quod tenuit, ut ait, id ejus tantum fuit, jus autem incorporale & obligatio apprehendi manu nunquam potuit. Et tanto magis Jus crediti publici ad victorem transire non potuit, cum quod Thebanus populus credidit omnibus debeatur Thebanis, ita ut quamdiu unus superfuerit eundem esse totius summæ creditorem. Cum vero non omnes Thebanos Alexander occupaverit & in suam potestatem redegerit, nec etiam obligationem crediti, quæ non ad singulos, sed universos Thebanos spectat, sibi acquisivit. Præterea aliam esse conditionem hæredis, aliam vero victoris, quia ad illum jus quod & transmittitur ad successores, ad hunc vero res tantum, quæ tamdiu ejus sunt, donec occupantur. Ac etiam cum Thebani sint restituti loco & dignitati, jure postliminii omnia jura & obligationes, eo tempore, quo vi occupati fuerunt tantum cessarunt, non autem extincta fuerunt, quæ eis nunc reparata sunt. Et cum jus postliminii proprie inter Græcos locum non habeat, eo quod necessitudine fraterna invicem devincti sint, nec etiam Jura sua amittere potuerunt. Hæc & alia coram Amphictyonibus disceptata sunt a Thebanis & Thessalis, apud quos Amphictyones, ut Quintilianus ait, etiam potentissima æqui tractatio fuit, quod pro Thebanis sententiam dixerint. Ac quoque eandem differendi rationem in aliis causis & litibus propositis observatam fuisse a Patronis & Syndicis in hoc judicio non est dubium.

CAP. VII.

De causis Criminalibus, quæ in diversis Curiis Atheniensium tractabantur.

SUMMARIA.

Capitalium causarum quatuor Curiæ Athenis, Areopagus, Palladium, Delphinium, & Puteus. Justitiæ proprium quod. Draconis leges quæ & cur abrogatæ Athenis. Draconis legum distinctio in θέσμους & φονικούς. Θέσμοι abrogati sunt. Pœnas pro furto sancitas Solon sustulit & quare. Omnia delicta paria esse, Stoicorum doctrina. Quatenus Stoicorum sententia procedat. Imparia delicta habent etiam pœnas impares. In delictis distingui debet culpa a casu. Quædam fiunt ἑκουσίως, quædam ἀκουσίως, quænam οὐκ ἑκουσίως. Litigantes lite contestata apud Thesmothetas ab his introducebantur ad competens Tribunal. Ad Areopagum deferebantur homicidæ voluntarii. In Palladio judicabatur cædes casu aut propter voluntatem commissa. Ad Delphinium forum homicidia defensionis gratia patrata spectabant. In Puteo homicidium voluntarium relegati discutiebatur. Græci sapienter & diligenter inquirebant in qualitatem homicidii. Sanctius est nocentem absolvere, quam innocentem condemnare. Ubi majus periculum, ibi cautius agendum. Sublato discrimine curiarum cognitio & executio criminum ad Areopagum translata est.

CAUSIS capitalibus cognoscendis quatuor curiæ Athenis apertæ & imperii potestate constitutæ fuerunt, ut Demosthenes in *Aristocratiana* commemorat, videlicet Areopagus, Palladium, Delphinium & Puteus, ut facinorosi, qui in necem ac perniciem hominum bonorumque eorum incubuerunt, eosque vita spoliaverunt, legitimis pœnis coercerentur & vindicarentur, cum cædes ab inanimatis & brutis commissa a Prytaneis, ut dictum est, cognoscebatur & judicabatur. Pœna autem cum aut delicti aut criminis gratia infligenda sit, ac naturali ordine vindictæ, ubi nec delictum ibidem nec pœna esse possit, Athenienses contra irrationalem consuetudinem Barbarorum, ac præcipue Persarum, omnem curam adhibuerunt, ut τὸ ἰσόῤῥοπον τοῦ ἁμαρτήματος καὶ τῆς τιμωρίας æqua lance applicarent, pœnasque delinquentibus sine affectione attribuerent, quod Justitiæ proprium esse docuit Pythagoras.

Præterea in id incubuerunt, ut Rempublicam ab humani sanguinis profusione innocenti illibatam tuerentur, cum cives sub hac degentes instar membrorum corporis in unam compagem adunati sint, ut membro uno atque altero reciso propter mutilatam corporis formam, toti universitati damnum & injuria impressa censeatur, ut & principem, si innocentes interficiat sinistra sua, dextram abscidisse vere dixerit Ætius. Etsi autem Draconis leges Athenienses receperant, eisque multis annis in Republica usi fuerant: tamen quia asperitatem in pœnis decernendis continebant, ac lites ex contractibus exortas minus commode definiebant, exosæ tandem populo fuerunt, idque tunc maxime cum Philosophorum disciplinæ & scientiæ magis magisque Athenis post Draconem florere cœperunt, qui de Justitiæ norma, quomodo pœna delictis applicanda sit, ex ductu naturæ & rationibus præclaris disseruerunt.

Et cum Draconis leges dividebantur in θέσμους & φονικούς, ut Ælianus refert, omnino abrogati sunt θέσμοι, ne civilia negotia his amplius determinarentur, retentis tantum quibusdam legibus φονικοῖς de cæde latis, quæ ad Areopagum tandem translatæ sunt. Eas vero, quæ aliis delictis vindicandis præcipue furto sancitæ erant, Solon sustulit, eo quod injustitiam omnino respirabant, & crudelitatem supplicii indiscrete delinquentibus irrogabant, veluti cum is qui olera aut rem levissimam ac etiam stercus bubulum quo ager fimatur, surripuisset, tam capitis supplicio adjudicabatur, quam si sacrilegium vel cædem commisisset. Hanc autem injustitiam Solon sanioribus legibus latis omnino correxit, & delictis pro facti qualitate & quantitate pœnas,

quibus ſummovendi eſſent facinoroſi, præſcripſit. Etſi enim ex ſententia Zenonis Stoici omnia delicta paria eſſe docuerunt, nec ideo quod quis minus aut plus delinquat a turpitudinis labe eximatur: tamen id tantum de animi perturbatione ſeu principio motus vitioſo intellexerunt, in quo cum furta, cædes, adulteria, aut alia crimina præter rationem excitantur, quod hæc in infinitum ſeu ἀπείρως ſemper excurrant, ut ὁρμαὶ πλεονάζουσαι, certis terminis circumſcribi non poſſunt; verum cum criminis eventus extrinſecus alio atque diſſimili modo contingat, imparibus delictis pœnam quoque imparem applicandam iidem cenſuerunt.

Deinde juſte Solon Draconis leges φονικὰς correxit, ideo quod nec propoſitum nocendi, nec culpam a caſu in delictis diſtinxerant, uti & Pythagoras τὸ ἀντιπάθον ſeu Talionis jus in pœnis obſervandum eſſe præceperat, cum in criminibus non ſolum quid ſit factum, ſed ex qua cauſa factum, inquirendum ſit, ac quænam ἑκουσίως, quænam vero ἀκουσίως contingant, ut Ariſtoteles Pythagoram hoc modo reprehendit, quod & Imperatores expreſſerunt in *Baſil. Tit. de pœnis*, ἐν πᾶσι ἐγκλήμασι δεῖ ζητεῖν ἐκ προνοίας τις καὶ ἢ κατὰ τύχην ἥμαρτε, καὶ οὕτως ἢ πρὸς τὸν νόον, ἢ τρανοτέραν ἐπιφέρειν τιμωρίαν. Cum autem omne quod factum eſt tripliciter conſideratur commiſſum ἑκουσίως, οὐκ ἑκουσίως, καὶ ἀκουσίως, eodem modo etiam homicidia perpetrata expendenda eſſe arbitrati ſunt. Ac ut de quolibet genere hujus accurata extaret cognitio & dijudicatio, quatuor curiæ ſeparatim Athenis conſtitutæ fuerunt, in quibus hæc crimina qualitatibus diſtincta tanquam in foro competenti proſequi jure licuit. Cum enim primo προαγῶνες, hoc eſt, præparatoria cauſæ a litigantibus fiebant apud Theſmothetas, ac ex hac diverſi quæſtionum ſtatus naſcebantur: Id quod in ea potiſſimum erat, ac circa quod res maxime vertebatur apud eoſdem Theſmothetas, aut affirmando aut negando conſtituebatur, quod Rhetores ſtatum ex intentione & depulſione actoris & rei conceptum ſeu primum cauſæ congreſſum appellarunt, ut & a Jureconſultis προκάταρξις, hoc eſt, principium litis, vel litis conteſtatio vocatur. Hæc lis ſi apud Theſmothetas ex depulſione rei tantum oriebatur, negando actoris intentionem, inficialem ſtatum gignebat, & actoris intentio probanda a conjecturis ſeu ſignis tantum inſurgebat, videlicet quod cædes ἑκουσίως vel dolo malo commiſſa eſſet a reo affirmabat, tunc cognitionem & judicium cauſæ Theſmothetæ ad Areopagitas introduxerunt. Sin vero ex depulſione rei lis ita oriebatur, quod is caſum ſimplicem vel τὸ ἀκούσιον coram Theſmothetis objiciebat, acceptum judicium a Theſmothetis introducebatur in Palladium, ut de cæde caſuali præter voluntatem & culpam commiſſam per ἀβουλίαν ibidem cognoſceretur, ac juris ordine ſervato ſententia interpoſita lis dirimeretur. Secus autem ſi contra intentionem actoris non depulſio facti, ſed qualitatis tantum a reo objiciebatur, ac ita ſtatus judicialis naſcebatur, videlicet quod vitam a vi & hoſtili inſultu defendendo cædes patrata fuerat, litis cognitio & dijudicatio ad Delphinium tanquam competens forum ſpectabat, id quod & Ælianus *lib.* v. *cap.* xv. refert, inquiens: Περὶ μὲν τῶν ἐκ προνοίας ἀποκτεινάντων ἐν Ἀρείῳ πάγῳ· περὶ δὲ τῶν ἀκουσίως ἐν Παλλαδίῳ· περὶ δὲ τῶν κτεῖναι μὲν ὁμολογούντων, ἀμφισβητούντων δὲ ὅτι δικαίως, ἐπὶ Δελφινίῳ γίνονται αἱ δίκαι.

Præterea Demoſthenes quartum genus Fori judicialis commemorat, quod φρέαρ, id eſt, *puteum* vocat, ſeu τὸ ἐπιθαλάττιον, hoc eſt, locum in mari juxta Piræeum Athenienſe, ad quem reus navim ſine rudenti & anchoris firmatam conſcendens, appellebat, ibique ex navi retinaculis omnino ſoluta cauſam dixit, ut Cæcilius *libro* vi. refert. Hoc forum competebat iis, qui propter cædem caſualem temporali exilio proſcripti erant, ut certo locorum intervallo exularent Athenis, cum & caſualibus homicidis pœna relegationis ex lege Solonis irrogabatur, nec priuſquam interfecti cognatos exoraſſent redire in urbem eis permiſſum erat, ut poſt dicetur. Si itaque proſcriptus tempore exilii commiſiſſet in ſolo Attico voluntariam cædem, Athenas tanquam relegatus non impetrato reditu a cognatis prioris interempti ad cauſam dicendam duci non poterat, quare in loco maris ſeu ἐν τῷ φρέαττι ex navi defendere ſe compellebatur, judicibus & accuſatore ſtantibus ad littus; & cauſa ita cognita a judicibus ordinariis reus criminis convictus pœna legis μετὰ λόγου καὶ ψήφου condemnabatur. Adeo ſapienter Græci naturam & qualitatem homicidii cognoſcendam eſſe voluerunt, cum multis modis id crimen committatur, cujus gratia etiam diverſas curias conſtituerunt, eiſque judices præfecerunt, ut accurata mentis acie & induſtria qualitates & circumſtantias facti diligenter expenderent, ne cuipiam in jure dicendo injuriam aliquam imprimerent, cum, ut Demoſthenes ait, πάντων ἐναντιώτατον ἐστὶ τῷ κρίνειν τὸ μὴ δόντα κρίσιν, ἔκδοτον ποιεῖν, ac multo ſanctius ſit nocentem abſolvere quam innocentem condemnare, ut & in cauſſis quibus de vitæ diſcrimine diſceptatur, propter magnitudinem periculi cautius ſemper agendum eſſe ratio præcipit. Etſi autem hæc judicia longo tempore pro diſcrimine cædium commiſſarum Athenis diſtincta fuerunt: tamen tandem omnis imperii & juriſdictionis authoritas in cauſſis capitalibus cognoſcendis & definiendis ad Areopagum translata eſt, quod poſt Solonem factum tamen conjicitur, qui ſi Areopagitarum curiam, ut quidam aſſerunt teſte Plutarcho, conſtituit, imperii poteſtate judicandi de criminibus pluribus quam antea receptum erat eam confirmaſſe, ejuſque juriſdictionem ad hoc prorogaſſe intelligitur, cum ante Solonem in hoc Areopagitarum foro modo limitato juriſdictionem fuiſſe confectam conſtet.

CAP. VIII.

De Areopago.

SUMMARIA.

Areopagitæ judices religioſiſſimi. Athenæ a Tyrannis oppreſſæ. Areopagi judices vocat Cicero ſeveriſſimos & innocentiſſimos. Illegitime nati non eligebantur in ordinem Areopagitarum, & quare. Judices Areopagitæ non ſolum vindicabant crimina, ſed etiam prævidebant, ne quid inhoneſti a quopiam committeretur. Areopagitarum ſententias judiciales nemo quiſpiam impugnavit. Areopago non homines ſed ſemideos præeſſe dictum. Areopagitæ noctu in tenebris judicabant. Areopagitæ ex numero Theſmothetarum eligebantur. Theſmothetis dies dicebatur ad reddendas rationes geſti magiſtratus. Præconis vox ad Populum. Theſmotheta innocens & indelatus, ob illa præclara merita in Areopagum adſciſcebatur. A Prytaneorum curia differt Areopagus. Fori judicialis in Areopago deſcriptio. Actor & reus ſedebant in Scabellis impudentiæ & injuriæ, fori Areopagi. Forum definit Plutarchus. Quæ crimina in Areopago cognoſcebantur. Ad Areopagitas viarum cura ſpectabat. Ocii accuſatio ex inſtituto Solonis ad Areopagitas pertinebat. Areopagitæ cenſores morum ac ſumtuum erant. Itemque conviviorum & nuptiarum

inspectores. Athenis in Academia ridere cuipiam non licuit. Impietatis accusatio in foro Areopagitarum fiebat. Inscriptio aræ Atheniensis. De Sacrilegio etiam cognoscebant Areopagitæ. Pœna sacrilegii etiam infantes pubertati proximi afficiebantur Athenis. Infantes impuberes, & is qui est in utero, innocentes habebantur. Areopagitarum in hominis vita tollenda ampliatio. Philtrum propinantis pœna nulla apud Areopagitas. Piltrum propinans punitur summo supplicio legibus Romanis, si mors insequatur. Si mors non sequuta, aliæ pœnæ constitutæ. Areopagitæ sub veneni nomine non comprehendebant Philtrum, & quare.

FUIT autem forum Areopagitarum religiosissimum judicium, teste Seneca, totius Græciæ, cum libertate & legibus utebantur Athenienses, ut & propter religiosum justitiæ cultum, quem hi Judices observarunt, τ͂ σεμνῶν θεῶν aræ ibidem exstructæ erant, quas Pausanias, Laertius & Philostratus θεῶν ἀγνώςων βωμὺς, hoc est, *ignotorum Deorum aras* vocant, Divi Apostoli Pauli reprehensione notas, cum is in Areopagitico foro apud judices (quos D. Augustinus l. XVIII. *de Civitate Dei* curiales urbis Athenarum vocat) religionis caussam dixit, ubi & Augustinus originem hujus judicii ex M. Varrone recenset. Contra vero cum a XXX. Tyrannis occupatæ & oppressæ Athenæ tenebantur, carnificum triste collegium & infelicem curiam Tyrannis angustam fuisse refert Seneca *de Tranquillitate vitæ*, eo quod tunc expulsis legibus & prostrata libertate ad libidinem & dominatum improborum jurisdictio confecta fuerit.

Religioso autem cultu habebatur hoc non solum ab Atheniensibus, sed & omnibus Græcis, idque propter singularem judicum pietatem, quia vitæ justitiæque integritate morumque continentia & verecundia præ ceteris omnibus fulgebant, ut etiam omni suspicione criminis committendi carerent, qua de caussa & a Demosthene κατ' Ἀριςοκρα. ἰδιαίτατον πάντων ϰ̀ σεμνότατον δικαςήριον vocatur, quod idem & Isocrates in *Areopagitico* affirmat, ubi & addit ex delectu ascitos cives in hunc ordinem judicum, quamvis antea moribus fuerunt asperiores & intolerabiliores, tamen ita ingenium attemperasse, quod expulsa omni improbitate sese receperint ad eam frugem, ut monumentum virtutis & modestiæ compositum sese præ ceteris omnibus exhibuerint, ac propter eam quam in officio ostenderunt εὐκοσμίαν omnes in Græcia quotquot fuerunt Curias longe lateque exuperarint. Qua de caussa & Cicero *severissimos* & *innocentissimos* hos judices appellat, & antiqui cum *Areopagitam* dixerunt omnibus numeris gravitatis & severitatis perfectum judicem significarunt, teste Cicerone *ad Atticum*.

Et ut virtutis splendor tanto magis in hoc consessu amplissimo luceret, nemini aditus patebat ad hanc dignitatem ingrediendi, nisi τοῖς καλῶς γεγονόσι, hoc est, *honestis parentibus natis*, ut Isocrates ait, non autem his quorum ortus turpitudinis labe aspersus erat, cum difficile sit concreti sanguinis turpitudinem in primo exortu haustam per reliquum tempus vitæ moribus ingenuis & pudicitia omnino eluere. Quare & Isocrates hujus judicii formam, tanquam exemplar totius Reipublicæ informandæ Atheniensibus proponit, ut ejus justitiæ & innocentiæ vestigia sequantur, eo quod non tantum crimina commissa hi judices vindicarunt, sed ne quid illiciti committeretur a quopiam prævidebant, præcipue, ne juvenes in tabernis lusoriis versarentur, sed in exercitiis manerent, ac ne juniores senioribus petulanter resisterent, aut eos criminarentur, id si

A factum ab his fuerat, gravius censuerunt delictum, quam si in parentes deliquissent. Et ita tam in criminibus vindicandis quam moribus hominum publice corrigendis ἐπιμέλεϑαι τ͂ εὐκοσμίας in hoc judicio receptum erat. Ea autem opinione justitiæ & integritatis hi Areopagitæ apud omnes valuerunt, quod nunquam aut errore aut imperitia perturbati, aut gratia & odio commoti a tramite rectitudinis discesserint: Ait enim Demosthenes *in Aristocrat.* ἐν ἀρειοπάγῳ μόνον ὐδεὶς πώποτε ὔτε φεύγων ἁλὺς, ὔτε διώκειν ἡττηθεὶς, ἐξήλεγξεν ὡς ἀδίκως ἐδικάϑη τὰ κριϑέντα, hoc est, *in Areopago nec reus nec actor unquam condemnatus est qui poterat o-*
B *stendere injuste aut male ibidem judicatum seu pronunciatum fuisse*. Ob quam excelsam vitæ integritatem judicii rectitudini conjunctam Heroes & Semideos non homines præesse huic curiæ dixere, quod & sæpe Oratores cum patrocinia caussarum suscepta apud hos tractarunt, ex aspectu amplissimi consessus deturbati mente, voce defecerint, ut Demochares Theophrastum in Oratione dicenda penitus ibidem animo lapsum facete excitavit: *O Theophraste*, inquiens, *Athenienses erant, non duodecim numina, qui judicio præsunt*, ut Ælianus refert. Quare & more Deorum nocte & in tenebris judica-
C bant, idque ideo, ut Lucianus in *Hermotimo* ait, μηδὲ ὐκ εἰς τὺς λέγοντας, ἀλλὰ τὰ λεγόμενα ἀποβλέπωσιν, hoc est, *ne aspicerent ipsos oratores, sed orationem tantum observarent*.

Eligebantur autem Areopagitæ ex numero Thesmothetarum, qui ut dictum est veluti Prætores actiones dabant, ac litigantes ad forum competens introducebant. His, si præclare officio suo functos in Republica fuisse omnium voce & fama constabat, dicebatur dies, ut gesti magistratus publice rationem redderent, eamque de omni vita retrorsum acta in Heliæa explicarent, qui dies cum venerat præco voce publica edixit, ut si ex populo
D quispiam criminis cujuspiam contra eos agere vellet, aut delicti suspectos haberet, ac reos ideo peragendos arbitraretur, ut intra temporis aliquod præscriptum id a se susciperetur. Si igitur nulla insequebatur delatio vel accusatio, innocens prorsus habebatur Thesmotheta, & ob honesta & præclara merita, quæ in Rempublicam antea retulerat, in Areopagum conscribebatur, ut *ad Androtianam* Libanius refert. Tripliciter autem distinguebatur hæc curia Areopagitarum a Prytaneo, ut Libanius refert, quod quingentorum senatus civilia & publica quæ ad statum urbis spectabant, curabat: Areopagitæ vero nisi tempore necessitatis ad concili-
E um publicum evocabantur, ac præcipue crimina & delicta ex delatione partium cognoscebant, aut ex officio inquirebant, & imperii potestate reos peractos sententia damnatos pœnis correxerunt aut summoverunt. Deinde quingentorum senatus fuit numero definitus, ut antea dictum est, Areopagitæ vero numero certo circumscribi non poterant, ideoque semper Thesmothetæ annuo functo officio, si eorum fides & industria publice probata fuerat, in hunc ordinem beneficii loco cooptabantur. Similiter & quingentorum officium fuit annum tantum, Areopagitarum vero perpetuum, ideo quod auctoritate fidei & integritatis publice declarati fuerant.
F Forum autem quod fuit in Pago vel Colle Martis, ubi conventus hujus senatus habebatur, non magnificentia operis & artificum industria expolitum erat, sed sub diali loco exstructum luto & palea tectum erat, qui mos sapientis antiquitatis fuit, ut simplicem justitiam sine fuco orationis & mentis ex structura humilis & lenis dicasterii se administrare significarent, ut & Romuli curiam ex culmo & sarmentis contextam fuisse Alexander ab Alexandro refert.

Quod autem is locus criminum cognitioni designatus fuit, caussam præbuit Martis & Halirrothii controversia, cum ibidem capitis accusatum fuisse Martem Pausanias refert, quod Neptuni filium Halirrothium propter stuprum filiæ suæ Alcippæ illatum interfecerat, ac postea propter maternam cædem Orestes reus accusatus erat, quorum uterque tamen paribus calculis absolutus est, ita ut judices homicidii circumstantiis consideratis ex ipsa justitiæ lance sententiam arripuisse dictum fuerit. Ut autem status & conditio litigantium in Areopago expressa nota cerneretur ac manifestaretur, videlicet quosdam impudentia mera excitari ut adversarios in jus vocent, quosdam vero injuriæ infligendæ gratia juris subsidia implorare, ac a facilitate & temeritate litigandi quispiam prohiberetur, duo scabella ex argenteis lapidibus confecta in Areopago exstructa erant, quorum alterum ἀναιδείας, alterum vero ὕβρεως vocarunt, ut Pausanias in *Atticis* refert, in quibus accusatores & rei introducti considebant. Fieri enim nunquam potuit, ut non reus criminis convictus & condemnatus infamia aut ἀναιδείᾳ notaretur, aut contra accusator succumbens probationibus pœna calumniæ ac ὕβρεως afficeretur, ut & ideo Plutarchus in libro *de fœnore* forum definit, τὴν ἀσεβῶν χώραν, hoc est, *impiorum regionem*, & Anacharsis Scytha locum ad fallendum, atque ad dandas avaritiæ manus destinatum.

Criminum autem cognitio & exsecutio, ad Areopagitarum curiam tanquam competens judicium spectans, quæ fuerit, patet ex legibus quarum Demosthenes meminit in *Aristocra.* videlicet, τοῦ φόνου, καὶ τραύματος ἐκ προνοίας, πυρκαϊᾶς, καὶ φαρμακων, hoc est, *cædis, & vulneris consulto illati, incendii, & veneficii*. Heraclides vero in *Politiis* refert viarum publicarum curam eos etiam egisse, ne quis in eis ædificaret ἢ δρυφάκτους ὑπερτείνωσιν, hoc est, ultra terminos communes ædificii aut prominentes ædiculas aut suggrundas vel mæniana constitueret, quibus compages continua ædificiorum in urbe deformatur, ac viæ publicæ usibus necessariis destinatæ contrahuntur.

Præterea ocii seu ἀργίας accusatio apud eosdem aut instituebatur, vel ex officio seu jure potestatis in ociosos animadvertebant, quod a Solone sibi datum esse Plutarchus refert, ut & teste Valerio Maximo non solum in desides seu ignavos animadvertendi jus fuit, sed etiam quid quisque Atheniensium ageret, & quo quæstu se sustentaret, inquirere jure potestatis his licuit, & deprehensos ociosos aut sine arte vitam degentes, vel luxu & voluptatibus diffluentes patrimonii vires turpiter absumere & dilapidare inventos pœna severissima coercere, ut ita in vita privata & publica honestatem & frugalitatem cives sectarentur, cujus gratia etiam conviviorum & nuptiarum fuerunt iidem inspectores, ut Athenæus lib. V. *Deipnosoph.* refert, ne quis nisi invitatus has accederet, ac vocatus modestiam & verecundiam mensis exhiberet. Nec tantum voluerunt ut in publicis conviviorum congressibus morum honesta & decens compositio, sed & in locis sacris, ac præcipue in scholis, omnium maxime vero in juvenibus literatis fulgeret, qua de caussa nec in Academia Athenis ridere licuit, ut Ælianus *lib.* III. *cap.* XXXV. ait, addens caussam, ὕβρει γὰρ, καὶ ῥᾳθυμίᾳ ἐπιτρέπειν τὸ τὸ χωρίον ἄβατον φυλαχθῆναι.

Ἀσεβείας quoque actio, quæ olim in Prytaneo cognoscebatur, tandem apud hos Areopagitas agitata est, ut & D. Paulus, quod Atheniensium Idola, vel ut D. Lucas σεβάσματα reprehenderat, ab Epicureis & Stoicis ibidem accusatus sit, qui defensionis loco unitatem Dei veri ejusque cultum & voluntatem differendo in hoc judicio manifestavit, ac Athenienses δεισιδαιμονεστέρους esse, ut Evangelista dicit, ex titulo aræ inscripto ostendit, quæ inscriptio hoc modo confecta fuisse a Theologis Græcis traditur: Θεοῖς Ἀσίας, καὶ Εὐρώπης, καὶ Λιβύης, θεῷ ἀγνώστῳ καὶ ξένῳ.

Eodem modo & sacrilegi apud hos judices in competenti foro accusabantur, & rei peragebantur, quod crimen adeo exosum fuit Atheniensibus, ut etiam puerum qui inventus quod auream laminam ex corona Dianæ delapsam sustulerat, hoc nomine accusarint, cui in judicium allato cum judices crepundia, talos & laminam auream proposuerunt, ut quicquid ex his sibi liberet, eligeret, isque iterum laminam auream apprehendit, ætati veniam non dederunt, sed sacrilegii pœna hunc condemnarunt, ut Ælianus *l.* V. refert, quem tamen pubertati proximum fuisse non obscure colligitur, eo quod animus jam discernendi ac eligendi potentia confirmatus fuit, cum quod ex propositis rebus id optimum quod fuit, delectu quodam repetito secernere potuit, quo casu & impuberes fictione quadam pro puberibus in furtis & aliis criminibus habentur.

Quod autem Quintilianus *l.* V. commemorat hos Areopagitas puerum quendam, qui cornicum oculos eruerat, condemnasse, ideo quod id fuerat signum malitiosæ mentis, eumque multis fore exitio si adolevisset: id veritati minus congruit, cum delictis commissis non præsumtione committendorum quispiam damnandus sit, nec antequam crimen probatum exstet, pœnam decerni potuisse ab his integerrimis judicibus. Nam ut Ælianus *l.* V. *c.* XVIII. refert, quod iidem mulierem veneficii convictam & condemnatam non prius morti tradiderunt priusquam pepererat, addita caussa, τὸ ἀναίτιον ὂν βρέφος κ· λυσ·ντες τῆς καταδίκης τὴν αἰτίαν μόνον ἐδικαίωσαν τῷ θανάτῳ. Seu, *Infans in utero adhuc existens nullam caussam accusationis, nec condemnationis, multo minus mortis habet, ideo quod nihil deliquit*. Quod & idem Ægyptios judices longe ante servasse Diodorus Siculus scribit. Nec quoque consentaneum est hos judices sapientissimos *quorum æquitas etiam Deorum Jurgia diremisse dicitur*, innocentes ac qui potentia peccare possent non tamen actu peccarunt, pœnis subjecisse, cum in dubiis casibus per Ampliationem infinitam sententiæ ferendæ potestatem suam suspendere consueverunt, ac ad successores Curiæ, judicii & intellectus acie inde tempore immemoriali, nempe centum annorum informandos, jure definiendi controversias difficiles rejecerint, cujus Marcellinus *l.* XXIX. *cap.* 11. meminit. Cum enim apud Dolabellam Proconsulem Asiæ Smyrnæa materfamilias quod filium & maritum necasset confessa erat, ideo quod filium ex priori viro ab eis occisum comperisset, ad Areopagitas caussa hæc transmissa est, qui cum quod inter ultionem & scelus statuendum esset hæsitarunt, caussa cognita tandem centesimo post anno, cum accusatore mulierem ibidem adesse pronunciarunt; ne aut absolverent veneficam, aut ultionem necessitudinis punirent, *tardum enim nihil existimarunt*, ut ait, *quod est omnium ultimum*.

Eadem & perspicacia ac prudentia hi Areopagitæ usi sunt in caussa cædis illatæ ex philtro, cum enim mulier quædam apud hos accusabatur, quod φίλτρον, vel *poculum amatorium* adolescenti ad conciliandum amorem dederat, ex quo præter propositum propinantis adolescens mortem contraxerat, multum diuque hæsitantes quid hoc casu pronunciandum sit, tandem mulierem absolverunt, ut Aristoteles lib. I. *Magnor. moral.* refert, idque ex hac caussa quam adjicit, ὅτι τὴν δόσιν τοῦ φίλτρου οὐ μετ' ἐννοίας τοῦ ἀπολέσθαι αὐτὸν ἐδίδου, hoc

est, *quod animo benevolentiam captandi non tollendi vitam adolescenti poculum hoc propinarit*. Quod tamen legibus Romanis aliter constitutum est, cum si quis poculum amatorium alicui propinavit summo supplicio præcipitur hunc afficiendum si hominis interitus consequatur. Sin autem mors non sequatur, humiliores in metallum, honestiores vero in Insulam amissa parte bonorum relegantur, ut Paulus lib. I. *sentent. ad L. Cornel. de sicariis* tradit, ideo quod sit res mali exempli philtro conciliare amorem, qui cultu & pudicitia non veneficiis comparandus est. Quod idem & in *Basilicis l.* x. *tit. de veneficiis* exprimitur. *ὁ δεδωκὼς πόμα πρὸς φίλτρον καὶ χώρις δόλου εὐτελὴς μὲν ὢν μεταλλίζεται· τίμιος δ' ἐξορίζεται μετὰ μερικῆς δημεύσεως. εἰ δὲ ἀπέθανεν ὁ πίων, ἐσχάτως τιμωρεῖται.* Sed sub *veneni* vel *τοῦ φαρμάκου* nomine Areopagitæ non comprehenderunt philtrum, ideo quod id non ex proposito hominis nocendi, sed conciliandi amoris gratia applicatum sit, uti & Quintilianus *l.* VII. idem sentiendo expressit.

CAP. IX.

De modo procedendi in foro Atheniensi.

SUMMARIA.

Atheniensibus curæ fuit, lites quam cito expediri. Quapropter arbitri primo dabantur. Arbitrorum duo genera Athenis, κληρωτοὶ διαιτηταί, & κατ' ἐπιτροπήν. Illi sorte eligebantur, hi vocati compromissarii arbitri. Quadraginta & quatuor arbitri ex numero tribuum eligebantur. Αἱρετὸς δικαστὴς definitur in Basilicis. Arbitria impugnabantur duobus modis. Ab arbitris appellabatur ad ἄρχοντες & Thesmothetas. Appellantis juramentum. Appellans si jurare recusabat, arbitrium tacite approbare præsumebatur. Appellatio justo tempore interponenda. Homologare quid. Subscriptionis judicum vis. Ab arbitrio cur non facile permissum appellare. Ab arbitris si lis componi nequiverat, deducebatur vel in Prytaneum vel Areopagum. Arbitrio certum tempus præstituebatur. Judicii in Prytaneo exordium fuit vocatio in jus. Vocatio in jus fiebat caussa vel negotii civilis, vel criminis. In negotio civili, actor privata authoritate reum in jus trahere potuit. In criminibus & delictis, vero a Magistratu erat vocatio in jus impetranda. Amphictyones per Præconem delatos criminis citarunt. Romani per tubæ sonitum. Hoc modo vocati sive citati, si non compareant, prehendi manibus possunt. Ἀνδροληψία in legibus Solonis quid. Ἀνδροληψία etiam privato concessa. Vicanus ex contractu vel delicto sui convicani tenetur. Clarigatio vel Repressaliæ cur prohibitæ. Athenis sub pœna Eremodicii dicto sibi die reus comparere tenebatur. Eremodicii pœna quæ. Dilatio sine juramento non dabatur. Annuo spatio lites finiebantur. Duplex actio non citato & tamen condemnato competebat, δίκη ψευδοκλητίας, & ἀπρόσκλητος.

PROCEDENDI ratio in foro Atheniensi stricta fuit, observatis tamen iis in processu quæ de ordine substantiali necessaria fuerunt, idque ideo ut lites quam primo expedirentur in judicio. Summa autem cura legislatores in id incubuerunt, ut controversias placide componerent Arbitri, ac nisi necessitate extrema litigatores compulsi juris remedia implorarent. Qua de caussa antequam Thesmothetæ juris experiundi potestatem alicui concederent, controversiam ad arbitrium retulerunt, litigantibusque more Prætoris Romani arbitros dabant.

Fuerunt autem Athenis duo genera arbitrorum, unum quod sortitione ex tribu Atheniensi eligebatur, quod κληρωτὰς διαιτητὰς vocat Demosth. πρὸς Ἀφοβ. ψευδ. sorte enim hos ex ordine Tribuum cuilibet litigantium præsentibus Thesmothetis eligere potestas fuit. Ut enim Romæ prætor ad cognoscendas caussas capitales judices sortiebatur, & subsortiebatur ex decemviris, ita Athenis Thesmothetæ arbitros in privatorum controversiis dirimendis ex Tribubus. Constituti autem erant Athenis quadraginta quatuor, ex quorum numero sortiri cuilibet fuit permissum secundum rationem Tribuum, qui etiam annuo functo officio rationem negotii gesti in Prytaneo Magistratui ἐν τῷ σκιρροφοριῶνι, hoc est, mense Martio reddebant, ut Ulpianus in *Mediana* refert, cum alias Romæ ex lege Pompeja octuaginta judicum & unius sortitio fiebat in criminibus cognoscendis. Alterum genus arbitrorum vocat Demosthenes κατ' ἐπιτροπὴν διαιτητάς, ut πρὸς Ἀφοβ. hoc est, receptos vel compromissarios arbitros, qui persimiles fuerunt iis quos Constantinus *l.* I. *Tit.* IV. *δικαστὰς αἱρετοὺς* vocat, in quos litigantes aut nudo consensu, stipulatione pœnali, compromisso aut juramento consentiebant, cui sententiæ litigantes stare compellebantur. Ex lege enim Solonis quam Demosthenes recenset κατὰ Μειδ. *τὰ κριθέντα ὑπὸ τοῦ διαιτητοῦ κύρια ἔστω*, hoc est, *Quæcunque pronunciarint arbitri rata habenda sunt*, quod legibus Romanis explicatum videtur: *εἴτε δίκαια, εἴτε ἄδικός ἐστιν ἡ τοῦ αἱρετοῦ ψῆφος ἐμμένειν αὐτῇ δεῖ*, ut in *Basil. l.* VII. *de Jud. c.* quo loco *αἱρετὸς δικαστὴς* definitur *ὁ δικαστοῦ τάξιν ἀναδεξάμενος καὶ ἐπαγγειλάμενος ψήφῳ τέμνειν τὸ φιλονεικούμενον*, hoc est, *qui judicis partes suscepit & finem sua sententia controversiis impositurum promisit*. Quod autem ex legibus Solonis *pronunciata Arbitrorum rata habebantur*, intelligendum est, si ab eo non fuerat ad judices provocatum, aut tanquam nullum & injustum impugnari poterat. Duobus enim modis id rescindebatur, ut ex Demosthene patet, primo *διὰ τὸ τὴν δίαιταν ἀντιλαχεῖν*, ut in *Midiana* refert, hoc est, cum ipso jure iniquum aut nullum esse arbitrium, quod arbitri pronunciarunt, deducebatur, quod Ulpianus *ibidem ἀνάδικον ποιῆσαι τὴν δίαιταν* appellat. Fiebat autem hoc modo: Cum is, qui arbitri sententia se prægravatum senserat, adversario quæstionem referebat, & litem intendebat, quod apud eosdem arbitros in modum reconventionis licuit; sed tamen permissum non fuerat, nisi persolverat XXV. drachmas, quibus pœnæ nomine depensis arbitros a suspicione commissæ injustitiæ eximebat, ac ne temeritatis nomine eos antea a se electos imperitiæ quidquam notasset. Si itaque hoc modo nullitatem & iniquitatem probasset, arbitrium prorsus perimebatur. Secundo, arbitrorum sententia suspendebatur, si ab ea fuerat appellatum ad Areopagitas seu Thesmothetas, tanquam judices ordinarios, cum arbitri judices non erant, sed tantum his competebat *ὀφλεῖν δίαιταν οὐ δίκην*. Ait enim Demosthenes πρὸς Ἀφοβ. *δικασταὶ δὲ ἀκούσαντες εἰς οὓς ἐφῆκε, ταῦτα καὶ τοῖς τούτου φίλοις καὶ τῷ διαιτητῇ περὶ αὐτῶν ἔγνωσαν, καὶ δέκα ταλάντων ἐτίμησαν*, hoc est, *Judices ad quos is ab arbitris appellat arbitrorum sententiam, quod antea cognoverunt, confirmarunt, eumque in centum talenta condemnarunt*. Judices autem ordinarii ad quos appellabatur fuerunt *ἄρχοντες* & Thesmothetæ, ut ex Demosthene patet, ad quos ne temeritatis sed necessitatis impulsu provocatum videretur, juramentum appellanti deferebatur, se ab arbitrorum sententia ad judices appellasse corrigendæ iniquitatis causa: quod ex Demosthenis *Midiana* patet, ubi ait quod Midias in legem commiserit, eo quod *τὴν δίαιταν ἀντιλαχὼν οὐκ ὤμοσεν*, seu ut dilucidius Ulpianus explicat, qui injusto arbitrio læsus fuerat, *ἀντιλαχεῖν πρὸς τοὺς ἄρχον*,

τας, ϗ οἷον αἰτιάσασθαι τὴν, ϗ φάσκειν, ὡς αὖθις θέλουσι κρίνεσθαι. οἱ δὲ τῦτο ποιῦντες, ϗ ὤμνυον, ἦ μὴν ἐπεξιέναι τοῖς ἀληθείαις. Quicumque præſtationem juramenti recuſabat, arbitrium tacite approbare præſumebatur, cum ſine juramento præcedente appellatio ad Archont.& Theſmothetas non introducebatur. Ex quibus patet ab arbitrio, quod a compromiſſariis pronunciatum erat, ad Archontas & Theſmothetas appellare quidem licuiſſe, ſed tamen interpoſito juramento prius ab appellante ſe non veritatis defraudandæ, ſed corrigendæ iniquitatis gratia hoc juris remedium implorare. Legitimo autem tempore ne dies exiret interponi appellationem neceſſum fuit, cum præſcriptione κυρίων ἡμερῶν ſi a litigantibus arbitrium approbabatur, quod Demoſthenes in *Midiana* μεταγράφειν ϗ διῃτημένην διαίταν ποιεῖν: Ulpianus vero μεταγράφειν τὴν ὑπογραφὴν τῆς διαιτήσεως, vocat, hoc eſt, præſcriptum arbitri ratum habere & antiquare apud ſe permitti, quod *homologare* hodie vocant ſilentio dierum decem, appellationis beneficium extinguebatur, nec ad judicem ordinarium arbitrium transferri poterat, cum ex hac ſententia tam actio quam exceptio competebat, quod & conſentit Romanis conſtitutionibus *l. penult. C. Recept. arbit.* Præterea ſi arbitrio lato judices ordinarii, ut puta Archontes & Theſmothetæ ſubſcripſerant, nulla juris via aut deductione iniquitatis, aut per modum provocationis impugnari arbitrium poterat. Subſcriptio enim ſeu ſubſignatio judicis rem judicatam facit. Ideo autem ab arbitrio appellare non facile permittebatur, quod recepti arbitri ὅρκῳ διαιτήσουσι, hoc eſt, non mutuo conſenſu & juramento præſtito in ſeſe receperant arbitrium, ut πρὸς Αφοβ. ψευδ. Demoſthenes ait. Qua de cauſa cum doli ſuſpicionem jusjurandum præſtitum excludebat, ex animi ſententia juſta arbitrium tuliſſe etiam præſumebatur ſervato juris ordine.

Apud arbitros cum controverſia dirimi non poterat, via juris ordinaria, cauſa, ut dictum eſt, transferebatur ad ἄρχοντες in Prytaneum, aut Theſmothetas in Heliæam & Areopagum, penes quos judices tanquam Prætores exercitium juriſdictionis reſidebat Athenis. Ut enim Romæ in cauſis privatis litigatorum jus dicendis partes non ſolum erant Judicis & actionem dare vel denegare, præſcribere formulam quibus de rebus eſſet judicandum, *l. Item §. Prætor ait ſi ſuſt.* Sed etiam præſtituere certum tempus intra quod lis dirimeretur, *l. 1. §. Si & Judex ff. de jud.* Sic & a Theſmothetis tempus præfigebatur, intra quod arbitri controverſiam arbitrio lato dirimerent, & ſi alter litigantium ex die præſcripto non comparuiſſet, μονομερῶς ſententia parte abſente ferebatur, ut Demoſthenes Midiam ultimo die τῦ σκιῤῥοφοριῶνος ſeu Maii inutiliter adiiſſe arbitros refert, & contra eundem arbitrio τῆς ἐρήμου pronunciatum fuiſſe refert. Si autem ab arbitris controverſia tranſigi non poterat, ſed ut dictum eſt, via appellationis ad judicem ordinarium deferebatur, Exordium judicii a vocatione in jus proceſſit, a qua actionum inſtituendarum principium proficiſcitur. Qua de cauſa Athenis legislatores, ne & hujus defectu juriſdictionis exercitium impediretur, conſtituerunt, ut is, qui in jure apud Magiſtratum cum adverſario experiri voluit, eum primo in jus vocaret, quod Solon legibus edixit, ut ex Demoſthene paſſim patet, præcipue enim περὶ στεφάνου ait: οὐκ ἐνῆν ἄνευ τοῦ προσκαλέσασθαι, δήπου τοῖς λόγοις δίκην, κατὰ τῆς πόλεως συντελέσασθαι, τίς οὖν ἐκλήτευσεν ὑμᾶς, ἀπὸ ποιᾶς ἀρχῆς, ἐπὶ τὸ εἰδότα, δεῖξον. hoc eſt, *non licet ſine vocatione in jus actionem contra noſtram civitatem inſtituere, quis vocavit vos, a quo Magiſtratu id factum eſt?* Et κατ᾽ Αριςοκρατ. οὐ γὰρ οὐ κλῆσις, οὐ κρίσις, *ubi non eſt facta vocatio in jus, nec etiam eſt judicium*. Cum autem vocatio hæc fiat aut ex cauſa negotii civilis aut criminis cujuſque commiſſi, cujus gratia in foro diſceptandum eſt, utroque modo reos in Judicium deductos προκληθέντας Athenis vocarunt. Sed tamen ex privata & civili cauſa ſi reus vocabatur in judicium id propria auctoritate actoris fieri poterat, ut vocatus ſe judici ſiſteret, ac niſi e veſtigio ſequeretur, τὸ κρατήσαντα πνιγεῖν ſeu obtorto collo ducere permiſſum fuit. Sin vero ex delicti patrati cauſa judicio ſe ſiſtere quiſpiam compellebatur, a magiſtratu prius vocatio impetranda erat, uti & in judicio Amphictyonum per Præconem delati accuſati criminis plerunque vocabatur, quos & Romani τῇ σάλπιγγι ſeu *turbæ ſonitu* citarunt, ut ex Plutarcho in *Vita Gracchi* patet. Quæ ratio & forma in jus vocandi per Præconem, citatio a Romanis dicta fuit, *l. Divus §. itaque ff reſtit. in integ.* Si itaque ad Præconis vel tubæ ſonitum vocati non comparerent ἀγώγιμοι habebantur, in quos manus injiciendi & prehendendi iis ad quos injuria ſpectabat poteſtas erat, ut ex *Oratione* κατ᾽ Αριςο. patet. Etſi autem in legibus Solonis προκλήσεως ϗ ἀνδρεληψίας fiat mentio, ac illo citationem perſonalem, hoc vero realem ſignificari poſſe videtur: tamen conſiderata lege quam Demoſthenes recenſet κατ᾽ Αριςοκρ. Certum eſt Solonem ſub notione ἀνδροληψίας exprimere facultatem prehendendi incolas vel cives oppidi, vel civitatis alicujus, ad quam homicida profugerat, aut profugus ibidem latitarat, quos cives quoque loco deprehenſos ab agnatis occiſi, ad quos Jus vindicandæ necis ſpectabat, re & corpore detinere licuit, donec homicida eis traderetur. Quæ ἀνδροληψία cum privato etiam conceſſa erat, ut Pollux refert, ne rapinis hoſtilibus, excurſionibus, & cædibus Græcia laceſſeretur, Solon in vindictam homicidii certo numero capiendi hanc poteſtatem circumſcripſit, ac tantum tres prehendendi incolas vel cives univerſitatis conceſſit, non ut punirentur, ſed ut detinerentur uſque donec homicida ex urbe ad locum delicti reduceretur. Ex quo poſtea in Imperium Romanum profectum eſt, ut vicanus ex contractu vel delicto ſui convicani teneretur, quem creditori una cum bonis prehendere licebat, eumque detinere quoad vicanus debitor ſatisfeciſſet, quod Zeno Imperator ſuſtulit *C. ut null. ex vica.* ut & Clarigatio vel Repræſſaliæ ex hac conſtitutione prohibitæ ſunt in Imperio Romano, ne latrociniis & direptionibus exercendis occaſio aperiretur.

Reus itaque Athenis aut vocatus aut citatus ex die dicto comparere in judicio compellebatur ſub pœna Eremodicii, ut ex Demoſthenis *Midiana* patet, ac ſemel vocatus vel citatus ſi non comparuit, ex cauſa abſentiæ cito condemnabatur, quod ex Demoſt. πρὸς Νικοςρ. evidenter colligitur. Eremodicii autem pœna irrogabatur reo qui vadimonium deſeruerat, qua de cauſa & in id omne condemnabatur quod actor ex propoſita actione in judicio petiverat, unde &, ut Heſychius ait, μονομερὴς δίκη vocabatur, quæ abſente reo non interloquutoria ſed definitiva ſententia ferebatur; qua abſente in id quod petebatur condemnabatur. Et quamvis ſæpe juſta abſentiæ reo fuerat cauſa; tamen non tam facile ea in judicio ut legitima admittebatur. Si tamen vocatus propter morbum ſonticum, aut aliud legitimum impedimentum judicio ſe ſiſtere impediebatur, neceſſum eidem fuit a Magiſtratu impetrare dilationem, ut prius juramento præſtito cauſam abſentiæ juſtam ipſe vel alius ejus nomine confirmaret, quam tunc impetratam a Magiſtratu dilationem in judicio Athenienſi paſſim Rhetores Græci ὑπωμοσίαν ac etiam

ἔνορκον ἀναβολὴν vocarunt. Stricto autem jure pœnam deserti vadimonii emansoribus irrogarunt ideo, ne jus dicentis autoritas improba tergiversatione litigatorum elideretur, ac tanto citius lites motæ in judicio absolverentur: cui facilitati ne occasio aliqua obesset, dilationum nexus moræ interponendæ gratia consutos prorsus in judiciis sustulerunt. Præterea cum Magistratus finito anno sui officii gesti rationem reddere tenebatur, Reipublicæ expedire visum fuit, annuo spatio finiri omnes lites, & confecto magistratu judices de actis judicialibus εὐθύνειν (ut vocant) possent. Id tamen ex hac stricta comparendi in judicio necessitate evenit, quod creditores plurimi causæ suæ diffidentes reos in jus a se vocatos, nec ex die dicto comparuisse melius prospectum sibi fore censuerunt, ut Eremodicii pœna condemnarentur, quam via ordinaria causa ipsa cognosceretur a judice, ex quo id eventurum esset, ut juri omnino succumberent. Quare sæpe Magistratum hi accesserunt, ac reis ibidem diem vel per se vel apparitorem dixisse falso proposuerunt. Si itaque reus non vocatus nec citatus ita condemnatus erat, duplex actio eidem competebat contra falsos actores, primo δίκη ψευδοκλητείας, quod actor supposita fraude per Apparitorem diem reo dixisse finxerat, isque absens dolo malo actoris condemnatus fuerat, uti ab Apollodoro Arethusium ideo accusatum & in carcerem conjectum, ac mulcta graviore affectum fuisse ex Oratione *ad Nico.* patet. Actio autem hæc ψευδοκλητείας non solum contra falsos accusatores dabatur, sed etiam ipsos Apparitores qui falso renunciarant se quempiam in jus vocasse, ob quam renunciationem is qui vocatus dicebatur, in fraudem deserti vadimonii inciderat. Secundo dabatur condemnato reo δίκη ἀπροσκλήτου contra actorem: si enim se non vocatum fuisse in jus probare poterat, judicium nullius momenti, & sententia ex qua petivit creditor solutionem ipso jure nullam fuisse hac actione demonstrabat.

CAP X.

De modo proponendi actiones in Judicio.

SUMMARIA.

Oratores actiones datas non scripto, sed sermone proposuerunt. Demosthenes Atticæ eloquentiæ medulla dictus. Athenæ magis Atticæ. Isocratis suavitas, Lysiæ subtilitas, Hyperidis acumen, Æschinis venusta pronunciatio, Demosthenem non adæquabant. Sophistæ a Rhetoribus quid differant. Oratores Tribunal conscendebant. Oratores a conviciis abstinere oportebat. Oratores ad Clepsydram formabant. Oratores in foro usi sermone etiam Asiatico. Genus dicendi εἰρόμενον *quale. Genere dicendi* εἰρομένῳ *usus Rhetorum more D. Paulus in oratione. Lex de non movendis affectibus in oratione. Præco oratores quosdam devovebat imprecationibus. Actori una clepsydra, Reo vero duæ concessæ. Oratores ad clepsydram tribus terminis distinctam orationem finiebant.* Διωμοσία *quid.* Λόγος *quid. Scribæ cur Athenis minus accepti. Testes quando & quomodo examinabantur. Testes ducebantur ad aram. Testium conditio qualis requirebatur. Servi alieni testimonium quomodo eruebatur. Servi confessio* πρόκλησις: *Liberi vero* μαρτυρία *dicta. Instrumentorum liquidorum & confessorum maxima apud Athenienses authoritas, & qualis. Instrumenta testibus non impugnabantur. Probationis species* μαντεία. *Oraculum consultum in dubiis factis adhibitum. Oraculi probatio non semper subsistit. Judices non judicabant, priusquam jurassent. Judices quidnam jurarint. Æquitas præstat aliquando vicem scriptæ legis.*

A ACTOR & Reus introducti a Thesmothetis, apud quos litis contestatione judicium acceptum erat, non scripto ediderunt actiones & exceptiones in formam libelli, sed a Thesmothetis impetratam γραφὴν saltem exhibuerunt. Ut autem in judicio ipsa litis disceptatio, quæ dicta fuit ἀνθυδικία, aperiretur, ex instituto Solonis Oratores qui patrocinia litigatoribus præstabant, τὰς δίκας ex negotiis exhibitis formabant, quas oratione diserta & ornata judicibus exposuerunt. Floruerunt autem Athenæ judicii forensis exercendi gratia splendidissimis Oratoribus, ut & τὴν Ἀθηναίων πόλιν ὑπὸ τῆς διχοστασίας καὶ ταραχῆς τῶν λεγόντων
B διασώζεσθαι Melanthus dixerit, teste Plutarcho, quo in numero etsi fuerunt Andocides, Gorgias, Lysias, Hyperides, Æschines, & alii, tamen Atticæ eloquentiæ suavissima medulla Demosthenes solummodo ex his habetur, cujus ἐπιχειρήματα, ut Lucianus in *Timone* ait, Athenienses veluti ex Mandragora dormientes excitare semper solebant, ut & propter hunc unum Athenas magis Atticas fuisse, Cicero dixerit, cum alias in Isocrate suavitas, in Lysia subtilitas, in Hyperide acumen, in Æschine venusta pronunciatio quæ laudabatur, Demosthenem non adæquabant.

C Distinguebatur autem Athenis Sophistæ a Rhetoribus, quorum illi artem scribendi & disceptandi in foro ex conventione certæ mercedis publice docuerunt, propositis ad hoc exercitationum Thematibus, ut & nonam vitæ partem in unius Orationis compositionem impendisse Plutarchus *de Gloria Athenienſ.* scribat: quam docendi publice potestatem si propter fiduciam ingenii hi præceptores impetrarant, Sophistæ appellabantur, ut & apud Rom. postea Sophistæ Rhetores, aut Sophistæ Grammatici appellati sunt, quibus & immunitas seu vacatio ab oneribus concessa est, & quod quæstui nimium indulgebant, Plato eorum
D sententiam δοξομιμητικὸν φανταστικὸν in *Sophista* vocat, cum τὰ ἥττονα κρείττονα, καὶ τὰ κρείττονα ἥττονα facere persuadendo solebant, aut etiam, ut Ælianus ait, ἔνθεν τοι καὶ πολλὰ σφάλλεται, καὶ τὰ μὲν καταχαρίζεται, τὰ δὲ ψεύδεται. Ex lege autem Solonis, ut Æschines *contra Ctesiphontem* refert, Oratores βῆμα seu *Tribunal* conscenderunt, quod in foro extructum erat, & si duo pluresve fuerunt κατήγοροι, πρεσβύτερος λαμβάνει πρωτολογίαν κατὰ τιμήν, ut Libanius *ad Androt.* ait. Illud autem omnino necessum erat Oratoribus, ut a conviciis & falsis dicteriis se omnino abstinerent, & ut sine strepitu & tumultu verborum patrocinia cau-
E sarum tractarent, ut Æschines *contra Timarch.* scribit: δεῖ τὸν ῥήτορα ἥκειν ἐπὶ τὸ βῆμα οὐ τῶν λόγων ἐπιμεληθέντα πρότερον, ἀλλὰ τοῦ βίου. Ne quoque libere evagandi instituta oratione esset oratori potestas, sed veluti cancellis circumscriptus merita causæ intra certum tempus tractaret, ad clepsydram, quæ in judicio collocata erat, orare tenebatur, quod Demosthenes πρὸς Μακαρτ. vocat πρὸς ὕδωρ ἀγωνίζεσθαι, ac tribus clepsydris aut paulo plus una hora finiebatur. Cum enim primo in judicium litigantes introducebantur, orator auspicia orationis fecit cum initio aquæ ἐκ χοᾶς de-
F fluentis, ad cujus defluxum orationis partes concinnabat, qua distillata finem sermonibus imponebat, quam aquam archontes infundebant, ait enim Demosthenes πρὸς Μακαρτ. ἐπειδὴ ἦγεν ὁ ἄρχων εἰς τὸ δικαστήριον. ἐξ ἀνάγκης τὸ ἄρχοντι ἐμφορεῖν ἑκάστῳ ἐγχέαι ἀμφισβητούντων, καὶ τρεῖς χοὰς τῷ ὑστέρῳ λόγῳ. Qua de causa quod plus aquæ causæ dignitas sæpe postula rat disputatum est: ut etiam aquæ additio quibusdam Oratoribus interdum permissa sit. Contra quoque si citius quam ea elaberetur causa terminari poterat, Orator cla-

ra voce ἐξερᾶν τὸ ὕδωρ dixit, ut Demosth. in παραγραφῇ ὑπὲρ Φωρμ. A

Sermone autem non solum Attico, sed & Asiatico in foro hi Oratores usi sunt, idque propter complicatam negotiorum & actionum, instar circuli, circumstantiarum seriem, quæ in judicio exactissime exponenda & consideranda sunt, ac Epicherematis, quo usi sunt præcipue Oratores, materiam & ornatum præstant, ad quod multum confert genus dicendi fusum vel pendulum, quod Aristoteles εἰρόμενον in *Rhetoricis* vocat, cujus proprietas est, ut finis dicendæ orationi non imponatur, donec facti qualitates omnes intrinsecæ & extrinsecæ exacte describendo terminentur, quo dicendi genere, B cum & D. Apostoli, ac inter hos præcipue Paulus usus sit, difficultate sermonis quidam injuste accusarunt. Illud autem in orationibus observari necessum erat, ne Rhetores molli aut lamentabili voce judices ad commiserationem commoverent, ac ut primo in Areopago πάθη his admiscere non licebat: sic postea lege edictum erat, ne Oratores in Prytaneo οἰκτιρμῷ animos judicium corrumperent: eosque a tramite justitiæ & juris dicendi deliciis sermonum dejicerent, cujus legis verba hæc sunt, quæ Athenæus recenset *libr.* XXIII. μηδὲ οἰκτίζεσθαι τ̃ λεγόντων ὑπὲρ τινος τ̃ κατηγορουμένων ἢ C κατηγορουμένην κρίνεσθαι. Huic autem legi vel decreto promulgato occasionem præbuit Hyperidis mollis oratio, qua fascinavit, seu ut Athenæus ait, δεισιδαιμονῆσαι ἐποίησε τὰς δικαςὰς, quod Phrynen accersitam capitis in judicio defendit, quæ cum ex ejusdem consilio ostendit pulchritudinem corporis qua præ cæteris mulieribus enituit, pœnæ debitæ Judicum mente deturbata eam eximit. Illud quoque ad coercendam Oratorum fraudem multum conferebat, quod antequam in judicio auspicia fecerunt orationis, præco eum oratorem per exclamationem diris devovebat, qui fuco orationis corrumpendæ veritatis gratia uteretur D his verbis, ἐξηρηθεὶς ὅςις ἐξαπατᾷ λέγων ἢ βουλὴν, ἢ δῆμον, ἢ τὴν Ἡλιαίαν, ut ex *Aristocrat.* patet.

Ad Clepsydram itaque Oratores ipsam δυδικίαν concisa & coticulata quadam eloquentiæ acie negocii seu facti circumstantias cum petitione juris impertiendi proposuerunt; cujus gratia actori una Clepsydra ad agendum, reo vero defensionis gratia duæ concedebantur, intra cujus aquæ defluxum hæc ratio procedendi tribus terminis conclusa observabatur, ut ex Demosthene passim patet, præcipue κατ' Ἀριςοκρ.

Cum enim Orator instar libelli loquentis, ut dictum est, factum vel negotium cum circumstan- E tiis proposuerat. Primo in judicio διωμοσίαν præstabat Orator. Secundo λόγος suscipiebatur, quem tandem sequebatur γνῶσις seu cognitio judicialis. Ait enim Demosthenes: ἐν τῷ δικαςηρίῳ ὑπόκειται πρῶτον διωμοσία, δεύτερον λόγος, τρίτον γνῶσις δικαςηρίȣ. Jurabat autem non solum Actor sed reus de vitanda sycophantia, hoc est, de jure non calumniose allegando, nec desistendo a lite suscepta, unde & idem juramentum ἀντωμοσία dictum fuit, ut Ulpianus in Demosthene περὶ παραπρεσβ. ait. Nec id ex genere ejus quod crudelitatis nunc dicitur, fuisse colligitur, cum ex veritate seu sen- F tentia animi præstabatur. Ideoque & exitium quis sibi hoc ipso jurejurando imprecabatur, seu ut Demosthenes *in Andr.* ait διεξόμνυσι κατ' ἐξωλείας αὐτȣ̃ καὶ γένȣς καὶ οἰκείας. In hujus autem locum Romani juramentum calumniæ post introduxerunt, quod etsi cum Græcis convenire videtur, ac ὅρκος περὶ συκοφαντείας appelletur, ut in Ecloga Basil. *libr.* XXII. Tamen re ipsa ab hoc distingui certum est, cum de crudelitate rei præstetur, ac præcipue differendæ litis malitiam coerceat.

Secundo λόγος sequebatur, qui ἔλεγχος vocatur in *Andr.* ac ipsam contentionem negotii continebat, quod fiebat primo cum testium enunciata a scriba, cui locus erat in parte judicii inferiore ad jussum Oratoris resignabantur, & publice ab eodem recitabantur, qualis in judicio scriba fuit Æschines, qui nullo dicendi Magistro, ut Plutarchus refert, usus est, sed ex scribendi officio dicendi artem didicit, quem & Demosthenes per contemptum scribam appellat. Cum enim scribæ Athenis corrupti pecunia a parte adversa, sæpe aliter, quam ut leges, decreta & testimonia concepta erant recitabant, ac causæ exitium afferebant, ut Ulpianus in Demosthenis παραπρεσβ. ait: Conditio horum vilis habita esse cœpit, ut & ibidem Ulpianus scribat, παρ' Ἀθηναίοις γραμματεῖα τ̃ πόλεως γενέσθαι τῷ εὐτελὴς ὑπηρεσία. Solebant autem litigantes cum apud Thesmothetas lis in causa contestata erat & antequam in judicium introducebantur, testes negotii probandi gratia apud Magistratum examinare, quorum enuntiatio fide jurata fiebat, & fide bona conscribebatur. Ne autem perjurii periculum inciderent, more civitatis Athenarum cum testimonium deposuerant, cito præsentibus judicibus adducebantur ad aram, ubi solemniter jurabant omnia se vere retulisse, ut Valerius *lib.* II. *cap.* V. refert, ut ideo ἐν τῇ ποικίλῃ ςοᾷ ubi ara Stoicorum erat, testium examinationem factam fuisse ex Demosth. κατ̀ Στεφαν. ψευδ. patet. Confecto itaque jurisjurandi ritu, testimonia horum apud Magistratum deponebantur, seu ut Demosthenes κατ̀ Στεφαν. εἰς τ̃ ἐχῖνον ἐβάλλοντο *in Archivum conjiciebantur*, ait enim Demosthenes κατ̀ Στεφαν. ψευδ. ὁ νόμος μαρτυρεῖν ἐν γραμματείῳ κελεύει, ἵνα μήτ' ἀφελεῖν ἐξῇ, μήτε προσθεῖναι τοῖς γεγραμμένοις μηδέν. Tempore autem εὐθυδικίας cum oratores causſæ statum in judicium proferebant ex Archivo apud acta in judicium proferebantur. Conditiones autem testium, ut eorum pronunciata probationis vim haberent, oratores in foro acerrime disputabant, ac μαρτυρεῖν οἱ νόμοι αὐτὸν ἑαυτῷ οὐκ ἐῶσιν, *adversus Pant.* disputat Demosthenes. Præterea testem esse oportuit extra rem & controversiam, seu οἷς μὴ μέτεσι τȣ̃ πράγματος, ut πρὸς Βοίωτον tradit, uti & κατ̀ Κονων. enunciata testium improbantur, καὶ μὴ πίςεως esse differitur. Civibus autem Atheniensibus & liberis hominibus authoritas dicendi testimonii tantum competebat, non autem servis nisi torquerentur. Ne autem per calumniam alterius servum quispiam quæstionibus subjiceret, accusator domino in cum casum si nihil de negotio ei constiterat, cautionem præstabat damni & injuriæ compensandæ gratia, & de calumnia insuper tenebatur, quod ex Demosthenis παραγρα. πρὸς Πανται cernitur: παῤ ᾧ ἐςι δίκαιον ἐν οἰκέτȣ σώματι καὶ ψυχῇ, ἢ δύο ὠφληκέναι τάλαντα, ἢ μηγὲν τ̃ συκοφαντȣ̃ντα ζημιȣ̃σθαι. hoc est, *ubi jure permissum est servi corpus & vitam testimonii eruendi gratia torquere, ibi duo talenta Dominus servi stipulatur ab accusatore, aut calumniator talis non punitur legibus.* & ut ibidem addit, φέρε τ̃ δακτύλιον. λάβε. τίς δ' ἐγγυητής. Quod & leges Romanæ postea secutæ sunt; videlicet, si servus ipse accusetur, isque absolvatur, ut in duplum pretii accusator domino condemnetur, *l. ult. ff. calumn.* Vel ut Græci δȣ́λȣ κατηγορηθέντος καὶ βασανισθέντος ὡς ἀπολυθέντος τὸ διπλȣ̃ν τ̃ αὐτῆς τιμῆς ὁ κατήγορος δίδωσι τῷ δεσπότῃ, καὶ ὑπόκειται τῷ ἐγκλήματι τ̃ συκοφαντείας.

Servi autem quæstionibus extorta confessio πρόκλησις dicta fuit, ait enim πρὸς Πανται ἐπειδὴ δ' ἧκομεν πρὸς τ̃ βασανιςὴν, ἀντὶ τȣ̃ τ̃ πρόκλησιν ἀνοίξας δεῖξαι τὰ γεγραμμένα, ut μαρτυρία liberi hominis jurata erat confessio, quæ duo Oratores, præcipue Demosth. probationis loco conjungunt. Deinde

cum testium dicta in judicio a scriba recitata erant, syngraphæ & alia instrumenta exhibebantur, quorum productio etiam πρόκλησις dicebatur. Tantam autem instrumenti liquidi, & confessi fuisse apud Athenienses authoritatem patet, quod non solum habebant paratam exsecutionem, sed quod de his nec judicium dabatur, nec etiam nisi κακοῦργους σοφιστὰς fidem his detrahere existimarunt, ut Demosthenes tradit *adversus Lacriti exceptionem*, ait enim: ὅσα μὲν γὰρ ἀμφισβητήσιμά ἐστι τῶν συμβολαίων, κρίσεως δεῖται... περὶ ὧν συγγραφαὶ κεῖνται ναυτικαὶ, τέλος ἔχειν ἅπαντες νομίζουσι, καὶ χρῆσθαι προσήκει τοῖς γεγραμμένοις.

Quod & legibus Romanis congruum est, ut si instrumenti fides in dubium non vocetur, quod adversus ejus scripturam testes interrogari non possint, ut Paulus *lib.* V. *de Testib.* ait. ac ut eleganter in *Basil. lib.* XXI. ἄγραφος μαρτυρία κατ' ἐγγράφου μαρτυρίας ἰσχύειν οὐ δύναται. Et tamen interpretes instrumenta in judicio producta testibus reprobari posse, *l. in exercendis C. Fide Instrumen.* & quidem duobus omni exceptione majoribus, etiamsi decem vel plures in eo inscripti sint, tradunt.

Tertio Oraculum Delphici Pythonis firmissima erat probatio in judicio, quod tamen Plato XI. Νόμων in factis clandestinis, quorum probatio difficilis est, præcipue admittendum esse præcipit: Ait enim, Qui depositum clam moverit vel abstulerit & ignoretur author, ἡ πόλις. εἰς Δέλφους πεμπέτω, ac quidquid Deus respondit eidem obtemperandum esse. Allegat autem probationis loco Demosthenes Oraculum, ac præcipue πρὸς Μακαρ. ubi id a scriba recitari jubet, legibusque Solonis simile facit, cum tamen teste Plutarcho idem Demosthenes προφάσεις τῆς δειλίας vocavit Oraculum, nisi ratione acuta inspiciantur & explicentur. Consultum autem Oraculum allegabatur in judicio in dubiis factis, quæ difficilis probationis fuerunt, ut cum de successione in bona defuncti quærebatur, uter litigantium proximus hæres esset, ut περὶ Αγν. κλήρ. aut cum controversia status alicui movebatur, essetne legitime natus necne, vel ad quem partus spectabat. Sed quam scite hæc probatio subsistat, colligitur ex Hermogene, qui ex Rhetorum Themate proponit consultum Apollinem ut diceret, an uxor gravida facta fuisset ex marito, vel ex patre mariti, qui ideo suspectus fuit, respondisse, τὸ γεννηθησόμενον φονέα ἔσεσθαι τοῦ πατρὸς, hoc est, *natum fore parricidam.* Caussa itaque ab oratoribus ita differendi arte perducta ad finem judicum partes sequebantur, quorum fuit caussæ cognitio. Ut autem sublata animorum perturbatione secundum præscripta legum judicarent, Solon judicibus legem tulit, quam περὶ στεφ. Demosth. recenset. τὸ ὁμοίως ἀμφοῖν ἀκροᾶσθαι, quod Demosthenes explicat, Ut judices ἴσην εὔνοιαν seu *æqualem benevolentiam* actori & reo exhibeant, ac ut reis permittant uti defensione & ordine, καὶ πρὸς τοὺς θεοὺς εὐσέβειαν φυλάττοντες, seu *pietatem colant.* Ut tamen fidei hæc præcellentis integritas omnibus pateret, ac a suspicione doli apud quosvis excusarentur, ex instituto Solonis judicibus his in caussa qualibet pronunciare non licuit, nisi prius juramentum solemniter præstiterant: id enim ex Demosth. ubivis patet. Jurabant autem se de causa ipsa pronunciaturos, quæ actione continebatur, non quod litigantes petebant, ut κατὰ Στεφ. μαρτ. ait, ac secundum leges scriptas, de quibus vero rebus non exstet lex scripta, γνώμῃ δικαιοτάτῃ, seu *ex æquo bono* se judicaturos, ut πρὸς Λεπτ. Demosthenes refert, qua notione juris naturalis sapiens antiquitas in judiciis ad dirimendas controversias multum usa est, cum multis casibus leges non- A dum eo tempore scriptæ erant, quæ extensione aut restrictione per interpretationem ad similia trahuntur, eo quod æquitas hæc vicem juris scripti præstet, & ab æqualitate utrumque pendeat, propter quod & Dion Cassius eam *nomen speciosissimum & rem justissimam* appellat lib. LII. *Histor.*

CAP. XI.

De sententiis & earum exsecutione.

SUMMARIA.

B *Dice & Themis dicuntur præsidere judiciis.* Δίκη *ad judicium criminale, at* διαδικασία *ad civile refertur. Athenis dirimebant judices controversias calculari sententia, non tabulari. Sententia vocalis quando Athenis recepta. Ostracis quomodo condemnatio fiebat. Ostracismo qui relegantur. Aristophonta nonagies quinquies accusatus, tamen semper evasit. Cato quater & quadragies accusatus, & semper absolutus. In Areopago & Prytaneo reus aut condemnabatur aut absolvebatur. Arbitrium pœnæ quando condemnato propositum. Æqualitas* C *calculorum ampliationem sententiæ fecit. Thesmothetæ aliquando ex decreto præscripserunt formam agendi, quam in columna ænea insculptam publice proposuerunt. Adversus proditores non comparentes quomodo processum. Sententiæ sub quorum nomine edebantur. Pœna non probantis plene accusationem. Athenis Corona aurea decreta & aurea statua collocata est Hircano Judæo. Lacedæmonii cum Abrabamo familiaritatem habuerunt. Subscriptio sententiæ vim obsignationis habuit. A sententiis ex calculis receptis non licuit appellare.* Ἔφεσις καὶ ἔκκλητος *quid differant. Athenis nulla fuit appellatio ad Reges Macedoniæ. Tempus judicati faciundi. Actio* τῆς ἐξούλης *in debitorem quando dabatur.* D *Mulcta quanta irrogata. Magistratus Romanus jurisdictionem suam pœnali judicio defendit.*

VETUSTAS Græcorum sollicita cura & industria cognitionem criminum suscepit, ut pœnas pro æquabilitate delicti a malefactoribus exposceret, cujus gratia Dicen & Themida præsidere judiciis docuit, ut & δίκην ad Judicium criminale, διαδικασίαν vero civile, teste Ulpiano in Τιμοκρ. transtulerit. Et Athenis præcipue Judices curiarum, uti & postea Romæ, si de salute aut capite in judiciis controversia alicui mota fuerat, eo omnem animi aciem adverterunt E ut ἰσονομίαν in suffragiis & calculis ferendis præstarent, & si crimen minus exacte probatum exstaret ut condemnationis notam per Ampliationem differrent. Quare in sententiis ferendis ut suspicionem favoris & odii evitarent, caussa cognita, fabis seu τοῖς κυάμοις utebantur, quibus in urnam conjectis reum aut condemnabant, aut absolvebant, aut damnationem ejus differebant, qui calculi videri non poterant, ut & ideo Æschines *contra Ctesiph.* Judices ψῆφον ἀφανῆ φέρειν, & Demosth. *in Mid.* Areopagitas κύβδην ψηφίζεσθαι dixerit, cum non vocalem sed tabularem aut F calcularem sententiam ferre consueverint. Ordine itaque Judicibus consedentibus in curia & præstito juramento, dabantur singulis in manu βακτηρία καὶ συμβόλαιον, ut *pro Ctesiponte* ait Demosthenes, quibus imperii & Jurisdictionis exercendæ potestate se armatos esse intelligebant, ac fabis conjectis in urnam de capite & bonis rei delati aut accusati id quod legibus & rationi congruebat statuere sibi liceret. In comitiis vero & aliis conventibus cum de reipublicæ statu aut honoribus decernendis de hac benemeritis consultabatur, sententiam suam quisque quid ex re fore judicabat dilucida voce declarare compellebatur, cujus gratia etiam Tabellæ, quas σανίδας vocarunt,

publice in loco conventus affixæ erant deliberationis capita continentes, quibus bona fide consilium conferendum fuit. Ut Ulpianus *in* I. *Philippicam* ait.

Dabatur autem Judicibus Prytaneis & Areopagitis præcipue κύαμος in manu, cum in Heliastico Judicio, si relegationis nota cuipiam infligenda erat, τὰ ὄστρακα porrigebantur, quibus accusati nomen per notas inscribebatur, & cujus plures erant testæ in urnam conjectæ, is de curiæ sententia ab aris focisque projectus, spatio quindecim aut decem annorum ad Argivos relegabatur, ut Alexander ab Alexandro refert. Quæ pœna cum irrogabatur nobilioribus tantum, quorum propter virtutem authoritas suspecta fuit, ut quod ob Reipublicæ præclara merita, quæ in eam contulerant, civium animos in se converterant, non ex ratione seu legibus, sed malevolentia affectuum, qua viri clarissimi præter meritum injuste ab improbis affecti, profecta est, ut & ad tesserarum multitudinem a vulgo imperito conjectarum Aristides, Themistocles & alii hoc Ostracismo in exilium acti sint, ac vere dixerit Anacharsis, sapientes in concilio hoc dicere sententiam, stultos vero dijudicare tantum. Ex quo id quoque evenit, quod multi quidem rei peracti, pauci vero pœnæ adjudicati sunt, uti & Æschines *in Demosth.* ait: Athenis Aristophonta nonagies quinquies accusatum semper evasisse: quemadmodum & Plinius *lib.* VII. refert, Catonem Romæ quater & quadragies accusatum & caussam dixisse, verum semper absolutum fuisse, cum in Areopago & Prytaneo μετὰ λόγου καὶ ψήφου reus aut condemnabatur aut absolvebatur, ut Demosthenes refert. Illud tamen receptum erat in Judiciis, si ex crimine quod pœnam capitalem non afferebat, reus condemnatus erat calculis, quod eidem arbitrium permissum fuit eligendi pœnam dictam, vel eam quam se commeruisse fateretur, unde & arbitrium in noxali actione apud Romanos profectum est, ut Dominus a Judice interrogaretur, an servum noxæ dedere vel litis æstimationem præstare velit, *Instit. de noxali act.* Alias vero sine arbitrio pura sententia concipiebatur in caussis capitalibus, quæ pœnam ingerebat corpori ex conjectis calculis, quibus reus condemnabatur aut absolvebatur. Etsi enim Judices cum pares numeri sententiæ erant præponebant absolutionem condemnationi: Tamen in atrocioribus criminibus quæ vitam adimebant, si aliquando ἰσοψηφία horum deprehendebatur, neuter absolvebatur nec condemnabatur, ait enim Ulpianus *in Timocr.* ἴσων γενομένων τῶν ψήφων, ἐξ ἴσης ἀπέλθωσιν οἱ δικαζόμενοι, hoc est, *quando pares erant calculi, æqualiter litigantes discedebant*, ac magis ampliationis quam comperendinationis prætextu sententiam ad aliam ætatem judicum transtulerunt. Unum autem calculum seu fabam vel testam conjicere in urnam Judicibus permissum fuit, uti & in comitiis cum magistratus eligebatur duabus uti tabulis sub pœna mortis edictum erat, τὸ δυοῖν πινακίοιν τὸν ἕνα κληροῦσθαι, τί ἄλλο ἐστὶν; εἶτ᾽ ἐφ᾽ ᾧ θάνατον ζημίαν ὁ νόμος λέγει, ut Demosthenes πρὸς Βοιωτ. ait.

Etsi quoque Thesmothetæ, ut dictum est, actores & reos introducebant, ut Oratores horum in consessu Judicum caussæ patrocinia tractarent ad præscriptos aquæ diffluentis terminos: Tamen interdum in popularibus Judiciis præcipue cum proditionis civis Atheniensis delatus & accusatus erat alia ratio observata fuit, quod nimirum Thesmothetæ ex decreto formam procedendi in Judicio præscripserunt, eamque in columna ænea seu τῇ στήλῃ λιθίνῃ, ut *in Neæram* Demosthenes ait, insculptam publice proposuerunt, nec defensionis partes oratori ut nomine ejus in foro ageret permiserunt, sed reus præsentiæ copiam exhibere tenebatur, eo quod oratoribus adhibitis crimina exitiosa in Rempublicam commissa plerunque extenuentur, ut patet ex decreto quod contra Antiphontem Rhetorem teste Plutarcho in *Vita* x. *Rhet.* promulgatum est. Præterea iidem aut socii criminis si vocati non comparuerunt, forma proscriptionis hac notabantur: τὰ χρήματα δημόσια εἶναι, καὶ τῆς θεοῦ τὸ ἐπιδέκατον. καὶ τὰς οἰκείας κατασκάψαι αὐτῶν, καὶ ὅρους θεῖναι οἰκοπέδοιν. ἐπιγράψαντι, μὴ ἐξεῖναι ταφῆναι Ἀθήνησιν, καὶ ἄτιμον εἶναι, hoc est, *bona quod hujus sint applicanda fisco; ex quibus decima pars Deæ Minervæ adjudicetur; & ejus domus funditus per suffossionem diruatur; ac sepimento in ambitu claudatur, addita inscriptione: Ne is Athenis sepeliatur, sed infamis sit.*

Sententiæ autem in caussis privatorum latæ ex numero calculorum facile colligebantur, & raro scripto comprehendebantur. Eæ vero quæ in publicis judiciis ferebantur, quamvis ex calculorum quantitate & qualitate concipiebantur, tamen scripto plerumque edebantur, aut æneæ columnæ inscribebantur, ut ab omnibus legendi eas facultas esse posset. Concipiebantur autem sententiæ sub nomine τοῦ ἄρχοντος seu prætoris & tribus Prytaneusæ, quæ pro tempore diei Jurisdictioni præfuit, cujus formam Demosthenes recenset. Videlicet, ἐπὶ ἄρχοντος Πολυκλέους, μηνὸς βοηδρομιῶνος ἕκτῃ ἐπὶ δέκα, φυλῆς πρυτανευούσης Ἱπποθοωντίδος.... ἀπήνεγκε παρανόμων γραφὴν Δημοσθένει Πατροκλῆς Φλυεύς. καὶ τὸ πέμπτον μέρος τῶν ψήφων οὐ λαβὼν, ἀπέτισε τὰς πεντακοσίας δραχμάς. hoc est, *Præside Polycle, die decima sexta Augusti, assidente Prytaneusa Tribu Hippothoontide, Patroclus Phlyensis contra Demosthenem actionem violatarum legum instituit; & cum Patroclus quintam partem calculorum in Judicio non habuit, solvere quingentas drachmas condemnetur.* Pœna enim lege lata erat ei qui accusatione instituta contra quempiam quintam partem calculorum a Judicibus non obtinuerat; ut is in mille drachmas ærario solvendas condemnaretur, ut ex *Theocrine* Demosthenis videre licet. Sub nomine quoque Pontificis promulgata fuisse aliquando decreta patet, quod ex rescripto, cujus meminit Josephus lib. XIV. *Antiqu. Jud.* cernitur, quo a populo Atheniensi Hircanum tertium regem Judæorum corona aurea honorandum, ac in templo gratiarum eidem auream statuam esse collocandam decretum est: quod tamen existimo circa Demetrii & Antigoni tempora primo factum fuisse, qui propter merita singularia in Rempublicam Atheniensem, quam ex servitute in libertatem vindicarant, non solum regis nomen (quod competebat tantum his qui Philippo & Alexandro successerant) adepti erant, sed etiam Deos & Sacerdotes Atheniensium vocandos edictum erat, quorum nomina etiam in omnibus decretis & scriptis præposuerunt, ut Plutarchus in *Vita Demetrii* refert: Uti & Lacedæmonii sub regis nomine edicta & rescripta sua exposuerunt, quod & patet ex eo cujus Josephus lib. XII. *Antiq.* meminit: *Rex Lacedæmoniorum Arius Oniæ salutem: Legentes scripturam antiquam, invenimus ex uno genere Judæos & Lacedæmones extitisse, & familiaritatem cum Abrahamo socialiter habuisse. Justum est ergo ut fratres existentes transmittatis ad nos, & petatis quæ vobis necessaria judicatis, faciemus nos & idem.*

Sententiis quoque & rescriptis ἄρχων Atheniensis subscripsit, quæ subscriptio vim habebat signaculi Minervæ, uti & regis Lacedæmonii subscriptio præstabat signum Aquilæ unguibus Draconem deportantis, quo signaculo literas Lacedæmoniorum ad Judæos communitas fuisse Joseph.

A refert, uti & inde Romani postea subscriptione pro subsignatione usi sunt, *l. subsignatum ff. de verb. sign.* Sententias autem ex calculis conceptas scriba in loco Judicii inferiore constitutus publice recitabat, a quibus appellare non licuit ad aliud forum, præcipue quæ in Prytaneo, Heliæa, & Areopago publicabantur. Quamvis enim translatio caussarum a foro ad aliud forum deprehenditur Athenis observata, quam ἔφεσιν Demosth. vocat, quo nomine & is Orationem inscripsit, qualem fuisse hanc formam ex Quintiliano *lib.* XI. traditur, cum caussa agebatur Romæ apud alios Judices, aut in secunda assertione aut in centum viralibus duplicibus: B tamen id in foris inferioribus, utputa Trigono, Parabysto, & aliis permissum fuisse tantum consentaneum est, aut tantum fuit Ephesis, quæ definitur a Polluce μετάβασις ἀπὸ τῶν διαιτητῶν εἰς τοὺς δικαστὰς, seu *Translatio caussæ ab arbitris ad Judices Ordinarios:* ne tamen caussæ cognitio extra urbis territorium vel Jurisdictionem ad superiorem magistratum deduceretur, sed apud Judices superiores urbis cognosceretur, a quo ἔκκλητος, quam Cælius *lib.* IX. τῇ ἐφέσει similem esse arbitratur, olim differebat, quamvis nec hodie hæc distinguantur, ut ex *Basilicis* patet. Etsi enim Macedonum regibus præcipue Philippo & Alexandro Atheni- C enses multum terra marique parere tandem coacti fuerint, Jurisdictionis potestatem tamen in eos tantam non habuerunt, ut provocationis, appellationis, aut querelæ via sententiæ aut decreta extra urbem & territorium ad horum tribunalia deferrentur, uti nec in Judicio Amphictyonum a sententiis latis ad idem Tribunal Regum appellabatur.

Vis autem sententiæ in caussis privatorum a tempore certo pendebat, ut reus omne id actori præstaret in quod condemnatum erat intra certum tempus, hoc enim τὴν καταδίκην ἐκτίνειν κατὰ χρόνον τὸν ὡρισμένον, Ulpianus in *Midiana* vocat, seu ut Budæus explicat in Epistola τὸ κριθὲν ἐκπληρῶσαι, D quod tempus Judicati faciundi præscribere Judicibus fuit arbitrarium. Cum vero legibus XII. Tabularum triginta dies, qui *justi* appellantur, teste Gellio, & spatium benignitatis continent, Judicato in personalibus actionibus præscriptum erat, consentaneum est, id præstitutum fuisse quoque tempus Athenis, ut debitor intra hoc satisfaceret creditori. Si itaque intra has præfinitas seu προθεσμίας ἡμέρας non solvebat, dicebatur ὄφλων δίκην, quod in eum exsecutio publice paranda fuit. Illud autem receptum fuit in ea republica, si Judiciali tempori debitor ex quacunque caussa civili condemnatus non parebat, solvendo videlicet omne E id in quod condemnatus erat, quod tunc publica in eum dabatur actio, quæ dicta fuit δίκη ἐξούλης, ait enim Demosth. in *Midiana*. τί γὰρ δήποτε, ἄν τις ὄφλων δίκην μὴ ἐκτίσῃ, οὐκ ἐποίησεν ὁ νόμος τὴν ἐξούλης ἰδίαν, ἀλλὰ προστιμᾶς ἐπέταξε τῷ δημοσίῳ. Quæ accusatio noscebatur ex contumacia rei condemnati, quod Jus dicenti non obtemperavit intra præstitutum tempus, & nervus fuit obtinendæ exsecutionis, cum interdum multa graviore interdum pœna exilii hoc Judicio τῆς ἐξούλης contumaces afficiebantur. Nec tantum in τοὺς ὄφλοντας ἀλλὰ καὶ φεύγοντας τὴν δίκην, id est, *latitantes debitores* F hæc publica accusatio dabatur, ut ait Demost. κατ' Ονητορ. Mulcta autem irrogata quanta fuerit id certo non constat, nisi quod colligitur duplum summæ, in quam debitor condemnatus erat, interdum fuisse, ex Orat. *in Neæram*, cum præter hanc creditoribus satisfacere ex crediti caussa etiam debitor compellebatur; ideoque Ulpianus δημόσιον τὸ τίμημα a debito discernit. Hoc quoque Magistratus Romanus postea secutus est, qui secundum Jus potestatis Jurisdictionem suam pœnali judicio descendit, & contumaciam non parentis mulcta coercet *l. 1. ff. si quis Jus dicent.*

CAP. XII.

De pœna falso accusantium, & Reorum ex criminibus condemnatorum.

SUMMARIA.

Pœna deserentis accusationem quæ. Sycophantæ qui fuerint. Sycophantarum conditio plebi exosa. Oratores quinam Sycophantæ dicti. Sycophantarum præmium quale. Sycophantas sustulerunt Titus, Domitianus, Trajanus. Emtio vexationis & calumniæ exterminata Sycophantæ notio. Athenis quando accusator in calumniæ pœnam incidebat. Pœna accusatoris non obtinentis quintam partem calculorum. Accusatore non probante accusationem, non semper incidit in pœnam Sycophantæ. Abolitio generalis est vel specialis. Sycophantæ pœnam exasperavit Antoninus Imper. In accusatore & reo dispar probationis ratio. Pœnarum genera duo: Unum commonitionis, alterum animadversionis. Athenienses lenioribus pœnis usi sunt. In Græcia summum supplicium fuit crucifixio. Rotæ & Restis supplicium. Ob professionem fidei in Christum varia tormenta exercita. Athenienses Rotæ & Restis supplicium improbarunt. Veneni haustus Atheniensium summum supplicium. Veneno interficiebantur Athenis seditiosi, &c. Prothagoras relegatus. Anaxagoras in carcerem conjectus. Condemnati ad veneni haustum, venenum suo pretio emere tenebantur. Pœnæ medii generis quæ. Interdictio aquæ & ignis cur deportationi similis. Pœnæ minimi generis quæ. Ostracismus exilii genus a Clisthene constitutum. Exilii hujus finis fuit Hyperbole. Exilium annuum quibus irrogatum. Mulcta pecuniaria Athenis plerunque exacta. Romani uti gladio, ita Athenienses veneno sontes interemerunt. Manus quæ deliquit abscindebatur. Ex bonis patris proscripti alimenta præstabantur liberis. Leges vero Romanæ filios omnino a bonis paternis arcent, & quare. Mulieres gravidæ non condemnatæ Athenis.

LEGE Atheniensi constitutum erat, ut Ulp. *in Mid.* refert, τοῖς ψευδῆ γραφὴν ἐνστησαμένοις ἐπιτεθεῖσαν ἀτιμίαν προσεῖναι, hoc est, *si quis falsam inscripserit accusationem aut eidem sese subscripserit notandum esse infamia*: & ut ibidem, ὁ μὴ ἐπεξελθὼν τῇ γραφῇ ἑαυτοῦ κατέγνω, hoc est, *quicunque non accusationem suam institutam prosequitur se ipsum* E *reum facit*, & reum sycophantiæ peragit. Cum enim Athenis sub capitali pœna edictum erat, ut ne nemo civium Atheniensium alio frumentum adveheret quam in Atticum Mercatum, ut Demosthenes *adversus Phorm.* refert, Sycophantæ ad hoc a Magistratu constituti fuerunt, qui ut antea ficus, ita post sub pactione certæ mercedis exportantes frumenta observabant, & committentes in legem Magistratus plerunque pro libidine deferebant, quorum conditio plebi tandem exosa fuit. Ut itaque hi animo mercedis captandæ conducti erant, quo delinquentes in Legem denunciarent: ita & propter similitudinem ejusdem negotii Athenis Oratores quidam forenses Sycophantæ dicti sunt, qui frustratoriis cavillationibus fraudem Legibus publicis faciebant, easque ad studia & cupiditates improborum clientum lucrifaciendi causa accommodabant. Præterea ut criminum vindicta publice extaret consilio Magistratus præmia constituta fuerunt his Sycophantis seu delatoribus, qui facinorosos jure publico accusarent, quod & Romanos imitatos fuisse colligitur *ex l. 2. D. de jur. fisc.* Præmium autem quod dabatur delatori-

bus, ut ex lib. II. Frontini *de Aquæduct.* cernitur, fuit dimidia pars bonorum ejus qua condemnabatur is qui in S. C. Syllianum inciderat. Et Tacitus *lib.* IV. accusatori repetundarum quartam bonorum partem rei condemnati adjudicatam fuisse judicat, quam tamen improbitatem ex sceleribus admissis lucri captandi gratia Imperatores postea exterminarunt, ac Titus, Domitianus & Trajanus Sycophantas sustulerunt, ut Tranquil. & Xiphilinus in *Vita Titi* referunt. Similiter ex licentia hac deferendi delinquentes id etiam evenit, quod hi insatiabili quæstus cupiditate flagrantes, lites alienas emptionis specie ad se transtulerunt, quod vitium Romam post penitus irrepsit, ut non sine justa causa Imperatores eam emptionem vexationis & calumniæ, quæ ἐργολαβία honesto juris prætextu dicebatur, atque sub pactione quotæ litis fiebat, foro exterminarunt, *L. Litem C. de Procurat.* Vere enim Ulp. *in Orat.* περὶ στεφ. Sycophantæ notionem attingit, dum inquit: συκοφάντης οὐχ ὁ ψευδόμενος μόνον, ἀλλὰ καὶ ὁ πολυπραγμονῶν τὰ μὴ προσήκοντα, καὶ λέγων πονηρά. Et idem Demosth. *in Phoreos* discernit a veris accusatoribus, quorum hi τῶν ἐγκλημάτων καταπαύειν, ἀλλὰ παραχρῆμα ἀμφισβητεῖν, illi vero ὕστερον ἀντιδικεῖν solere refert: quos calumniatores Ecloga Basil. vocat προδότας τὰ ἀληθῆ ἐγκλήματα κρύπτοντες, quod prævaricatoribus convenit. Ne igitur quispiam per calumniam alicui criminis quæstionem moveret, pœna calumniatoris a Solone introducta est Athenis, qua si temere crimen intentatum fuisse probaretur, vel accusator in probatione hujus succumbebat, se ipsum condemnabat. Duo enim in accusatore, ut calumniæ pœnam vitaret, requirebantur, ut Demosth. *in Neæram* tradit ἐξετασθῆναι καὶ ἐξελεγχθῆναι τὴν πονρίαν, hoc est, deferre vel accusare reum apud Thesmothetas, eumque sufficienti & plena probatione reum peragere. Et ideo si accusatio ab hoc fuerat instituta, sed is crimen non probasset, Sycophantiæ condemnabatur. Præterea ut a Solone omnino coerceretur rabies improborum accusatorum, ne odii quadam immanitate aut quæstus cupiditate excitati temere innocentes deferrent, aut delicta juris prætextu eis affingerent: non solum pœnam Sycophantiæ constituit his qui probationibus omnino succumbebant, sed etiam qui intentionem suam non plene probarant, & in urna judiciali quintam partem calculorum a Judicibus missam non obtinuerant, his enim pœna fuit teste *Ulp. in Theo.* promulgata, videlicet χιλίας ἐκτίνειν τῷ δημοσίῳ, hoc est, *ut mille drachmas fisco solverent*, quas nisi solvissent, ad accusandum & in foro agendum imposterum nunquam admittebantur, seu ut ait τοῖς ὀφείλουσι μὴ ἐξεῖναι λέγειν. Sed Romani hoc calumniæ crimen, quod Græci in *Basilicis* συκοφαντίαν appellant, exactius distinxerunt, nec more Atheniensium accusatorem calumniæ condemnarunt, qui crimen deductum in Judicium non probavit, aut accusationem irritam proposuit, cum reo absoluto ab accusatione accusator non semper, ideo quod nihil probavit, calumniator habeatur, *l. 3. C. calumniam.* & ut Græci *in Basil. titu. eod.* πάντως συκοφάντης ἐστὶν ὁ μὴ ἀποδεικνὺς ὅπερ κατηγόρησεν. Accusator enim etsi hoc jure accusationem suam prosequi tenetur, & si eam deserat negligentia quadam, nec intra tempus legitimum accusatum reum peragit, vel animo ab ea desistit, quod in pœnam legis Petroniæ & S. C. Turpilian. incidat, si in crimen se subscripserit: Tamen per abolitionem aut specialem aut generalem etiam ex justa causa veniam omittendæ accusationis impetrare potest, cum reus quoque invitus numero reorum eximi potest, alias si non ea fuerit impetrata a Judice, in accusatorem hunc tanquam calumniosissimum caput Judicium irritæ delationis detur, *l. nost. C. calum.* uti & olim ex lege Rhemnia hoc crimine reis peractis litera K. fronti inurebatur, quæ litera infamis inustio post infamiæ inustionem commutata est, seu in detrimentum existimationis, *l. qui non probasset C. eod.* ac tandem ad similitudinem supplicii traducta est, *l. ult. C. eod.* Præcipue autem Imperator Antoninus Sycophantiæ pœnam exasperavit in eos qui Christianos eo nomine quod pietatem & leges Christi observarent sub prætextu maleficii detulerunt, videl. ut ignis pœna submoverentur hi delatores, teste Justino Martyre *in Orat. ad Ant.* ubi recitat constitutionem hujus: Consulens statuo ne cui hominem quod Christianus sit accusare, aut deferre liceat, si quispiam autem inveniatur, eum delatorem vivum comburi volo. Quam constitutionem missam ex bello Romam confirmari S. C. & in foro Trajano publice proponi mandavit. Exemplo itaque Atheniensium Romani Imperatores Sycophantas pœnis gravissimis subjecerunt; uti & Solon Athenis cum collapsam Rempublicam reparavit, his fidem non esse habendam publice edixit, quam legem Solonis πρῶτον ἄξονα fuisse Plutarchus refert. Accusatorem vero calumniæ crimine vacare omnino voluerunt leges, ac ut probationibus luce meridiana clarioribus intentionem suam probaret, quæ probatio clara ad fidem de innocentia faciendam non exigitur a reo, cum dispar ratio probationis in accusatore & reo servanda sit, ut reus hac nimium non gravari debeat, *L. frustra C. probat.* seu ut Græci *ibidem* ajunt: ὁ ἐναγόμενος οὐκ ἀποδείξεσιν βαρεῖται.

Rei vero confessi aut probatione condemnati pro qualitate facinoris commissi pœnis subjiciebantur: Pœnarum autem genera Plato in *Gorgia* duo tradit, unum commotionis, ut is qui punitur ipsa pœna excitetur quo se ad frugem meliorem recipiat, fiatque tantum causa delinquentis, ut correctus melior evadat cujus gratia mulcta & lenis correctio introducta est. Alterum est κόλασις seu animadversio quæ non fit causa delinquentis, sed Reipublicæ in quam crimen commissum est, ideo ut exemplo vindictæ proposito alii a maleficiis committendis absterreantur, & ita Eusebius apud Stobæum vere dixit, eos qui primum mortis pœnam delictis constituerunt, non ceu malum aliquod sontibus imposuisse, sed tanquam ultimum medicamenti loco his qui a malitia absolvi non possunt, cum Respublica horum delictis graviter læsa sit, seu ut ait ὡς ἔσχατον ἐν φαρμάκοις λόγῳ καὶ τῶν οὐ δυναμένων γὰρ κακίας ἐλευθερωθῆναι. Quamvis autem in Græcia crudelia & multiplicia genera suppliciorum fuerunt recepta, quibus submovebantur e vita sontes, eaque maxima parte a Persis acceperunt, Athenienses tamen humanitate & lenitate pœnæ in delictis capitalibus usi sunt, ut & populo Atheniensi Draco propter asperitatem supplicii, quam in eorum Rempublicam introduxerat, præcipue quod furti cujuscunque crimen capitale fecerat, exosus fuerat, eumque tandem urbe ejectum Æginæ exulare coegerunt, ubi cum in theatro a populo præfocatus erat, petasos ac vestes suas in eum conjecerunt. Summum enim supplicium fuit in Græcia crucifixio, recepta etiam eo tempore cum in Provinciam Romanorum redacta erat, quæ fiebat variis modis, ut Seneca ait, cum aut converso capite in terram seditionis rei suspendebantur, aut per obscœna in stipitem agebantur, aut brachia patibulo explicabantur.

Deinde rotæ & restis supplicium ibidem usitatum fuit, ut patet ex Luciani epistola *ad Stesichor.* quod & Alexander ab Alexandro *lib.* III.

refert. Nec ullo tempore tamen horum suppliciorum cruentior fuit agitatio apud Græcos, quam cum Religio Christi Salvatoris nasci & publicari cœpta est in Romano Imperio, ob quam fidei professionem nullum tormenti aut supplicii genus in Christianos intentatum reliquerunt Pagani vel Gentiles, quos Ecclesiast. scriptores Ἕλληνες vocant, ut & Præses Græciæ Arrius, teste Tertulliano *ad Scapulam*, Christianis sponte offerentibus sese ad supplicium dixerit: ὦ δῦλοι, εἰ θέλετε ἀποθνήσκειν τροχὺς καὶ κρημνὺς ἔχετε. Ac cruentum supplicii genus hoc τρόχος receptum erat, quo & D. Patechmonis membra contrita & comminuta fuerunt: similiter & βροχος, βόθρος, πῦρ ψῆφος, quæ pœnarum genera summa D. Basilius *in Orat.* XL. Martyrum quibus gloriose affecti sunt recenset. Athenienses vero ea diritate supplicii in noxiis tollendis non usi sunt, sed lenitate quadam vindictæ eos submoverunt e vita, ac βροχῶσιν aut resti necarentur facinorosi improbarunt, ideo quod præpostere noxii præcluso spiritu cui quæritur exitus, commoriantur. ut Plinius ait, & Cælius *lib.* VI. Ad Rotæ quoque supplicium nec quempiam Athenis condemnatum fuisse reperitur. Etsi enim Demosthenes meminit III. *in Aphobum*, servum τ̃ Μιλύαν ἐπὶ τῶ τροχῶ στρεβλῶσθαι. & Aristophanes *Pluto*, Act. IV. Sc. III.

Ἐπὶ τῶ τροχῶ γὰρ δεῖ σ' ἐκεῖ στρεβλώμενον.
Εἰπεῖν ἃ πεπανούργηκας ——

tamen id Cicerone teste V. *Tuscul.* de Tormenti genere intelligitur, cui suspecti criminis ad eruendam veritatem imponebantur, uti & Phocionis malevoli decreto Agonidis lato Athenis id deesse contendebant, non prius esse Phociona necandum quam tormentis esset confectus, & præcipue antequam Rota induceretur, ac cum flagris cæderetur, quod tormenti genus secretioris consilii exquirendi gratia mortis pœnam præcedebat. Non enim quæstionis habendæ gratia quempiam esse condemnandum legibus convenit, ut & bene scripsit D. Adrianus *l. quæstio ff. quæst.* seu ut in *Basil.* extat ὐδένα χρὴ καταδικάζεσθαι ὑπὸ τῆς δυνηρῶς βασανίζεσθαι, eo quod quæstio eruendæ veritatis non puniendi gratia habetur, ut nec perpetuo carceri reus damnari debet, ideo quod carcer custodiæ non pœnæ causa adinventus est, *l. aut damnum*, *§. solent & præsides*, *ff. de pœnis*, uti nec verberibus, virgis & Tormentis sontes necari debent, *§. hostes d. l.*

Summum autem & usitatum supplicium capitis Athenis, quod reis decernebatur, erat veneni haustus, quam pœnam etiam capitis vocat Plutarch. in *Vita Phoc.* uti & capitalis pœna Romanis mortem vel amissionem civitatis continet, *l. licet capita D. de verb. sign.* vel κεφαλικὰ θάνατον δηλῦσι καὶ πολιτείας ἔκπτωσιν. Sed tamen hanc pœnam tollendi veneno facinorosos Romani postea non admiserunt, *§. proinde d. leg. aut damnum*. Veneno autem necabantur Athenis seditiosi, proditores Reipublicæ & qui impietatis rei peracti erant, quo nomine accusati & condemnati fuerunt Socrates, Phocion, Nicocles, Hegemon, & alii; quamvis sæpe condemnatis τ̃ ἀσεβείας pœna mitigata fuit, ut quod Prothagoram hoc crimine accusatum & condemnatum relegarint, Anaxagoram in carcerem conjecerint, qui tamen intercessione Periclis postea ex eo liberatus est. Illud autem ab humanitate Attica alienum fuit, quod condemnati ad veneni haustum unciam veneni præparati XII. drachmis venalem suo pretio emere cogebantur, ut & Phocion, cum Nicocles & alii socii condemnationis ab eo precibus impetrant, ut intritum & infusum poculo venenum primo ebiberent, idque ab his exhaustum carnifex Phociona suo pretio supplere jusserat, vere dixerit, Plutarcho teste, *Athenis gratis emori nemini licere*.

Medii generis supplicia fuerunt expulsio a sacris & foro seu εἴργεσθαι χερνίβων, σπονδῶν, κρατήρων ἱερῶν, καὶ ἀγορᾶς, quæ pœna a Dracone constituta erat, ut Demosthenes πρὸς Λέπτιν. refert, quod interdictionem aquæ & ignis Romani postea appellarunt, in cujus locum, teste Dione, deportationem in Insulam Augustus introduxit, ita tamen ut non sit libera vagandi potestas, quæ interdictis aqua & igni competebat, cum Insulæ alligabantur condemnati. Deportatio autem hæc interdictionis aquæ & ignis figura & umbra quædam fuit, cum interdicti hi non erant proprie ἐπήλυδες, eo quod in urbe commorari eis licuit, ita tamen ut ab ignis & aquæ usu prorsus excluderentur. Cum vero his duobus elementis carere non poterant, in aliam civitatem sese recipere compellebantur, quo discessu jus civitatis amiserunt, ideo quod duarum civitatum civis Romanus esse lege prohibebatur. Deinde Demosth. κατὰ Μειδ. pœnam ἀειφυγίας, id est, *exilii perpetui*, ponit cum interdictione omnium locorum, cui & δήμευσιν τῶν ὑπαρχόντων, ut vocat, addit, id est, *publicationem omnium bonorum*.

Minimi generis pœna fuit Ostracismus, exilii genus a Clisthene Atheniensi primo constitutum, qui eo ipso quoque condemnatus est, ut Ælianus ait, *lib.* XIII. *cap.* XXIV. Præcipue autem Illustres natalibus, quorum virtus suspecta fuit ad captandum favorem populi, hoc exilii genere notabantur, & ut Plutarchus ait, quod invidiæ magis solatium quam timoris remedium fuerit, eo quod non infligebatur ob delictum aliquod, sed ambitionis suspitionem. Exules autem hi περιωρισμένοι habebantur, & ceu vinculo Insulæ alligabantur, cum interdum decem aut quindecim annos Argivis ab urbe exulare cogebantur, cujus exilii finis fuit in Hyperbolo, qui ultimus hoc exilii genere notatus. Huic proximum fuit ἀπενιαυτισμός, seu *annuum exilium*, quod irrogabatur his qui præter voluntatem seu ἀκουσίως homicidium commiserant, ut Demosth. πρὸς Ναυσιμαχ. & κατὰ Μειδ. ait, quæ pœna tamen remittebatur, si consanguinei interempti exorari poterant, quam obtentam deprecationem vocarunt αἴδεσιν, ut in *Midiana* Demosthenes refert, qua etiam tempus lege definitum. quod erat annuum, abbreviari poterat.

Mulcta vero seu pecuniaria pœna, quam τίμημα vocat Demosthenes, præcipue Atheniensibus recepta erat, quod ex Platonis legibus profectum erat, qui dum crudelitatem in suppliciis irrogandis evitandam esse præcipit, singulis delictis denarii mulctam constituit, ut pro crimine quolibet decuplum nomine pœnæ reus penderet, quæ pro atrocibus delictis exolvendis fuit plerunque decem talenta, ut ex Demosthene patet, quod tamen Græci Rhetores differendo in Scholis non approbarunt, eo quod commutatione pœnæ corporalis in mulctam εἰσφορὰ καὶ λύσις νόμου eadem fiat, ut Hermogenes ait. Illud quoque observatum est Athenis, quam diu legibus Solonis Rempublicam administrari passi sint, quod a supplicii duritate noxiis inferendi sese cohibuerint, nec more vicinorum Græcorum in acerbitatem pœnarum naturæ calore quodam eruperint, cum ut Romani gladio ultore, quæ humanitatis pœna dicebatur, ita illi veneno sontes e medio sustulerunt. Cum vero a vestigiis & præscripto Solonis post civitas multum digressa fuerat, suppliciorum varietatem quandam crudam a Persis acceptam amplexa est, qua præcipue erga vicinos Græcos si quando ab eis defecerant, aut bello ab his devicti erant, usa est, ut quod Mytilenenses defecerant ab eis jugulo necavit, Æginetis captivis pollicem e ma-

nu dextra exciderit, ne hastam imposterum ferre possent, Samiis Atticum stigma nempe Noctuam fronti inusserit, ut Ælianus *lib.* II. *cap.* IX. refert. Quæ pœnæ a vulgo non sapientibus Atheniensibus constitutæ fuerunt, ait enim Ælianus, has pœnas Athenis & ab Atheniensibus esse decretas, ut averteret Pallas, Minerva & Jupiter. Hinc etiam id Athenis introductum erat, si quis manus violentas mortis causa sibi intulerat, quod eidem manus quæ facinus perpetrarat abscindebatur, ac separatim a corpore humo contegebatur, ut Cælius *lib* VI. refert.

Ex humanitatis fonte tamen horum constitutio emanavit, quod publicatis bonis ejus, qui grande crimen in Rempublicam commiserat, licet Reipublicæ ea omnia ciciderint in commissum: Tamen tantum ex his deducebatur quibus uxor & liberi ejus sese sustentare poterant, ait enim Demosthenes *in Aph.* οἱ Ἀθηναῖοι οὐδὲ τῶν εἰς αὐτοὺς ἁμαρτανόντων οὐ πάντα τὰ ὄντα ὀφείλοντες, ἀλλ᾽ ἢ γυναῖκας, ἢ παιδία αὐτῶν ἐλεήσαντες, μέρος τι κἀκείνοις ὑπέλιπον. Qua in re leges Romanæ fuerunt asperiores, quibus, licet ex mariti bonis propter perduellionis crimen fisco adjudicatis uxor habeat repetitionem dotis, tamen filios omnino a bonis paternis quæ fisco cesserunt, & alimentis præstandis arcet, ut vita sit his supplicium, mors vero solatium, *L. quisquis C. ad L. Jul. Majest.* idque ideo ut caritas filiorum parentes amiciores Reipublicæ redderet, ut Cicero *ad Brutum* scribit, ac a temeritate ausus quidquid hostiliter tentandi contra Principem & Rempublicam metu pœnæ quilibet absterreretur, qua de causa ad liberos quoque parentis delictum extendi placuit. Sic & in eo rationem rectam secuti sunt, quod, ut Ælianus scribit, mulierem veneficii postulatam morti non prius adjudicarunt antequam a partu liberata esset, addita causa τὸ ἀναίτιον βρέφος ἀναλύοντες τῆς καταδίκης, τὴν αἰτίαν μόνην ἐδικαίωσαν τῷ θανάτῳ, quod & antea Ægyptios observasse Diodorus Siculus refert: quam legem Ægyptiorum Plutarchus *de sera Numin. vind.* recenset: [illegible] ἔνοχον ἂν [illegible] θανάτῳ μέχρι τέκῃ φυλάττειν, quod tamen Claudius Imperator teste Dione *lib.* LVII. minime observavit, licet sanctio juris civilis non modo pœnam, sed nec quæstionem sumendam ab his constituerit, *l.* 3. *D. pœnis*.

CAP. XIII.

De Jurisdictione Scholarum Athenis.

SUMMARIA.

Scholarum gubernatio absque jurisdictione confici non potest. Scientia asserit quem ex servitute in libertatem. Musas servire facere, Scythica est crudelitas. Cynosarges schola antiquissima. Socrates utilius docuit quam septem Sapientes Græciæ. Socrates Philosophiam practicam antea ignotam aperuit. Socrates non publice, sed domi suæ & quidem gratis docuit. Vulgus quare Philosophos oderit. Mortuo Socrate Philosophi prius in publicum prodierunt. Socratis accusatores Melitus & Anytus qualiter condemnati. Socrates ærea imagine publice honoratus. Socrates præceptor Platonis. Academia a Platone populi consensu fundata. Philosophi jurisdictioni magistratus Politici exempti. Plato quid in Academia professus. Scholarum jurisdictio. Platonis discipulus Aristoteles. Platoni surrogatus Xenocrates. Aristoteles fundat Scholam quam vocavit περίπατον. *Athenis duæ sectæ Philosophorum. Aristoteles discessit Athenis Chalcidem, & quare. Aristoteli successit in peripato Theophrastus. Contentio inter magistratum & Philosophos Athenis. Philosophi nolebant esse sub jurisdictione magistratus civilis. Pompejus Philosophos Athenis & præmiis & singulari humanitate prosequutus est. Sophoclis lex incidit jurisdictionem Scholæ. Theophrastus urbe excessit, relicta Schola vacua. Sophocles ob excitatam a se descriptionem Scholæ, in quinque talenta condemnatus est. Sophoclis lex abrogata. Philosophis concessa jurisdictio & imperium. Leges Scholasticæ quales. Zenonis authoritas Athenis magna. Pentathli Philosophi qui dicti. Philosophis concessa potestas disponendi in testamentis suis de Scholis. Aristippus Athenis primo docuit pro mercede Philosophiam. Pretii exactio nimia multos tenuitate fortunæ coegit a proposito desistere. Huic avaritiæ Philosophorum consuluit D. Antoninus Pius, constitutis certis salariis professoribus.*

CUM literarum humaniorum doctrina Athenæ præ cæteris gentibus fulserint, summa animi attentione in id incubuerunt sapientes, ut loca publica constituerent, in quibus harum professio & exercitium tractaretur, quæ cum scholas appellarunt, sine Jurisdictione earum gubernationem & disciplinam confici non posse judicarunt, cum propter professionem scientiæ præclaræ, qua animi juvenum artibus liberalibus & moribus ingenuis imbuuntur ex servitute in libertatem asserantur, ut secundum rationis & legum præscripta decenter & honeste vivant. Quos assertores ingenuitatis & libertatis honoribus & præmiis rursus afficiendos esse statuerunt, cum Musas libertatis datrices compellere in servitutem ut servirent, plus quam Scythica sit crudelitas, ut Socrates ait. Ad quod & arridet Phavorinus, qui cum in consistorio Adriani Cæsaris Romæ causam immunitatis & Jurisdictionis agebat, dixit: ὁ διδάσκαλός μου [illegible] ἐκέλευσε λειτουργεῖν τῇ πατρίδι, ut Dion in *Vita Adriani* ait, ubi per præceptorem, qui noctu in somnis ei astiterat ac immunitate uti præceperat, Musam intelligit. Ut igitur monumenta studiorum Athenis apud Philosophos in omni genere scientiarum animi & corporis libertate delitescerent, quibus juventus Attica informata ad frugem præclaram se reciperet, scholas aperuerunt prudentes, quarum primam & antiquissimam fuisse Cynosarges colligitur ex Græcis, cum Plato in *Axiocho* & alibi hujus mentionem faciat. Fuit autem, teste Suida, hæc schola ceu βρεφοτροφεῖον non procul a porta civitatis constructa, in quam infantes expositi a matribus pudicitiæ prostratæ celandæ gratia recipiebantur & liberalibus studiis informabantur, quæ expositio infantum Athenis multum invaluerat contra morem Thebanorum, quibus sub pœna capitis ea interdicta erat, ut Ælianus refert.

Etsi autem Sapientes Græciæ, qui numero septem fuisse dicuntur, Athenæ & tota Græcia propter ingenii præclaram aciem & vitæ morumque continentiam religiose observavit; tamen plus commodi & utilitatis a Socrate in Rempublicam Atheniensem ejusque cives quam ab his collatam esse patet, eo quod Socrates primitus Philosophiæ Encyclopædiam professus est, ac præcipue eam partem quæ Ethica appellatur, sub qua & νομικὴ continetur, illustravit, sicque Philosophiam practicam antea ignotam aperuit, ut hominum animi & mores præceptis & legibus honestis in politiis gubernarentur, cujus certitudinem rationibus præclaris demonstravit, cum antea hi Sapientes animi omnem vim ad abstrusa & abscondita naturæ exquirenda quæ cœlo & aere & in terris gerebantur conjecerunt. Raro autem in Cynosarge ceu loco publico sed in domo sua Socratem docuisse Philosophiam colligitur, idque gratis,

gratis, nulla expetita mercede, cum opibus ac patrimonio alias multum valebat: qua de causa ejus tempore immunitas & jurisdictio Philosophorum Athenis angusta fuit, cum censuræ & imperii authoritas in literis penes ἄρχοντας & populum residebat. Et quamvis Socrates vulgi hanc censuram de Philosophis penitus improbabat, tamen eam vicio temporis obfirmatam evitare non potuit. Differit enim lib. VI. *de Repub.* quod vulgus nec philosophari, nec recte judicari possit, & ideo Philosophos necessario odisse, cum opinio & præceps judicium semper rationi resistat, cujus exemplar in accusatione & condemnatione ejusdem conspectum est. Etsi autem sublato Socrate, qui domi plerumque Philosophiam tractabat, studia literarum extinctum iri invidi hujus accusatores existimabant: tamen post ejus mortem Philosophi primum ex umbra & pulvere domestico in publicum prodierunt, quorum splendor & dignitas totam urbem perlustravit, ut omnium animos mira cupiditate cognoscendi artes in sese converterint, ut & Atheniensis populus criminis commissi in Socratem pœnitentia ductus, accusatores ejus, ut puta Melitum morte, Anytum & alios exilio condemnavit, Socratem vero tanquam innocuam Musam Atticam, & præclare de Republica meritum ænea imagine publice honorandum decrevit. Et cum apud Platonem grata recordatio Præceptoris Socratis consignata erat, ejusque præclaræ disputationes, quas literis conscripserat, apud eum depositæ erant, professionem Philosophiæ primo suscepit, ac ut conveniendi locus publicus esset a populo obtinuit, ut Academia in suburbano, ubi locus erat amœnus, sibi concederetur: quo impetrato scholam ibidem aperuit, eumque locum sanctum consecravit, ut nec in eo ridendi, nec levitatem ullam moribus & gestu ostendendi, nec injuriam aliquam exercendi facultas cuique discipulorum esset, ut Ælianus refert, nec etiam cuipiam nisi Philosophiæ studioso ingrediundi eam sit potestas.

Ac cum sancti habebantur Philosophiæ discipuli ex authoritate Pythagoræ jurisdictioni civili Magistratus urbani eos eximendos censuit, qua de causa & Ælianus Academiam χωρίον ἄβατον vocat. Cum itaque Plato populo erat gratissimus, ac ab eo mœroris levandi gratia quem ex morte Socratis conceperat, ut commissæ cædis diritatem quam impulsu Meliti, Anyti, & aliorum commiserat, expiaret, Academiam impetravit ut scholam ædificaret jure & privilegio, in qua artium liberalium professio publica suscepta in totam Græciam transiret. Ac ut turba discentium tanto magis illiceretur, non solum scientiæ disciplinas, quæ nudam contemplationem seu θεωρίαν continent, in hac schola publice proposuit, ut sapientes antea fecerunt, sed etiam eas artes, quæ ad animi præclaram gubernationem & Rempublicam legibus ac Judiciis regendam spectant, videlicet Philosophiam Ethicen, ut Socrates primo Athenis privatim, ita is in Academia publice eam tractandam feliciter suscepit. Ut quoque vivendi ingenua ratione ab aliis plebeiis hi scholastici disjungerentur, nec jurisdictioni civitatis penitus subjecti tenerentur, legem Plato præscripsit XII. Νομ. hanc: qui spectatum veniunt, ut Musas civitatis audiant, diversoria juxta templa habeant, quæ suscipiendis hospitibus erant aptissima, sacerdotes vero seu Philosophi & scholæ præses curam ipsorum habeant, ut tranquille per id tempus, quo istic vixerint, possint permanere, & videre, audireque omnia quorum gratia venerunt, & sine detrimento suo & aliorum recedere, quod si quis eorum injuriam cuique intulerit, ea si fuerit æstimanda ad quinquaginta drachmas, Sacerdotes cognoscant. Crimina vero majora ad Curatores rerum venalium deferantur. Platone autem defuncto Aristoteles, qui sub eo in Academia ingenii aciem excoluerat, a Senatu populoque Atheniensi legatus mittebatur ad Philippum Regem Macedonum, quo tempore in Academia surrogabatur Platoni Xenocrates, qui licet ingenio fuerat obtusus & tardus, tamen propter obsequia singularia, quibus Platonem Præceptorem complexus fuerat, præcipue cum proficiscebatur in Siciliam Scholarcha electus & constitutus erat. Re autem fœliciter gesta apud Regem Aristoteles rediens Athenas, & invidia condiscipuli excitatus, quem sibi prælatum esse indigne ferebat, in Academia docere recusat, quare in Lyceo aliam Scholam aperuit, quam περίπατον appellavit, in quo annos tredecim docuit. Sed cum a Platonis doctrina abscesserat, quo divortio Philosophia in Sectas duas Athenis distrahebatur, cujus dissidii occasionem præbuit Socratis ἀμφισβήτησις seu disputandi in utramque partem ratio sine adsensu per ἐποχήν, paulo post ideo a Demophilo ἀσεβείας seu *impietatis* propter mutatam Philosophiam accusatus est, qua occasione & prætextu juris quodam Athenis plerique doctissimi insectati sunt, ut & tandem excedere Athenis & in Chalcidem sese recipere, ubi scholam aperuit, coactus fuerit, adjiciens causam hanc, *se non commissurum ut Athenienses bis in Philosophiam peccarent*, ut Ælianus ait, cum peccandi eis fuerit occasio quod jurisdictioni Heliastῶν in criminalibus ipse ac alii philosophi subjecti tunc fuerunt. Discessus quoque & hæc fuit causa, quod se annis confecto Epicurum juvenem florere Athenis viderat; cujus dogma miro applausu a discipulis arripiebatur.

Aristoteli postea in peripato successit Theophrastus, cujus eruditio & facundia excellens Athenis enituit, ut & duo millia discipulorum ad eum discendi gratia concurrerint, ut in *Vita ejusdem* Laertius refert. Sub hoc Gymnasiarcha contentio Philosophorum de jurisdictione cum Magistratu incidit, ac etiam de potestate eligendi & constituendi Philosophos in scholis. Philosophi enim cum sacrosancti habebantur subire constitutionem & imperium Magistratus civilis omnino recusarunt, ut & Pompejus longo tempore post etiam cum in summo fastigio fortunæ belli floruit, non solum Athenis Philosophos singularibus præmiis & humanitate complexus sit, ac submissa Imperatoria majestate sibi pares disceptando eos fecerit: sed & in Rhodum ad Posidonium profectus, ejus ædes ingredi noluit fascibus & securi porrectis, quæ notæ alias gesti imperii & jurisdictionis nullo tempore cuipiam cedebant.

Sophocles itaque Amphiclidæ filius in scholis philosophorum cum feliciter profectum in studiis fecerat, ἄρχων electus Athenis, ac armatus nomine Reipublicæ jurisdictionem scholæ omnemque potestatem recipiendi & constituendi in ea philosophos ad Senatum & populum transferre nixus est, ut Laertius refert in *Vita Theophrasti*, nec eo contentus, sed lege etiam lata nervos scholæ omnino incidere conatus est, quam legem Laertius recenset, μηδένα τῶν φιλοσόφων σχολῆς ἀφηγεῖσθαι, ἂν μὴ τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ δόξῃ, εἰ δὲ μή, θάνατον εἶναι τὴν ζημίαν. *Ne quis Philosophus sine decreto Senatus & populi scholæ præficeretur, qui secus id fecisset ut capitis acquiratur*. Quo decreto lato Philosophorum maxima pars, cujus fuit & Theophrastus, urbe excessit, scholasque vacuas sine ductoribus reliquerunt.

Hoc autem incommodo rei literariæ Philo motus, cum Sophocles ἀρχὴν vel *Præturam* sequenti

anno depoſuerat, eum accuſavit, & cauſa cognita a Judicibus pro æſtimatione damni Reipublicæ illati in quinque talenta Sophocles condemnatus eſt. Abrogata quoque omnino lex eſt hujus, permiſſumque philoſophis ut plena juriſdictione & imperio in adminiſtratione ſcholarum uterentur. His quoque philoſophis ferendi leges ſcholaſticas ſolummodo poteſtas fuit, quarum Æſchines *contra Timocrat.* meminit, primo, ne philoſophi ſcholam aperirent, niſi cum ſol ortus eſſet, neque clauderent priuſquam is occubuiſſet. Deinde ne peregrinus ſeu alius quiſpiam, niſi ſcholæ inſcriptus eſſet, eam ingrederetur, præcipue eo tempore quo diſcipuli ſunt in exercitio, niſi præceptoris aut ejus fratris filius, filiæve vir ſit. Præterea ne Gymnaſiarchæ in ſchola majores natu cum minoribus conſidere permittant, id ſi permiſerint, quod legi ingenuorum Gymnaſiarcha ſubjiciatur, idque ideo ut modeſtiæ & caſtitati ſcholaſticorum conſuleretur, nec conſortio & conſuetudine vitæ ſtudiorumque inæqualitate ad ocium invitarentur, aut ingenii inſtitutioni per moram & negligentiam illapſam quidquam ſubtraheretur.

Non autem longo tempore poſt Zenonis Philoſophi ſcientia Athenis increbuit, qui in conciſa & coticulata quadam acie differendi philoſophiam illuſtravit, quam ſanctimonia vitæ & morum decenti apparatu apud cives ita illuſtravit, ut ſibi porticus Πεισιανάκτιος, in quo mille quadringenti & triginta cives antea trucidati erant a Tyrannis, quorum memoria artificioſa pictura Polygnoti ibidem ſcripta erat, ut & ideo *Pœcile* appellata erat, traderetur. Hujus quoque Zenonis tanta fuit fides & exiſtimatio, quod claves civitatis, quæ alias apud ἄρχοντα deponebantur, eidem committebantur, cui & defuncto ſtatuam æneam collocarunt, ut in *Vita ejuſdem* Laertius refert.

Gymnaſiarchæ autem qui ſcholas regebant πένταθλοι philoſophi erant, quos definit Laertius, τὰ φυσικὰ, τὰ ἠθικὰ, τὰ μαθηματικὰ, καὶ τοὺς ἐγκλυτοὺς λόγους γιῶντες, καὶ περὶ τῶν τεχνῶν ἐμπειρίαν ἔχοντες. Socrates enim ut experientia & uſu rerum valeret ad exteras gentes ſeſe recepit, Plato cum Sophocle profectus eſt in Ægyptum, Demetrius non ſolum in Ægyptum, ſed & in Indiam ad Gymnoſophiſtas conceſſit, Eudoxus profectus Athenis in Ægyptum ab Ageſilao literas commendatitias ad Sacerdotes Ægypti impetravit, qui omnes ideo Pentathli vocabantur. Eo vero poteſtatis auctoritas philoſophorum Athenis profecta erat, quod & in teſtamentis de ſcholis diſponere eis licuit, ut legati titulo ſcholæ gubernationem alicui ex amicis relinquerent: Strato enim in teſtamento ſucceſſorem ſcripſit Lyconem, Theophraſtus Hypparchum, Lycon in arbitrium amicorum ſucceſſionem contulit, ut quem utilem fore ſcholæ cenſerent, eligerent & conſtituerent. Philoſophiam autem etſi ſine mercede & quæſtu Socrates & Plato docuerunt: tamen Ariſtippus Socraticus primo Athenis quæſtu philoſophari cœpit, ac philoſophiæ partes ſub pactione certæ mercedis quam a diſcipulis ſtipulabatur tradere exorſus eſt, quem modum mercedis ſtipulandæ ex philoſophiæ inſtitutione ſucceſſores tandem ſecuti ſunt, ac in immenſam exactionem pretii erupit, quod multi tenuitate fortunæ deterriti ab incepto ſtudiorum curſu deſiſtere compulſi fuerint, ut non immerito D. Theologus in *Vita Baſilii* Athenienſium avaritiam hanc improbavit, quam D. Baſilium cum adoleſcens Athenas ſtudiorum gratia miſſus erat id ipſum expertum eſſe refert. Ut tamen huic incommodo conſuleretur, D. Antoninus Pius cum Athenis initiabatur primo ſalaria, ſeu ἐπέτειον μισθὸν conſtituit philoſophis, ut Dion in *Vita ejuſdem* refert, ut eo contenti gratis docerent, quæ tamen Sophiſtis Magiſtris tantum numerata eſſe non aliis colligitur, dum refert quod ordinarit ea perſolvi πᾶσι διδασκάλοις ἐν ταῖς Ἀθήναις ὑπὸ πάσης λόγων παιδείας, quos, ut dictum eſt, ut antea vocarunt Pentathlos, tunc Sophiſtæ Rhetores & Grammatici dici cœperunt: Quæ conſuetudo annuum ſalarium philoſophis præſtandi poſtea Romam, & in Romanum imperium traducta eſt.

CAP. XIV.

De legis actionibus.

SUMMARIA.

Athenis dabantur actiones a Theſmothetis. Actionum genera quot. Emtionis & venditionis forma Athenis quæ. Venditor habens emtori fidem, ſi circumventus fuerit, non competit ideo ei actio. Emtio namque, & venditio vera non eſt, ubi fides loco pretii eſt, ſed tum cum pretium numeratum. Prædia quomodo diſtrahebantur. Arrhæ datio. Romæ civis quis dictus. Peregrinus non potuit Athenienſem in uxorem ducere. Numerus domorum & civium Athenis. Contractuum inſtrumenta. Actio ἀνασροφῆς *quæ. Ædilitiam actionem unde Romani deſumſerunt. Athenis de ſyngraphis liquidis non dabatur judicium. Condictio certi ex mutuo cum ſtipulatione uſurarum apud Athenienſes obſervata. Uſura duplex: Nautica & terreſtris. Uſura terreſtris ſingulis menſibus exacta. Ex ſorte minæ Atticæ ſolvebatur drachma Attica. Uſura centeſima. Solonis* σεισάχθεια *quid. Uſura nautica non fuit menſtrua, uti terreſtris. Nauticum creditum requirebat majores uſuras, & quare. Pro ſecuritate nautici crediti, hypothecata erat creditori navis. Actio data propter fœnus nauticum quæ. Contrahentibus licet ſe invicem negociative circumſcribere. Creditori quando dabatur actio* τοῦ ναυτικοῦ δανείσματος. *Creditores cauti ratione crediti nautici. Maris mediterranei littus quando maxime excurrat. Littoris definitio a Celſo tradita, mari occidentali non competit.* Δίκη χρέους *&* δίκη τοῦ ναυτικοῦ δανείσματος *differunt.* Δίκη ἀφορμῆς. Δίκη ὑποθήκης. Δίκη προστάγματος *dabatur ex mandato privati. Mandatum aut expreſſum, aut tacitum. Mandatarius non debet fines mandati excedere. Ex mandato univerſitatis dabatur* δίκη πρεσβείας. Δίκη παραπρεσβείας *ob dolum malum legati dabatur. Actio alimentorum, ſeu* δίκη σίτου, *quibus competat. Pater egens tunc ſaltem a filio petere poterat alimenta, ſi honeſtis artibus eum imbui fecit.* Δίκη ἐπιτροπῆς *dabatur pupillis contra tutores.* Δίκη μισθώσεως *adverſus quos dabatur, & quibus.* Δίκη παραθήκης *actio depoſiti: cui ſimilis eſt actio fiduciæ.* Δίκη ἀντιδόσεως *qualis, & cui dabatur, & contra quem.* Δίκη τοῦ κλήρου, *ſive petitio hereditatis. Hereditas defertur vel ex teſtamento vel ab inteſtato. Athenis faciebat duntaxat teſtamentũ paterfamilias, non etiam filiusfamilias. Actio familiæ erciſcundæ. Majus menſis Athenienſibus ad res agendas fuit infauſtus. Actio dotis quibus detur, & quando. Fundum dotalem maritus nequivit alienare. Actio ſervitutis ad quid inventa. Athenis cur de aquæ ducendæ & hauriendæ jure præcipue actiones fuerint. Actio finium regundorum. De præſcriptione quinque pedum diſtantiæ. Actio ingrati quibus, & adverſus quos dabatur.* Δίκη ἀποστασίου *quibus dabatur, & contra quos.*

ACTIONES Athenis a Theſmothetis dabantur litigantibus ex negotio litis propoſitæ quæ certo nomine exprimebantur. Sunt autem hæ duorum generum, ἰδιωτικαὶ, καὶ δημοτι-

ϰ) : & ἰδιωτικαὶ denominationem variam a contractibus habent, dividunturque in ἐμπορικὰς δίκας, quarum meminit Demosthenes πρὸς Λακριτ. quæ ex contractu & negotiatione mercium proficiscuntur. In τὰς μεταλλικὰς ἐκ τοῖς νόμοις μεταλλικοῖς, ϰ) τοῖς ἐργαζομένοις τὰ μεταλλικὰ, hoc est, *ex legibus & contractibus metallicis, & delictis eorum qui metallicas fodinas exercuerunt* descendentes, quarum copiam habuerunt Athenienses in Thracia, ut Demosthenes in παραγρ. πρὸς Πανт. ubi disserit an δίκη sit μεταλλικὴ, & leges metallicas recenset. Item τραπεζιτικὰς, cum de contractibus apud collybistas aut trapezitas gestis contentio erat. Ex qua varietate specierum exceptio incompetentis fori nascebatur, quam Demost. ἐκ ὄσαν εἰσαγώγιμον δίκην vocat *ibidem*, quam rei objiciebant, ut ex eodem patet.

Ex contractibus vero civilibus & bona fide gestis ea actionum copia diversi generis non dabatur, ut postea Romæ factum est, ut nec dolus Romæ in omnibus causis & contractibus nisi tempore Ciceronis ex formula C. Aquilii Prætoris jure actionis vindicari constitutum fuit, cum tantum inesse contractibus bonæ fidei exceptionem doli voluerunt, *l. & eleganter. §. non solum D. dol. mal.* aut quæ ideo competeret actio malæ fidei diceretur, teste Cicerone. Cum autem emptione & venditione nullus sit frequentior inter homines contractus, legislatores in id incubuerunt, ut quæcumque in eo dicta promissave sint ex bona fide præstarentur, quod ut facilius expediretur, forma emptionis & venditionis in Græcia, & primo Athenis usitata fuit, quam vocat Socrates ἐκ χειρὸς εἰς χεῖρα δεχόμενον ἐν τῷ παραχρῆμα τιμὴν, seu ut Charondas legibus suis ait, παραχρῆμα διδόναι ϰ) λαμβάνειν, hoc est, ut conventum pretium cito seu in continenti numeretur ab emptore, & merx eodem momento tradatur a venditore, idque præcipue in rebus fungibilibus, mobilibus & sese moventibus servandum præcipiunt. Sin vero venditor emptori de pretio fidem habuerit, isque ea deceptus fuerit, facilitati suæ imputandum id fuit, nec jus ideo agendi eidem competere potuit, ἐὰν τις πιστεύσῃ μὴ εἶναι δίκην, hoc est, *si fidem quispiam habuerit de pretio propter eam defraudatam non esse dandam actionem*, ut Stobæus refert. Et ibidem addit, κύρια ἡ ὠνὴ ϰ) πρᾶσις εἰς μὲν κτῆσιν, ὅταν ἡ τιμὴ δοθῇ : id est, *vera emptio & venditio est cum pretium numeratum fuerit*, & ideo si fides loco pretii supposita fuerat, ex contractu hoc emptionis & venditionis agi non permissum fuit. In emptione autem & venditione rerum immobilium certa forma præscripta fuit, intra quam unumquemque se continere necessum fuit. Non enim Athenis prædium urbanum & rusticum distrahere cuipiam licuit sine consensu eorum, quorum interfuit, quo casu fiebant προκηρύξεις ϰ) προγραφαὶ, ut Stobæus ait, ut ante distractionem proclamaretur & exquireretur an essent libera prædia aut cuipiam servirent, vel jure aliquo proximitatis ex consanguineis emptio offerretur. Deinde coram magistratu emptio & venditio perficiebatur. Jurabantque contrahentes se μήτε συγκακουργίᾳ, μήτε τέχνῃ, μήτε μηχανῇ μηδεμίᾳ, contraxisse, ut Athenæus *lib.* V. refert. Quibus absolutis centesimam partem pretii deponebant in curia, emptorque dabat venditori arrham, non pro parte pretii, sed in symbolum contractus celebrati, quæ aut in numero aut aliis rebus constabat, cui arrhæ dationi inerat promissio in sequentem diem aut paulo post pretium numeratum iri, seu, ut est in lege παραχρῆμα, ἢ τιμὴν αὐθημερὸν, qui contractus postea ληξιαρχικῷ seu albo civitatis inscribebantur, quod ex legibus Thuriorum profectum esse Stobæus *serm.* XLII. putat, ubi & pœnam emptoris & venditoris non implentis contractum recenset, constituitque ἄνισον ζημίαν, seu *inæqualem pœnam* venditoris & emptoris, cujus culpa contractus non perficiatur, videlicet quod emtor arrham perdat; venditor vero pretium conventi prædii præstet : quod Romani postea mutarunt, & æqualem pœnam tam venditori quam emtori non implenti contractum irrogarunt, cum emtor arrham quam dedit amittat, & venditor licet duplum restituere dicitur, *Instit. de emt. & vendit. §.* I. tamen de suo simplum præstat & reddit quod accepit ab emtore. Ut enim Romæ civis perfecto jure is dicebatur qui in urbe domicilium, Tribum, & jus honoris habebat : ita & Athenis nemini nisi civi Atheniensi jus domicilii ibidem competebat, uti nec peregrino Atheniensem ducere in uxorem licuit, ut Demosth. refert, qui nec ex decreto Periclis, ut Ælianus refert, ad dignitatem ullam admittebatur. Qua de causa certus numerus prædiorum, seu ædium, civium, & inquilinorum in urbe fuit, ut Plato refert X. Νομ. videlicet prædiorum quadraginta quinque millia, & ut Demetrius Phalereus apud Athenæum refert, viginti millia civium, decem millia inquilinorum seu τῶν μετοίκων, & decem myriadas servorum. Ex quibus patet δίκην ὠνήσεως ϰ) πράσεως Athenis plerunque ex contractibus rerum immobilium datam fuisse, quæ aut fuerunt in urbe, aut in solo Attico, cum & prædia quæ extra urbem distrahebantur eam solemnitatem & consensum magistratus minime desiderabant, quod tamen legibus Spartanorum repugnavit, quibus cautum fuit, ne immobilia, præcipue fundi paterni, quoquo modo alienentur, ut Ælianus refert. Conficiebantur quoque a contrahentibus instrumenta, quibus prædia pro securitate crediti specialiter emtor obligabat venditori, quod τὸ γραμματεῖον τῆς ὑποθήκης Demosthenes vocat, vel si pignus non intervenerat τῆς πράσεως, quæ deponebantur apud Argentarium, ut πρὸς Φορμ. uti apud argentarios negocia emtionis & venditionis prædiorum Romæ conficiebantur, & tabulis eorum inscribebantur, quæ non tantum ad probandum contractum, sed etiam constituendam obligationem vim habebant. Et ita actionibus emti & venditi ob contractus rerum mobilium judicia forensia minus inquietata sunt Athenis, nisi vitium vel morbus aliquis in mancipio vel animali vendito deprehensus fuit, quo casu peculiaris actio dabatur, quæ τῆς ἀναστροφῆς δίκη dicitur adversus venditorem, cujus redhibitionis legem Plato XI. Νομ. describit, ex qua Romani postea ædilitiam actionem semestris redhibitoriæ & æstimatoriæ annalis desumpserunt. Præterea nec Athenis de contractibus & conventionibus, quæ scripto & syngraphis liquidis constabant, judicium dabatur: Ait enim Demosth. *adv. Lacritum*: ὅσα μὲν γὰρ ἀμφισβητήσιμά ἐστι τῶν συμβολαίων, κρίσεως δεῖται. τὰ δὲ παρ' ἀμφοτέρων ὁμολογηθέντα τῶν συντιθεμένων ϰ) τῶν περὶ ὧν συγγραφαὶ κεῖνται ναυτικαὶ, τέλος ἔχειν ἅπαντες νομίζουσι, ϰ) χρῆσθαι προσήκει τοῖς γεγραμμένοις. hoc est, *de contractibus ambiguis datur judicium, non autem cum confessio contrahentium adest, nec cum adsunt syngraphæ nauticæ, hos consummatos esse omnes, & perscripta in tabulis præstari oportere censent*. Quamvis tamen id sæpe non observatum fuisse deprehenditur Athenis.

Δίκη τῆ δανείε seu condictio certi ex mutuo cum stipulatione usurarum Athenis fuit recepta, cujus naturam tractat Demosth. πρὸς Φορμ. ϰ) Λακριτ. qua petitur pecunia certa credita restitui una cum usuris & damnis, ait enim Demosthen. πρὸς Φορμ. non solum obligatum esse debitorem ἐ μόνον εἰς τ' ἀρχαῖα ϰ) τὰς τόκες, ἀλλὰ ϰ) τὰ ἐπιτίμια. Distinguit enim Demosthenes πρὸς Παντ. δανείσα, quorum quidem tantundem repetunt quantum dederunt, quod χρέος proprie est, & δάνειον in *Basilicis* vocatur, & ex officio humanitatis sine accessione ulla quantitatis aut lucro, sed, ut ait, ὥσπερ χαρίζεσθαι, contrahitur;

Quidam vero plus quam dederunt extorquent, quos Athenienses juste odisse ait, eo quod μήτε συγγνώμην, μήτε ἄλλο μηδενὸς εἰσὶν, ἀλλὰ τοῦ πλείονος. Competebat autem creditori actio primum cum eandem quantitatem seu mutuum a debitore exigebat. Deinde si ultra sortem promissæ erant in contractu hoc usuræ, seu τὸ τόκος. Duplicis autem generis fuit usura, ut ex Demosthene κατὰ Διονυσοδώρ. παραγραφ. καὶ πρὸς Παντατ. patet, Τόκος ναυτικὸς καὶ ἔγγειος. Et terrestris usura singulis mensibus exigebatur, tunc enim earum dies cessit, & pendebatur ex sorte cujuslibet Minæ Atticæ drachma Attica. Ait enim Demosth. πρὸς Παντατ. ἐδανείσαμεν πέντε καὶ ἑκατὸν μνᾶς..... μισθοῦται δὲ οὗτος παρ' ἡμῶν τοῦ γιγνομένου τόκου τῷ ἀργυρίῳ, πέντε καὶ ἑκατὸν δραχμῶν τοῦ μηνὸς ἑκάστου. Et ut Libanius ibidem, ἔδει κατὰ μνᾶν τόκον εἶναι δραχμήν. Cum autem Solon Athenis, ut refert Plutarchus, minam fecerit centum drachmarum, quæ ante eum septuaginta & una erat, quod Pollux *lib.* IX. ex Eupolide probat, sortis partem centesimam quolibet die ultimo Mensis quem ἕνην καὶ νέαν appellarunt, ut Ælianus refert, fuisse a debitoribus solutam colligitur, quæ usura centesima dicta fuit. Nec tantum centesimam usuram, sed etiam τὸν ἐφεκτὸν τόκον, Athenis fuisse more improbo a Fœneratoribus exercitam, eamque ex terrestri sorte exactam fuisse colligitur, ait enim Demosth. πρὸς Φορ. ὁ δὲ τόκος ὁ ἔγγειος ἐφεκτὸς τῶν τριάκοντα μνῶν καὶ τριῶν καὶ ἑξήκοντα, πεντακόσιαι δραχμαὶ καὶ ἑξήκοντα. hoc est, *triginta trium & sexaginta minarum sors terrestris, usura* ἐφεκτὸς *est quingentarum & sexaginta drachmarum.*

Qua inexatura Fœneratorum rabie Solon antea excitatus ut satisfaceret precibus plebis, & periculo labentis Reipublicæ occurreret, usurariorum quæstum, qui ex libidine locupletum Athenis contrahebatur, coarctavit, & ut debitorem remissionem arte faceret σεισάχθειαν introduxit, videlicet ut æstimatio nummorum in valore & pondere augeretur, ac minæ ad centum drachmas, Noctua vero Attica Tetradrachmum porrigeretur, & stateri adæquaretur, ut ita aucto pretio monetæ usualis debitores tanto facilius æs alienum dissolverent. Deinde ex lege σεισαχθείας constituit, ne creditori unquam corpora debitorum qui solvendo non erant in nexum & servitutem addicerentur, aut ut super his fœnerarentur, ut Plutarchus refert: Sed ut Cœlius, & Alexander ab Alexandro referunt, more Ægyptiorum militum tantum in bona horum mitterentur ac haberentur obærati, non vero nexi. Quæ tamen fœneratorum lucri captandi cupiditas aliquandiu quievit, sed tandem in pristinam exactionem erupit, duravitque cum Romanis Græcia parere cœpit, ut & Lucullus cum Proconsul Asiam regebat proposito edicto eam fœneratorum Asiæ ac Græciæ crudelitatem represserit, καὶ ἑκατοστὴν μὴ πλέον εἰς τοὺς τόκους λογίζεσθαι, ac omnes usuras antiquo more, ut Plutarchus in *ejusdem Vita* refert, solitas pendi abscidit. Usura vero nautica non fuit menstrua uti terrestris, sed quæ comprehendebatur sub tempore navigationis ad certum locum aliquem, utputa Athenis in Bosphorum, vel de loco ad locum aut in portum. Si enim promissio usurarum harum intercesserat ut solverentur, id intelligebatur si navis incolumis pervenisset ad conventum locum, ut Demost. πρὸς Φορμ. easque usuras ita stipulatas vocat δάνεισμα ἑτερόπλουν, eo enim tempore quo ad locum conventum exercitor vel magister navis navigabat, periculum sortis erat penes creditorem. Cum vero in utrumque tempus & locum, utputa accessus & reditus, stipulatio concepta erat, usurarum ἀμφοτερόπλουν δάνεισμα vocatur, eo casu creditor in utrumque tempus navigationis periculum sortis sustinebat. Qua de caussa & gravissimas usuras propter maris periculum creditoribus exigere permissum fuit; cujus species exstat apud Demosthenem *in Phormion.* ἐν Βοσπόρῳ δὲ ἀπρασίαν τῶν φορτίων κατέλαβε· καὶ τοὺς ἑτερόπλοια δανείσαντας μόλις ἀπήλλαξε. καὶ οὗτος μὲν ἐδάνεισεν αὐτῷ δισχιλίας δραχμὰς ἀμφοτερόπλουν ὥστ' ἀπολαβεῖν Ἀθήνησι δισχιλίας ἑξακοσίας δραχμάς. Præterea debitores pro securitate crediti nautici, navem aut mercem comparatam in ea hypothecæ nomine obligabant creditoribus, ut liquet ex syngrapha πρὸς Λακριτ. & πρὸς Φορμ. in qua fatentur se obligasse τοῖς δανείσασι τὴν ὑποθήκην ἀνέπαφον, hoc est, navem vel mercem navis hypothecæ nomine non alii oppignoratam. Actio autem quæ specialiter dabatur propter fœnus nauticum, δίκη τοῦ ναυτικοῦ δανείσματος ea inter δίκας ἐμπορικὰς recensebatur, ideo quod κατὰ νόμους ἐμπορικοὺς, ut Demosthenes ait, controversiæ mercatorum dirimebantur, quæ leges propter commercii publicam utilitatem & necessitatem Athenis latæ fuerunt, ut & contrahentibus invicem ex his legibus in precio circumscribere, quod ἐμπορικῶς Romani appellarunt, permiserint. Non autem creditori in debitorem dabatur hæc actio, si navis aut merces in hypothecam datæ, antequam ad conventum locum pervenerant, naufragio perierant, cum semper hæc conditio syngraphæ inserebatur σωθείσης τῆς νεὼς ἀποδοῦναι τὰ χρήματα, hoc est, *si navis manserit incolumis sortem una cum usuris esse reddendam*, ut Demosthenes in Orat. *adversus Zenothem.* ait. Ac quamvis expressa ea conditio non fuerat in instrumento, tacite tamen subintelligebatur, ut idem refert πρὸς Φορμ. Ut autem periculum Naufragii creditores evitarent, nec culpa aut negligentia quadam Nautæ casum maris irritarent, intra præstituta tempora ex conventione solvere navem de loco vel portu in reditum obligabantur, ne mora periculum crearet. Quod si vero ultra præscriptum tempus in loco commorabantur periculum maris ad eos spectabat, & creditoribus, etiam peremta navi & mercibus, satisfacere obligabantur, ut in syngrapha Artemonis & Apollodori hæc temporis notio expressa adjicitur, videlicet ut ad ortum Arcturi cosmicum antequam maria tempestatibus gravioribus conturbantur enavigent, eo enim tempore littus vel extremitas maris Mediterranei, quod Athenienses tantum pernavigarunt, excurrit maximis fluxibus, ut & litoris finitionem inde Celsus sumserit, quæ mari tamen occidentali minus competit, eo quod ex die tertio Iduum Novembris usque in diem sextum Iduum Martii maria claudantur, ut Veget. *lib.* III. *de re milit.* scribit, ut contra opportunæ navigationis tempus definit Gratianus a Calendis Aprilis ad Calendas Octobris, *l. quoties, C. de naufrag.* juxta periculum itaque quod pro temporis statu metuitur, etiam usuras stipulati sunt fœneratores, ait enim, μετ' ἀρκτοῦρον δὲ ἐκπλέωσιν ἐκ τοῦ πόντου ἐφ' ἱερὸν ἐπὶ τριακοσίαις τὰς τρισχιλίας ἐπὶ οἴνῳ κεραμίας μενδαίοις τρισχιλίοις. Quæ per omnia secuti sunt Romani in legibus suis, *l. qui Romæ, §. Callimachus, D. de verb. Obligat. l. cum proponas C. Naut. fœn.*

Huic actioni vicina est δίκη χρέως, quæ proprie & naturaliter ex caussa mutui dabatur, & idem in genere repetebatur. Raro enim usuræ in hoc contractu, ex quo prodiit actio admissæ sunt, aut si id factum, in minima quantitate stipulatas fuisse colligitur, cum δάνεισμα plane contractus usurarius erat, in quo usuræ immodicæ promittebantur, secus vero χρέος, cui naturaliter inest ἀτόκως χρῆσθαι τῷ ἀργυρίῳ, ut πρὸς Νικοστρ. Demosthenes.

Ac differt hæc actio a superiori, quod in illa usuræ stipulatæ cum sorte, in hac vero nude quantitas sine accessione petatur. Præterea actionem hanc proponenti in judicio incubuit onus

probandi, quod in utilitatem accipientis verſum fuit, id enim in Orat. πρὸς Τιμοθ. ὑπὲρ χρέως patet, ait enim *ibidem*, ἐξήλεγχον αὐτὸν εἰς ὅ, τι ἔλαβε τὸ ἀργύριον, καὶ εἰς ἃ κατεχρήσατο. id quoque teſtium dictis ibidem probat, quod in δανείσματος actione non requirebatur. Interdum quoque loco actionis τοῦ χρέως pro quantitate creditæ pecuniæ actiones dabantur ſpeciales, ut ſi petitio erat quinque talentorum, δίκη ſeu γραφὴ πεντετάλαντος appellabatur, ut Ariſtoph. ἐν Νεφε vel ſi centum talentorum, ἑκατοντάλαντος, ut Iſocr. in *Jugo*, idque pro diverſitate quantitatis in aliis ſimiliter obſervabatur. Cum vero apud Trapezitas hi contractus plerunque conficiebantur, ac etiam apud eoſdem precium rei venditæ & rei immobilis deponebatur, quod re tradita Trapezita adnumerabat venditori, ejus repetendi gratia dabatur δίκη ἀφορμῆς, cujus Demoſt. meminit in παραγ. ὑπὲρ Φορμ. quam τῇ δίκῃ τῆς ἐνδίκης convenire Libanius *ibidem* refert. Pro ſecuritate quoque crediti acceſſiones rei & perſonæ præſtabantur principali obligationi datis hypothecis & fidejuſſoribus, & fidejuſſores interdum in cauſſam duriorem quam principales obligabantur, ut πρὸς Νικοστρ.. Si autem creditori hypotheca bonorum a debitore conſtituta erat, δίκη τῆς ὑποθήκης dabatur, quæ fuit aut omnium bonorum, ut πρὸς Τιμοθ. ὑπὲρ χρέως, ait enim, δάνεισμα ποιεῖται ἰδίᾳ παρ᾽ ἑκάστου αὐτῶν τὰς ἑπτὰ μνᾶς, καὶ ὑποτίθησιν αὐτοῖς τὴν οὐσίαν. Aut quorundam bonorum, & hypotheca eſt ſpecialis, ut πρὸς Παντ. ubi Pantænetus fundum metallicum pluribus creditoribus dat hypothecæ, uti jure Romano uni creditorum pignus fundi alteri ejuſdem fundi pyperocha obligatur, *l. quærebatur D. qui potio. in pig.* ubi tamen inſtrumentum hujus contractus gratia confectum, an γραμματεῖον τῆς ὑποθήκης ἢ πράσεως ſit, diſſeritur, eoque metallum ex conventione contrahentium pignori datum fuit, licet in inſtrumento venditum eſſe ſcriptum ſit.

Δίκη προστάγματος *actio mandati* Romanis eſt. Et cum mandatum ſit aut expreſſum aut tacitum, ſeu τῶν προσταγμάτων ἃ μὲν ἐστὶν ἔγγραφα ἃ δὲ ἄγραφα, ait Ulpianus in Demoſthene παρὰ πρεσβ. Ex his cauſſis dabatur hæc actio. Quare ſi ſcripto comprehenſum erat, ut mandatarius negotium abſentis expediret, a præſcripta forma nec quicquam diſcedere huic licuit. Sin vero negotiis abſentis ſe ſe immiſcuerat, bona fide gerendum fuit, quod ſi ſecus factum erat, hæc competebat. Mandatoris enim eſt, ut ait in *Androt.* Demoſth. τὸ διαπράττειν, hoc eſt, tantundem agere quantum ſibi mandatum eſt, nec fines hujus excedere, quod & Romani exacte obſervarunt, ut nec ex ſententia Sabinianorum mandatario in mandatorem remittenti ſuperfluum ad repetitionem ejus quod ex mandato expoſuit competere actionem voluerunt, quamvis benignior Proculi ſententia ſit recepta, *l. ed. Proculus D. Mand.* Ut autem ex mandato privati dabatur hæc actio, ita δίκη πρεσβείας ex juſſu & mandato univerſitatis dabatur, cujus meminit Demoſth. παραπρεσβ. His autem mandatariis & legatariis incubuit neceſſitas, ut ex præſcripto modo a populo omnia gererent, ac etiam finito mandato ex præſtituto tempore redirent domum, præterea, ut per vias eas ingrederentur & regrederentur, quas populus eis deſignaverat, ut & Ælianus ſcribit *lib.* VI. *cap.* V. *Populum Athenienſem Legatos in Arcadiam miſſos, ideo quod alia via quam imperatum eis erat profecti fuerant, mortis ſupplicio affeciſſe, licet mandatum fideliter expediverant.* Dabatur quoque actio hæc in legatos, ut rationem referrent Senatui & populo de his quæ in obita legatione confecerant, idque eo modo, ut Æſchines refert, inquiens: ἐγὼ ἐν τῇ πρεσβείᾳ ἃ μὲν εἶδον, ὡς εἶδον ὑμῖν ἀπήγγειλα, ἃ δ᾽ ἤκουον ὡς ἤκουσα. Sin autem dolo malo præter mandatum quidquam egiſſe convicti fuerunt δίκη παραπρεσβείας, quæ accuſatio fuit in legatos, decernebatur, & pœnam mortis irrogabat, ait enim Demoſth. οἱ νόμοι τὰ ἔσχατα τάττουσιν ἐπιτίμια, ἐάν τις τὰ τῆς πόλεως πράγματα πωλῇ, hoc eſt, *leges extremum ſupplicium legatis decernunt vendentibus negotia civitatis.*

Δίκη τοῦ σίτου, *actio alimentorum*, quæ dabatur proprie uxoribus in viros qui divortio ab his diſceſſerunt. Lege enim Solonis alimentum annuum maritus qui repudiarat uxorem dare compellebatur, licet dotem reſtitueret, ut & Demoſthenes κατὰ Νεαρ. εἰς ᾠδεῖον τοῦ σίτου vocat, ubi hanc actionem cum dote conjungit. Competebat quoque patri egenti contra filios denegantes huic ſufferre alimenta, idque ex lege Solonis, quæ eſt, ἐάν τις τοὺς γονέας μὴ τρέφῃ, ἄτιμος ἔστω, quod & jus Romanum ſecutum eſt, *l. 2. C. Alend. lib.* Ut tamen actioni locus eſſet, neceſſum fuit, quod pater genuiſſet filium legitime, ſeu κατὰ νόμον, non illegitime, ait enim: μηδὲ τοῖς ἐξ ἑταίρας γενομένοις ἐπάναγκες εἶναι τοὺς πατέρας τρέφειν. Præterea ut eum quem legitimum procreaſſet honeſtis artibus quibus victum comparare potuit informari fecerat, ὑπὸ τρέφειν τὸν πατέρα μὴ διδαξάμενον τέχνην ἐπάναγκες μὴ εἶναι. Nec tantum uxoribus in maritos, ſed & pupillis in tutores denegantes alimenta, vel non ſufficientia præſtantes, finita tutela dabatur. Quod Romani poſtea latius inquiſivere, & quid ſub alimenti & cibariorum nomine contineatur accuratius inveſtigarunt.

Δίκη ἐπιτροπῆς late tractatur ab Oratoribus, & præcipue Demoſthene κατ᾽ Ἀφοβ. qua contra tres tutores dolo malo geſtam tutelam agit. Dabatur autem pupillis cum in ſui tutelam pervenerant finita tutela εἰς τοῦ λόγου ἐπιτροπὴν, ut πρὸς Ξαυσιμαχ. ait: Intra quinquennium tamen famoſa actio contra tutores inſtituenda erat, quo elapſo præſcriptionis objectu actores repellebantur, ait enim lex, ἐὰν πέντε ἔτη παρέλθῃ, καὶ μὴ δικάσωνται, μηκέτ᾽ εἶναι τοῖς ὀρφανοῖς δίκην περὶ τῶν ἐκ τῆς ἐπιτροπῆς ἐγκλημάτων, quod tamen non intelligitur de diſtrahendis rationibus.

Μισθώσεως δίκη non ſolum dabatur Athenis, cum quid certa mercede fruendum faciendumve conventum erat, ut locator daret id faciendum vel fruendum, conductor vero acciperet, ſed etiam cum ſine pactione mercedis vice uſurarum creditor uſum prædiorum vel mancipiorum habebat, quod Anthicreſin, quæ ſpecies eſt potius pignoris, poſteriores vocarunt, ut Demoſthen. πρὸς Πανταιν. ubi Libanius ait: τόκον εἶναι τῷ ἔργῳ, ὀνόματι δὲ μίσθωσιν, hoc eſt, quod *revera ſit uſurarius contractus, ſed nomine appellari* μίσθωσιν, eo quod fructus ſuperent numerum uſurarum. Dabatur autem adverſus conductorem mercedis petendæ gratia, quam Ulpianus *in* III. *Olinth.* definit καθημερινὴν δόσιν τῶν χρημάτων. Dabatur & militibus ſtipendii exigendi cauſſa, propter operas bellicas ex locato præſtitas, cujus certæ mercedis pactionem & præſtationem Pericles primo Athenis introduxit, ut Ulpian. *in Demoſth.* περὶ συντάξ. refert.

Actio τῆς παρακαταθήκης *depoſiti reddendi* cauſſa fuit, in quo fidem bonam præſtandam eſſe voluerunt, ut & Plato XI. Νομ. præcipit, ſi fraudulenter depoſitarius in eo cuſtodiendo verſatus fuerit vel ſurripuerit, idque inquiri non poſſit, quod oraculum ſciſcitatum gratia tota civitas mittat Delphos, ut Apollo authorem revelet & pœnam decernat. Huic Romani ſimilem fecerunt actionem Fiduciæ, cujus Cicero III. *de Natura Deor.* meminit, qua omne id quod fide bona commiſſum

est restitui agitur, uti Ciceronem κληρονόμον ἐν τῇ πίστει Popilium ideo scripsisse Plutarchus refert.

Ἀντιδόσεως δίκη peculiaris Athenis actio fuit, quæ civi Atheniensi recusanti ob facultatum tenuitatem subire publica onera dabatur, contra civem, ideo quod hujus vice onera sustinuerat, & permutationem facultatum recusarat, quo nomine & statu Isocrates & Demosthenes Orationem περὶ ἀντιδόσεως scripserunt. Cum enim Athenis quidam cives ex trecentis viris, quibus decreto publico symmoria vel liturgia imposita erat, prætextu paupertatis onus hoc recusabant, alii cives suas facultates permutandas eis obtulerunt, quo facto si publicum munus ii subierant ad permutationem omnium facultatum contra hos agebatur. Competebat quoque actio si quasdam facultates occultassent, nec omnes in permutationem contulissent, quo casu juramentum deferebatur, ut ibidem ex Demosthene patet.

Hereditatis petitio δίκη τοῦ κλήρου familiaris Atticis ex legibus Solonis dabatur, quas recenset Demosth. περὶ Ἀγν. κλήρου, & πρὸς Λεωχαρ. ac κατὰ Στεφ. ψευδομαρ. β΄. Cum autem ab intestato vel ex testamento hereditas petatur, seu, ut Demosthenes ait, πρὸς Μακαρ. ἡ κατὰ γένος, ἡ κατὰ διαθήκας, factionem testamenti qui habent legibus is primo descripsit, ut ejus condendi aut ex hoc capiundi aut hereditatem adeundi quispiam facultatem nancisceretur: vel si ab intestato succederet, qui proximi sint heredes gradibus ex his cognosceretur: quod Romani maxima parte post secuti sunt, & non solum ut instituendi, sed & substituendi sunt heredes ex his cernitur, cum pupillaris substitutionis formulam ἐὰν ἀποθάνωσιν οἱ παῖδες πρὶν ἡβῆσαι Demosthenes ex legibus Solonis sæpe recenseat, quod alibi explicavimus, ac in testamentis Aristotelem, Theophrastum, quos Laertius recenset, observasse hæc evidenter patet.

Facere autem potuit testamentum tantum civis Atheniensis ac paterfamilias, non filiusfamilias Demosthenes πρὸς Βοιωτ. νόμος ὃ ποιεῖ κυρίους εἶναι τοὺς παῖδας τοῦ ἑαυτοῦ ὀνόματος. εἰ δ' ὁ μὲν νόμος .... τοὺς γονέας ποιεῖ κυρίους [illegible] ἐξ ἀρχῆς. ἀλλὰ καὶ πάλιν ἐξαλεῖψαι, ἐὰν βούλωνται, καὶ ἀποκηρύξαι. Item πρὸς Λεωχ. Σόλωνος νόμος οὐδὲ διαθέσθαι τὸν ποιητὸν [illegible] hoc est, *Solonis lex non permittit, ut adoptivus faciat testamentum, de his quæ propria ipsius sint in familia*. Et *ibidem*, οὐ δίκαιον τὸν ποιητὸν υἱὸν ποιητοὺς ἑτέρους εἰσάγειν. *Non est justum ut adoptivus alios adoptet filios*. In heredibus quoque qualitatem Solon observavit, κρατεῖν τῶν κληρονόμων τοὺς ἄρρενας, καὶ τοὺς ἐκ τῶν ἀρρένων. hoc est, *inter heredes potiores sunt mares, & qui a maribus descendunt*.

Νομὴ τῶν πατρῴων cohæredibus ad familiam herciscundam competebat, ut divisio ex tabulis testatoris vel inventario in quo bona defuncti annotata erant fieret, ait enim πρὸς Φορμ. τίς ἂν ἐνείματο τὰ πατρῷα, μὴ λαβὼν γράμματα, ἐξ ὧν ἤμελλεν εἴσεσθαι τὴν καταλειφθεῖσαν οὐσίαν. hoc est, *quis dividere vult hereditatem paternam, & non prius accipere tabulas seu inventarium, ex quibus quantum sit in hereditate cognoscitur*, &c.

Sortitio autem hereditatis ex lege fiebat Athenis singulis mensibus anni, πλὴν τοῦ σκιρροφοριῶνος, hoc est, *excepto Majo*, ut Demosthenes, qui mensis Atheniensibus ad res gerendas fuit infaustus, cum contra, quæ auspicato geri debebant ad VI. diem Februarii differebant, cujus rationem Ælianus refert.

Actio dotis δίκη προικὸς tractatur luculenter a Demosthene πρὸς Βοιωτὸν ὑπὲρ προικὸς, καὶ πρὸς Σπουδίαν, & alibi. Et datur heredibus uxoris defunctæ, morte soluto matrimonio, nec confunditur cum bonis mariti dos, sed conservatur liberis, quibus patre transeunte ad secundas nuptias, pro hac repetenda esse petitionem tradit. Quantitas autem hujus plerunque erat Athenis talenti Attici. Et ut ejus esset petitio, numeratam esse, oportuit, seu ut ait: ἐπενεγκαμένη προῖκα ἐκδοθεῖσα ὑπὸ τῶν ἀδελφῶν, ut in domo mariti realiter sit translata, quæ probatio incumbebat uxori aut heredibus, ait enim κατ' Ὀνήτορ. ἀποδείξω γὰρ αὐτὸν οὐ μόνον τὴν προῖκα οὐ δεδωκότα ἥς φησι νῦν ἀποτιμήσασθαι τὸ χωρίον. ἀλλὰ καὶ ἐξ ἀρχῆς τοῖς ἐμοῖς ἐπιβουλεύσαντα. Patri quoque ex lege licuit inæqualiter dotare filias, ut *contra Spudiam* ait, quamvis collationem dotis, quod εἰς τὸ κοινὸν προῖκα φέρειν vocat, approbare videatur. Nec tantum in casum mortis, sed etiam divortii, dotis hæc actio dabatur, ait enim πρὸς Νεαιρ. νόμος κελεύει, ἐὰν ἀποπέμπῃ τὴν γυναῖκα ἀποδιδόναι τὴν προῖκα, ἐὰν δὲ μὴ, ἐπ' ἐννέ' ὀβολοῖς τοκοφορεῖν. hoc est, *si quis diverterit ab uxore, dotem ei cito reddat, sin autem solutionem distulerit novem obolorum usuram* (hoc est, sesquidrachmalem) *eidem præstabit*.

Ut quoque dotis restituendæ a marito ejusque heredibus in casum mortis & divortii mulieri ejusque heredibus sit cautio, bona mariti vel ex his fundus oppignorari solebat, quod τὸ χωρίον τοῦ ἀποτιμήματος appellatur, seu fundus dotalis, quem oppignorare vel alienare marito non licuit, alias id si factum fuerat in eum dabatur actio ἀποτιμήματος. Præterea maritus semel fundum a se constitutum dotalem non poterat pactione nec lege agere, ut in suum patrimonium redigeretur, aut dotis cautio in eo dissolveretur, cujus & meminit Demosthen. *Orat.* πρὸς Σπουδ. ubi legem recenset Solonis: νόμος οὐκ ἐᾷ διαρρήδην εἰς ἅ τις ἀπετίμησεν εἶναι δίκας οὔτ' αὐτοῖς, οὔτε τοῖς κληρονόμοις. Hoc vero privilegium dotis civibus, non peregrinis & servis competebat, cum nec Atheniensi peregrinam & servam jungere matrimonio licuit sub pœna infamiæ & publicationis bonorum, edixit enim Solon. ἐὰν τὶς ἐκδίδω ξένην γυναῖκα ἀνδρὶ Ἀθηναίῳ, ὡς ἑαυτῷ προσήκουσαν, ἄτιμος ἔσω· καὶ ἡ οὐσία αὐτοῦ δημοσία ἔσω. ut idem *in Neæram*.

Actio servitutis τῶν ἐγκλημάτων πολιτικῶν καὶ ἀγροικικῶν ad vindicandam servitutem in vicino alterius prædio, vel asserendam libertatem nostri prædii est inventa, cujus indicia exstant apud Demosthenem in *Orat.* πρὸς Καλλικλ. de jure recipiendi fluminis, ac τοῦ χειλάρρους εἰς τὸ πλήσιον χωρίον, disserit, & non tantum in rusticis, sed & urbanis prædiis hanc servitutem constitui refert, ait enim *ibid.* τίς ὑμῶν εἴτ' ἀγρῷ, εἴτ' ἄστει.... τὴν οἰκίαν δέξαιτ' ἂν αὐτοῦ, ἀλλ' οὐ τοὐναντίον.

De aquæ ducendæ & hauriendæ vero jure multæ leges antiquæ Atheniensium extiterunt, ut Plato *lib.* VIII. Νομ. meminit, quas servare præcipit, nec dubium inde est cum τοῦ ὑδραγωγοῦ δουλείας Oratores meminerint, etiam de aliis speciebus servitutum exquisitas fuisse actiones, quas Romani inde desumpserunt, cum modum finium regundorum in prædiis & agris, quem Solon in Axone suo proposuit, Decemviri in tabulas XII. inde penitus transtulerint. Quod autem de aquæ ducendæ & hauriendæ jure præcipue actiones fuerunt Athenis, inde accidit, quod Attica fluminibus perennibus, lacubus & fontibus vivam aquam scaturientibus non abundabat, ut & aquæ acquirendæ gratia puteos manu & arte exstructos plerique civium habebant. Qua de caussa Solon quibus eam ducendi hauriendive jure dominii aut servitutis fas esse possit lege edixit, videlicet ut cives intra hippicum seu quatuor stadia a puteo distantes eo uterentur, non vero si intervallum hoc excederent, ut Plutarchus in *Vita Solonis* refert.

Δίκη τῶν ὅρων ἰθυντέων ad fines & terminos agrorum dirimendos, ex lege Solonis, ut dictum est, concedebatur, qua petebatur ut si inæqualitas spatii legitimi vel distantiæ inter agros vicinos deprehensa fuerat, corrigeretur & ad æqualitatem reduceretur. Lex autem quæ recensetur a Cajo *l. final. D. finium regundo.* hæc est: ἐάν τις αἱμασίαν παρ' ἀλλοτρίῳ χωρίῳ ὀρύττῃ, τὸν ὅρον μὴ παραβαίνειν. ἐὰν τειχίον, πόδα ἀπολιπεῖν· ἐὰν δ' οἴκημα, δύο πόδας· ἐὰν δὲ τάφον, ἢ βόθρον ὀρύττῃ, ὅσον τὸ βάθος ᾖ, τοσοῦτον ἀπολιπεῖν· ἐὰν δὲ φρέαρ, εἰ μήπω φρέαρ, ὃ προϋπῆρχε τοῦ γείτονος ἐκ τοῦ ἔνος ἔργου βλάπτεται, ἐπὶ τοσοῦτον ὅσον τοῦ βάθος ὀφείλοι ἀποφυγεῖν· εἰ δὲ τὶς ἐν ἀγρῷ βούλοιτο κτίσαι, τόξου βολὴν ἀπὸ τοῦ ἀγροῦ γείτονος ἀπεχέτω· ἐλαίαν δὲ καὶ συκῆν ἐννέα πόδας ἀπὸ τοῦ ἀλλοτρίου φυτεύειν· τὰ δὲ ἄλλα δένδρα, πέντε πόδας. hoc est, *si quis spem ad alienum prædium fixerit infoderitque, terminum ne excedito; si murum, pedem relinquito; si vallum pedes duos; si sepulchrum aut scrobem foderit, quanta profunditas ejus erit tantundem spatii relinquito; si puteum, modo puteo vicinus qui primo istic eum habuit non noceatur, ad tantundem spatii quanta profunditas erit, recedito. Si in agro quis velit ædificare, a vicini agro usque ad jactum arcus abesto; oleum & ficum novem pedes ab alieno serito; arbores ceteras ad pedes quinque.* Plutarchus quoque addit ejusdem legem: *Quicunque apum alvearia condat, hunc (jussit) ab alterius ante conditis trecentis pedibus abesse.* Et quidem hæ Solonis leges prudenter conscriptæ sunt ex contemplatione rerum naturalium, arborum & plantarum, quarum quædam plus, quædam minus nutrimenti e terra ad frugem fundendam requirunt, quædam quoque radices copiosius & longius protendunt in terram, quædam remissius, ea si propius conjungerentur non solum nascendi vigore sese invicem perturbarent, sed etiam alterum alteri cum summo incommodo fructuum conveniens nutrimentum auferret, & ejus loco inconveniens ad aliud transmitteret. Ex hac lege quoque Solonis quinque pedum distantiæ quod non sit præscriptio inter vicina prædia, profectum esse quidam tradiderunt, cujus in lege XII. Tab. meminere Decemviri, quod tamen minus convenit, *l. quinque C. fin. regund.*

Δίκη ἀποστασίου Actio ingrati est Romanis, quæ dabatur patronis adversus ingratos libertos, ut in servitutem retraherentur, cujus meminit Lysias *ad Aristodemum*, & Aristot. *de republ. Ath.* Etsi enim excepta Macedonum gente non sit in ullum data adversus ingratum actio, ut Seneca lib. III. *de Benefi.* ait, ideo quod difficilis sit rei incertæ æstimatio, ac odio potius quam pœna ingratum damnari sufficiat: Tamen id de ingratis libertis, qui beneficii manumissionis immemores nefarias manus & convicia in patronos conjecerunt, non intelligitur, quos ideo Athenis in servitutem retractos esse etiam Valerius Max. refert, uti & Romanorum legibus ingratitudo hæc vindicatur, quibus quamvis non in servitutem, tamen in potestatem domini ejusque ministerium, libertus retrahitur, vel a præside venditur, ejusque pretium patrono datur ex Commodi constitutione, *l. alimenta, §. Imperatoris ff. lib. agn.* quod & legibus Platonis convenit XI. Νομ. ubi ait, ἀγέτω τὸν ἀπελεύθερον ἐὰν θεραπεύσωσι, ubi & Plato describit operas patrono exhibendas, videlicet ut libertus ter singulis mensibus patroni domum ingrediatur, & se ad ejus obsequium paratum exhibeat, secundo ut domini authoritate nuptias contrahat, tertio ne majores divitias habeat quam dominus.

Δίκη vero ἀπροστασίου dabatur in μετοίκους seu *inquilinos*, qui cives Athenienses non erant, ob non solutum μετοίκιον, quod ut Cœlius refert quotannis erat XII. drachmarum, Isæus vero XII. a marito, ab muliere sex tantum efflagitari consuesse scribit. Hi autem qui solvendo non erant mare ascendere ad triremes compellebantur, ut Demosth. in *Philipp.* ait. Præterea competebat eadem actio cuilibet adversus inquilinum qui patronum Athenis non habebat, cum sine hoc vivere inquilino nulli ibidem licuit, ut & Demosthenes utriusque τοῦ ἀποστασίου καὶ ἀπροστασίου πρὸς Λακρ. meminit.

CAP. XV.

De actionibus ex delictis & criminibus descendentibus.

SUMMARIA.

Actiones publicæ patebant Athenis omnibus ex Populo. Actionum publicarum distinctio. Accusatio ἀσεβείας quæ. Aristoteles quare Athenis discesserit. Demades & Evagoras cur puniti. Alexander voluit Deus vocari. Accusatio τῆς ἱεροσυλίας quæ, & in quos data. Asylorum jus. Asyli jus concessit Ecclesiæ Carthaginensi Justinianus. Accusatio cordis diligentissime tractata Athenis. Homicidia uno modo committuntur. Homicidii accusatio omnibus civibus competebat. Homicidam exulantem ubivis occidere licitum. Homicida in corpore puniendus, non in ære. Homicida cur ligno suspensus. Homicida cur ligno suspensus. Homicida vere est sacrilega, & quare. In homicidio non eventus sed animus facientis spectandus. Homicidia casualia. Necessaria defensio propulsat actionem. Necessariæ defensionis requisita. Mandator homicidii etiam puniebatur. δίκη μοιχίας accusatio adulterii. Romanis legibus permittitur patri adulterum occidere. Adulterium gravius crimen sacrilegio. In Judæa non fuerunt meretrices, cum scortatio fuerit capitalis. Adultera injuriam facit Deo, familiæ & marito. Actio malæ tractationis, δίκη κακώσεως. δίκη προαγωγίας. Accusatio parricidii apud Athenienses non tractata. Solon nunquam futurum putavit, quod liberi parentes occidant. Plato parricidis cur legem non sancivit. δίκη ὕβρεως fuit publica. δίκη προβολῆς· δίκη λοιδορίας & αἰκίας. Furti actio duplex Athenis. Fur alius diurnus, alius nocturnus, eorum pœna diversa. κλοπὴ τῶν δημοσίων χρημάτων seu peculatus. δίκη βλάβης. δίκη ἀργείας. Areopagus in desides & ignavos animadvertebat. Prodigo non erat locus Athenis. Athenis juvenes facti puberes tenebantur discere artificium. Crimina militaria.

ACTIONES publicæ quæ ex legibus publicorum judiciorum descendunt omnibus ex populo patebant Athenis, ut & τὰ δήμοσια ideo appellantur, quo in numero quædam ingerebant pœnam corpori, quædam vero mulctam, eaque ex crimine publico nascebantur.

Præcipue autem ἔγκλημα seu accusatio ἀσεβείας in hac Republica agitata est, quo, ut dictum est, actionis legitimæ prætextu viris sapientibus plerunque nocitum est. Est dabatur in eum qui novos Deos in Rempublicam aut opinionem & religionem de Diis aliam introduxerat, eamque publice professus fuerat, quo prætextu, cum antea Socrates & alii interfecti erant, Aristoteles metuens eandem accusationem discessit Athenis. Præterea si quispiam Oratorum cuipiam mortali aut heroi divinitatem affinxerat, hac accusatione tenebatur, qua de caussa Demadem accusatum hoc crimine mulctarunt decem minis, quod Alexandrum

Deum vocasset, Evagoram vero quod legatus ad Alexandrum missus eum adoravit, morte multarunt, ut Athenæus *lib.* v. refert. Licet enim Alexander se Deum vocari ut decreto ferretur ab Atheniensibus contenderat, tamen in eo postulatum hujus penitus spreverunt, ut & Lacedæmonii astute ejus arrogantiam edicto deriserunt, quod publice affixum erat: *ἐπειδὴ Ἀλέξανδρος βούλεται θεὸς εἶναι, ἔστω θεός.* hoc est, *cum Alexander velit esse Deus, sit Deus.* ut Ælianus refert *lib.* II. *cap.* XIX.

Accusatio τῆς *ἱεροσυλίας* dabatur in fures sacrorum qui depopulati erant fana & templa, cujus meminit Plato *lib.* XI. *de Leg.* ac crimine hoc civem Atheniensem non pollui sancte potius quam graviter admonet, qua de caussa & pœnam præscribit servis & non liberis hoc flagitio immani reis peractis. In eos quoque dabatur hæc accusatio, qui jus sacri confugii vel Asyli læserant, quod confugientes a sepulchro Thesei, quod Athenis jus Asyli habuit, vel templo Minervæ abstraxerant, quæ immunitas Asylorum non solum totam Græciam sed & Romanum Imperium invasit, quam tamen Tiberius, licet Asyli loco erat statua ipsius, ne impunita essent delicta, abrogavit, quamvis postea pedetentim restituta sit, ac Justinianus ut Ecclesiam Carthagin. in Aphrica præ cæteris privilegio ornaret, jus Asyli hoc eidem concessit, quod tamen non conceditur adulteris, virginum raptoribus, furibus & homicidis, eo quod ut *Novell.* XVII. Constantini ait, *τῶν ἱερῶν ἀσφάλεια οὐ τοῖς ἀδικοῦσιν, ἀλλὰ τοῖς ἀδικουμένοις δίδοται.*

Accusatio cædis in judicio Atheniensi præ cæteris diligentissime tractata est. Cum vero ea ex proposito vel præter voluntatem vel casu simplici committatur, diversa tribunalia ideo, ut dictum est, constituta erant, in quibus leges *φονικαὶ* Draconis quibus homicidæ puniendi erant observatæ sunt. Etsi autem cognatis non peregrinis jus vindicandæ necis competebat, tamen cum ut Ulpianus *in Andro.* ait, publicum crimen erat & accusatio ad omnes cives spectabat, ut Demosth. in Λεπτ. καὶ Μειδ. & Ἀριστοκρ. ut & prehendendi & occidendi cuilibet potestatem concesserat lex, etiam eo loco ubi exulabat homicida, quam legis Draconis asperitatem Imperatores ad grassatores & depopulatores nocturnos accommodarunt, *l.* I. *C. quando liceat.* Præterea ne in ære, sed corpore pœnam luat lex constituit, quem vindictæ modum Draco ex legibus Moysis desumpsit, quæ exigit ut sanguis sanguine expietur, & nullo modo pretio aut lytro compensetur, qua de caussa & Philo in libro de *specialibus legibus Moysis* ait, divinum Legislatorem contra homicidas mille supplicia decrevisse, quæ cum homicida pati non poterat, novam pœnam constituit, ut in ligno suspenderetur, ac qui omnes mundi partes infestarat, ejus supplicium soli, cœlo, aeri, aquæ & terræ ostenderetur, & mox in sepulcro deponeretur, ne quid supra terram incontaminatum relinqueretur. Et paulo ante idem ait, Qui hominem occidit appellatur homicida, sed revera est sacrilega & quidem insignis, cum perpetravit sacrilegium maximum, sublata e mundo re preciosissima sacratissimaque, quando nihil est Deo tam simile quam hoc signum pulcherrimum expressum e matrice pulcherrima ad exemplar ideæ rationalis effictum, quod & Constantinus XII. Νεαρ. expressit. Non tamen tenebantur pœna hac legis ordinaria homicidæ qui casu *ἐν ἄθλοις, ὁδῷ, πολέμῳ* cædem commiserant, cum ut Demosth. explicat, *οὐ τὸ συμβὰν σκεπτέον, ἀλλὰ τὴν τοῦ δεδρακότος διάνοιαν*, id est, *non eventum, sed animum facientis spectandum esse*: alias si casu extra hæc loca patrata fuerat cædes exilii annui pœna, si deprecatione interposita ea tolli non poterat, notabantur, uti & non solum animata, sed & inanimata legis vindictæ subjiciebantur, ut dictum antea. Nec quoque accusatione ex lege Draconis tenebatur qui necessaria defensione usus vim a se propulsarat, modo *εὐθὺς ἀμυνόμενος κτείνῃ*, ut ait Draco, seu statim vim pellendo invasorem interfecerat, quod eleganter Demosthenes explicat, inquiens: *τὸ εὐθὺς ἀφεῖλε τὸν τοῦ βουλεύσασθαί τι κακὸν χρόνον, τῷ δ' ἀμυνόμενος, πάσχοντι δίδους τὴν ἐξουσίαν, οὐκ ἄλλῳ τινὶ*, id est, *illud statim seu in continenti abstulit tempus deliberandi & cogitandi malum*: illud vero Repellere significat, quod lex facultatem dedit injuriam passo non alteri: præterea ut defensio ex modo præscripto fiat antecedere oportuit *ἀδικῶν ἄγῃ καὶ φέρῃ βίᾳ.* Ex quibus requisita necessariæ defensionis desumuntur, quæ defensio jure liceat & præmissa est, *ὅσα τὶς εἰς φυλακὴν ἰδίου σώματος ποιεῖ, νομίμως ποιεῖ*, *l.* 3. *ff. de justit. & jur.* Is quoque cujus mandato facta cædes erat puniebatur, quod Areopagitæ judicarunt, ait enim, *τὸν πατάξαντι τύπτειν τὸν παρακαλεσάμενον ἐξεβάλειν ἢ ἐξ ἀρειοπάγου δικάζειν.* Quod & jus Romanum statuit, ut ex *Basilicis* saltem patet, *ὁ ἐντειλάμενος τινὶ φονεῦσαι, ὡς φονεὺς κρίνεται*, hoc est, *mandator cædis pro homicida habetur.*

Δίκη μοιχίας tractatur a Demosth. *in Neæram*, & ex legibus Draconis descendit, quem capitalem pœnam hujus criminis sancivisse non est dubium, cum & maritum qui mœchum apud uxorem deprehensum interfecerat pœna exilii exemerit, ut *κατ'* Ἀριστοκρ. legem Demosth. recenset, quod jus Romanum post restrinxit, eumque patri necare permisit. Capitale autem fuisse hoc crimen non est dubium, cum, ut Philo ait in libro *de Joseph.* non solum legem divinam, sed sapientes omnium mortalium in hanc pœnam mortis consensisse, eo quod sit gravius sacrilegio: ac refert in Judæa scortationem esse etiam capitalem, & ideo non fuisse ibidem meretrices. Esse autem hoc crimen gravissimum, patet, quia Adultera injuriam facit Deo, familiæ & marito, ut Dion apud Stobæum refert *Serm.* LXXII. *Ἀδικεῖ γενεθλίους θεοὺς, οἴκῳ καὶ συγγενείᾳ οὐ γνησίους ἐπικούρους, ἀλλὰ νόθους παρεχομένα· ἀδικεῖ δὲ τοὺς φύσει θεοὺς ὥσπερ ὑπομόσασα μετὰ τῶν αὐτᾶς πατέρων τε καὶ συγγενῶν συνελεύσεσθαι ἐπὶ κοινωνίᾳ βίῳ τε καὶ τέκνων γενέσει τε, κατὰ νόμον. ἀδικεῖ δὲ καὶ τὰν αὐτᾶς πατρίδα, μὴ ἐμμένουσα τοῖς ἐνδιατεταγμένοις.* Qua in re tamen Romani fuerunt languidiores, cum Julia lege ea asperitas supplicii quidem quæ adscribitur ei nunquam comprehensa fuit, nisi quod post Imperatores Constantinus & Constans mortis pœnam constituerint.

Δίκη κακώσεως τῶν γονέων non est similis actioni Rhetorum quam malæ tractationis vocant, quæ rei uxoriæ convenit, sed accusatio ob injuriam illatam parentibus, cujus meminit Demosthenes *in Timocr.* ac homicidio parem hanc injuriam facit, *οἱ τοὺς γονέας κακοῦντες, οἱ μὴ καθαρὰς τὰς χεῖρας ἔχοντες, εἰσιόντες δ' εἰς τὴν ἀγορὰν ἀδικοῦσι.*

Δίκη προαγωγίας instituebatur in patrem prostituentem filiam suam quæstus gratia, quod crimen capitale descendebat ex lege, ut meminit Æschines *contra Timarchum.* Constantinus vero Imperator pœnam constituit lenoni & persuasori, ut liquido plumbo ejus meatus oris clauderentur, *l.* I. *Cod.Th. de rapt. virg.* quam severitatem tamen pœnæ posteriores neglexerunt.

Πατρολοίας ἔγκλημα seu parricidii accusatio apud Athenienses in foro non tractata legitur, cum hoc immanitatis scelus liberi in parentes committi posse Solon dubitavit, ut & Ulpianus *in Timocr.* ait, *ἀνδροφόνους μὴ εἶναι εἰκὸς τὸν οὕτως ἔχοντα γνώμης τὸν πατέρα κτεῖναι.* Nec Plato X. Νόμων parricidis pœnam

pœnam ſancivit, ideo quod talis extremo ſupplicio dignus ſit, & mortem hanc naturalem non his ultimum pœnæ, ſed inferorum tormenta potius eſſe extrema ſupplicia. Romani tamen licet magnitudine ſupplicii hoc immane ſcelus expiari non poſſe putarunt, tamen crudelitate pœnæ id vindicarunt, quæ L. Pompeja ad collaterales quoque extenſa eſt.

Ὕβρεως δίκη generalis actio fuit Athenis, ſub qua ſpeciales multæ continebantur, ac ſimilis eſt actioni injuriarum. Fuit autem publica non privata, quod differit Demoſthenes κατὰ Μειδ. πᾶσαν ὕβριν δημοσίαν eſſe, καὶ λέγεται ἡ δι' αἰσχρουργίας, ἢ διὰ πληγάς, ut Ulpianus *ibidem* ait, ſeu committitur injuria ob turpitudinem geſtus & morum, ſeu ut Demoſthenes, ὕβρις ἐστὶ εἰς τὸ σῶμα καὶ τὸ κακῶς λέγειν, verbis & re committitur, ubi leges recenſet in Μειδ. Reprehendit autem Muſonius apud Stobæum Demoſt. quod nimis præceps fuerit in formandis injuriis ex quibus actio competeret, quod etiam τῷ βλέμματι ὑβρίζειν τινάς, hoc eſt, *nutu oculorum committi injuriam* voluerit. Si quis autem injuriam commiſerat in locis ſacris vel ludis publicis, in eum dabatur δίκη προβολῆς ſpecialiter ſic dicta, ut *in Midiam*.

Λοιδορίας δίκη propter convicia, αἰκίας propter pulſationem, τραύματος ob vulnerationem proponebantur, quas ſpecialiter diſtinguit Demoſthenes *contra Canonem*. Præſcribebantur tamen hæ actiones Athenis ſpatio XXX. dierum, quod prætor Romanus annuum fecit. Nec tantum hæ actiones dabantur, ſi libero, ſed & ſervo injuria facta erat, ut Hyperides in *Orat.* Παντιθέου, quod tamen παρ αἰκίας γραφὴν intelligitur, ſi is pulſatus erat, ut Hyperides etiam ſentit.

Furti actio Athenis duplex *publica & privata* erat, ut ex Demoſthene *in Timocr.* colligitur, idque diſtinctione quadam diurni & nocturni furis, qua Solon uſus eſt contra Draconem. Privato judicio contra furem diurnum agebatur, ad reſtitutionem rei, quo caſu tamen non ſuffecit rei ablatæ reſtitutio in duplum, ſed etiam ad vincula quinque dierum & noctium condemnabatur, uti Demoſthenes legem Solonis recenſet, ubi ἰδίαν δίκην τῆς κλοπῆς vocat: Nocturni vero fures publico judicio accuſati & convicti morte puniebantur, ait enim, εἰ δέ τις νύκτωρ ὁτιοῦν κλέπτοι, τοῦτον ἐξεῖναι, καὶ ἀποκτεῖναι, καὶ τρῶσαι. τῷ δὲ ἁλόντι ὧν αἱ ἀπαγωγαί εἰσιν οὐκ ἐγγυητὰς καταστήσαντι, ἔκτισιν εἶναι τῶν κλεμμάτων. ἀλλὰ θάνατον τὴν ζημίαν. Eadem pœna mortis & conſtituta fuit ſi ex Lyceo, Academia, aut Cynoſarge res leviſſimi etiam pretii ſubtracta fuerat.

Κλοπῆς τῶν δημοσίων χρημάτων ſeu peculatus facit Demoſthenes etiam mentionem. Diſtinguit autem δημόσια χρήματα in ὅσια καὶ ἱερὰ, quo reſpectu pœna conſtituta erat, videlicet ut is qui ὅσια, hoc eſt, pecuniam civitatis ad ædificia & mœnia deſignatam ſuſtulerat, duplum: Sin vero τὰ ἱερα quæ ludis ſacris conficiendis deſtinata erant decuplum redderet, ait enim Demoſthenes, *adverſus Timocr.* ἐπειδὴ δὲ Ἀνδροτίωνα ἔδει ἃ πάλαι ὑφῄρητο τῆς πόλεως χρήματα, καταθεῖναι, τὰ μὲν ἱερὰ, τὰ δὲ ὅσια. τό τε θεῖναι τὸν νόμον ἐπ' ἀποστερήσει, τῶν μὲν ὁσίων τῆς διπλασίας, τῶν ἱερῶν δὲ τῆς δεκαπλασίας.

Βλάβης δίκη Solonis lege datur ut damnum reſarciatur aut in ſimplum aut duplum, ait enim lex: ἂν μὲν ἑκὼν βλάψῃ, διπλοῦν. ἂν δὲ ἄκων, ἁπλοῦν τὸ βλάβος (νόμοι) κελεύουσιν ἐκτίνειν.

Ἀργείας δίκη Athenis recepta fuit, qua otioſi qui quo quæſtu & artificio ſeſe ſuſtentarent rationem vitæ reddere compellebantur, ut ſi ocii & deſidiæ convicti fuerant ex conſtitutione Solonis Areopagus in eos arbitrio animadvertebat. Draco autem legis pœnam aſperam videlicet mortem tulit, τοὺς τῆς ἀργείας ἁλόντας ἀποκτεῖναι ἀναγκαίως ἔχει λωποδύτας ὡσαύτως καὶ τοιχωρύχους. Fuiſſe quoque eandem actionem in uſu apud Romanos quondam, patet *ex Nov.* LXXX. ubi de Mendicantibus conſtituitur, φειδόμενοι γὰρ αὐτῶν ταῦτα νομοθετοῦμεν ὅπως ἂν μὴ τῆς ἀργείας αὐτοὺς εἰς τοὺς κατόπιν πράξεις. & infra μεταγραφὴν καὶ ἐλέγχους τιμωρεῖσθαι τούτους, ut & Valentinianus in conſtitutione de validis mendicantibus legem Athenienſium hanc ſecutus eſt.

Præterea hac accuſatione reprimebatur luxus civium ne officiis neglectis ſe crapulæ & otio dederent, cum alias prodigo & qui patrimonium ſuum profuderat non erat locus Athenis, ut legem Solonis refert Laertius: τὸν ἀναλώσαντα τὴν πατρῴαν οὐσίαν μὴ ἀξιοῦσθαι ἐν τῇ πατρίδι. D. Baſilius vero *Pſal.* LIV. hanc reddit rationem: Ne ſit occaſio Athenienſibus novum quid moliendi, dicendi, audiendive, ait enim, πονηρὰ σχολὴ τῶν Ἀθηναίων, οἱ εἰς οὐδὲν ἄλλο εὐκαίρουν, ἢ λέγειν, καὶ ἀκούειν τι καινότερον. Et in epiſtola *ad Eudoxum* refert, Athenis fuiſſe morem ut juvenes ſi quando attigerant annos pubertatis arti alicui addicerentur, quod fieri ſolebat eo modo, videlicet, quod publice apud magiſtratum omnium artium inſtrumenta proponebantur, ad quæ juvenis adductus permiſſo ſibi arbitrio quo genere inſtrumenti ad percipiendam artem magis natura & animo ferretur, unum elegit, & ſi quod inſtrumentum apprehenderat, ejus artis diſciplinam ſectari compellebatur.

His annumerantur & alia ἐγκλήματα, ut προδοσίας quæ in proditorem patriæ, λειποταξίας in deſertorem aciei & transfugam, ἀστρατείας in recuſantem onera militiæ, quæ crimina militaria cum erant, ab accuſatore Duce belli vendicabantur.

CAP. XVI.

De exceptionibus.

SUMMARIA.

Reorum partes favoravibiliores quam actoris. Exceptiones aliæ intentionis, aliæ dilationis. Dilatoriæ exceptiones abſque jurejurando non admittebantur. Exceptiones intentionis ſeu peremtoriæ quæ ſint. Injuriarum actionis præſcriptio. Replicatio, duplicatio, triplicatio Athenis non admittebantur.

JUDICES jurejurando, ut dictum eſt, quoties ſententiam ferebant ſeſe diræ imprecationi adſtrinxerant, æqua mente Actorem & Reum audituros; ideoque rei exceptiones exacte conſiderarunt, cum alias ὁ δανειζόμενος ἐν παντὶ προέχει τῶν δανειζόντων. ut *contra Dionyſod.* Demoſthenes ait, hoc eſt, *quod reorum partes ſint favorabiliores quam actoris*. Objiciebant autem Oratores duplicis generis exceptiones, intentionis, & dilationis; ait enim ὑπὲρ Φορμ. τὴν μὲν οὖν παραγραφὴν ἐποιησάμεθα τῆς δίκης ἵνα ἐκκρούοντες, οὐχ χρόνους ποιοῦντες. Et dilatoriæ objectæ non admittebantur niſi jurejurando actor & reus legitimum impedimentum aut ſonticum morbum probarant, ut & dilatio impetrata ideo ἐπωμοσία diceretur. Declinatoriæ fori & juriſdictionis, quæ πρόσκαιροι appellabantur ob incompetentem judicem, ſaltem proponebantur, quarum fit mentio πρὸς Πανται. ubi tradit. ἡ μὲν αἰκία, καὶ τὰ τῶν βιαίων, πρὸς τοὺς τεσσαράκοντα· αἱ δὲ τῆς ὕβρεως πρὸς τοὺς θεσμοθέτας· ὅσα δὲ εἰς ἐπικλήρους, πρὸς τὸν ἄρχοντα. Intentionis exceptiones ἐκκρούοντες τὴν δίκην, quæ peremtoriæ vocantur, ſunt Exceptio

δίκη μὴ οὖσα, hoc est, Tibi non competit actio, de qua in *Midiana*, & πρὸς Σπυδ, vel ut πρὸς Παν. μὴ οὖσα εἰσαγώγιμος δίκη. Exceptio pacti conventi ex lege Solonis datur, ut Demosth. *contra Evergum*, ὁ νόμος κελεύει κύρια εἶναι τὰ ἂν ἕτερος ἑτέρῳ ὁμολογήσῃ. Hoc est, *Lex jubet pacta & conventa esse servanda*: & *in Menippum* addit, ea præcipue quæ præsentibus testibus confecta sunt, ut doli & metus suspicio tanto magis removeatur. Transactionis traditur a Demosthene πρὸς Παντα. ac legem Solonis recitat: νόμος κελεύει περὶ ὧν ἄφεσις καὶ ἀπαλλαγὴ περὶ τούτων μηκέτι δικάζεσθαι, hoc est, *lex jubet de rebus transactis, cujus nomine quid datum est non dari judicium*: quod tam ad civilia quam criminalia transfert. Demostheni παραγραφὴ τῆς προθεσμίας præscriptionis exceptio est, qua actor a jure agendi propter tempus excludebatur, quæ quinquennii fuit in tutelæ actione, videl. si agebatur περὶ τῶν ἐκ τῆς ἐπιτροπῆς ἐγκλημάτων, ut πρὸς Ναυσιμαχ. Sic & actio ὕβρεως seu injuriarum præscribebatur Athenis spatio xxx. dierum, quod lege Solonis continetur quam Demosth. recenset *in Mid.* οἱ δὲ θεσμοθέται εἰσαγόντων εἰς τὴν ἡλιαίαν τριάκοντα ἡμερῶν, ἀφ᾽ ἧς ἂν ἡ γραφή. His & aliis exceptionibus in judicio objectis processui finis imponebatur, & judices in caussa pronunciabant. Replicatio enim & ulterior procedendi ratio in judicio non admittebatur, ut ex Lysia κατὰ Φίλων. patet.



JOACHIMI PERIONII,

HEBRAICARUM ET GRÆCARUM LITTERARUM INTERPRETIS REGII,

DE

MAGISTRATIBUS

GRÆCORUM ET ROMANORUM,

LIBRI TRES.

AD ODONEM COLLIGNIUM CASTILIONÆUM CARDINALEM AMPLISSIMUM.

ODONI COLLIGNIO CASTILIONÆO

CARDINALI AMPLISS.

FRANC. PERIONIUS,

JOACHIMI EX FRATRE NEPOS,

S.



IRABUNTUR fortaſſe multi (Cardinalis ampliſſime) unde mihi tantum fiduciæ ſit, ut poſthumam hanc patrui mei prolem clariſſimo nomini tuo conſecrare, tibique præſuli illuſtriſſimo offerre non dubitem: tum quod inter tot authoris volumina minimum hoc opus parum amplitudine tua dignum eſſe videatur: tum quod etiamſi dignum eſſet, nimium tamen ipſe ſim abjectus, quam id ut per me fiat, cui quidem tanti principis in conſpectum prodire formidabile eſſe debet. Sed mirentur licet multi: mihi quidem pro multis unus es. Scio autem & ipſe (quis enim hominum ignorat?) quemadmodum illa Natura, quæ in te perficiendo vires omnes deprompſit ſuas, hoc etiam ingenti laudum tuarum cumulo addiderit, ut & æquus rerum æſtimator eſſe ſoleas, & in te ſingularis quædam humanitas elucescat. Quare poſteaquam tibi affirmavero eam morientis patrui cogitationem fuiſſe, ut fœtus hic in ſplendidiſſimo nomine tuo appareret, ſtatim tibi veniet in mentem, quam ſancta & inviolabilis extrema hominum voluntas omni jure ſemper fuerit: atque ita quod ad priorem objectionem attinebit, omni culpa vacabo. Ex parte autem ſi quid peccatum erit noſtra, tribuendum erit illud omne humanitati tuæ incredibili, quæ cum pateat omnibus etiam infimis, efficit ut aliquem quoque ad eam aditum vendicare nobis audeamus. Quod ſi dignos judices nos, ut aliquando, cum & maturior ætas, & ampliora ſtudia acceſſerint, aliqua ex parte opera noſtra tibi non ingrata eſſe poſſit: erit profecto cur & Muſis gratulemur noſtris, & in meliorem ſpem erecti poſteaquam aliena edidimus, propria nos olim edituros, Amplitudinique tuæ dicaturos non vereamur polliceri. Sed jam incipe horum librorum lectione frui, & ex annuis illis ſtipendiis, quibus pro ea, qua doctos omnes amplecteris, benignitate Perionii tui ſtudia liberaliſſime juviſti, aliquem nunc merito percipe voluptatis fructum. Vale. Lutetiæ VII. Cal. Decembr. MDLIX.

FRANC. PERIONIUS

SCÆVOLÆ SAMMARTHANO ET ROG. MÆSONERIO SUIS

S. P. D.



Idetur nostrum sæculum sibi ipsum gratulari, quod viros doctrina celebres multos protulerit. Sed qui docti habeantur cum multi sint, qui merito tales habeantur profecto pauci. Eorum enim qui nulla eruditione exculti falsam tamen eruditionis laudem ambiunt, infinita est natio. Neque certe ullum genus intolerabilius, quam eorum, qui ex alienis vigiliis reprehendendis famam quærunt: neque vero ex eorum numero intolerabilior quisquam inepto quodam philosophiæ professore: qui cum in Italia cultissima eloquentiorum hominum schola frustra natus sit, ita se in loquendo gerit, ut apud Barbaros educatus merito debeat existimari. Sed quantumvis ineptus & Barbarus, aliqua tamen ex parte tolerandus esse videretur, adeo ut liceret hominis misereri, nisi etiam & calumniator, & alienæ famæ insectator insolens justam in se iram pro miseratione concitaret. Cumque in fatis doctorum omnium hominum sit, ut simulatque eorum vita Parcarum severitatem experta est, statim etiam eorundem fama invidorum improbitatem experiatur, invenere hunc Perionii nostri compositi manes, a quo placida eorum quies turbaretur. Qui tamen ut non malo animo inductus, sed sola veritate impulsus videatur ad carpendum, posteaquam Aristotelicos hujus Academiæ professores hortatus est, a Perionianis interpretationibus tanquam male fidis ut abstineant; addit Perionium quidem & eloquentem & in bonis artibus fœliciter versatum fuisse, at in philosophia & ignarum & nullius judicii hominem se præbuisse. Ego vero Italum istum aut in bonis artibus versatum plane nego: Philosophum autem tum demum fatebor, cum philosophia Barbarismus erit. Quare si quemadmodum a viro laudato laudari laudabile est, ita ab eo vituperari non est illaudabile qui ipse vituperio dignissimus. Desinamus jam usque adeo excandescere in eum, a quo, si solum eventum non etiam voluntatem nocendi spectemus, parva admodum Perionio nostro fit injuria. Vobis autem hæc paucis scribere visum est, cum ut quod justissima quædam indignatio in nostro pectore condiderat, effutirem: tum ut patrui mei exemplo jam inde ab hoc tempore conjiciatis quæ post obitum vobis sint eventura, si quam præstans ingenium eruditionis laudem apud posteros pollicetur, fœlici genio consequamini. Valete. Lutetiæ IX. *Cal. Decemb.* MDLIX.

JOACHIMI PERIONII,

HEBRAICARUM ET GRÆCARUM LITTERARUM INTERPRETIS REGII,

DE

MAGISTRATIBUS

GRÆCORUM ET ROMANORUM,

LIBER PRIMUS.



Uod Veteres omnes & ipsi observaverunt, & nobis reliquerunt in præceptis, ut a Platone, Aristotele, & Cicerone repetam, principio id de quo agatur, quid sit & quale esse patefaciendum: id mihi in his Libris in quibus *de Magistratibus* institui disputare, faciundum putavi. Nam ita facillime quæ tradimus intelligentur, si confusione ac perturbatione omni præceptorum rerumque sublata, ordinem eum quem illi via & arte persecuti sunt, servabimus.

Primum igitur quid sit Magistratus, quæque ac quot ejus sint genera, summatim generatimque dicemus. In quo de ratione creandorum Magistratuum, de ratione suffragiorum, quibus verbis Græci ac Latini hæc quæ ad hunc de Magistratibus locum pertinent, explicent, differendum erit. Deinde singulorum Magistratuum nomina Græca & Latina, munera, potestas, auctoritasque tradentur.

Principio quoniam verbum ambiguum nisi explicetur in multas partes animum solet distrahere, nobis ejus verbi de quo agitur vis omnis & natura exponenda est. Magistratus enim verbum & ad personam & ad rem accommodatur. Ad personam cum refertur, Magistratus est, qui imperio ac potestate aliqua præditus est, qua privatus vacat: vel qui plus potest quam privatus, in iis quidem rebus quæ ad Rempub. pertinent. Cum autem rei nomen est, aliud est nihil, nisi imperium illud & potestas in Repub. quæ privatum non attingit. Hanc verbi ambiguitatem Græci non habent, quippe qui hæc duo totidem verbis declarent. Nam & ἀρχὴ rei verbum est, & ἄρχων personæ, etsi hoc posterius, nomen est etiam certi Magistratus, qui Athenis, ut idoneo loco dicam, poterat plurimum. Neque vero ἀρχὴν solum dicunt Græci, sed etiam ἀρχεῖον, quo Aristoteles in libris *de Rep.* quos de Græcis convertimus, frequenter utitur. Unum autem modo afferam, ne in re fortasse non dubia sim longior. Scribit ergo in *lib.* II. his fere verbis loquens de Cretum repub. eamque cum Lacedæmoniorum conferens. Τὸ δὲ περὶ τοὺς Κόσμους ἔτι χεῖρον τῶν Ἐφόρων. ὃ μὲν γὰρ ἔχει κακὸν τὸ τῶν Ἐφόρων ἀρχεῖον, ὑπάρχει καὶ τούτων. γίνονται γὰρ οἱ τυχόντες. Hunc locum convertimus hoc modo, *At Cosmorum potestatem, quam Ephororum deterius* (si perspicuum est esse constitutam.) *Quod enim malum est in Ephororum magistratu, ut quivis passim eum adipiscatur; id etiam in illis est.* Hoc inquam verbum usitatum est & tritum apud Aristotelem pro auctoritate & potestate. Pro persona autem adeo rarum est masculino genere, ut semel tantum apud hunc ipsum, apud alium neminem legerim. Differens de Carthaginensium Repub. *eodem lib.* II scribit hoc D modo. Καὶ τὸ, τὰς ὑπὸ τῶν ἀρχείων δικάζεσθαι πάσας, καὶ μὴ ἄλλας ὑπὸ ἄλλων, καθάπερ ἐν Λακεδαίμονι, scilicet, Ἀριστοκρατικόν. Sic ego, *Quod denique judicia fiunt a magistratibus, nec alia ab aliis, quemadmodum apud Lacedæmonios*, ad id civitatis genus accommodandum est, *quod est in potestate optimorum.*

Ego ut quod sentio libere dicam, mihi nostri homines Græcos ut plerisque in rebus, sic in his verbis imitati videntur. Ut enim ἀρχὴν *magistratum*, ita τὸ ἀρχεῖον *magisterium*, & præterea ἀρχίους *magistros* dixerunt. Nam & magister equitum ab illis dicitur. Quanquam Veterum sententia magisterii, magistri, ac magistratus quædam distinctio est, quæ qualis sit Varro in libro *de Latina Lingua* exponit his verbis. *Magister equitum, quod summa potestas ejus in equites accensos, ut est summa in populum Dictatoris* (sic enim legendum est) *a quo is quoque magister populi appellatus. Reliqui quod minores* E *quam hi, a magistro* (sic enim legendum est) *dicti magistratus, ut ab albo albatus.* Varronis quidem hæc sententia est, ex qua etiam, origo verbi magistratus quæ sit, intelligimus. Magistratum enim a magistro vult appellatum esse. Festus autem Pompejus multos alios magistros vocatos ait, ut *magistros vicorum, societatum, collegiorum*, & Cicero *magistros scripturæ ac societatis*, de quibus alio loco differemus. Nisi forte non in magistratuum, sed in curationum numerum hos tales volumus reponere. Aliud est enim *magistratus*, aliud *curatio*, ut aliud ἀρχὴ, aliud ἐπιμέλεια, quæ nobis tractanda differentia est, ut magistratus verbum non solum ab iis quæ perspicue dissimilem vim habent, sed ab iis etiam quæ similem & vicinam, separemus. F Hoc enim par est intelligi, inter res quæ his duobus verbis subjectæ sint, tantam esse similitudinem, ut quondam inter duo Græciæ lumina, Demosthenem dico, & Æschinem, magna fuerit de eorum dissimilitudine dissensio. Æschinis quidem, ex quibus id perspici poterit, ex Oratione *in Ctesiphontem* verba subjeci: Λέξουσι δὲ, ὦ Ἀθηναῖοι, καὶ ἕτερόν τινα λόγον ὑπεναντίον τῷ ἀρτίως εἰρημένῳ, ὡς ἄρα ὅσα τις αἱρετὸς ὢν πράττει κατὰ ψήφισμα, οὐκ ἔστι ταῦτα ἀρχὴ, ἀλλ' ἐπιμέλειά τις καὶ διακονία, ἀρχὰς δὲ φήσουσιν ἐκεί-

νας εἶναι, ἃς οἱ θεσμοθέται ἀποκληροῦσιν ἐν τῷ Θησείῳ, κἀκείνας ὁ δῆμος εἴωθε χειροτονεῖν ἐν ἀρχαιρεσίαις, στρατηγοὺς καὶ ἱππάρχους, καὶ τὰς μετὰ τούτων ἀρχάς, τὰς δ᾽ ἄλλα πάντα, πραγματείας προστεταγμένας κατὰ ψήφισμα. ἐγὼ δὲ πρὸς τούτους λόγους τοὺς τούτων, νόμον ὑμέτερον παρέξομαι, ὃν ὑμεῖς ἐνομοθετήσατε, λύσειν ἡγούμενοι τὰς τοιαύτας προφάσεις, ἐν ᾧ διαρρήδην γέγραπται, τὰς χειροτονητάς φησιν ἀρχὰς ἁπάσας, ἑνὶ περιλαβὼν ὀνόματι ὁ νομοθέτης, καὶ προσειπὼν ἀρχὰς ἁπάσας εἶναι, ἃς ὁ δῆμος χειροτονεῖ, καὶ τοὺς ἐπιστάτας φησὶ τῶν δημοσίων ἔργων, ἔστι δὲ ὁ Δημοσθένης τειχοποιός, ἐπιστάτης τοῦ μεγίστου τῶν ἔργων, καὶ πάντες ὅσοι διαχειρίζουσί τι τῶν τῆς πόλεως πλέων ἢ τριάκοθ᾽ ἡμέρας. καὶ ὅσοι λαμβάνουσιν ἡγεμονίας δικαστηρίων. οἱ δὲ τῶν ἔργων ἐπιστάται πάντες ἡγεμονίᾳ χρῶνται δικαστηρίου. τί τούτους κελεύει ποιεῖν; οὐ διακονεῖν, ἀλλ᾽ ἄρχειν, δοκιμασθέντας ἐν τῷ δικαστηρίῳ. id est, *Afferent, Judices, aliam nescio quam defensionem ei contrariam quæ modo commemorata est, eum qui suffragiis creatus ex SC. aliquid gerat, non esse magistratum, sed curatorem & administrum. Magistratus autem eos contendunt esse, qui in Thesei æde sortito ut vult legis scriptor creatur, quosque populus suffragiis creare solet in comitiis, cujusmodi sunt imperatores, præfecti equitum, & qui una cum his præsunt, cætera omnia, curationes quæ ex plebiscito sint constitutæ. Ego vero his istorum defensionibus legem opponam, quam tulistis, sperantes vos refutaturos rationes ejusmodi, in qua perspicue legislator uno nomine magistratus complectitur omnes eos qui suffragiis populi creentur, eosque qui hæc gererent, præfectos negotiorum publicorum nominat. Atqui curator est Demosthenes murorum reficiendorum, quo munere nullum est nec majus nec amplius, & omnes qui aliquod publicum munus gerunt amplius dies triginta, & qui judiciis præsunt. Qui autem præpositi sunt aliquibus negotiis, summam habent judiciorum potestatem. Quid his lex præscribit & mandat? non ministerium, sed imperium & potestatem, cum eorum fides & integritas in judiciis spectata est & comprobata.* Atque Æschinis quidem hæc de magistratuum curationumque distinctione sententia est, qua lege vult niti.

Demosthenis autem quæ sit, nobis non constat, quoniam verbum nullum fecit in defensione. Aristoteles quidem in libris *de Rep.* accuratissime de magistratibus & curationibus disputans, duces belli, id est, imperatores qui στρατηγοὶ dicuntur, sacerdotes, legatos, præcones, choragos, id est, ædiles aliosque multos curatoris nomine appellat. Scribit enim in *lib.* III. his verbis. Ἔστι δὲ οὐδὲ τοῦτο διορίσαι ῥᾴδιον, ποίας δεῖ καλεῖν ἀρχάς. πολλῶν γὰρ ἐπιστατῶν ἡ πολιτικὴ κοινωνία δεῖται. διόπερ πάντας οὔτε τοὺς αἱρετοὺς, οὔτε τοὺς κληρωτοὺς ἄρχοντας θετέον. οἷον τοὺς ἱερεῖς πρῶτον. τοῦτο γὰρ ἕτερόν τι παρὰ τὰς πολιτικὰς ἀρχὰς θετέον, ἔτι δὲ χορηγοὶ καὶ κήρυκες. αἱροῦνται δὲ καὶ πρεσβευταί. εἰσὶ δὲ αἱ μὲν πολιτικαὶ τῶν ἐπιμελειῶν ἢ πάντων τῶν πολιτῶν πρός τινα πρᾶξιν, οἷοι στρατηγὸς στρατευομένων. ἢ κατὰ μέρος, οἷον ὁ γυναικονόμος, ἢ παιδονόμος. αἱ δ᾽ οἰκονομικαί. πολλάκις γὰρ αἱροῦνται σιτομέτρας. αἱ δ᾽ ὑπηρετικαὶ, καὶ πρὸς ἃς ἂν εὐπορῶσι τάττουσι δούλους. Nos hunc locum vertimus hoc modo. *Hoc autem non est facile explicatu, quid magistratus nomine appellandum sit. Nam cum præfectis multis sit opus civili societati, certe non omnes, qui voce aut sortito creantur, magistratus habendi sunt, cujusmodi sunt primo sacerdotes, quos in alium numerum quam civilium magistratuum debemus reponere, deinde choragi & præcones. Suffragiis etiam legati creantur. Curationes autem civiles aut omnibus civibus ad aliquod officium præsunt, ut dux belli, exercitui, aut parti, ut matronarum ornatus arbiter & censor, & puerorum magister ac censor. Aliæ sunt domesticæ. plerunque enim frumenti mensores creant. Quædam sunt serviles, & ad quas si opes suppetant, servos adhibent.* Atque hæc ille: ex quibus non solum qui curatores habendi sint, sed curatorum etiam genera intelligere possumus. Facit enim duo prima genera, unum eorum qui negotia publica gerunt, alterum eorum qui ea quæ ad rem domesticam familiaremque pertinent. Prioris generis rursus partes duas ponit, alteram eorum qui omnibus civibus imperant, alteram eorum qui parti civium. Sed quoniam ex his Aristotelis verbis solum quorundam hominum qui negotia publica procurant, continenturque curatoris nomine munera intelligimus, non vim omnem & naturam horum verborum: eam si potuerimus explicabimus. Quod dum faciemus, illa etiam definitio magistratus, quam initio statuimus, quemadmodum intelligenda sit, videbitur. Plerosque enim rogaturos existimo cum magistratum eum constituerimus, qui imperio & potestate præditus sit, quæ non sit in privato, & magistratum ut rei nomen est, potestatem esse illam quæ privatum non attingat: in qua re potestas illa posita sit, & quam late patere videatur. Hæc autem in tribus cernitur, ut Aristoteli placet, in dicenda sententia, in jure dicendo, & in jubendo ac vetando, sed in hoc postremo maxime, verba ejus ex eo quem modo dixi *libro*, protuli. Μάλιστα δ᾽, ὡς ἁπλῶς εἰπεῖν, ἀρχὰς λεκτέον ταύτας, ὅσαις ἀποδέδοται βουλεύσασθαί τε περί τινων καὶ κρῖναι καὶ ἐπιτάξαι, καὶ μάλιστα τοῦτο· τὸ γὰρ ἐπιτάττειν, ἀρχικώτερόν ἐστι. Id est, ut convertimus. *Ii autem potissimum magistratus appellandi sunt, quibus de quibusdam rebus dicendæ sententiæ, & judicandi atque imperandi permissa est potestas, sed hoc postremum maxime. Imperare enim vim magistratus magis indicat.* Hoc postremum, ut opinor, addit, ut magistratus a curatoribus secernat. Quanquam id quod ait de imperatoribus & ducibus belli, quos vult esse curatores, magnam affert dubitationem. Leges enim XII. Tabularum, quæ Athenis Romam perlatæ sunt, tantam imperandi & judicandi potestatem concedunt imperatori, ut ab eo nulla sit provocatio. Legem ipsam proferam, quam Cicero in tertio *de Legibus* libro posuit. *Militiæ ab eo qui imperabit, provocatio ne esto: quodque is qui bellum gerat imperassit, jus ratumque esto.* Præterea ii qui mulierum cultui præerant, mulctam dicebant, ut auctor est Julius Pollux. Γυναικονόμοι δὲ ἀρχοὶ ἐπὶ τοῦ κόσμου τῶν γυναικῶν. τὰς δ᾽ ἀκοσμούσας ἐζημίουν, καὶ τὰς ζημίας ἀναγράφοντες ἐξετίθεσαν ἐπὶ τῆς πλατάνου τῆς ἐν Κεραμικῷ. Id est, *Matronarum censores erant magistratus qui mundo muliebri præerant. Ii mulieres quæ decorum in cultu negligebant, mulctabant, earumque mulctas in tabulis perscriptas, palam in platano quæ est in Ceramico, exhibebant.* Nisi forte Aristoteles hoc *de Repub.* quam constituit, intelligi velit. Sed tamen ut ita res habeat, obscura & difficilis hæc quæstio est, nec mihi a quoquam facile explicari posse videtur. Quanquam quid opus est hoc loco tandiu philosophari? præsertim cum tandem Aristoteles hanc quæstionem in nomine versari dicat, nec ii simus, qui tot tamque doctorum hominum controversias dirimere possumus. Æschines hac de re dissentit a Demosthene, Aristoteles a magistro Platone, qui in VI. *de Legibus* libro imperatores præfectosque belli, magistratus vocat. Julius Pollux omnes magistratus nominat. Quapropter hac prætermissa quæstione, ad institutum nostrum revertamur.

Quot quidem modis ἄρχειν dicatur, mox cum de ratione creandorum magistratuum agetur, disseremus. Nunc tantum dicam, nostros homines hoc verbum Græcum expressisse. Veteres enim *magistrare* dixerunt, ut ait Festus. Atque etiam in hoc

perspici eorum imitatio potest, quod quemadmodum ἀρχὴν illi τὴν τιμὴν dicunt, sic ipsi magistratum honorem. Aristoteles in III. lib. *de Rep.* hujus rei testis est: *οὐκ οὖν ἀνάγκη τοὺς ἄλλους ἀτίμους εἶναι πάντας μὴ τιμωμένους ταῖς πολιτικαῖς ἀρχαῖς; τιμὰς γὰρ λέγομεν τὰς ἀρχάς.* Sic ego, *An non necesse erit cæteros omnes sine honore esse, qui civilibus magistratibus spoliabuntur? præsertim cum honores magistratus vocemus.* Honor pro magistratu apud Ciceronem tritum est: uno loco nunc contenti erimus, dum de conjunctis verbis differamus. Hic enim singula verba tantum consideramus, cum de ratione suffragiorum dicetur, conjuncta persequemur. Scribit autem in *Pisoniana*: *Nam tu cum quæstor es factus, etiam qui te nunquam viderant, tamen illum honorem nomini mandabant tuo.* Vocat quæsturam honorem, quod in aliis etiam animadverti licet. Nam ut illi δύναμιν pro magistratu dicunt, sic nostri potestatem & imperium τὴν ἀρχὴν, quod mea quidem sententia ἄρχειν *imperare* dicitur. ἐπιστάτης etiam *præfectus* est Latine, quod in verbis junctis ἄρχος efficit, ut in his ἱππάρχος, πολεμάρχος. Sed hæc omnia revocanda mihi videntur ad curationem. Cicero in priore *in Rullum* Oratione id indicat: *Licinia est lex atque altera Ebutia, quæ non modo eum qui tulerit de aliqua curatione ac potestate, sed etiam collegas ejus, cognatos, affines excipit, ne eis ea potestas curatiove mandetur.* Paulo supra: *Hic quæro quam ob causam initium rerum ac legum suarum hinc duxerit, ut populus Romanus suffragio privaretur? toties legibus agrariis curatores constituti sunt, triumviri, quinqueviri, decemviri, quæro a populari Trib. plebis, ecquando nisi per* XXXV. *tribus creati sint? etenim cum omnes potestates, imperia, curationes ab universo pop. Rom. proficisci convenit, tum eas profecto maxime quæ constituuntur ad populi fructum aliquem & commodum.* In *Verrina quarta*: *Ecqua res apud civitates Siculas expetitur, in qua aut honos aliquis sit, aut potestas, aut procuratio, quin eam rem tu ad tuum quæstum nundinationemque hominum traduxeris?* Hoc loco procurationem pro curatione dixit. Atque ex eodem loco intelligi potest, quid inter hæc omnia intersit. Neque enim re, sed solum cogitatione distingui videntur. Honos enim magistratus dicitur, quod iis, qui eum gerunt, honorem afferat. Potestas, quod habeant aliquam potestatem, cujus privati sint expertes. Imperium quod eo præditi imperare aliis quid possint. Curatio & curator, quod negotium publicum curet. Sed hæc postrema tria eo differre mihi a magistratu videntur, quod magistratus legitimus est & perpetuus, curatio, potestas, & imperium extra ordinem mandantur, & ad tempus, quales sunt triumviri deducendæ coloniæ: quanquam dictatura excipitur. Curatores autem commode appellari puto posse eos, quos vulgo *Commissarios* vocamus. Eis enim negotium publicum curandum mandatur.

Nunc quoniam quid esset magistratus, quidque a curatione differret, docui, sequitur ut quæ ac quot sint magistratuum genera, quæ fuerint creandorum magistratuum, ac suffragiorum ferendorum ratio apud Romanos & Græcos, dicendum esse videatur. Aristoteles quidem multa genera facit, alios enim κληρωτοὺς, id est, *qui sorte mandantur*, alios αἱρετοὺς, *qui suffragiis creantur*. Hoc autem posterius in duas partes apud Romanos tributum fuit. Nam voce interdum creati sunt, interdum tabella & scripto. Alia est etiam magistratuum divisio, quæ a loco ubi mandentur sumitur, alia a genere comitiorum, quæ mihi videtur Romanorum propria, qui comitia habebant centuriata, curiata & tributa. Quanquam Aristoteles hanc attingit, etsi aliis verbis. Ait enim in quarto *de Repub.* libro alios magistratus ab omnibus civibus creari, alios a parte civium. Sequitur alia etiam magistratuum partitio, quæ ex tempore, quod eis præstitutum est, ducitur. Alii enim annui sunt, ut Romæ Consulatus, quæstura, ædilitas, cæterique omnes præter dictaturam, & magisterium equitum, & censuram. Alii quinquennio definiuntur, ut censura. Alii semestres sunt, ut dictatura & magisterium equitum. Alii perpetui, ut senatores & judices, ut placet Aristoteli, qui illos in magistratuum numero reponit. Aliis aliud tempus præscriptum est pro forma Reipub. & ejus qui dat leges aut civium voluntate ac sententia. Quarta est illa divisio, quæ ex hominum genere nata est. Nam magistratus alii nobilibus & patriciis dantur, ut Romæ Consulatus initio Reipub. alii plebeiis, ut tribunatus plebis Romæ, & Lacedæmone Ephoratus. Alii alterutris, ut Romæ tandem Consulatus, Cretæ Cosmatus. Alii permixtis iisdem, ut Romæ Consulatus interdum. Atque ut omnia persequar, alia etiam adhiberi potest divisio, quæ a rebus & negotiis quæ quisque magistratus gerit, ducitur, ut alios dicimus pecuniam publicam tractare, ut quæstores: alios mores regere, censum agere & alia, ut censores: alios urbem, annonam, ludosque curare, ut ædiles, aliosque alia negotia.

Omnia mihi magistratuum genera & quasi fontes plane ac dilucide videor persecutus, ut si a negotiis præscriptis ad eos qui creent, inde ad eos quibus magistratus patent, tum ad loca in quibus creentur, inde ad tempus constitutum ascendamus, teneamusque rationem eorum mandandorum, nihil ut prætermittere videamur. Et quanquam alias divisiones singulæ Respub. sibi fingere possunt, tamen eæ quæ ex certis rebus sumi possunt, in has potissimum cadere videntur. Nunc pluribus, & accuratius singulæ hæ exponendæ sunt partitiones. Et quoniam a primo quasi ortu magistratus in lucem proferre, atque ad perfectionem & ad absolutionem progrediendo perducere cogitamus, quoniamque hominum genus ante, quam ullus magistratus esset, extitit: primum de magistratuum origine & progressu, & quis primus magistratus constitutus sit, dicendum est.

In quo ab illa potissimum divisione ducendum initium est, qua ii homines quibus ad magistratus patet aditus, continentur. Aristoteles quidem præstantissimo vir ingenio omnibusque bonis artibus instructissimus differens de imperiorum magistratuumque origine in libris *de Repub.* eorum ortum præclare ducit a natura. Natura enim ita insitum esse, ut alii imperent, alii pareant & obtemperent. Id quod in primis hominum societatibus licet animadvertere. Nam domi intra privatos parietes parens liberis præest, eisque dat leges, quas si violent, eos pœnis coercet, exhæredat, atque exterminat: si eis pareant, præmiis afficit, hæredes facit, connubiis jungit. Atque ut rem in pauca conferam, pater in familia solus omnia munera sustinet, quibus nunc in civitatibus infiniti satisfaciunt magistratus. Nam & mores factaque observat, quod est censorum, & jus dicit inter liberos, si qua de re sit controversia, quod est judicum, & si quid sub deliberationem cadat, de eo consilium suum exponit & sententiam, quod est senatorum, & collabentes ædes restituit, quod ædilium est munus, & pecunias cogit, sumptusque necessarios facit, in quo quæstorum munus versatur, & si quid generis ejusdem. Sed hoc in parvis familiis valet maxime. In magnis enim quoniam unus hæc munera omnia sustinere non potest, paterfamilias cum aliis hos quasi labores com-

municat, aliosque quæstores facit, alios ædiles, alios aliis muneribus præficit, ipsi sibi summam rerum reservat.

Hoc mihi genus imperii videntur primi illi homines, cum primum coaluissent, atque in unum locum convenissent, a familiis in vicos primum, deinde in civitates transtulisse. Quod si hujus rei diviniorem causam tradere placet, sic fecisse putandi sunt, quod hanc rerum universitatem unius Dei providentia regi gubernarique cernerent, idque de iis sentiendum est, qui unus Dei notionem animis suis informatam turpitudine vivendi quasi oblivione non obruerunt. Nam de aliis hoc verum est quod ait Aristoteles, homines illos priscos cum Deos uni regi deorum parere viderent, regibus etiam parere voluisse. Sed tamen prior illa causa instituto Veterum magis consentanea est qui rerum humanarum causam, atque rationem a natura soliti sunt ducere. Itaque Aristoteles in primo lib. *de Repub.* hinc profectum primorum hominum genus imperii confirmat his verbis: *Διό καὶ τὸ πρῶτον ἐβασιλεύοντο αἱ πόλεις καὶ νῦν ἔτι τὰ ἔθνη. ἐκ βασιλευομένων γὰρ συνῆλθον. πᾶσι γὰρ οἰκία βασιλεύεται ὑπό τοῦ πρεσβυτάτου.* Id est, *Quocirca civitates primum regibus paruerunt, quod in gentibus etiam nunc manet. Ex iis enim qui regibus parebant, coaluerunt. Omnis enim familia uni qui maximus est natu paret.* Cicero etiam in tertio *de Legibus* libro, non solum hanc Aristotelis sententiam sequitur, sed ejus etiam verba convertit; *Atque ut ad hæc certiora veniam & notiora nobis, omnes antiquæ gentes regibus quondam paruerunt. Quod genus imperii primum ad homines justissimos & sapientissimos deferebatur, idque in Repub. nostra maxime valuit, quoad ei regalis potestas præfuit. Deinde etiam deinceps posteris prodebatur: quod & in iis etiam qui nunc regnant, manet.* Quod ait Cicero regalem potestatem primum ad homines justissimos & sapientissimos deferri solitam, id de Herodoti & Aristotelis sententia dicit etiam pluribus in secundo *de Officiis* libro, quod tum docebo, cum de regia potestate erit differendum. Nunc enim tantum de magistratuum origine disputo, & quis magistratus primus fuerit constitutus: in quo cum reperissem regalem potestatem, de ea necessario dicendum fuit.

Hanc autem primam fuisse, hinc etiam intelligi licet, quod apud historicos antiquissimorum populorum reges legimus, ut Babyloniorum, Sicyoniorum, Argivorum, Medorum, atque Persarum. Quod omnium gentium proprium fuisse ex primo libro *de Legibus* perspicere possumus. Nam Judæi cum eos satietas cepisset eorum, qui appellabantur Judices, regem sibi sicuti Gentibus præesse voluerunt, primusque eis Saulus Rex imperavit. Quin etiam pene cum orbe regale civitatis genus cœpit. Nam & Nembro quem Ninum fuisse Berosus ait, in lib. *de Mundi ortu*, qui *Genesis* inscribitur, Babylone regnasse traditur, & quinque reges, quos Abrahamus vicit, nominantur. Nullum autem ante hoc tempus imperii genus nec in Scriptis Divinis, nec prophanis commemoratur credo quod antea homines nec cœtus inte se cele' brabant, nec civitates colebant, ut post coli cœptæ sunt, contentique erant simplici illo cultu & vitam, quam privatim domi cum liberis & conjugibus natura duce degebant. Nam ei populo, qui Dei religionem solus tenuit, ante Mosem præfuisse invenio certe neminem. Ex quo etiam perspicuum est, id quod vult Aristoteles, unius, qui cæteris justitia & sapientia excellat, imperium esse justissimum, cum præsertim solus ille voluntate Dei summam habuerit rerum omnium potestatem. Ac rex quidem primus est, ut docui, magistratus constitutus, qui idem & amplissimus est, & unum ex tribus imperii generibus. Quis autem secundum locum, quis tertium, & ita deinceps obtinuerit, non ita facile tradi potest, præsertim cum omnes fere magistratus Romæ exactis demum regibus constitutos & natos legamus. Ex quo intelligi licet, vel propter vetustatem si qui fuerint non esse traditos, vel propter exiguos imperii fines unum fere omnia munera sustinere potuisse: quod conjectura est verum esse, quippe cum Livius in *quarto libro* post urbem conditam Consules dicat ea gessisse quæ Censorum curæ essent, ante Censores natos, quod eodem modo de aliis judicare possumus. Est tamen conjectura, eos a regibus constitutos esse, qui & rerum sunt ad vitam necessariarum, nec honori sunt aut dignitati, quales sunt præfecti annonæ: quorum munus Romæ Ædiles exequebantur, & Quæstores, aliique ejusdem generis. Idque ex re familiari domesticaque disciplina, a qua civitates ortum duxerunt, intelligamus licet. In familiis enim parvis cum unus omnia, ut dixi, munia obeat, tum iis auctis quoniam jam ille satisfacere non potest, aliis ea potissimum imponit onera, quæ dixi. Nam & annonæ diligentiam alteri committit, & accepti expensique rationem. Sic enim profecto natura comparatum est, ut res sine quibus vivi non potest primum inveniantur, deinde eæ quæ voluptatis ornatusque causa comparantur. Dixi regem magistratum primum esse constitutum. Quem autem tali honore dignum primi illi homines judicarent, id est, quæ causa fuerit, cur ad hunc potius, quam ad illum hunc honorem deferrent, si quæramus, id mihi dicendum videtur, eum quem viderent cæteris virtute & prudentia præstare, deligi ab eis solitum ad imperandum: cum autem duo aut plures ejusmodi extitissent, vel vitio regis regnum repudiarent: tum duos illos aut plures solitos deligi: ita fere summa rerum vel a regibus ad tyrannos, & inde ad optimates, vel a regibus ad optimates transferebatur. Testis est Respub. Romana; in qua cum regum vitia essent ejusmodi, quæ tolerari non possent, penes Consules, id est, optimates redacta est. Sed verba Aristotelis de his rebus proferri est melius. Scribit ille in tertio *de Rep.* libro his fere verbis: *Εἰ δὴ τὴν μὲν τῶν πλειόνων ἀρχὴν, ἀγαθῶν δ' ἀνδρῶν πάντων, ἀριστοκρατίαν θετέον, τὴν δὲ τοῦ ἑνὸς, βασιλείαν, αἱρετώτερον ἂν εἴη ταῖς πόλεσιν, ἀριστοκρατία βασιλείας καὶ μετὰ δυνάμεως καὶ χωρὶς δυνάμεως οὔσης τῆς ἀρχῆς, ἂν ᾖ λαβεῖν πλείους ὁμοίους· καὶ διὰ τοῦτο ἴσως ἐβασιλεύοντο πρότερον, ὅτι σπάνιον ἦν εὑρεῖν ἄνδρας πολὺ διαφέροντας κατ' ἀρετὴν, ἄλλως τε καὶ τότε μικρὰς οἰκοῦντας πόλεις, ἔτι δ' ἀπ' εὐεργεσίας καθίστασαν τοὺς βασιλεῖς, ὅπερ ἐστὶν ἔργον τῶν ἀγαθῶν ἀνδρῶν. ἐπεὶ δὲ συνέβαινε γίγνεσθαι πολλοὺς ὁμοίους πρὸς ἀρετὴν, οὐκ ἔτι ὑπέμενον, ἀλλ' ἐζήτουν κοινόν τι καὶ πολιτείαν καθίστασαν, ἐπεὶ δὲ χείρους γιγνόμενοι ἐχρηματίζοντο ἀπὸ τῶν κοινῶν, ἐντεῦθέν ποθεν εὔλογον γενέσθαι τὰς ὀλιγαρχίας. ἔντιμον γὰρ ἐποίησαν τὸν πλοῦτον. ἐκ δὲ τούτων πρῶτον εἰς τυραννίδας μετέβαλλον. ἐκ δὲ τῶν τυραννίδων, εἰς δημοκρατίαν. ἀεὶ γὰρ εἰς ἐλάττους ἄγοντες διὰ αἰσχροκέρδειαν, ἰσχυρότερον καὶ πλῆθος καθέστησαν, ὥστ' ἐπιθέσθαι καὶ γενέσθαι δημοκρατίας.* Id est, *Quod si in multorum imperio, sed qui boni viri omnes sint, optimorum potestas intelligi debet, & in unius, regia potestas, certe civitatibus magis optanda est optimorum, quam regalis potestas, sive copiæ militum stipare eam, sive non stipare debent. Ob eamque causam certe quondam parebant regibus homines, quod pauci erant viri qui multum virtute præstarent, præsertim cum illis temporibus parvas incolerent civitates. Jam vero beneficentia reges constituit, quod bonorum virorum officium est. Postea vero quam multi pari virtute exti-*

terunt, non jam reges tulerunt, sed quiddam commune quæsiverunt, remque publicam constituerunt. Cum vero degenerassent, remque publicam quæstui habere cœpissent, tum demum quia in precio & honore eorum opera erant, consentaneum est natos hinc esse paucorum principatus. Ex his primum in tyrannos concessit summa rerum: a tyrannis in populum. Semper enim in pauciores turpi quæstu ducti Rempub. transferentes, res populi firmiores reddiderunt, ut impetus fieret popularisque potestas existeret.

Magistratuum quidem a nobis origo tradita est, & quis fuerit primus constitutus. Nunc sequitur, ut de ea, quam nobis primam proposuimus, divisione, id est, qui homines possint, aut non possint magistratus adipisci, differamus. Et quoniam hoc nobis loco quot in partes populus apud Romanos & Latinos alios Græcosque tributus fuerit, necessario demonstrandum est, non alienum erit de hujus rei antiquitate dicere. Antiquum quidem morem esse civitatem in genera hominum distribui Aristoteles docet in septimo libro *de Rep.* his verbis: Ἔοικε δ' οὐ νῦν, οὐδὲ νεωστὶ τοῦτ' εἶναι γνώριμον τοῖς περὶ πολιτείας φιλοσοφοῦσιν, ὅτι δεῖ διῃρῆσθαι χωρὶς κατὰ γένη τὴν πόλιν, καὶ τό τε μάχιμον ἕτερον εἶναι, καὶ τὸ γεωργοῦν. ἐν Αἰγύπτῳ τε γὰρ ἔχει τὸν τρόπον τοῦτον ἔτι καὶ νῦν, τά τε περὶ Κρήτην. τὰ μὲν οὖν περὶ Αἴγυπτον Σεσώστριος, ὥς φασιν, οὕτω νομοθετήσαντος, Μίνω δὲ τὰ περὶ Κρήτην, Id est, *Neque vero his temporibus, aut paulo ante hoc intellexerunt ii qui de Repub. disserunt, civitatem in genera, & ordines esse dividendam. aliudque genus esse eorum qui rebus bellicis navarent operam, aliud aratorum. Nam & in Ægypto hoc institutum etiam nunc manet, & Cretæ. Ac fama est in Ægypto Sesostrin, Cretæ Minoem hoc sanxisse legibus.* Ac de antiquitate ordinum civitatis hæc ille, ex quibus intelligi potest, cum ejus rei Sesostrin in Ægypto, & Minoem Cretæ auctores fuisse dicat, eorumque Sesostrin multo tempore ante Minoem fuisse, eum evolvendis Veterum libris antiquiorem morem reperire minime potuisse. Mihi autem non est dubium, quin ante illa tempora distincti fuerint ordines. Nam cum populus Israeliticus in tribus duodecim multo ante tributus esset, earumque Leviticæ soli sacerdotia paterent, alius certe erat Levitarum ordo, alius cæterorum. Quod eodem modo de aliis nationibus judicandum est. Quod ergo ait Aristoteles, in eo antiquitatem ipse summam quod potuit secutus videtur, non quam invenire possumus. Qui autem & quot distincti fuerint ordines apud Romanos Græcosque, dicamus. Romulus quidem, ut inter omnes constat, primus Romæ populum in partes duas divisit, in plebem & in patres. Patres centum creavit, quorum liberi patritii appellati sunt. Ad hos autem centum qui a Bruto additi sunt exactis regibus ducenti, vocati sunt conscripti. Deinde factum est, ut omnes patres conscripti vocarentur. Titus Livius initio *libri secundi*: *Deinde*, inquit, *quo plus virium in Senatu frequentia etiam ordinis faceret, cædibus regis diminutum patrum numerum primorum equestris gradus electis, ad trecentorum formam explevit: traditumque inde fertur, ut in Senatum vocarentur, qui patres quique conscripti essent.* Conscriptos videlicet in novum Senatum appellabant lectos. Unde autem dicti sunt patres, & qui sunt patritii docet in *primo libro*, eorumque originem ad Romulum refert: *Cum jam virium haud pœniteret, consilium deinde viribus parat, centum creat Senatores, sive quia is numerus satis erat, sive quia soli centum erant, qui creari patres possent. patres certe ab honore, patritiique progenies eorum appellati.* Plutarchus in *Romulo*, id quod fere fecit, verbis Latinis utitur. Nam & πατέρας & πατρικίους eos vocat. cujus verba eo li-

A bentius proferam, quod horum verborum de quibus agitur, originem tradit, & in duas partes divisum esse populum a Romulo. Ἔπειτα τοῖς μὲν ἄλλοις ἐχρῆτο δήμῳ, καὶ ποπούλος ὠνομάσθη τὸ πλῆθος. ἑκατὸν δὲ τοὺς ἀρίστους ἀπέδειξε βουλευτὰς, καὶ αὐτοὺς μὲν πατρικίους, τὸ δὲ σύστημα σενάτον προσηγόρευσεν. ὁ μὲν οὖν σενάτος ἀτρεκῶς γερουσίαν σημαίνει. πατρικίους δὲ τοὺς βουλευτὰς κληθῆναι λέγουσιν. οἱ μὲν ὅτι παίδων γνησίων πατέρες ἦσαν, οἱ δὲ μᾶλλον, ὡς αὐτοὺς ἔχοντας, ἑαυτοὺς ἀποδεῖξαι πατέρας, ὅπερ οὐ πολλοῖς ὑπῆρξε τῶν πρώτων εἰς τὴν πόλιν συῤῥεόντων. οἱ δὲ ἀπὸ τῆς πατρωνείας. οὕτω γὰρ ἐκάλουν τὴν προστασίαν, καὶ καλοῦσιν ἄχρι νῦν, & cætera.
B id est, *Deinde alios quidem in plebe duxit (populus enim appellata multitudo est) centum autem optimates creavit Senatores, eosque patres, cœtum autem eorum Senatum nominavit. Ac Senatus quidem proprie* γερουσίαν *declarat. patres autem Senatores appellatos dicunt, alii quod liberorum legitimorum patres essent, alii potius quod ipsi suos patres possent ostendere, id quod non multi eorum qui primi in civitatem confluxere, potuerunt. quidam a patronatu nomen ductum existimant. Sic enim tum vocabant præfecturam, & nunc etiam vocant*, &c. In his Plutarchi verbis πατρικίους bis positum est pro πατέρας. Neque enim
C Romulus patricios illos primos centum, quemadmodum ex verbis Livii, quæ supra allata sunt, intelligi potest, sed patres, & eorum progeniem patricios vocavit. Quin etiam ipsius Plutarchi verba, quæ eadem pagina paulo infra scripta sunt apud eum, errorem coargunt. Ἐν ἀρχῇ μὲν οὖν πατέρας αὐτοὺς μόνον, ὕστερον δὲ πλειόνων προσλαμβανομένων πατέρας συγγεγραμμένους προσηγόρευσαν. καὶ τοῦτο μὲν τὸ ὄνομα σεμνότερον αὐτοῖς τῆς πρὸς τὸ δημοτικὸν τοῦ βουλευτικοῦ διαφορᾶς. Id est, *Principio quidem patres eos solum, post vero pluribus lectis, patres conscriptos appellavit, idque ei nomen illustrius visum est, ut ordinem Senatorium a plebejo distingueret.* His verbis
D Plutarchus a T. Livio dissentit, quod Livius a Bruto exactis jam regibus, ipse a Romulo lectos fuisse tradit. Quod autem dixi πατρικίους positum esse bis pro πατέρας, verum est, nisi forte hæc duo verba idem in hac re valere & declarare existimavit, de quo ut dubitem, faciunt illa ejus verba, *ideo nonnullorum sententia ita appellatos esse potius, quod patres suos possent ostendere.* Illi enim patricii proprie dicebantur etiam illi primi, quoniam ordo patriciorum regnante Romulo centum illorum numero continebatur. Sententia autem illa est Livii, apud quem in x. *lib.* post urbem conditam Decius Mus consul volens Augures & Pontifices ex plebe fieri, hæc lo-
E quitur: *An unquam fando audisti, patricios primo esse factos, non de cælo demissos? sed qui patrem ciere avumque possent, nil ultra quam ingenuos.*

Hunc autem morem distinguendi populi Dionysius Halicarnasseus Athenis Romam translatum esse dicit. Athenienses enim in duos gradus & ordines eo auctore divisi fuerunt, in εὐπατρίδας & ἀγροίκους. Verba ejus Græca, quoniam nondum divulgatus est a librariis liber, nec eum manu descri-
F ptum adhuc legi, proferre non possum. Tantum ea Latina possum quæ extant. Is ergo in secundo libro *de Antiquitatibus* scribit his verbis: *Altera etiam, sed hominum divisio fuit commoda, quaque honores pro dignitate tribuebantur, de qua dicendum est. Homines summo loco natos præstantique virtute præditos, quibusque magnæ opes, ut illis temporibus, & liberi erant, ab ignobilibus & ab iis qui demisso animo erant, & ab inopi multitudine secrevit, vocavitque tenuioris fortunæ homines plebejos, quemadmodum Græci dicerent* δημοτικούς, *& qui meliori erant conditione, patres, sive quia alios ætate anteirent, sive quia filii iis essent, sive ob generis nobilitatem, sive his omnibus de causis. In quo*

Atheniensium Rempubl. imitatus videtur, quantum intelligere possumus, vel eam qua tum illi utebantur, vel eam quæ nunc etiam manet. Illi enim cum in duas partes populum divisissent, eos qui ex familiis illustribus nati erant, εὐπατρίδας *vocaverunt, iisque dabatur cura civitatis. Reliquos autem cives* ἀγροίκους, *qui nullius erant publici muneris participes, nominaverunt.* Atque hæc ille de Romanorum & Atheniensium in hac re similitudine ac æmulatione. Ego autem ut ad morem aliarum etiam nationum veniam, seu hæc vera sunt, seu falsa, Athenis aliter distinctos ordines fuisse invenio. Julius quidem Pollux tres partes quondam fuisse in *octavo libro* dicit. Τρία δὲ ἦν τὰ ἔθνη πάλαι, εὐπατρίδαι, γεωμόροι, δημιουργοί. Id est, *Tres autem in partes quondam fuerunt divisi Athenienses, in nobiles, in agricolas, & opifices.* Nam quod ait, ἔθνη, quod verbum tertiam partem tribus declarat, malo ad δῆμον, id est, *populum*, pertinere. Aristoteles autem in extremo secundo *de Republ.* libro, & Plutarchus in *Solone*, dicunt a Solone populum Atheniensem in quatuor divisum esse partes. Aristotelis verba hæc sunt. Τὰς δὲ ἀρχὰς ἐκ τῶν γνωρίμων καὶ τῶν εὐπόρων κατέστησε πάσας, ἐκ τῶν πεντακοσιομεδίμνων καὶ ζευγιτῶν· καὶ ἐκ τρίτου τέλους τῆς καλουμένης ἱππάδος. τὸ δὲ τέταρτον, θητικῶν, οἷς οὐδεμιᾶς ἀρχῆς μετῆν. Id est, *Magistratus autem omnes ex censu nobilium & locupletum descripsit, quorum primus erat eorum, qui quingentos modios; secundus* ζευγιτῶν, *id est, duorum, qui una trecentos modios habebant; tertius eorum qui equum alere poterant; quartus mercenariorum, quibus ad honores aditus non patebat.* Hic locus difficilis, Plutarcho demum adhibito, a me intellectus est. Is enim in *Solone* hoc ejus institutum exponit. Itaque eum sic verti malo, quam ut versus est a me in secundo *de Rep.* libro. Plutarchi verba subjeci: Δεύτερον δὲ Σόλων τὰς μὲν ἀρχὰς ἁπάσας, ὥσπερ ἦσαν, τοῖς εὐπόροις ἀπολιπεῖν βουλόμενος, τὴν δὲ ἄλλην μῖξαι πολιτείαν, ἧς ὁ δῆμος οὐ μετεῖχεν, ἔλαβε τὰ τιμήματα τῶν πολιτῶν, καὶ τοὺς μὲν ἐν ξηροῖς ὁμοῦ καὶ ὑγροῖς μέτρα πεντακόσια ποιοῦντας, πρώτους ἔταξε, καὶ πεντακοσιομεδίμνους προσηγόρευσε, δευτέρους δὲ τοὺς ἵππον τρέφειν δυναμένους, ἢ μέτρα ποιεῖν τριακόσια καὶ τούτους ἱππάδα τελοῦντας ἐκάλουν. Ζευγῖται δὲ οἱ τοῦ τρίτου τιμήματος ὠνομάσθησαν, οἷς μέτρον ἦν συναμφοτέρων τριακόσιον. οἱ δὲ λοιποὶ πάντες ἐκαλοῦντο θῆτες, οἷς οὐδεμίαν ἀρχὴν ἔδωκεν ἄρχειν. Id est, *Iterum autem Solon cum magistratus omnes locupletibus, ut fuerant, relinquere cogitaret, reliquamque Rempub. temperare: ad quam plebs non accederet, cives descripsit ex censu, ex iisque qui tam in arvis, quam in consitis agris jugera quingenta possiderent, primam classem descripsit, eosque quingentomedimnos appellavit: secundam eos qui equum alere possent, vel trecentum jugerum censum haberent, eosque Equites vocavit.* Ζευγῖται *autem, id est, conjuncti & socii vocati sunt ii qui erant tertiæ classis, quibus duobus erat census trecentum jugerum. Reliqui quibus nullum jus adipiscendi magistratus dedit, mercenarii dicti sunt.* Quanquam non quatuor hi ordinibus mihi distingui videntur, sed duobus tantummodo, cum præsertim classes sint, nec classibus Romæ distinguantur ordines. Atque id Aristotelis & Plutarchi verba, quæ paulo supra allata sunt indicant. Tres enim primas classes nobilibus & opulentis, quartam inopibus assignant. θῆτες enim vel θητεῖς ii dicuntur quos Cicero in primo *de Officiis* mercenarios vocat, qui suas operas locant, qualis fere solet esse inops multitudo. Suidas autem θῆτες qui sint, exponit his verbis: Εἰς δὲ διαιρουμένης παρ' Ἀθηναίοις τῆς πολιτείας, οἱ ἀπορώτατοι θητεῖς ἐλέγοντο, καὶ θητικὸν τελεῖν, οὗτοι δὲ οὐδεμιᾶς μετεῖχον ἀρχῆς, οὐδὲ ἐστρατεύοντο. Id est, *Cum in quatuor partes divideretur apud Athenienses Respub. maxime tenues* θητεῖς *dicebantur, & tributum quod* θητικὸν, *id est, mercenarium vocabatur, pendebant. Ii autem nullius urbani muneris nec bellici erant participes.* Dionysius autem Halicarnasseus θῆτας appellatos Athenis ait eos, qui Romæ clientes appellabantur, Plutarchus vero πελάτας clientes esse dicit. Atque etiam aliam divisionem Plutarchus in *Solone* refert, in quam Athenis populus divisus sit. Αἱ δ' Ἀθῆναι τῆς Κυλωνείου πεπαυμένης ταραχῆς καὶ μεθεστώτων, ὥσπερ εἴρηται, τῶν ἐναγῶν, τὴν παλαιὰν αὖθις στάσιν ὑπὲρ τῆς πολιτείας ἐστασίαζον. ὅσας ἡ χώρα διαφορὰς εἶχε, τοσαῦτα μέρη τῆς πόλεως διαστάσης. ἦν γὰρ τὸ μὲν Διακρίων γένος δημοκρατικώτατον, ὀλιγαρχικώτατον δὲ τὸ τῶν Πεδιαίων, τρίτοι δ' οἱ Πάραλοι. μέσον τινὰ καὶ μεμιγμένον αἱρούμενοι πολιτείας τρόπον ἐμποδὼν ἦσαν, διεκώλυον τοὺς ἑτέρους κρατῆσαι. τότε δὲ τῆς τῶν πενήτων πρὸς τοὺς πλουσίους ἀνωμαλίας ὥσπερ ἀκμὴν λαβούσης παντάπασιν ἐπισφαλῶς ἡ πόλις διέκειτο, καὶ μόνως ἂν ἐδόκει καταστῆναι καὶ παύσασθαι ταραττομένη, τυραννίδος γενομένης. ἅπας μὲν γὰρ ὁ δῆμος ἦν ὑπόχρεως τῶν πλουσίων. ἢ γὰρ ἐγεώργουν ἐκείνοις ἕκτα τῶν γινομένων τελοῦντες, ἑκτημόριοι προσαγορευόμενοι καὶ θῆτες, ἢ χρέα λαμβάνοντες, ἐπὶ τοῖς σώμασιν ἀγώγιμοι τοῖς δανείζουσιν ἦσαν, &c. Id est, *Athenæ autem sedato motu Cylonico, scelestisque ut dixi mutatis, in vetere de Rep. discordia & seditione erant. Quot in partes ager divisus erat, totidem in ordines, urbs est distincta. Nam & Diacriorum ordo ad populare civitatis genus erat propensissimus, & Pedæorum ad paucorum jus atque ditionem. Tertius autem ordo Paralorum cum temperatam quandam & confusam Reipub. formam sequeretur, impediebat quominus alterutri vincerent. Tum vero quoniam tenuiorum & locupletum dispar & inæqualis conditio quasi vires sumpserat & convaluerat, omnino imbecilla erat ad se tuendam civitas, eaque ita demum constitui liberarique a motibus posse videbatur, si tyrannis existeret. Erat enim locupletum usuris oppressa multitudo. Nam aut agriculturæ studio dedita sextam partem fructuum quos percipiebat, pendebat, aut qui æs alienum conflabant, in eorum corpora a fœneratoribus sæviebatur.* Xenophon. ætate aliter fuisse descriptum populum Atheniensem, hinc intelligere licet, quod nobilium tantum & plebis mentionem facit in *Atheniensium Rep.* Πρῶτον μὲν οὖν τοῦτο ἐρῶ, ὅτι δικαίως αὐτόθι, ὅτι καὶ οἱ πένητες καὶ ὁ δῆμος πλέον ἔχει τῶν γενναίων καὶ τῶν πλουσίων, &c. Id est, *Ac primum quidem hoc docebo, jure obtigisse Athenis ut tenues & plebs majores opes habeant, vel meliore sint conditione, quam nobiles ac divites.*

Alii etiam aliter civitatem dividunt, ut Hippodamus qui Milesiis leges dedit, in opifices, in agricolas, & in milites. De hoc enim scribit Aristoteles in II. *de Repub.* libro his verbis: Κατεσκεύαζε δὲ τὴν πόλιν τῷ πλήθει μὲν μυρίανδρον, εἰς τρία δὲ μέρη διῃρημένην. ἐποίει γὰρ ἓν μὲν μέρος τεχνίτας, ἓν δὲ γεωργούς, τρίτον δὲ τὸ προπολεμοῦν καὶ τὸ ὅπλα ἔχον. Id est, *Constituit autem civitati decem virorum millia, eamque in partes tres distribuit, in opifices, in agricolas, in eos qui bellarent & qui arma ferrent.* Lacedæmon etiam in duos ordines, quemadmodum Romæ, distributa est a Lycurgo, idque hinc sciri potest, quod Theopompus is qui regiam potestatem ibi tenuit, centesimo fere & tricesimo anno post Lycurgum, Ephoros qui erant de plebe, Regibus qui contra plebem nobilibus favebant, opposuit, quemadmodum Romæ consulibus oppositi sunt tribuni. Cum enim, ut ait Plato in tertio *de Legibus* lib. & Plutarchus in *Lycurgo*, viderent ii qui Lycurgum consecuti sunt, immoderatum paucorum imperium, ei Ephororum qui de plebe erant, vim opposuerunt. Eorum autem verba proferam tum, cum separatim de Magistratibus differam. Quod eo-

dem

dem modo de Cretum Repub. judicandum eſt, cum præſertim Lacedæmoniorum Reſpub. ſumpta ſit & translata a Cretibus, ut ſecundo libro *de Rep.* Ariſtoteles docet.

Atque ut aliquid de iis Reſpublicis dicamus, quæ hodie præclare conſtitutæ dicuntur, in Venetorum Rep. quæ ſola hoc tempore latiſſimum tenet imperium earum quæ confuſæ ſunt, duo ſunt hominum genera & ordines. Alii enim patricii ſunt & nobiles, alii plebeii. Plebejorum rurſus duo ſunt genera, alterum eorum qui majora & altiora ſpectant, alterum eorum, qui contenti re familiari, amplius nihil quærunt. Itaque ſapienter utrique generi dicuntur providiſſe ii qui Rempub. illam conſtituerunt. Nam & illis quoniam periculum erat, ne ſi honoribus privati eſſent, in Rempub. impetum facerent, aditum ad magiſtratus certos patere, his iter præcluſum eſſe voluerunt. De his mox cum de civibus Reipub. dicendum erit, diſſeram. Quod ſi omnes nobis civitates vel quæ extant, vel quæ fuerunt, nobis proponere velimus, eas aut fuiſſe in hos duos ordines diſtinctas, aut ad eos revocandas fuiſſe reperiemus. Summa eſt enim hæc civitatis diviſio, alios eſſe nobiles & locupletes, alios plebejos ac tenues, cum præſertim hæc duo hominum genera varia Rerumpublicarum genera fecerint. Quid enim δημοκρατία aliud ſignificat, niſi eam Reipub. formam in qua populus ſummam rerum ita tenet, ut ſuæ utilitati ſerviat, patricios ſeu nobiles contemnat & pro nihilo putet. Aut quid ὀλιγαρχία eſt, niſi forma civitatis in qua pauci potentes nobiles tuentur, plebem deſerunt? Quid vero ἀριστοκρατία, niſi id genus civitatis in quo pauci optimates utrumque genus pari æquitate retinent? Similis etiam reliquorum trium generum ratio eſt. Nam & regia poteſtas in ſummorum atque infimorum jure conſervando cernitur, & tyrannis in tyranni potius jure tuendo, & genus civitatis, quod Reſp. dicitur, in eo poſitum eſt, ut multitudo ipſa quæ præeſt, non tam ſuæ quam nobilium utilitati conſulat. Atque apud Romanos quidem horum alteri patres, patres conſcripti, & patricii, ut docui, appellabantur, alteri plebs, & plebeii. Apud Athenienſes autem illi primum εὐπατρίδαι, deinde & γεννᾶιοι & γνώριμοι. quæ tria nomina fere idem valent. Itaque Suidas, εὐπατρίδαι, inquit, εὐγενεῖς, id eſt, εὐπατρίδαι *ſunt nobiles*. εὐπατρίδας autem eos fuiſſe Athenis qui Romæ patres dicerentur, Dionyſii Halicarnaſſei ſententia paulo ſupra docui. γενναίους autem eoſdem Xenophon vocat in *Athenienſium Repub.* Ariſtoteles vero γνωρίμους. utriuſque verba paulo ante protuli, & Ariſtotelis mox alia proferam. Et quanquam patrum & patriciorum nomen tritum eſt apud Latinos, tamen pro eo dicunt interdum aliud, quod idem efficit. Nobiles enim eos Cicero nonnunquam nominat, alias principes. In tertio libro *de Legibus*. *Ego autem nobilium vita victuque mutato, mores mutari civitatum puto*. Eodem *libro* paulo ſupra: *Quamobrem aut exigendi reges non fuerunt, aut plebi re, non verbo danda libertas: quæ tamen ſic data eſt, ut multis præclariſſimis addiceretur, ut auctoritati principum cederet*. Principes hoc loco ſenatores, & patres intelligit, quod Senatus eſſet auctoritas, & plebis poteſtas. Optimates *eodem libro* eos vocat, propterea quod in Senatu Romæ id civitatis genus intelligebatur, quod optimorum & optimatum conſiliis adminiſtratur, quam Græci ἀριστοκρατίαν appellant. Erat enim Reſpub. Romana ex omnibus generibus confuſa & temperata. Verba ejus hæc ſunt, quibus de tribunatu plebis diſſerit: *Magnum dicis malum. Nam iſta poteſtate nata, gravitas optimatum cecidit, convaluitque jus multitudinis*. Titus etiam Livius ſæpe pro patriciis dicit nobilitatem, in *ſexto libro extremo*: *Et nec in his quidem finis certaminum fuit: quia patricii ſe auctores futuros negabant, prope ſeceſſionem plebis res, terribileſque alias minas civilium certaminum venit: cum tamen per Dictatorem conditionibus ſedatæ diſcordiæ ſunt, conceſſumque ab nobilitate plebi de Conſule plebejo, a plebe nobilitati de prætore uno, qui jus in urbe diceret, ex patribus creando*. Alterum autem ordinem alias plebem dici, alias multitudinem ex *locis* Ciceronis, quos paulo ante attuli, intelligere poſſumus. Cicero interdum eum ordinem populum appellat, cum fere populi nomen cives omnes contineat. In eodem libro tertio *de Legibus*: *Nimia poteſtas eſt tribuni plebis, quis negat? ſed vis populi multo vehementior, multoque ſævior, quæ ducem quod habet, interdum lenior eſt, quam ſi nullum haberet. Dux enim ſuo periculo progredi cogitat, populi impetus periculi rationem ſui non habet. In hoc Græcos copia vincimus.* δῆμον *enim tantum dicunt, nos & populum & plebem. Nam* πλῆθος *multitudo eſt*. Hæc autem harum rerum vocabula uſitata ſunt apud Græcos eos qui de Repub. diſputarunt, cujuſmodi ſunt Plato, Ariſtoteles, Xenophon, Plutarchus, quorum omnium teſtimonia mihi ne ſim longior proferenda non cenſeo. Ariſtotelis autem verba ita ſubjiciam, ſi hoc unum dixero, & nobilium, & plebis multa eſſe genera, ex quibus multa etiam genera Rerumpublicarum quæ a populo, & quæ a paucis regantur, extiterunt. Ariſtotelis hac de re potiſſimum afferam ſententiam, quoniam eſt hæc diligentiſſime perſecutus. In quarto enim *de Repub* libro ſcribit his fere verbis. Ὅτι δ' ἐστὶ καὶ δημοκρατίας εἴδη πλείω καὶ ὀλιγαρχίας, λέγομεν. φανερὸν δὲ τοῦτο καὶ ἐκ τῶν εἰρημένων. εἴδη γὰρ πλείω τοῦ τε δήμου καὶ τῶν λεγομένων γνωρίμων ἐστίν. οἷον δήμου μὲν εἴδη, ἓν μὲν γεωργοὶ, ἕτερον δὲ, τὸ περὶ τὰς τέχνας, ἄλλο δὲ τὸ ἀγοραῖον τὸ περὶ ὠνὴν καὶ πρᾶσιν διατρίβον. ἄλλο δὲ τὸ περὶ τὴν θάλατταν, καὶ τούτου, τὸ μὲν πολεμικὸν, τὸ δὲ χρηματιστικὸν, τὸ δὲ πορθμευτικὸν, τὸ δὲ ἁλιευτικόν. Paulo infra: Πρὸς δὲ τούτῳ, τὸ χερνητικὸν, καὶ τὸ μικρὰν ἔχον οὐσίαν, ὥστε μὴ δύνασθαι σχολάζειν. ἔτι τὸ μὴ ἐξ ἀμφοτέρων πολιτῶν ἐλευθέρων, κἂν εἴ τι τοιοῦτον ἕτερον πλήθους εἶδος. τῶν δὲ γνωρίμων, πλοῦτος, εὐγένεια, ἀρετὴ, παιδεία, καὶ τὰ τούτοις γενόμενα κατὰ τὴν διαφοράν. Id eſt, *Eſſe autem etiam plebis & paucorum poteſtatis multa genera, dicamus. Quanquam hoc ex iis, quæ dicta ſunt, perſpici licet. Sunt enim & plebis multa genera, & eorum qui nobiles vocantur. ut plebis genus unum eſt aratorum, alterum eorum qui artes tractant, tertium eorum qui in emptionibus venditionibuſque verſantur, aliud eorum qui mare adeunt. quod genus in multa alia diviſum eſt. Nam alii in mari bellum gerunt, alii pecuniam faciunt, alii portitores ſunt, alii piſcatores*. Paulo infra: *Præterea ſequuntur operarii, & ii qui tam parvas opes nacti ſunt, ut non poſſint eſſe in ocio. poſtremum genus eſt eorum, qui ex utroque parente cive libero non ſunt nati, & ſi quod tale aliud multitudinis genus eſt. Patriciorum autem genera faciunt opes, nobilitas, virtus, diſciplina, & quæ horum dicuntur diſſimilitudines*. Ex quibus intelligi poteſt quod dixi, δῆμον plebem eſſe & populum, πλῆθος autem multitudinem, ut a nobilibus diſtinguatur multitudo. Γνωρίμους autem non in anguſtum locum concludit, quippe qui etiam divites γνωρίμους faciat, quos in *extremo ſecundo* loquens de Solonis Repub. ſeparat atque ſejungit, γνωρίμους autem verbum e verbo exprimentes, *notos* dicere poſſumus, id eſt, homines claros, quorum nomen in omnium ore verſatur. Quod ſi qua de cauſa verſetur, quæramus, hanc afferre poſſumus quam Ariſtoteles affert, vel quia divites ſunt, vel quia nobiles, vel quia boni viri, vel quia bene inſtituti.

Quoniam quot in ordines multorum populorum civitates distinctæ essent, demonstravi, nunc qui magistratus adipiscerentur aut non adipiscerentur dicendum est. Et quia prima civitatis cujusque divisio ad nobiles & plebem, ut dixi, pertinet, non est id quidem dubium, quin ubique patriciis aut nobilibus patuerint honores. An autem plebi, quæstio est. Romæ quidem plebs, primum magistratum nullum adipiscebatur, deinde secessione sua in Sacrum montem quartodecimo anno post exactos Consules tribunatum plebis obtinuit, tum ædilitatem, postremo ad omnes honores patricios ascendit. Athenis etiam plebi ad honores iter præclusum erat Solonis lege, quam supra ex Aristotele & Plutarcho protuli, qua magistratus ex censu descripsit, ut solis nobilibus locupletibusque paterent, mercenariis autem, quos θῆτας vocat, eos adipiscendi jus non esset. Nisi forte locupletum nomine etiam de plebe homines qui opes nacti sint industria sua, intelligit. Xenophontis quidem ætate plebs adibat omnes honores, quod ille ex eo evenisse ait, quod de plebe erant remiges, gubernatores, fabri navales, unde plebs majorem civitati vim & necessitatem quam nobiles & locupletes afferret. In Athenientium enim Rep. scribit his verbis. Ἐπειδὴ οὖν ταῦτα οὕτως ἔχει, δοκεῖ δίκαιον εἶναι, πᾶσι τῶν ἀρχῶν μετεῖναι ἔν τε τῷ κλήρῳ, καὶ ἐν τῇ χειροτονίᾳ. Id est, *Quando igitur hæc ita habent, æquum esse hic videtur, aditum patere omnibus ad magistratus, & eos qui sortito, & eos qui suffragiis creantur.* Quoniam autem illic plus plebem posse quam nobiles dixit, eo etiam factum esse post commemorat, ut quos periculosos videret, aut minime fructuosos, nollet adipisci, fructuosos modo adipisceretur. Ἔπειτα ὁπόσαι μὲν σωτηρίαν φέρουσι τῶν ἀρχῶν χρησταὶ οὖσαι καὶ μὴ χρησταί, ἢ κίνδυνον τῷ δήμῳ ἅπαντι, τούτων μὲν τῶν ἀρχῶν οὐδὲν δεῖται ὁ δῆμος μετεῖναι, οὔτε τῶν στρατηγικῶν κλήρων οἴονται σφίσι χρῆναι μετεῖναι, οὔτε τῶν ἱππαρχιῶν· γιγνώσκει γὰρ ὁ δῆμος ὅτι πλείω ὠφελεῖται ἐν τῷ μὴ αὐτὸς ἄρχειν ταύτας τὰς ἀρχάς, ἀλλ᾽ ἐᾶν τοὺς δυνατωτάτους ἄρχειν. ὁπόσαι δ᾽ εἰσὶν ἀρχαὶ μισθοφορίας ἕνεκα καὶ ὠφελείας εἰς τὸν οἶκον, ταύτας ζητεῖ ὁ δῆμος ἄρχειν. Id est, *Deinde qui magistratus partim fructuosi sunt, partim non sunt, & salutem toti plebi afferunt, vel periculum, eorum nullum vult adipisci, nec sibi patere putat oportere honores militares aut equitum præfecturas. Scit enim plebs majorem utilitatem se percepturam, si ipsa eos magistratus minime gerat, eosque concedat potentissimis. Qui autem fructuosi sunt, valentque ad rei familiaris rationem & amplificationem, eos demum populus vult gerere.* Atque etiam Lacedæmone plebs primum ratione honorum privata fuit, deinde Ephoratum sola adepta est. Cæteri erant patricii. Hunc autem morem Veneti adhuc servaverunt, ut alios magistratus patricii adipiscantur, alios populus, nec illi populo, nec hi patriciis ulla ratione pateant. Nam & scriptura qui magistratus est amplissimus, & societatum aut potius sodalitatum præfecturæ aliique nonnulli soli plebi patent.

Sed quoniam plebis vel populi multa sunt genera, quemadmodum supra dixi, an omnes de plebe homines ad Rempub. accedere possint, quæstio est. Ac mihi quidem hæc omnis quæstio explicari posse non videtur, ignorata civis definitione. Civis enim is demum est, cui concessa est sententiæ dicendæ, vel juris dicundi potestas. His enim verbis ab Aristotele statuitur in tertio libro *de Repub.* Τίς μὲν οὖν ἐστιν ὁ πολίτης, ἐκ τούτων φανερόν. ᾧ γὰρ ἐξουσία κοινωνεῖν ἀρχῆς βουλευτικῆς ἢ κριτικῆς, πολίτην ἤδη λέγομεν εἶναι ταύτης τῆς πόλεως. Id est, *Atque ex his quidem quis sit civis perspici potest. Cui enim patet aditus ad magistratum dicendæ sententiæ vel juris dicundi potestate præditum, eum demum civem esse civitatis dicimus.* Nunc ad hanc quasi regulam omnes de plebe homines an in civium numero habendi sint, dirigere debemus. Quod cum fecerimus, facile quibus pateant aut non pateant magistratus, intelligemus. Nam & quos cives esse aut fuisse apud nonnullos populos ostendemus, eis etiam ad honores viam facilem fuisse docebimus: & quos civium numero excludemus, eis etiam aditum ad magistratus non patuisse demonstrabimus. Ac illud quidem intelligendum est, cum paulo supra honores patuisse apud omnes semper patriciis dixi, in eo excipiendos esse eos, qui id ætatis nondum sint, quam patriæ leges legitimam iis gerendis esse voluerunt, de qua non ita multo post differam. De plebe autem plebisque partibus, hoc generale sit præceptum, omnes de plebe homines fere cum civitates conduntur fundanturque Respub. aut eversæ restituuntur, in civium numerum ascribi solere propter civium penuriam. Nam, ut domesticis, id est, Latinorum exemplis utar, prima urbis origine, & aliquot post annis, peregrini & omnes qui Romam habitandi gratia commigrabant, & cives erant, & amplissimos magistratus adipiscebantur. Testes sunt Sabini, iique omnes qui aperto asylo libertate proposita eo confugerunt, testis Numa Pompilius qui Curibus Sabinorum urbe accitus est ad regnum, testis Priscus Tarquinius, qui Tarquiniis Corinthiorum oppido cum Romam se recepisset, paulo post adventum suum regnum occupavit, testis denique Appius Claudius, qui, ut ait *libro secundo* Livius, cum Algido magna clientium manu comitatus Romam transfugisset, inter patres lectus est. Quanquam hoc postremum Appio honoris & virtutis ergo tributum est potius, & ut vires hostium debilitarentur, quam quod penuria hominum esset in urbe. Quod etiam sæpe factum est. Ex quo intelligi potest, multos cives habitos esse prima origine civitatum, qui eis frequentatis sint repudiati. Qui autem fuerunt, deinceps dicendum est. In primis ii mihi videntur qui a Græcis βάναυσοι, id est, *qui in sordidis artibus versantur*. Ita Thebis legem fuisse scribit Aristoteles III. *de Rep.* lib. *ne quis magistratum caperet, qui decennium a sordidis artibus non abstinuisset*. Verba ejus subjeci: Ἐν Θήβαις δὲ νόμος ἦν τὸν δέκα ἐτῶν μὴ ἀπεσχημένον τῆς ἀγορᾶς, μὴ μετέχειν ἀρχῆς. Quamquam autem inter πλῆθος, ἀγοραῖον, & βάναυσον Aristoteles vult interesse, nos tamen hoc loco ea non sejungimus. Ille autem βάναυσον πλῆθος vocat, alias quod in iis artibus versatur, sine quibus esse civitas nullo modo potest, in quibus ea numerat quæ ad vitam degendam pertinent, alias quod in iis artibus versatur, quæ corpus inquinant. ἀγοραῖον autem id quod emendo, vendendo, mercando, cauponando vitam tuetur. Lutetiæ autem Parisiorum, in qua urbe hos libros scripsimus, privantur ii quidem a ratione magistratuum qui in sordidis artibus versantur, sed tamen nulla lex jubet, aliquem eorum certum tempus ab illis abstinere, si ad honores ascendere velit. Nam ut primum per opes suas quisque abstinere potest, ei ad quatuor viratum (*Scabinatum* lingua nostra vocant) qui secundum præfecturam mercatorum amplissimus est magistratus, facillimus cursus patet, præsertim cum hoc anno quidam qui pellio paulo ante fuerat, ad eum honorem multis contradicentibus tamen obrepserit. Neque vero omnibus aut iis qui in liberalibus artibus versantur, aut iis qui in sordidis aliquando versati sunt, ad præfecturam cursus patet, sed iis demum qui in urbe vel in suburbiis nati sunt. Atque hic eos homines qui a magistratibus arcentur, a cæteris Parisiis distinguunt corio, quo se ipsi præcingunt tum cum ali-

quid operis agunt, ne quam vestes maculam suscipiant aut contrahant. Hinc enim facile perspici potest, eas artes quas tractant, in sordidarum numero esse ducendas. Curationes autem, quæ in tanta & tam copiosa urbe, quanta nulla est, ut fere inter omnes constat, sunt pene infinitæ, omnibus patent, sed venales fere sunt omnes.

In numero eorum qui de plebe nec cives sunt nec honores capiunt ii secundo loco ducendi sunt, qui θῆτες a Græcis, a nobis mercenarii & operarii vocantur. Quanquam & hos & superiores nihil vetat in nonnullis civitatibus civium appellatione contineri. Nam in aliquo Reip. genere nonnulli cives sunt, quos aliud genus nunquam probabit. In eo enim civitatis statu, in quo populus præest, fere fit ut cuivis magistratus pateant. Quod Xenophontis ætate Athenis contigit, quemadmodum verba ejus quæ paulo supra protuli, indicant. At in optimati civitatis genere neutri eorum cives habentur. Ibi enim virtuti & pro dignitate honores tribuuntur, cujus in illis nulla particula inest. In ea autem forma Reipub. quæ a paucis administratur, operarii cives esse non possunt, ii qui in sordidis artibus versantur, possunt. Nam illic ex magno censu magistratus describuntur, & hi summas opes nancisci possunt, illi non possunt. Hæc fere sunt apud Aristot. posita in tertio *de Repub.* libro.

Alia etiam hominum de plebe genera sunt, quæ omnium consensu in civium numero non reponuntur, cujusmodi sunt servi, liberti, peregrini, incolæ. De peregrinis inter omnes constat. Quæritur enim civisne sit aliquis an peregrinus. Incola etiam Romæ non erat civis. Quod in primo libro *de Officiis* Cicero indicat his verbis: *Peregrini autem & incol e officium sit, nihil præter suum negotium agere, min'meque in aliena Repub. curiosum esse.* Nam cum eos dicat in aliena Repub. esse, profecto eis adimit Reip. gerendæ potestatem. Quos vocat peregrinos, Græce dicuntur ξένοι, quos incolas, μέτοικοι. nam ἔποικοι coloni dicuntur. Athenis ξένυς cives non fuisse hinc intelligi licet, quod Clisthenes exactis tyrannis, in tribulium numerum eos ascripserit, quemadmodum Aristoteles ait in tertio libro *de Repub.* Lutetiæ autem Pari iorum peregrini & incolæ, id est, qui eo habitandi gratia migrant, non sunt illi quidem cives, sed tamen liberi eorum sunt, dum in sordidis artibus non versentur: quod jus in veteribus rebus publicis non valuit. Servi autem & liberti, qui Græce dicuntur ἀπελεύθεροι, non sunt cives, propterea quod qui civis est, idem liber est a primo ortu, quod neutris convenit. Nam libertus etsi liber est, tamen servus fuit. Hoc autem jus in iis libertis intelligendum est, qui privatim, non publice libertate donabantur. Nam ii qui publice libertate donabantur quod bene meriti essent de Republ. ii cives habebantur, duntaxat apud Romanos. Quinetiam apud eos libertate publice donari, idem quod civitate donari valebat. Cicero in *Corneliana*, quæ sola extat: *Servos denique, quorum vis & fortunæ conditio infima est, bene de Rep. meritos, persæpe libertate, id est, civitate publice donari videbamus:* An autem omnes in civium numero haberentur ii qui civitate donarentur, quæstio est. Augentque hujus loci difficultatem Ciceronis & Festi Pompeii pugnantes inter se sententiæ. Nam municipes hic negat cives esse, in iisque nonnullos populos nominat, quos Cicero donatos dicit civitate. Festi verba hæc sunt: *Municipium id genus hominum dicitur, qui cum Romam venissent, neque cives Romani essent, participes tamen fuerunt omnium rerum ad munus fungendum una cum Romanis civibus, præterquam de suffragio ferendo, vel magistratu capiendo. Sicut fuerunt Fundani, Formiani, Cumani, Sera-*

A *ni, Lanuvini, Tusculani, qui post aliquot annos cives Romani effecti sunt.* Ciceronis hæc in *Corneliana: Itaque & ex Latio multi, ut Tusculani & Lanuvini, & ex cæteris generibus gentes universæ in civitatem sunt receptæ, ut Sabinorum, Volscorum, Hernicorum.* Atque hæc illi: Quæ dissident inter se, nisi Cicero loquatur de eo tempore, quo ait Festus illos populos, cum jam venissent in civitatem, cives esse factos, aut certe recipi civitate vel in civitatem, & donari civitate, non idem declarent, quod civem fieri, sed tantum quantum id quod ait Festus, *venire in civitatem*, id est, participem fieri omnium rerum ad munus fungendum B una cum Romanis civibus, præter jus suffragii ferendi gerendique magistratus. Quod ut credam, facit ille Livii locus, qui scriptus est in XXXVIII. *libro*, quo quidem Formianos, Fundanos & Arpinates scribit jus habuisse ferendi suffragii anno fere DXVI. post urbem conditam. Ejus verba perscribenda censui: *De Formianis*, inquit, *Fundanisque municipibus & Arpinatibus C. Valerius Tappo Trib. pleb. promulgavit, ut iis suffrag i latio (nam ante sine suffragio habuerant civitatem) esset.* Acerranis autem in VIII. *libro* sine suffragio civitatem datam scribit his verbis: *Romani facti Acerrani lege ab L. Papyrio prætore lata, qua civitas sine* C *suffragio data.*

Civis autem Romanus hic a cæteris differebat, quod sic erat urbis Romæ, ut alterius esse non posset, cum alii possent cives esse aliarum etiam civitatum. Quod in *Corneliana oratione* Cicero docet: *Atqui cæteræ civitates omnes non dubitarent nostros recipere in suas civitates, si idem nos juris haberemus, quod cæteri. Sed nos possumus & hujus esse in civitatis, & cujusvis præterea: cæteris concessum est. Itaque in Græcis civitatibus videmus Athenis Rhodios, Lacedæmonios, cæteros undique ascribi, multarumque esse eosdem homines civitatum.* D *Quo errore ductos vidi egomet nonnullos imperitos homines nostros cives, Athenis in numero judicum atque Areopagitarum, certa tribu, certo numero, cum ignorarent, si illam civitatem essent adepti, hanc se perdidisse, nisi postliminio recuperassent. Peritus vero nostri juris ac moris nemo unquam, qui hanc civitatem retinere vellet in aliam civitatem se dicavit.* Hoc autem jus *eadem oratione* comparatum esse dicit ab initio Romanæ Reipubl. *O mira, præclara atque divinitus jam a principio Romani nominis a majoribus nostris jura comparata, ne quis nostrum plus quam unius civitatis esse possit.* Dissimilitudo enim civitatum varietatem juris habeat necesse est. Quo- E niam qui cives sint quique de plebe homines non sint in civium numero reponendi, satis demonstratum est, nunc non alienum erit, quæ ætas in cive desideretur, exponere. Neque enim pueri omnino cives habendi sunt, sed solum quadam ex parte, vel inchoati & imperfecti, quod nondum per ætatem civilia munera sustinere possint. Eos sic appellat Aristoteles in tertio libro *de Rep.* Τῦτο γὸ ἀληθὲς, ὡς ȣ̓ πάντας θετέον πολίτας, ὧν ἄνευ ȣ̓κ ἂν πόλις. ἐπεὶ ȣ̓δ᾽ οἱ παῖδες ὡσαύτως πολῖται καὶ οἱ ἄνδρες, ἀλλ᾽ οἱ μὲν ἁπλῶς, οἱ δ᾽ ἐξ ὑποθέσεως. πολῖται μὲν γάρ εἰσι, ἀλλ᾽ ἀτελεῖς. Id est, *Hoc enim verum est, non omnes ducendos esse cives* F *eos, sine quibus esse civitas nullo modo potest, quippe cum pueri non eodem modo cives habendi sint, quo viri, sed hi omnino, illi quadam ex parte. Sunt enim illi quidem cives, sed inchoati.* Cum Aristoteles dicit non eodem modo pueros & viros cives esse, profecto tum demum pueros cives omnino fieri solitos dicit, cum viri esse cœpissent, id est, cum ex pueris excessissent. Atque apud Romanos quidem cum primum pueri pubescere inc'piebant in numerum civium ascribebantur, tumque prætex-

ta posita, quæ puerorum erat insigne cum bulla, virilem togam sumebant, patebatque eis jam ab ea ætate magistratus. Suetonius hoc in *Augusto* indicat cap. VIII. *Quadrimus patrem amisit: duodecimum annum agens, aviam Juliam defunctam pro concione laudavit. Quadriennio post, virili toga sumpta, militaribus donis triumpho Cæsaris Africani donatus est.* Ex his verbis quæ de uno dicuntur Augusto, ea intelligi possunt quæ ad omnes pertinent, ut omnes Romæ anno sextodecimo virilem togam sumere solitos intelligamus. Is enim annus, vel quindecimus ei ætati constitutus est quam pubertatem vocant, quemadmodum Aristoteli placet, qui XIII. negat annum initio ejus ætatis convenire. Ab eis enim qui ætates in septenarium numerum partiuntur, dissentiens, in septimo *de Rep.* scribit his fere verbis: *Δύο δ' εἰσὶν ἡλικίαι, πρὸς ἃς ἀναγκαῖον διῃρῆσθαι τὴν παιδείαν, μετὰ τὴν ἀπὸ τῶν ἑπτὰ μέχρι ἥβης, καὶ πάλιν μετὰ τὴν ἀφ' ἥβης μέχρι τῶν ἑνὸς καὶ εἴκοσιν ἐτῶν. οἱ γὰρ ταῖς ἑβδομάσι διαιροῦντες τὰς ἡλικίας, ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ λέγουσιν οὐ καλῶς.* Id est, *Duæ autem ætates sunt, in quas disciplina dividenda necessario est, altera a septimo anno ad eum cum primum puer pubescere incipit, altera ab illo ad primum & vicesimum. Nam qui ætates in septem partiuntur, ii fere errant.*

Hoc ergo jam intelligimus, pueros in civium numero non habitos, nisi quadam ex parte, eosque apud Romanos a viris prætexta & bulla esse distinctos. Plutarchus hujus distinctionis auctorem ponit Romulum, ex cujus verbis *περιπόρφυρον* prætextam dici intelligemus: *Φέρειν δὲ καὶ τοὺς παῖδας αὐτῶν τὴν καλουμένην βοῦλλαν ἀπὸ τοῦ σχήματος, ὅμοιον πομφόλυγι, περιδέρραιόν τε καὶ περιπόρφυρον.* *Atque etiam earum liberis bullam quam vocant a figura & similitudine aqueæ bullæ quæ eis a collo dependeret, prætexereturque prætexta, insigne concessit.* Festus autem Pompejus bullam auream fuisse dicit, discedit que a Plutarcho de etymologia, nec ait prætextam ei purpuram fuisse: *Bulla*, inquit, *aurea, insigne erat puerorum prætexatorum, quæ dependebat eis a pectore, ut significaret eam ætatem alterius regendam consilio.* Dicta est autem bulla a Græco sermone *βουλή*, quod *consilium* dicitur Latine, vel quia eam partem corporis bulla contingat, id est, pectus, in quo naturale manet consilium. Itaque Romani cum de pueris suis loquuntur, ponere prætextam dicunt, & virilem togam sumere. Cic. *Philippica secunda: Visne igitur te inspiciamus a puero? Sic opinor, a principio ordiamur, Tenesne memoria prætextatum te decoxisse?* Paulo infra: *Sumpsisti virilem togam quam statim muliebrem stolam reddidisti.* Sunt qui prætextam fuisse dicant tantum patriciorum. Plutarchi verba, quæ paulo supra posita sunt, omnium fuisse declarant. Nam cum raptarum virginum Sabinarum liberis hoc jus a Romulo concessum esse dicit, profecto omnium Romanorum liberis concessum fatetur, cum præsertim tum & centum essent solum senatores, & de plebe homines ex ea multitudine uxores duxerint. Quod autem Romani de suis loquentes dicebant, prætextam ponere, hoc de aliis ex pueris & ephebis excedere, & Græci *ἐξέρχεσθαι ἐκ παίδων*, de suis dicebant. Demosth. *περὶ στεφάνου*, quo loco suum institutum cum Æschinis compararat. *Σὺ δ' ὁ σεμνὸς ἀνὴρ καὶ διαπτύων τοὺς ἄλλους, πρὸς ταύτην, ποίᾳ τινὶ κέχρησαι τύχῃ, δι' ἣν παῖς μὲν ὢν μετὰ πολλῆς ἐνδείας ἐτράφης,* &c. Paulo infra: *ἀνὴρ δὲ γενόμενος, τῇ μητρὶ τελούσῃ, τὰς βίβλους ἀνεγίγνωσκες.* Id est, *Tu vero præclare vir qui cæteros irrides, confer hanc meam fortunam cum tua, cujus adverso flatu, puer in magna egestate educatus es,* &c. Paulo infra: *Cum autem ex pueris excessisses corroborata ætate, matri initianti libros legisti,* &c. Paulo supra, loquens de fortuna sua, *ἐξελθόντι ἐκ παίδων* dixit, quod ut alio loco docui Cic. in *Archiana* orat. dicit, *excedere ex pueris*. Ex quibus perspicuum est, eos qui ex pueris excederent, jam in virorum numerum ascriptos fuisse. Quod si in virorum, etiam in civium, quoniam ut ostendimus de Aristotelis sententia, non erant omnino cives pueri, nec eodem modo quo viri erant. Itaque Plutarch. in *Antonio* de eo loquens, *ἐγγράφειν εἰς τοὺς ἐφήβους* dicit virilem togam dare: *Αναληφθεὶς δὲ ὑπὸ τῆς Κλεοπάτρας εἰς τὰ βασίλεια, πρὸς δεῖπνα, καὶ πότους, καὶ διανομὰς ἔτρεψε τὴν πόλιν, ἐγγράφων μὲν εἰς ἐφήβους τὸν Κλεοπάτρας παῖδα καὶ Καίσαρος: τὸ ἀπόρφυρον καὶ τέλειον ἱμάτιον Αντύλλῳ τῷ ἐκ Φουλβίας περιτιθείς.* Id est, *Cum autem in regiam a Cleopatra receptus esset civitatem, ad prandia, pocula, potationes, divisionesque convertit, quod & virilem togam Cleopatræ Cæsarisque liberis daret, & Antyllo quem ex Fluvia susceperat, puram & justam daret.* Εγγράφεσθαι etiam solum verbum est ascribi in civium numerum. Εγγεγραμμένους enim Aristoteles eos, qui ascripti sunt, & professi nomen suum appellat. In tertio *de Rep.* lib. Πολλαχοῦ *μὲν οὖν οὐδὲ τούτων τελέως οἱ μέτοικοι μετέχουσι τῆς τοιαύτης κοινωνίας, ἀλλὰ καθάπερ καὶ παῖδας τοὺς μήπω δι' ἡλικίαν ἐγγεγραμμένους, καὶ τοὺς γέροντας τοὺς ἀφειμένους, φατέον εἶναι μέν πως πολίτας, οὐχ ἁπλῶς δὲ λίαν, ἀλλὰ προστιθέντας, τοὺς μὲν ἀτελεῖς, τοὺς δὲ παρηκμακότας.* *Ac municipes multis locis non omnino hujus participes sunt societatis, sed quemadmodum pueri qui nondum virilem togam sumpserunt, & senes qui exauctorati sunt, cives quodammodo dicendi sunt, non omnino quidem, sed cum adjunctione, illi inchoati, hi veterani.* Civium enim omnium etiam eorum qui civitate donabantur, quos Aristoteles *ποιητοὺς*, id est, *factos cives* appellat (Alii enim nascuntur cives, alii efficiuntur) nomina in tabula perscribebantur, quod verbum *ἐγγράφειν*, & *ἐγγράφεσθαι*, & *ἀπογράφεσθαι* indicat. Romæ id fiebat apud Prætorem, ut ex *Archiana* Ciceronis oratione licet perspici: *An domicilium Romæ non habuit is, qui tot annis ante civitatem datam, sedem omnium rerum ac fortunarum suarum Romæ collocavit? At non est professus? Imo vero his tabulis professus, quæ solæ ex illa professione collegioque prætorum obtinent publicarum tabularum auctoritatem. Nam cum Appii tabulæ negligentius asservatæ dicerentur, & Gabinii, quandiu incolumis fuit, levitas, post damnationem calamitas, omnem tabularum fidem resignasset: Metellus homo sanctissimus modestissimusque omnium, tanta diligentia fuit, ut ad Lentulum prætorem, & ad Judices venerit, & unius nominis litura se commotum dixerit. Lex autem Romæ erat, quam Syllanus & Carbo tulerant, ne quis fœderatis civitatibus ascriberetur, nisi qui in Italia domicilium habuisset.* In eadem oratione: *Data est civitas Syllani lege & Carbonis, si qui fœderatis civitatibus ascripti fuissent, si tamen cum lex ferebatur, in Italia domicilium habuissent, & si sexaginta diebus apud Prætorem essent professi. Cum hic domicilium Romæ multos jam annos haberet professus est apud Prætorem.* Lutetiæ etiam Parisiorum nemo eorum qui eo habitandi gratia commigrant, civis habetur, nisi annum continuum diemque præterea domicilium habeat. Quod ait Cicero *profiteri* & *professio*, Græce *ἀναγράφειν*, & *ἀναγραφὴ* dicitur; *ἀπογράφεσθαι* autem, ad verbum *ascribi* est in proximo Ciceronis loco. In Venetorum Repub. omnium patriciorum, id est, civium nomina in tabulas publicas sive codices referuntur, quod quemadmodum fiat, quaque ætate, dicendum est. Omnes quidem qui annos quinque & viginti nati sunt patricii (ii enim soli, ut dixi, habentur cives) eum magistratum adeunt, qui legum custodiam habet, quæ Censoribus Romæ cura dabatur, apud Græcos iis qui *νομοφύλακες* ex

ea dicebantur, Venetiis autem *advocatorius* appellatur, eique jurejurando obstricti testes duo clari viri affirmant ex patricio patre illos natos esse & proba matre, præsente patre si etiam vivit, sin ille excesserit, matre, sin illa quoque de vita migraverit, eo qui proxima illum cognatione attingat. Is autem qui ex his tribus adest, in verba jurat *advocatorum* quos vocant, filium natum esse annorum quinque & viginti, tum omnium nomina in tabulis describuntur.

De universitate etiam studiorum quæ Lutetiæ Parisiorum collocata est frequentissima & clarissima, non alienum erit, cum locus dabitur, disputare. Neque enim ullam esse Rempub. existimo, in qua verius Romanæ Reipub. simulachrum, quam in ea, eluceat. Nam & comitiorum eadem est, & ferendorum suffragiorum ratio, & tribuum centuriarumque ordo & descriptio. Atque hic quidem duo sunt civium genera, ut fere ubique. Prius genus est eorum qui semestre in studiis tempus consumpserint, quo exacto tempore apud summum magistratum, qui Rector universitatis recte dicitur (nam & rector Reipub. a Cicerone A appellatur is qui summam obtinet in Repub. auctoritatem, & universitas mundus hic ab eodem dicitur, quod res omnes complexu suo contineat. Itaque *Universitatem* a majoribus nostris appellatam hanc scholam puto, quod universa artium genera complecteretur) cuivis licet profiteri. In ea autem professione a Rectore ipso leges quædam recitantur, quas se quisque servaturum esse juret. Hinc scholastici jurati vocantur, eorumque locus, nomina, in tabulis, aut codice describuntur. Jura quædam his comparata sunt a majoribus nostris. Itaque sunt illi quidem quasi cives Universi- B tatis hujus tanquam Reipub. sed non omnino cives, quod eis magistratus minime pateant. Aliud autem genus est civium qui magistratus adipisci possunt, & ferre suffragia. Nec vero omnes quibus ferendorum suffragiorum ratio patet, iis etiam inest adipiscendi magistratus. Quod enim in aliis Rebuspub. ætas valet ad gerendos magistratus, hic vel tempus certum valet, quod adepto eo gradu honoris quod *magisterium artium* vocant, in docendis aliis ponitur, vel gradus honoris, qui *baccalaureatus* dicitur, vel *licentiæ*.

JOACHIMI PERIONII,

HEBRAICARUM ET GRÆCARUM LITTERARUM INTERPRETIS REGII,

DE

MAGISTRATIBUS

GRÆCORUM ET ROMANORUM,

LIBER SECUNDUS.



TQUE ut aliquando hunc locum de civibus concludam, hoc intelligendum est, ut apud Romanos virilis toga insigne erat virorum, & civium, sic apud Græcos fuisse in publicis conviviis accubationem. Aristoteles enim in septimo libro *de Repub.* hoc videtur his verbis indicare. *Εὰν δέ τις φαίνηταί τι λέγων ἢ πράττων τῶν ἀπηγορευμένων, τὸν μὲν ἐλεύθερον, μήπω δὲ κατακλίσεως ἠξιωμένον ἐν τοῖς συσσιτίοις ἀτιμίαις κολάζειν καὶ πληγαῖς.* Id est, *Quod si constet aliquem quippiam eorum vel dicere vel facere quæ vetita erunt, isque ingenuus sit, nec dum in conviviis publicis accumbat, castigandus erit ignominia, virgisque cædendus.* Diximus adhuc quæ fuerit origo magistratuum, quot in partes & ordines divisus fuerit populus & apud Romanos & Græcos, quibusque pateant honores. Nunc sequitur ut quomodo cuique magistratus mandentur, doceamus. Et quia hoc totum positum est in ferendis suffragiis, primum qui ea ferrent & quomodo ferrent, dicendum est. Sed quoniam tribus & centuriæ jus suffragiorum habebant, ab eis capiamus exordium.

Tribus quidem tres initio a Romulo institutæ sunt. Ennii ea est, ut Varro ait in libro *de Latina Lingua*, sententia: *Ager*, inquit, *Romanus primum divisus in partes tres, a quo tribus Tatiensium, Ramnensium, Lucerensium nominatæ, ut ait Ennius. Tatienses a Tatio, Ramnenses a Romulo, Lucerenses, ut ait Junius, a Lucumone. Sed omnia hæc vocabula Thusca, ut Volumnius qui tragœdias Thuscas scripsit, dicebat.* Ex quibus verbis perspicuum est, verbum *Tribus* Varronis sententia, a tribus quod in tres E partes divisus esset ager, esse nominatum. In quo ille Athenienses imitatus est. *τριττὺς* enim dicebatur, ut paulo infra docebo. Titus autem Livius a tributo pendendo tribus appellatas esse dicit, nec vero has quas Varro tribus vocat, eodem appellat nomine, sed centurias easque equitum in *primo libro* post Romam conditam. *Eodem*, inquit, *tempore & centuriæ tres equitum conscriptæ sunt. Ramnenses a Romulo, ab T. Tatio Tatienses appellati. Lucerum nominis & originis causa incerta est.* Idem paulo supra, populum in curias triginta a Romulo divisum fuisse scribit his verbis: *Itaque cum populum in curias triginta divideret, nomina earum curiis imposuit. Id non traditur, cum haud dubie aliquanto numerus major hoc mu-* F *lierum fuerit, ætate, an dignitatibus suis, virorumve, an sorte lectæ sint, quæ nomina curiis darent.* Omnes qui nostra vel majorum memoria de curiis aliquid scripserunt, curias & tribus easdem dicunt fuisse. Sed eorum errorem perspicue & Cicero & Livius ex nostris, & ex Græcis Dionysius Halicarnasseus coarguunt. Cicero enim alia comitia tributa facit, alia curiata, ut, cum de comitiis disseram, demonstrabo. Titum autem Livium easdem non appellare tribus & curias, ex iis verbis intelligi potest, quas

in eodem *primo libro* de Servii Tullii Regis rebus gestis loquens ponit: *Nec mirari*, inquit, *oportet, hunc ordinem qui nunc est, post expletas quinque & triginta tribus duplicato earum numero, centuriis juniorum seniorumque ad instituta ab Servio Tullio non convenire. Quadrifariam enim urbe divisa regionibus collibusque, quæ habitabantur partes, tribus eas vocavit, ut ego arbitror, ab tributo, nam ejus quoque æqualiter ex censu conferendi ab eo inita ratio est, neque hæ tribus ad centuriarum distributionem numerumque quicquam pertinuere*. His verbis multa traduntur a Livio, ex quibus id quod volumus, perspici licet, primum duplicatum fuisse tribuum numerum, quas XXXV. suo tempore dicit fuisse. Quod si duplicatæ fuerunt, ut ipse vult, & curiæ eædem sunt quæ tribus, certe cum dicat curias a Romulo triginta fuisse, non solum essent quinque & triginta tribus, sed sexaginta duplicatæ. Deinde tribus a tributo appellatas confirmat, cujus conferendi Servius rationem inierit, distributa regione in quatuor partes, quas tribus vocaverit. Quod si quatuor erant tantum tribus quæ a Servio institutæ sint & appellatæ, curiæ autem triginta, quas Romulus, ut vult, instituerit, certe aliud tribuum, aliud curiarum nomine vult intelligi. Ex quibus perspicuum est, non solum a Varrone T. Livium verbis, sed sententiis etiam & rebus discrepare, nec easdem esse Livii sententia tribus & curias. Quid ergo interest inter tribus & curias? dicet aliquis. Equidem cum omnium scripta, qui de his rebus aliquid reliquissent, evolvissem, qui de horum verborum dissimilitudine melius accommodatiusque ad veritatem Dionysio Halicarnasseo disseruerit, inveni certe neminem. In *secundo* enim *libro* eorum, quibus Romanorum antiquitates diligentissime persecutus est, scribit his fere verbis: *Dicam autem primum de forma Reipub. quam ego puto unam ex omnibus maxime seipsa esse contentam & bello & pace. Fuit autem talis partitio. Divisa enim tres in partes omni multitudine, singulis partibus singulos duces clarissimos homines præfecit. deinde earum trium partium unaquaque in partes decem distributa, harum quoque præfectos delegit viros fortissimos. Vocavit autem partes majores tribus, & minores curias, quibus nominibus etiam nunc appellantur*. Latini omnes scriptores, quos quidem legere potuerim nullam hujus divisionis mentionem faciunt. Nam Plutarchus Græcus scriptor in *Romulo* Dionysii sententiam sequitur: Φυλὰς δὲ τρεῖς καταστήσαντες ὠνόμασαν τοὺς μὲν ἀπὸ Ρομύλου Ραμνήνσης, τοὺς δὲ ἀπὸ Τατίου Τατιήνσης, τρίτους δὲ Λουκερήνσης διὰ τὸ ἄλσος, εἰς ὃ πολλοὶ καταφυγόντες ἀσυλίας διδομένης, τοῦ πολιτεύματος μετέσχον. τὰ δ' ἄλση λούκους ὀνομάζουσιν. ὅτι δ' ἦσαν αἱ φυλαὶ τοσαῦται τοὔνομα μαρτυρεῖ. τρίβους γὰρ ἔτι νῦν τὰς φυλὰς καλοῦσιν, καὶ τριβούνους τοὺς φυλάρχους. ἑκάστη δὲ φυλὴ δέκα φρατρίας εἶχεν, ἃς ἔνιοι λέγουσιν ἐπωνύμους εἶναι ἐκείνων τῶν γυναικῶν. τοῦτο δὲ δοκεῖ ψεῦδος εἶναι. πολλαὶ γὰρ ἔχουσιν ἀπὸ χωρίων τὰς προσηγορίας. *Tres autem tribus instituerunt, eosque qui a Romulo dicti sunt, Ramnenses nominaverunt, eos qui a Tatio, Tatienses, tertios Lucerenses a luco, in quem multi asylo aperto confugientes, civitate donati sunt. Tribus autem tot fuisse, ipsum nomen indicat. Tribus enim nunc etiam vocant, quas* φυλὰς *nos, & tribunos quos* φυλάρχους *dicimus. Unaquæque autem tribus decem curias continebat, quas nonnulli ab illis mulieribus appellatas esse asserunt, quod falsum videtur esse, propterea quod multæ ab oppidis nomen habuerunt*.

Quid inter tribum & curiam intersit, ex iis quæ adhuc non a Latinis, sed a Græcis duobus auctoribus Dionysio Halicarnasseo & Plutarcho sumpsimus, intellectum arbitror. Eorum enim sententia, unaquæque tribus curias decem continebat. Titus autem Livius obscuram hanc de tribubus & curiis, ut docui, quæstionem reddidit. Nam & solus centurias vocat, quas tribus cæteri appellant, & curias triginta a Romulo institutas esse dicit, quas quoniam & a tribubus sejungit, & a curiis triginta quas Halicarnasseus & Plutarchus ponunt, profecto quid curias appellet prorsus ignoro. Neque enim easdem putat quas tribus. Curiam autem Varro mihi videtur non eodem modo appellare, quo Dionysius atque Plutarchus vocant. In lib. enim *de Latina Lingua* duo genera curiarum facit his verbis: *Curiæ duorum generum. Nam & ubi curarent sacerdotes res divinas, ut curiæ veteres, & ubi senatus humanas, ut curia Hostilia, quam primus ædificavit Hostilius rex*. In eodem: *Curia ubi senatus Remp. curat. illa etiam curia dicitur, ubi cura sacrorum publica: ab his curiones*. Varro nomen curiæ ad loci appellationem refert superioribus verbis, de qua significatione Dionysius Halicarnasseus loquitur, *libro secundo*: *Iis autem quæ ad deorum cultores pertinent constitutis, templa divisit, curiisque singulis binos deos quos colerent assignavit, decrevitque ad sacra sumptus qui publice præberentur, sacra autem una cum sacerdotibus curiæ faciebant, festisque diebus in curiali Vesta omnes epulabantur. Erat enim suum cuique curiæ triclinium, in quo sacra fiebant, ut apud Græcos in Prytaneis Vesta quædam curiarum communis, eratque nomen tricliniis, sicut & curiis, curia*. Si mihi usu venisset Græcum Dionysii codicem legere, aliter hæc dicerem. Vocarem enim curiam locum, in quo curiæ sacra faciebant & comedebant, quam Vestam curialem & triclinium dicit Interpres. Antequam Græca cum Latinis conjungo, libet tribuum numerum persequi. Complurium quidem sententia tres primum, ut docui, sunt institutæ, Ramnensis a Romulo dicta, Tatiensis a Tatio collega & consorte imperii, tertia Lucerensis a Lucumone ut Varroni placet, ut autem Dionysius vult & Plutarchus, a luco. Quatuor autem descriptas esse a Servio Tullio rege supra ex Livio docui, quas a quatuor regionibus, in quas urbs divisa est ab illo, appellatas esse Varro etiam auctor est: *Ab hoc quoque*, inquit, *quatuor partes urbis tribus dictæ a locis, Suburbana, Palatina, Esquilina, Collina, quinta quod sub Roma, Romilia*. Jam octo tribus unde appellatæ sint, intelligimus. Nona Claudia vetus appellata est ab Appio Clauso, qui post Claudius vocatus est, anno quinto post exactos reges, P. Valerio quartum & T. Lucretio iterum Coss. De qua Tit. Livius *lib*. II. post urbem conditam scribit his fere verbis: *Seditio inter belli pacisque auctores orta in Sabinis, aliquantum inde virium transtulit ad Romanos. Namque Appius Clausus, cui postea Claudio fuit Romæ cognomen, cum pacis ipse auctor a turbatoribus belli premeretur, nec par factioni esset, ab urbe Regillo magna clientum comitatus manu Romam transfugit. His civitas data, agerque trans Anienem. Vetus Claudia tribus, additis postea novis tribulibus, qui ex eo venirent agro, appellata*. Idem *eodem libro*, unam & triginta tribus factas esse anno quartodecimo post exactos reges scribit his verbis: *Romæ tribus una & XXX. factæ*. Atque earum quidem, quæ ad novem superiores additæ sunt, non tradit nomina. Quatuor autem reliquarum, quibus V. & XXX. numerus expletus est, in *sexto* tradit: *Tribus quatuor ex novis civibus additæ, Stellatina, Pometina, Sabbatina, Narniensis, eæque XXXV. tribuum numerum explevere*. Idem auctor est in *extremo nono libro* a Q. Fabio censore omnem forensem turbam excretam in quatuor tribus conjectam esse, quæ urbanæ vocatæ sint: *Ex eo*, inquit, *tempore in duas partes discessit civitas, aliud integer populus fautor & cultor bonorum, aliud*

A *forensis factio tenebat, donec Q. Fabius & P. Decius Censores facti. Fabius simul concordiæ causa, simul ne humillimorum in manu comitia essent, omnem forensem turbam excretam in quatuor tribus conjecit, urbanasque eas appellavit: adeoque eam rem acceptam gratis animis ferunt, ut Maximi cognomen, quod tot victoriis non pepererat, hac ordinum temperatione pareret.* Quæ autem earum tribuum essent nomina, hoc loco nihil dicit: *libro* XX. ut Floro placet, tradit: *Libertini in quatuor tribus redacti sunt, cum antea dispersi fuissent, Esquilinam, Palatinam, Suburranam, vel Suburbanam, Collinam.* Sed cum hoc dicunt, non hoc dicunt, ex libertinis

B solis has quatuor tribus constitisse, sed cum antea fusæ dispersæque essent, in quatuor has, quæ etiam urbanæ vocarentur, relatas fuisse. Ita non novum numerum tribuum efficiunt, sed quatuor quæ prius erant, augent. In *decimo libro* duas additas dicit, quarum tradit nomina: *Et lustrum eo anno conditum a P. Sulpitio Sopho, & P. Sempronio Averrione Censoribus, & tribus additæ duæ, Amensis, ac Tarentina.* Nos si ad superiores XXXV. has duas addamus, septem & triginta fient, cum interea etiam Ciceronis ætate V. & XXX. tantum esse dicerentur. Itaque vel T. Livius erravit in earum tradendo nu-

C mero, (nam Cicero Tarentinam in *Planciana* oratione nominat) vel eo modo V. & XXX. tribuum nomen valuit, quo centumjuralia judicia appellata sunt, cum plures essent quam centum judices: aut certe nominis vetustas valuit ac retenta est. Tenemus quidem tribuum earum, quæ XXXV. fuerunt, quindecim nomina.

Reliquarum autem viginti quærenda sunt nobis. Atque utinam Varronis *de Tribubus* liber extaret. Facile enim esset non solum reliquarum nomina edere, verumetiam causas nominum exponere. Sed tamen quarum nomina multa lectione invenimus, eæ nobis tradendæ sunt. Cicero in *Planciana* oratione quatuor nominat: *Tu autem Late-*

D *rensis quas tribus edidisti. Tarentinam credo (Tarentinam* enim a Tarento legendum puto, non *Terentinam.) Fuit certe id æquum, & certe expectatum est, & fuit dignum constantia tua, cujus tu tribus venditorem, & corruptorem, & sequestrem Plancium fuisse clamitas, eam tribum profecto, severissimorum præsertim hominum & gravissimorum edere debuisti. At Volitinia (libet enim tibi nescio quid etiam de illa tribu criminari) hanc igitur cur non edidisti? Quid Plancio cum Lemonia? cum Vejentana? quid cum Crustumina?* Nam quoniam *Tarentinam*, ut dixi, legendum arbitror, quæ a Livio commemorata est, qua-

E tuor hæ sunt tantummodo, Volitinia, vel Volatinia potius, Lemonia, Crustumina, & Vejentana. In oratione priore *contra Rullum* trium mentionem facit, Romiliæ, Orticulanæ, & Narniensis, sed duas jam commemoravimus: *Quæsivi ex eo Cal. Januariis quibus hominibus & quemadmodum illum agrum esset distributurus, respondit a Romilia tribu initium se esse facturum. Primum quæ est ista superbia & contumelia? ut populi pars amputetur? ordo tribuum negligatur? ante rusticis detur ager qui habent, quam urbanis, quibus ista agri spes & jucunditas ostenditur, aut si hoc ab se dictum negat, & satisfacere omnibus vobis*

F *cogitat, proferat, in jugera dena describat, ab Orticulana usque ad Narniensem nomina vestra proponat.* Festus Pompejus præter has, octo nominat: *Metia*, inquit, *tribus a quodam castro sic appellatur. Ofentina, ab Ofente fluvio dicta. Pontina tribus a Pontia urbe est dicta. Papyria tribus a Papyrio vocata. Pupina tribus ab agro Pupino. Popilia tribus a progenitrice traxit vocabulum. Scaptia tribus a nomine urbis Scaptiæ appellatur. Tormentina tribus a campo Tormento dicta.* T. Livius præterea in *lib.* XXIX. Polliæ tribus mentionem facit. *Equitum deinde census agi*

cœptus: & ambo forte censores equum publicum habebant, cum ad tribum Polliam ventum est, in qua M. Livii nomen erat, & præco cunctaretur citare ipsum censorem: Cita, inquit Nero, M. Livium. In VII. etiam *libro* quo tempore Pontina, de qua dictum est, addita fuerit, scribit, & præterea Publitiæ novæ tribus nomen exprimit: *Eo anno duæ tribus Pontina & Publitia additæ.* Is autem annus fuit duodequadringentesimus post urbem conditam, C. Fabio, & C. Plautio Consulibus. *Libro nono* duas alias additas esse tradit, Ofentinam, de qua jam diximus, & Falerinam, seu Faleriam, L. Flacco & L. Plautio Venoce Consulibus: *Duæ*, inquit, *Romæ additæ tribus, Ofentina, ac Falerina.* Duas alias commemorat *lib.* XIX. ut auctor est Florus in *Epitome* (nam decas secunda non extat) Velinam & Esquilinam. Accedit ergo Velina superioribus, quoniam de Esquilina jam dixi. Duas alias commemorat, in XXXVIII. *lib.* Æmyliam & Corneliam: *Rogatio*, inquit, *perlata est, ut in Æmylia tribu Formiani & Fundani, in Cornelia Arpinates ferrent, scilicet, suffragium.* Inveni etiam tribum Sappiniam. Scribit enim in XXXII. *lib.* his verbis: *Sub hæc tam varia fortuna, regesta L. Furius Purpurio alter* Cos. *per tribum Sappiniam Bojos venit.* De Metia & Scaptia jam de Festi sententia mentionem fecimus, & unde sint dictæ. Quando autem sint additæ, Livius VIII. post urbem conditam *libro* docet his verbis: *Eodem anno census actus, novique cives censi, tribus propter eos additæ, Metia & Scaptia. Censores addiderunt Q. Philo, Sp. Posthumius.* Atque hæc quidem de tribuum numero, nominibusque tradita comperi.

De centuriis autem sequitur ut differamus. Romulus omnium, quos quidem legerim, nisi Livii consensu, tribus Romæ primus & invenit & instituit. Centurias etiam Livii consensu, Servius Tullius qui sextus regnavit. Duo autem centuriarum fuerunt genera, multæque partes generum singulorum. Aliæ enim sunt peditum, aliæ equitum centuriæ, peditumque fuerunt quinque classes, quarum prima LXXX. centurias continebat eorum, qui centum mill. æris aut majorem censum haberent. Secunda viginti centurias, ex eisque qui intra centum, quod vulgo dicunt infra, usque ad quinque & septuaginta millium censum consistebat. Tertiæ quinquaginta millium census fuit, totidemque centuriæ: quartæ XXV. millium census, quem numerum centuriæ adæquabant. Quinta descripta fuit censu undecim millium, centuriis quinque & triginta. Sed quo major nobis habeatur fides, hæc confirmari auctorum gravissimorum testimoniis est melius. T. Livius loquens de Servio Tullio: *Aggrediturque inde*, inquit, *pacis longe maximum opus, ut quemadmodum Numa divini auctor juris fuisset, ita Servium conditorem omnis in civitate discriminis, ordinumque quibus inter gradus dignitatis fortunæque aliquid interlucet, posteri fama ferrent. Censum enim instituit, rem saluberrimam tanto futuro imperio, ex quo belli pacisque munia non viritim, ut ante, sed pro habitu pecuniarum fierent. Tum classes centuriasque, & hunc ordinem ex censu descripsit, vel paci decorum, vel bello. Ex iis qui centum millium æris aut majorem haberent*, LXXX. *confecit centurias, quadragenas seniorum ac juniorum: prima classis omnes appellati: seniores, ut ad urbis custodiam præsto essent: juvenes, ut foris bella gererent, arma his imperata, galea, clypeus, ocreæ, lorica, omnia ex ære hæc, ut corporis tegumenta essent, tela in hostem, hastaque, & gladius. Additæ huic duæ fabrum centuriæ, quæ sine armis stipendia facerent: datum munus, ut machinas in bello ferrent. Secunda classis intra centum usque ad quinque & septuaginta millium censum instituta: & ex his senioribus junioribusque viginti cen-*

scriptæ centuriæ, arma imperata, scutum pro clypeo, & præter loricam omnia eadem. Tertiæ classis quinquaginta millium censum esse voluit. Totidem centuriæ, & eæ eodem discrimine ætatum factæ, nec de armis quicquam mutatum, ocreæ tantum ademptæ. In quarta classe census quinque & viginti millium, totidem centuriæ factæ, arma mutata, nihil præter hastam & verutum datum, quinta classis aucta, centuriæ triginta factæ, fundas lapidesque missiles hi secum gerebant, in his accensi, cornicines, tubicinesque in tres centurias distributi, undecim millibus hæc classis censebatur. Hic minor census reliquam multitudinem habuit. Inde una centuria facta est immunis militia. Ita pedestri exercitu ornato distributoque, equitum ex primoribus civitatis duodecim scripsit centurias, sex item alias centurias, tribus ab Romulo institutis, sub iisdem quibus inauguratæ erant nominibus fecit. Ad equos emendos dena millia æris ex publico data, & quibus equos alerent, viduæ attributæ, quæ bina millia æris in annos singulos penderent. Hæc omnia in dites a pauperibus inclinata onera. Atque hæc quidem Tit. Livius. Dionysius autem Halicarnasseus eadem fere tradidit *lib.* IV. etsi aliis verbis. Græcis enim verbis in censu cujusque classis describendo utitur. Ait enim primæ classis minarum centum censum fuisse, secundæ intra decem drachmarum millia usque ad quinque & septuaginta minas constitisse. Atque de harum duarum censu ei cum Livio convenit, de tertiæ autem non convenit. Tit. enim Livius tertiæ classis censum quinquaginta millium æris omnino dicit fuisse, Dionysius autem minorem septuaginta, nec quinquaginta minis minorem. Eodemque modo, quem vult fuisse censum omnino quartæ classis, quinque & viginti millium æris Livius, hic similiter minorem quinquaginta facit, non minorem XXV. minis. Sed de quintæ classis censu major inter eos videtur esse dissensio. Nam undecim millium omnino eam censam fuisse vult Livius: hic autem intra quinque & viginti usque ad duodecim minas & semissem, nisi forte vitio librariorum pro undecim duodecim ascriptum est. Nam in cæteris eos non discrepare hinc scire possumus, quod Titus Livius satis intelligi posse putavit, quod omnino locutus omisit, cum præsertim in secundæ classis describendo censu verbis usque & intra usus esset, quæ essent deinceps intelligenda in cæteris. Sed hæc non sunt institutæ disputationis, quemadmodum neque illud quod præterire non possum, æs apud Romanos, quod verbum a Veteribus sæpe usurpatur, ejusdem precii & ponderis fuisse, cujus minam apud Athenienses, drachmamque decem minas, id est, decem æris millia valuisse.

Quoniam satis multa de tribubus centuriisque Romanorum dixi, nunc de more, quem Græciæ populi in his tenuerint, dicendum est. In quo Romanorum mihi perspicua videtur imitatio. τριττὺς enim ab Atheniensibus appellata est ἀπὸ τῶν τριῶν, idest, *a tribus*, quam Latini *tribum* vocant. Itaque Varronis & Plutarchi & Dionysii verior est sententia, qui tribum a numero dictam putant; quod a Romulo ager Romanus in tres partes divisus fuerit, quæ ob eam causam tribus sint nominatæ. Quanquam τριττὺς apud Athenienses, tertia erat pars φυλῆς, quemadmodum de Aristotelis sententia confirmat Suidas. Julius etiam Pollux in eadem sententia est *octavo libro*: Εἰς τρία μέρη ἑκάστη φυλὴ διῄρητο, καὶ τὸ μέρος τοῦτο ἐκαλεῖτο τριττὺς, καὶ ἔθνος, καὶ φρατρία. Id est, *In tres partes unaquæque tribus divisa erat, atque partes hæ, τριττὺς, ἔθνος, φρατρία vocabantur*. Neque enim τριττὺς verti potest commode in linguam nostram in hac significatione. ἔθνος autem *gentem* dicamus licet, & φρατρίαν *curiam*. quoniam Dionysius comparans morem Romanorum Atheniensium instituto φρατρίαν sic appellatam dicit. Sed in hoc dissimilitudo est, quod Romæ unaquæque tribus in decem curias distributa erat, Athenis autem solum in tres partes, quarum φρατρία una aut unaquæque potius diceretur. Nam hæc mihi tria nomina unicuique parti videntur convenire, quod Suidas de aliorum sententia dicit his verbis: Φασὶ δὲ τὸ αὐτὸ ἔθνος εἶναι τριττὺν, ἤτοι τὴν φρατρίαν, ἢ φρατορίαν. Id est, *Eadem autem gens trittys, vel phratria, vel phratoria esse dicitur*. Trittys autem a tribus, ut dixi, appellata est. φρατρία autem, ut Suidæ placet, dicta est quasi πατριὰ, id est, familia & genus. Aliis autem videtur appellata, ἀπὸ τοῦ φρέατος; id est, *a puteo*, quod φράτορες, id est, *curiales*, id est, qui ejusdem erant curiæ, eodem puteo uterentur. Atque in hoc etiam Romani Athenienses imitati videntur, quod singulæ curiæ diebus festis Romæ una epulabantur, in Curiali Vesta, quemadmodum, ut Dionysio placet, in Prytaneo Athenis. Itaque illi mihi recte hunc Græcorum Romanorumque morem in Galliam nostram transtulisse videntur, ii qui sacra quædam privata quæ passim opifices vel alii, φρατρίας etiam Græco verbo nominarunt. Nec vero iis assentior, qui inde a majoribus nostris minimas illas jurisdictiones Ecclesiæ, quas vulgus *Curas* vocat, non curas, sed curias dicendas esse contendunt. Neutrorum mihi sententia placet. mihique videtur & verius & aptius verbum curationis, ut cura quæ vocatur vulgo, curatio, & qui præest, Curator nominetur Latine. Atque in hanc me sententiam illa potissimum ratio impulit, quod majores nostri illi primi, qui fines imperii Christi & sanctissime vivendo, & optime dicendo propagarunt, cum multos iis regionibus quas in Christi fidem redegerant, præficere vellent, quorum iis, de quibus agimus, minimam darent auctoritatem, hoc instituisse videntur, ut alii magistratus, hi non magistratus, sed curatores vocarentur: quæ duo ita differunt, quemadmodum supra dixi, ut apud Græcos ἀρχὴ & ἐπιμέλεια. Curatores ergo aptius mihi videntur dici posse, qui vulgo *curati* appellantur, quam curiones, & curationes, quæ vulgo *curæ* dicuntur, quam curiæ. Quinetiam illud trium mihi videtur aptius. ἐπιμέλεια enim *cura* interdum dicitur, & ἐπιμελεῖσθαι *curare*. Curatus autem non placet omnino. φράτορες a Cicerone *Curiales* dicuntur. Sunt enim φράτορες τῆς αὐτῆς φρατρίας, ut ait Suidas, id est, *ejusdem curiæ*. In II. libro *de Officiis*: *Theophrastus quidem scribit Cimonem Athenis etiam in suos curiales Laciadas hospitalem fuisse. Ita enim dicitur instituisse & villicis imperavisse, ut omnia præberentur, quicumque Laciades in villam suam divertisset*. Pollux quidem φράτορας vult esse etiam magistratus, apud quos pueri & virgines profitebantur, quod si verum εἰσάγειν εἰς τοὺς φράτορας παῖδα, & ἐγγράφειν, quo dicendi genere frequenter utitur Demosthenes, erit curare ascribendum nomen filii apud phratores, & εἰσάγεσθαι, & ἐγγράφεσθαι profiteri apud phratores & ascribi phratorem. Sic enim Cicero loquitur, *Ascribi civem & profiteri nomen*, ut supra docui. Mihi autem magis placet φράτορας uno modo tantum dici, quos exposui, eos qui ejusdem curiæ participes erant. Nam φρατρίαρχος is est potius apud quem nomen pueri profitebantur. Est autem φρατρίαρχος is qui a Livio, & Festo Pompejo maximus curio dicitur. Sic enim nomina juncta ex verbo ἀρχὸς converti fere debent, ut ἀρχιερεὺς pontifex vel sacerdos maximus. Athenis autem in eo die festo quæ Apaturia dicebantur, pueri nomen

nomen profitebantur tertio die (nam tot diebus concludebatur) quia dies, quo ascribebant nomina pueri, κυρέωτις vocabatur. Itaque verbum unum apud Pollucem corrigendum est VIII. *lib.* Legendum est enim κυρεῶτιδα, non κηρεῶτιδα. In nomine autem profitendo, ordo Athenis servandus erat, ut primum in phratorum, id est, *curialium*, deinde εἰς τὰς δημότας, id est, *in popularium* numerum ascriberentur. Atque in curialium quidem numerum Apaturiis, ut dixi, ascribebantur, quo autem tempore in popularium numerum, invenire non potui. Demosthenis sunt fere quæ dixi, in Orat. *contra Bœotum de nomine*, loquens Mantitheus de patre: Ὡς δὲ τοῦτ' ἐποίησεν, εἰσάγειν εἰς τὰς φράτορας ἦν ἀνάγκη τούτους, καὶ λόγος οὐδεὶς ὑπολείπετο, εἰσήγαγεν, ἐποιήσατο, ἵνα τὰν μέσῳ συντέμω, ἐγγράφει τοῖς Απατουρίοις, τουτονὶ μὲν τὸν Βοιωτὸν εἰς τὰς φράτορας καὶ τὸν ἕτερον, Πάμφιλον. Μαντίθεος δ' ἐνεγεγράμμην ἐγώ. συμβάσης δὲ τῷ πατρὶ τῆς τελευτῆς πρὶν τὰς εἰς τὰς δημότας ἐγγραφὰς γενέσθαι, ἐλθὼν εἰς τὰς δημότας οὑτοσὶ, ἀντὶ Βοιωτοῦ, Μαντίθεον ἐνέγραψεν αὑτόν. Id est, *Quod ut fecit, necesse fuit istos in curialium numerum ascribi, nec reliqua fuit ulla defensio, ascripsit, fecit, ut quæ in medio sunt, prætéream, ascripsit inquam Apaturiis Bœotum istum in curialium numerum, atque alterum, Pamphilum. ego autem Mantitheus ascriptus sum. At cum e vita pater excessisset, antequam in popularium numerum ascriberentur, populares iste adiit, seque pro Bœoto Mantitheum ascripsit.* Aliud esse ἐγγράφειν εἰς τὰς φράτορας, καὶ εἰς τὰς δημότας ex his intelligi potest. Quæ autem sequuntur ex eadem sumpta *oratione*, hoc facient planius: Ηδέως τοίνυν ἐροίμην ἂν αὐτὸν ἐναντίον ὑμῶν. εἰ μὴ ἐτελεύτησεν ὁ πατὴρ, τί ἂν ἐποίεις; πρὸς τοῖς δημόταις οὐκ ἂν εἴας σε αὐτὸν ἐγγράφειν Βοιωτόν; &c. quæ eodem spectant, id est, *Equidem libenter hoc ex eo quæro. Si pater minime decessisset, quid facturus fuisti? An non eum sivisses apud populares nomen tuum Bœotum profiteri?* &c. Quod si illa duo differunt, certe alii sint φράτορες, alii δῆμοι necesse est. φράτορες quidem qui sint, dixi. δῆμοι autem qui sint, non plane intelligo. Aristoteles quidem in libro *de Poetica* δήμους Athenienses ait facere non ut comœdos, a comessando dictos, sed ab errore vicorum, eos qui ex Urbe honoribus privati discederent. Αθηναῖοι δὲ οὐχ ὡς κωμῳδοὺς ἀπὸ τοῦ κωμάζειν λεχθέντας, ἀλλὰ τῇ κατὰ κώμας πλάνῃ ἀτιμαζομένους ἐκ τοῦ ἄστεως. Loquitur de Peloponnesiorum & Atheniensium in fingendis nominibus dissimilitudine, propterea quod illi κώμας, id est, *vicos* vocant quædam conjuncta ædificia vicina urbibus, a comessando. Athenienses ante δήμους eos qui ratione honorum privati sint, propterea quod per vicos vagentur & quasi errent. Itaque Aristoteles κώμας, & δήμους idem efficere vult. Pollux eodem modo *lib.* IX. *cap.* I. δήμους loca extra urbem esse dicit: Καὶ τὰ μέρη, τὰ μὲν ἔξω πόλεως, ὅροι, ἐφόρια, ἀγορὰ, δῆμοι, κῶμαι, ἀγροὶ, προάστεια, ἐσχατιαὶ χῶραι, κῆποι, παράδεισοι, ἐνδιαιτήματα, ἐνδιαιτήματα· ὧν ἔνια καὶ ἐν πόλει ἂν γένοιτο. Id est, *Partesque partim sunt extra urbem, ut termini, confinia, mercatus, populi, vici, agri, suburbia, loca regionis extrema, regiones, horti, vivaria, villæ, domus voluptariæ: quorum nonnulla etiam in urbe sint.* Demosthenes autem aliud in *oratione*, quam modo dixi, videtur dicere. Ait enim eos qui professi sint apud populares, posse gerere magistratus, nisi forte ἀτιμάζεσθαι non carere honoribus, sed improbari ab iis qui urbem incolunt, dicitur.

Sed in his vereor ne simus longiores. Quapropter ad id unde egressa est se referat oratio. Φυλὴ ergo in has tres partes est distributa, in τριττὺν, ἔθνος, & φρατρίαν. φυλαὶ autem, id est, *tribus* primum Athenis fuerunt quatuor, regnante Cecrope, Cecropia, Atheniensis (sic enim αὐτόχθονα dico, id est, eorum qui ibi nati sunt) Actæa, & Paralia. Cranao autem regnante numerus remansit, sed mutata sunt nomina, Cranaia, Atthea, Mesogæa, Diacria. Rursus Erichthonio rege nomina mutata sunt, Jovia, a Jove, Minervalis a Minerva, Neptunia a Neptuno, Vulcania a Vulcanio. Hæc sunt Pollucis, apud quem hæc scripta sunt *lib.* VIII. Καὶ αἱ φυλαὶ, τέως μὲν ἐπὶ Κέκροπος, ἦσαν τέτταρες. Κεκροπὶς, αὐτόχθων, ἀκταία, παραλία. ἐπὶ δὲ Κραναοῦ μετωνομάσθησαν, κραναὶς, ἀτθὶς, μεσόγαια, διακρίς. ἐπὶ δὲ Εριχθονίου, διὰς, ἀθηναῒς, ποσειδωνιὰς, ἡφαιστιάς. Hæ postremæ quatuor unde appellatæ sint docui. Earum autem quatuor quæ primo loco nominatæ sunt, Κεκροπὶς a Cecrope secundo Atticæ rege dicta est, αὐτόχθων quod ii qui ejus erant tribus non ex aliis locis habitandi gratia Athenas migrassent, sed ibi nati essent. Ex quo intelligimus trium reliquarum homines convenas fuisse. αὐτόχθονες enim *aborigines* a Salustio vocantur, id est, quorum origo non traditur. Ακταία, ab Actæo, qui primus, ut ait Pausanias in *Atticis*, regnasse dicitur. Quod si verum est, non Cecrops primus, ut vult Eusebius, regnavit, sed secundo loco. Παραλία, a quarta parte Atticæ, quæ, ut verbum ipsum indicat, ad mare sita erat. Divisa enim fuit Attica quondam in parteis treis, ut Suidæ placet, idque Pandionis regis instituto, qui cum successisset in locum Cecropis posterioris, redegissetque in suam ditionem Megariam, quatuor liberis ita Atticam divisit, ut eam partem in qua Athenæ erant, usque ad Apollinis Pythii templum Ægeo, qui post illum regnavit, daret; Palanti παραλίαν de qua agitur; Lyco, aut Lupo, Diacriam; Neso, vel Oeneo potius (nam Pausanias Ægei & Oenei tantum mentionem facit) Megariam. Earum autem quatuor, quæ superiorum deletis nominibus, a Cranao rege appellatæ sunt, Κραναὶς ab ipso Cranao dicta est, Ατθὶς, ab Atthide, vel Atthi Cranai filia, Μεσογαία a parte mediterranea, Διακρὶς, a quarta parte Atticæ, quam paulo ante dixi. Nomina etiam alia pro his imposita sunt tribubus, Erichtheo regnante, ab Ionis liberis. Quoniam autem apud Pollucem locus depravatus est, Græca scribenda censui, quo facilius error animadverteretur. Sic passim legitur, ἀπὸ δὲ τῶν Ιωνος παίδων ἐπὶ Εριχθονίου καὶ Λέοντος, ὁπλῖται, αἰγικόρεις, κάδεις. Primum vitiose tres tantum tribus nominatæ sunt, deinde vitiose etiam in numero multitudinis. Nam & quatuor ab initio, ut docui, tribus institutæ fuerunt Athenis, & adhuc singulari numero expressæ sunt, atque deinceps exprimuntur a Polluce, & in has extremas literas ις, α, ας, desinunt. Jam vero hinc etiam intelligi licet, corruptum esse locum, quod Athenis unus tantum rex imperavit, non duo: id quod locus videtur velle, in his verbis, Επὶ Εριχθονέως τε καὶ Λέοντος. Est igitur locus ita corrigendus, ἀπὸ δὲ τῶν Ιωνος παίδων ἐπὶ Εριχθέως, λεοντὶς, ὁπλητὶς, αἰγικορὶς, ἀργοδίς. In extremo enim verbo error inest, *Argodeus* enim apud Herodotum scriptum est in V. *lib.* non *Cadeus*. Quanquam apud eum etiam Γελέοντος pro Λέοντος legitur. Nam & apud Pollucem & apud Pausaniam Λέων scriptum est. Perspicuum est unde hæ quatuor tribus sint nominatæ, a nominibus enim Ionis liberorum ductæ sunt. Deinceps Pollux decem tribus expletas fuisse Athenis dicit, iis nominibus quæ Apollo Pythius consultus ediderit, idque factum esse Alcmæonis temporibus asserit. Herodotus autem *lib.* V. etiam eum nominat, qui hoc perfecit, quaque ductus ratione fecerit, exponit. Clisthenes is est, qui, ut ille ait, Clisthenis materni avi qui Sicyone tyrannus erat, factum imitatus est. Nam & ille cum astute Sicyoniorum regnum occupasset, tribuum quatuor quæ eadem erant & Argis & Sicyone, nomina

mutavit,ſic hic Athenienſis Cliſthenes cum exactis tyrannis vinceretur, plebis animis conciliatis, ex quatuor tribubus, quas modo commemoravi ab Ionis liberis nomina habuiſſe, decem aliis nominibus explevit. Longa eſt apud Herodotum de hac re oratio, quam, ne moleſtiam afferam legentibus, omitto.

Quæ fuerint hæ tribus decem, & unde appellatæ, dicendum eſt. Pollux *libro octavo*, & Pauſanias in *Atticis* earum nomina exprimunt. Et quoniam Pollux ſolum nomina ſcribit, Pauſanias etiam earum originem: utriuſque verba proferam. Pollux: Επὶ δὲ Αλμαίωνος δέκα ἐγένοντο ἐκ πολλῶν ὀνομάτων, ἐρομένε τε Πυθίε, Ερεχθὶς, Κεκροπὶς, Αἰγὶς, Πανδιωνὶς, Ακαμαντὶς, Αντιοχὶς, Λεοντὶς, Οἰνὶς, Ιπποθοωντὶς, Αἰαντίς. Has omnes apte ad noſtram conſuetudinem ſic converto: *Erechthia*, *Cecropia*, *Ægia*, *Pandionia*, *Acamantina*, *Antiochia*, *Leontina*, *Oenia*, *Hippothoontia*, *Ajacia*. Ut enim illi ſuas vel in ις, vel in α, vel in ας: ſic noſtri ſuas vel in *a* vocali antecedente, vel in *na*, vel in *enſis* exire volunt. Cujuſmodi ſunt, Metia, Tarentina, Tatienſis. Pauſanias autem unde appellatæ ſint, tradit his verbis: Ανωτέρω δὲ ἀνδριάντες ἑστήκασιν ἡρώων, ἀφ᾽ ὧν Αθηναίοις ὕστερον τὰ ὀνόματα ἔσχον αἱ φυλαί. ὅστις δὲ ἀντεκατεστήσατο δέκα ἀντὶ τεσσάρων φυλὰς εἶναι, καὶ μετέθετο σφίσι τὰ ὀνόματα ἀντὶ τῶν ἀρχαίων, Ηροδότῳ ταῦτά ἐστιν εἰρημένα. τῶν δὲ ἐπωνύμων, (καλοῦσι γὰρ οὕτω σφᾶς) ἐστὶ μὲν Ιπποθόων Ποσειδῶνος καὶ Αλόπης θυγατρὸς Κερκύονος. ἔστι δὲ Αντίοχος τῶν παίδων τῶν Ηρακλέους γενόμενος ἐκ Μήδας Ηρακλεῖ τῆς Φύλαντος, καὶ τρίτος Αἴας ὁ Τελαμῶνος. ἐκ δὲ Αθηναίων, Λέως, δοῦναι ἐπὶ σωτηρίᾳ λέγεται κοινῇ τὰς θυγατέρας τοῦ θεοῦ χρήσαντος. Ερεχθεύς τέ ἐστιν ἐν τοῖς ἐπωνύμοις, ὃς ἐνίκησεν Ελευσινίους μάχῃ, καὶ τὸν ἡγούμενον ἀπέκτεινεν Ιμμαράδον τὸν Εὐμόλπου. Αἰγεύς τέ ἐστιν καὶ Οἰνεὺς Πανδίονος υἱὸς νόθος, καὶ τῶν Θησέως παίδων Ακάμας. Κέκροπα δὲ καὶ Πανδίονα (εἶδον γὰρ καὶ τούτων ἐν τοῖς ἐπωνύμοις εἰκόνας) οὐκ οἶδα ὅπως λέγουσιν ἐν τιμῇ. *Superiore vero & editiore loco Heroum ſtatuæ ſunt, a quibus Athenienſium tribus nomen habuerunt. Herodotus quidem quiſnam tribus decem ex quatuor, mutatis veterum nominibus, fecerit, tradit. In iis autem a quibus nomina duxerunt* (ἐπωνύμους *vocant*) *Hippothoon eſt, Neptuni & Alopes Cercyonis filiæ filius. Antiochus etiam eſt quem Hercules ex Meda Phylantis filia ſuſcepit; tertius Ajax Telamonis filius; ex Athenienſibus autem Leon, qui liberandæ patriæ cauſa filias oraculo Apollinis tradidiſse dicitur. In iis eſt etiam Erechtheus, qui Eleuſiniis prælio victis, Immaradum Eumolpi filium eorum imperatorem occidit. Sequitur Ægeus, tum Oeneus Pandionis ſpurius. tum Acamas Theſei filius. Nam Cecropem & Pandionem (vidi enim eorum etiam ſtatuas) quamobrem colant ac venerentur, neſcio.* Ex quibus facile perſpici poteſt, ſuperiorum tribuum omnium nomina ſublata eſſe, his decem modo retentis. Quocirca vehementer errant, qui non mutatas ſuperiores, ſed his novas ſemper additas fuiſſe confirmant. His decem poſtea adjectæ fuerunt duæ, ut vult Pollux, Αντιγονὶς, & Δημητριάς, quarum nomina etiam mutata ſint, in Ατταλίδα & Πτολεμαΐδα. Ita maximus tribuum numerus Athenis primum a quatuor, deinde a decem ad duodecim, tantum pervenit.

Sicyone autem quatuor ſolum fuerunt, totidemque Argis. Veterum quidem tribuum Sicyoniorum nomina quæ fuerint, non inveni: quæ autem pro veteribus nomina & a quo impoſita fuerint, Herodotus in *Terpſicore* exponit. Loquens enim de Cliſthene eorum tyranno, ſcribit his verbis: Φυλὰς δὲ τὰς Δωριέων, ἵνα δὴ μὴ αἱ αὐταὶ ἔωσι τοῖσι Σικυωνίοισι καὶ Αργείοισι, μετέβαλε ἐς ἄλλα οὐνόματα. ἔνθα καὶ πλεῖστον κατεγέλασε τῶν Σικυωνίων. ἐπὶ γὰρ ὑός τε καὶ ὄνου τὰς ἐπωνυμίας μετατεθεὶς, αὐτὰ τὰ τελευταῖα ἐπέθηκε πλὴν τῆς ἑωυτοῦ φυλῆς. ταύτῃ δὲ τοὔνομα ἀπὸ τῆς ἑωυτοῦ ἀρχῆς ἔθετο. οὗτοι μὲν δὴ Αρχέλαοι ἐκαλέοντο, ἕτεροι δὲ Υᾶται, ἄλλοι δὲ Ονεᾶται, ἕτεροι δὲ Χοιρεᾶται. Id eſt, *Tribus autem Dorienſium, ne eædem Sicyoniis, & Argivis eſſent, in alia nomina mutavit. in quo maxima contumelia affecit Sicyonios. Nam cum ſuis & aſini nominibus appellaſſet, tandem eis nomina illa impoſuit præterquam ſuæ; quam ab imperii appellavit nomine. Atque hi quidem Archelai nominati ſunt, alteri* Υᾶται id eſt, *ſubulci, vel ſuilli, alii* Ονεᾶται, id eſt, *Aſinii*, *alii* Χοιρεᾶται, id eſt, *Porcii*. Hac Herodoti oratione planum fieri puto Sicyone & Argis quatuor tribus fuiſſe, eaſque iiſdem nominibus. Itaque cum etiam Athenis, ut docui, quatuor initio fuerint, conjectura eſt in reliquis etiam rebuſpublicis Græcorum eum numerum probatum ac retentum fuiſſe. Nomina autem hæc, quæ Cliſthenes per contumeliam Sicyoniorum tribubus impoſuit, poſt illum mortuum, ſexageſimo demum anno deleta ſunt, & alia quæſita. Appellati enim ſunt Hylei, Pamphyli, Demenetæ, & Ægialei. Hoc enim docet deinceps Herodotus his verbis: Τούτοισι τοῖσι οὐνόμασι τῶν φυλέων ἐχρέωντο οἱ Σικυώνιοι, καὶ ἐπὶ Κλεισθένεος ἄρχοντος, καὶ ἐκείνου τεθνεῶτος ἔτι ἐπ᾽ ἔτεα ἑξήκοντα. μετέπειτα μέντοι λόγον σφίσι δόντες, μετέβαλον ἐς τοὺς Υλλέας, καὶ Παμφύλους, καὶ Δυμανάτας. τετάρτους δὲ αὐτοῖσι προσέθεντο ἐπὶ τοῦ Αδρήστου παιδὸς Αἰγιαλέως, τὴν ἐπωνυμίην ποιεύμενοι κεκλῆσθαι Αἰγιαλέας. Id eſt, *His tribuum nominibus uſi ſunt Sicyonii & regnante Cliſthene, & eo mortuo præterea ad annos ſexaginta. Deinde autem re agitata facta eſt nominum mutatio in Hyleos, Pamphylos, & Demenetos. Quartos autem Ægialei, qui erat Adraſti filius, nomine, Ægialeos appellaverunt.* Plato autem in libris *de Legibus* duodecim tribus vult eſſe in Rep. quam ibi conſtituit, eaſque a Diis duodecim nomina ducere. In v. Νείμασθαι δὲ δεῖ καὶ τοὺς ἄνδρας δώδεκα μέρη, τὴν τῆς ἄλλης οὐσίας. εἰς ἴσα ὅτι μάλιστα τὰ δώδεκα μέρη συνταξάμενον, ἀπογραφῆς πάντων γενομένης, καὶ δὴ τὸ μετὰ τοῦτο δώδεκα θεοῖς δώδεκα κλήρους θέντας, ἐπονομάσαι καὶ καθιερῶσαι τὸ λαχὸν μέρος ἑκάστῳ τῷ θεῷ, καὶ φυλὴν αὐτὴν ἐπονομάσαι. Id eſt, *Dividendi etiam ſunt viri in partes duodecim, ut alia poſſeſſio, idque in partes æquas & pares ab eo qui eas deſcripſerit, omnium inſtituta profeſſione. Tum duodecim diis ſortes duodecim aſſignandæ erunt, & ut quæque ſors obvenerit, ita cujuſque Dei appellanda erit nomine, eique devovenda, quam tribum appellare oportebit.* Primum autem fanum Veſtæ, Jovi, & Palladi paulo ſupra eadem pag. vult ſacrum eſſe. Platonem autem exiſtimo, cum Ægyptiorum Sacerdotes adiiſſet, cognitis lectiſque iis quæ a Moſe & Io de tribuum ratione ac numero tradita ad nos pervenerunt, hunc numerum potiſſimum ſecutum & imitatum fuiſſe. Fuit enim vetus ille populus in duodecim tribus divino Dei juſſu oraculo diſtributus. Sed earum nomina a Diis potius trahenda, quam, ut illic, a familiarum principibus credo, cenſuit, ne eos imitatus videretur. Quod ſtudioſe aliorum imitatores faciunt. Tribus autem illæ ad conſuetudinem noſtram accommodate ſic dici poſſunt. Tribus Rubenia a Rubeno primigenio Jacobi, tribus Simeonia a Simeone ſecundum Rubenium maximo natu, Levitenſis a Levitio, Judana a Juda, Dania a Danio, Nepthalina a Nepthalino, Gadia a Gadio, vel Vadio, Aſerina ab Aſerino, Iſſacharina ab Iſſachario, Zabulonia a Zabulone, Joſephina a Joſepho, Benjaminenſis a Benjaminio. Hos enim duodecim liberos Jacobus Iſaacii filius ex quatuor uxoribus ſuſcepit. Tribuum autem nomen his temporibus in nulla, quod ſciam, civitate uſurpatur, nec ulla fere populi in ejuſmodi partes retinetur diviſio. Venetiis quidem nulla eſt talis. Lutetiæ autem Pariſiorum quoddam eſt

ejus simulachrum. Fuit enim quondam in partes quatuor omnis divisa civitas, quod lingua loci indicat. *Quarterium* enim dicunt quod Latine quartam partem declarat, & *quaterniones* eos quos Romani magistros vicorum vocabant, qui, ut nomen ipsum indicat, quartæ parti præsunt. Itaque his etiam temporibus vetus illa manet partitio. Nam & insulam in qua pontificis ædes extructæ sunt, *quarterium* vocant civitatis, & Universitatem studii, *quarterium Universitatis*. Reliquarum autem duarum altera pars *Arenaria* ab arenis quas Sequana fere in alveum se coercente & cohibente, plurimæ residunt, altera forensis a phallis & mercatu dicitur. Sed in nulla hodie republica antiquitatis verius elucet imago, quam, ut jam dixi, in Parisiensi Academia, quam studiorum universitatem recte appellari posse arbitror. Nam ut Athenis initio quatuor erant tribus, quarum cujusque tres erant partes, quæ curiæ dicebantur, & Romæ tres primum tribus, quarum quæque in partes decem tributa erat; ita hic quatuor sunt, quas vocant nationes: appellare autem tribus recte possumus, quæ etiam in certas partes divisæ sunt, quæ vulgo provinciæ nominantur: curiæ autem appellandæ sunt.

Satis est hoc loco de hac similitudine disputare. Postea de aliis dabitur differendi locus. Quatuor autem harum tribuum, quas, ut dixi, nationes vocant, hæc sunt nomina, Tribus Gallicana, Picardina, Nortmannensis, Alemaniensis. Gallicana in has quinque curias divisa est, in Parisiensem, Remensem, Senonensem, Turonensem, & Biturigensem. Hæ quinque curiæ nomen a quinque Gallicis urbibus habuerunt, Lutetia Parisiorum, Remis, Senonibus, Turonibus, & Biturigibus; non quod eos solum homines qui ex earum agris Lutetiam discendi causa confluunt, complectuntur, sed quia majores nostri, cum eas vellent urbium, quibus præfecti essent Archiepiscopi qui vocantur, nominibus appellari, his ipsis viciniores Lutetiæ minime habuerunt.

JOACHIMI PERIONII,

HEBRAICARUM ET GRÆCARUM LITTERARUM INTERPRETIS REGII,

DE

MAGISTRATIBUS

GRÆCORUM ET ROMANORUM,

LIBER TERTIUS.



C de Græcorum quidem tribubus, hactenus. De classibus autem pauca dicenda sunt. Quanquam de iis jam disputatum est. Nam cum differeremus de populi in ordines partitione, Aristotelem, & Plutarchum docuimus tradere, Athenis a Solone census quatuor esse institutos, quorum primus esse quinquagenum jugerum, secundus tricenum, tertius ducenum, quartus τίμημα τὸ θητικὸν, id est, *census mercenarius* dicebatur. Julius Pollux in *libro* VIII. de his disserit his verbis: Τιμήματα δ' ἦν τέτταρα, πεντακοσιομεδίμνων, ἱππέων, ζευγιτῶν, θητικῶν. οἱ μὲν ἐκ τοῦ πεντακοσιομεδίμνου μέτρου ὑγρὰ καὶ ξηρὰ ποιεῖν, κληθέντες, ἀνήλισκον δ' εἰς τὸ δημόσιον τάλαντον. οἱ δὲ τὴν ἱππάδα τελοῦντες, καὶ μὲν τοῦ δύνασθαι τρέφειν ἵππους, κεκλῆσθαι δοκοῦσιν. ἐποίουν δὲ μέτρα τριακόσια, ἀνήλισκον δὲ ἡμιτάλαντον. οἱ δὲ τὸ ζευγίσιον τελοῦντες, ἀπὸ διακοσίων μέτρων κατελέγοντο. ἀνήλισκον δὲ μνᾶς δέκα. οἱ δὲ τὸ θητικὸν, οὐδεμίαν ἀρχὴν ἦρχον, οὐδὲ ἀνήλισκον οὐδέν. Id est, *Census autem quatuor fuerunt, quingenariorum, Equitum, Zeugitum, id est, jugatorum, & mercenariorum. Quingenarii ex eo appellati sunt, quod quingenos modios humidorum & siccorum percipere possent. Talentum autem hi in commune conferebant. Hi autem qui equitum censum pendebant, ex eo quod equos alere possent, dicti sunt. Modios autem trecenos percipiebant, & talentum dimidiatum in commune pendebant. Qui vero* ζευγίσιον, id est, (ut ita dicam) *jugerinum censum pendebant, ducenis modiis censebantur & describebantur, decemque minarum sumptus publice faciebant. At vero qui mercenarium censum pendebant, ii nec magistratum ullum adipiscebantur, nec ullos publicos sumptus sustinebant.* In his percipere modios dicere malo, quam arare, quoniam verbum ποιεῖν positum est, quod Gallice in hac re percipere declarat. Dicimus enim *Facio de villa mea quotannis quingenos aureos scutatos*, quod Cicero dicit *percipio ex mea villa*, &c.

Si nunc Romanorum & Atheniensium censum inter se conferre placet, Romanorum quidem maximum, centenarium, Atheniensium quinquagenarium esse intelligemus. Sed quia illis in pecunia, his vel in agris, vel in rebus quas agri ferebant census erat (census autem non aliud intelligitur quam æstimatio bonorum, quoniam censere æstimare dicitur) nec facile est, quanti esset frumentum, quanti vinum aliæque res, Athenis, judicare, utri opulentiores essent Romanine an Athenienses, nec hujus loci est exponere, nec facile id tradi potest. Quapropter hoc prætermisso, ad alia veniamus.

Romani quidem non soliti sunt dicere primum, secundum, tertium, quartum, quintumve censum, sed primam, secundam, tertiam, quartam, quintamve classem. Athenienses autem πρῶτον τίμημα, δεύτερον, τρίτον, καὶ τέταρτον, id est, *primum censum, secundum, tertium, atque quartum*. Classis ergo pro multitudine sumitur, quæ in aliquem ordinem coacta est, quod Græce σύνταγμα dicitur. Nam τάξις *ordo* est. Classis autem Dionysii Hali-

carnassei sententia a verbo Græco *καλεῖν*, id est, a *vocando* dicitur. Ait enim olim *καλήσεις*, id est, *Calesis* vocari solitas, quæ classes dictæ sunt postea, unius literæ detractione. Itaque M. Varro in lib. IIII. *de Lingua Latina*, Classicos a Classe dictos asserit, quod cornu canant, cum classes ad comitia vocant. Sed tamen quoties apud Veteres fit mentio comitiorum, Centuriata vocantur a centuriis quæ plures a quaque classe continentur, non classica, ut mox docebimus. In Academia etiam Parisiorum quædam est census ratio. Sed non eodem modo ducitur. Romæ ut quisque pecuniis maxime abundabat, ita plurimum poterat, Athenis ut quisque vel maximos fructus (*redditus* vocant) vel plurimos agros arare poterat: hic autem cum sint quatuor classes, prima Gallorum, altera Picardorum, tertia Normannorum, quarta Alemannorum, dignitas ex tribu & gente æstimatur & judicatur. Prima dignitas est Gallorum, hos sequuntur Picardi, tum Normanni, postremi sunt Alemanni. Hæc autem præstantia cum in ordine vocandorum tribuum ad suffragia ferenda, tum in magistratibus adipiscendis gerendisque spectatur: quod quale sit, quoque modo fiat, mox differemus.

Athenis quidem hoc in magistratibus adipiscendis, non in suffragiis, Romæ in suffragiis dominatur. Sed de his differendi hinc capiamus exordium. Nam quoniam & qui magistratus adipisci possent, & quot tribus & classes quæque essent Romæ & Athenis, docuimus, nunc sequitur, ut quemadmodum eos adipiscantur, id est, forte, & voce, quibusque locis, id est, comitiis, dicendum sit. Alii enim magistratus sortito, alii suffragiis mandantur. Græce illi *κληρωτοὶ* dicuntur, hi *αἱρετοὶ*, quos vulgo *electivos* nominant. Romæ quidem sorte nulli dabantur, sed omnes suffragiis, quod ibi duobus modis factum est, ut ante dixi. Nam interdum tabella mandati sunt. Tabella autem vulgo appellatur rotulus, in suffragiis ferendis de cujusque eruditione, qui gradum honoris eum, quem vocant *licentias*, in Theologia & Medicina Lutetiæ adipiscitur. Hinc leges tabellares dicuntur de magistratibus mandandis, quibus cavetur, ut magistratus mandentur per tabellam. Cicero in tertio *de Legibus* libro hunc morem suffragiorum legesque tabellarias improbat his verbis. *T. Dicam Attice, & versabor in re difficili ac multum ac sæpe quæsita. Suffragiis in magistratu mandando, aut de reo judicando qui lege aut rogatione donatur, palam ferre melius esset. A. An etiam id dubium est? Q. Vereor ne a te rursus dissentiam. T. Non facies Quinte. Nam ego in ista sum sententia qua te fuisse semper scio, nihil ut fuerit in suffragiis voce melius, sed obtineri an possit, videndum est. Quare frater, bona tua venia dixerim, ista sententia maxime & fallit imperitos, & obest sæpissime Reipub. cum aliquid verum & rectum esse dicitur, sed obtineri, id est, obsisti posse populo negatur. Primum enim obsistitur, cum agitur severe, deinde vi opprimi in bona causa est melius, quam male cedere. Quis autem non sentit omnem auctoritatem optimatium tabellariam legem abstulisse? quam populus liber nunquam desideravit; idem oppressus dominatu ac potentia principum flagitavit. Itaque graviora judicia de potentissimis hominibus extant voces, quam tabellæ. Quamobrem suffragandi nimia libido in non bonis causis eripienda fuit potentibus, non latebra danda populo, in qua bonis ignorantibus quid quisque sentiret, tabella vitiosum occultaret suffragium. Itaque isti rationi neque lator quisquam est inventus, nec auctor unquam bonus. Sunt enim quatuor leges tabellariæ, quarum prima de magistratibus mandandis: ea est Gabinia, lata ab homine ignoto, & sordido. Secuta biennio post Cassia est de populi judicio*, &c. Ut autem apud Latinos tabella est nomen diminutivum quod vocant, in hujusmodi suffragiis tabellariis, sic apud Græcos *πινάκιον*, quod a verbo *πίναξ, κος* deducitur, ut a tabula tabella. Aristotel. enim in II. libro *de Republica*, differens de Republica, quam Mileti constituit Hippodamus Milesius Euryphontis filius, legis tabellariæ de judiciis mentionem facit, deinde eam improbat: *Τὰς δὲ κρίσεις ἐν τοῖς δικαστηρίοις, οὐ διὰ ψηφοφορίας γίγνεσθαι δεῖν, ἀλλὰ φέρειν ἕκαστον πινάκιον, ἐν ᾧ γράφειν εἰ καταδικάζοι, ἁπλῶς τὴν δίκην, εἰ δ᾽ ἀπολύοι ἁπλῶς, κενόν. εἰ δὲ τὸ μὲν, τὸ δὲ μὴ, τοῦτο διορίζειν*. Id est, *Judicia autem in foro legibus sanxit, non voce ac suffragiis fieri oportere, sed unumquemque judicem tabellam deferre, in qua scriberet, si plane condemnaret, sin plane absolveret, eam inanem relinqueret, sin partim condemnaret, partim absolveret, id distingueret*. Atque hæc Hippodami lex tabellaria est de judiciis, non de mandandis magistratibus. De his autem nullam apud Græcos legem latam esse arbitror. Neque enim Aristoteles, qui omnium fere populorum mores, leges, & instituta persecutus est in lib. *de Repub.* reticuisset. Plato quidem in VI. lib. *de Legib.* *πινακίῳ*, id est, *tabellæ*, mentionem facit, sed hoc solum de tabella in qua milites patris, tribus, populi cujus quisque esset, intelligit.

Apud Græcos igitur sortito & voce mandabantur magistratus. Ac sortito quidem eos mandare, nec ex censu, Aristoteli placet, ejus esse Reipub. cui populus præsit, suffragio ac voce, & ex censu ejus, quam pauci potentes gubernent: credo quod in horum paucorum potentum manu sint comitia, ut mandentur iis quibus velint, & prætereantur quos velint corruptis suffragiis. Illic autem populus dominus comitiorum, facile eorum ratione privat nobiles. Itaque hæc inter se temperari putat oportere in optimo statu civitatis, ut & voce mandentur, neque ex censu. Quamobrem damnat Solonis Remp. in qua censu descripsit magistratus. Romæ, ut dixi, nullus forte mandabatur. In Græcia autem multi. *κλῆρος*, id est, *sors* in hoc dicitur, quod etiam *tabellam* dici docui, id est, *πινάκιον*. Hydria vas est in quod sortes conjiciuntur, quod etiam urna & cistella nuncupatur. Proferam locum unum Ciceronis ex Act. IIII. *in Verrem*, ex quo hanc totam sortium in capiendis vel mandandis magistratibus, rationem licebit cognoscere: *Syracusis lex est de religione, quæ in annos singulos Jovis sacerdotem sortito capi jubeat; quod apud illos amplissimum sacerdotium putatur. Cum suffragiis tres ex tribus generibus creati sunt, res revocatur ad sortem. Perfecerat iste imperio, ut suffragio Theomnastus familiaris suus in tribus illis renunciaretur. In sorte, cui imperare non poterat, expectabant homines quidnam acturus esset. Homo, id quod erat facillimum, primo vetat sortiri, jubet extra sortem Theomnastum renunciari. Negant id Syracusani per religiones sacrorum ullo modo fieri posse, fas denique negant esse. Jubet ille sibi legem legi; recitatur: in qua scriptum erat; ut quot essent renunciati, tot in hydriam sortes conjicerentur: cujus nomen exisset, ut is haberet sacerdotium. Homo ingeniosus & peracutus, optime, inquit. Nempe ita scriptum est, quot renunciati erunt. Quot ergo sunt renunciati? responsum, tres. Nunquid igitur oportet, nisi tres sortes conjici, unam educi? nihil. Conjici jubet tres, in quibus omnibus scriptum esset nomen Theomnasti. Fit clamor maximus, cum id universis indignum atque nefarium videretur. Ita Jovis illud sacerdotium amplissimum per hanc rationem Theomnasto datur*. Sortiri *κληροῦν*, & *ἀποκληροῦν*, & *λαγχάνειν* est Græce. His enim Plato in VI. *de Legibus* libro utitur. Ibi Plato similem quandam legem fert illi Siculorum, cum de senatus cooptandi ratione disputat. Vult enim sexto comitio-

rum die eos qui ſint deſignati, eorumque nomina edi in vulgus a magiſtratibus, omneſque cives renunciare, aut primam mulctam eis dici, tum centum & octoginta qui renunciati ſint ex ſingulis cenſibus, dimidiam partem, id eſt, nonaginta ſortito ab omnibus deligi & probari. Verba ejus ſubjeci: Πέμπτῃ δὲ ἡμέρᾳ τὰ κατασημανθέντα ὀνόματα ἐξενεγκεῖν μὲν τοὺς ἄρχοντας, ἰδεῖν πᾶσι τοῖς πολίταις. φέρειν δ' ἐκ τούτων αὖ πάντα ἄνδρα ἢ ζημιοῦσθαι τῇ πρώτῃ ζημίᾳ. ὀγδοήκοντα δὲ καὶ ἑκατὸν ἐκλέξαντες ἐφ' ἑκάστου τῶν τιμημάτων, τοὺς ἡμίσεις τούτων ἀποκληρώσαντας δοκιμάσαι. Deſignare ergo magiſtratum eſt Græce *κατασημαίνειν*, *κατασημανθεὶς* deſignatus. Ἐκλέγειν autem ad verbum non apte dicitur ad conſuetudinem Latinorum *eligere*, ſed *deligere*, in ratione dumtaxat magiſtratuum, quod etiam eſt *αἱρεῖσθαι*.

Sed ut de his pluribus dicamus, jam tempus eſt de magiſtratibus iis, qui ſuffragiis mandantur, diſputare. *αἱρετοὶ* quidem dicuntur, ut paulo ſupra demonſtratum eſt. Quæ autem eſſet apud Romanos magiſtratuum creandorum ratio, quæ voce, ut dixi, conſtabat, & prima urbis origine, & deinceps ea aucta & conſtituta, Titus Livius ex noſtris, Dionyſius Halicarnaſſeus ex Græcis tradiderunt. Ac Livius quidem *primo libro* de ea diſſerit his verbis: *Deinde eſt honos additus. Non enim, ut ab Romulo traditum, cæteri ſervaverunt reges, viritim ſuffragium eadem vi eodemque jure promiſcue omnibus datum eſt: ſed gradus facti, ut neque excluſus quiſquam ſuffragio videretur, & vis omnis penes primores civitatis eſſet. Equites enim vocabantur primi, LXXX. inde primæ claſſis centuriæ peditum vocabantur: ibi ſi variaret, quod raro incidebat, ut ſecundæ claſſis vocarentur, nec fere unquam infra ita deſcenderent, ut ad infimos pervenirent. Nec mirari oportet hunc ordinem qui nunc eſt, poſt expletas v. & xxx. tribus, duplicato earum numero centuriis juniorum ſeniorumque ad inſtitutam ab Servio Tullio ſummam non convenire. Quadrifariam enim urbe diviſa regionibus collibuſque, quæ habitabantur partes, Tribus eas appellavit, ut ego arbitror, ab tributo. nam ejus quoque æqualiter ex cenſu conferendi ab eo inita ratio eſt.* Ex his Livii verbis triplicem fuiſſe ferendorum ſuffragiorum rationem intelligimus, primam eam quam Romulus inſtituit, ut omnes pari jure promiſcue ferrent ſuffragium, alteram eam cujus Servius Tullius auctor fuit & inventor, ut gradus eſſent ii quos expoſuit Livius, tertiam ſua ætate ab ſuperioribus diverſam eſſe confirmat. Cur autem inſtituta a Servio ratione, niſi variaretur ſententiis, inter equites & primæ claſſis pedites, infra non deſcenderetur, Livius non exponit, Dionyſius exponit. Ait enim hoc idcirco fieri ſolitum, quod illi univerſi reliquos tribus centuriis ſuperarent. Quod mihi falſum videtur. Nam cum ſecundæ claſſis viginti eſſent centuriæ, tertiæ quinquaginta, quartæ quinque & viginti, quintæ triginta: efficitur profecto majorem harum numerum eſſe, quam Equitum & primæ claſſis, quorum in ipſius Dionyſii ſententia, decem & octo centurias explebant, Livii autem, tres præterea quas a Romulo facit inſtitutas, prima autem claſſis duas & octoginta, ut in iis duas fabrum numeremus. Itaque magis adducor ut credam hunc honorem equitibus & primæ claſſis tributum eſſe, ut ſi in ferendis ſuffragiis unum idemque ſentirent, eorum valeret ſententia. Quanquam Dionyſius hanc, quam dixi rationem convenienter ſententiæ ſuæ de numero centuriarum attulit. Equites enim facit explentes decem & octo centurias, primam claſſem octoginta, ſecundam duas & viginti adjunctis fabris, tertiam viginti, quartam duas & viginti, quintam triginta.

Ex quo perſpici poteſt, quam incerta ſint ea omnia, quæ literarum monumentis mandantur, lum alius aliud tradit, ut quod ſequamur non habeamus. Sed verba Dionyſii de ratione ſuffragiorum proferri eſt melius. *Hoc quidem ſupra docui, in populi jure res tres & maximas & maxime neceſſarias leges fuiſſe, magiſtratuum & pace & bello neceſſariorum creationem, legum lationem & abrogationem, bellorum indicendorum, gerendorumque poteſtatem. Hæc autem omnia ſuffragiis & ſententiis curiatim adminiſtrabantur, ut inops multitudo tantum voce ac ſuffragio ſuo, quantum locupletiſſimus quiſque poſſet. Ita fiebat, ut cum multo major eſſet tenuiorum numerus quam locupletum, hi ab illis hac re ſuperarentur. Quod cum Tullius intelligeret, in opulentos ſuffragiorum rationem tranſtulit. Nam cum aut magiſtratus creandi erant, aut lex ferenda vel abroganda, aut bellum indicendum centuriatim, non tributim concionem convocabat. Vocabat enim ad dicendam ſententiam, vel ferendum ſuffragium primum eas centurias, quarum maximus cenſus erat, in quibus erant & equitum decem & octo, & primæ claſſis octoginta centuriæ. Horum vero qui tribus reliquas ſuperarent, ſi unum idemque ſenſiſſent, valebat ſententia. Quod ſi variaretur, tum ſecundam claſſem vocabat, cujus ſi eſſent varia judicia & ſuffragia, tertiam quartamque claſſem etiam vocabat, idque faciebat, dum eſſent ſeptem & nonaginta centuriæ in eadem ſententia. Quod ſi uſque ad quintam claſſem hoc minime conſequebatur, erantque centum & nonaginta centuriarum paria ſuffragia, tum ultimam claſſem vocabat in qua inops multitudo, quæ ob eam cauſam immunis erat a militia. Utri autem parti hæc claſſis faviſſet, ea vincebat. Quanquam hoc ita raro incidebat, ut fere fieri non poſſet. Sæpe enim prima claſſe vocata, res conficiebatur, ut vix ad quartam quinta & poſtrema prætermiſſa, perveniretur.* Hæc ille. Facit quidem, ut intelligi potuit, ſex claſſes, quarum in quinta pauperes collocat. Hanc autem ſuffragiorum ferendorum rationem ſua ætate mutatam eſſe paulo infra confirmat his verbis: *Atque hæc quidem ratio in multa ſecula manſit, ſervataque eſt a Romanis, noſtris vero temporibus mutata eſt maximis populi vim inferentis tempeſtatibus. Et quanquam non omnino ſublata eſt, tamen & illorum ſententia & mea ipſius, qui ſæpe comitiis adfui, non jam veterem illam retinet deſcriptionem & diligentiam.* Atque hæc Dionyſius.

Quoniam autem conjuncta eſt cum hac ſuffragiorum, comitiorumque ratio, hoc loco de utraque dicendum eſt. Comitium quidem a coeundo, ut nomen ipſum indicat, dicitur, quaſi *coitium*, ſed m litera vocalitatis gratia interjecta eſt. Comitiorum autem tria erant genera, Centuriata, curiata, & tributa. Neque enim vere dicunt, qui curiata & tributa eadem fuiſſe confirmant. Quod vel ex illo Ciceronis loco qui in priore *in Rullum* oratione poſitus eſt, intelligi poteſt: *Atque hic perſpicuum eſt, quid juris a majoribus acceperitis, quid ab hoc Trib. pl. vobis relinquatur. Majores de omnibus magiſtratibus bis vos ſententiam ferre voluerunt: nam centuriata lex cenſoribus ferebatur, Curiata cæteris patriciis magiſtratibus. tum iterum de eiſdem judicabatur, ut eſſet reprehendendi poteſtas, ſi populum beneficii ſui pœniteret. Nunc quia prima illa comitia tenetis, centuriata & tributa, curiata tantum auſpiciorum cauſa remanſerunt. Hic autem Tribunus pl. quia videbat poteſtatem neminem injuſſu populi aut plebis poſſe habere, curiata ea comitia, quæ vos non ſinitis, confirmavit, tributa, quæ veſtra erant, ſuſtulit. Ita cum majores binis comitiis voluerint vos de ſingulis magiſtratibus judicare, hic homo popularis ne unam quidem populo comitiorum poteſtatem reliquit.*

At ex his omnes intelligere arbitror tria comitiorum fuiſſe genera, & inter tributa & curiata

intereſſe. Ea autem quæ eſſent, nunc patefaciendum eſt. Centuriata quidem erant, in quibus centuriæ eo ordine, quem ſupra deſcripſimus, conſules creabant. Itaque corruptus eſt locus Ciceronis; ut mihi quidem videtur, quem modo protuli: *Nam Centuriata lex Cenſoribus ferebatur*, legendumque eſt pro Cenſoribus, *Conſulibus*. Quod locus ille T. Livii, qui eſt apud eum ſcriptus in *lib.* v. apertiſſime declarat: *Comitia curiata quæ rem militarem continent, Comitia centuriata quibus Conſules Tribunoſque militares creatis, ubi auſpicato, niſi ubi aſſolent, fieri poſſunt?* Tribunos autem militares intelligit eos, qui erant tum conſulari poteſtate, qui iiſdem comitiis, quibus Conſules, creabantur. Comitia autem curiata erant, in quibus magiſtratus & duces belli in curia creabantur. Hoc enim quod obſcure de his dixit Cicero, Curiata tantum auſpiciorum cauſa remanſerunt, proxima fere pagina plane dixit: *Atque hoc cum in eo reprehendendum eſt, quod per Trib. pl. Tribunitia poteſtas minuitur; tum in eo deridendum, quod Conſuli, ſi legem Curiatam non habet, attingere rem militarem non licet. Curiata enim comitia in quibus lex Curiata ferebatur, rem militarem*, ut ait Livius, *continebant*. Quæ autem fuerint Tributa comitia, difficile eſt dictu. Fuit quidem tempus, cum plebeii magiſtratus centuriatis comitiis creabantur, idque intra annos XVIII. a Tribunorum pleb. conſtitutione. Hinc tributis comitiis creari cœpti ſunt, ut auctor eſt Livius II. his verbis: *Tum primum tributis comitiis creati tribuni plebis ſunt*. Quod ut demus ita eſſe, non tamen totam definitionem, ſed ſolum partem ejus tenebimus. Quod ſi quis dicat eorum definitionem ex duobus aliis eſſe intelligendam, ne ſic quidem difficilis hæc quæſtio eſſe deſinet. Quanquam enim ſi centuriata ſunt ea, in quibus tantum Conſules & Tribuni militares creabantur, & Curiata ea, quæ rem militarem continebant, effici videtur, Tributa ea eſſe, in quibus, ut etiam nomen declarat, populus fuſe in tribus convocabatur, ut cæteros magiſtratus crearet: tamen illud primum occurret nobis, quod ſupra in Ciceronis verbis continetur, *curiata lex cæteris patriciis magiſtratibus ferebatur*, niſi forte non curiata, ſed *tributa* legendum eſt. Id enim videri poteſt, cum præſertim de comitiis curiatis eodem loco verba faciens, ea ad rem militarem dicat pertinere. Deinde illud etiam obſtat nobis, quod *lib.* XV. Aulus Gellius ex libris Lælii Felicis ad Q. Mutium ſumptum eſſe dicit. Item in eodem libro ſcriptum eſt, cum ex generibus omnium ſuffragium fertur, curiata comitia eſſe: cum ex cenſu & ætate, centuriata: cum ex regionibus & locis, tributa. Multoque illud magis quod idem auctor *lib.* XIII. Meſſalam ait dicere, Minoribus creandis magiſtratibus, Tributis comitiis magiſtratus, ſed juſtius curiata dantur lege. Majores centuriatis comitiis ſint. Idem etiam auctor eſt *lib.* XV. id quod Ciceronis & Livii, quos paulo ante citavimus, auctoritatem & ſententiam refellit, eundem Lælium Felicem ſcriptum in eodem libro reliquiſſe, comitiis centuriatis exercitum extra urbem imperari oportere. Quod etiam pluribus M. Varro libro v. *de Latina Lingua* confirmat: *In commentariis conſularibus ſcriptum ſic inveni. Qui exercitum imperaturus erit, accenſo dicit hoc, Calphurni voca inlicium: omnes Quirites huc ad me. Accenſus dicit ſic, Omnes Quirites inlicium viſite huc ad judices. C. Calphurnius dicit, Voca ad conventionem omnes Quirites huc ad me. Accenſus dicit ſic, Omnes Quirites, ite ad conventionem huc ad judices. Deinde Conſul eloquitur ad exercitum, Impero qua convenit die ad comitia centuriata*. Atque hæc quidem duo poſtrema non obſtant, quominus Ciceronis & T. Livii de curiatis comitiis vera ſit ſententia. Neque enim de magiſtratibus præfectiſque bellicis loquuntur Varro & Lælius Felix, ſed ſolum de imperando exercitu, qui centuriatim, ut docui, Servii Tullii inſtituto conſcribebatur. Superiora autem valde repugnant & iis quæ illi de centuriatis curiatiſque comitiis dixerunt, & ei, quam tributis comitiis ſtatui definitionem. Quanquam nullam ſtatui, difficultatemque ejus ſtatuendæ potius oſtendi, eamque nunc etiam augere volo, cum difficile ſit quid in tanta tam gravium auctorum de his diſſenſione, judicare & tenere debeamus. Sed tamen hoc confectum arbitror, non eadem curiata & tributa, ut nonnulli putant, comitia fuiſſe.

Teneamus ergo tria comitiorum genera fuiſſe, centuriata, quibus centuriæ ferebant ſententiam in creandis vel conſulibus ſolis & tribunis militaribus conſulari poteſtate, vel etiam prætoribus, atque Cenſoribus. Curiata ea, quibus populus in curias convocatus reliquos magiſtratus crearet. Tributa ea quibus (ſic enim Cicero definit) judicaret, vel minores magiſtratus crearet, ut M. Meſſalæ definitionem intelligamus. Ad Centuriata populus per cornicinem, ad curiata per lictorem convocabatur, ut Lælio Felici placet, in quæ duo genera Calata comitia tribui; eidem placet: In quo genere quid velit, ignoro. Calata enim ea vocat, quæ pro collegio pontificum vel regis ſacrorum, vel flaminum inaugurandorum cauſa habentur. Nos autem docuimus centuriata, & curiata quæ ſunt calatorum, ut vult, ſpecies, ad multa alia pertinere. Ad centuriata etiam comitia Accenſus populum convocabat, quemadmodum ſupra oſtendi M. Varronem ſcriptum inveniſſe in Conſularibus commentariis, quanquam loquitur tantum de re militari. Tributa autem quis convocaret, non inveni.

Eſt etiam hæc comitiorum diviſio. Alia enim ſunt Conſularia, alia prætoria, alia cenſoria, alia quæſtoria, alia ædilitia, in quibus conſules, prætores, cenſores, quæſtores, ædileſque creabantur. Erant enim hæc ſola ſtata & ſolennia. Nam alia erant incerta, ut Maximi pontificis, maximi Curionis flaminum atque ſacerdotum, quod eorum magiſtratus nullo certo tempore definiti eſſent. Horum omnium mentio crebra eſt apud Livium atque Ciceronem. Nunc dicendum eſt & quo loco & quo tempore comitia haberentur. M. quidem Varro lib. IIII. *de Latina Lingua*, unde comitium dicatur, exponens, curiata comitia in curia haberi ſolita videtur dicere: *Comitium*, inquit, *ab eo quod coibant eo comitiis curiatis, & litium cauſa*. Nam ſi comitium appellabant locum eum, in quem cogebatur populus & comitiis curiatis, & litium cauſa, lites autem agebantur in curia Hoſtilia & in Roſtris, ut *eodem lib.* deinceps tradit, profecto etiam comitia curiata eiſdem locis habita eſſe confirmat. Quod ſi in eo tempus illud ſpectaſſet, cum campus Martius nondum publicatus eſſet, certe de centuriatis comitiis mentionem feciſſet. Nam Campus Martius erat Tarquiniorum, qui poſteaquam expulſis Tarquiniis Marti conſecratus eſt, hinc eſt appellatus Martius, in eumque poſtea populus comitiis centuriatis convocabatur. Itaque omne tempus videtur potius Varro comprendere.

Tempus autem comitiorum varium fuit. Varietatem quidem omnem mihi non eſt propoſitum perſequi: ſatis erit quædam exempla proferre. Cum ego diligenter inquirerem in quem diem prima illa comitia conſularia, expulſis regibus, indicta eſſent, nihil certi reperire potui. Ex quodam autem loco T. Livii conjicere poſſumus, Quintili menſe ea habita fuiſſe. Nam anno quarto

& quadragesimo postquam exacti reges fuissent, primum Calend. Sextiles tum solennes magistratibus ineundis fuisse docet, cum superioribus annis nullam ejus rei fecisset mentionem: *Comitia*, inquit, *inde habita, creati Consules L. Ebutius, P. Servilius Calendis Sextilibus, ut tunc principium anni agebatur, Consulatum ineunt.* Quoniam ergo hic primus locus est, in quo de eo die, quo consules tum magistratum inibant, loquitur, verisimile est superiores annos tres & quadraginta a calendis Sextilibus, id est, Augustis duxisse exordium. Quot autem annos ille mos deinceps servatus fuerit, de eo nihil præter eandem conjecturam tradere possumus. Neque enim invenio mutatum fuisse illud tempus, usque ad CCCII. annum post urbem conditam, quo Livius ait Idus Majas fuisse solennes ineundis magistratibus tertio libro, his verbis: *Idus tum Majæ solennes ineundis magistratibus erant.* Hoc certe intelligi facile potest, cum hoc tempus dicat fuisse solenne, non duobus aut tribus annis id observatum esse, sed pluribus. Solenne enim id dicitur, quod legitimum est, & fieri solet. Rursus mutatum tempus initio fere quinti reperio. Nam cum solennes dies ineundis magistratibus essent Nonæ Decembres, eum mutatum esse dicit his verbis: *Primores patrum sive culpa, sine infelicitate Imperatorum tam ignominiosa clades accepta esset, censuere non expectandum justum tempus comitiorum, sed extemplo novos Trib. militum creandos esse, qui Cal. Octobribus magistratum occiperent. In quam sententiam cum pedibus iretur, cæteri Trib. militum nihil contradicere. At enim vero Sergius Virginiusque propter quos pœnitere magistratuum ejus anni Senatum apparebat, primo deprecari ignominiam, deinde intercedere Senatusconsulto, negare se ante Idus Decembreis solennem ineundis magistratibus diem honore abituros esse.* Paulo infra eadem pagina ex Idibus Decembribus in Cal. Octob. mutatum diem esse solennem ineundis magistratibus docet: *Cum omnium assensu comprobata oratio esset, gauderentque patres sine Tribunitiæ potestatis terriculis inventam esse aliam vim majorem ad coercendos magistratus, victi consensu omnium comitia Tribunorum militum habuere, qui Cal. Octobrib. magistratum occiperent, seque eam ante diem magistratu abdicavere.* Paucis annis hic dies servatus fuit. Nam sexto fere anno post, quod Consules morbo essent impliciti, placuisse Calendas Quintiles solenes esse dicit: *Consulibusque morbo implicitis placuit per interregnum renovari auspicia.* Itaque cum ex Senatusconsulto Consules magistratu se abdicassent, interrex creatur M. Furius Camillus, qui P. Cornelium Scipionem, is deinde L. Valerium Potitum interregem prodidit.

Ab eo creati sex Tribuni militum consulari potestate, ut etiam si cui eorum incommoda valetudo fuisset, copia magistratuum Reipub. esset, Calendis Quintilibus magistratum occepere. Hunc etiam diem in alium, etsi incertum, mutatum invenio. Neque enim dies nominatur. Hoc autem anno CCCCXIII. post urbem conditam reperio accidisse. Quod Livius initio fere *libri* VIII. docet his verbis: *Jussisque ante tempus Consulibus abdicare se magistratu, quo maturius novi Consules adversus tantam molem belli crearentur, religio incessit, ab eis, quorum culpa imminutum esset, comitia haberi.* His enim verbis, *quo maturius*, &c. mutatum fuisse solennem tum diem ineundis magistratibus indicat. Ut autem hic incertus est dies, sic certus est is, qui paulo post, id est, octavo inde anno statutus est Calendarum Quintilium. *Extemplo igitur*, inquit, *Consules novi L. Æmylius Mamercus, & Cn. Plautius eo ipso die Calend. Quintilibus, quo magistratus inierunt, comparare*

A *inter se provincias jussi.* Mensem autem, quo diutissime comitia habita sunt, Februarium fuisse invenio, & Idus Martias diem solennem ineundis magistratibus. Semper enim tenuit bello Punico secundo, & bello Macedonico, atque eo etiam diutius. Livius hoc docet multis locis, quorum nonnullos protuli. Anno quarto secundi belli Punici, *lib. tertio* scribit his verbis: *Circumacto tertio anno Punici belli T. Sempronius Consul Idibus Martiis magistratum iniit.* Initio *libri sexti*: *Cneus Fulvius Centimanus, P. Sulpitius Galba Coss. cum Idibus Martiis magistratum inissent, Senatu in Capitolium vocato, de Repub. de administratione belli, de*
B *provinciis exercitibusque patres consuluerunt.* Initio *primi libri* de bello Macedonico, qui fuit annus DVI. post urbem conditam: *Omnium primum*, inquit, *eam rem Idibus Martiis, quo die tum consulatus inibatur, Ser. Sulpitius Cos. retulit.* Lib. VIII. *dec.* III. *M. Valerius Messala inde & C. Livius Salinator consulatum Idibus Martiis cum inissent, de Repub. deque provinciis & exercitibus Senatum consuluerunt.* Lib. X. ejusdem *decadis*: *Ii omnes magistratum Idibus Martiis inierunt.* Lib. I. *quintæ decadis*: *Idibus Martiis, quo die Sempronius, Claudiusque consulatum inierunt, mentio tantum de provinciis Sardinia Histriaque & u-*
C *triusque hostibus fuit.* Lib. tertio ejusdem *decadis*: *L. Æmylio Paulo, C. Licinio Coss. Idibus Martiis principio insequentis anni, cum in expectatione patres essent*, &c.

His omnibus intelligitur, diem comitiorum habendorum, solennem, justum & statum nullum fuisse, cum ineundi magistratus multi fuerint, qui quam varii fuerint, non opinor injucundum erit ex iis, quæ multa collegimus ex omni memoria, cognoscere. Ita fit, ut comitia indicta & edicta fuerint, quod in quem diem haberentur, indiceretur. Idque Cicero in tertio libro *Epistolarum* ad Q. Fratrem, indicat his verbis:
D *Adhuc erat valde incertum & quando comitia, & qui Consules futuri essent.* Si erat incertum, quando, ut ait, comitia futura essent, nullus erat status dies comitiorum. Itaque in *secundo libro* in quem diem edicta fuerint, eo anno, quo epistolam scripsit, exponit: *Sed omnia sunt tardiora propter furiosæ ædilitatis expectationem. Nam comitia sine mora futura videntur. edicta sunt ad* XI. *Cal. Februarias.* Ego quo die Cicero fuerit creatus consul, non inveni. Consulatum quidem se inisse Calendis Januariis dicit: In oratione II. *in Rullum pro lege agraria*: *Ego autem non solum hoc in loco dicam, ubi est id dictu facillimum, sed in ipso*
E *Senatu, in quo esse locus huic voci non videbatur, popularem me futurum esse Consulem, prima mea illa oratione Cal. Januariis dixi.* itaque in V. libr. earum *Epistolarum* quæ *familiares* inscribuntur, pridie Cal. Januarias dicit se abiisse magistratu: *Atque ille, quod te audisse credo, pridie Cal. Januarias, qua injurias nemo unquam in annuo magistratu improbissimus civis affectus est, ea me Consulem affecit, cum Rempub. conservassem, atque abeuntem magistratu concionis habendæ potestate privavit.* Ex quibus perspicitur, Calendas Januarias tum diem solennem ac justum fuisse ineundis magistratibus.
F quod quandiu tenuerit, tradere non possum. Qui autem comitia habiturus erat, is ad quem futura essent, sive edicebat, sive indicebat diem, non quem vellet semper, sed eum interdum ad quem Senatus censuisset. De quibus omnibus aliquid dicendum est.

Habebat quidem Comitia vel alter Consul, vel Dictator, qui interdum comitiorum habendorum tantum causa creabatur, vel Interrex. nam in Consule Tribunum militarem Consularis potestatis numero. Horum Consul erat legitimus,

cæteri erant extraordinarii. Quod mox docebimus. A Uter autem Consulum haberet Comitia, non erat constitutum, sed ipsi inter se comparabant, interdum uter præesset, idque jussu primum factum esse invenio, interdum SC. fiebat, quo nominatim alter vocabatur. T. Livius *lib.* XLI. *Sedato tandem Histrico tumultu, SC. factum est, ut* Coss. *inter se compararent, uter eorum ad comitia habenda Romam rediret.* Tum M. Junius rediit. Nam paulo infra apud Livium hæc sequuntur: *Per eos forte dies M.Junius* Cos. *ex Histria comitiorum causa rediit.* Comparare autem hoc loco apud Livium, pro eo positum est, quod deliberare, consultare, componere sine sorte. Nam sæpe apud eum legitur, SC. factum esse, vel B patres censuisse, ut Coss. & prætores vel comparent inter se, vel sortiantur provincias. Uno loco erimus contenti ad id probandum, *lib.*XXXIII. *De provinciis cum ad Senatum retulissent, patres censuerunt, cum in Hispania tantum glisceret bellum, & jam consulari & duce & exercitu opus esset, placere, Consules Hispaniam citeriorem & Italiam provincias aut comparare inter se, aut sortiri.*

Alterum quod dixi, Senatum censuisse interdum, uter Consul comitia haberet locus ille indicat qui apud Livium in *lib.* XLI. *De provinciis deinde consultus Senatus, Pisas & Ligures provincias Consulibus decrevit. Cui Pisæ provincia* C *obvenisset, cum magistratuum creandorum tempus esset, ad comitia reverti jussit. Cum ego diligenter inquirerem, cur alterum definirent patres, in eo commoditatis & utilitatis reip. eos rationem duxisse comperi. Nam qui Romæ erat, vel non tam procul Roma, quam collega, aut non tam gravi bello occupatus, is demum comitia habere jubebatur. Quod si uno in loco essent, nec ancipiti bello detinerentur, tum fere comparabant inter se, uter rediret, ad comitia habenda si abessent, si essent Romæ, uter ea haberet Sin neuter sine periculo revocari posset, tum vel dictator, vel interrex comitiorum causa creabatur. Si* D *dictator, literæ in castra ad Consules mittebantur, ut ab altero nocte diceretur, idque si tuto ad eos mitti poterant, sin minus, Romæ Prodictator a populo dicebatur. Hoc postremum semel tantum factum legi lib.*II. *de bello Punico secundo, itaque ad remedium jamdiu desideratum nec adhibitum, Dictatorem dicendum civitas confugit. Sed quia &* Cos. *aberat, a quo uno dici posse videbatur, nec per occupatam armis Punicis Italiam, facile erat aut nuncium, aut literas mitti, nec Dictatorem populus creare poterat quod nunquam ante eam diem factum erat, Prodictatorem populus creavit Q. Fabium Maximum.* His autem verbis, *Nec per occupatam armis* E *Punicis Italiam facile erat aut nuncium aut literas mitti,* Livius significat, non semper necessariam fuisse ejus qui dictator diceretur, præsentiam. Id enim aperte *lib.* VIII. post urbem conditam docet his verbis: *L. Cornelio, quia ne eum quidem in Samnium jam ingressum revocari ab impetu belli placebat, literæ missæ, ut Dictatorem comitiorum causa diceret. D. M. Claudium Marcellum.* &c. Nam dictatorem creatum esse comitiorum tantum causa tum cum bellum Coss. necessario occuparet, *lib.* IX. scribit his verbis: *Dictatorem idem annus habuit P. Cornelium Scipionem cum magistro equitum* F *P. Decio Mure. ab iis propter quæ creati erant, comitia Consularia habita, quia neuter* Coss. *potuerat bello abesse.* Quibus verbis illud etiam intelligitur, non solum Dictatorem, sed magistrum etiam equitum una cum eo jus habuisse comitiorum habendorum, cum alter Cos. solus ea haberet, quemadmodum supra dictum est. Quod ex hoc loco lib. VIII. facile perspici licet: *Privernum duobus consularibus exercitibus cum obsideretur, alter* Cos. *comitiorum causa Romam revocatus.* Quod autem supra dixi, Dictatorem nocte dici morisfuisse, non solum de eo dictatore intellectum volo, qui terrore belli audito dicebatur, sed de eo etiam, qui comitiorum tantum causa creabatur. De dictatore quidem belli causa dicto, illud Livianum *lib.* IX. post urbem conditam intelligitur: *Nocte deinde silentio, ut mos est, L. Papyrium Dictatorem dixit.* Eadem dicit in eandem sententiam, *lib.*XIII. *Libro* autem VIII. qui comitiorum causa dicebatur, non solum nocte dici solitum scribit, sed etiam qua parte noctis. Oriente enim nocte id fieri solitum confirmat his verbis: *Eam rem Tribuni suspectam infamemque criminando fecerunt. Nam neque facile fuisse id vitium nosci cum* Cos. *oriente nocte silentio diceret Dictatorem, neque ab* Cos. *cuiquam publice privatimve de ea re scriptum esse,* &c. Sed de Dictatore satis multa dicta sunt.

Nunc de Interrege pauca dicamus. Interrex interdum creabatur comitiorum causa, atque id jam ab initio urbis observatum est, quod alio loco docebimus, nunc satis est intelligi, morem Interregis creandi comitiorum causa quam Dictatoris esse antiquiorem. Neque enim Dictator comitiorum causa ante dici cœptus est, quam Dictator de plebe est creatus. Nam cum ante illud tempus nihil interesset plebis, Dictatorne, an interrex consularia comitia haberet, quod nec interrex, nec Dictator quisquam de plebe creari poterat, qui alterum ex plebe consulem crearet, nullam etian moram illa afferebat, quominus res ad interregnum rediret. At postea quam Dictaturæ fastigium conscendit, tum demum ut absentibus Consulibus Dictator potius, quam interrex comitia haberet, omnem diligentiam adhibebat. Contra interregem patres petebant. Quod ex his Livii locis intelligi licet. In *lib.*VII. post urbem conditam: *Quia,* inquit, *nec per Dictatorem plebejus, nec per Popilium Consulem comitia consularia haberi volebant, & alter* Cos. *Fabius bello retinebatur: res ad interregnum rediit.* Interreges deinceps Q. Servilius Hala, M. Fabius, Cn. Manlius, Cornelius Fabius, C. Sulpitius, Lucius Æmylius, Quintius Servilius, M. Fabius Ambustus. In secundo interregno orta contentio est, quod duo Patricii Coss. creabantur, intercedentibusque Tribunis, Interrex Fabius ajebat in XII. tabulis legem esse, ut quodcunque postremum populus jussisset, id jus ratumque esset, jussum populi & suffragia esse. Cum intercedendo Tribuni nihil aliud, quam ut differrent comitia valuissent, duo patricii Coss. creati sunt T. Sulpitius Potitius, M. Valerius Publicola. Octo fuerunt tum interreges, id est, anno CCCC. post urbem conditam, triennio autem post, fuerunt undecim. Extremo anno comitia Consularia certamen patrum ac plebis diremit, Tribunis negantibus passuros comitia haberi, nisi secundum Liciniam legem haberentur, Dictatore obstinato tollere potius totum e Republic. Consulatum, quam promiscuum patribus ac plebi facere. prolatandis igitur comitiis cum Dictator magistratu abiisset, res ad interregnum rediit. Infestam inde patribus plebem interreges cum accepissent, ad undecimum interregem seditionibus certatum est. Illo anno aliter atque CCCC. initum est interregnum. Tum enim erat Dictator, erat Consul. hoc autem anno prolatandis Comitiis Dictator magistratu abiit, non quod, ut arbitror, sex ejus menses præteriissent, sed Tribunorum certaminibus impulsus. Itaque non mihi videtur legitimum hoc interregnum fuisse. Est enim interregnum aliud nihil quam potestas in quinque dies cum rex mortuus est, ad alterum subrogandum sufficiendumve comparata. Si ergo

go & ad alios magistratus referatur, & dum quis est in magistratu, non proprie interregnum dicitur. Sed quoniam Romæ quoad manserunt reges, usitatum hoc verbum fuit, etiam exactis regibus retinuerunt.

Hic me locus monet, ut aliquid de comitialibus diebus differam. Comitiales dies duobus modis invenio dici, iisque contrariis. Nam & ii in quibus nefas erat haberi comitia, & ii in quibus ea fas erat haberi, dies comitiales vocabantur. Comitiales autem non dicuntur solum ii, in quibus comitia haberi licebat creandis magistratibus, sed ii etiam, in quibus populus alicujus rei agendæ causa conveniebat. Tit. Livius in *tertio lib.* post urbem conditam: *Quemadmodum Tribuni se gessissent in prohibendo delectu, sic Patres in lege, quæ per omneis comitiales dies ferebatur, impedienda gerebant.* Per dies autem comitiales Senatus haberi non poterat, quod Cicero lib. II. *Epistolarum ad Q. Fratrem* tradit his verbis: *Consecuti sunt dies comitiales, per quos Senatus haberi non poterat.* Si id verum est, id est, si dies comitiales impediebant, quominus Senatus haberi posset, certe illa ætate quo die Senatus habebatur, is non erat comitialis. Quod si ita est, nec Calendæ Febr. nec III. Nonas ejusdem mensis, nec IV. nec V. nec VI. nec VII. Idus ejusdem comitiales dies erant. Nam iis diebus *eodem libro* aliquid actum esse dicit in Senatu. *A Calendis Februariis legationes in Idus Febr. rejiciebantur: eo die res confecta non est. Ad* IV. *Non. Febr. Milo affuit, ei Pompejus advocatus venit, producta dies est in* IV. *Idus Febr. Interim rejectis legationibus,* III. *Id. referebatur de provinciis quæstorum, & de ordinandis prætoribus.* Paulo infra: *Ad* IV. *Iduum Febr. Milo affuit, dixit Pompejus,* &c. Paulo infra: *Clodius in Quirinalia produxit diem. Ad* VI. *Id. Feb. Senatus ad Apollinis fuit.* Paulo infra: *Ad* VII. *Iduum Febr. ad Apollinis SC. factum est, ea quæ facta essent ad* VI. *Iduum Februarii contra Remp. esse facta.* Hi, inquam, dies non erant comitiales, nisi forte quod dixit, *Consecuti sunt dies Comitiales,* &c. refert ad id quod paulo ante dixerat. Nam comitia sine mora futura videntur, edicta sunt ad XI. Cal. Februarias. Ita loquitur de diebus iis, in quibus comitia edicta erant creandis magistratibus, quod vero propius videtur esse. Utcumque res habeat, id obtinebimus quod Cicero dixit, *Senatum non potuisse haberi per comitiales dies.*

Comitiales autem dies indicebantur sive edicebantur, ut dixi. In quo & auspiciorum, & dierum religiosorum, nefastorum, atrorumve ratio habebatur. Livius *lib.* XLI. *COS. Q. Petilius cum primum per auspicia posset, collegæ subrogando comitia habere jussus & Latinas edicere: comitia in diem* III. *Non. Sextiles, Latinas ad diem* III. *Idus Sextiles, edixit.* Itaque cum Augures consulti, vitio creatos aliquos dixissent, statim magistratu se abdicabant, ut si tonuisset quo quis die creatus erat consul, vel prodigium aliquod visum esset, quod vel ille locus Livii, qui est positus in XXIII. *lib.* indicat: *Postquam Marcellus ab exercitu rediit, comitia uni Consuli rogando in locum L. Posthumii edicuntur. Creatur ingenti consensu Marcellus, qui extemplo magistratum occiperet: cui ineunti consulatum cum tonuisset, vocati Augures vitio creatum videri pronunciaverunt, vulgoque patres (ita fama ferebat) quod tum primum duo Plebeii consules facti essent, id deis cordi non esse.* In locum Marcelli, ubi is se magistratu abdicavit, suffectus Fabius Maximus III.

Sed ut pluribus de diebus comitialibus differam, qui dies ne comitia haberentur impedirent, docebo. His enim cognitis comitiales etiam cognoscemus. Comitia impediebant primum festi dies, deinde religiosi, nefasti & atri. Festi dies partim sacrificiis deorum, partim epulis, partim ludis in deorum honorem faciendis, partim feriis observandis constant. De his omnibus pauca dicam & primum de feriis. Feriarum duo genera erant. Aut enim privatæ sunt, aut publicæ. Publicarum sunt genera quatuor. Aliæ enim stativæ seu statæ sunt, aliæ conceptivæ, aliæ imperativæ, aliæ nundinæ. Has duas postremas formas addit Macrobius primo libro *Saturnaliorum*. Varro non addit. Stativæ erant, quæ in statos menses & dies incidebant: conceptivæ, quæ concipiebantur a consulibus aut pontificibus quotannis, non certis diebus aut mensibus, annales vocabantur: quæ nec certis mensibus nec diebus nec quotannis concipiebantur, non erant annales. Annales erant paucæ (quatuor enim tantum enumerat Varro,) Compitalia qui dies erat attributus laribus, in quo aut ubi viæ competunt, id est, in compitis sacrificabatur. Latinæ feriæ, dies conceptivus dictus a Latinis populis, quibus in Albano monte ex sacris carnem petere fuit jus cum Romanis. A quibus Latinis Latinæ dictæ. Sementinæ feriæ, dies is qui a pontificibus edictus, appellabantur a semente, quod sationis causa susceptæ essent. Paganicæ ejusdem agriculturæ causa susceptæ, ut haberet in agris omnis pagus, unde Paganicæ dictæ sunt. Latinarum quidem feriarum crebra est apud Livium mentio, reliquarum nulla. Ego nonnullos Livii locos proferam, ex quibus intelligi poterit Latinas a Consulibus edici solitas. Ita non fuisse statas. *Lib.* XLI. *Latinæ feriæ fuere ante diem* III. *Non. Maii, in quibus quia in una hostia magistratus Lanuvinus precatus non erat S. P. Q. R. religioni fuit. Id cum ad Senatum relatum est, Senatusque pontificum collegium rejecisset, pontificibus quia non recte factæ Latinæ essent, instauratis Latinis, placuit Lanuvinos, quorum opera instauratæ essent, hostias præbere.* Accesserat ad religionem quod Cn. Cornelius Coss. ex monte Albano rediens concidit, sed inde mortuus Romam allatus, & funere magnifico elatus sepultusque est. Pontifex idem fuerat. Consul Q. Petilius cum primum per auspicia posset, Collegæ subrogando comitia habere jussus, & Latinas edicere, comitia in diem III. Non. Sextiles Latinas ad diem III. Idus Sextiles edixit. Idem *lib.* V. post urbem conditam, ingens inde haberi captivus vates cœptus, eumque adhibere Tribuni militum Cornelius Posthumusque ad prodigii Albani procurationem ac Deos rite placandos cœpere. Inventumque tandem est, ubi neglectas ceremonias intermissumve solenne Dii arguerent, nihil profecto aliud esse, quam magistratus vitio creatos, Latinas sacrumque in Albano monte non rite concepisse: unam expiationem eorum esse, ut tribuni militum abdicarent se magistratu, auspicia de integro repeterentur, & interregnum iniretur. Quando feriarum Latinarum origo extiterit, non potui invenire. Certe in *primo libro* idem Livius sacri Albani mentionem facit, idque vetus fuisse scribit his verbis: *Visi etiam audire vocem ingentem ex summi cacuminis luco, ut patrio ritu sacra Albani facerent, quæ velut Diis quoque patriis relictis, oblivioni dederant.* Id ego sacrum Albanum vel Latinas ferias appellatum esse puto, quod omnes Latini ab Alba oriundi erant, vel cum Latinis feriis fuisse conjunctum. Atque hæc quidem de Latinis feriis.

Sementinæ autem & paganicæ quæ essent, exposui. Utræque conceptivæ fuerunt, sed Januario mense, ut in primo libro de *Fastis* Ovidius his carminibus indicat:

Ter quater evolvi signantes tempora fastos,
Nec sementiva est ulla reperta dies.
Tum mihi (sensit enim) lux hæc indicitur, inquit,
Musa, quid a fastis non stata sacra petis?
Utque dies incerta sacris, sic tempore certo,
Seminibus jactis, est ubi fœtus ager.

Idem paulo infra paganicas semente peracta fieri solitas tradit:

Villice da requiem terræ semente peracta:
Da requiem, terram qui coluere, viris.
Pagus agat festum, pagum lustrate coloni,
Et date paganis annua liba focis.

Sunt etiam feriæ conceptivæ, ut dixi, non annales. Eas Varro dicit fuisse quæ proprio verbo aut non perspicuo significabantur. ut Novendiale sacrum, cujus originem & vim exponit in *primo libro* Livius. Romanis quoque ab eodem prodigio Novendiale sacrum publice susceptum est, seu voce cælesti ex Albano monte missa (nam id quoque traditur) sex Aruspicum monitu. Mansit certe solenne, ut quandocunque idem prodigium nunciaretur, feriæ per novem dies agerentur. Prodigium autem paulo supra narrat his verbis: *Devictis Sabinis cum in magna gloria magnisque opibus regnum Tulli ac tota res Romana esset, nunciatum regi patribusque est, in monte Albano lapidibus pluvisse.* Non est necesse docere, quoties id prodigium nunciatum fuerit, idem sacrum fuisse susceptum. Hoc enim & longum nimis esset, & curiosum. Satis est intelligi, hoc sacrum non quotannis factum esse, nec certo die, cum ejus causa esset incertissima. Eodem pertinent supplicationes, obsecrationes, lectisternia, aliæque religiones, quæ prodigiis nunciatis, placandis diis procurabantur. *Libro* XXVII. Livius: *Prodigia quoque prius, quam ab urbe* Coss. *proficiscerentur, procurari placuit. In Albano monte tacta de cælo erant, signum Jovis, arborque templo propinqua, & Hostiæ lacus, & Capuæ murus, Fortunæque ædes, & Sinuessæ murus portaque. Hæc de cælo tacta. Cruentam etiam fluxisse aquam Albanam, quidam auctores erant,* &c. Ea prodigia hostiis majoribus procurata, & supplicatio circa omnia pulvinaria, obsecratio in unum diem indicta. *Lib.* XXVI. *Eodem anno prodigia aliquot visa nunciataque sunt. In æde Concordiæ Victoria, quæ in culmine erat, fulmine icta, decussaque ad victorias, quæ in arce fixæ erant, hæsit, neque inde procidit. Et Anaginæ & Fregellis nunciatum est murum portasque de cælo igne tactas, & in foro Suder tano sanguinis rivos per diem totum fluxisse, & Ereti lapidibus pluvisse, & Reate mulam peperisse. E. prodigia hostiis majoribus sunt procurata & obsecratio in unum diem populo indicta, & Novendiale sacrum.* Non necesse habui omnium prodigiorum procurationes, quod id ad rem nihil pertinet, hic attexere.

Quemadmodum autem ferias alias statas, alias conceptivas esse diximus, & conceptivarum partim annales, partim non annales, sic ludorum divisio adhiberi potest. Alii enim stati sunt, alii conceptivi & conceptivorum, alii annales, alii non annales erant. Ludos omneis primum fuisse indictivos & conceptivos, non annales aut annuos, idest, non in annos singulos, reperio, deinde annales quosdam, tum statos solos Apollinareis. Ludi primi facti sunt Romæ Neptuno Equestri, quæ Consualia appellantur, quod Consus Neptunus a Romanis diceretur. Indicti sunt autem finitimis populis a Romulo anno IV. imperii ejus, ut placet Dionysio Halicarnasseo, eosque sua etiam ætate fieri solito dicit. L. Tarquinius annuos fecit eos, qui iidem & Magni & Romani vocantur, quemadmodum *primo libro* Livius docet his verbis: *Ludos opulentius instructiusque quam priores reges, fecit. Tum* A *primum circo, qui nunc maximus dicitur, designatus locus est. Loca divisa Patribus Equitibusque, ubi spectacula sibi quisque facerent, Fori appellati. Spectavere, furcis duodenos ab terra spectacula alta sustinentibus pedes. Ludicrum fuit equi pugilesque ex Hetruria maxime acciti. Solennes deinde annui mansere ludi Romani Magnique varie appellati.* Hæc ille. Romani ergo & Magni ludi iidem fuerunt, iique annui, Livii sententia. Quod verumne sit dubito. Invenio enim eos factos fuisse prodigiorum fere causa, & interdum religione injecta. Id quod ipse Livius *lib.* XXII. tradit. *Q. Fabius* B *Maximus Prodictator iterum quo die magistratum iniit, vocato Senatu, ab diis orsus, cum edocuisset patres plus negligentia cerimoniarum auspiciorumque temeritate atque inscitia peccatum a C. Flaminio* Cos. *esse, quæque piacula iræ Deum essent, ipsos Deos consulendos esse pervicit, ut (quod non ferme decernitur, nisi cum terra prodigia nunciata sunt) Decemviri libros Sibyllinos adire juberentur. Qui inspectis fatalibus libris, retulerunt patribus, quod ejus belli causa votum Marti foret, id non rite factum de integro atque amplius faciendum esse: & Jovi ludos Magnos & ædes Veneri Erycinæ ac Deæ Menti vovendas esse, & supplicationem lectisterniumque habendum,* &c. C In XXV. a P. Cornelio Scipione ædile ante legitimam ætatem creato, factos esse tradit, quod ad Ciceronis ætatem servatum, Ædilibus magno honori fuit: *Ædilitia,* inquit Livius, *largitio hæc fuit, Ludi Romani pro temporis illius copiis magnifice facti, & diem unum instaurati, & congii olei in vicos singulos dati.*

Plebeii etiam ludi fuerunt, qui hoc nomine appellabantur, quod eos Ædiles plebeii facerent. Nam Ædiles Curules Magnos, qui iidem Romani dicebantur, exhibebant. In *lib.* XXVII. *Ludi & Romani & plebeii eo anno in singulos dies instaurati.* Ex his etiam paucis verbis mihi videtur facile perspici D posse, non fuisse utrosque ludos annuos. Si enim erant annui, cur eo anno instauratos fuisse addidisset? nisi forte dicimus, non factos, sed instauratos scriptum esse. Aliud est enim facere ludos, aliud instaurare. Instaurare enim est eos cum prius non rite facti sint reficere. Alii quoque ludi fuerunt, qui Scenici a Scena, idest, tabernaculo vocati sunt. Eorum origo a pestilentia, cujus vis nulla ratione levari poterat, aut reprimi, dicta est, nec tamen facti eam levarunt. In *libro* VII. post urbem conditam Livius: *Et cum vis,* inquit, *morbi, nec humanis consiliis, nec ope divina levaretur, victis superstitione animis, ludi quoque Scenici, nova res* E *bellicoso populo (nam circi modo spectaculum fuerat) inter alia cælestis iræ placamina instituti dicuntur. Cæterum parva quoque (ut ferme principia omnia) & ea ipsa peregrina res fuit. Sine carmine ullo, sine imitandorum carminum actu, ludiones ex Hetruria acciti ad tibicinis modos saltantes, haud indecoros motus more Tusco dabant.* Deinceps eorum ludorum progressum tradit & absolutionem. Atque hi quidem ludi conceptivi & indictivi omnes fuerunt. Annui essent necne, aliud affirmare non possum. Apollinares autem primum indictivi, ut dixi, fuerunt, idque quadriennio solum, aut plurimum quinquennio, deinde voti sunt & facti in statum diem, F qui est ante III. Nonas Quintiles. Tit. Liv. *lib.* XXVII. post urbem conditam: *Ludi,* inquit, *Apollinares. Q. Fulvio Ap. Claudio* Coss. *a P. Cornelio Sylla prætore urbis primum facti erant: inde omnes deinceps Prætores urbani fecerant, sed in unum annum vovebant, dieque incerto faciebant. Eo anno pestilentia gravius incidit in urbem agrosque, quæ tamen magis in morbos longos quam in perniciales evasit. Ejus pestilentiæ causa & supplicatũ per compita tota urbe est, & P. Licinius Varus Prætor urbis legem ferre*

ad populum jussus, ut hi ludi in perpetuum in statum diem voverentur. Itaque ipse primus ita vovit fecitque ante diem III. *Nonas Quintiles. Is dies deinde solennis servatus.* Hos autem ludos scribit votos esse ex libris Martis vatis clarissimi, in quibus ita scriptum fuit: *Hostes, Romani, si expellere vultis, vomicamque quæ gentium venit longe, Apollini vovendos censeo ludos, qui quotannis comiter Apollini fiant. Cum populus dederit ex publico partem, privati uti conferant pro se suisque. Iis ludis faciendis præerit prætor is, qui jus populo plebique dabit summum. Decemviri Græco ritu hostiis sacra faciant. Hæc si recte faxitis, gaudebitis semper, fietque res vestra melior. Nam is Divus extinguet perduelles qui vestros campos pascit placide.* Deinceps Livius hæc omnia decreta & facta esse docet. Hos solos statos comperi.

Sacra etiam & epulum, quæ ad festa dixi pertinere, conceptiva fuisse invenio. Sed quoniam de feriis conceptivis satis multa dixi, nunc sequitur ut de statis dicendum esse videatur. Quanquam nobis hæc via & artificio tradentibus satis erat de his dicere. Neque enim ars in iis quæ incerta sunt, versari solet. Atque ut in hoc ordinem certum servem, ab iis quæ in Januarium mensem incidebant, initium sumam. Calendis Januariis, Jani, a quo deo is mensis nomen invenit, festum fiebat. Hoc quidem festum aliaque stata, quæ deinceps trademus vetus Fastorum ratio, quæ inter Capitolii ruinas in marmore insculpta, inventa est, nos docuit. Quam cum *Fastis* Ovidianis ita convenire conferendo notavi, ut vel Ovidius ab illis suos, vel qui illos insculpsit, eos ab Ovidianis sumpsisse videatur. In festo autem Jani opus agebatur, quod Ovidius, cur fieret, docet his versibus lib. I. *Fastor.*

Post ea mirabar, cur non sine litibus esset
Prima dies: causam percipe, Janus ait.
Tempora commisi nascentia rebus agendis;
Totus ab auspicio ne foret annus iners.
Quisque suas artes ob idem delibat agendo:
Nec plus quam solitum est testificatur opus.

Itaque is dies intercisus erat potius, quam festus. A Calendis autem Januariis ad eum diem, qui est ante v. Idus ejusdem mensis, nullum festum erat. Eo autem die erant Agonalia. Dies multos eis festos Varro assignat his verbis: *Dies Agonales, per quos rex in regia arietem immolabat. Dicti ab ago, eo quod interrogatur a principe civitatis, & princeps gregis immolatur.* Est enim legendum *ago*, non *agon*, ut scriptum est in vulgatis libris. Ovid. enim notationem verbi hujus exponens, in multis quas de multorum sententia affert, hanc Varronis primo loco explicat, *ibid.*

Quattuor adde dies, ductis ex ordine Nonis:
Janus Agonali luce piandus erit.
Nominis esse potest succinctus causa minister,
Hostia cælitibus quo feriente cadit,
Qui calido strictos tincturus sanguine cultros
Semper agatne rogat, nec nisi jussus agit.
Pars, quia non veniant pecudes, sed agantur, ab actu
Nomen Agonalem credit habere diem.
Pars putat hoc festum priscis Agnalia dictum,
Una sit ut proprio littera dempta loco.
Aut, quia prævisos in aqua timet hostia cultros,
A pecoris lux est ipsa notata metu:
Fas etiam fieri solitis ætate priorum
Nomina de ludis Græca tulisse diem.
Et pecus antiquus dicebat Agonia sermo,
Veraque judicio est ultima causa meo.

Tertio inde die, ideft, tertio Idus Januarias, erant Carmentalia. Varro: *Carmentalia nominantur,*

A *quod sacra tum & feriæ sunt Carmentis.* Ovidius in primo libro *de Fastis* multis versibus causam festi exponit. Idibus Januarius Jovis festum erat, de quo Ovidius,

Idibus in magni castus Jovis æde sacerdos
Semimaris flammis viscera libat ovis.

XVIII. Cal. Febr. erat alterum Carmentis festum, quod etiam Ovidius his carminibus indicat,

Respiciet Titan actas ubi tertius Idus,
Fient Parrhasiæ sacra relata deæ.
Nam prius Ausonias matres carpenta vehebant,
B *Hæc quoque ab Evandri dicta parente reor.*
Mox honor eripitur, matronaque destinat omnis
Ingratos nulla prole novare viros.
Neve daret partus, ictu temeraria cæco
Visceribus crescens excutiebat onus.
Corripuisse patres ausas immitia nuptas,
Jus tamen ereptum restituisse ferunt.
Binaque nunc pariter Tegeææ sacra parenti
Pro pueris fieri virginibusque jubent.

Eodem etiam die feriæ Porrimæ & Postuertæ agebantur, de quarum dearum nominibus & sacro idem Ovidius *ibid.* hæc tradidit.

C *Si quis amas veteres ritus, assiste precanti,*
Nomina percipies non tibi nota prius.
Porrima placatur, Postuertaque, sive sorores,
Sive fugæ comites, Mænali diva, tuæ.
Altera quod porro fuerat, cecinisse putatur,
Altera venturum post modo quicquid erat.

In sequenti die, id est, XVII. Cal. Febr. feriæ erant Concordiæ. Id Ovidius tradit in *eod. lib.*

Candida te niveo posuit lux proxima templo,
Qua fert sublimeis alta Moneta gradus,
D *Nunc bene prospicies Latiam Concordia turbam*
Nunc te sacratæ constituere manus.
Furius antiquus populi superator Hetrusci
Voverat, & voti solverat ille fidem.
Causa quod a patribus sumptis secesserat armis
Vulgus, & ipsa suas Roma timebat opes.
Causa recens melior, passos Germania crines
Corrigit auspiciis dux venerande tuis.

Sexto autem Cal. Feb. erat festum Castoris & Pollucis. Ovidius *loco cit.*

At quæ venturas præcedit sexta Calendas,
Hac sunt Ledæis templa dicata Deis.
E *Fratribus illa Deis, fratres de gente deorum*
Circa Juturnæ composuere lacus.

Pacis autem feriæ erant III. Calend. mensis ejusdem, Ovidii etiam sententia,

Ipsum nos carmen deduxit Pacis ad aram.
Hæc erit a mensis fine secunda dies.

Atque hæc quidem festa erant mense Januario. In Februario autem quæ sequuntur. IIII. quidem Non. festum Sospitæ, Jovis, & asylum celebrabatur. Ovidius, *lib.* II.

F *Principio mensis Phrygiæ contermina matri*
Sospita delubris dicitur aucta novis.

Paulo infra:

Tunc quoque vicini lucus celebratur Asyli.
Qua petit æquoreas advena Tybris aquas.
Ad penetrale Numæ Capitolinumque tonantem,
Inque Jovis summi cæditur arce bidens.

Idibus ejusdem mensis Fauni sunt feriæ, idemque dies nefastus erat ob cædem Fabiorum. Ovidius *lib. cit.*

A *Idibus agrestis fumant altaria Fauni.*
Hic, ubi discretas insula rumpit aquas.
Hæc fuit illa dies, in qua Vejentibus arvis
Ter centum Fabii ter cecidere duo.

xv. Cal. Martias Lupercalia erant. Ovidius, *eodem lib.*

Tertia post Idus nudos aurora Lupercos
Aspicit; & Fauni sacra bicornis erunt.

Originem Lupercalium deinceps explicat:

Transtulit Evander sylvestria numina secum
Hic, ubi nunc urbs est, hinc locus urbis erat.
B *Inde deum colimus, devectaque sacra Pelasgis*
Flamen ad hæc prisco more Dialis erat.

Dionysius & Livius & ipse Ovidius, multa de his sacris commemorant, sed hæc satis multa sunt nobis.

Quirinalia sequuntur. Erant enim XII. Cal. Martias. Varro, Quirinalia a Quirino, quod huic deo feriæ, &c. sunt enim corrupta. Ovidius, *lib. eod.*

Proxima lux vacua est, at tertia dicta Quirino.
Qui tenet hoc nomen Romulus ante fuit.

C Eas autem ferias Romulo fieri solitas deinceps tradit, quod Julius quidam Romanis mœstis de morte Romuli, missum se ab eo dixit, ut nunciaret ne se ut mortalem lugerent, sed ut Deum colerent. De his Livius multa & Dionysius. Eodem etiam die festum erat stultorum, & feralia sacrificia fiebant. *Feralia*, inquit Varro, *ab inferis & ferendo, quod ferunt tum epulas ad sepulchrum, quibus jus est parentare.* Hæc sacra Fornacalia Ovidius appellat, eaque indici solita dicit a Maximo Curione, negatque eadem stato die fieri.

D *Curio legitimis tunc Fornacalia verbis*
Maximus indicit, nec stata sacra facit.

Ritum ejus sacri pluribus exponit, quæ qui legere volet, locum indicavi. Postridie ejus diei fiebant Charistia, de quibus Ovidius loquitur his versibus:

Proxima cognati dixere Charistia chari,
Et venit ad socios turba propinqua Deos.
Scilicet a tumulis, &, qui periere, propinquis
Protinus ad vivos ora referre juvat,
Postque tot amissos quicquid de sanguine restat,
E *Aspicere, & generis dinumerare gradus.*

Sequuntur etiam alia de eodem festo carmina. Postridie Charistiorum Terminalia fiebant, de quibus Ovidius ita differit:

Nox ubi transierit, solito celebretur honore,
Separat indicio qui Deus arva suo.
Termine, sive lapis, sive es defossus in agro
Stipes, ab antiquis tu quoque numen habes.
Te duo diversa domini de parte coronant,
Binaque serta tibi, binaque liba ferunt.
F *Ara fit, huc ignem curta fert rustica testa*
Sumptum de tepidis ipsa colona focis.
Ligna senex minuit, concisaque construit arte.
Et solida ramos figere pugnat humo.
Tunc sicco primas irritat cortice flammas.
Stat puer, & manibus lata canistra tenet.
Inde ubi ter fruges medios immisit in ignes,
Porrigit incisos filia parva favos.
Vina tenent alii, libantur singula flammis:
Spectant, & linguis candida turba favet.
Spargitur & cæso communis Terminus agno,
Nec queritur, lactens cum sibi porca datur.

Conveniunt celebrantque dapes vicinia supplex,
Et cantant laudes, Termine sancte, tuas.

Atque hæc quidem Ovidius de Termini feriis. Varro autem dicit festum hoc celebratum fuisse pridie Cal. Martias, nisi cum intercalaretur Februarius, tum enim sexto a fine die solitum fieri scribit, quanquam ait tum quinque inferiores dies ei mensi demi solitos. Extremæ hujus mensis feriæ erant Equiria, sic appellata ab equorum cursu, ut ait Varro, quod tum equi in campo Martio currerent. Erat autem is dies III. Cal. Martias, ut placet Ovidio, sub fin. *lib.* II.

Jamque duæ restant noctes de mense secundo,
Marsque citos junctis curribus urget equos.
Ex vero positum permansit Equiria nomen,
Quæ Deus in campo perspicit ipse suo.

Calendis Martiis Martis erat festum, quod matronæ colebant. Erant etiam Junonis Lucinæ feriæ. Et Salii ferunt Ancilia, & Mamurium canunt. Ovidius in tertio libro *Fastorum* horum omnium originem tradit multis versibus, quorum pauca subjiciam,

Cum sis officiis, Gradive, virilibus aptus,
Dic mihi matronæ cur tua festa colant.

Causam explicat deinceps, cujus hæc sententia est. Cum Romulus Consos ludos facere instituisset, eosque finitimis populis indixisset, virgines Sabinæ ad diem conveniunt, eas nec opinantes in medio ludicro Romani, qui constituti erant, rapiunt. Hinc natum est bellum inter Romanos & illos populos, quarum virgines repetitas Romani reddere noluissent. Jam acies instructæ erant, jam signum pugnæ datum erat, cum Sabinæ aliorumque populorum mulieres, quæ raptæ erant, habitu luctus, passis crinibus in medias acies prorumpunt cum infantibus. Ita victis animis, pax facta est. Itaque Ovidius addit,

Inde diem primasque meas celebrare Calendas
Oebaliæ matres non leve munus habent,
Aut quia committi strictis mucronibus ausæ
Finierant lacrymis Martia bella suis.
Vel quod erat de me fœliciter Ilia mater,
Rite colunt matres sacra diemque meum.

Eodem *libro* de Junonis Lucinæ festo differit, & cur Salii ancilia eo die ferrent & Mamurium canerent, quæ sciens prætereo, ne sim longior. De ancilibus multa scripta sunt a Livio, plura a Dionysio. Pridie Nonas Martii Vestæ erant feriæ, quemadmodum Ovidius declarat his versibus,

Sextus ubi e terra clivosum scandet Olympum
Phœbus, & alatis æthera carpet equis:
Quisquis ades, castæque colis penetralia Vestæ,
Gratare, Iliacis thuraque pone focis.

De sacris Vestæ idoneo loco dicemus, cum de sacerdotibus erit differendum. Nunc satis est intelligi, hæc sacra fieri Diis Trojæ, quos Æneas in Italiam advexisse dicitur. Nonis Martiis Vejovis erat festum. Hoc Fasti, quos repertos dixi inter Capitolinas ruinas, non indicant, sed Junonis. Vejovis autem legendum esse Ovidius indicat his versibus:

Una nota est Martis, Nonis sacrata quod illis
Templa putant lucos Vejovis ante duos.

Cur autem ita Jupiter vocaretur paulo infra docet.

Nunc vocor ad nomen, Vegrandia farra coloni
Quæ male creverunt, vescaque parva vocant.
Vis ea si verbi est, cur non ego Vejovis ædem,
Ædem non magni suspicer esse Jovis?

Pridie Idus Martias erant altera Equiria. Idem Ovidius, *ibidem*.

Sex ubi sustulerit, totidemque emerserit orbes
Purpureum rapido qui vehit axe diem:
Altera gramineo spectabis Equiria campo,
Quem Tiberis curvis in latus urget aquis.

B Idibus autem ejusdem mensis festum erat Perennæ Annæ, in Fastis, quos sæpe nominavi, *Proannæ* vitiose legitur, pro *Perennæ*. Ovidius.

Idibus est Annæ festum geniale Perennæ,
Non procul a ripis advena Thybre tuis.
Plebs venit, ac virides passim disjecta per herbas
Potat, & accumbit cum pare quisque sua.

& cætera carmina, quibus ritum ejus festi explicat. Quæ autem fuerit hæc Anna, variæ fuerunt opiniones. Alii enim Lunam, quod mensibus annum explicat, esse putaverunt. Alii Themin, nonnulli bovem Inachi, quidam nympham Jovis nutricem, alii pauperem fœminam, quæ plebi, cum in sacrum montem secessisset, eique jam panis ad victum non suppeteret, panem suppeditasse dicitur. Sed constantior fama est esse Annam, quæ Didonis soror metu ex fenestra se in mare dejecerit, incolumisque in Italiam pervenerit XVI. Cal. April. festum Bacchi, quod vocat Varro Liberalia: *Liberalia*, inquit, *dicta, quod per totum oppidum eo die sedent sacerdotes liberi, & anus edera coronatæ cum libis & foculo pro emptore sacrificantes*. Ovidius tertio libro *de Fastis*.

Tertia post Idus lux est celeberrima Baccho.

XIV. autem Cal. ejusdem mensis erant Minervæ, quæ quinque diebus fiebant Quinquatria, ut etiam Ovidio placet.

Una dies media est, & fiunt sacra Minervæ,
Nominaque a junctis quinque diebus habent.
Sanguine prima vacat; nec fas concurrere ferro.
Causa, quod est illa nata Minerva die.
Altera, tresque super strata celebrantur arena,
Ensibus exertis, bellica læta Dea est.

Nono autem Cal. fiebat festum Forti Deæ. Ovidius, *eodem lib.*

Summa dies e quinque tubas lustrare canoras
Admonet, & Forti sacrificare Deæ.

Postridie ejus diei erat Jani sacrificium, Concordiæ, Salutis, & Pacis. Ovidius hoc docet, sed obscure: itaque quod numerat, a Quinquatriis incipiendum est,

Tres ubi luciferos veniens præmiserit Eos
Tempora nocturnis æqua diurna feret.
Inde quater pastor saturos ubi clauserit hœdos,
Canuerint herbæ rore recente quater,
Janus adorandus, cumque hoc Concordia mitis,
Et Romana Salus araque Pacis erit.

Pridie Calendas Lunæ erant feriæ in Aventino. Ovidius, *eodem libro*.

Luna regit menses, hujus quoque tempora mensis
Finit Aventino Luna colenda jugo.

A Sequitur hunc Aprilis, cujus Calendis Veneri & Fortunæ virili sacra fiebant. Hoc docet multis carminibus Ovidius in quarto *Fastorum* libro. Ejus de Fortunæ virilis sacro hæc sunt carmina,

Discite nunc quare Fortunæ thura virili
Detis, eo gelida qui locus humet aqua.
Accipit ille locus posito velamine cunctas,
Et vitium nudi corporis omne videt.
Ut tegat hoc, celetque viros Fortuna virilis
Præstat, & hoc parvo thure rogata facit.

Inde sequitur festum Cybelis Nonis Aprilibus. Ovidius, *ibidem*,

Ter sine perpetuo cælum versetur in axe,
Ter jungat Titan, terque resolvat equos:
Protinus inflexo Berecynthia tibia cornu
Flabit, & Idææ festa parentis erunt.
Ibunt semimares, & inania tympana tundent,
Æraque tinnitus ære repulsa dabunt.
Ipsa sedens molli comitum cervice feretur
Urbis per medias exululata vias.
Scena sonat, ludique vocant, spectate Quirites.
Et fora Marte suo litigiosa vacent.

C Postridie, id est, VIII. Idus festum erat Fortunæ publicæ in colle Quirinali. Ovidius,

Postera cum cælo motis Pallantias astris
Fulserit, & niveos luna levarit equos.
Qui dicet, quondam sacrata colle Quirini
Hac Fortuna die publica, verus erit.

VI. Idus Ludi fiebant ob honorem Cæsaris, atque ii stati erant. Cum autem supra dixi, nullos me legisse ludos fuisse præter Apollinares, hoc ad superiora tempora retuli. Postridie Cereri sacrum fiebat, D & ludi. Versus Ovidianos deinceps paucos proferam, ut vitem satietatem.

Idibus autem festum erat Jovis Victoris atque Libertatis. Ovidius,

Occupat Aprileis Idus cognomine victor
Juppiter, hac illi sunt data templa die.
Hac quoque, ni fallor, populo dignissima nostro
Atria libertas cœpit habere sua.

XVII. Calen. Majas erant Fordicidia a fordis bobus, ut Varroni placet. Est enim, ut ait, *bos forda, quæ fert in ventre*. Fordicidia autem dicta sunt, E quod ea die publice immolabantur boves prægnantes in curiis. A fordis ergo cædendis Fordicidia dicta sunt.

Fuisse autem Fordicidia eo die quem diximus, id est, XVII. Cal. Majas, Ovidius declarat his versibus,

Tertia post Veneris cum lux surrexerit Idus,
Pontifices forda sacra litate bove.

XIV. Calend. erat cursus equorum in circo, & vulpium combustio. Palilia, id est, deæ Palis festum F XII. Calend. Vinalia Jovis X. Calendas. IV. Calend. Rubigalia a dea Rubigine, quæ segetibus nocere dicitur. Pridie Calend. Majas festum Floræ & Vestæ. De his omnibus Varro & Ovidius differunt. Atque ut paucis multa complectar, Majo mense hæc festa sunt, V. Non. Floræ, & ludi ei fiunt. VII. Idus Lemuria nocturna. IV. Idus Martis Ultoris. Idibus, Mercurii. XIII. Calend. Junias Jani. Agonalia, XI. Vulcanalia. VI. Fortunæ publicæ. Horum omnium qui originem & ritum scire volet, evolvat V. *Fastorum* librum. Junius est deinceps,

in quo hæc festa celebrantur, Bellonæ pridie Non. Nonis ipsis Fidei VII. Idus Menti, & Tybridi ludi fiunt. VI. Idus Vestæ festum. IV. Idus Matronalia Concordiæ Fortunæque festum. Idibus Jovis, & Quinquatria Minervæ. XIII. Calend. Quintileis festum summi Jovis. VIII. Fortis Fortunæ.

Superiorum quidem mensium quæ de fastis tradidimus, certa & explorata sunt: quæ autem in reliquis fuerint, tradere non possum. Nam nec alteri sex Ovidii *de Fastis* libri extant, nec in libris qui extant aliorum, id notare & cognoscere possumus. Pauca tamen quæ diu multum quærendo invenimus, non erit alienum exponere. Varro quidem in libris *de Lingua Latina*, præter multa festorum nomina, quæ adhuc edidi, alia etiam quædam exprimit. In quo mensium ordinem eum servasse hinc sciri potest, quod ab Agonalibus quæ sunt V. Idus Januarii ducto exordio, ad Saturnalia quæ extremo fere Decembri mense fiunt, pervenit. Sed hoc fere prætermisit, quod hoc tempore studiosissime quærimus. Neque enim tam festa quærimus, quam eos dies qui eis sacri & constituti fuerunt. Extremum festum Fortis Fortunæ Junio mense esse diximus. Hujus auctorem Varro Servium Tullum facit his verbis: *Dies Fortis Fortunæ appellatus ab Servio Tullo rege, quod is fanum Fortis Fortunæ secundum Tyberim extra urbem Romam dedicavit.* Quæ ergo festa deinceps commemorat, ad Quintilem, id est, Julium pertinent, nisi forte Populifugia. Attribuit enim ea Junio: *Junio*, inquit, *mense dies Populifugia videtur nominatus, quod eo die repentino tumultu fugerit populus.* Diei hujus nec in *Fastis* Ovidianis, nec in iis, quos inventos esse dixi inter ruinas Capitolii, ulla fit mentio. Atque hic dies quotus Junii fuerit, ignoro. Nonæ autem Caprotinæ quæ apud eum sequuntur, cujus mensis fuerint, ipse non exprimit. Macrobius autem in primo *Saturnaliorum* libro explicat: *Nonis*, inquit, *Juliis diem festum esse ancillarum, tam vulgo notum est, ut nec origo, nec causa celebritatis ignota sit. Junoni enim Caprotinæ die illo liberæ pariter ancillæque sacrificant sub arbore caprifico, in memoriam benignæ virtutis, quæ ancillarum animis pro conservatione publicæ dignitatis apparuit. Nam post urbem captam, cum sedatus esset Gallicus motus, res vero publica esset ad tenue deducta, finitimi opportunitatem invadendi Rom. nominis aucupati, præfecerunt sibi Posthumium Livium Fidenatium Dictatorem. Qui mandatis ad Senatum missis postulavit, ut si vellent reliquias suæ civitatis manere, matresfamiliæ sibi & virgines dederentur. Cumque Patres essent in ancipiti deliberatione suspensi, ancilla nomine Tutela seu Philotis pollicita est, se cum cæteris ancillis sub nomine dominarum ad hostes ituram, habituque matrumfamilias & virginum sumpto, hostibus cum prosequentium lacrymis ad fidem doloris ingestæ sunt. Quæ cum a Livio in castris distributæ fuissent, viros plurimo vino provocaverunt, diem festum apud se esse simulantes: quibus soporatis, ex arbore caprifico, quæ castris erat proxima, signum Romanis dederunt. Qui cum repentina incursione superassent, memor beneficii Senatus omnes ancillas manumitti jussit, dotemque eis ex publico fecit, & ornatum quo tunc erant usæ, gestare concessit, diemque ipsum Nonas Caprotinas nuncupavit ab illa caprifico, ex qua victoriæ signum ceperunt, sacrificiumque statuit annua solennitate celebrandum, cui lac, quod ex caprifico manat, propter memoriam facti præcedentis adhibetur.* Hæc Macrobius.

Hoc eodem mense erant Apollinares ludi ante diem III. Non. ut supra docui, & Neptunalia, quantum ex fragmento quodam *Fastorum* conjicere potui, sed non erat notatus dies. Itaque de his Varro deinceps differit, qui locus est, ut plerique alii, corruptus. Furinalia apud eum sequuntur. Erant autem, ut ait Festus, sacra Furinæ, quam deam dicebant. Portunnalia a Portunno, qui, ut ait Festus, Palæmon dictus est. Atque hæc sacra quibus diebus fierent invenire non potui, nec Quintili mense anne Sextili. Vinalia autem rustica dicuntur, inquit Varro, ante diem XII. Calendas Septembris, quot tum Veneri dedicata ædes & horti ejus tutelæ assignantur, ac tum sunt feriati olitores. Consualia dicta a Conso, quod tum feriæ publicæ ei Deo, & in circo ad aram ejus ab sacerdotibus fiunt ludi illi, quibus virgines Sabinæ raptæ. De his jam diximus, & quo die fierent. Varro hoc loco eorum mentionem facit. Sequuntur apud Varronem Vulcanalia, a Vulcano, quod ei tum feriæ, & quod eo die populus pro se in ignem animalia mittit. Sextili mense, id est, Augusto hæc sacra facta esse in quodam fragmento *Fastorum* inveni. Opeconsiva, ut idem auctor est, dies ab dea Opeconsiva, cujus in regia sacrarium, quod ideo actum est, ut eo præter virgines Vestales & sacerdotem publicum introeat nemo. Vortumnalia a Vortumno, cujus, ut idem ait, feriæ Octobri mense fiebant. Meditrinalia dies dictus a medendo, quod, ut ait Flaccus, flamen Martialis dicebat hoc die solitum vinum novum & vetus libari & degustari medicamenti causa. Fontanalia a fonte, quod eo die feriæ ejus. Tum & in fontes coronas jaciebant, & puteos coronabant. Armilustrium apud eum sequitur. Erat autem festum, ut etiam ait Festus, in quo res divinas armati faciebant, ac dum sacrificabant, tubis canebant. Atque hæc quidem sacra incertum est quo & mense & die fierent.

Saturnalia autem, Opalia, Angeronalia, & Laurentalia quæ fere sacra restant apud Varronem, quo mense ac die celebrarentur apud Macrobium reperi. Fiebant autem XIII. Calend. Januarias, & septem diebus finiebantur. Quanquam de hoc controversia est. Nam & tertio die Opalia fuisse Varro scribit, & sexto Laurentalia. Sed ut variæ multorum de his sententiæ intelligantur, Macrobii verba libet attexere: *Apud majores*, inquit, *nostros Saturnalia die uno finiebantur, qui erat ad* XIIII. *Calendas Januarias. Sed postquam C. Cæsar huic mensi duos addidit dies, sexto decimo cœpta celebrari. Ea re factum est, ut cum vulgus ignoraret certum Saturnaliorum diem, nonnullique a C. Cæsare incerto die, & alii vetere more celebrarent, plures dies Saturnalia numerarentur. Licet & apud Veteres opinio fuerit septem diebus peragi Saturnalia, si opinio vocanda est, quæ idoneis firmatur auctoribus. Nonius enim probatissimus Attellanarum scriptor ait, Olim expectata veniunt septem Saturnalia. Mummius quoque, qui post Nonium & Pomponium diu jacentem artem Attellaniam suscitavit, Nostri, inquit, majores velut bene multa instituere, hoc optime a frigore fecere somno dies septem Saturnalia. Sed Mallius ait, eos, qui se, ut supra diximus, Saturni nomine defenderant, per triduum festos instituisse dies, & Saturnalia vocavisse, unde & Augustus, hujus, inquit, rei opinionem secutus in legibus judiciariis triduo ferias servari jussit. Masurius & alii uno die, id est,* XIIII. *Calendas Januarias fuisse Saturnalia crediderunt. Quorum sententiam Fenestella confirmat dicens Æmyliam virginem* XV. *Calendarum Januariarum esse damnatam, quo die si Saturnalia gererentur, nec causam omnino dixisset. Deinde adjecit, Sequebantur eum diem Saturnalia. Mox ait, Postero autem die qui fuit* XIII. *Calendarum Januariarum, Liciniam virginem, ut causam diceret jussam, ex quo ostendit* XIII. *Calendas profestum esse.* Atque hæc de Saturnalibus Macrobius.

Angeronalia autem idem scribit fuisse XII. Ca-

lend. Jauarias XII. vero inquit, feriæ sunt divæ Angeroniæ, cui pontifices in sacello Volupiæ sacrum faciunt, quam Verrius Flaccus Angeronam dici ait, quod angores ac animorum solicitudines propiciata depellat. Masurius adjicit simulacrum ejus Deæ ore obligato atque signato in ara Volupiæ propterea collocatum, quod qui suos dolores anxietatesque dissimulant, perveniant patientiæ beneficio ad maximam voluptatem. Julius Modestus ideo sacrificari huic Deæ dicit, quod populus Romanus morbo, qui angina dicitur, præmisso voto sit liberatus. XI. autem Calendas Januarias feriæ sunt Laribus dedicatæ, quibus ædem bello Antiochiæ Æmylius Regillus prætor in campo Martio curandam vovit. X. vero Calendas ejusdem mensis feriæ sunt Jovis quæ appellantur & Laurentinæ & Laurentalia. Varro hunc diem sextum vult esse post Saturnalia. Ita Saturnalia XVI. Cal. Januarias fiebant, quod quidam alii etiam existimaverunt. Hoc sacrificium, inquit Varro, fit in Velabro qua in novam viam exitur, ut ajunt quidam, ad sepulchrum Accæ. Quæ autem fuerit Acca hæc sive Laurentia, a qua Laurentalia sint appellata, variæ sunt opiniones. Quidam enim, ut Macer & Livius, eam Faustuli uxorem & Remi Romulique nutricem esse dicunt, alii, ut Cato, meretricem, quæ meretricio quæstu locuples facta, agros quatuor pop. Rom. legaverit, ex quo & sepulchri magnificentia & annuæ parentationis honore dignata sit. Opalia ab Ope Saturni uxore appellata sunt. Ea autem sacra tertio die post Saturnalia solita fieri tradit, qui dies est ejus sententia XIIII. Calend. Ianuarias. Sigillaria addit Macrobius, eaque dicit Saturnaliorum celebritatis, quam septem dierum facit esse, diem esse septimum. Sed Sigillariorum, inquit, celebritas in septem dies discursum publicum & lætitiam religionis extendit. Hujus sacri duplicem tradit originem, quam qui scire volet, ejus legat *primum librum*. In hoc autem sacro sigilla quædam fictilia, id est, statuæ & simulacra, emebantur, quæ pro se quisque atque pro se quisque atque pro suis piaculum pro Dite facerent. Præter hæc festa, alia etiam quædam reperio fuisse. Macrobius enim in primo *Saturnaliorum* libro de Varronis sententia omnibus Idibus Jovis, & Calendis Junonis sacrum fieri solitum esse tradit. Ut autem Idus omnes Jovi, ita omnes Calendas Junoni tributas & Varronis & pontificalis confirmat auctoritas. Quod etiam Laurentes patriis religionibus servant, qui & cognomen Deæ ex cerimoniis addiderunt Calendarem Junonem vocantes. Sed & omnibus Calendis a mense Martio ad Decembrem huic Deæ Calendarum die supplicant. Romæ quoque Calendis omnibus præterquam quod pontifex minor in curia Calabra rem divinam Junoni facit, etiam regina sacrorum, regis uxor porcam vel agnam in regia Junoni immolat. Sacrorum etiam apud Græcos, A, litera extrema erat. Nam & Κρόνια *Saturnalia* dicunt, & *Liberalia* Διονύσια. Itaque apud nos hodie si Veteres imitari velimus, & Martinalia Martini festum, & Paulilia Pauli, Marialia Mariæ, eodemque modo cæterorum ferias appellemus licebit.

Festis autem diebus ac feriis ita Romani rebus divinis operam dabant, ut opus aliquod eorum quæ servilia vocantur, agere piaculum ac religiosum putarent. Hoc Macrobius docet his verbis: *Affirmabant autem sacerdotes pollui ferias, si indictis conceptisque opus aliquod fieret. Præterea regem sacrorum flaminesque non licebat videre feriis opus fieri. & ideo per præconem denunciabant, ne quid tale ageretur, & præcepti negligens mulctabatur. Præter mulctam vero affirmabant eum, qui talibus diebus imprudens aliquid egisset, porco piaculum dare debe-* A *re. prudentem expiare non posse Scævola pontifex asseverabat.* Quod autem opus non pollueret ferias, deinceps exponit: *Umbro*, inquit, *negat cum polluі, qui opus vel ad eos pertinens, sacrorumve causa fecisset, vel aliquid ad urgentem vitæ utilitatem respiciens actitasset. Scævola denique consultus, quid feriis agi liceret, respondit, quod prætermissum noceret. Quapropter si bos in specum decidisset, eumque paterfamilias adhibitis operis liberasset, non est visus ferias polluisse, nec ille qui trabem tecti fractam fulciendo ab imminenti vindicavit ruina.* Romanorum religionem hanc cum Christiana nostra in feriis observandis consentire adhuc videmus. In eo quod B sequitur, minime consentit. Viros Romanis vocare feriis non licebat, nobis licet. Vitabant enim, ut ait Macrobius, ad viros vocandos etiam dies, qui essent notati rebus adversis. Vitabant etiam feriis, sicut Varro in *Augurum libris* scripsit in hæc verba: *Viros vocare feriis non oportet: si vocavit, piaculum esto.* Viros autem vocare est, eo defectus causa, vel belli in locum constitutum jussu magistratus convenire. Sed hoc apud Romanos valebat tum denique, cum bellum esset inferendum. Si enim accipiendum erat, quoniam id necessitatis erat, non voluntatis morum, dies nul- C lus afferebat, Macrobii sententia. Nundinæ etiam in feriis primis rei Romanæ temporibus habebantur. tandem in profestis haberi cœptæ sunt. De his Macrobius primo libro *Saturnalium* differit his verbis: *Julius Cæsar* XII. *auspiciorum libro negat nundinis concionem advocari posse, id est, cum populo agi: ideoque nundinis Romanorum haberi comitia non posse. Cornelius etiam Labeo primo Fastorum libro, nundinis ferias esse pronunciat.* Eodem libro de sententia Granii Liciniani nundinis ferias Jovis fuisse dicit propterea, quod flaminica omnibus nundinis in regia Jovi arietem soleat immolare. Lege autem Hortensia, ut idem scribit, D factum est ut fastæ essent, uti rustici qui nundinandi causa in urbem veniebant, lites componerent.

Nundinas quis primus Romæ instituerit, magna est quæstio. Alii enim Romulum auctorem fuisse dicunt, ut Tuditanus, alii, ut Cassius, Servium Tullium, quidam eas primum institutas esse confirmant, exactis jam regibus, ut Geminus. Nundinas autem a nono die appellatas esse, constat inter omneis. Nundinæ enim eo institutæ sunt, ut ait Rutilius apud Macrobium, ut cum rustici in agris octo diebus opus egissent, nono die intermisso opere ad mercatum legesque accipiendas E Romam venirent, ex quo is dies Nundinarum appellatus est nomine. Is autem dies nonus ab ineunte anno numerabatur, & sic deinceps. Atque hi omnes quos commemoravi, in feriis ac festis habebantur. Ex quo intelligi potest, in eis comitia haberi minime potuisse.

Alii autem sunt dies festis contrarii qui profesti vocantur, quos vulgo *operarios* vocamus. Profestorum autem alii sunt fasti, alii nefasti. Fasti duobus modis intelliguntur. Fastos enim dies interdum festos dici, Festus Pompejus auctor est, quomodo mihi accipi videntur in iis libris Ovidii, qui *Fasti* inscribuntur. His enim in libris festa so- F lum quæ sint singulis mensibus, exponit. Hoc autem loco fastos dies eos intelligi volumus, in quibus hæc tria verba, *do*, *dico*, *addico*, prætori fari licebat. Sic enim Veteres omnes, ut Varro, ut Ovidius, ut Festus Pompejus, ut Macrobius, explicant. Nefasti contra ii erant, in quibus ea verba prætor fari non poterat. Nec vero si feriis ac festis hæc tria verba prætori fari non licebat, idcirco festi dies erant nefasti. Nam & nefasti omnes profesti sunt, & cum in festis illa tria verba fari non posset, id ad Deorum cultum refe-

rebatur, in nefastis autem id non licebat, quod aliqua in eis diebus clades fuisset accepta. Quid autem illa tria verba *do*, *dico*, *addico* significarent, quoniam multi de eo dubitare possunt, dicamus. Prætor quidem hoc loco is intelligitur, qui inter cives peregrinosque jus dicit. Ejus autem omnis jurisdictio & potestas tribus rebus continebatur, & concedenda agendi potestate ei qui petivisset, & jure inter adversarios dicundo, & re, de qua agitur, adjudicanda. Primum illum dicebatur dare agendi potestatem: secundum jus dicere ac reddere: tertium addicere, id est, adjudicare.

His ita constitutis, nunc dicamus quinam essent nefasti aut religiosi, aut atri dies. Tot enim nominibus appellatos eos invenio. De his T. Livius initio VI. *libri*, post urbem conditam scribit his verbis: *Tum de diebus religiosis agitari cœptum, diemque ad* XV. *Calen. Sextiles duplici clade insignem, quo die ad Cremeram Fabii cæsi, quo deinde ad Alliam cum exitio Urbis fœde pugnatum, a posteriore clade Alliensem appellarunt, insignemque rei nullius publice privatimque agendæ fecerunt. Quidam quod postridie Idus Quintiles non litasset Sulpitius Tribunus militum, neque inventa pace Deum post diem tertium objectus hosti exercitus Romanus esset, etiam postridie Idus rebus divinis supersederi jussum: inde ut postridie Calendas quoque ac Nonas eadem religio esset, traditum putant.* Eadem & Gellius & Macrobius a veteribus scriptoribus repetita, etsi aliis verbis referunt, nisi quod secundam solum opinionem sequuntur. Sed hoc præterea Macrobius tradit dies ante IIII. Calen. Non. & Idus in nefastis habitos a quibusdam, cujus rei cum religio quæreretur, non aliam repertam esse, nisi quod Q. Claudius *Annalium* quinto libro cladem illam vastissimam pugnæ Cannensis acceptam scribit ante diem quartum Nonas Sextilis. Atque hæc quidem de iis diebus, in quibus comitia esse non poterant. Quibus cognitis, facile qui essent comitiales intelligimus. Qui enim nec fasti erant, nec nefasti aut religiosi, ii erant comitiales. Et de his quidem hactenus.

F I N I S.



HERA-

HERACLIDÆ PONTICI
DE
POLITIIS
GRÆCORUM
LIBELLUS.

CUM INTERPRETATIONE LATINA

NICOLAI GRAGII.

HERACLIDÆ DE POLITIIS GRÆCORUM LIBELLUS.

ΑΘΗΝΑΙΩΝ, *ATHENIENSIUM.*

Ἀθηναῖοι τὸ μὲν ἐξ ἀρχῆς ἐχρῶντο βασιλείᾳ. *Athenienses initio quidem regio imperio usi sunt.*

Συνοικήσαντος δὲ Ιωνος αὐτοῖς, τότε πρῶτον Ιωνες ἐκλήθησαν. *Dict: autem Jones tum primum, quum Jon ipsis cohabitaret.*

Πανδίων δὲ βασιλεύσας μετ' Ερεχθέα, διένειμε τὴν ἀρχὴν τοῖς υἱοῖς. *Pandion vero Rex ab Erechtheo imperii habenas suscipiens, Regnum filiis dispartitus est.*

Καὶ διετέλουν οὗτοι στασιάζοντες. *Exortæ deinde inter ipsos* (Athenienses) *dissensiones.*

Θησεὺς δὲ ἐκήρυξε καὶ συνεβίβασε τούτους ἐπ' ἴσῃ καὶ ὁμοίᾳ τιμῇ. οὗτος ἐλθὼν εἰς Σκῦρον ἐτελεύτησεν, ὠσθεὶς κατὰ πετρῶν ὑπὸ Λυκομήδους, φοβηθέντος μὴ σφετερίσηται τὴν νῆσον. *Itaque Theseus convocans eos conciliavit æquato ipsorum inter se honore. Postea quum is* (Theseus) *Scyrum accessisset, fato functus est, præcipitatus de saxis quibusdam a Lycomede, quod timeret ne insula,* (sua) *spoliaretur.*

Ἀθηναῖοι δὲ ὕστερον περὶ τὰ Μηδικὰ μετεκόμισαν αὐτοῦ τὰ ὀστᾶ. *Cujus ossa Athenienses* (moniti oraculo) *temporibus belli Medici domum reportarunt.*

* Ἀπὸ δὲ Κοδριδῶν οὐκ ἔτι βασιλεῖς ᾑροῦντο, διὰ τὸ δοκεῖν τρυφᾶν, καὶ μαλακοὺς γεγονέναι. Ἱππομένης δὲ εἷς τῶν Κοδριδῶν βουλόμενος ἀπώσασθαι τὴν διαβολὴν, λαβὼν ἐπὶ τῇ θυγατρὶ Λειμώνῃ μοιχὸν, ἐκεῖνον μὲν ἀνεῖλεν ὑποζεύξας μετὰ τῆς θυγατρὸς τῷ ἅρματι τὴν δὲ ἵππῳ συνέκλεισεν ἕως ἀπόληται. *Deinde post Codridas* (Codri Regis posteros) *Reges amplius nulli creati, quod luxu ii diffluere viderentur, & molles effœminatique evadere. Quam calumniam volens diluere Hippomenes, unus ex Codridis, filia Limone cum adultero comprehensa, illum necavit currui junctum una cum filia, illam vero postea cum equo inclusit donec moreretur.*

Τοὺς μετ' Κύλωνος, διὰ τὴν τυραννίδα, ἐπὶ τὸν βωμὸν τῆς θεᾶς πεφευγότας, οἱ περὶ Μεγακλέα ἀπέκτειναν, καὶ τοὺς δράσαντας ὡς ἐναγεῖς ἤλαυνον. *Cylonem cum sociis tyrannidem invadere conantem, quum irrito conatu ad aram Deæ confugissent, qui cum Megacle faciebant interfecerunt. Quod qui patrarant, ut piaculo obnoxii, urbe pulsi.*

Σόλων νομοθέτης Ἀθηναίων χρεῶν ἀποκοπὴν, τὴν σεισάχθειαν λεγομένην. ὡς δὲ διώχλουν αὐτῷ τινες περὶ τῶν νόμων, ἀπεδήμησεν εἰς Αἴγυπτον. *Solon Atheniensium legislator novarum tabularum auctor extitit, & sisachthian dictam* (id est, æris decisionem vel remissionem) *introduxit. Cui quum periculum crearent quidam, propter leges ab ipso latas, profectus est in Ægyptum.*

Πεισίστρατος τριάκοντα τρία ἔτη τυραννήσας, γηράσας ἀπέθανεν. *Pisistratus triginta annos tyrannidem tenuit, in extrema senecta mortuus.*

Ἵππαρχος ὁ υἱὸς Πεισιστράτου παιδιώδης ἦν καὶ ἐρωτικὸς καὶ φιλόμουσος. Θεσσαλὸς καὶ θρασύς. Τοῦτον τυραννοῦντα μὴ δυνηθέντες ἀνελεῖν, Ἵππαρχον ἀπέκτειναν τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ. *Hipparchus Pisistrati F. puerilis erat, ac tum amoribus, tum literis deditus: Thessalus minor natu, audax. Hunc tyrannidem tenentem quum interimere non possent, fratrem ejus Hipparchum interfecerunt.*

Ἱππίας δὲ πικρότερον ἐτυράννει, καὶ τὸν περὶ ὀστρακισμοῦ νόμον εἰσηγήσατο, ὃς ἐτέθη διὰ τοὺς τυραννιῶντας. Καὶ ἄλλοι τε ὠστρακίσθησαν, καὶ Ξάνθιππος καὶ Ἀριστείδης. *Hippias acerbior utroque tyrannus extitit, cujus fertur lex esse de ostracismo, lata adversus tyrannidem affectante. Ac quum multi alii hac ostracismi lege in exilium acti sint, tum vero Xantippus & Aristides.*

Ἐφιάλτης τοὺς ἰδίους ἀγροὺς ὀπωρίζειν παρεῖχε τοῖς βουλομένοις, ἐξ ὧν πολλοὺς ἐδείπνιζε. *Ephialtes permisit ex agris suis fructus decerpere qui vellent, unde multos aluit.*

Κλέων παραλαβὼν διέφθειρε τὸ πολίτευμα, καὶ ἔτι μᾶλλον οἱ μετ' αὐτόν. οἱ πάντας ἀνομίας ἐνέπλησαν, καὶ ἀνεῖλον οὐκ ἐλάττους χιλίων πεντακοσίων. *Cleon quum in magistratu esset, Rempub. perdidit, multoque magis qui eum secuti sunt. Ita enim se erga omnes gesserunt, ut nullum scelerum modum facerent, sustuleruntque non pauciores mille quingentis.*

Τούτων δὲ καταλυθέντων, Θρασύβουλος καὶ Ρίνων προεστήκεισαν, ὃς ἦν ἀνὴρ καλὸς κἀγαθός. *Horum eversa tyrannide, Thrasybulus & Rhinon Reipub præfuerunt, uterque vir bonus & probus.*

Θεμιστοκλῆς καὶ Ἀριστείδης, καὶ ἡ ἐξ Ἀρείου πάγου βουλὴ πολλὰ ἐδυνάντο, καὶ τῶν ὁδῶν ἐπεμελοῦντο, ὅπως μή τινες ἀνοικοδομῶσιν αὐτὰς, ἢ δρυφάκτους ὑπερτείνωσιν. *Themistocles & Aristides cum*

* Locus corruptus: vide Suidam *in* ἱππομένης.

A *Senatu Areopagitico plurimum etiam in Repub. potuerunt, quibus in primis viæ curæ erant* (quum urbs restauraretur) *ne quis eas inædificaret, vel cancellos ad eas positos excederet.*

Ὁμοίως δὲ καθιστᾶσι καὶ τοὺς ἕνδεκα, τοὺς ἐπιμελησομένους τῶν ἐν τῷ δεσμωτηρίῳ. *Item crearunt* (Athenienses) *undecim viros, qui servarent carcere inclusos.*

Εἰσὶ δὲ καὶ ἐννέα ἄρχοντες ὧν θεσμοθέται, καὶ οἱ δοκιμασθέντες ὀμνύουσι δικαίως ἄρξειν, καὶ δῶρα μὴ λήψεσθαι, ἢ ἀνδριάντα χρυσοῦν ἀναθήσειν. *Sunt & novem archontes, ex quibus Thesmothetæ* (sex) *qui simulac probati essent, solemne juramentum* B *præstare solebant, juste se in magistratu versaturos, dona non accepturos, nec auream statuam posituros.*

Ὁ δὲ βασιλεὺς τὰ κατὰ τὰς θυσίας διοικεῖ, καὶ τὰ πολέμια. *Rex autem* (qui dicebatur ex novem Archontibus) *quæ ad sacrificia spectant administrabat, & bellica* (polemarchi.)

ΛΑΚΕΔΑΙΜΟΝΙΩΝ, *LACEDÆMONIORUM.*

Τὴν Λακεδαιμονίων πολιτείαν τινὲς Λυκούργῳ προσάπτουσι πᾶσαν. *Quidam Lycurgum omnium* C *institutorum Reipublicæ Spartanæ auctorem agnoscunt.*

Ὁ δ' Ἀλκμὰν οἰκέτης ἦν Ἀγησίδου, εὐφυὴς δὲ ὢν ἠλευθερώθη, καὶ ποιητὴς ἀπέβη. *Alcman quum verna esset Agesidæ, ac videretur ipsi præclari ingenii esse, manumissus est, tandemque poeta extitit.*

Λυκοῦργος ἐν Σάμῳ ἐτελεύτησε. *Lycurgus in Samo diem obiit.*

Καὶ τὴν Ὁμήρου ποίησιν παρὰ τῶν ἀπογόνων Κρεοφύλου λαβὼν, πρῶτος διεκόμισεν εἰς Πελοπόννησον. *Is Homeri poemata apud Creophyli posteros* D *nactus, primus in Peloponesum asportavit.*

Καταλαβὼν δὲ πολλὴν ἀνομίαν ἐν τῇ πατρίδι, καὶ τὸν Χάριλλον τυραννικῶς ἄρχοντα, μετέστησε καὶ κοινὸν ἀγαθὸν τὰς ἐκεχειρίας κατέστησε. *Ut vero intellexit spretis legibus in patria multa inique geri, & Charillum per tyrannidem imperio abuti, rediit & inducias magno omnium bono constituit.*

Λέγεται δὲ τὴν κρυπτὴν εἰσηγήσασθαι, καθ' ἣν ἔτι καὶ νῦν ἐξιόντες ἡμέρας κρύπτονται· τὰς δὲ νύκτας μεθ' ὅπλων * κρύπτονται, καὶ ἀναιροῦσι τῶν εἱλωτῶν ὅσους ἂν ἐπιτήδειον ᾖ. *Idem perhibetur* E *& Cryptam* (seu *Cryptiam* quam vocarunt) *introduxisse, qua recepto etiamnum more exeuntes* (juvenes) *interdiu occultantur: Noctu vero cum armis prodeuntes, quotquot oportune poterant ex Helotis interficiunt.*

Καθιστᾶσι δὲ καὶ Ἐφόρους, οἳ μέγιστον οὗτοι δύνανται. οὐδενὶ γὰρ ἐπανίστανται πλὴν βασιλεῖ καὶ Ἐφόρῳ. *Creant & Ephoros* (Lacedæmonii) *quibus summa in Republica potestas. Nulli enim assurgunt* (Lacedæmonii) *præterquam Regi & Ephoro.*

Ὅταν δὲ τελευτήσῃ βασιλεὺς, τρεῖς ἡμέρας οὐ- F δὲν πωλεῖται, καὶ ἀχύροις ἡ ἀγορὰ καταπάσσεται. *Quum Regem mori contingit, triduo nihil venditur, sed paleis forum conspergitur.*

Λακεδαιμόνιοι τὸν Λέσβιον ᾠδὸν ἐτίμησαν. τούτου γὰρ ἀκούειν ὁ θεὸς χρησμῳδουμένους ἐκέλευε. *Lacedæmonii Lesbium cantorem sed vatem magnifaciunt. Nam hunc audire quum oraculum consuluissent jussi sunt.*

Πωλεῖν δὲ γῆν Λακεδαιμονίοις αἰσχρόν. νενομίσθαι τῆς ἀρχείας μοίρας νενεμῆσθαι οὐδ' ἔξεστι. *Turpe Lacedæmoniis terram suam vendere. Quin & lege sancitum erat de veteri sorte, quod nec eam fas sit dividi.*

* Lege ἔρχονται.

Τῶν ἐν Λακεδαίμονι γυναικῶν κόσμος ἀφῄρηται. οὐδὲ κομᾷν ἔξεστι οὐδὲ χρυσοφορεῖν. *Fœminis Spartanis ornatus omnis interdictus. Neque licet eis se comere vel aurum gestare.*

Τρέφουσι δὲ τὰ τέκνα, ὥστε μηδέποτε πληροῦν, ἵνα ἐθίζωνται δύνασθαι πεινῆν. *Pueros suos nutriunt citra repletionem, ut assuescant quum opus est famem tolerare.*

Ἐθίζουσι δὲ αὐτοὺς καὶ κλέπτειν, καὶ τὸν ἁλόντα κολάζουσι πληγαῖς, ἵν' ἐκ τούτου πονεῖν καὶ ἀγρυπνεῖν δύνωνται ἐν τοῖς πᾶσιν πολέμοις. *Assuefaciunt eos item ad furandum, & deprehensum flagris cædunt, ut hoc rudimento edocti labores & vigilias bellicas sustinere possint.*

Μελετῶσι δὲ ἐκ παίδων εὐθὺς βραχυλογεῖν, εἶτα ἐμμελῶς καὶ σκώπτειν καὶ σκώπτεσθαι. *Quin & student inde usque a pueritia breviter dicere, prætereaque argute cavillari & excipere cavilla.*

Εὐτελεῖς δὲ ταφαὶ, καὶ ἴσαι εἰσί. *Sepulturæ minime illis sumtuosæ, & omnibus æquales.*

Πέττει δ' ἐν αὐτοῖς σῖτον οὐδείς. οὐδὲ γὰρ ἄλευρα κομίζουσιν, σιτοῦνται δὲ ἄλφιτα. *Triticum inter eos pinsitat nemo. Neque enim farinam conferunt,* (ad Syssitia) *sed hordeo vescuntur.*

Ὅτι τοὺς εἵλωτας κατεδούλωσαν μέν ποτε Λακεδαιμόνιοι, Θετταλοὶ δὲ τοὺς πενέστας. *Quod Lacedæmonii olim Helotas in servitutem redegerunt, ac Thessali penestas.*

Ὅτι ὅτε Λακεδαιμόνιοι Μεσσηνίοις ἐπολέμουν, γυναῖκες ἀπόντων τούτων παῖδάς τινας ἐγέννησαν, οὓς ἐν ὑποψίαις εἶχον οἱ πατέρες, ὡς οὐκ ὄντας αὐτῶν, καὶ παρθενίους ἐκάλουν, οἳ δ' ἠγανάκτουν. *Quod Lacedæmoniis bello adversus Messenios occupatis, uxores eorum liberos genuerunt, quos patres ut adulterinos suspectos habuerunt, ideoque Parthenios vocarunt; quod illi indigne tulerunt.*

ΚΡΗΤΩΝ, *CRETENSIUM.*

Τὴν Κρητικὴν πολιτείαν λέγεται πρῶτος καταστῆσαι Μίνως, πρακτικός τε ἅμα νομοθέτης σπουδαῖος γενόμενος. ἐποιεῖτο δὲ δι' ἐννάτου ἔτους τὴν ἐπανόρθωσιν τῶν νόμων. Ὅτι δὲ ἀρχαιοτάτη τῶν πολιτειῶν ἡ Κρητική, ἐμφαίνει καὶ Ὅμηρος, λέγων τὰς πόλεις αὐτῶν εὖ ναιεταώσας. καὶ Ἀρχίλοχος ἐν οἷς ἐπισκώπτων τινά φησιν. * νόμος δὲ Κρητικὸς διδάσκεται. *Minos fertur princeps Rempublicam Cretensem constituisse. Erat is non solum rebus gestis clarus, sed etiam Legislator in primis equus ac bonus. Novem autem annorum spacio erat in corrigendis suis legibus occupatus. Quod autem Cretensium Respublica longe sit antiquissima, auctor locuples Homerus, quum ait eorum urbes bene habitatas seu constitutas. Et Archilochus quendam cavillans ait: docetur lex Cretensis,* vel *instituitur legibus Cretensibus.*

Οἱ παῖδες οἱ ἐν Κρήτῃ μετ' ἀλλήλων διαιτῶνται, ἑνὶ ἱματίῳ θέρους καὶ χειμῶνος. *Pueri Cretensium simul degunt, unica veste æstate & hyeme contenti.*

Ἀθροίζονται ἀγέλαι τούτων, καὶ ἐφ' ἑκάστης ἄρχων γίνεται, ὃν καλοῦσι ἀγελάτην. *Congregantur autem per turmas, ac cuilibet turmarum præest magistratus, quem Agelaten* (seu turmæ ducem) *dicunt.*

Καὶ ἀθροίζει αὐτοὺς ὅπου θέλει, καὶ ἐπὶ θήραν ἐξάγει. *Is etiam cogit eos in unum ubi vult, atque ad venationem educit.*

Καὶ τὰ πολλὰ κοιμῶνται ἀλλήλων. *Ut plurimum etiam una somnum capiunt.*

* Lege νόμους δὲ Κρητικούς.

Ποιοῦνται δὲ καὶ μάχας κατὰ νόμον πυὺξ τε καὶ ξύλοις, καὶ ὅταν συμβάλωνται, αὐλοῦσί τινες αὐτοῖς, κιθαρίζουσιν. καὶ πρὸς ἀνδρίαν καὶ καρτερίαν ἐθίζονται. γράμματα δὲ μόνον παιδεύονται, καὶ ταῦτα μετρίως. *Pugnant inter se* (pueri) *ex* Legis *instituto calcibus & fustibus, quumque congrediuntur, sunt qui ipsis tibias accinunt, & citharam pulsant. Atque ad fortitudinem quidem & tolerantiam assuefiunt: sed literas eatenus tantum discunt, ut mediocriter attingant.*

Ταῖς δὲ πρὸς τοὺς ἄῤῥενας ἐρωτικαῖς ὁμιλίαις ἐοίκασι πρῶτοι κεχρῆσθαι, καὶ οὐκ αἰσχρὸν παρ' αὐτοῖς τοῦτο. Οταν δὲ κρατήσωσιν ἀπάγουσιν εἰς ὄρος, ἢ τοὺς ἑαυτῶν χώρους, κἀκεῖ ἑστιῶνται ἡμέρας ἑξήκοντα (πλείους γὰρ οὐκ ἔξεστι) καὶ δίδωσιν ὁ φιλήτωρ ἐσθῆτα, καὶ ἄλλα δῶρα, καὶ βοῦν. *Videntur autem primo* (Cretenses) *nisi congressibus cum pueris masculis amoris causa, neque in eo est apud illos aliquid turpitudinis. Nam si quos amare instituunt obtinent, abducunt eos in montem, aut in agros suos, ibique convivantur ad dies sexaginta, (ulterius enim non licet.) Tum vero amator veste eum donatum dimittit, addens præter alia dona etiam bovem.*

Διαιτῶνται δὲ Κρῆτες πάντες καθήμενοι θρόνοις. Αρχονται δὲ τῶν παρατιθεμένων ἀπὸ τῶν ξένων. μετὰ δὲ τοὺς ξένους τῷ Αρχοντι διδοῦσι τέσσαρας μοίρας· μίαν μὲν τὴν καὶ τοῖς ἄλλοις· δευτέραν δὲ ἀρχικήν· τρίτην δὲ τοῦ οἴκου. τετάρτην δὲ τῶν σκευῶν. *Cretenses omnes thronis* (seu *sellis*) *insidentes cibum capiunt. Auspicantur autem a peregrinis epulas appositas distribuendo. Post eos deinde ad archontem seu principem veniunt, cui quatuor portiones largiuntur: Unam quam aliis communicet: Alteram quæ ipsius Archontis sit: Tertiam quam domesticorum esse volunt: Quartam unde supellectilem paret.*

Καθόλου δὲ πολλὴ φιλανθρωπία τοῖς ξένοις ἐστὶν ἐν Κρήτῃ, καὶ εἰς προεδρίαν καλοῦνται. *Prorsus autem apud Cretenses magna humanitas peregrinis exhibetur, & supremus accubitus iis defertur.*

ΚΥΡΗΝΑΙΩΝ, *CYRENENSIUM*.

Κυρήνην ᾤκισε Βάττος, ὃς ἐκαλεῖτο πρότερον Αριστοτέλης. τῆς δὲ Πυθίας Βάττον αὐτὸν εἰπούσης, ὄνομα τοῦτο ἔσχηκεν. οὗτος ἦλθεν εἰς Δελφοὺς περὶ τῆς φωνῆς πευσόμενος. ἦν γὰρ ἰσχνόφωνος. τοῦ δὲ Θεοῦ κελεύοντος κτίζειν Λιβύην, τὸ μὲν πρῶτον ὁρμήσας ἠδυνάτησε. *Battus Cyrenes conditor, prius Aristotelis nomine appellatus fuit. Simulatque vero a Pythia Battus appellatus est, exinde id nominis retinuit. Venit autem Delphos consulturus oraculum de voce. Quoniam exilis vocis factus. Jubente itaque Deo in Libyam migrare, irrito id conatu initio tentavit.*

Φερετίμη δὲ ἡ μήτηρ Αρκεσιλάου ἐβασίλευσε χαλεπὴ, καὶ περιέργος. Πολεμοῦσα γοῦν πρὸς Βαρκαίους, λαβοῦσα δὲ τὴν Βάρκην, τοὺς μὲν ἄνδρας ἀνεσκολόπισε, τῶν δὲ γυναικῶν τοὺς μαστοὺς ἐξέτεμε, μετ' οὐ πολὺ δὲ ζῶσα κατεσάπη. *Pheretima autem Arcesilai mater, & ipsa regnum obtinuit, fœmina admodum austera & curiosa. Ea bellum faciens Barcæis, quum* (urbem eorum) *Barcen occupasset, viros in crucem egit, mulieribus mammas amputavit. Nec multo post ipsa putrefacta contabuit.*

Βοῦττος δὲ ἐβασίλευσεν ὁ καλὸς, ἕβδομος ὢν ἀπὸ τοῦ πρώτου. *Bessus quinetiam Rex ibi fuit, cognomento pulcher, septimus videlicet a primo* (Batto.)

Αρκεσιλάου δὲ βασιλεύοντος λευκὸς κόραξ ἐφάνη, περὶ οὗ λόγιον ἦν χαλεπόν. *Arcesilao autem regnante, candidus apparuit corvus, de quo grave ferebatur oraculum.*

Δημοκρατίας δὲ γενομένης Βοῦττος εἰς Εσπερίδα ἐλθὼν ἀπέθανε, καὶ τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ λαβόντες κατεπόντισαν. *Quum ad statum popularem Respublica recidisset, Bessus ad Hesperidas profectus ibi oppetiit mortem: cujus caput accipientes in mare demerserunt.*

Νόμος δὲ ἦν τοὺς πολυδίκους, καὶ κακοπράγμονας ὑπὸ τῶν Εφόρων προάγεσθαι, καὶ ζημιοῦν τούτους, καὶ ἀτίμους ποιεῖν. *Lex erat* (Cyrenæis) *uti multas controversias moventes & malas causas agentes, ab Ephoris ad judicium adducerentur, multaque eis irrogaretur, ac infames fierent.*

ΚΟΡΙΘΙΩΝ, *CORINTHIORUM*.

Κόρινθος Εφύρα πρότερον ἐκαλεῖτο μέχρι Κορίνθου, ἀφ' οὗ τοὔνομα ἔσχεν. *Corinthus prius quidem Ephyra dicebatur usque ad tempora Corinthi* (Regis) *a quo deinde nomen sumsit* (Corinthi.)

Εβασίλευσε δὲ καὶ Βακχαῖος ὁ τρίτος, χωλὸς καὶ εὐτελὴς τὴν ὄψιν, καλῶς τε ἄρχων καὶ πολιτικῶς. ᾧ θυγατέρες μὲν τρεῖς, υἱοὶ δὲ ἑπτὰ, οἱ τὸ γένος οὕτως ηὔξησαν, ὥστε Βακχιάδας ἀντὶ Ηρακλειδῶν καλεῖσθαι τοὺς ἀπ' αὐτῶν. *Regnum tenuit & Bacchæus tertius, qui etsi claudus quidem & deformis, tamen juste & moderate id administravit. Ei filiæ tres fuerunt & filii septem, per quos ita soboles ejus aucta, ut Bacchiadæ dicerentur pro Heraclidis, qui iis successerunt.*

Περίανδρος δὲ πρῶτος μετέστησε τὴν ἀρχὴν δορυφόρους ἔχων, καὶ οὐκ ἐπιτρέπων ἐν ἄστει ζῆν. *Periander primus Rempublicam immutavit, satellitium sibi sumens, neque ulli in urbe degere permittens.*

Ετι δὲ δούλων κτῆσιν καὶ τρυφὴν ὅλως περιαιρῶν, μέτριος δὲ ἦν ἐν ἄλλοις, τῷ τε μηδένα τέλος πράσσεσθαι, ἀρκεῖσθαι τε τοῖς ἀπὸ τῆς ἀγορᾶς, καὶ τῶν λιμένων. *Deinde servos adimens, & deliciari prohibens, in reliquis moderate se gessit, a nemine tributum exigendo, sed contentus venalium vectigalibus & portoriis.*

Καὶ τῷ μήτε ἄδικος, μήτε ὑβριστικὸς εἶναι, μισοπόνηρος δὲ τὰς προαγωγοὺς πάσας κατεπόντισε. *Quumque neque injustus, nec violentus esset, odio autem habuit flagitia, ac quæ se prostituissent omnes mari demergi jussit.*

Βουλὴν δὲ ἐπ' ἐσχάτων κατέστησεν, οἷ οὐκ *ἐφίεσαν δαπανᾶν πλέον, ἢ κατὰ τὰς προσόδους. *Ad extremum Senatum sibi constituit, cui non permisit plus consumere, quam pensiones ferrent.*

ΗΛΕΙΩΝ, *ELEORUM*.

Παντολέων ἐβασίλευσεν ἐν τούτοις ὑβριστὴς, καὶ χαλεπός. *Pantoleon inter hos* (Eleos) *regnavit, per contumeliam & proterviam multa patrans.*

Οὗτος πρέσβεις πρὸς αὐτὸν ἐλθόντας ἐκτεμὼν, ἠνάγκασε καταφαγεῖν τοὺς ὄρχεις. *Is legatos ad se missos secans & castrans, testiculos suos vorare coegit.*

ΤΕΝΕΔΙΩΝ, *TENEDIORUM*.

Τένεδος ἡ νῆσος, τὸ μὲν ἐξ ἀρχῆς Λεύκοφρυς ἐκαλεῖτο. χρόνῳ δὲ ὕστερον πρὸ τῶν Τρωϊκῶν Τέννης διενεχθεὶς πρὸς τὸν πατέρα, συνῴκισεν αὐτήν. *Tenedus insula* (Cycladum una) *initio Leucophrys dicebatur. Postea ante tempora Trojana Tennes, quum pater ei infensus esset, hanc inhabitavit.*

Λέγεται δὲ καταψευσαμένης αὐτοῦ τῆς μητρυιᾶς, καταμαρτυρήσαντος αὐλητοῦ τινος βιάζεσθαι ταύτην, εἰς λάρνακα ἐμβληθεὶς ὑπὸ τοῦ πατρὸς Κύκνου, καὶ εἰς θάλασσαν ῥιφεὶς, διασωθῆναι πρὸς τὴν νῆσον. διὰ δὲ τὸ καταψεύσασθαι τὸν αὐλητὴν, διὸ οὐ νόμιμον

* Lege ἐφίεσαν.

εἰς τὸ ἱερὸν αὐλητὴν εἰσιέναι. *Fertur autem noverca hanc calamitatem ei mendacio machinata, attestante quodam tibicine, quod vim ei intulisset. Itaque is in arcam a patre Cygno injectus, & in mare projectus, ad insulam hanc incolumis emersit. Quod autem tibicen falso de ipso testatus esset, eo factum, ut fas non sit tibicinem templum subire* (in Tenedo.)

Ὅτι Ἀμαυρὸς χωλὸς τοὺς πόδας, ἐβασίλευσε ταύτης. *Regnavit & in Tenedo Amaurus pedibus claudus.*

Νόμον δέ τινα φασὶ τὸν βασιλέα Τέννην θέσθαι, εἴτις λάβοι μοιχὸν ἀποκτείνειν τοῦτον πελέκει. ἁλόντος δὲ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ, καὶ τοῦ λαβόντος ἐρομένου τὸν βασιλέα τί χρὴ ποιεῖν, ἀποκρίνασθαι τῷ νόμῳ χρῆσθαι. Καὶ διὰ τοῦτο τοῦ νομίσματος αὐτοῦ ἐπὶ θάτερα πέλεκυς κεχάρακται, ἐπὶ θάτερα δὲ ἐξ ἑνὸς αὐχένος πρόσωπον ἀνδρὸς καὶ γυναικός. Καὶ ἐκ τούτου λέγεται ἐπὶ τῶν ἀποτόμων, τὸ ἀποκεκόφθαι Τενεδίῳ πελέκει. *Legem quandam* (Tenediis) *tulit Tennes, qua licebat adulterum deprehensum securi necare. Quum itaque filius ejus esset captus, interrogante Regem qui ceperat, quid ei faciendum, respondebat, lege utendum. Quapropter & nummo ejus ab una parte securis excusa, ab altera facies viri & mulieris uno collo juncta. Unde proverbium de austeris & rigidis, ut dicantur Tenedia securi secta.*

ΠΑΡΙΩΝ, *PARIORUM.*

Πάρον τὴν νῆσον ᾤκισε Πάρος, Ἀρκαδίας λαὸν ἄγων. *In Paron insulam coloniam deduxit Parus, adducto populo ex Arcadia.*

Ἀρχίλοχον τὸν ποιητὴν Κόραξ ὄνομα ἔκτεινε, πρὸς ὅν φασιν εἰπεῖν τὴν Πυθίαν, ἔξιθι νηοῦ. τοῦτον δὲ εἰπεῖν, ἀλλὰ καθαρός εἰμι ἄναξ. ἐκ χειρῶν γὰρ νόμῳ ἔκτεινα. *Quidam Corax dictus Archilochum poetam interfecit. Itaque Pythia ad eum ajebat, exi templo. Cui is respondit, At purus sum Rex. Cominus enim ut Lex jubet, interfeci* Archilochum.

ΚΩΩΝ, *COORUM.*

Ἐκαλεῖτο μὲν Ὑδροῦσα ἡ νῆσος. λέγονται δὲ οἰκῆσαι νύμφαι πρότερον αὐτήν φοβήσαντος δ' αὐτὰς Λέοντος, εἰς Κάρυστον διαβῆναι. διὸ καὶ ἀκρωτήριον τῆς Κῶ Λέων καλεῖται. *Coorum insula antiquitus appellabatur Hydrusa. Nymphæ autem prius dicuntur eam incoluisse, quas quum timeret Leo, in Carystum trajecit. Itaque promontorium quoddam in Coo Leon dictum.*

Κέως δ' ἐκ Ναυπάκτου διαβὰς ᾤκισε, καὶ ἀπ' αὐτοῦ ταύτην ὠνόμασαν. *Ceus vero quum ex Naupacto huc habitatum transisset, postea ab eo nomen insulæ indiderunt.*

Ἀρισταῖον δέ φασι μαθεῖν παρὰ νυμφῶν τὴν τῶν προβάτων καὶ βοῶν ἐπιστήμην· παρὰ δὲ Βρισῶν τὴν μελιτουργίαν, φθορᾶς οὔσης φυτῶν καὶ ζώων διὰ τὸ πνεῖν Ἐτησίας. *Aristæum perhibent a Musis edoctum scientiam ovium & boum pascendorum: A Brisis autem mellificii rationem, quum contigisset hic aliquando magna lues stirpibus & animantibus, propter continuos Etesiarum flatus.*

Ἀριστείδης ἐπεμελεῖτο γυναικῶν εὐκοσμίας. *Aristides fœminarum mores diligenti cura ordinavit.*

Καὶ τὸ παλαιὸν ὕδωρ ἔπινον οἱ παῖδες, καὶ αἱ κόραι μέχρι γάμου. *Antiquitus aquam hic bibebant pueri, itemque puellæ usque dum nuberent.*

Ἐν ταύτῃ τῇ νήσῳ τοῖς τελευτῶσιν οὐδὲν ἔστι, πένθος ἐν ἀνδράσι περὶ ἐσθῆτα, ἢ κουράν. μητρὶ δὲ νέου τελευτήσαντος, ἐνιαυτός. *In hac insuper insula viris fas non est lugere fato functos, aut vestibus, aut rasura. Matri autem adolescentis mortui, annus luctus non interdictus.*

Οὔσης δὲ ὑγιεινῆς τῆς νήσου, καὶ εὐγήρων τῶν ἀνθρώπων, μάλιστα δὲ τῶν γυναικῶν, οὐ περιμένουσι γηραιοὶ τελευτήν, ἀλλὰ πρὶν ἀσθενῆσαι, ἢ πηρωθῆναί τι, οἱ μὲν μήκωνι, οἱ δὲ κωνείῳ ἑαυτοὺς ἐξάγουσι. *Quum salubri cœlo fruatur hæc insula, & extremam senectam attingere ibi hominibus detur, præsertim fœminis, non expectant tamen provectæ ætatis qui sunt, fatum suum, sed illud antevertunt priusquam vel imbecillitas accedat, vel parte aliqua manci fiant, ita ut hi quidem papavere, illi vero cicuta sibi ipsis vitam eripiant.*

ΣΑΜΙΩΝ, *SAMIORUM.*

Σάμον τὸ μὲν ἐξ ἀρχῆς ἐρήμην οὖσαν λέγεται κατέχειν πλῆθος θηρίων μεγάλην φωνὴν ἀφιέντων. ἐκαλοῦντο δὲ τὰ θηρία νηΐδες, ἡ δὲ νῆσος Παρθενία, ὕστερον δὲ Δρυοῦσα. *Samus initio deserta fuit. Tenuit vero eam permagna bestiarum copia, quæ immanem vocem ediderunt. Dictæ bestiæ Neides. Ipsa autem insula nuncupata Parthenia, ac postea Dryusa.*

Ἐβασίλευσεν αὐτῶν Ἀγκαῖος, ἐφ' οὗ, πολλὰ μεταξὺ πέλει κύλικος καὶ χείλεος ἄκρου, παροιμία ἐῤῥέθη. *Hic Rex fuit Ancæus, cujus fertur scitum illud proverbio jactatum:*

Multa cadunt inter calicem supremaque labra.

Ὅτι ἐν τοῖς Σαμίοις ἐφάνη λευκὴ χελιδὼν οὐκ ἐλάττων πέρδικος, *In Samiis visa hirundo alba, nihilo perdice minor.*

Φερεκύδης ὁ Σύριος ὑπὸ φθειρῶν καταβρωθεὶς ἐν Σάμῳ ἐτελεύτησεν, ὅτε καὶ ἐλθόντι Πυθαγόρᾳ τὸν δάκτυλον διὰ τῆς ὀπῆς ἔδειξε περιεψιλωμένον. *Pherecydes Syrius a pediculis corrosus in Samo diem obiit, qui Pythagoræ ad se accedenti digitum per foramen exertum ostendit carne undique nudatum.*

Αἴσωπος δὲ ὁ λογοποιὸς εὐδοκίμει τότε. ἦν δὲ Θρᾷξ τὸ γένος, ἠλευθερώθη δὲ ὑπὸ Ἰδμονος τοῦ κωφοῦ. ἐγένετο δὲ πρῶτον Ξάνθου δοῦλος. *Eadem tempestate celebre nomen Æsopi fabulatoris innotuit; qui ex Thracibus genus ducens, libertatem ab Idmone muto obtinuit. Fuerat enim prius Xanthi servus.*

Τὴν δὲ πολιτείαν τῶν Σαμίων Συλοσῶν ἠρήμωσεν, ἀφ' οὗ καὶ ἡ παροιμία, ἕκητι Συλοσῶντος εὐρυχωρίη. *Samiorum Rempublicam Syloson evertit. Unde natum proverbium,*

Sylesontis causa lata regio.

Ὅτι Θεαγένης τῶν Σαμίων τις εὐφυὴς μὲν, ἄλλως δὲ ἄσωτος καὶ πονηρὸς, φεύγων τὴν πατρίδα, διατρίβων δὲ Ἀθήνῃσι παρ' Εὐριπίδῃ, καὶ τὸ γύναιον αὐτοῦ διαφθείρων συνεργὸν αὐτὸν λαβὼν, πείθει τοὺς Ἀθηναίους δισχιλίους εἰς Σάμον ἀποστεῖλαι. οἱ δὲ ἐλθόντες πάντας ἐξέβαλον. *Contigit aliquando, ut quidam Samius Theagenes nomine, ingenio non infelici, sed vitæ dissolutæ & malus, qui patria profugus Athenas accessit, ubi cum Euripide ita familiariter conversatus, ut tandem uxorem ejus corrumperet. Hunc adjutorem sibi nactus, persuadet Atheniensibus ut mitterent eo bis mille milites. Quos illi adducentes omnes expulerunt.*

ΚΥΜΑΙΩΝ, *CUMÆORUM.*

Τηλεφάνης ἐβασίλευσε ταύτης, ὃς ἐξεφύτευσε τὴν Κυμαίων χώραν. *In hac Republica primus regnavit Telephanes, qui & regionem Cumæorum plantis & stirpibus reddidit excultam.*

Λυδοὶ δὲ χαλεπῶς δεσποζόμενοι πρός τινος, πυθόμενοι ἐν Κύμῃ εἶναί τινα, ἔπεμψαν εἰς βασιλείαν καλοῦντες. οὗτος δὲ ἐτύγχανεν ἐν ἁμαξοπηγοῦ δουλεύων. δόντες οὖν οἱ Λυδοὶ λύτρα τούτῳ παρέλαβον αὐτόν. Τῶν δὲ ἐν Κύμῃ τὶς ἐκδεδωκὼς ἅμαξαν αὐτῷ, κατεῖχεν αὐτόν. παρακαλούντων δὲ πολλῶν, μὴ κωλύειν, οὐκ εἴα, προσεπικερτομῶν καὶ λέγων, περὶ πολλοῦ ποιεῖσθαι ὑπὸ τοῦ Λυδῶν βασιλέως εἰργασμένην ἔχειν ἅμαξαν. *Lydi autem quum gravi cujusdam dominatu affligerentur, moniti ab oraculo Cumis esse qui eos liberaret, miserunt legatos per quos eum ad regnum capessendum vocarent. Is autem in officina cujusdam fabri plaustrarii serviebat. Dato igitur fabro pretio pro ejus redemptione, receperunt eum. Quidam autem ex Cumæis, qui currum faciendum locaverat, detinuit eum. Quem tametsi multi rogarunt ne honori ejus officeret, non dimisit tamen, quin probrum adjecit, dicens; permagni se æstimare, quod ab Rege Lydorum factum currum habere posset.*

Ἑρμοδίκην, γυναῖκα τοῦ Φρυγῶν βασιλέως Μίδου, φασὶ κάλλει διαφέρειν, ἀλλὰ καὶ σοφὴν εἶναι, καὶ τεχνικήν, καὶ πρώτην νόμισμα κόψαι Κυμαίοις. *Hermodice, conjux Midæ Regis Phrygum, non solum fertur forma fuisse venustissima, sed & sapientia industriaque præstitisse, adeoque auctor primum Cumæis monetæ cudendæ extitisse.*

Ἔθος δὲ ἦν αὐτοῖς, εἰς τὰ κλοπιμαῖα συμβάλλεσθαι τοὺς γείτονας. διὸ καὶ ὀλίγα ἀπόλλυνται. πάντες γὰρ ὁμοίως ἐτήρουν. Καὶ Ἡσίοδος ἐντεῦθεν δοκεῖ λέγειν. *Moris erat apud eos, ut vicini omnes conferrent ad resarciendum quæ furto ablata. Quapropter pauca furto amittebantur, quod universi pariter sua aliorumque diligenter custodirent. Atque hinc videtur petitum quod apud Hesiodum est.*

Οὐκ ἂν βοῦς ἀπόλοιτ', εἰ μὴ γείτων κακὸς εἴη. *Bos tuus non facile perierit, ni vicinum malum habueris.*

Κῦρος δὲ καταλύσας τὴν πολιτείαν, μοναρχεῖσθαι αὐτοὺς ἐποίησεν. *Cyrus autem quum Rempublicam eorum evertisset, sub monarchia eos degere jussit.*

Φείδων ἀνὴρ δόκιμος πλείοσι μετέδωκε τῆς πολιτείας, νόμον θεὶς, ἕκαστον ἐπάναγκες τρέφειν ἵππον. *Phidon quidam vir admodum clarus, Rempub. omnibus in medio posuit, lege sancita, ut quilibet necessario equum aleret.*

Προμηθεὺς δέ τις ἀνὴρ δραστήριος καὶ ἱκανὸς εἰπεῖν, χιλίοις παρέδωκε τὴν πολιτείαν. *Prometheus autem quidam vir gnavus & dicendi peritus, mille civibus Reipublicæ potestatem tradidit.*

ΕΡΕΤΡΙΕΩΝ, *ERETRIENSIUM*.

Διαγόρᾳ εἰς Σπάρτην πορευομένῳ καὶ ἐν Κορίνθῳ τελευτήσαντι, Ἐρετριεῖς εἰκόνα ἔστησαν. *Postquam Diagoras Spartam abiisset, & Corinthii mortuus esset, posita est ei ab Eretriensibus statua.*

ΠΕΠΑΡΗΘΙΩΝ, *PEPARETHIORUM*.

Αὕτη ἡ νῆσος εὔοινός ἐστι, καὶ εὔδενδρος, καὶ σῖτον φέρει. *Hæc insula vini admodum ferax, nec non arboribus consita, & frumenti fertilis.*

ΛΕΠΡΕΑΤΩΝ, *LEPREATARUM*.

Λεπρεῖς οὓς ἂν λάβωσι μοιχοὺς περιάγουσι τρεῖς ἡμέρας τὴν πόλιν δεδεμένους, καὶ ἀτιμοῦσι διὰ βίου. τὴν δὲ γυναῖκα ἕνδεκα ἐπ' ἀγορᾶς ἄζωστον ἐν χιτῶνι διαφανεῖ ἱστᾶσι, καὶ ἀτιμοῦσι. *Lepreatæ adulteros comprehensos triduo per urbem circumducunt vinctos, & per totam vitam infames habent. Mulierem autem adulteram indutam perlucida veste sine cingulo, in foro per undecim dies statuunt, atque ita ignominia notant.*

ΛΥΚΙΩΝ, *LYCIORUM*.

Λύκιοι διῆγον λῃστεύοντες. νόμοις οὐ χρῶνται ἀλλ' ἔθεσι, καὶ ἐκ παλαιοῦ γυναικοκρατοῦνται. *Lycii vitam sustinuerunt ex latrociniis. Legibus autem non utuntur, sed consuetudinibus, dominanturque ipsis fœminæ inde usque ab initio.*

Πωλοῦσι δὲ τοὺς ψευδομάρτυρας, καὶ τὰς οὐσίας αὐτῶν δημεύουσι. *Falsi testimonii convictos divendunt, bonaque eorum in publicum redigunt.*

ΤΥΡΡΗΝΩΝ, *TYRRHENORUM*.

Οὗτοι τέχνας ἔχουσι πλείστας. *Hi artes plurimas exercent.*

Πάντες δὲ ὑπὸ τοῦ αὐτοῦ ἱματίου μετὰ τῶν γυναικῶν κατάκεινται, κἂν παρῶσί τινες. *Omnes sub eadem veste cum uxoribus concumbunt, quicunque tandem adsint.*

Καὶ τοὺς καταλύοντας ξένους φιλοῦσιν. *Hospites ad se divertentes quovis officio prosequuntur.*

Ὅταν δέ τις ὀφείλων χρέος μὴ ἀποδιδῷ, παρακολουθοῦσιν οἱ παῖδες, ἔχοντες κενὸν θυλάκιον εἰς δυσωπίαν. *Si quis debito obnoxius solvendo non sit, insequuntur eum pueri, vacuum gestantes marsupium in ejus contumeliam.*

ΜΟΛΟΤΤΩΝ, *MOLOSSORUM*.

Μολοττοὶ τῆς Ἀρτέμιδος συλήσαντες τὸ ἱερὸν, καὶ τοῦ ξοάνου χρυσοῦν ἀφελούμενοι στέφανον, θυσίαν ἐπίθεσαν ἀντ' αὐτοῦ. Τῶν δὲ Κεφαλήνων ἄλλον ἐπιθέντων, τοῦτον ἀπέβαλεν ἡ θεὸς, καὶ χαμαὶ κείμενος εὑρέθη. *Molossi expilato Dianæ fano, quum ex statua ejus coronam auream spoliassent, sacrificium pro ea obtulerunt. Cephalenii autem quum aliam coronam imposuissent, rejecit eam Dea, humique jacens inventa est.*

Κεφαλῆνες δὲ ἀπὸ τοῦ Κεφάλου ἐκλήθησαν. *Cephalenii autem a Cephalo* (Auroræ filio) *nomen adepti sunt.*

ΦΑΣΙΑΝΩΝ, *PHASIANORUM*.

Φᾶσιν ὡς τὸ ἐξαρχῆς Ἡνίοχοι κατῴκουν φῦλον ἀνθρωποφάγον, καὶ ἔκδειρον τοὺς ἀνθρώπους· ἔπειτα Μιλήσιοι. *Phasin initio habitarunt Heniochi, gens immanis cui homines excoriatos vorare in more positum erat: Postea Melesii.*

Φιλόξενοι δὲ εἰσὶν ὥστε τοὺς ναυαγοὺς ἐφοδιάζειν καὶ τρεῖς μνᾶς διδόντας ἀποπλεῖν. *Hospitales autem hi sunt adeo, ut naufragis viaticum præbeant, tresque minas abnavigantibus præstent.*

ΑΜΟΡΓΙΩΝ, *AMORGIORUM*.

Ἀμοργος οἶνον φέρει πολύν, καὶ ἔλαιον, καὶ ὀπώραν. *Amorgus abunde vinum producit, itemque oleum, & fructus.*

ΛΕΥΚΑΝΩΝ, *LUCANORUM*.

Λευκανοὶ φιλόξενοι καὶ δίκαιοι. *Lucani hospitales & justitiam colentes.*

Ἐβασίλευσε δὲ τούτων Λαμίσκος, ὃς εἶχε λύκου τὸν τρίτον δάκτυλον τοῦ ποδὸς ἀπὸ τοῦ μεγάλου. *Regnavit apud eos Lamiscus, cui tertius pedis digitus a maximo non dissimilis lupi erat.*

ΣΑΜΟΘΡΑΚΗ, *SAMOTHRACIA.*

Η Σαμοθράκη τὸ μὲν ἐξ ἀρχῆς ἐκαλεῖτο Λευκανία, διὰ τὸ λευκὴν εἶναι. ὕστερον δὲ Θρακῶν καταχόντων, Θρακία. *Samothracia initio dicta Leucania, eo quod alba sit. Postea quum Thraces eam occupassent, Thracia.*

Τούτων δὲ ἐκλιπόντων ὕστερον ἔτεσιν ἑπτακοσίοις, Σάμιοι κατῴκησαν αὐτὴν, ἐκπεσόντες τῆς οἰκίας, καὶ Σαμοθράκην ἐκάλεσαν. *Hisce deficientibus post annos septingentos, Samii patria extorres eam habitarunt, a quibus Samothracia dicta est.*

ΜΑΓΝΗΤΩΝ, *MAGNETUM.*

Οὗτοι δὲ ὑπερβολὴν ἀτυχημάτων πολλὰ ἐκακώθησαν, ὅθεν καὶ Ἀρχίλοχός φησι. *Hi ob incredibilem infortuniorum magnitudinem multis modis afflicti sunt. Unde Archilochus ait:*

Κλαίω θαλασσῶν, οὐ τὰ Μαγνήτων κακά.

Deploro marium, non Magnetum mala.

Ἱππότροφοι δ' εἰσὶν, ὃν τρόπον καὶ οἱ Κολοφώνιοι, πεδιάδα χώραν ἔχοντες. *Quum autem planam & campestrem incolant terram, equorum nutriendorum curæ in primis incumbunt, sicut Colophonii.*

Φάμις ἄρχων ἦν, καὶ τούτου υἱοὺς ὡς ἱεροσύλους συνέλαβον θύοντας. Ὃ φασι καὶ περὶ Αἴσωπον γενέσθαι. Καὶ γὰρ ἐκεῖνος ἐπὶ ἱεροσυλίᾳ διεφθάρη, φιάλης χρυσῆς φωραθείσης ἐν τοῖς στρώμασιν αὐτοῦ. *Phamis quidam princeps eorum erat, cujus filios comprehenderunt ut qui sacrilegium inter sacrificandum commisissent. Quod & Æsopo contigisse memorant. Nam & is tanquam sacrilegii reus necatus est, quum reperta fuisset in stragulis ipsius aurea phiala.*

ΑΘΑΜΑΝΩΝ, *ATHAMANUM.*

Ἐν τῇ Ἀθαμάνων χώρᾳ γεωργοῦσι μὲν αἱ γυναῖκες νέμουσι δὲ οἱ ἄνδρες. *In ea regione quam Athamanes habitant, mulieres terram colunt, viri greges pascunt.*

ΚΥΘΗΡΙΩΝ, *CYTHERIORUM.*

Κυθήριοι ὀπτῷ τυρῷ χρῶνται, καὶ σύκοις. φέρει γὰρ ἡ νῆσος πολλὰ, καὶ μέλι, καὶ οἶνον. *Cytherii asso caseo utuntur & ficubus. Est enim insula admodum fertilis, producens mel & vinum.*

Φιλάργυροι δέ εἰσι καὶ φιλόπονοι. *Sunt præterea* (incolæ) *avari & industrii.*

ΡΗΓΙΝΩΝ, *RHEGINORUM.*

Ῥήγιον ᾤκισαν Χαλκιδεῖς, οἱ ἀπ' Εὐρίπου διὰ λιμὸν ἀναστάντες. παρέλαβον δὲ καὶ ἐκ Πελοποννήσου τοὺς ἐν Μακίστῳ τυχόντας διὰ τὴν ὕβριν τῶν Σπαρτιάδων παρθένων. Καὶ συνῴκισαν πρῶτον περὶ τὸν Ἰοκάστου τάφον, ἑνὸς τῶν Διόλου παίδων, ὃν φασιν ἀποθανεῖν πληγέντα ὑπὸ δράκοντος. *Rhegium condiderunt Chalcidenses, qui ab Euripo fame compulsi migrarunt. Adjunxerunt autem sibi ex Peloponeso* (Messenios) *in quos Macisti inciderunt ob violatas virgines Spartanas* (exulantes.) *Habitarunt autem simul, initio apud Jocasti sepulcrum, qui unus filiorum Dioli erat, quem ferunt a Dracone læsum interiisse.*

Καὶ χρησμὸν ἔλαβον, ὅπου ἂν ἡ θήλεια τὸ ἄρρεν. καὶ ἰδόντες πρίνῳ περιπεφυκυῖαν ἄμπελον, τοῦτον εἶναι τὸν τόπον συνῆκαν. *Oraculum autem eis redditum fuerat, ut ibi fœmina virum* (* complecteretur, ibi urbem conderent.) *Itaque videntes vitem enatam circa ilicem, hunc locum forte sibi datum conjecerunt.*

Τὸ δὲ χωρίον ἐν ᾧ τὴν πόλιν ᾤκισαν, Ῥήγιον ἐκαλεῖτο ἀπό τινος ἐγχωρίου ἥρωος. *Locus ubi urbem condiderunt, Rhegium dicebatur ab Heroe quodam indigena ita nuncupatus.*

Πολιτείαν δὲ κατεστήσαντο ἀριστοκρατικήν. χίλιοι γὰρ πάντα διοικοῦσιν, αἱρετοὶ ἀπὸ τιμημάτων. *Rempublicam constituerunt Aristocraticam, electi ex censu mille, qui eam administrarent.*

Νόμοις δὲ ἐχρῶντο τοῖς Χαρώνδου τοῦ Καταναίου. *Legibus usi sunt, quarum auctorem Charondam Catanæum agnoscunt.*

Ἐτυράννησε δὲ αὐτῶν Ἀναξίλας Μεσσήνιος, καὶ νικήσας Ὀλύμπια ἡμιόνοις, εἱστίασε τοὺς Ἕλληνας. καί τις αὐτὸν ἐπέσκωψεν εἰπὼν, οὗτος τί ἂν ἐποίει νικήσας ἵπποις. *Tyranidem inter eos gessit Anaxilas Messenius, qui quum in certamine Olympico mulabus victor extitisset, Græcos convivio excepit. Unde jocum in eum jactans quidam dixit, Et quid hic fecisset, si equis vicisset?*

Ἐποίησε δὲ καὶ ἐπινίκιον Σιμωνίδης· *Epinicium* (seu carmen victoriale) *cecinit ei Simonides*, quod sic incipit:

Χαίρετ' ἀελλοπόδων θυγατέρες ἵππων.

Salvete velocium equorum filiæ.

Ἦσαν δὲ καὶ ἄλλοι δυναστευτικοὶ παρὰ τοῖς Ῥηγίνοις, *Fuerunt autem præterea & alii apud Rheginos, qui principatum in Republica sibi vendicarunt.*

ΚΟΡΚΥΡΑΙΩΝ, *CORCYREORUM.*

Κορκυραῖοι Διομήδην ἐπεκαλέσαντο, καὶ τὸν παρ' αὐτοῖς δράκοντα ἀπέκτεινεν. οἷς καὶ συνεμάχησε στόλῳ πολλῷ εἰς Ἰαπυγίαν ἐλθὼν πολεμοῦσαν πρὸς τοὺς Βρεντεσίους καὶ τιμῶν ἔτυχεν. *Corcyræi Diomedis opem implorarunt, qui Draconem apud eos exortum necavit. Illis præterea auxilio venit non exigua classe, appellens in Japygiam contra Brundusios bellum gerentem, quo nomine honores ei publici decreti.*

ΘΡΑΚΩΝ, *THRACUM.*

Γαμεῖ ἕκαστος τρεῖς καὶ τέσσαρας, εἰσὶ δὲ οἳ καὶ τριάκοντα, καὶ ὡς θεραπαίναις χρῶνται. Καὶ ἐκ περιουσίας οἱ γάμοι, καὶ ἐκ περιόδου συνεισιν αὐταῖς, καὶ λούει, καὶ διακονεῖ. καὶ πλεῖσται μετὰ τὴν χρῆσιν χαμαὶ κοιμῶνται. Κἂν δυσχεραίνῃ τις, οἱ γονεῖς ἀποδόντες ὃ ἔλαβον ἀπεκομίσαντο τὴν θυγατέρα. Τιμὴν γὰρ λαμβάνοντες συνάπτουσιν αὐτὰς, καὶ ἀποθανόντος τοῦ ἀνδρὸς. ὥσπερ τἄλλα, οὕτω καὶ τὰς γυναῖκας κληρονομοῦσι, *Quilibet Thracum tres quatuorve uxores ducunt, ac quidam etiam triginta, quibus tanquam ancillis utuntur. Sicut autem uxores multæ sunt, ita & ordine quodam quasi per circulum cum iis congrediuntur. Ea quæ marito potitur, lavat ei vestes & ministrat. Plurimæ earum, postquam eis mariti usi, humi dormire coguntur. Quod si quæ indigne id ferat, poterant parentes refundere pretium numeratum, ac domum reducere filiam. Pretio enim accepto jungunt eas matrimonio, mortuoque viro, sicut res aliæ, uxores defuncti hæreditate acquiruntur.*

* Tale aliquid in Græco videtur deesse, versu forte uno exemto.

ΜΙΝΩΩΝ, *MINOORUM.*

Μινώαν τὴν ἐν Σικελίᾳ, Μακάραν ἐκάλουν πρότερον. ἔπειτα Μίνως ἀκούων Δαίδαλον ἐνταῦθα μετὰ στόλου παραγεγονέναι, καὶ ἀναβὰς ἐπὶ τὸν Λύκον ποταμὸν, τῆς πόλεως ταύτης ἐκυρίευσε, καὶ νικήσας τοὺς Βαρβάρους, ἀφ' ἑαυτοῦ προσωνόμασεν αὐτὴν, νόμους Κρητικοὺς θεὶς αὐτῇ. *Minoam Siciliæ urbem, prius Macaram* (ac si *beatam* dicas) *nuncuparunt. Minos autem, quum intellexisset Dædalum* (se fugientem) *eo classe appulisse, ascendens per Lycum fluvium, urbe potitus est. Victis itaque Barbaris, ab se urbi nomen imposuit, legesque Creticas servare jussit.*

ΛΟΚΡΩΝ, *LOCRORUM.*

Ἐγένετο Λοκρὸς Ξενόκριτος τυφλὸς ἐκ γενετῆς ποιητὴς, καὶ Ἐράσιππος. *Xenocritus poeta, qui cæcus in lucem ex utero matris editus est, Locrensis fuit, ut item Erasippus.*

Παρ' αὐτοῖς ὀδύρεσθαι οὐκ ἔστιν ἐπὶ τοῖς τελευτήσασιν, ἀλλ' ἐπειδὰν ἐκκομίσωσιν εὐωχοῦνται. *Apud eos moris non est lugere mortuos, sed quum efferunt eos læti convivium agitant.*

Καπηλεῖον οὐκ ἔστι μεταβολικὸν ἐν αὐτοῖς, ἀλλ' ὁ γεωργὸς πωλεῖ τὰ ἴδια. *Nusquam apud eos mercatus sunt, ubi res commutare licet, sed quivis agricola sua vendit.*

Ἐὰν ἁλῷ τις κλέπτων τοὺς ὀφθαλμοὺς ἐξορύττεται. Ζαλεύκου υἱὸς ἑάλω, καὶ τῶν Λοκρῶν αὐτὸν ἀφιέντων, οὐχ ὑπέμεινεν. αὐτοῦ δὲ ἕνα, καὶ τοῦ υἱοῦ ἕνα ἐξεῖλεν. *Si quis convictus furti esset, effodiebantur ei oculi. Contigit autem ut Zaleuci filius furti reus convinceretur. cui quum Locrenses pœnam remitterent, non tulit* (id pater;) *sed sibi unum, alterum filio voluit erui* (oculum)

Πολέμαρχος ἐπιορκήσας τὸν τῶν Κορινθίων ἀπέφυγε στόλον, καὶ μυθολογοῦσιν ὅτε καθεύδοι νύκτωρ, τὰς γαλᾶς δάκνειν αὐτὸν, καὶ τέλος διαπορῶντα ἑαυτὸν ἀνελεῖν. *Polemarchus perjurio se obstringens Corinthiorum classem evasit, quem fabulantur idcirco noctu dormitantem a mustelis corrosum, ut tandem animum despondens sibi ipsi manus inferret.*

ΧΑΛΚΙΔΕΩΝ, *CHALCIDENSIUM.*

Κατῴκισαν δὲ καὶ Κλεωνὰς Χαλκιδεῖς οἱ ἐν τῷ Ἄθῳ ἐξαναστάντες ἐξ Ἐλυμίου, ὡς μὲν μυθολογοῦσι, ὑπὸ μυῶν, οἳ τά τ' ἄλλα κατήσθιον αὐτῶν, καὶ τὸν σίδηρον. *Chalcidenses præter alias urbes, quidam eorum etiam Cleonas in Atho monte condiderunt, videlicet qui Elymio a muribus* (*ut fabula eorum habet*) *pulsi sunt, quum non solum alias eorum res, sed & ferrum corroderent.*

Νόμος δὲ ἦν Χαλκιδεῦσι μὴ ἄρξαι, μήδε πρεσβεῦσαι νεώτερον ἐτῶν πεντήκοντα. *Lex autem apud Chalcidenses erat, ne magistratus vel legati munere fungeretur, qui annis quinquaginta minor esset.*

ΚΕΦΑΛΗΝΙΩΝ, *CEPHALENIORUM.*

Ἐν Κεφαλληνίᾳ Προμνήσου υἱὸς ἐκράτησε, καὶ χαλεπὸς ἦν, καὶ ἑορτὰς πλέον δυοῖν οὐκ ἐπέτρεπεν, οὐδ' ἐν πόλει διαιτᾶσθαι πλέον ἡμερῶν δέκα τοῦ μηνός, *In Cephalenia filius Promnesi regnavit, homo immitis & asper, qui civibus suis non nisi duo concessit festa, neque quot mensibus in urbe degere, nisi ad dies decem.*

Τάς τε κόρας πρὸ τοῦ γαμίσκεσθαι, αὐτὸς ἐγίνωσκεν. Ἀντήνωρ δὲ λαβὼν ξιφίδιον καὶ γυναικείαν ἐσθῆτα ἐνδυσάμενος, εἰς τὴν κοίτην ἀπέκτεινε. καὶ ὁ

A δῆμος αὐτὸν ἐτίμησε. καὶ ἡ κόρη ὑπὲρ ἧς αὐτὸς εἰσῄει ἐπὶ κλέος ἐγένετο. *Puellas antequam nuptum darentur, ipse cognovit. Antenor autem quidam sumto gladio vestem induit muliebrem, atque ita in lecto eum necavit. Quamobrem id honoris consecutus, ut principem eum crearent. Quin & puella, cujus ille sumta veste* (ad tyrannum) *ingressus, suis honoribus affecta est.*

Μαρτυρεῖ δὲ καὶ ἐκ Τυρρηνίας Ὅμηρος παραβαλεῖν εἰς Κεφαλληνίαν καὶ Ἰθάκην, ὅτε τοὺς ὀφθαλμοὺς λέγεται διαφθαρῆναι νοσήσας. *Testatur etiam Homerus se ex Tyrrhenia in Cephaleniam & Ithacam*
B *trajecisse, quum morbo correptus oculos amisisset.*

ΡΟΔΟΣ, *RHODUS.*

Ῥόδον τὴν νῆσον τὸ παλαιὸν κεκρύφθαι λέγουσιν ὑπὸ τῆς θαλάσσης· ἀναφανῆναι δὲ ὕστερον ξηρανθεῖσαν. *Rhodon insulam perhibent antiquitus in mari delituisse: postea arefactam emersisse.*

Ἐκαλεῖτο δὲ Ὀφιοῦσσα διὰ τὸ πλῆθος τῶν ἐνόντων ὄφεων. *Dicta autem initio Ophiusa* (quasi *serpentina*) *ob multitudinem serpentum, qui in ea exorti erant.*

C

ΕΦΕΣΟΣ, *EPHESUS.*

Ἔφεσον κληθῆναι φασὶν ἀπὸ μιᾶς τῶν Ἀμαζόνων, οἱ δὲ ἀπὸ τοῦ τὸν Ἡρακλέα ταῖς Ἀμαζόσιν ἐφεῖναι τὰ ἀπὸ Μυκάλης ἕως Πιτάνης. *Ephesum dictam ajunt a nomine cujusdam Amazonum. Alii dictam volunt a verbo* ἐφεῖναι) quod sonat *permittere* vel *concedere*) *eo quod Hercules Amazonibus hanc regionem a Mycale* (promontorio) *Pitanen usque concesserit.*

D

ΦΩΚΕΑ, *PHOCEA.*

Φώκεαν οἱ μὲν ἀπὸ Φώκου ἡγεμόνος ὠνόμασαν. οἱ δὲ ὅτι Φώκην εἰς τὸ ξηρὸν εἶδον ἐκβαίνουσαν. *Phoceam sunt qui a Phoco principe nuncupatam sentiunt: sunt item qui a Phoca marina dictam volunt, quam in siccum egressam viderunt* (primi habitatores.)

ΚΡΟΤΩΝ, *CROTON.*

Κρότωνα ἐξ ἀρχῆς Κρότων ᾤκισεν. *Crotonem initio condidit Croton quidam.*

E

ΑΚΡΑΓΑΝΤΙΝΩΝ, *AGRIGENTINORUM.*

Ἀκραγαντίνων Φάλαρις ἐτυράννησε, παρανομίᾳ πάντας ὑπερβαλὼν. Οὐ γὰρ μόνον ἐφόνευσε πολλοὺς, ἀλλὰ καὶ τιμωρίαις παρανόμοις ἐχρήσατο. Καὶ τοὺς μὲν εἰς λέβητας ζέοντας, τοὺς δὲ εἰς τοὺς κρατῆρας τοῦ πυρὸς ἀπέστελλε, τοὺς δὲ καὶ εἰς χαλκοῦν ταῦρον ἐμβαλὼν κατέκαιεν. Ὅνπερ ὁ δῆμος ἐτιμωρήσατο. Ἐνέπρησε δὲ καὶ τὴν μητέρα, καὶ τοὺς φίλους. Μεθ' ὃν Ἀλκαμάνης παρέλαβε τὰ πράγματα, καὶ μετὰ τοῦτον Ἀλκανδρος προέστη ἀνὴρ ἐπιεικής, καὶ εὐθένησαν οὕτως ὡς
F περιπόρφυρα ἔχειν ἱμάτια. *Phalaris apud Agrigentinos tyrannidem invasit, qui immanitate omnes superavit. Nam non solum e medio multos sustulit, sed & exquisitis crudelibusque suppliciis usus est. Quosdam enim in lebetes ferventes, alios in crateras ignis injecit; alios denique in Taurum æneum inclusos necavit. Tandem vero populo justas pœnas dedit. Præterea matrem quoque & amicos quosdam cremavit. Post eum Rempublicam administravit Alcmanes, cui succedens Alcander, insigni æquitate præditus vir Agrigentinis præfuit. Quo gubernante ita creverunt ipsorum opes & potentia, ut vestes ferrent purpura undique prætextas.*

Κεφάλῳ μαντευσαμένῳ περὶ παίδων ὁ θεὸς εἶπεν, ᾧ ἂν ἐντύχῃ πρῶτον συγγενέσθαι. Τὸν δὲ περιτυχεῖν Ἄρκτῳ, καὶ πλησιάσαντα γεννῆσαι γυναῖκα. ἐξ ἧς Ἀρκείσιον φερωνύμως ὀνομασθῆναι λέγεται. *Cephalus quum Oraculum de liberorum procreatione consuleret, responsum a Deo retulit, ut in quam primum incidisset, ei se misceret. Itaque quum primum Arco obviam factus esset, ei congressus, sustulit fœmellam. A cujus nomine ferunt Arcisium* dictum.*

ΙΘΑΚΗΣΙΩΝ, *ITHACORUM*.

Πορθμεὺς Παρίας ὄνομα λῃστὰς διεπόρθμευσε, πρεσβύτην αἰχμάλωτον, καὶ πίτταν. καὶ ὠνεῖται ταύτην παρὰ τῶν λῃστῶν δεηθέντος τοῦ πρεσβύτου. ἦν δὲ ἐν τῇ πίττῃ κεκρυμμένον χρυσίον. Πλουτήσας οὖν θῦσαι λέγεται τῷ πρεσβύτῃ βοῦν. διὸ καὶ εἰς παροιμίαν ἦλθεν. Οὐδεὶς πώποτε εὐεργέτῃ βοῦν ἔθυσε, ἀλλ' ἢ Παρίας. *Portitor quidam nomine Parias latrones transvexit, senemque captivum, & picem. Hortante autem sene isto emit Parias a latronibus picem. Erat enim in pice aurum occultatum. Itaque eo ditatus sacrificasse fertur seni bovem. Unde proverbium natum: Nemo præter Pariam benefactori suo bovem unquam immolavit.*

ΑΦΥΤΑΙΩΝ, *APHYTÆORUM*.

Δικαίως καὶ σωφρόνως βιοῦσι, καὶ ἀλλοτρίων οὐ θιγγάνουσιν ἀνεῳγμένων τῶν θυρῶν. *Juste & modeste vivunt* Aphytæi, *nec attingunt aliena, etsi janua omnium aperta.*

Φασὶ δέ ποτε ξένον πριάμενον οἶνον μὴ ἀναλαβεῖν, ἐπείξαντος αὐτὸν τοῦ πλοῦ. καταλιπεῖν δὲ αὐτὸν ἐν τῇ ἀποστάσει οὐδενὶ παραδόντα. ὕστερον δὲ κατ' ἄλλην ἐμπορίαν ἐλθόντα, εὑρεῖν τοῦτον ἄθικτον. *Ajunt peregrinum quondam vinum apud ipsos emtum non avexisse, quod navigatio acceleranda ipsi instaret. Relicto igitur in abitu vino, quum id nemini commendasset; alteris reversus nundinis reperit illud intactum.*

* Alii ajunt ex Procri natum Arcisium. Vide an non mendum sit.

C

ΙΑΣΕΩΝ, *JASENSIUM*.

Τούτοις οὐκ ἐξῆν ἐν γάμοις πλείους ἑστιᾶν δέκα, καὶ γυναικῶν ἴσων· οὐδὲ γάμον ποιεῖν πλέον ἡμερῶν δύο. *Hisce non licebat ad nuptias invitare plures quam decem viros, totidemque fœminas: neque nuptiarum solemnitatem ultra biduum extrahere.*

Ἐπεσκόπουν δὲ καὶ τοὺς ὀρφανοὺς ὅπως παιδεύονται, καὶ τὰς οὐσίας αὐτοῖς ἀπεδίδοσαν εἴκοσι ἐτῶν γινομένοις. *Advertebant diligenter, quo orphani honeste educarentur, quibus patrimonium in manus tradebant, simulatque vigesimum ætatis annum attigissent.*

D

ΙΚΑΡΟΣ, *ICARUS*.

Ἴκαρος ἡ νῆσος Ἰχθυοῦσσα ἐκαλεῖτο διὰ τὸ κάλλος τῶν ἐν αὐτῇ γινομένων ἰχθύων. πρὸς ὃν Ἴκαρος παρέβαλεν, ἀφ' οὗ καὶ τοὔνομα ἔσχεν. *Icarus insula antiquitus Ichthyusa dicebatur, quod pisces pulcerrimos gigneret. Ad hanc Icarus appulit, unde ab eo nomen accepit.*

Ὁ δὲ μῦθος πτεροῖς αὐτὸν ἀπὸ Κρήτης φησὶν ἐλθεῖν. οἱ δὲ ἀποδράντα κατὰ τοῦ πατρὸς ἐπὶ τριήρων, διὰ τὸ δεῖξαι τὴν εἰς Λαβύρινθον εἴσοδον τῷ Θησεῖ. *In fabulis est, alis illum ex Creta huc delatum venisse.* E *Alii narrant illum fugientem triremibus cum patre huc accessisse, eo quod Theseo indicasset ingressum in Labyrinthum.*

ΑΡΓΙΛΟΣ, *ARGILUS*.

Ἄργιλον τὸν μῦν καλοῦσι Θρᾷκες, οὗ ὀφθέντος πόλιν κατὰ χρησμὸν ἔκτισαν, καὶ Ἄργιλον ὠνόμασαν. *Thraces murem Argilum vocant. Itaque quod viso mure, urbem ex oraculi monitu condidissent, Argilum eam dixerunt.*

F

ΘΕΣΠΙΕΩΝ, *THESPIENSIUM*.

Παρὰ Θεσπιεῦσι αἰσχρὸν ἦν τέχνην μαθεῖν, καὶ περὶ γεωργίαν διατρίβειν. καὶ διὰ τοῦτο πένητες οἱ πλείους ἦσαν, καὶ Θηβαίοις οὖσι φειδωλοῖς πολλὰ ὤφειλον. *Apud Thespienses dedecus erat artem discere, vel circa agros colendos occupari. Quamobrem plerique eorum egeni erant, & Thebanis parce degentibus multa debebant.*

F I N I S.

JOH. ADAMI OSIANDRI,

D. & P. P.

DE

ASYLIS GENTILIUM

DISSERTATIO.

JOH. ADAMI OSIANDRI,

D. & P. P.

DE

ASYLIS GENTILIUM

DISSERTATIO.

I. QUAMQUAM populus Ebræus selectus a DEO in peculium, quædam habuerit singularia, neque cum gentibus peregrinis familiariter egerit, ut etiam Tacitus objecerit illi vitæ genus ἀσύμβολον, scripseritque, lib. v. cap. v. *Histor. Fidem habere illum obstinatam, misericordiam in promptu, adversus omnes alios hostile odium*: non tamen illi soli proprius fuit Asylorum usus, jura & privilegia; sed passim etiam inter Gentiles luxuriarunt immunitatis nomina, & partim homines alicujus authoritatis, partim res insignes aliqua nota, partim denique loca fuerunt certis quibusdam privilegiis ornata, ut, qui violare ausus fuisset, obnoxius fuerit severiori animadversioni; qui tueri accessu sese intendisset, mitiores expertus fuerit animos, & ex reverentia Religionis sibi pararit aliquod tempore infortunii præsidium.

II. Inter alias autem immunitatis species, illa maxime nobis hic venit expendenda, quæ locorum est, de cujus origine, varietate, numero, usu & abusu aliquid observare, notare & proponere libet; non tantum quia, quæ de Ebræorum Asylis ex Scriptura possunt habere, diximus: sed etiam quia apposita juxta se posita magis elucescunt, atque corpora regulariter umbræ comitari solent.

III. In natales Asylorum, quæ fuerunt extra DEI populum, si inquiras, deprehendes quam plurimis aquam hærere; quosdam autem ad Ægyptios se conferre, & ab illis ducere originem & primas Asylorum lineas. Referunt enim fuisse apud Ægyptios Principem Assyrophenem, divitiis, opibus, potentiaque præstantem, qui, cum unicum, quem habebat charissimum filium, amplissimi sui patrimonii hæredem, & potestatis successorem relinquere cogitasset, spe dejectus ex morte immatura filii, ex mœrore undique circumfusus, in orbitatis remedium & solitudinis solamen charissimi pignoris ad vivum expressam imaginem commodo domus loco reposuerit, cujus cultum a patre præmissum cum fuissent conspicati famuli & servi, ut Domino gratificarentur, detecto capite, florum sparsione, suffitu, coronarum impositione auxisse, & tandem, si quid designassent correctione dignum, peccassent in Herum, officio suo defuissent, confugiendo ad simulacrum illud eximium, veniam a Domino impetrasse. His principiis ortam fuisse immunitatem confugientium ad statuas, quæ ad alios quoque ex privata familia demanarit. Laudant in hanc sententiam Fulgentium, Bernhardum, Sixtum Senen-
B sem & Alphonsum Tostatum Episcopum Abulensem.

IV. Proxime sequutam fuisse immunitatem statuæ mortui Beli patris a Nino primo Assyriorum Rege concessam, cui occasionem dederit Ægyptus. Cum enim ibi reperisset statuam, quam Assyrophenes filio posuisset, motum fuisse ut patri Belo, Regi optimo, jam vita functo publice illustrius simulacrum erigeret, & immunitatis privilegio ornaret; imo ipsas statuas pro Diis habitas, atque usum illarum in ipso ortu sui excidisse; unde Nabuchodonosorem, cum statuam sibimet vivus erigeret, eo dementiæ venisse, ut illam
C pro DEO coli adorarique præceperit, teste Daniele, *cap.* III.

V. Antiquissima quoque fuisse Asyla apud Gentes, illud a Cadmo positum constructis Thebis ad replendam urbem incolis, illud apud Nili ostium Canopium positum Herculi adhuc viventi, cum apertum fuerit ante Bellum Trojanum, illud a filiis & nepotibus Athenis constructum, de quo Statius lib. II. *Thebaidos* ita canit:

Urbe fuit media nulli concessa potentum,
Ara Deum mitis posuit Clementia sedem.

Illud tandem, quod Semiramis Nini Regis Assy-
D riorum conjux post mortem mariti Belo socero construxerit magnificentissimum sc. Templum, in quod statua Beli a Nino fabricata invecta.

VI. Nondum autem a nobis assensum impetrant, qui ita differunt. Nam primo Princeps ille Assyrophenes nimis obscurus est, nec huic sententiæ fulciendæ par. Nihil enim de hoc homine Scriptores Historici, nihil probati authores habent, ipsum nomen suspectum, florum sparsio & suffitus confictі, compellatio simulacri, Historiæ videtur simulacrum, non Veritas. Secundo de ipsa statua, quam in domum collocasse Assyrophenes dicitur, hærent, an fuerit ex marmore,
E an ex ære; nesciunt, quid dicendum, quomodo illa delineanda. Tertio, si admitteremus fuisse hunc Ægyptium unquam in rerum natura, contigisse etiam ex morte filii hujus statuæ collocationem in domum, ortum ex famulorum servili ingenio cultum divinum circa illam, nondum tamen confectum esset ex Ægypto dimanasse hoc in Assyriam, occasione hujus simulacri permotum fuisse Ninum ut patri Belo statuam poneret, atque Asyli jure eandem coronaret. Posito enim quod Ninus ex Assyria in Ægyptum bellandi causa transierit, quomodo demonstrabitur familiarem factum fuisse huic Assyropheni, effigiasse illam statuam, ideam ejus concepisse animo, cum qui ita nugari soleant, probabile censeant etiam alios in Ægypto Viros primarios tales imagines prostituisse. Qui ergo non ab aliis accepisse, si accepit, cum plures fuerint infelicium simula-

crorum baſiatores, ſtatuendum? præterea ſi poſſet oſtendi tranſiſſe Aſſyrophenem ex Ægypto ad Aſſyrios, forſan color aliquis poſset addi relationi, ut hoc ipſi, qui factum recenſent, non agnoſcunt. Cum itaque manſerit intra Ægyptum hic Aſſyrophenes, illiusque ſtatua, quam collocarat in domum, nec alias devictorum mores imitari ſoleant Victores, ſed ſuas obtrudere leges: longe probabilius eſt, ſi ponamus Ninum ingreſſum eſſe Ægyptum, ſubjeciſſe ſibi incolas terræ; nihil, quantum ad ſtatuarum erectionem vel Aſylorum conſtitutionem, ex illa hauſiſſe. Adde cum σύγχρονοι fuerint ille Aſſyrophenes & Ninus, fatentibus affirmativæ propugnatoribus, ſemper in dubio manere num hic ab illo, an vero ille ab ipſo Nino fuerit ſeductus, & exemplo publicæ ſtatuæ ad privatæ molitionem & collocationem fuerit fama pervulgata motus. Qui vero tibicines hujus ſtructuræ laudant Fulgentium, Bernhardum, Sixtum Senenſem, & Toſtatum Abulenſem, non expendunt nimis infirmos eſſe tantæ moli ſuſtinendæ, homines novos, antiquitatis veræ & ſinceræ ignaros, fabularum convictos, & quamvis ſuperior ingenio cæteris fuerit Toſtatus, Vir mentis capaciſſimæ, tamen quandoque etiam cum frumento ſcarabæos & inſecta horreis ſuis imprudēter intulit.

VII. Jam ſi conjecturis indulgendum, potius in hanc ſententiam deſcendendum, ipſos Chaldæos cœpiſſe colere, primum Nimrodum ſub Saturni nomine, Belum vero ſucceſſorem ob res feliciter geſtas ad exemplum patris ſub titulo Jovis, atque ita in Cœlum prius retuliſſe; dein cultum quoque inſtituiſſe. Quicquid vero ſit; ſi primum, cultus fuit Nimrodus & pro Divo Indigete fuit habitus, non longa quærenda fuit occaſio vel exemplum ſtatuæ ponendæ, cultus inſtituendi, Aſyli proponendi, & ex Ægypto arceſſendum, cum ipſa Syria ſive Aſſyriorum terra jam in Nimrodo habuerit, quod in imitationem duceretur. Secundo, quamvis Juſtinus de Nino referat, illum avitum gentibus morem nova imperii cupiditate mutaſſe, magnitudinem quæſitæ dominationis continua poſſeſſione firmaſſe, & domitis proximis totius Orientis populos ſubegiſſe; non exiguum tamen errorem Trogi, quem Juſtinus ſecutus fuit, notavit Euſebius, quod ſc. Nini poſterorum hiſtoriam, cum minus cæteris cognitam haberet, confuderit, nobiliſſima quæque facta eorum in unum Ninum ejuſque uxorem Semiramidem contulerit, inde congeſtis etiam Nimrodi ſive Beli facinoribus. Si autem hæc confuſa, poſito Expeditionem aliquam eſſe ſuſceptam in Ægyptum feliciter, nondum conſtabit an Belo, qui ſuperior Aſſyrophene illo, num vero Nino illa veniat aſſignanda. Sane Nimrodus cujus tempore cœptum eſt laqueis captare feras & tollere inventum, & magnos canibus circumdare ſaltus, cujus etiam moribus originem debuit proverbium: *Tanquam Nimrod potens venatione coram Jehova is*, *Gen.* X. verſ. 10. & 11. perhibetur in principium habuiſſe Regni Babylon & Erech & Achad & Calneh in terra Sinear, ex qua non Aſſur, ut volunt Interpretes, ſed ipſe egreſſus in Aſſyriam, & ibi ædificavit Niniven & Rehoboth Urbem & Chalach & Reſen, quæ eſt magna Urbs inter Niniven & Chalach, unde etiam Aſſyria nominatur terra Nimrod, *Michæ* V. verſ. 6. unde verba iſta ita reddenda: Egreſſus eſt in Aſſyriam: ut אשור ſit idem quod לאשור quo quidem modo alibi etiam Scriptura loquitur. Tertio. Ninum quidem Orientis populos ſubegiſſe habemus ex hiſtoricis, attigiſſe etiam Libyam & Æthiopiam in Africa; vix tamen probatus adducetur, qui Ægyptum ab illo domitam fuiſſe aſſerat, quam quidam ab Africa & Aſia diverſam fecerunt partem, quidam diviſerunt, & unam partem Aſiæ, alteram Africæ tribuerunt, quidam vero Africæ adſcripſerunt. Non negamus Diodorum Sicul. *lib.* III. rerum antiquarum referre ex Cteſia, *cap.* I. Ninum Arabum Rege aſſumpto exercitum duxiſſe adverſus Babylonios Arabiæ conterminos in Mediam, deinde auctis viribus transgreſſum, cum ei Rex cum exercitu occurriſſet, prælio victum, cumque uxore & ſeptem filiis captum cruci affixiſſe, proſpera fortuna elatum Ninum cupiditatem cœpiſſe totius Aſiæ, quæ inter Tanaim Nilumque jacet, potiundæ. Subjeciſſe ſibi omnes maritimas & propinquas gentes, Ægyptios, Phœnices & interiorem Syriam, &c. Sed novimus hunc Siculum in multis fuiſſe vanum & nixum authoritate Cteſiæ Gnidii, quem mendaciorum arguunt & Veteres & Recentiores Hiſtorici, Philologi, Theologi. Secundo, in ipſa hac Hiſtoria non obſcurum apparet Veritatis deliquium. putatur enim Ninum exercitum duxiſſe adverſus Babylonios. num vero ejectus fuit unquam Ninus? num deturbatus hac ſede, ut neceſſe illi fuerit eam per bellum recuperare, Babylonem nondum fuiſſe conditam illo imperante, vel in hanc lucem edito. At ſi Ninus fuit filius Beli, & hic a Nimrodo deſcendit, ut vulgata fert opinio, quomodo poteſt dici nondum Babylonem fuiſſe conditam, quæ initium fuit Regni Nimrodici? Tertio, illud quod de Ægyptiis domitis producit, & quod maxime noſtræ controverſiæ tangit lineam, cum Scriptura plane non conſpirare videtur, tempore enim Abrahami nec Ægyptus, nec terra Canaan ſubjecta fuit Regibus Aſſyriorum: regnabat enim illo tempore in Ægypto Pharao, ad quem Abrahamus fame ingruente divertit, de quo *Gen.* c. XII. vocat illum Regem Euſebius Parothonem; in Palæſtina autem rerum eo tempore potitus erat Abimelechus, neq; ullius alterius Domini harum terrarū in Scriptura vola vel veſtigium.

VIII. Cum immunitate illa primum in domo Aſſyrophenis ortam fuiſſe idololatriam, & ex privata familia ad plures ſerpſiſſe dicitur, non probatur, cum adhuc controverſa ſint initia idololatriæ, nemo originem illius cum natalibus Aſylorum combinet, cui alias dextra mamilla ſalit; & diſputetur, num ante diluvium illa jam radices egerit in Cœtu profanorum. Sane, ſi ex Rabbinis Jarchium conſulamus, refert ille Idololatriæ natales ad tempora Enoſi; ſi Hieronymum in *Quæſtionibus Ebraicis*, reſpondebit: plerique Ebræorum arbitrantur tunc, ſcil. nato filio Sethi Enoſcho, primum in nomine Domini, & in ſimilitudine ejus fabricata idola eſſe; ſi Danæum videamus ex recentioribus, & Seldenum, poſterior *de Diis Syris* ad locum *Gen.* IV. ita nos informabit priori non δύσφωνος; *tunc profanatum eſt non invocando Nomen Jehovæ, hoc eſt*, ac ſi dixiſſet, λόγον ſacroſanctum illud Nomen, quod totius Univerſi Creatorem & Dominum deſignet, rebus creatis tributum, quibus conſpirat Paraphraſtes Onkelos & Arabs Interpres in Pentateucho Erpenianæ editionis, imo ipſe Al-Coranus nomina Idolorum antediluvianorum portentoſa recenſet, wadda, Suloaha, Jagocak, & Nacera, Azoara 81. quæ producimus, non quod ſententiæ huic ſubſcribamus; ſed ut aſſertionis audaciam caſtigemus. Nec ſi a temporibus ante-diluvianis recedamus, & in poſt-diluvianis quæramus imaginem, ſculpturam, effigiationem & cultum in domum Aſſyrophenis migrandum erit, & ex illa protrahenda ſtatua, mali corvi malum ovum; ſed ſi Epiphanium conſulamus, a quo non diſſonant Ebræi, in Opere *adverſus Hæreſes*, deprehendemus illum aſſerere tempore Sarug cœpiſſe Idololatriam, & Therachum primum fabricaſſe Idola, & propterea ab Abrahamo reprehenſū.

IX. Tranſimus in publicum, quo nos ducunt, qui ex ſimulacro Aſſyrophenis originem duxiſſe Aſylum in Regno Aſſyriorum exiſtimant; ſed & hæc ſtatua nutat. Nam primo nullus probatus

Scriptor adduci poteſt, qui aſſerat a Nino Patre Belo erectam fuiſſe ſtatuam; multo minus publico edicto ſancitum fuiſſe, eos omnes, qui quorumcunque criminum rei ad eam ſtatuam venerabundi accederent, delictorum veniam & pœnarum impunitatem conſecuturos, minime ex hac ſtatua ducendum Idololatriæ initium, & Templum tandem magnificentiſſimum Babylone Belo ſub titulo Jovis vel Saturni erectum & ſacrificiis dedicatum fuiſſe, ut volunt, qui nebulas pictas in pariete ſectantur.

Non quidem negamus Hieronymum inclinaſſe in hanc ſententiam, & offendi loca in caput XLVI. *Eſaiæ*, XIX. *Jeremiæ*, XXIII. *Ezechielis*, nec non *Oſeæ* ſecundum: verum nec ſtatuæ diſertam mentionem facit, quæ in Aſylum proſtituta fuiſſet, nec prima vult exhibere rudimenta Idololatriæ, ſed tantum hoc docere Iſraelitas imitatos fuiſſe Aſſyrios, qui Belum fuerint religioſe venerati; nec tandem meminit alicujus Templi in honorem hujus Deaſtri erecti. Euſebius vero in *Chronico* Interprete Hieronymo plus non dicit, quam Belum Aſſyrios DEUM ſibi nominaſſe.

Secundo, cæſpitant Scriptores in Authore. Guilielmus Pariſienſis vult Belum filio ſuo idolum feciſſe; alii Ninum patri Belo illud ſtatuiſſe aſſerunt; præterea Epiphanius originem Idololatriæ non a Nino, ut ſupra notavimus, ſed a Tharacho ducit: ita enim ſcribit ſub initium *Panarii*: *Ab eo Nachore ſcil. Thara genitus eſt, ex quo tempore ſimulacra primum ex argilla, figulinoque opere reperta ſunt artifice Thara.* addit, in hujus ſceleris pœnam filium ejus Haran ante ipſum fuiſſe mortuum, atque ita dignam factis ſuis mercedem reportaſſe, cum & ipſe filii ſui jactura viciſſim quodammodo provocatus ſibi primus in Cappadocia defuncti imaginem fieri juſſerit, unde etiam Rabbini Tharan ſtatuarium fuiſſe tradunt. Denique ſi Gentilium ſcriptoribus indulgendum, forſan Cecropi vel Prometheo adſcribendum eſſet inventum Idolorum. Quo vergunt quoque illa Lactantii: *Non dico poetas eſſe mentitos, ſed primum hominem Prometheum ſimulacrum hominis formaſſe ex pingui & molli luto, ab eoque natam primo artem & ſtatuas & ſimulacra fingendi, ſiquidem Jovis temporibus fuit, quibus primum Templa conſtitui, & novi Deorum cultus eſſe cœperunt.*

Tertio, qui huic ſententiæ ſubſcribunt, putant ſe inveniſſe non leve præſidium in libro *Sapientiæ* cap. XIV. v. XV. ubi Philo refert inter alia, *quod acerbo luctu dolens Pater cito ſibi rapti filii fecerit imaginem, & illum qui tunc quaſi homo mortuus fuerit, nunc tanquam Deum colere cœpiſſe, & conſtituiſſe inter ſervos ſuos facta & ſacrificia.* Verum fruſtra. nam primo, ſi ponamus hæc vera eſſe, cum tamen liber hic non ſit in Canone; ſi ponamus cum antecedentibus in hoc capite & decimo tertio probe conſpirare, de quo etiam diſputari poteſt, non de filio hic ſermo & ponente ſtatuam Patri, ſed de Patre acerbo luctu correpto, qui filii rapti fecerit imaginem. Secundo, ſi verba hæc premenda, potius oppoſitum ex illis concludendum, nempe Tharam acerbo luctu dolentem filio Harano ſimulacrum quoddam ſtatuiſſe, adeoque in ſententiam Epiphanii concedendum. Tertio, qui ſiliquas præferunt frumento, glandes frugibus, Aſſyropheni potius quam Nino ex hoc ponere colorem quærerent, Diophanti Lacædemonio aſſurgerent, quem dejectum ſupra ſufficienter exiſtimamus.

X. Ducit autem Argumentum, in quod incidimus, in uberiorem diſcurſum illorum quæ tacta ſunt. Et quidem primo, in ſeriem illorum Regum, qui paſſim apud Hiſtoricos & Chronologos recenſentur, in qua nullum nos Belum agnoſcimus, qualis pingitur, ſed Nimrodum, cum nomen haberet dirum & infame (notat enim rebellem, De-

A ſertorem, Apoſtatam) abolita Nominis priſtina macula Belum cœpiſſe vocari, hoc eſt, *Dominum*, ſtabilito Imperio exiſtimamus. Stat pro nobis I. Scriptura, quæ dicit *principium Regni Nimrodici fuiſſe Babel, & Erech, Acad & Chalne in terra Sinear, unde egreſſum in Aſſyriam ædificaſſe Niniven & Rehoboth Urbem & Chalach*, &c. *Gen.* X. verſ. 10. adeoque falſitatis arguit illos, qui Semiramidi tribuunt extructionem Urbis hujus; hic fuit *robuſtus Venator coram Domino*, vel ſimulate prætextu Religionis homines ſibi aſſocians, vel contemptim per ſummam impudentiam, *alas barbas de Dios*, ut Hiſpani

B loquuntur: hic enim principium ſui Regni Babylonem eſſe voluit, ut eam extruxerit, Duxque illorum teſte Joſepho, qui turrim illam prægrandem ædificare conſtituerunt apud ſe, & exinde ad Arach ſive Edeſſam Meſopotamiæ Achad ſive Niſibim Chalnem, quæ poſtea dicta Seleucia in terra Sinear vires ſuas promovit.

2. Hiſtoria profana. Abydenus apud Euſebium dicit Belum Babylonem muro cinxiſſe. Curtius *lib.* V. ingenue fatetur Urbem Babylonem Semiramidem condidiſſe, vel ut plerique crediderunt Belum, cujus Regia oſtendatur; ipſe Herodotus plus non dicit quam Semiramidem *aggeres χώματα*, qui-

C bus Euphrates coerceretur, conſtruxiſse.

3. Teſtimonium B. Auguſtini, qui lib. XVI. *de Civit. Dei* cap. III. & IV. inter alia hæc habet: *Babylon interpretatur Confuſio, unde colligitur Gigantem illum Nimrod fuiſſe illius conditorem*, quod ſuperius breviter fuerat intimatum, quem ſequuntur Druſius ex Calvinianis, & ex Pontificiis Peretius, ex noſtris autem B. Gerhardus.

Secundo, in conjecturam de Nino, quod & ille non diverſus fuerit a Nimrodo; ſane Mercator eundem eſse voluit, quem Græci & Latini appellant Ninum, quæ de utroque dicuntur mirifice conſpirant. Quod enim in Scriptura dicitur de Nim-

D rodo, illum fuiſſe potentem terra & promoviſſe late tyrannidem, idem de Nino Juſtinus refert, quod habuerit initium in Chaldæa & Meſopotamia, in qua Civitates illæ quatuor, quas aſſignat Nimrodo Moſes, idem Hiſtorici obſervant in Nino, qui Babylonem incoluiſſe dicitur; quod denique dicitur, illum ingreſſum modo militari in Aſſyriam, ut quidem vox egredi uſurpatur apud Scriptores ſacros II. *Sam.* XI. verſ. I. & Arabas, Elmacinum ſpeciatim in *Hiſtoria Saracenica*, & ædificaſſe Niniven, de Nino aſſerit Diodorus Siculus *lib.* III.

E Tertio, in originem Idololatriæ apud Chaldæos, quam putamus potius tribuendam Contemplationi Siderum, cui principes hujus gentis dediti. non diſſimulare potuit hoc Genebrardus, qui libro primo *Chronologiæ* docet, quod vetus idololatria, quam retinuerunt Perſæ, Chaldæi & reliqui Orientales, magis fuerit poſita in cultu planetarum & ſiderum, id eſt, ut loquuntur Politici, cœli & Idolorum, quæ non modo ſiderum tanquam Deorum immortalium ſimulacra & ſigna haberentur; verum etiam eorum divinitatis & virtutis domicilia ſedesque & corpora. Nec abnuit Golius.

Omne autem punctum videtur hic tuliſſe Gre-

F gorius Nazianzen. Oratione ſecunda *de Theologia* ita diſſerens: *Etenim Deum quidem, ac primariam illam cauſſam, natura quidem omnis, rationis particeps appetit. Cæterum, ob eas, quas dixi cauſſas, viribus deficitur. Languens autem deſiderio, maleque omnino affecta, ægerrimeque hoc damnum ferens, ſecundam, ut dici ſolet, navigationem init; ut ſcilicet, vel ad eas res, quæ ſub aſpectum cadunt, oculos flectat, ac quampiam earum pro numine colat, pernicioſo utique errore labens. (quid enim in omnibus rebus, quæ oculis cernuntur, excelſius, & divinius eſt eo,*

a quo cernuntur, ut illud adoretur, hoc adoret?) vel per ſpectabilium rerum pulchritudinem, ordinemque, Dei cognitionem aſſequatur, atque ad ea percipienda, quæ oculorum obtutum fugiunt, ducibus oculis utatur, non autem per earum rerum, quæ oculis ſubjectæ ſunt, magnificentiam, Dei jacturam faciat. Hinc alii Solem, alii Lunam, alii Siderum magnitudinem, alii cœlum quoque ipſum una cum illis, (quibus, pro motus qualitate, vel quantitate, mundi gubernationem adminiſtrationemque tribuerunt, alii rurſus propter neceſſarium uſum, terram, aquam, aerem, ignem, quod his ſublatis, humanæ vitæ ſalus incolumitasque conſtare non poſſit: Alii denique quicquid temere ex rebus aſpectabilibus, ipſis occurrit, coluerunt, pulcherrima quæque eorum, quæ oculis obverſabantur, Deos ſibi proponentes. Nec defuerunt qui imagines atque figmenta divinis honoribus affecerunt, primum quidem propinquorum ac neceſſariorum, ii videlicet, qui vehementiori luctu afflicti erant, corporique addictiores; ac proinde homines vita perfunctos, monumentorum honore proſequebantur: poſtea autem alienorum quoque, nempe ii, qui multis poſt eos ſeculis extiterunt, ignoratione videlicet primæ naturæ, ac ſerie per manus ipſis a majoribus traditi honoris, quaſi juſti, & neceſſarii. Conſuetudo enim temporis longinquitate confirmata, pro lege habita eſt. Nonnulli etiam principatum, atque imperium colentes, & corporis robur laudibus efferentes, ac formæ venuſtatem admirantes, eum qui ab his rebus ornabatur, temporis progreſſu in Deorum numerum aſcripſerunt; ad hujuſmodi impoſturæ ſubſidium & patrocinium, fabulas quaſdam [illegible]. Deni vitioſiſſimi quique, vitia ipſa fœdosque affectus, Deos eſſe cenſuerunt, aut certe ſub deorum nomine coluerunt; iram nimirum, cædem, libidinem, temulentiam, reliquaque ejus generis, non æquam nec honeſtam hanc ſcelerum ſuorum excuſationem nacti. Atque eos partim humi reliquerunt, partim ſub terram abdiderunt, (hoc unum ſatis conſulte) partim in cœlum evexerunt, o ridiculam hereditatis partitionem. Ac deinde figmento cuique nomen aliquod vel Deorum vel dæmonum tribuerunt; pro erroris nimirum licentia, ſolutaque libertate. Statuasque inſuper erexerunt, eaſque adeo magnificas, & excellentes, ut precio ipſo vulgi animos ineſcarent. At hæc victimarum cruore, ac ſacrificiorum nidoribus; quidam etiam obſcœnis flagitiis, hoc eſt, furore ac cædibus, hujuſmodi numina honorari exiſtimarunt. Tales quippe honores, Diis talibus haberi conveniebat. Eo etiam amentiæ quidam proruperunt, ut beſtiis, & quadrupedibus, & reptilibus, atque horum turpiſſimis quibuſque maximeque ridiculis, ſe ipſos dedecorarent, iiſque Dei gloriam aſſignarent. Ut non ſit facile conſtituere, utri magis contemnendi ſint, iine qui adorabant, an qui adorabantur. Quanquam fortaſſe multo majore contemptu, atque ignominia digni erant, qui res hujuſmodi adorabant: quoniam cum ratione præditi eſſent, Deique gratiam accepiſſent, deterius meliori prætulerunt. Atque hæc fuit impuri illius hoſtis impoſtura, rei honeſtæ ſpecie ad malum abutentis, qualia ſunt pleraque illius facinora. Nam cum eorum cupiditatem, ad Dei conquiſitionem, oberrantem accepiſſet: ut principatum ad ſe transferret, ac deſiderium illorum eluderet, quaſi cœcos viæ cujuſdam cupiditate flagrantes manuducens, alios alio præcipites egit, atque in unum quoddam mortis exitiique barathrũ diſperſit.

XI. De ſtatua Nabuchodonoſoris conſtat ex Danielis *tertio*, verſic. 1. & ſequentibus: quanquam illud adhuc inter eruditos controverſum ſit, num Rex illam pro Deo haberi & coli præceperit, cum in verſic. XIV. contradiſtinguatur Diis Nabuchodonoſoris; præterea ſi Rex quæſiviſſet cultum religioſum, cum vivus hanc ſtatuam poſuerit in campo *Dura* Provinciæ Babylonicæ, ſibi potius eum exhiberi voluiſſet, quam ſimulacro, quod alias abſentis vicarium eſt exemplum. Quanquam autem non exacte conſtet, cujus hæc ſtatua fuerit imago, non negamus tamen Regem cultum religioſum exegiſſe, ut quo tempore audituri eſſent cornu, fiſtulæ Sambucæ, Pſalteriorum ſymphoniæ & omnium generum Muſices, cadentes adorarent imaginem auream, quam erexerat.

XII. Tractavimus originem, qui Diſcurſus nos promovet ad Antiquitatem Aſylorum in Gentiliſmo examinandam. Qui putant Aſylorum jura cum ſtatuis cœpiſſe, præmittunt Ebræorum Aſylis immunitates gentium Urbibus Receptus, ſtatuas Confugii, atque ita cenſent Altaris & Tabernaculi immunitatem ſimul cum ipſo Altari & Tabernaculo ortam fuiſſe, ſive de primo hoc intelligatur Altari gentis illius, quod erectum Menſe tertio egreſſionis de Ægypto; ſive de altero, quod ſimul cum tabernaculo perfectum fuit, prima die anni ſecundi. Cum autem egreſſi ſint Iſraelitæ ex Ægypto Anno Mundi 2453. Diluvii 791. conſequens eſſe, vel illiusmet anni menſe tertio, ſi caſus contigerit, ſi ad primum altare referatur, vel integro anno poſt, ſi de ſecundo altari intelligatur, introductam eſſe immunitatem altaris, vel non longe poſt.

Tres priores vero Refugiorum Civitates poſt elapſos triginta novem vel quadraginta annos ſegregatas fuiſſe a Moſe trans Jordanem poſt devictum Sehonem Regem Amorrhæorum, & Ogum Regem Baſanis, diſtributa illorum terra tribubus Rubenis, Gadi & dimidiæ Manaſſis circa Annum Mundi bis milleſimum, quadringenteſimum, nonageſimum ſecundum vel tertium, Diluvii octingenteſimum trigeſimum primum, reliquas tandem tres Civitates conſtitutas per Joſuam, Moſis ſucceſſorem, poſt devictam, captam & in reliquas tribus diſtributam terram Chanaan, poſt alios decem circiter annos, nempe anno bis milleſimo, quingenteſimo ſecundo, vel tertio, Diluvii octingenteſimo quadrageſimo primo. Si itaque admittatur ſtatua Aſſyrophenis & Beli, in Gentiliſmo fuiſſe Aſyla fere quinque ſeculis priora illis, quæ in populo DEI frequentata fuiſſe, admittendum erit, cum ipſi Chronologi illam erectionem ſtatuæ Beli referant, vel in Annum Mundi 1997. vel bis milleſimum, Diluvii 344. Noe 44. Semi 442. Arphaxad 342. Cainan 307. Salæ 277. Eber 247. Phaleg 213 Rehu 133. Sarug 101. Nachor 121. Thare 92. Nini 4. Imperii Aſſyriaci 69. Si denique templum illud, quod Semiramis Belo ſocero fundaſſe fertur, Aſylum fuit primum, id omnium toto Orbe Templorum, quæ Aſyla fuerunt, extitiſſe, pari pæne antiquitate cum immunitate ſtatuarum dicendum erit, cum paulo poſt Nini mariti mortem illud conſtruxerit, mortuus enim dicitur Ninus anno Mundi bis milleſimo quadrageſimo octavo.

XIII. Sed hæc inter ſcorias deputanda eſſe non uno indicio conſtat. Nam primo ſupra demonſtravimus ſtatuam illam Aſſyrophenis & Beli eſſe ſomnium & mentis ſemiſepultæ ludibrium, arenam, cui veritas non poſſit inniti, & deceptos illos, qui nimium audacter Relationibus quorundam confiſi ſimulacrum phantaſiæ pro ſtatua fuerint amplexi.

Secundo, prodit ſe fucus, dum Altaris apud Iſraelitas immunitas inchoata eſſe dicitur ex uſu mero; propterea quod cum Iſraelitæ in Ægypto vidiſſent, & forte experti eſſent illorum immunitatem, tantundem altare vero DEO erectum valere voluerunt. Quis enim credat immunitatem acceſſiſſe Altari Domini citra illius voluntatem ex uſu mero, qui Iſraelitas tam ſtricte ad illa unice voluit reſpicere, quæ ipſe in hac Republica conſtitueret? Quis admittat DEUM voluiſſe, ut Iſraelitæ ad Exemplum Ægyptiorum attenderent, & imitarentur illos, a quibus receſſerant beneficio ſingu-

singulari, miraculo stupendo, Altari affingere, quod superstitio Ægyptiorum locis imprudenter contribuit? quis concedat Altaria fuisse erecta in Ægypto, quæ Asylorum privilegiis fuerint ornata, quomodo a statua ad aras delapsa est Ægyptus. Unde etiam diffisi sibi disjunctive illam inchoationem immunitatis tribuunt vel usui mero, vel occasioni acceptæ ex illo Domini præcepto *Exodi* vigesimo primo, ubi homicida dolosus avelli jubetur ad necem.

Tertio, Templum illud, quod Semiramis nurus Belo socero erexisse fertur, nullius probati Historici authoritate fulcitur; unde aliqui voluerunt Ninum tale construxisse Patri, & variis sacrificiis dedicasse. Quarto, de Semiramide etiam ex Herodoto, Justino & Diodoro hoc tantum habetur, muros Babylonios vel excitasse vel auxisse. Nec a scopo telum jaciunt, qui Diodorum Siculum putarunt potius Rhetorem egisse probabiliter declamantem in gestis Semiramidis, quam historicum fide dignum. Quinto, si ponatur ab illa fuisse Templum Belo ædificatum, nondum evictum erit illud jure Asyli gavisum fuisse; cultui & sacrificiis esse potuit destinatum citra immunitatem illam, quæ non necessario connexa cum Templo vel cum illis finibus, qui alias in extructione ædium sacrarum observantur.

XIV. Occasionem hæc subministrant differendi ulterius de Semiramide & antiquitate Asylorum inter Gentiles, ductis non uno argumento.

Existimamus autem Imperium Assyriacum non esse tantæ vetustatis, quantæ vulgo putatur. referunt enim Chronologi initium illius vel in annum millesimum nongentesimum nonagesimum septimum, vel in annum Mundi bis millesimum, & faciunt Abrahamum Nino σύγχρονον. Genebrardus quidem ita, ut dicat Abrahamum Anno Mundi 1994. fuisse quadraginta & novem annorum; alii vero aliter, qui in quadragesimum tertium Nini annum rejiciunt nativitatem hujus Patriarchæ; tempore vero Abrahami fuisse aliquam Monarchiam Assyriorum tam amplum imperium, ut describitur, nullo indicio constat ex Sacris.

Oppositum potius deprehenditur non obscure, si attente consideretur caput *Geneseos* decimum quartum. Dicitur enim ibidem: *Factum est temporibus Amraphelis Regis Sinearis, & Ariochi Regis Ellasaris, & Cedorlaomeri Regis Elami, & Tidhalis Regis gentium, ut inirent bellum contra Berahum Regem Sodomorum.* Sistitur hic Rex Sinear Amraphel, sistitur ut terræ Sinear, hoc est, Babylonis dominus, sistitur denique ut Rex particularis, cujus tempore in Asia quoque alii fuerunt, quos ascivit procul dubio, quia ipse non videbatur sufficere, nempe Rex Ponti, Rex Elamitarum, Rex gentium, qui omnes & singuli tam late imperitasse non videntur. Hærent hic Interpretes & difficultatem objectam vident, atque nunc hac nunc alia arrepta tabula portum petunt. Ebræi per Amraphelem intelligunt Nimrodum, qui authoritate Chronologorum premuntur, qui observant Bellum hoc gestum fuisse anno plus minusve octogesimo Abrahami, quinquennio post quam ingressus est terram Chanaan, quam adiit septuagesimo quinto ætatis suæ, ut constat ex *Gen.* XII. vers. 5. nec non Josephi, qui illum vocat *Marpheden.*

Eupolemus apud Eusebium putavit Reges illos fuisse omnes Armenos, sine ullo indicio; cumque dissitos contendisse cum Regibus terræ Sodomeæ non sit probabile, ab Interpretibus omnibus, quos quidem vidimus, deseritur. Quanquam, si hoc esset, pro nobis staret, stabiliendo Imperium Armeniorum, & subducendo vestigium omne Assyriaci illius Imperii. Diodorus Bellum hoc vocat πόλεμον ὃν ἐπολέμησαν οἱ Πέρσαι. at si hi Reges fuerunt Persæ, Imperium Assyriorum non tam amplum fuit, ut fuisse fingitur, & falsum erit, quod de Nino refertur, illum Persas & Susianos suo adjecisse Imperio.

Aliquid sibi dicere videntur, qui ex Josepho volunt hanc expeditionem factam ductu & auspiciis Marphedis Regis Assyriorum, quem volunt fuisse illum, qui in serie Assyriorum Imperatorum dicitur Ninias sive Zameis. Sed & hic nullum præsidium: nam nomen Marphes apud Josephum confictum, nec ullibi alibi apparet. Præterea quomodo probabitur Marphedem illum esse Niniam, quem alias fingunt otio & ventri deditum. Insuper credibile non est hunc Imperatorem collaterales admisisse Reges, Regem Ellazar, quam quidam volunt Hellada in Cœle-Syria, probabilius Pontum in Asia minore, cum tamen secundum Diodorum & Ctesiam Pontum sibi subjecerit Ninus, Regem Elamitarum sive Persarum, Thadal Regem Gentium, qui ita secundum quosdam dicitur, quia non unius linguæ gentis, sed aliquot populorum, qui diverso idiomate inter se utebantur, Imperator in Syria Palæstina. Unde etiam ductus difficultate rei Genebrardus succubuit, & Hugo Grotius cum nullum posset nominare, qui Amraphel ex serie Imperatorum Assyriacorum, maluit silentio illum transire, quam cum cæteris Interpretibus nugari. Adde quod Cedorlaomero a quibusdam præcipuæ tribuantur partes in hoc Bello, principatus inter cæteros. Nec abnuit Gregorius Abulpharajius, qui pagina mihi 13. scribit: *Abrahamum Bellum cum Regibus Cedorlaomeri gerentes ipsos devicisse.*

Secundo; quæ de Semiramide vulgata plæraque inter fabulas sunt referenda, nec tantæ illa est vetustatis ut dicitur. Fabulosa est illius origo, quasi Patria Ascalonitis, filia Deæ cujusdam Syræ nomine Derceti sive Artagatis vocatæ, quæ natum ex furtivo concubitu in petra exposuerit, seipsam vero in lacum Divorum abjecerit, ubi facta sit Dea, altera ex parte piscis, ut Diodorus refert, a quo dissentit Athenagoras. Fabulosa quoque ædificatio Babylonis & Ninives, quam Scriptura refert ad Nimrodum, quarum posteriorem Diodorus ad Euphraten collocat, Herodotus Tygri vicinam asserit, cui Ptolomæus & Plinius adstipulantur.

Vetustatis figmentum vero prodit ipse Herodotus, dum illam πέντε γενεαῖς *quinque generationibus* priorem Nitocri Labyniti Matre, quem Cyrus devicit, fuisse asserit; & si quinque generationes faciunt centum & quinquaginta annos, Semiramis vix ducentis annis superior fuit Cyro Persarum principe. Quomodo itaque Uxor Nini, qui vixit tempore Abrahami, a quo usque ad Cyrum effluxerunt anni mille quingenti, vel etiam sexcenti? Tertio; si Semiramis Templum aliquod construxit, potius Belocho Patri quam Belo socero ædificasse illud & dedicasse credendum erit. Ita enim Eusebius: *Assyriorum octavus decimus Belochus annis viginti quinque, cujus Filia Atossa, quæ & Semiramis, regnavit cum Patre annis duodecim, quanquam & hæc chronotaxis non conveniat cum cæterorum calculo.*

XV. Non obscure ex dictis colligi potest, Antiquitatem Asylorum in Gentilismo, quæ a quibusdam defenditur, esse mere imaginariam, cum nec Assyrophenis simulacrum, nec Beli statua, nec Templum illud a Semiramide extructum socero, ullo nitantur fundamento, nulla gaudeant fide historica, adeoque Antiquitatis Gloriam manere

ſartam, tectam & illibatam Aſylis Hebræorum, Urbibus Refugii in gente antiquiſſima, & cujus ex annalibus præ omnibus aliis, qui agnoſcere coguntur ſe in ἀδήλῳ & inani temporum portione, umbras ſectari, veritas illimis haberi poteſt, quod uberius confirmat Aſylum Cadmi & Herculis, quod inter antiquiſſima Scriptores referunt. Cadmus enim regnare cœpit anno ſecundo bis milleſimo quingenteſimo, vigeſimo octavo; quanquam alii illum ad annum ſecundum, bis milleſimum, ſexcenteſimum vigeſimum quintum referant, cum jam octuaginta effluxiſſent ab exitu Iſraelitarum, Othniel & Phinees præerant populo: imo eundem alii rejiciant in annum bis milleſimum ſeptingenteſimum trigeſimum ſeptimum ad tempora Deboræ & Baraci, de quo Euſebius: *Cadmus ad inquirendam Europam egreſſus Cadmæam condidit & Thebis regnavit. Cum autem vicini circum populi repente eum invaſiſſent, quia undique in eum tanquam e terra confluxerant Spartas ὡς ἀπὸ γῆς συῤῥεῖν appellavit, ut ait in primo Phalæphatus.*

Poſterius itaque fuit hoc templum Thebanum, hoc Aſylum Cadmi triginta quinque, poſterius primis Civitatibus Refugiorum in terra cis-Jordanenſi, poſterioribus tribus annis viginti quinque recentius, ſi primæ inhæreamus ſupputationi, longe poſterius, ſi cæteris, illud quod Herculis tempore dicatum vel vivo ad Canopium oſtium Nili, vel mortuo Athenis poſitum ab ejus filiis & nepotibus, quodque dictum *Ara Clementiæ*; poſterius eſt præter propter ducentis annis Aſylo Cadmi; quod denique aperuit Roma condita Romulus, incidit in annum Mundi ter milleſimum ducenteſimum undecimum; ita computantibus etiam illis, qui alias pro vetuſtate φυγαδευτηρίων ſtant, & cum Imperio Aſſyriaco cœpiſſe illa defendunt.

XVI. Progredimur ad cauſam efficientem Aſylorum inter Gentiles, quæ ex diſputatis aliqua ratione effulget. Si enim Cadmus primus fuit, quantum quidem conſtat ex Hiſtoria, qui conſtructis Thebis ad replendam urbem incolis Aſylum condidit, conſequens eſt, illum tanquam Authorem & Cauſam inter Gentiles hujus Inſtituti eſſe laudandum Si condidit annis triginta quinque, vel ad ſummum quadraginta ſeptem, poſt priores tres Refugii Urbes a Moſe deſignatas, probabile eſt Cadmum ad exemplum Ebræorum eodem jure voluiſſe inſignire Thebas, adeoque cauſam προκαταρκτικὴν, quæ exterius movet, fuiſſe Aſylorum in DEI populo deſignationem.

Notum eſt Diabolum eſſe Simiam operum divinorum, & quæ Numen illud æternum conſtituit in ſuo Cœtu, ſtuduiſſe, ut Tertullianus loquitur, æmulanter in alienis ab Eccleſia exprimere. Dum itaque ſecernerentur in terra ſancta Urbes confugii, callidiſſimus ille Spiritus, ne ſuo aliquid deeſſet Regno, ad conſtitutionem conſimilium media fama & rumore de illis ſparſo, Gentibus tale quid perſuaſit, quod etiam Genebrardo non diſplicuit ſcribenti: *Mihi probabile eſt Cadmum ex Ebræis id accepiſſe: cum enim nuper civitates refugiorum eſſent conſtitutæ, probabile eſt, ſparſum fuiſſe de illius rumorem quod per confugia homicidarum, accolis abundarent, ut inde inferre potuerit Cadmus, multo plures ad ſuam illam novam urbem confluxuros, ſi non ſolis homicidis, ſed quorumcunque criminum reis impunitas concederetur.*

Si denique condidit affectu quodam commotus in homines palabundos, cauſa προηγουμένη, ſive interna, movens & impellens ſtatuenda erit, Affectus quidam vel commiſerationis, vel utilitatis; ad quam accedunt aliæ quoque, nempe plauſibilis illa opinio, qua homo intuitu alicujus mali etiam ſibi quandoque imminentis in media propendet conſervationis & declinationis a ſe & ſuis horrendi excidii; qua præterea exiſtimat Numini deberi Reverentiam & Deorum Voluntati Subjectionem, quorum ex inſpiratione vel juſſu Aſyla cœperint, quæ proinde etiam ſancta & ſacra, quorum confugio quoque fuerint nobilitata, quorum denique vindicta in illos, qui Jus Aſyli violarunt, oſtenderit, quantum curæ cordique ſit Numini iſtiuſmodi locorum Immunitas. Acceſſit ratio communis Boni, cum utile ſit, eſſe in Republica φυγαδευτήρια, in quibus per miſericordiam conſulatur illis, quos inopina miſeria depreſſit.

XVII. Non itaque admitti poteſt, quod quidam ſibi perſuaſerunt, Aſyla eſſe vel Juris divini, vel naturalis, vel gentium. Non primum; quamvis enim in Republica ad Jus divinum poſitivum ſit recurrendum, Gentiles tamen mandatum quoddam expreſſum a Deo accepiſſe de conſtituendis Urbibus Refugii, vel lege data Iſraelitis fuiſſe obſtrictos ad conſimilem ſtructuram, nullo argumento vel indicio demonſtrari poteſt.

Non alterum; nam quæ Juris naturalis ſunt, illa intrinſecam dicunt Bonitatem & honeſtatem, non variant, ſed conſtantem retinent Eſſentiæ typum, & obligationem inducunt in conſcientia; quis autem hoc affirmet de Aſylorum inſtituto, quod adiaphorum apud aliquas gentes fuit obſervatum, inter alias neglectum, neque conſcientiam ita conſtrinxit Reipublicæ vel ſummi Moderatoris in illa, ut debuerit neceſſario Aſyla erigere, & non potuerit pro arbitrio illorum conſtitutionem omittere vel declinare.

Non tertium; ſive enim Jus gentium dicamus illud, quod a conſenſu populorum ortum & vim obligandi accepiſſe dicitur; ſive id, quod mutuam quandam gentium obligationem dicit, eo referri hoc inſtitutum nequit; cum ille Conſenſus populorum nequeat demonſtrari: neque unquam de mutua obligatione populorum & gentium circa hoc punctum quicquam innotuerit.

XVIII. Quamvis autem in oppoſitum moveri poſſet, penes quam plurimas gentes, ubi ſemel cœpit jus Aſyli, fuiſſe receptum illud ab aliis, ipſa ratione naturali in Immunitatem talem ſponte ſua propendente, eodem ductu extra divinam conſtitionem Ebræos Tabernaculo & altari tantum detuliſſe; nec non qui ad Templa confugiunt Dei tutelæ commiſſa, non invadendos eſſe oſtendiſſe, ſacrilegio affine eſſe illum, qui totum ſe committit & offert DEO, irreverenter haberi, adeoque in primum *Decalogi* præceptum impingi, ſi Templis non illibata ſtet immunitas, eo confugientibus inviolabilis ſecuritas: nihilominus exiſtimamus perſiſtendum in illa, quam theſi præcedenti expoſuimus.

Nam Primo non eſt conſequens: populi ad primam Aſylorum conſtitutionem proni fuerunt in receptum hujus inſtituti, ſuadente etiam ipſa ratione naturali; ergo illa conſtitutio eſt Juris vel divini, vel naturalis, vel gentium; cum longe aliud ſit rationem aliquid plauſibiliter ſuadere, aliud legem inſitam hoc vel illud dictare & imperare.

Secundo ſub rationis Regimine & Directorio non tantum ſunt honeſta & intrinſeca bona, ſed etiam utilia, commoda, vel privatis vel integræ Reipublicæ convenientia, & utut ratio faculam alluxerit, hic ſuaſerit gentibus receptionem hujus inſtituti, nondum concluſum erit, induxiſſe illos ad aſſenſum ſub ratione honeſtatis objectivæ. Suf-

ficit, quod moverit sub propositione alicujus boni, commodi, & convenientis. Successit Numus permutationi & a populis facile fuit apprehensus, utut illa fuerit vetustissimæ, ut volunt, originis; quis tamen concludat Numi receptionem & usum esse vel Juris divini, vel naturalis, vel gentium; aut receptum esse illum in locum permutationis, sub ratione Boni cujusdam honesti, & non potius utilis & ad commercia commodi.

Tertio; posito etiam sub ratione honesti Gentilibus fuisse vel persuasam a quibusdam receptionem, vel rationis etiam stricturas eo deduxisse: nondum tamen stabit ex Jure divino, vel naturali, vel gentium hic fœtus: non tantum, quia multa Gentilibus vel a Sacerdotibus, vel a Rerumpublicarum Rectoribus sunt persuasa tanquam honesta, quæ tamen præter umbram illorum nihil habuerunt: verum posito etiam quod ratio affulserit, non una eademque est Honestatis ratio, nec unus idemque illius gradus, sed insignem habet & hæc latitudinem, ut quædam proxima legi, quædam vero prudentiæ, in hoc vel illo tempore & casu adhibendæ.

Alterum a Populo Ebræo deductum plane infirmum est. tum quia non potest evidenter demonstrari Tabernaculum & Altare habuisse Jus Asyli. quanquam probabiliter conjici possit hoc ex argumentis supra a nobis productis; tum quia si habuerunt hoc jus, nunquam credendum erit habuisse illa id ex consuetudine aut dictamine rationis naturali, sed potius ex dispositione divina, cujus vestigia supra ex Scripturis sunt ostensa; tum quia Respublica Ebræorum erat Theocratia, penes quem itaque κύριον & κράτος in illa, penes ipsum fuit designare loca immunitate gaudentia vel gavisura: non vero penes illum, qui subjectus in totum regimini divino, atque non secundum rationis suæ dictata debuit sibi vel hoc vel illud construere, sed ad voluntatem summi Rectoris unice respicere.

Tertium non urget, quia, si ponamus, rationem ostendere illos, qui confugiunt ad Templa debere esse securos: non tamen id ostendet sub ratione alicujus præcepti stricte sic dicti; cum, ut supra dictum, ratio non uniformiter se habeat ad sua subjecta: præterea multa sunt, quæ ratio ita suadet, ut probabiliter agat, & oppositum quoque illius probare possit. Utut itaque rationi conveniens ut aliquo fruantur umbraculo, qui ad DEUM se conferunt: non tamen dissonum etiam illi, indignos esse conspectu & tutela DEI sceleratos vel pollutos, neque sordium ac vernilium carcinomatum receptione Templa esse contaminanda. Secundo, si subducatur res consecrata DEO, sacrilegii formam induit illa subductio, & sub genere furti comprehenditur. at si negetur alicui immunitas in loco sacro vel avellatur, longe alia est ratio. partim quia ipsæ res non sunt contaminatæ aliquo scelere, excludendus vero asylo reus est, & vel culpæ vel sceleris alicujus labe aspersus; partim quia talis se non offert DEO in ministerium, ut sacri alicujus officii intuitu fiat inviolabilis, sed solum ut pœnas & supplicia declinet; partim quia stante hac ratione etiam sceleratissimis esset in Templis & istiusmodi locis refugium; cum tamen DEUS voluerit abripi ab Altari, qui manus sanguine proximi impie cruentassent. Tertio, Numen non irreverenter habetur, etiamsi Templis talis immunitas non assignatur; imo potius in injuriam illius cedit, si fiat stabulum etiam nequissimorum. nisi velimus dicere, DEO aliquid adversi commissum, quia Joabus abreptus ab Altari ob geminam cædem occisus est, de quo 1. *Reg.* 11. *v.* 29. 30. & sequentibus.

A XIX. At dices: si res ita sese habeat cum Asylis, ut sint inter gentes constituta a Cadmo, ab hominibus cœcis, ab Herculis filiis & nepotibus profecta ex κακοζηλία, Dæmonis astu sacra Judæorum imitante, opinione tantum plausibili affectus, vel in aliorum miseriam proni, vel in propriam utilitatem inducti, si nullo jure gaudent vel divino, vel naturali, vel gentium. Num non itaque satius esset illa inter βδελυγματακύριον referre, quam probe constitutæ Reipublicæ ornamenta?

Verum hæc nondum demonstrant Asylorum institutum esse nullo superstructum fundamento, esse tubera Reipublicæ, non ubera Misericordiæ. B. Nam primo, quamvis inter Gentiles non fuerint absque sordibus, & ex causis recensitis initia duxerint: in se tamen spectata non vitiosa fuerunt, nec illaudabilia; quia, alias nec ipse DEUS velle potuisset, ut illa in terra, quam hæreditariam suis fecit, abundarent. Secundo, quamvis in Gentilismo nec Juris divini, nec naturalis, nec gentium fuisse ostensum sit; dantur tamen tertia, quæ indifferentia; talia, quæ juris humani vel civilis esse possunt, quibus suus in ordine Institutorum relinquitur laudabilis ordo; Tertio; si præscindantur illæ causæ, quæ gentes induxerunt ad Asylorum C constitutionem, & aliquid habuerunt vitii, commode dici potest æquitate alias niti illam, ut scil. innocenti subveniatur, sanguis humanus temere non effundatur, Misericordia miseris, Tutela infortunatis prædetur.

XX. Causa etiam Asylorum ut sic fuit potestas summa in Republica & adhuc est, adeoque hoc institutum sese refundit in Majestatem illius, qui Reipublicæ præest, utut in Gentilismo & Asylis Ethnicorum, qua talibus supra recensitæ causæ obtinuerint.

Nam primo; cum Israelitarum Respublica fuerit usque ad Regum tempora Theocratia & κύ- D ριον illius penes DEUM, ideoque in ipsum referenda erat Asylorum constitutio, unde colligitur in illa Republica, quæ diversi ordinis & per Regem vel Principem gubernatur, qui vicarius DEI in his terris, cum κύριον sit penes talem ab ipso ejusque potestate divinitus delegata procedere hoc Jus, hanc immunitatem localem, hoc institutum Asylorum.

Secundo, cujus est condere leges in Republica, ejusdem quoque est jura particularia & privilegia concedere, loca aliqua immunitate munire; atqui summæ potestatis est leges sancire, ut docet Aristoteles.

E Tertio, Imperatoris, Regis vel Principis, qui habet majestatem, est prospicere Reipublicæ, ne detrimentum capiat, ut omnia, quantum fieri potest, optime sint in illa disposita, & justitia cum æquitate regnet, gladii fulgor terreat improbos, Gratiæ umbraculum tueatur miseros. Huic autem intento vel maxime inservit Asylorum institutum. Ex officio itaque agere censendus erit, qui summa gaudet in Republica potestate, si loca istius conditionis & juris designet.

XXI. Sufficienter, ut quidem existimamus, egimus de Asylorum Origine, Antiquitate, Causis; F quapropter transimus ad Objectum, sive materiam, circa quam illa Loci immunitas fuit occupata, cui profuerit ex Gentilium instituto. Primo autem jure Asyli fuisse gavisos Servos in Gentilismo quidam opinantur; secundo criminum qualiumcunque reos; tertio Obæratos. Quanquam vero non negamus hæc tria genera hominum confugere solita fuisse ad Asyla, & ibi aliquam impetrasse veniam: non tamen illis subscribimus, qui statuunt, primos confugas fuisse servos, & Assyrophenis instituto stabilire nituntur, cum supra sit dictum, quid de hoc

sit sentiendum, quique secundi ordinis homines confugisse ad statuam Beli primum afferunt, & huic tibicini nituntur, quem infirmum esse late in dictis ostendimus. Melius itaque & prudentius agunt, qui testimonio Taciti utuntur scribentis: Complebantur Templa pessimis servitiorum, & addit eodem subsidio obæratos & tandem suspectos capitalium criminum fuisse receptos, ex quo Justus Lipsius numerum illum confugarum congrue deducit.

XXII. Ipsa essentia sive forma, ut loquuntur, talium Asylorum constitit in immunitate, quæ pro varietate specifica vel individuali quoque variat. Nota est distinctio immunitatis in personalem, realem & localem; cui quidam addere volunt aliam adhuc speciem, quo veritatis titulo, non attinet nunc disquirere. Ultima vero ex recensitis ita intima est Asylis, ut ne quidem concipi possit Asylum absque immunitate locali, quæ tamen, ut dixi, variat. Servi enim fugientes ad Asylum illud, quod quondam ad Canopium Nili ostium, libertatem consequebantur, in cæteris vero tantam indulgentiam non exspectare poterant, sed tantum vel impunitatem ex occasione delicti, vel facultatem contra Dominos justam querelam proponendi, ut tum ex legibus, tum ex Historicis constat. Criminum rei vel suspecti & quidem capitalium Asylorum jure usos ita fuisse, ut nemo manus cuidam inferre potuerit, ex laudato loco colligimus. Ex quo quidam ulterius concludunt: si illis criminibus concessa fuerit impunitas istiusmodi locis, multo magis levioribus. Interim Palladis Templum Pausaniæ Majestatis accusato apud Lacedæmonios plus profuit, quam ejusdem ædes Cassio, Bruto apud Romanos. Consulantur Historici. Obærati denique ita Asylorum jure defendebantur, ut quidem æs alienum illis non remitteretur, interim tamen nulla vis illis vel vitæ illorum inferri potuerit, utut non infortunio fuissent dejecti in miseriam, sed sponte luxui & crapulæ litantes sese in illam præcipites dederint.

XXIII. Finis, usus, effectus fuit in genere primo tutari confugas, speciatim vero indulgere hoc vel illud Bonum, prohibere ne confugæ vel caperentur vel extraherentur, vel carceri manciparentur; denique cavere, ne verbo aut facto impune læderentur. Contaminavit vero Asyla Gentium Abusus deterrimus, de quo ipse Tacitus conqueritur. Commemorat autem duobus in locis: *Ubi ex vi*, inquit, *promptum est quod multorum intimis quæstibus tegebatur; incedebat enim deterrimo cuique licentia impune probra, & invidiam in bonos excitandi, arrepta imagine Cæsaris: excitabant autem in bonos invidiam, simulando se eorum timore ad asyla confugisse, seu imaginem Imperatoris gestare. liberti etiam, & servi patrono, vel domino, cum voces, cum manus intentarent, ultro metuebantur*. Statim addit, C. Cestium senatorem ita ratiocinantem: *Principes quidem Deorum instar esse, sed neque a Diis injustas supplicum preces audiri, neque quenquam in Capitolium, aliave urbis templa perfugere, ut eo præsidio ad flagitia utatur*. Subdit: *abolitas, & funditus eversas leges, ubi in foro, in limine curiæ ab Annia Ruffilla, quem fraudis sub judice damnasset, probra sibi & minæ intendantur, neque ipse audeat jus experiri, ob effigiem Imperatoris oppositam. Atque hæc quidem Cestius conquestus, neque dissimilia alii, & quidem atrociora obstrepebant*. Posterior Taciti locus ita habet: *Crebrescebat Græcas per urbes impunitas asyla statuendi, complebantur templa pessimis servitiorum, obærati etiam & rei capitalium criminum eodem subsidio receptabantur, nec ullum satis validum imperium coercendis seditionibus populi flagitia hominum, ut ceremonias Deum protegentis*.

XXIV. Movit hic morbus Tiberium Cæsarem, ut de remediis dispiceret, quorum primum accurata in Asylorum numerum inquisitio, quam secutum fuit Senatus decretum, ut Legati mitterentur ab omnibus qui immunitatibus abundabant, & rationem redderent de illis, ostenderent qua authoritate essent introductæ. Multa quippe Asyla erant, quæ citra jussum Majestatis, citra notitiam Imperatoris cœperant; quapropter inquisitione instituta territi, qui tantum indulserant, abstinere maluerunt quam gravius quid sustinere, atque ita sponte plurima vanescere cœperunt. Alterum erat severa in Ruffillam animadversio, qui abusus jure Asyli, remotus cæteris timori fuit. is enim cum probris & injuriis impeteret Cestium Senatorem, & objiceret Imaginem Cæsaris, Cestius conquestus est, & propterea commoti ireindignatione omnium animi, adeo, qui præsentes aderant, Drusum ut precati obnixe fuerint, ut daret ultionis exemplum, ut accitum ille Anniam, convictumque publica custodia attineri jusserit. Tertium denique erat Asylorum abrogatio, vel in totum, uti vult Suetonius, vel quoad partem, numerum & modum.

XXV. Constat ex disputatis insigne illud discrimen inter Asyla Ebræorum & Gentium. Nam primo Asyla Ebræorum erant ab ipso DEO, qui sanguine humano & infortunato homini illorum designatione cavere voluit; Gentium vero a diabolo instituta divina imitante, ab Affectu humano præpostero, & opinione qualicunque & quandoque absque authoritate politica ab hoc vel illo intempestivæ Clementiæ patrono duxerunt originem. unde etiam inferiora Ebræorum Asylis tempore, quæ primum fuerunt in Terra Sancta jubente DEO conspicua.

Secundo, Asyla Ebræorum tantum recipiebant homicidam involuntarium, innocentiæ patrocinabantur infortunatæ: at Asyla Gentium longe latius se porrigebant. Confugiebant enim ad illa servi, obærati, &, quod maximum, Nebulones & sceleratorum nequissimi, ut non tam fuerint præsidia simplicitatis miseræ, quam latibula & speluncæ impietatis detestandæ, sentinæ maleficorum.

Tertio, Asyla Ebræorum in hunc finem a DEO fuerunt extructa & destinata, ut justitia & æquitas vigeret, & sanguis humanus non prodigeretur; ita tamen, ut etiam altare non fuerit subsidio illis, qui dolose egissent: Gentilium vero Asyla vel constituta fuerunt utilitatis intuitu, ut scil. manipulus nebulonum in Rempublicam proficeret, vel Impietatis respectu, ut stabiliretur Apotheosis profanorum, frena laxarentur licentiæ, Leges conculcarentur & scelerata Manus, quæ tortorem internum effugere non poterat, haberet externum adversus Justitiam munimentum, tutelam & Refugium.

XXVI. Talia vero apud Gentes multa fuerunt & varia. Et quidem primo Templa & circum illa Luci, intra vero illa Statuæ. Tale fuit Templum Dianæ Ephesinæ, cujus libertatis termini ab Alexandro ad stadium usque fuerunt extensi, a Mithridate ulterius, ab Antonio ad urbis usque partem; recepti in illud maxime debitores, ut constat ex Strabone & Plutarcho; Lucus absque Templo Romæ, de quo Strabo: Romulus mortales convocans Urbe condita aggregat, sacrum quendam Lucum inter collem Palatinum & Capitolium aperit. Virgilius libro VIII. *Æneidos*.

Hic lucum ingentem, quem Romulus acer Asylum
Retulit, & gelida monstrat sub rupe Lupercal.

tandem Ovidius:

Romulus ut saxo lucum circumdedit alto,
Quilibet huc, inquit, confuge, tutus eris.

Lucus cum Templo illo Apollinis apud Delos, qualia quoque secundum quosdam Ephesinæ & Persicæ Dianæ Templa. Statuæ tandem: qualis fuit Neptuni, quam Tenii Apollinis oraculo erexerunt in æde, eandemque eidem sacraverunt, quanquam & ipsa ædes fuerit Asylum. Complura autem fuerunt istiusmodi Immunitatis Templa. Hermoniæ in Peloponeso sacrum Cereri & Proserpinæ, Templum Hebæ Deæ, in arce Phtiasiorum, in quo confugæ cujusvis criminis impunitatem consequebantur; Fanum Neptuni in Tænaro, Dianæ in Thracia, in Aphrodisio & Papho Veneris, apud Stratonicenses Jovis & Triviæ: Herculis in Canopo, Minervæ in Arce Spartana, Palicarum apud Siculos infortunio oppressis destinatum, Solis Templum ab Heliogabalo constitutum Romæ, Junonis Samiæ & Æsculapii Delubrum.

Secundo, Asyla fuerunt inter gentes Aræ. Ita Athenis fuit olim Ara Misericordiæ in urbis medio collocata, de qua Statius lib. II. *Thebaidos* ita:

Urbe fuit media nulli concessa potentum
Ara Deum, mitis posuit Clementia sedem.

Apud Molossos, Crotoniatas, & Messenios Deorum aræ jure asyli gaudebant; Ithacensibus erat Refugium Jovis Servatoris Ara, Romanis Ara Concordiæ, cujus meminit Hieronymus.

Tertio, Ædes. Ita Dialis Flaminis si quis introivisset, solvi eum necesse erat, & vincula per impluvium in tegulas subduci, atque inde foras in viam demitti; & si quis ad verberandum duceretur, & ad pedes ejus supplex procubuisset, eo die verberari piaculum erat, teste Gellio *lib.* x. *cap.* xv.

Quarto, Sepulcra. Ita Thesei Sepulcrum apud Athenienses; ita Julii Cæsaris constructum in foro, ubi cadaver ejus combustum erat, Asyli privilegio fuerunt condecorata.

Quinto, statuæ & imagines Imperatorum. Ita apud Alexandrinos venerabilis erat Ptolomæi statua, & confugientes ad illam servi nexu solvebantur. In Aspendo Pamphyliæ Tiberii Imperatoris statuæ pro Asylo fuerunt, & passim, si capti bello ad Imperatorum Regumque statuas confugissent, velut ad Asylum immunes erant, ut manus non potuerint illis injici. Ita Ruffilla objecerat Cæsaris Imaginem, atque se tutum illa esse existimabat. Accesserunt signa & Aquilæ, quas amplexi Jus Asyli consequebantur, teste Tacito *lib.* I. *Annal.* & Gellio *lib.* x. *cap.* xv.

Sexto, Insulæ etiam & illarum incolæ, nec non variæ Urbes, & homines. Calmiria, Insula Peloponeso vicina, Neptuno fuit sacra, Asylum habens cum Templo Dei, ad quod septem Urbes conveniebant, Hermonie, Epidaurus, Ægina, Athenæ, Prasinum Nauplia, Orchomenus, Minyarum, pro Naupliis Argivi, pro Prasiis Lacedæmonii consecrabant. Arimphæi vicini Scythis, haud dissimilis Hyperboreis gens, quibus sedes nemora, alimenta baccæ, capillus neglectus, ritus dementes, sacri habebantur inviolatique, etiam feris accolarum populis; nec ipsi modo, sed & illi, qui ad eos perfugiebant, teste Plinio. Thyssagetæ itidem quondam sacrosancti fuerunt, & justissimum confugientibus suo jure præbebant Asylum, teste Bonfinio; Δούλων πόλις in Libya, in quam si servus lapidem importasset, continuo liber fiebat, etiamsi peregrinus fuisset. Ιεροδούλων civitas itidem servis dicata, in qua unus tantum ingenuus vivebat. Δυλόπολις χιλίανδρος in Creta, πονηρόπολις in Thracia, in quam Philippus velut in sentinam collegit infames ad minimum ducenta millium, & consimilis in Ægypto.

XXVII. Superest ut mentem nostram exponamus de Ara illa, cujus meminit Lucas *Actor.* XVII. *v.* 23. idque ideo, quia quidam illam inter Asyla referunt, & eandem esse volunt cum Ara Misericordiæ. Nicolaus Lyra hæc reliquit in *Commentario*: *Aliqui dixerunt, quod hoc Altare fuit consecratum & institutum a posteris Herculis, qui post ejus mortem ejecti e Regno suo & potestate recurrerunt ad auxilium Atheniensium, per quod restituti fuerunt ad statum pristinum, propter quod dicunt Misericordiam in Athenis posuisse sibi sedem, cui consecraverunt Aram, seu quod Misericordia non erat aliqua persona, quæ fuisset nota hominibus, sicut Jupiter & Mercurius fuerant, quos Gentiles ad Deos translatos esse dicebant. Altare illud intitulatum fuit Ignoto* DEO, *& determinatum, quod non fierent oblationes & sacrificia, nisi de gemitibus, lacrymis & precibus miserorum, ibidem misericordiam postulantium.*

XXVIII. Quo minus autem huic accedamus opinioni multa retardant, quæ falsitatis vestigia notant. Nam primo longe alia recensetur occasio Aræ hujus extruendæ. Chrysostomus existimat, quod Athenienses cum multis Diis Aras erexissent, ne alius forte DEUS esset præter istos, a quibus opem & auxilium sperabant, qui se neglectum ægre ferret, Aram quasi supernumerariam erexerint, & Ignoto DEO dedicarint. Card. Baronius & Lorinus opinantur Athenienses ex Trismegisto & oraculis Sibyllinis hausisse, esse DEUM aliquem invisibilem ac incomprehensibilem, & propterea Aram iidem erexisse, vel a Philosophis Pythagoricis aut Platonicis, qui unum DEUM colebant, persuasos fuisse, ut Aram quoque illi inter tot Deastros, quos colebant, construerent, a qua sententia non alienus quoque est Caspar Sanctius in *Commentario* ad hunc locum.

Tandem Isidorus causam duplicem ponit: primam quidem, quod cum Persæ expeditionem in Græciam suscepissent, & auxilia per cursorem solicitassent a Lacedæmoniis, obviasse illi ad montem Parthenium Panis spectrum, atque culpasse Athenienses ob sui neglectum, & promisisse auxilium, cultum in posterum ei quoque exhibituris. Obtenta itaque victoria Aram hanc cum inscriptione Θεῷ Αγνώςῳ dedicasse; secundam, quod cum pestis λοιμὸς aliquando immaniter grassata fuisset, nec quidquam obtinere potuissent auxilii a Patriis Diis, ad aliud Numen hactenus ignotum fuisse compulsos, & eidem Aram hanc cum hoc titulo posuisse; quas historias quoque Heinsius refert, & posteriorem *Commentariis* suis etiam intulit Oecumenius.

Quamcunque autem sententiam ex hisce amplectaris (lubenter enim præterimus illam occasionem, quæ jungitur ex Eclipsi, tempore Passionis miraculosa) nihil accedet sententiæ illi a Lyrano productæ, neque cum illa consistet. Ita enim causa Aræ illius constitutæ non fuit posterorum Herculis Beneficium, Restitutio scilicet, sed vel opinio aliqua de Numine præter Deastros colendo, vel manuductio ex libris ad Deum unum, vel bellum, vel pestis, quibus compulsi hoc Venerationis Monu-

mentum posuerunt. Secundo repugnat Inscriptio. non meminit Apostolus ullius Aræ Misericordiæ, sed cujus inscriptio fuerit Αγνώστῳ Θεῷ: si itaque hanc inscriptionem habuit, non fuit illa titulo Misericordiæ insignita, non de qua Statius:

Urbe fuit media nulli concessa potentum
Ara Deum, mitis posuit Clementia sedem.

Et, si rejiciuntur Inscriptiones, quæ ab Hieronymo producuntur & Beza, ideo, quia in plurali conceptæ sunt, utique & hæc erit rejicula, quia a titulo, quem Paulus signat, recedit.

Quid, quod adhuc disputari possit, num posteri Herculis hanc Aram Misericordiæ erexerint tanquam DEO cuidam benigno: num vero sufficerit illis ut monumentum Misericordiæ illis ab Atheniensibus exhibitæ construxisse, & privilegio quodam ornasse? Tertio; Aram illam Misericordiæ Asylum fuisse constat ex Statio, qui ita de illa:

Miseri fecere sacram sine supplice nunquam
Illa novo; nullis damnavit vota repulsa.
Auditi quicunque rogant, noctesque diesque
Ire datum.

at quod Ara hæc fuerit Asylum nullo indicio constat, sed potius oppositum dispallescit, si tota series discursus bene & accurate expendatur.

F I N I S.



JOH. BAPTISTÆ CROPHII

ANTIQUITATES MACEDONICÆ,

SIVE

DE REGIO MACEDONUM

PRINCIPATU, MORIBUS, ATQUE MILITIA,

DISSERTATIO.

JOH. BAPTISTA CROPHIUS
BENEVOLO LECTORI

Ὑγιαίνειν καὶ εὖ πράττειν,



NTER literarum monumenta, quibus ſuperius ſeculum ab antecedentium temporum vindicatum eſt tenebris, ſingularem ab eruditis applauſum tulere, quos BARNABAS BRISSONIUS inter decora gentis ſuæ præcipuo loco nominandus, *de Regio Perſarum Principatu Commentarios* reliquit. Quorum exemplum, ſi ad variæ eruditionis copiam ſpectes, nemo facile, niſi per fiduciam aut temeritatem ingentem æmulari affectaverit. Eo magis mirari quiſpiam poſſit, qui ego viribus meis (quam vero parvæ illæ ſint nemo non perſpicit) adeo confiſus, audax ac temerarium, in re, non docta minus quam ſolicita indagine, e Veterum monumentis eruenda, talem tantumque virum imitandi conſilium inire non dubitaverim. Verum quo magis arduum eſt negotium, eo magis ſequendum exiſtimavi magni cujuſdam viri exemplum, ut ejus legens veſtigia tutius in ſuſcepto itinere progredi poſſem. Credidi itaque ab inſtituto & ordine illorum Briſſonii *Commentariorum*, me poſſe non inutiliter auxilium propoſito meo mutuari; quo conſtitueram, Macedonici Principatus adminiſtrationem, Populi illius mores, ac Militaria Inſtituta breviter, & per indicem veluti, deſcripta, colloquio cum Commilitonibus publice inſtituendo ſubjicere. Non parum autem erexit me, quo minus iſtud facere vererer, communis proficiendi regula, qua *ſtultum habetur ſibi ad imitandum non optima quæque proponere*, ut inquit Plinius *lib.* I. *epiſt.* v. Etenim quis non eloquentiæ laudi inhians, Tullio ut quam ſimillimus fiat, allaborat? Aut, quis carmina quæ legi digna ſint ſcripturus, non Maroniana ante oculos habet? Plinii Panegyris non tanti æſtimaretur, *ſi contento ſeculi ſui eloquentia* nulla *cum Cicerone æmulatio fuiſſet*, ut idem *ibidem*. Nec Martialis Britannicus audiret Owenus, ſi ingenii acumine Bilbilitanum vatem æquaturum ſe deſperaſſet. Neque vero mihi tantum ſumo aut arrogo, ut quemadmodum alii non irrito conatu in eorum laudes, quos imitati ſunt, ſucceſſere; ita & me ab ingenio meo aut eruditione impetraturum credam, fore, ut non leviores multo pagellæ iſtæ eruditiſſimis Briſſonii *Commentariis* habeantur. Magis me æquus amavit Jupiter, quam ut iſta, tam vana doctrinæ opinione juſtum in me omnium odium concitare ſuſtineam. Nec illud Senecæ in *Proœm. Controv.* ignoro, quod *nunquam par fiat imitator auctori*. Quod ſi de Viris profunda rerum cognitione præſtantiſſimis adeo verum eſt, cur ego, cui tam curta domi eruditionis ſupellex, meliora fata expectare auſim? Acceſſit autem & aliud, quod me ut iſthæc conarer incitavit, conſilium ſcilicet ſuperiorum, quod apud me mandati locum ſemper obtinet, cuique refragari piaculum duxiſſem. Quippe cum Argentorati nuper bonarum literarum ſtudiis dans operam a Parente optimo admonitus eſſem, laborum meorum Aca-

demicorum ſpecimen aliquod ederem, eamque Parentis voluntatem Viro πολυμαθεστάτῳ Ulrico Obrechto Hiſtor. & Eloq. in Acad. Argent. Profeſſ. P. Patrono atque Præceptori meo multis mihi nominibus colendo, qui & ipſe ad id me hortatus fuerat, aperuiſſem, non indignus ei viſus fui, cui ſpartam, *Diſſertationem de rebus Macedonicis*, ad normam Briſſonii *de Perſicis Commentariorum*, ductu ejus auſpicioque conſcribendi demandaret. Jamque telam exorſus eram, cum pertexere illam partim ingruentes ſuperiori anno turbæ, partim gravior morbus, qui lecto me affixum diutius tenuit, prohibuere. Nunc vero recuperata Dei T. O. M. beneficio meliori valetudine ubi Salanas ſalutare Muſas contigit, reverti ad inſtitutum, atque opus ad umbilicum, pro ingenii viribus perducere viſum fuit. Quare, ſpe præcipue humanitatis publicæ fretus, alacrius denuo manum huic negotio admovi, quæ ne fraudi mihi ſit, judicis juvenilibus conatibus meis non penitus adverſi æquitas præſtabit. Scilicet audendum fuit aliquid, ut verbis utar Fabii, *dum & venia eſt, & ſpes, & favor, & audere non dedecet, ac, ſi quid deſit operi, ætas poſſit ſupplere. Nos ipſi*, ait Lipſius in Epiſtolis, *nonne a decimo nono anno ſcribere atque edere incœpimus? Et quanquam pœnitet, etiam non pœnitet: Quia audacia illa gradum ſtruximus ad majora & meliora.*


ANTIQVITATES MACEDONICÆ
EX MVSEO BOSIANO-SAGITTARIANO SEQ EX MVSEO LAVBERIANO
IV Plum
V Arg
VI Pl
VII Plu
VIII Arg
X In au
XI Ar.
XII Ar.
XIII Arg

INDEX CAPITUM.

LIBER I.

LIBER II.

LIBER III.

JOH. BAPTISTÆ CROPHII
ANTIQUITATES MACEDONICÆ,
SIVE
DE REGIO MACEDONUM
PRINCIPATU, MORIBUS, ATQUE MILITIA,

DISSERTATIO.

LIBER I.

CAP. I.

QUI MACEDONUM NOMINE HIC VENIANT.



SCRIPTURO mihi de Regio Macedonum Principatu, non postulare modo, verum & efflagitare necessitatis quædam ratio visa est, ut antequam illud aggrederer, definirem, quæ mihi terræ, quive populi Macedonum nomine veniant. Siquidem ea gens primo intra terminos Emathiæ conclusa modica portio

A erat ejus regionis, quæ deinde communi Macedoniæ nomine cognominata est [1]; Regnumque eorum ab incunabulis suis admodum angustum a Thessalis incipiens mari propinquabat, ubi urbes Dium, Pydna, Pella, Ægium, primum Regum Temenidarum ab Hercule ortorum domicilium [2]. Cœtera paulatim accrevere atque coaluere. (Quippe Plinius IV. X. olim CL. *populos in Macedonia* fuisse scribit.) Et Thucydides *lib.* II. docet, qua ratione ejectis finitimis gentibus, quarum plurimæ Thracicæ originis fuerunt, Regni sui terminos Macedones protulerint. Ita enim ille: Τῶν Μακεδόνων εἰσὶ καὶ ἄλλα ἔθνη ἐπάνωθεν, ἃ ξύμμαχα μέν ἐστι τούτοις καὶ ὑπήκοα,
B βασιλείας δ' ἔχει καθ' αὑτά. τὴν δὲ περὶ θάλασσαν νῦν Μακεδονίαν, Ἀλέξανδρος ὁ Περδίκκου πατὴρ, καὶ οἱ πρόγονοι αὐτοῦ Τημενίδαι ταρχαῖον ὄντες ἐξ Ἄργους πρῶ-

1. *Justinus* VII. 1. 1. 2. *Thucydides* de B. P. *lib.* II.

ἐκτήσαντο, καὶ ἐβασίλευσαν, ἀναστήσαντες μάχῃ ἐκ μὲν Πιερίας Πίερας, ἐκ δὲ τῆς Βοττίας καλουμένης, Βοττιαίους, οἳ νῦν ὅμοροι Χαλκιδέων οἰκοῦσι. τῆς δὲ Παιονίας παρὰ τὸν Ἄξιον ποταμὸν, στενήν τινα καθήκουσαν ἄνωθεν μέχρι Πέλλης καὶ θαλάσσης ἐκτήσαντο. καὶ πέραν Ἀξίου, μέχρι Στρυμόνος, τὴν Μυγδονίαν καλουμένην, Ἠδῶνας ἐξελάσαντες, νέμονται. Ἀνέστησαν δὲ καὶ ἐκ τῆς νῦν Εορδίας καλουμένης Ἐορδούς. (ὧν οἱ μὲν πολλοὶ διεφθάρησαν, βραχὺ δέ τι αὐτῶν περὶ Φύσκαν κατῴκηται) καὶ ἐξ Ἀλμωπίας, Ἀλμῶπας. ἐκράτησαν δὲ καὶ τῶν ἄλλων ἐθνῶν οἱ Μακεδόνες οὗτοι, ἃ καὶ νῦν ἔτι ἔχουσι, τόν τε Ἀνθεμοῦντα, καὶ Γρηστωνίαν, καὶ Βισαλτίαν, καὶ Μακεδόνων αὐτῶν πολλήν. τὸ δὲ ξύμπαν Μακεδονία καλεῖται. καὶ Περδίκκας Ἀλεξάνδρου, βασιλεὺς αὐτῶν ἦν, ὅτε Σιτάλκης ἐπῄει. Ex interpretatione Laurentii Vallæ, ab H. Stephano recognita, hæc ita se habent: *Inter Macedonas sunt & Lyncestæ & Elimiotæ, & aliæ in superioribus (mediterraneis) gentes, sociæ quidem illis atque obnoxiæ, regna tamen per se habentes. Maritimam autem Macedoniam Alexander Perdiccæ Pater & Majores ejus, qui Temenidæ antiquitus erant ex Argis, primi compararunt, in eaque regnarunt, bello expulsis ex Pieriam quidem Pieribus, ex ea vero quæ nunc nominatur Bottia, Bottiæis, qui nunc Chalcidensium sunt confines. Quin etiam in Pæonia juxta Axium amnem occuparunt angustias quasdam, a montanis ad Pellam usque & mare pertingentes: ac trans Axium, Strymone tenus, eam quæ Mygdonia appellatur, ejectis Edonis. Ejecerunt & ex Eordia (ita namque nunc vocatur) Eordos: quorum permulti deleti sunt, aliquantulumque adhuc ex iis circa Physcam sedes habet: nec non ex Almopia, Almopes. Alias insuper gentes in potestatem redegerunt Macedones hi, quibus nunc etiam imperant, Anthemuntem, Grestoniam, Bisaltiam, & superioris regionis ipsorum Macedonum magnam partem: quæ omnia Macedonia vocantur, regisque Perdiccæ Alexandri filii erant, quo tempore Sitalces invasit.* Refert deinceps Thucydides quomodo Macedones Sitalcis copiis longe impares in loca munita, quæ tamen tum pauca admodum fuerint, sese receperint, hostis aspectum fugientes, seque mœnibus abdentes. Quin Darius Persarum Rex mittens *cum parte copiarum Megabazum ad subigendam Thraciam cœteraque ejus tractus regna*, arbitratus est, *his pro ignobili momento accessuram Macedoniam* [1]. In quam Megabazus deinde ipse *cum exercitus parte* duntaxat *Bubarem misit, ut in bellum facile & mediocre, dedignatus ipse ire ne dehonestaretur prælio tam fœdæ gentis* [2]. Et Demosthenes non uno in loco exprobrat Macedonibus, quod antea Atheniensium fuerint vectigales. (*Orat. ad Philipp. epist.*) & indignum ipsi videtur cum Atheniensibus judicio velle experiri Pella oriundum. (*Orat. de Halonesо.*) Unde & hoc apparet, quare Juvenalis *Sat.* X. ambitionem Alexandri, cui unus non sufficiebat orbis, taxaturus, ipsum potissimum vocet *Pellæum juvenem*. Alia loca Demosthenis ut taceam, ex hostili enim illa probrose in Macedones dicta profecta animo videri queant. Adeo quidem contemnebatur olim Persis pariter ac Græcis Macedonia, quæ tamen deinceps, licet *paulo ante sordida clientelæ Græcorum pars* [3], eo potentiæ Regum suorum felicitate pervenit, ut non solum Persis, sed & toti Orienti viribus suis domando sufficeret.

CAP. II.
MACEDONIÆ, CUM FLORERET, FINES CONSTITUTI. DE STRYMONE AC NESSO FLUMINIBUS.

VIDENTUR autem hi breviter Macedoniæ, cum ea maxime floreret, termini (quos egressa nunquam est, ex collatis veterum autorum, qui eam rem literis tradidere, locis) constitui posse; ut ab Ortu quidem Ægeo mari, tribus peninsulis in Thermaicum, Toronaicum, Singiticum, Strymonicumque, sinus distincto, Nessoque fluvio includatur; A Septentrione Pangæus, Hæmus, Orbelus, Scardus, montes præcingant, & a Dardanis, Triballis, Illyriis protegant; Tum ab Occasu a Lisso ad Epiri usque initia Celidnumque amnem mare Adriaticum & Ionium alluat; A Meridie vero Pindus Chaoniæque montes ab Epiro, Peneus fluvius, Pelii, Olympi, Ossæque juga ad Pieriam usque regionem, quondam Thessaliæ partem, Ægæumque mare a Thessalia separent. Atque his finibus inclusa regio est, quam Macedoniam appellamus, & de cujus Regibus rebusque in sequentibus disserturi sumus. Notandum hic, a nonnullis Veterum, Plinio *Hist. Nat.* IV. X. Solino *Polyh.* cap. XIV & XV. aliis, Strymonem Macedoniæ ab ortu limitem poni, cum Livius atque Dexippus ex Romanorum descriptione Nessi ripis eam terminent. Ex Livio res clara *l.* XLV. *cap.* XXIX. & XXX. ubi devicto Perseo Macedoniam a Romanis in quatuor partes divisam memoriæ prodit, ita ut prima pars quod inter Strymonem Nessumque amnes esset, complecteretur: *Accessisse huic parti*, ait, *trans Nessum ad orientem versum, qua Perseus tenuisset vicos, castella, oppida, præter Ænum, & Maroneam, & Abdera; trans Strymonem autem vergentia ad Occasum Bisalticam omnem cum Heraclea, quam Sinticen appellant. Secundam factam Regionem, quam ab Ortu Strymo amplecteretur amnis præter Sinticen, Heracleam & Bisaltas: ab Occasu qua Axius terminaret fluvius, additis Pæonibus, qui prope Axium flumen ad regionem Orientis colerent*, &c. Respondet hisce Livii egregio parallelismo Dexippi locus, apud Scalig. in *Th. Temp.* ubi Eusebius Dexippi locum habet. Ita vero ille: Τὴν χώραν ὅλων, διεῖλον εἰς δ΄. μέρη. ὧν πρῶτον τὸ μεταξὺ Νέσσου, Ερύμνης, καὶ τὰ πρὸς Ἄβδηρα, καὶ Μαρώνειαν, καὶ Αἶνον πόλεις, πρὸς δυσμὰς δὲ τοῦ Στρυμόνος Βισαλτία πᾶσα μετὰ τῆς ἐν τῇ Σιντικῇ Ἡρακλείας. δεύτερον μέρος, ὅπερ ἀπὸ μὲν ἀνατολῆς ὁρίζει ὁ Στρυμὼν ποταμὸς, ἀπὸ δὲ δυσμῶν ὁ καλούμενος Ἄξιος ποταμὸς, καὶ οἱ παρακείμενοι αὐτῷ τόποι. τρίτον, ὃ περιέχει κατὰ δυσμὰς μὲν ὁ Πηνειὸς ποταμός. Κατὰ δὲ ἄρκτον, τὸ λεγόμενον Βέρνον ὄρος, προστεθέντων καὶ τινῶν τόπων τῆς Πανονίας, ἐν οἷς καὶ πόλεις ἀξιόλογοι Ἔδεσσα καὶ Βέροια. Τέταρτον καὶ τελευταῖον, ὅπερ ὑπὲρ τὸ Βέρνον ὄρος συνάπτει τῇ Ἠπείρῳ, καὶ τοῖς κατὰ τὴν Ἰλλυρίδα τόποις. ἡγοῦντο δὲ καὶ πόλεις δ΄. τῶν αὐτῶν δ΄. μερῶν, τοῦ μὲν πρώτου Ἀμφίπολις, τοῦ β΄. Θεσσαλονίκη, τοῦ τρίτου Πέλλα, καὶ τοῦ τετάρτου Πελαγωνία. In quibus quidem pro σικτικῇ, σιντικῇ, pro Πανονίας vero Παιονίας legendum esse, præter alia Livii evincit, quem adduxi, locus. Cœterum & Lucas in *Actis*, XVI. 12. de Philippis, quæ urbs, olim Crenides, inter Strymonem Nessumque jacet, diserte scribit: ἥτις ἐστὶ πρώτη τῆς μερίδος τῆς Μακεδονίας πόλις. Veruntamen nihil est, quod nos iste Scriptorum dissensus moveat, si modo temporum diversorum Macedonicique nominis sensim facti incrementi ratio rite habeatur. Cum enim plurimi veterum Scriptorum Strymonem ab Ortu Macedoniæ terminum ponant, intelligendi sunt illi de temporibus ante Philippum Amyntæ. Ab illo enim (cui incrementa sua maximam partem Macedonia debet) regio ista, ante Thraciæ portio, inter Strymonem Nessumque fluvios adjecta est, quod ex Strabone *lib.* VII. discimus, qui licet τὰ πέραν Στρυμόνος ἤδη, μέχρι τοῦ Ποντικοῦ στόματος, καὶ τοῦ Αἵμου πάντα Θρᾳκῶν εἶναι, *ea quæ trans amnem Strymonem usque ad Ponticum ostium, atque Æmum montem sint, omnia Thracum esse* scribat, mox tamen subjungit: Τινὲς δὲ καὶ τὴν ἀπὸ Στρυμόνος μέχρι Νέσσου τῇ Μακεδονίᾳ προσνέμουσιν. ἐπειδὴ Φίλιππος ἐσπούδασε διαφερόντως περὶ ταῦτα τὰ χωρία, ὥστ᾽ ἐξιδιώσασθαι, καὶ συνεστήσατο προσόδους μεγίστας ἐκ τῶν μετάλλων καὶ τῆς ἄλλης εὐφυΐας τῶν τόπων. Hoc est, *Quidam autem totam, ab Strymone usque ad*

[1] *Just.* VII. III. 1. [2] *Id.* ib. v. 7. & 8. [3] *Idem* VIII. IV. 8.

ad Nessum, plagam, Macedoniæ attribuunt. Quoniam Philippus eximio captus est studio, ut hæc sibi loca vendicaret, maximaque ex metallis, & reliqua locorum ubertate vectigalia (reditus) *constituit* 1. Cum quibus congruunt quæ in Excerptis libri VII. leguntur: Τὸ Νέστου στόμα τοῦ διορίζοντος Μακεδονίαν καὶ Θρᾴκην, ὡς Φίλιππος καὶ Ἀλέξανδρος ὁ τούτου παῖς διώριζον, ἐν τοῖς κατ᾽ αὐτοὺς χρόνοις. *lib.* I. p. m. 24. & 25. & *lib.* II. p. 86. Quin etiam Chalcidica, & Paraxia regiones, Atheniensium Corinthiorumque coloniis obsessæ, Perdiccæ II. Alexandro Divite prognati tempore sub initia belli Peloponnesiaci Macedonibus nondum parebant, verum ut ex Thucydide *lib.* II. p. m. 108. apparet, Thraciæ adhuc annumerabantur, quas postea Philippus Amyntæ, Macedoniæ, quæ Perdiccæ ævo *Mygdonia terminabatur*, itidem adjecit. Vid. Strab. *lib.* VII. p. m. 225. & 226. Ita Taulantii, Eordenses, Elymiotæ, Lyncestæ, totaque illa Illyridis pars, quæ est a Lisso usque ad initia Epiri, a Philippo, & filio ejus Alexandro armis domita in jus nomenque Macedoniæ transiit. Unde est, quod Oricum, Apollonia, Epidamnus a Pomponio Mela, *lib.* XLIV. *cap.* XXI. & alibi, Dessaretæ vero & urbs eorum Lychnidum, a Livio *lib.* II. *cap.* III. fin. Illyrico adhuc adscribuntur. Ita & Pieriam Thessaliæ quondam portionem *devictam sub Macedonum venisse jugum* diserte scribit Solinus in *Polyh.* cap. XIII. pr. Et Pæoniam Dardani repetiere a Romanis, *quod & sua fuisset, & suis finibus continens esset*, Liv. XLV. XXIX. Solis nempe armis Macedones, quæ Thracibus, Illyriis, Thessalis, aliisque ademere, suæ ditionis successu temporis fecerunt, ipsi inopes initio, & quibus patrii soli gleba nulla erat.

CAP. III.

THESSALIA MACEDONIÆ FINIBUS NON INCLUDENDA.

EST autem & alia non exigua atque adhuc sub judice lis, An scil. Thessalia quoque Macedoniæ finibus comprehendenda sit, necne? Si Melæ credimus *lib.* II. *cap.* III. *Thessalia, Magnesia, Phthiotis in Macedonia sunt; Melibœa* quoque, *Castanea, Larissa, Antronia* inter Macedonicas urbes ei referuntur. Verum Plinius l. IV. *H. N.* c. VIII. IX. X. non Thessaliam modo, sed & Magnesiam a Macedonia sejungit, propria utramque descriptione dignatus. Solinus autem præterquam quod peculiari Thessaliæ notabilia capite XIII. designat, dum Pieriam quondam Thessaliæ partem ab ea avulsam *sub Macedonum venisse jugum tradit*, aperte innuit, non totam Thessaliam Macedoniæ annumeratam fuisse, sed partes tantum aliquas ejus decerptas, istique adscriptas. Et Strabo, qui a doctissimo Salmasio, (institutorum, vestis, linguæque apud Macedonas Thessalosque similitudinem præcipuum argumentum regiones has conjungendas esse existimante, *de ling. Hell.* Part. II. p. 356.) citatur, licet libro VII. *Geogr.* memoriæ prodat, juxta quorundam sententiam, καὶ σύμπασαν τὴν μέχρι Κερκύρας appellatam esse Macedoniam, pro causa afferentium, ὅτι καὶ κουρᾷ, καὶ διαλέκτῳ, καὶ χλαμύδι, καὶ ἄλλοις τοιούτοις χρῶνται παραπλησίως, ut adeo non parva Epiri quoque pars, si non tota, Macedoniæ attribuenda has ob rationes foret; tamen Ipse *lib.* VIII. principio commemorans se barbaras Europæ gentes ac Macedoniam descripsisse, tandem addit: μετὰ δὲ Μακεδονίαν Θετταλοὶ μέχρι Μαλιέων; Thessaliamque proprio in loco, *libro* videlicet IX. repræsentat, ubi & fines, quibus ea a Macedonia dirimitur, indigetat. Est autem & aliud egregium, quo Thessaliam Macedoniæ non annumerandam esse evincitur, id adducere brevibus lubet: Devicto a T. Quintio Flaminio ad Cynoscephalas Philippo Demetrii filio pax inter eum Romanosque facta est, hac conditione, ut omnes Græcorum civitates, quæ in Europa, quæque in Asia essent, libertatem ac suas leges haberent. quæ earum sub ditione Philippi fuissent, præsidia ex his Philippus deduceret, narrante Livio *lib.* XXXIII. *cap.* XXX. Tractu vero temporis post bellum cum Ætolis gestum victumque a Romanis Antiochum, orta inter Philippum, & Thessalos, Perræbos, Magnetasque lis de urbibus nonnullis, quas suas esse (Philippopolin scil. Ariccam, Phaloriam, Eurymenas, Gonnocondylon,) Thessali, Perræbique contendebant. Disceptatores ad Thessalica Tempe legati Romani fuere, qui post mutuas Philippi Thessalorumque querelas, tandem causa cognita pronunciaverunt: *Placere deduci præsidia Macedonum ex iis urbibus, & antiquis Macedoniæ terminis regnum finiri*. Vid. Liv. *lib.* XXXIX. *cap.* XXIV. XXV. & XXVI. Ex quibus manifestum omnino Magnetas Thessalos ac Perræbos, quorum urbes istæ fuerunt, Macedoniæ non annumeratos, sed extra fines illius regni sitos fuisse. Nec illud notatu indignum, quod Aristænus Achæorum Prætor, apud Liv. *l.* XXXII. *c.* XXI. *Quintium, fugientem Philippum in Thessaliam persecutum, præsidia regia, sociasque ejus urbes prope in conspectu Regis ipsius expugnavisse*, narrat. Jam si Macedoniæ regno subjecta, ejusque finibus inclusa Thessalia fuisset, ejus urbes non dicerentur sociæ. Idem facit Alexander Ætolorum princeps, apud eundem Liv. *lib.* XXXII. *cap.* XXXIII. fin. conquerens: *Plures priore anno sociorum urbes in Thessalia evastasse Philippum, quam omnes qui unquam hostes Thessaliæ fuerint*. Et hæc quidem de finibus Macedoniæ tetigisse sufficiat.

1 *Conf. Ubb. Emm.* Græc. Illustr. *lib.* V.

CAP. IV.

DE NOMINE MACEDONIÆ QUÆDAM.

NOMEN Macedoniæ quod attinet, ex Justino notum est, eam ante *Emathiam* cognominatam fuisse, idque *nomine Emathion*[1] *Regis, cujus prima virtutis experimenta in illis locis extiterint*. Quam ipsam Emathiam, suo tempore partem adhuc Macedoniæ, *quondam Pæoniam appellatam* fuisse, Livius autor est, *lib.* XL. *cap.* III. Cœterum ex Justino quidem parvam quandam Macedoniæ portiunculam, cujus *sicuti incrementa modica, ita termini perangusti* fuerint, Emathiam, post Macedoniam, vocatam esse colligimus, quo nomine deinceps omnes vicinæ regiones a Carani successoribus occupatæ comprehensæ factæque sunt corpus unum. At cum de origine vocis Macedoniæ alii aliter omnino sentiant, dum Diodorus Siculus a Macedone Osiridis filio dictam Macedoniam tradit. Ita enim ille *lib.* I. *cap.* II. *Macedonem filium regem statuit* (scil. Osiris) *ejus provinciæ, quæ ab eo Macedonia dicta est*. & Ælianus ait: Λυκάονι τῷ βασιλεῖ τῆς Ἠμαθίας γίνεται παῖς ὄνομα Μακεδών, ἐξ οὗ καὶ ἡ χώρα κέκληται μετὰ ταῦτα, τὸ ἀρχαῖον ὄνομα οὐκ ἔτι φυλάξασα. *Lycaoni Emathiæ Regi filius fuit, nomine Macedo: Ex quo postea, antiquo nomine obsoleto, nominata regio*. Solinus vero *Polyh.* cap. XIV. *Macedonem Deucalionis maternum nepotem, vertisse vocabulum Emathiæ, Macedoniamque a se dixisse* perhibet. Mihi tamen haud displicuerit eorum sententiæ esse, qui Macedones derivant a כתים Kithim, filio Javan, nepote Japhet, *Gen.* X. 4. Etenim confirmant eam mentione diserta Esaiæ vaticinia *c.* XXIII. *v.* 1. 12. & 13. quibus tum excindendam Tyrum ab Alexandro Macedone (quem enim alium nomi-

1 Lib. VII. 1. 1. *conf. Solin.* cap. XIV.

ne Kithim ibi intelligas) tum expeditio ejus adversus Babylonem prædicitur. Quo proeul dubio alludens autor primi *Maccabæorum* libri c. I. v. I. & c. VIII. v. 5. Alexandrum e terra Kithim egressum ait, Philippumque ac Persea Kithiorum Reges nominat. *Enimvero a Kithim origine has voces:* Κήτειοι, Μακέται, Μακεδόνες, *non discerno, & gentes denotare arbitror, quas Kithim propagarit. Nam quidem illarum videtur discrimen esse, id magis in enunciatione colloco, quam in significationis aut originis consideratione.* Verba sunt Reineri Reineccii, apud quem plura de his videas licet in *Historia Julia.* Illud adhuc ex eodem addo: *Vero simillimam esse conjecturam, Macetas cum Dodoneis in ista loca venisse: quandoquidem cognatæ fuerunt gentes Dodonæi & Macedones, profectæ enim, ac propagatæ a duobus fratribus, filiis Juvan, Kithim & Dodonim.* Vide *Gen.* x. *v.* 4. Conf. omnino Bochart. in *Phaleg.*

CAP. V.

DE TEMPORE REGNI MACEDONICI.

NON autem animus jam nobis est, de Macedoniæ statu ejusque mutationibus universis agere; sed de iis tantummodo differere constituimus, quæ ad regii Principatus Macedonum, quamdiu ille duravit, formam tum internam, tum externam pertinentia in Veterum monumentis consignata reperiuntur. Quousque igitur in rebus Macedonum cognoscendis ascendere licet, constat eos ad Persen usque sub unius Principatu vixisse. Is vero Principatus a Carano Phidonis Argivi fratre cœptus, uti haud dubio exitu terminatur; ita initium sola auctoritate constat. Captivitatem Persei Petavius collocat in A. V. 586. Ol. 153. ann. I. Per. Jul. 4546. ante C. N. 168. indeque retro ad initia Carani annos numerat 646. *Rat. temp.* P. II. lib. II. cap. XIV. Sed hoc initium, ut ipse fatetur, non est extra dubium positum. Herodoto certe, *lib.* VIII non Caranus, sed Perdiccas ὁ κτησάμενος τὴν Μακεδόνων τὴν τυραννίδα dicitur. Forte quod is primus nomen regium in Macedoniam intulerit: ut Solino [1] visum est, non improbabili conjectura, sed quæ non unum ambigendi locum relinquit. Quid enim quod Pausanias & Eusebius expresse Caranum Regem vocant, atque hic Perdiccam quartum Macedoniæ Regem a Carano facit? Vellejus non minus Regis nomen Carano tribuit, ita scribens *lib.* I. *c.* VI. *v.* V. *Circa quod tempus Caranus, vir generis regii, sextus decimus ab Hercule, profectus Argis, Regnum Macedoniæ occupavit.* Spectat etiam huc versus Ausonii:

Et Caranum, Pellæa dedit qui nomina Regum.

Sic vero dissentientibus scriptoribus nec duratio hujus regni certis terminis includi potest. Cum præsertim Regum insuper ipsorum, (quorum XXXIX. a nonnullis, ab aliis, velut a Justino XXXIII. II. VI. pauciores multo computantur) enumeratio tam diverse apud Veteres instituatur. De qua re post Scaligerum *ad Euseb.* p. 47. & in *Can. Isag. l.* II. p. 163. lib. III. p. 33. & Petavium *Rat. temp.* P. I. lib. II. cap. IV. & II. lib. II. cap. cap. XIV. qui Seriem Regum Macedonicorum e Dexippo, Diodoro, Eusebio, aliis, excerptam exhibent, prolixe disputare nihil attinet. Conf. Reinecc. *Familias Macedonicas.* Illud notandum ad peculiare institutum pertinere, quod Clemens Alexandrinus scribit durasse Macedonum Monarchiam annis 312 diebus 18. initio computationis facto ab Alexandro Magno, fine autem in excessu M. Antonii constituto.

CAP. VI.

MACEDONES FUERE SUB REGIBUS, SED MAJORE LIBERTATIS UMBRA, QUAM CÆTERÆ GENTES.

FUIT itaque Macedonia, quod rerum potita est, sub imperio & potestate Regum: sed quæ a dominatu cæterorum populorum, Orientalium præsertim, administrationis temperamento recesserat: legibus & institutis populi liberioris nonnihil adstricta. *Macedones*, inquit Curtius VI. VII. XXXI. *assueti quidem regio imperio; sed majore libertatis umbra, quam cæteræ gentes.* Hinc apud Lucianum, in *dial. Phil. & Alex.* Philippus eos vocat ἐλευθέρους ἄνδρας: & Hermolaus, apud Curtium VIII. VII. XIV. *Miraris*, inquit ad Alexandrum, *si liberi homines superbiam tuam ferre non possumus?* Calisthenes vero apud Arrianum *lib.* IV. *p.* 265. comparans Macedonum principatum cum dominatu Persarum; ἀ βίᾳ, ait, ἀλλὰ νόμῳ Μακεδόνων ἄρχοντες διετέλεσαν. *Majores Alexandri non vi, sed lege imperium in Macedonas obtinuerunt.* Quo procul dubio & illud e Dexippi fragmento, quod Eusebius lib. I. *Chronic.* adducit, pertinet, apud quem Philippus Amyntæ (quam vero is alias tyrannidis cupidus fuerit satis notum est) audit: δεόντως τε ἅπαντα πράξας καὶ κατὰ τάξιν, *Cuncta decenter* (ut oportebat) *& juxta ordinem* seu *constitutionem* (puta, Majorum) *faciens.* Exemplum ejus rei in judiciis præsertim administrandis evidens est. Curt. VI. VIII. XXV. *De capitalibus enim rebus vetusto Macedonum modo inquirebat exercitus: in pace erat vulgi: nihil potestas Regum valebat; nisi prius valuisset autoritas.* hoc est, Rex pro potestate necem reo inferre non poterat, nisi prius populo approbasset sententiam, reumque jure damnari persuasisset, uti recte hæc exponit Freinshemius in *not. ad Curt. l. c.* Quod etiam solicita cura multisque verbis Alexandrum fecisse videre licet apud Curtium *lib.* VI. *cap.* IX. Vi itaque hujus legis atque instituti producti coram toto exercitu causam dixere Philotas, Demetrius, Alexander Lyncestes, Amyntas & Simmias, atque per ejusdem exercitus suffragia vel damnati sunt vel absoluti. Exemplum hujus moris apud Probum quoque in *Eumene* [1]: *Hic, qui deseruerant, exercitu suffragium ferente, capitis absentes damnantur, in his Eumenes.* Ex eodem instituto provenit, quod cum Alexander ob cædem Cliti ad moriendum obstinatus esset, *Macedones, quo minus cædis puderet, jure interfectum Clitum decreverunt* [2], sua scil. sententia judicioque correcturi, quod temeritate Regis admissum erat facinus. Neque iste mos ad Alexandri solum tempora, sed ad ultimos usque Reges deductus est. Cum enim Philippus Demetrii filius, qui penultimus regio imperio Macedonibus præfuit, Leontium variis contumaciæ speciminibus sibi convictum in vincula duci jussisset. Polyb. *Hist.* V. XXVII. Οἱ πελτασταὶ πρεσβευτὰς ἐξαπέστειλαν πρὸς τὸν βασιλέα, παρακαλοῦντες, μὴ χωρὶς αὐτῶν ποιήσασθαι τὴν ὑπὲρ τῶν ἐγκαλουμένων κρίσιν· εἰ δὲ μὴ, ὅτι νομιοῦσι μεγαλείως παρολιγωρεῖσθαι, καὶ καταγινώσκεσθαι πάντως. *Cetrati Regem per Legatos oravere, ne ipsis absentibus de accusatione illius vellet cognoscere: alioquin pro ingenti contumelia factum Philippi se ducturos, atque omnino haud probaturos.* Ita quidem Casaubonus vertit. Nicolaus vero Perottus in hunc modum: *Scutati misere ad Regem Legatos precatum, ne prius de Leontio judicium ferret, quam ipsi venissent. Aliter existimaturos se contemni a Rege, ac pro nibilo baberi.* Εἶχον γὰρ (addit

2 Polyb. *cap.* XIV. *add. Bernegg.* ad Justin. VII. II. I.

1 Cap. V. *v.* I. *conf. Diod. Sic.* lib. XVIII. & *Just.* XIII. VIII. X. & XIV. I. V. 2 *Curt.* VIII. II. IIIX.

Polybius) ἀεὶ τ̃ τοιαύτην ἰσηγορίαν Μακεδόνες πρὸς τοὺς βασιλεῖς. *Sic enim Macedones æquo jure cum suis Regibus ab antiquo poterant uti*. Quæ satis aperte coarctatam certis finibus dominandi licentiam arguunt.

CAP. VII.

NON VERAM IMPERII MIXTURAM, SED REGNUM κτ̃ νόμον FUISSE COLLIGITUR

EX adductis Arriani Curtiique locis, ut & illo, quo idem Curtius narrat VIII. I. 18. *Macedones scivisse gentis suæ more, ne Rex pedes venaretur aut sine delectis principum amicorumque*, Grotius *de J. B. & P.* I. 3. 20. veram aliquam Imperii Macedonici mixturam colligit. Quod quidem an omnino ita se habuerit altioris est indaginis, quam ut ego quicquam hac in re decidere audeam. Illud certo est certius Principatum Macedonicum, Regnum, uti Aristoteles appellat, κτ̃ νόμον fuisse, Macedoniamque unius Principis imperio subjectam, sed qui antiquis ejus gentis legibus prohibitus fuerit, ne potestate sua abuteretur. Cujus libertatis suæ haud immemores milites Alexandri, cum is a patriis moribus desciscens, peregrinis institutis Macedonas suos imbuere tentaret, reluctare ei atque obloqui haud dubitarunt. Ita enim de eis Curt. VI. 6. 9. *Hæc luxu & peregrinis infecta moribus veteres Philippi milites, rudis ratio ad voluptates palam aversabantur; totisque castris unus omnium sensus ac sermo erat, plus amissum victoria quam bello quæsitum esse*. Addit deinde idem *v.* II. *Alexander non ignarus & principes amicorum & exercitum graviter offendi, gratiam liberalitate donisque recuperare tentabat. Sed opinor, liberis pretium servitutis ingratum est*. Facinus Polypercontis apud eundem videas licet VIII. 5. 22. Ut & Orationem Callisthenis VIII. 5. 13 *seq.* quam Arrianus quoque refert *lib.* IV. p. 264. seq. Ex quibus aliisque locis libertatem suam vindicatum ivisse Macedonas manifestum est.

CAP. VIII.

REGES TAMEN FACERE CONTRA VOLUNTATEM SUBDITORUM POTERANT, ET SOLEBANT.

QUANQUAM & illud notandum; Reges nunquam adeo his legibus atque institutis quæ a majoribus ad ipsos pervenerant, obstringi se passos fuisse, ut non subinde contra eos mores immutare aliquid aut patrare ausi fuerint. Hinc Alexander pervicacia sua licet non statim, nec ab omnibus, ut Persicos mores imitarentur, impetrarit, successu tamen temporis & apud maximam suorum partem, ut id fieret, tandem obtinuit, nequicquam frendentibus cœteris. Et quamvis accusari vetusto modo apud populum rei capitalium criminum debebant, non semel tamen a Regibus in legem hanc peccatum reperias. Videl. ab Alexandro, qui Parmenionem, misso Polydamante, per Cleandrum cœterosque duces Ecbatanis interfici, ne accusatum quidem, multo minus damnatum, curavit, Curt. VII. 2. & Philippo Demetrii filio, qui Leontium, importunitate militum stimulatus, celerius quam statuerat, interfecit, Polyb. v. p. m. 503. Quinquam deinde Ptolemæum, qui solus ex conjuratione Apellis & Leontii superérat, non sine Macedonum consilio necavit, idem *lib.* v. p. m. 505.

CAP. IX.

REGES PER SUCCESSIONEM REGNUM ADEPTI.

REGIA vero apud Macedones potestas, qualiscunque illa fuerit, non electo ex pluribus, sed assumto e domo regia certo successore per posteros hæreditario jure propagari consuevit. Unde Plato Macedoniæ tribuit ἀρχὴν κατὰ γένος, ὅτι ἐκεῖ ἀπὸ γένους ἡ βασιλεία καθίσταται. apud Laert. in *Plat.* p. 236. & 241. vide & Justin. VII. 4. 3. Suid. Κάρανος. Quod insuper series continuata & vix interruptus ordo Regum ab eadem stirpe descendentium ostendit. Idque traditum est arcano quodam fato contigisse; cujus pignus per superstitionem credebatur conditorium Regium, *quod Perdiccas Argæo filio moriens* indicasset, quoque *non sua tantum, sed & succedentium sibi Regum ossa poni jussisset, præfatus, quoad ibi conditæ posterorum reliquiæ forent, regnum in familia mansurum*, Just. VII. 2. 2. Et hoc etiam populo gratum: neque Macedonum Phalanx aliud impensius gaudebat, cum post Alexandri mortem in Aridæum decus Regium collatura esset, quam *in eadem domo familiaque imperii vires remansuras esse: hereditarium imperium stirpem Regiam vindicaturam: adsuetos se nomen ipsum colere venerarique, nec quemquam id capere, nisi genitum ut regnaret*, Curt. X. 7. 15.

CAP. X.

PRIMOGENITUS PLERUMQUE SUCCEDEBAT.

IN succedendo illius potiora jura erant, qui cœteros nascendi ordine præcessisset, more vetusto Macedonum. Ad quam Perseus quoque apud Livium *lib.* XL. *cap.* IX. provocat, *Regnare utique vis*, inquiens ad Demetrium, *huic spei tuæ obstat ætas mea, obstat gentium jus, obstat vetustus Macedonum mos*. Et paulo post, cap. XI. *Cupit regnum, & quidem scelerate cupit, qui transcendere festinat ordinem ætatis, naturæ, moris Macedonum*. Eademque fere Demetrius mox repetit, agnoscitque eodem *lib.* cap. XII. & XV. *Ego, quemadmodum nec nunc sperare regnum, nec ambigere unquam de eo forsitan debeam, quia minor sum*. Neque tamen adeo perpetua constansque fuit hæc consuetudo, quin ab ea potuerit antecessoris judicio recedi. Idque factum etiam fuisse a Ptolomæo, qui Alexandri successoribus Ægyptum obtinuerat, annotat Justinus XVI. 2. 7. Hinc observare licet plerumque ei quem ex liberis succedere sibi quisque voluisset, ante obitum Regnum tradidisse, idem VII. 2. 5. & 4. 8. *Unus ante me Pater est*, gloriatur apud Livium, XL. II. 56. & seqq. Perseus, *& ut diu sit, Deos rogo; superstes ei ita sim, si merebor, ut ipse me esse velit: hereditatem regni, si pater tradet accipiam*. Quin & Philippus ipse qui viventi Demetrio Perseum judicio suo prætulerat, post necem Demetrii agitavit, quemadmodum adempturn Perseo imperium ad Antigonum transferret, sed id consilium morte Philippi est interceptum.

CAP. XI.

SALUTATIO NOVI REGIS.

TRANSLATO in successorem imperio, ambitiose occupari consuevit officium salutandi primum Regem, & ei comitis atque satellitis vicem exhibendi. De Alexandro Lynceste Æropi filio Curtius VII. I. 6. *Eum in Philippi cædem conjurasse certum fuit; sed quia primus Alexandrum Regem salutaverat, supplicio magis quam crimini fuerat exemtus. Servante Rege in eo auspicium dignitatis suæ*: ut Justinus annotat, XI. 2. 2. Arrianus *libr.* I. p. m. 70. id factum esse scribit: ὅτι ἐν πρώτοις τε ἀφίκετο τῶν φίλων παρ' αὐτὸν, ἐπειδὴ Φίλιππος ἐτελεύτησε, καὶ τὸν θώρακα συνενδὺς, συνηκολούθησεν αὐτῷ εἰς τὰ βασίλεια. *Quod primus amicorum post Philippi obitum ad se* (Alexandrum) *venisset, & thorace indutus eum in regia comitatus*

esset. Quod hic de thorace sumpto refertur; ex eo peculiarem habitum comitantium primo Regem colligo. Nam & de Meleagro Curtius x. 7. 14. *Cum Aridæus Alexandro substitueretur: Meleager thorace sumpto capit arma, novique Regis satelles sequitur*. Justinus XIII. 3. 1. his ita: *Pedites Aridæum Regem appellant, satellitesque illi ex turba sua legunt.* Refero huc quæ de Ptolomæo Lagi apud Justinum, XVI. 2. 9. *Etiam ea res amorem populi juveni Ptolomæo* (Philadelpho scil.) *conciliaverat, quod pater* (Ptol. Lagi) *regno ei publice tradito, privatus officium Regi inter satellites fecerat*. Quod procul dubio de hoc officio primo die comitandi Regem intelligendum est.

CAP. XII.

REGUM INSIGNIA ET ORNATUS.

REGES ipsi exacto a civibus juramento, quo promittebant, *se in Regis potestate futuros*: Curt. x. 7. 9. Justin. XI. 1. 8. & præterea vulgus inaugurali veluti oratione pro concione hortati; cœtero apparatu cultuque civili & modico utebantur, Curt. III. 6. 19. & VI. 6. 2. Hinc de Alexandro & Hephæstione Arrianus, *lib.* II. p. m. 115. *ἐςάλθαι ἄμφω τῷ αὐτῷ κόσμῳ. Pari uterque corporis cultu erat*. Primus autem *Diadema*, *insolitum antea Regibus Macedonicis, cum reliquo Regum Persarum habitu assumsit Alexander*, Just. XII. 3. 8. Curt. VI. 6. 4. A quo id deinceps usque ad finem Regni Macedonici cœteris regibus est usurpatum. De Aridæo Curtius x. 8. 20. *Obortis lacrymis diadema detrabit capiti: dextram, qua id tenebat protendens, ut si quis se digniorem profiteretur, acciperet*. Et Herodianus I. 3. 7. Antigonum arguit, *Διονυσον πάντα μιμύμενον, καὶ κισσον μὲν περιτιθέντα τῇ κεφαλῇ ἀντὶ καυσίας καὶ διαδήματος Μακεδονικῦ*. *Quod quo Liberum Patrem repræsentaret, pro causia & diademate Macedonico, bederam capiti circumdederit*. Conjungitur hic cum diademate Causia tegmen capitis regibus Macedonum usitatum; unde Caracalla quoque Imperator cum Alexandro M. æmularetur, id sibi aptavit, Herodianus IV. 8. 5. Vide plura apud Brissonium, de *καυσίᾳ Διαδηματοφόρῳ lib.* I. p. m. 32. Fuerunt tamen Reges Macedonum etiam antequam Alexander in peregrinos mores desciseeret, regis insignibus a cœteris distincti. Cum Tyrum oppugnaret Alexander, *regio insigni* (inquit Curtius IV. 4. 11) *& armis fulgentibus conspicuus, unus præcipue telis petebatur*. Arrianus nominatim Alexandrum arguit *lib.* IV. p. 255. *ὅτι τὴν κίδαριν τὴν Περσικὴν τῶν νενικημένων ἀντὶ ὧν αὐτὸς ὁ νικῶν πάλαι ἐφόρει ἀμεῖψαι ὐκ ἐπῃδέσθη*. *Quod cidarim Persicam, iis quos vicerat ademtam, cum eo ornatu quem ipse olim victor gestare solebat, commutare non erubuerit*. Hunc locum Tertullianus proculdubio in oculis habuit, cum de Alexandro scriberet *de Pallio* cap. IV. *eum triumphalem cataphractam amolitum, in captiva sarabara decessisse*. Quisnam autem fuerit hic ornatus, quo Rex a ceteris dignoscebatur, ego nunc quidem haud facile definiverim. Uti nec quæ equorum Alexandri insignia, de quibus Curt. VIII. 12. 16. *Alexander Omphi Indorum Regi*, XXX. *equos ex suis misit, cum iisdem insignibus quis adsueverant, eum ipsum veberent*. Arrianus *lib.* I. p. 41. scribit Alexandrum in prælio ad Granicum agnitum esse a Persis *τῶν ὅπλων τῇ λαμπρότητι*. Plutarchus in *Vita Alex.* hunc splendorem armorum ad galeæ singulare ornamentum refert: *Ἰν δὲ τῇ πέλτῃ καὶ τῦ κράνυς τῇ χαίτῃ διαπρεπὴς, ἧ ἑκατέρωθεν εἱςήκει πτερὸν λευκότητι καὶ μεγέθει θαυμαςόν*. *Erat pelta insignis & galeæ juba, quæ hinc inde pinnas directas babebat candore & magnitudine singulares*. Harum pinarum unam cum crista Spithridates barbarica copide ei avulsit. Eodem Plutarcho referente. Unde constat Macedonum reges pleraque regii fastigii decora in armorum elegantium fulgore constituisse, conf. Diod. *lib.* XVII. p. m. 1124. Quanquam eosdem (vel saltem post Alexandrum) etiam vestimentis ejusmodi fuisse usos, quibus ab aliis dignoscerentur indicat locus Curtii x. 6. 4. ubi Perdiccas *Regiam sellam in conspectum vulgi dedisse* scribitur, *in qua diadema vestisque Alexandri cum armis erant. Eandemque illam vestem Aridæus* deinde *indutus* est, quo videlicet ab omnibus ex ipso habitu vestituque Rex declaratus agnosci posset, Curt. x. 7. 13. Ex Persicis autem moribus tractum hoc facile concesserim, cum alias munditiei exactioris instrumentorum Macedonum Reges egisse incuriosos, certum sit, nisi quatenus frugalitas illorum Persico luxu inquinata est. Quod nobis multum operæ lucrifacit, quam in describendo Persicorum Regum fastu ex argumenti genio Brissonius necessario labore consumsit.

CAP. XIII.

REGIA SEDES.

SEDES Regum Macedonicorum primum Edessa fuit Emathiæ urbs, quam Caranus *non sentientibus oppidanis, propter imbrium & nebulæ magnitudinem gregem caprarum, imbrem fugientium, secutus, occupavit; revocatusque in memoriam oraculi, quo jussus erat, ducibus capris imperium quærere, regni sedem statuit*, Just. VII. 1. 7. 8. Postea vero Pellam, Bottiæorum quondam urbem, regia sedes translata. Unde Pella vetus Macedonum regia, ubi etiam consilium Philippus Demetrii filius de bello contra Romanos deliberans habuisse dicitur, apud Livium XLII. 51. Et *Philippo Ætolorum defectio Pellæ hibernanti allata* est, idem *lib.* XXVI. 25. pr. & f. Eam vero *maxime illustrem effecisse alumnos Philippum Græciæ domitorem, Alexandrum vero etiam Asiæ*, Mela memoriæ prodit *lib.* 2. *cap.* 3. pr. Unde *Pellæus Juvenis* Alexander audit apud Juven. *Sat* X. *v.* 168.

Unus Pellæo juveni non sufficit orbis.

Et Claud. in *Paneg. de* IV. *Conf. Honor.* vers. 374.

—— Fertur Pellæus Eoum
Qui domuit Porum.

Egregium urbis hujus situm Livius XLIV. 46. describit, ubi etiam narrat Paullum Æmilium Consulem situ urbis undique adspecto, *advertisse, eam non sine causa delectam esse regiam*, quippe, *quæ nec oppugnante externo aditum ab ulla parte babeat: nec, si quem ibi Rex includat, ullum nisi per facilimæ custodiæ pontem effugium*. Gazam regiam quoque eo in loco fuisse indidem discimus. Ministros Regis quotidie in Regia comparuisse ex Curtio x. 8. 8. intelligimus: *Et pristina quidem Regiæ species manebat, nam legati gentium Regem adibant, & copiarum duces aderant: ac vestibulum satellites armati compleverant*. De Sella Regis notabilis locus apud Curtium VIII. 4. 15. *seq.* ubi narrat Alexandrum militem quendam frigore torpentem, in sede sua penes ignem jussisse considere. Eum vero recepto calore vitali, ut regiam sedem Regemque viderit, territum surrexisse, ab Alexandro bono animo esse jussum, subjungente; *Ipsi in sella Regis consedisse non ut apud Persas capitale fore*, Arr. *lib.* VII. p. 495 Quamvis postea illi *ἠμελημένῳ ἀνθρώπῳ*, qui regiam sedem invasit, non impune id fuit, eo quod se malum, quod hac re portendi rebatur, Alexander in ipsius caput versurum sperabat, Dio *libr.* XVIII. p. m. 1124. *Post mortem Alexandri Perdicca regiam sellam in conspectum vulgi dedit, in qua diadema vestisque Alexandri cum armis erant*, Curtius x. 6. 4. conf. Corn. Nepotem

in *Eumene*. Videlicet ut hisce rebus majestas Regis veluti repræsentaretur, donec novus Rex electus fuisset. Ita vestis ac diadema Alexandri quoque in tribunali posita, cum ipse unctioni vacaret, veluti personam ejus interea sustentatura. Θρόνον βασίλειον autem Alexandri ex Aristobulo Arrianus describit *lib.* VIII. p. 495. Εἶναι κλίνας ἑκατέρωθεν τοῦ θρόνου ἀργυροπόδας, ἐφ᾽ ὧν οἱ ἀμφ᾽ αὐτὸν ἑταῖροι ἐκάθηντο. *Fuisse ab utraque solii parte lectos argenteis pedibus innixos, quibus amici circa eum insidebant*. Perseo sellam eburneam cum jus diceret de more positam ex Livio XLI. 20. pr. cognoscimus.

CAP. XIV.

VENERATIO AC CULTUS REGUM. STATUÆ EORUNDEM.

SUBDITORUM erga Reges suos veneratio, sincero quidem maxime atque ardenti affectu, sed simplicissimis externi cultus pignoribus declarabatur. Curtius III. 6. 17. *ingenitam huic genti erga Reges suos venerationem* nominatim commendat; adeo ut præsentia ejus facile omnem militibus præsentissimi *periculi cogitationem excusserit*, idem VII. 8. 4. Inde Macedones ab Illyriis prælio pulsi, rege suo Europo in cunis prolato acrius certamen repetivere. *Miseratio eos infantis tenebat*, addit Justinus VIII. 2. 8. *quem, si victi forent, captivum de rege facturi videbantur*. Egregia Philippi atque Lysimachi fratrum facinora, quibus flagrantissimum suum erga Regem amorem testati sunt, vide apud Curtium VIII. 2. 35. & Justinum XV. 3. Studii quoque erga Regem exiguum, sed fortasse ex nimia & degenerante solicitudine profectum argumentum est, lex illa Macedonum, *qua cautum erat, ut propinqui eorum, qui Regi insidiati erant, cum ipsis necarentur, omniumque devota erant capita, qui sanguine tales contigissent*, Curt. VI. 11. 21. Verum licet in securitatem capitis regii condita lex [1] ista sit, quo magis absterrerentur tantum facinus ausuri, ut qui parentes, liberos, propinquos omnes secum in perniciem tracturi essent, crudelitatis tamen potius quam justitiæ nomen meretur ejus executio; unde similes Persarum leges Ammianus Marcellinus XXIII. 31. *diras & abominandas* vocat, per quas ob noxam unius omnis propinquitas periret. Quod animadvertens Alexander, cum, postquam Philotam torqueri fama vulgaverat, ii qui Parmenionem propinqua cognatione contingebant, partim se interficerent, partim fugerent, legem hanc atrocem veriti, ingensque terror per tota castra diffusus esset, *legem se supplicio conjunctis sontium remittere edixit*, Curt. VI. 11 20. Quod ipse repetit atque confirmat, apud eundem VIII. 8. 18. ad Hermolaum inquiens: *Olim istum morem occidendi cum scelestis insontes propinquos parentesque solvi*. In quo magis ad humanitatem accessit, quam si rigore legis observato cum nocentibus innocentes exemplo Artaxerxis Mnemonis trucidasset. *Tantam* autem porro *venerationem magnitudinis Alexandri* fuisse, Justinus X. 2. 6. & XIV. 1. 8. autor est, *ut etiam per vestigia mulierum favor sacrati ejus nominis quæsitus fuerit*. conf. XIV. 6. 10. Et ea in Cassandro, Antigono cæterisque, verecundia fuit, ut, *cum opes regias haberent, Regum tamen nominibus æquo animo caruerint, quoad Alexandro justus hæres fuit*, idem XV. 2. 13. & 14. De æmulatione inter milites Alexandri, cum is ob vulnus acceptum lectica militari gestandus esset, eamque *pro se quisque eques pedesque subire certaret*, vid. Curtius VII. 6. 8. Et tamen hi, etiam cum alloquerentur Regem, non alium ei honorem exhi-

A bebant, quam ut caput aperirent. *Ut milites viderunt Cœnum detrahentem galeam capiti (ita enim Regem adloqui mos est) hortari cœperunt, ut causam exercitus ageret*, notante Curtio IX. 3. 4. Et quanquam enixe cum maximo suo ac aliorum periculo contendisset Alexander, ut a Macedonibus adoraretur. *Retentus tamen est ab iis mos salutandi regis, explosa adoratione*, idem VIII. 5. 6. & seqq. Salutatio ista perficiebatur, more Græcorum, osculo dato, Justin. XII. 7. 3. Callisthenes apud Arrianum *lib.* IV p. 263. 264. cum adorationem solis Diis convenire asseverasset, infert: τοὺς ἀνθρώπους φιλεῖσθαι πρὸς τῶν ἀσπαζομένων, *hominibus a salutantibus oscula dari*.

B Quod mox Ἑλληνικῶς τιμᾶσθαι vocat p. 266. & tandem cum cæteri adoratum prius Alexandrum essent osculati; sunt qui scribant, addit Arrianus *ibid.* p. 267. Καλλισθένην, ὡς ἐς αὐτὸν ἧκεν ἡ πρόποσις, ἀναστῆναι μὲν, καὶ ἐκπιεῖν τὴν φιάλην, καὶ προσελθόντα ἐθέλειν φιλῆσαι οὐ προσκυνήσαντα. *Cum propinandi ordo ad Callisthenem venisset, consurrexisse quidem, & phialam ebibisse, propiusque accedentem osculari voluisse, adoratione prætermissa*. Indeque repulsum ab Alexandro dixisse Φιλήματι ἔλαττον ἔχων ἄπειμι. *Se osculi jactura facta discedere*. Hanc vero salutationem Regis osculo manus regię factam colligitur ex Curtio X. 5. 3. qui Alexandrum *in lecto decumbentem a toto exercitu ad ultimum persalutatum esse* memorat. Cui lucem affundit Justinus XII. 15. 2. referens: *Alexandrum milites suos omnes, cum prolatus in editissimum urbis locum esset, ad conspectum suum admisisse, osculandamque dextram suam flentibus porrexisse*. Valerius autem Maximus V. 1. 1. Alexandrum *dextram suam omnibus, qui eam contingere vellent, porrexisse* commemorans, seipsum statim, & quomodo dextram Regis contigerint, exponit subjungens: *Quis autem illam osculari non curreret, quæ jam fato oppressa maximi exercitus complexui, humanitate quam spiritu vividiore suffecit?* Non admit-

D ti vero aliquem ad hoc osculum indicio erat, eum gratia Regis excidisse. Hinc Alexander contumaciam Macedonum puniturus τοῖς Πέρσαις νόμιμον ἐποίησε φιλεῖν αὐτὸν μόνοις. *Persis solis ut deosculari ipsum liceret sanxit*, Arr. *l.* VII. p. 461. De quo Macedones conqueruntur: Καὶ φιλοῦσί σε, (sc. Πέρσαι) Μακεδόνων δὲ οὔπω τὶς γέγευται ταύτης τῆς τιμῆς, idem p. 463. Reconciliatæ vero gratiæ signum ad osculum rursus admitti, p. 464. pr. Non uno tamen modo Reges a Macedonibus cultos ac salutatos, patet ex loco Arriani *lib.* VI. p. 402. f. qui eos, τοὺς μὲν χειρῶν Ἀλεξάνδρου, τοὺς δὲ γονάτων, τοὺς δὲ τῆς ἐσθῆτος αὐτῆς ἁπτομένους, *alios manus, alios genua, alios*

E *vestem ipsius contingentes*, inducit. Adjicio hic de Statuis quæ Regibus erigi solitæ, Symbola quoque Venerationis eorum [1]. Tales Philippus Athenis habuit: Quibus post mortem ejus detractis, Athenienses materiam earum in fœdos usus convertere. Cum ludi in nuptiis Cleopatræ & Alexandri Epirotæ haberentur, XII. Deorum simulacra invecta sunt. Cum his & tertiumdecimum Philippi signum divino habitu gestatum est. Alexandrum Lysippus & Pyrgoteles ære duxerunt. De quibus vide plura infra *cap.* XVIII. Philippi quoque statuam in templo Dianæ Ephesinæ subversam meminit Arrianus *lib.*

F I. p. 51. f.

CAP. XV.

VICTUS AC EPULÆ REGUM.

IN conviviis Macedones omnis luxus expertes, *solitique* ex tenore disciplinæ suæ, cui Reges quoque se subdiderant, *parco ac parabili victu ad implenda naturæ desideria defungi*, Curtius VI. 2. 3. *Philippus* certe Amyntæ filius, teste Justino IX. 8. 4. *fuit Rex armorum, quam conviviorum*

1 Curtius VIII. 6. 28. vide Grot. *e J. B. & P.* II. 21. 25.

1. Vide *Suppl. Curt.* Freinsh. I. 14. 19. Diod. XVI. p. m. 960.

apparatibus ſtudioſior. Et Alexander cum Ada Cariæ regina, exquiſitæ artis ſaporiſque cibos atque bellaria ſolicite confici curata cum ipſis coquis & cupediariis ei dono miſiſſet, ipſe quidem muliebri benevolentiæ comiter gratias egit; cœterum non attinuiſſe reſpondit, ut pro ipſo ſolicita eſſet, meliores habente coquos, quibus ipſum olim pædagogus ſuus Leonidas inſtruxiſſet; ad prandium iter antelucanum, ad cœnam frugale prandium. Ea de re in hunc fere modum Plut. in *Vita Alex.* cap. XXXVIII. Ην (ſc. Ἀλέξανδρος) γαςρὸς ἐγκρατέςατος, ὡς ϰ̀ τοῦτο ἄλλοις τε πολλοῖς ἐδήλωσεν, ϰ̀ τοῖς πρὸς Ἄδαν λεχθεῖσιν, ἣν ἐποιήσατο μητέρα, ϰ̀ Καρίας βασίλισσαν ἀπέδειξεν. ὡς γὰρ ἐκείνη φιλοφρονουμένη πολλὰ μὲν ὄψα καθ' ἡμέραν ἀπέςελλεν αὐτῷ ϰ̀ πέμματα, τέλος δὲ, τοὺς δοκοῦντας εἶναι δεινοτάτους ὀψοποιοὺς ϰ̀ ἀρτοποιοὺς, ἔφη τούτων μηδενὸς δεῖσθαι. βελτίονας γὰρ ὀψοποιοὺς ἔχειν ὑπὸ τοῦ παιδαγωγοῦ Λεωνίδου δεδομένους αὐτῷ, πρὸς μὲν τὸ ἄριςον, νυκτοπορίαν, πρὸς δὲ τὸ δεῖπνον, ὀλιγαριςίαν. Ipſe etiam ſe militibus ſuis σιτώμενον τὰ αὐτὰ αὐτοῖς σιτία ſiſtit, apud Arrianum *lib.* VI. p. 458. f. Addens: καίτοι οὐδὲ σιτία ἐμοὶ δοκῶ τὰ αὐτὰ τοῖς τρυφῶσιν ὑμῶν σιτεῖσθαι. *Quin vilioribus etiam cibis utor quam vos qui vivitis delicioſius*. Verum victo Dario, *opes ejus divitiarumque apparatum contemplatus, cum admiratione tantarum rerum captus eſſet; Luxurioſa convivia & magnificentiam epularum ſectari cœpit: & de die convivia inire, quibus fœminæ intererant. Tum demum intempeſtiva convivia, & perpotandi pervigilandique inſana dulcedo, ludique & greges pellicum, omnia in externum lapſa ſunt morem*. Juſt. XI. 10. 2. Curt. V. 7. 2. & VI. 2. 2. Δοῦλοι ὀψοποιοὶ παρῆλθον ὑπὸ πρώτων Μακεδόνων τῶν ἐπιτηδευσάντων ἢ δι' ὕβριν, ἢ δι' ἀτυχίαν τῶν αἰχμαλωτισθεισῶν πόλεων. Quæ ex Dalechampii verſione ita ſe habent: *Obſonatores ſervi primi a Macedonibus invecti ſunt, ejus artis ſtudioſis, miniſtri ejuſmodi quia ſuppeterent ob infortunia civitatum, quas in ſervitutem redegerant*. (Quæ annon forte aliter paulo vertenda ſint alii viderint.) Athen. XIV. 22. Unde vitiis potius Regis unius, quam moribus gentis adſcribi debent, quæ ſubinde in Macedonicam temulentiam acrius ſcripta reperiuntur. Ephippus Olynthius libro de exequiis Hephæſtionis & Alexandri apud Athen. III. 34. Μακεδόνες οὐκ ἠπίςαντο πίνειν εὐτάκτως, ἀλλ' εὐθέως ἐχρῶντο μεγάλαις προπόσεσιν, ὥςτε μεθύειν ἔτι παρακειμένων τῶν πρώτων τραπεζῶν, ϰ̀ μὴ δύνασθαι τῶν σιτίων ἀπολαύειν. Hoc eſt, *Macedones modeſte bibere non didicerunt, ſed ſtatim vel in ipſis propinationibus vini plurimum hauriunt: quamobrem nondum remotis primis menſis jam ebrii, nullam percipere voluptatem ex cibis poſſunt*. Alexandri certe nota eſt & vulgata in potando ſtrenuitas; qui etiam aliquando ἐπιδείπνιον ἀγῶνα προὔθηκεν ϰ̀ ςέφανον ἀκρατοποσίας, Plutarcho teſte in *ejus Vita*: Qui indidem uni convivio novem millia hominum adhibita notat. Quod Arrianus teſtimonio ſuo comprobat *lib.* VII. p. 464. Unde decedit admiratio ei narrationi quam Duris apud Athenæum texuit de Alexandro, *Deipn.* I. 14. ὅτι τετρακοσίους ποτὲ ἡγεμόνας ἑςιῶν ἐκάθισεν ἐπὶ δίφρων ἀργυρέων ϰ̀ κλιντήρων ἁλουργοῖς περιεςρωμένας ἱματίοις. *Quod* CCCC. *duces aliquando in ſellis argenteis veſte purpura ſtratis convivio exceperit*. Et erat ſane ad hunc uſum egregie accommodatus regii tabernaculi apparatus. *Centum aurei lecti* (deſcriptore Curtio IX. 7. 15.) *modicis intervallis poſiti erant: lectis circumdederat aulæa, purpura auroque fulgentia*. Ælianus paulo plenius *Var. Hiſt.* VIII. 7. Ην δὲ ὁ ἀνδρὼν ὁ ὑποδεχόμενος ϰ̀ ἑςιῶν αὐτοὺς, ἑκατοντάκλινος. ϰ̀ ἑκάςη κλίνη ἀργυρόπους ἦν, ἡ δὲ αὐτοῦ χρυσόπους. ϰ̀ κεκόσμηντο πᾶσαι ἁλουργοῖς ϰ̀ ποικίλοις ἱματίοις ὑφῆς βαρβαρικῆς μεγατίμου. *Locus vero in quo convivio recipiebantur & accumbebant, centum habebat lectos, quorum unuſquiſque argenteis pedibus nitebatur, ipſius vero aureis: & omnes purpureis ſtragulis erant ornati, variaque veſte texturæ barbaricæ & precioſiſſimæ*. Atque *lib.* IX *cap.* III. Ἡ δὲ Ἀλεξάνδρου ἡ μὲν σκηνὴ κλινῶν ἑκατόν. χρυσοῖ δὲ κίονες πεντήκοντα διειλήφεσαν αὐτὴν, ϰ̀ τὸν ὄροφον αὐτῆς ἀνεῖχον. αὐτὸς δὲ ὁ ὄροφος διάχρυσος ἦν ϰ̀ ἐκπεπόνητο ποικίλμασι πολυτελέσι. Tale vero tabernaculum ἑκατοντάκλινον Alexandrum jam antequam in Aſiam trajiceret habuiſſe ex Diodoro *lib.* XVII. *p. m.* 986. colligitur, ubi epulum Amicis, exercitus ducibus, legatis civitatum, totique exercitui ab Rege datum deſcribit. Digna eſt de cœtero convivii a Carano Macedone inſtituti deſcriptio, ab Hippolocho, qui interfuit ipſe, relicta, ut locus hic, cui nos diutius non immoramur, penitus exinde ſuppleatur. Vide Athen. *Deipn.* IV. I.

CAP. XVI.

CONJUGES, NUPTIÆ, PELLICES REGIS

ILLUD etiam, antequam Alexander rerum potiretur, invaluerat apud Macedones, ut Reges eorum plures ſibi eodem tempore juſtas uxores adjungerent. Nam & *Philippus multos habuit filios, ex variis matrimoniis regio more ſuſceptos*. Juſt. IX. 8. 3. Uxores Philippi: Olympias, Audata Illyria, Phila, Meda Cithalæ Thracis filia, Cleopatra. Præterea etiam Concubinæ. vid. Athen. *lib.* XIII. *cap.* II. conf. omnino Freinsh. *Supp. Curt.* I. 9. 12. Et ex illo Juſtini loco legatorum Perſicorum petulantiam in contrectandis regiis uxoribus ferro caſtigatam deſcribentis, colligi poſſe videtur Amyntæ filioque ejus Alexandro plures una utrique uxores fuiſſe. Demetrium vero eo nomine Antonio præfert Plutarchus in *Anton.* circa fin. Ὅτι οὐ κεκωλυμένος, ἀλλ' ἀπὸ Φιλίππου ϰ̀ Ἀλεξάνδρου γεγονὼς, ἐθισθεὶ τοῖς Μακεδόνων βασιλεῦσιν ἐγάμει γάμους πλείονας ὥσπερ Λυσίμαχος ϰ̀ Πτολεμαῖος. Ἀντώνιος δὲ δύο γυναῖκας ἠγάγετο, πρᾶγμα μηδενὶ Ῥωμαίων τετολμημένον. *Quod Demetrius non lege vetante, ſed more a Philippo & Alexandro inter Reges Macedonum uſurpato, plures, ſicut Lyſimachus & Ptolemæus, duxerit uxores. Antonius vero, quod erat apud Romanos inauditum, duas ſimul acceperit*. Hujus vero Demetrii Poliorcetæ conjuges videas apud eundem Plutarchum in *Vita Demetrii*. Alexandri M. aliquot uxorum nomina recenſita vid. apud Arrianum *lib.* VII. *p.* 446. Nuptiarum autem Regiarum feſtivitas inſigni cultu & celebritate inſtruebatur. Cum Philippus Alexandri Epirotæ & Cleopatræ nuptias celebraret; *dies erat* (Juſt. tradente IX. 6. 2. 3.) *pro magnitudine duorum Regum & collocantis filiam & uxorem ducentis, apparatibus inſignis. Quibus nec ludorum magnificentia deerat*. Diodorus de iiſdem nuptiis *Bibl.* XVI. 92. βουλόμενος (ſc. Philippus) ὡς πλείςους τῶν Ἑλλήνων μεταχεῖν τῆς εὐωχίας, ἀγωνιςάς τε μουσικοὺς ϰ̀ μεγαλοπρεπεῖς ἐποίει ϰ̀ λαμπρὰς ἑςιάσεις τῶν φίλων ϰ̀ ξένων. *Ut plures ex tota Grecia ad geniale convivium convenirent, magnificentiſſima certamina muſica, & convivia ad amicos & hoſpites accipiendos lautiſſima facere inſtituit*. De nuptiis Alexandri M. quas ſibi & amicis poſt victum Danium paravit vide Ælianum *Hiſt. Var.* VIII. 7. inter cærimonias reliquas inprimis annotari meretur Confarreationis quidam ritus, ſi in hac re uti licet voce ex Romanorum inſtitutis petita; cujus memoriam Curtius nobis conſervavit VIII. 4. 27. cum deſcripſiſſet Alexandri ardorem in Roxanes connubium ruentis. *Rex*, inquit, *juſſit adferri patrio more panem. hoc erat apud Macedones ſanctiſſimum coeuntium pignus; quem diviſum gladio, uterque libabat*. Cauſam hujus moris Curtius ſubjungit, pergens *verſ.* 28. *Credo eos, qui gentis mores condiderunt, parco & parabili victu*

ostendere voluisse jungentibus opes, quantulo contenti esse deberent. Quanquam alia ritus hujusce ratio magis arridet Freinshemio, quem vide in *Not. ad cit. Curtii loc.* Videtur autem ex eodem Curtii loco colligi posse, nefas apud Macedones habitum, captivam matrimonio sibi jungere. Hoc enim nisi fuisset, non adeo solicite Alexander factum suum excusasset, atque Achillis exemplo defendere conatus esset. Curt. VIII. 4. 25. & 26. add. *Not.* Freinsh. Quæ itaque isto Confarreationis ritu assumtæ erant, tanquam justæ uxores, regio honore colebantur, reliquæ pellicum habebantur loco: quarum etiam ante Alexandrum cum Regibus aliquæ subinde vivere consueverant. Ita Philippus ex Larissæa saltatrice filium Aridæum genuit, cui maternæ sordes objectæ, & a pluribus ipse ducibus ob eas rejectus est. Just. IX. 8. 2. Et Alexander dilectissimam pellicum Pancastam Apelli dono dedit, quæ adolescenti prima mulierum ad libidinem placuerat. Plin. XXXV. 10. Ipse deinde primus cœpit eas in expeditione secum circumducere, sicut Diodorus & Athenæus memorant, numerum quoque quo Darius usus fuerat æmulatus. Pellices CCCLX. totidem quot Darii fuerunt, regiam implebant. Si recto calculo Curtius hic usus est, VI. 6. 8. Hæque pellices per pueros nobiles introducebantur ad regem alio aditu, quam quem armati obsidebant, Idem *ib.* 8. 6. 3. Cœterum non solum prolapso in Persicos mores Alexandro nefanda puerorum stupra a regibus patrari cœperunt, (de Alexandro quippe, ejusque spadonibus, inter quos Bagoas præcipuus, ex Curtio satis res nota, VI. 5. 23. VII. 9. 19. X. 1. 25. ut adeo frustra eum Plutarch. cap. XXXVII. a nefarii hujus flagitii nota liberare conetur) verum & ante ipsum Macedones hoc flagitio se polluisse ex Justino VIII. 6. 5. videre licet. Repudium quoque Macedonum Regibus haud inusitatum fuisse ex Justino IX. 5. 9. apparet, qui, a Philippo *Cleopatram expulsa Alexandri matre Olympiade, propter stupri suspicionem in matrimonium receptam*, narrat. Quanquam Freinshemius in *Suppl. Curt.* 1. 9. 2. Olympiadem non repudiatam, sed ei in eodem matrimonio manenti superinductam Cleopatram affirmat. Quod & vero est similius.

CAP. XVII.

LIBERI REGUM.

LIBERI Regii primam ætatem in nutricum manibus transigebant. Nota est & passim memorata Cliti soror, quę Alexandri nutrix fuit: sed *cui is tam fœdam alimentorum suorum mercedem reddidit, ut in cujus manibus pueritiam egerat, huic pro beneficiis funera remitteret*: sicut ipse apud Justinum ex reputatione hujus rei aucto incitatoque in immensum dolore, Clito a se interfecto parentat, XII. 6. 10. & 11. Arriano quoque lib. IV. p. 261. & Curtio VIII. 2. 8. suffragantibus. Apud quos tamen hæc nutrix diverso nomine designatur: Arrianus: Δανίκην τὴν Δρωπίδε Παῖδα, Curtius *Hellanicen* vocat, VIII. 1. 21. Juventutis autem regiæ sicut maturior, ita dignior quoque annotatu disciplina debet haberi: atque in hac illud inprimis, quod regiis virginibus indignum aut contumeliosum creditum non est, lanificio manus admovere. *Mater*, (inquit Alexander ad Sisygambin) *hanc vestem qua indutus sum, sororum non solum donum, sed etiam opus vides: nostri decepere me mores*, Curt. V. 2. 20. Pueri vero Regii, præsertim si quis esset in spem Imperii educandus, a nutricibus ad pædagogos deduce bantur; non certo neque perpetuo more, sed pro cujusque Regis prudentia. De Alexandri disciplina Plutarchus, in *ejus Vita*: Πολλοὶ μὲν οὖν περὶ τὴν ἐπιμέλειαν ὡς εἰκὸς ἦσαν αὐτοῦ τροφεῖς καὶ παιδαγωγοί, καὶ διδάσκαλοι λεγόμενοι· πᾶσιν δὲ ἐφειστήκει Λεωνίδας, ἀνὴρ τό, τε ἦθος αὐστηρὸς καὶ συγγενὴς Ολυμπιάδος. αὐτὸς μὲν οὖν (rescribo cum viro doctissimo [1] οὐ) φεύγων τὸ τῆς παιδαγωγίας ὄνομα καλὸν ἔργον ἐχούσης καὶ λαμπρόν. ὑπὸ δὲ τῶν ἄλλων διὰ τὸ ἀξίωμα καὶ τὴν οἰκειότητα τροφεὺς Αλεξάνδρου καὶ καθηγητὴς καλούμενος· ὁ δὲ τὸ σχῆμα τοῦ παιδαγωγοῦ καὶ τὴν προσηγορίαν ὑποποιούμενος ἦν Λυσίμαχος τῷ γένει Ακαρνάν. *Multi ejus institutionis appositi fuerunt, nutritii, pædagogi, & magistri appellati: quibus omnibus impositus Leonidas erat, vir & moribus severus & propinquitate Olympiada contingens. Hic pædagogi nomen cum honesto & specioso conjunctum officio (non) repudiabat, sed ab aliis dignitatis & necessitudinis causa nutritius Alexandri & rector vocabatur. Ille vero qui speciem pædagogi & vocabulum sumebat, Lysimachus erat, natione Acarnan.* Qui locus vice omnium rem totam exprimit & prolixam Philippi curam pro educatione filii declarat. Cujus illa quoque eximia & pleno ore passim scriptoribus celebrata pars fuit, quod tanta solicitudine Aristotelem summæ doctrinæ famæque virum accersendum sibi putavit, ut sub tam inclyto doctore filius exacta pueritia cresceret, & literarum studiis erudiretur. Just. XII. 16. 7. & seq. Judices facti & curæ celebratissimæ literas, quas ea de re Philippus ad Aristotelem scripsit, conservavit nobis eruditissimus *noctium Atticarum* lucubrator, lib. IX cap. III. Rem ipsam copiose memorant scriptores Freinshemio nominati, *Supp. Curt.* 1. 2. 26. seq. quem non exscribo.

CAP. XVIII.

REGUM QUOTIDIANA VITÆ

CONSUETUDO.

DE ratione Regum Macedoniæ vitæ consuetudine nonnulla traditiuro illa tantum ex autorum monumentis excerpere placuit, quæ notabiliora & præ cæteris memoratu digna essent. Fuisse autem Reges Macedoniæ honesti atque æqui studiosos cum ex aliis tum ex hoc præcipue liquet, quod de Alexandro Curtius memoriæ prodit, III. 12. 21. *Tum quidem* (scribit) ille, *ait se gessit, ut omnes ante eum Reges & continentia & clementia vincerentur.* Quod quidem Alexandri gloriæ nihil adderet, nisi & Majores ejus Virtutis laude inclyti fuissent. Quanquam pro ingeniorum ratione alio alius studio eminuit. Quippe Philippo, cui maxima ex armis gloria, haud levem maculam *perfidia* dum nullam turpem vincendi rationem existimaret, inussit, quæ apud eum *cum misericordia pari jure dilecta*. Filiusque ejus Alexander ut *virtute* ita *& vitiis patre major* fuit, veluti id egregie Philippum cum Alexandro comparans Justinus ob oculos ponit, quem videsis, IX. 8. per tot. Veluti autem tota Macedonum gens insigni fortitudinis laude claruit, quippe cui *assidua cum Thracibus & Illyriis certamina fuere, quorum armis, veluti quotidiano exercitio indurata, gloria bellicæ laudis finitimos terruit*; Just. VII. 2. 6. ita & Regibus haud exigua fuit armorum cura. *Philippus Rex armorum quam conviviorum apparatibus studiosior; cui maximæ opes erant instrumenta bellorum*; Idem IX. 8. 4. 5. Quanquam astu & proditionibus non minus vincere gauderet, quam Marte aperto, secutus in ea re oraculum Apollinis Pythii quod ipsi redditum; Ἀργυρέαις λόγχαισι μάχου, καὶ πάντα κρατήσεις. Ci-

[1] *Freinsh. in. Curt. Pædagogus.*

cerone teste dicere solitus : *Omnia castella expugnari posse, in quæ modo asellus, onustus auro, posset ascendere*, lib. I. *ad Att.* ep. XIII. Quo videtur allusisse Horatius, cum canit, *lib.* III. *od.* XVI. *vers.* 13.

—— Diffidit urbium
Portas vir Macedo, & subruit æmulos
Reges muneribus.

Unde Valerio Maximo Philippus majore ex parte mercator Græciæ, quam victor dicitur, VII. 2. 8. *ext.* De Alexandri vero M. fortitudine plena sunt Veterum monumenta. *Ille* quippe *non ducis magis, quam militis munera exequebatur; opimum decus cæso Rege expetens*, Curt. III. 12. 7. conf. IV. 4. 11. & VII. 6. 3. Et alloquens milites, *Non postulare se*, inquit, *ut fortiter capesserent prælium, nisi ipse cæteris fortitudinis fuisset exemplum. Se ante prima signa dimicaturum spondere*, idem IV. 14. 6. Sed plura de eo allegare loca supersedeo, ne cramben bis terve coctam apponere videar. Cæterum solebant Reges in Pythiis Olympicisque etiam ludis certare. Alexandro, Amyntæ filio, *tanta omnium virtutum ornamenta extitere, ut etiam Olympico certamine vario ludicrorum genere contenderit*. Just. VII. 2. 14. Et Archelaus *Pythias & Olympicas palmas quadrigis adeptus*. conf. *Supp.* Freinsh. I. 2. 17 ubi citatur Herodotus. Quanquam addit Solinus *Polyb.* cap. XIV. eum *Græco potius animo, quam regali, gloriam illam præ se tulisse*. Licet non ipsi semper Reges in illis ludis comparuerunt. Hinc Philippo eodem die & nativitas Alexandri, & victoria certaminis Olympici, in quod quadrigarum currus miserat, nuntiata. Et Olympicas idem curruum victorias numismati insculpere solitus est, Just. XII 16. 6. De Alexandro Plutarchus refert in *ejus Vita*, p. m. 488. eum quærentibus, velletne Olympico certamine defungi) fuisse enim *ποδώκην*) respondisse: *εἴγε βασιλεῖς ἔμελλεν ἕξειν ἀνταγωνιστάς*. Adeoque ipse quidem illo certandi genere abstinuit. Spectacula etiam ab ipsis Regibus edi solita, Just. IX. 6. 2. In nuptiis Alexandri Epirotæ cum Cleopatra, non deerat ludorum magnificentia. Perseus autem *spectaculorum omnis generis magnificentia superiores Reges vicit; reliquorum sui moris & copia Græcorum artificum*. Livius XLI. 20.

Venationi præcipue deditus fuit Alexander, in qua dies totos a prandio absumsit Plut. in *ejus Vita* cap. XXXIX. Hac stimulante cupidine cum *quatuor continuis ætatibus intactum* fuisse in Sogdiana *saltum*, cui *nobilium ferarum greges* inclusi essent, constaret, *ipse cum toto exercitu ingressus agitari undique feras jussit*, quas strenue persecutus non unise periculo objecit, quare lex a Macedonibus lata, *ne Rex pedes venaretur, aut sine delectis principum amicorumque*, Curt. VIII. 1. 13. *seq.* Atque Venationi omnes in universum Macedonum Reges studuisse vel sequens Polybii locus ostendit: Τῶν Μακεδονικῶν βασιλικῶν μεγίστην ποιουμένων σπουδὴν περὶ τὰς κυνηγεσίας, καὶ Μακεδόνων ἀνεικότων τοὺς ἐπιτηδειοτάτους τόπους πρὸς τὴν τῶν θηρίων συναγωγὴν, ταῦτα συνέβη τὰ χωρία τετηρῆσθαι μὲν ἐπιμελῶς καθάπερ καὶ πρότερον, πάντα τὸν τοῦ πολέμου χρόνον, κεκυνηγῆσθαι δὲ μηδέποτε διὰ τῶν τεττάρων ἐτῶν διὰ τοὺς περισπασμούς. ἦν δὲ θηρίων ὑπάρχει πλήρη παντοδαπῶν. τοῦ δὲ πολέμου λαβόντος κρίσιν, &c. Hæc ita vertit Casaubonus. *Cum Macedonum Reges venationi plurimum studerent, solitique essent Macedones loca ad feras congregandas aptissima huic usui dicare: hujusmodi septa toto quidem belli Persici* (vel cum Perse) *tempore eadem qua prius cura fuerant custodita, cæterum per quatuor continuos annos intacta, atque illibata ab omni venatu permanserant, Rege aliis negotiis cum maxime distracto. quocirca, ferarum omnis generis erant plenissima. Confecto autem bello*, &c. Narrat posthac quemadmodum Scipio his septis ad venandum usus fuerit, Polyb. *de Virt. & Vit.* p. 1463. Literarum quoque minime rudes Reges Macedonum, viros etiam eruditos magni fecerunt eximiisque honoribus coluerunt. *In Philippo* Amyntæ fil. *eloquentia erat, & insignis oratio, acuminis & solertiæ plena; ut nec ornatui facilitas, nec facilitati inventionum deesset ornatus*, Just. IX. 8. 10. De ipso ejusque filio idem *ibid. vers.* 18. *Literarum cultus utrique similis.* Et quidni profecerit Alexander sub tanto Magistro, quantus Aristoteles fuit? Cujus imaginem, quam in argenteis nummis cernimus, cur non a grato videl. discipulo, Alexandro M. iis impressam credamus. Quanti hunc præceptorem suum traditasque ab eo doctrinas fecerit, ostendit epistola ejus apud Gell. XX. 4. Cum quoque adeo Stagiritam deperierit ejusque Studia, ut sumtus abunde præbuerit ad conscribendam animalium historiam, eique *tota Asia Græciaque parere jusserit quotquot venatu, aucupio, piscatuve vitam tolerabant*, Plinius VIII. 16. Athenæus refert in ejus operis impensas talenta octingenta Philosophum accepisse, *Deipn.* IX. 13. Idem Rex præcipuus Homeri amator, cujus libros sub cervicali cum pugione reponere solebat. *Callisthenem in Asiam revocavit, ut res gestas suas memoriæ proderet*, Just. XII. 6. 7. Ante eum vero Archelaus I. *in tantum literarum amator fuit, ut Euripidi Tragico consiliorum suorum summam crederet*. Solinus *Polyb.* cap. XIV. conf. Gell. XV. 20. Chœrilus Samius, secundum Suidam vero Halicarnassensis, carmine Victoriam descripsit, quam Græci de Xerxe retulerunt, atque ab Archelao Macedonum Rege pro quoque ejus poematis versu, aureum retulit staterem. Memoria autem fefellisse videtur Horatium, cum scribit, II. *epist.* I. *v.* 232.

Gratus Alexandro Regi magno fuit ille
Chœrilus, incultis qui versibus & male natis
Rettulit acceptos regale numisma Philippos.

Nec enim qui honos ab Archelao habitus bono poetæ, is & apud Alexandrum contigit Chœrilo poetæ malo. Nimirum duos Chœrilos confudit, quos recte Gyraldus in *Poetarum historia* distinguit. Adi Vossium *de Histor. Græc.* IV. 7 Quamvis Freinshemius in *notis ad Curt.* VIII. 5. 8. Heinsium contrarium ostendisse asserat. Et Alexander Amyntæ filius, Pindarum in deliciis habuit. Arr. *lib.* I. p. 27. Τὴν Πινδάρου δὲ τοῦ ποιητοῦ οἰκίαν καὶ ἀπογόνους τοῦ Πινδάρου λέγουσιν ὅτι διεφύλαξεν Ἀλέξανδρος (Magnus, Thebis videl. captis) αἰδοῖ τῇ Πινδάρου. Maximo vero favore Apellem pictorem complexus est, a quo solo pingi, uti a solo Pyrgotele sculpi, a Lysippo vero & Polycleto ære duci voluit, Plinius VII. 37. Nam, teste Venusino Vate, lib. II. *Epist.* I. *v.* 239. seq.

Edicto vetuit, ne quis se, præter Apellem
Pingeret, aut alius Lysippo duceret æra
Fortis Alexandri vultum simulantia.

Notabilis hac de re Apuleii locus lib. I. *Flor. Sed in primis Alexandri illud præclarum, quod imaginem suam, quo certior posteris proderetur, noluit a multis artificibus vulgo contamnari: sed edixit universo orbi suo, ne quis effigiem regis temere assimularet ære, colore, cælamine: quin ipse solus eam Polycletus ære duceret, solus Apelles coloribus delinearet, solus Pyrgoteles cælamine excuderet. Præter hos tres multo nobilissimos in suis artificiis, si quis uspiam reperiretur alius sanctissimi imagini regis manus admolitus, haud secus in eum quam in sacrilegum vindicaturus. Eo igitur omnium metu factum, solus Alex. ut ubique imaginum summus esset: utique omnibus statuis & tabulis & toreumatis idem vigor acerrimi bellatoris, idem ingenium maximi honoris, eadem forma viridis juventæ, eadem gratia relicinæ frontis cerneretur.* Unde Cassander cum Macedonia & Græcia jam potitus, Delphis aliquando statuam Alexandri conspexisset, subito

bito perculsus toto horruit tremuitque corpore, eaque animi æstuatio vix sedari potuit. Nempe adeo effictus egregie erat ab artifice vultus Alexandri, ut quis præsentem ipsum esse illosque heroicos efflare spiritus, quos vivens solebat, crederet. Cœterum de Studiis Alexandri M. cui plura legere lubet, adeat Freinshemii *Supplementa in Curtium lib.* I. c. 3. & 4. ubi farraginem scriptorum, ex quibus illa depromta sunt inveniet. Antigonus Gonatas fuit studiosissimus Zenonis Cittiei, Stoicorum principis, scriptisque ad illum literis, cur erudiri ab eo in optimarum artium studiis cuperet, hoc subjunxit epiphonema: *οἷος γὰρ ἂν ὁ ἡγούμενος ᾖ, τοιούτους εἰκὸς ὡς ἐπιτοπολὺ γίγνεσθαι καὶ τοὺς ὑποτεταγμένους. Cujusmodi princeps fuerit, tales ut plurimum subditos fieri necesse est.* Autor est Laertius, *lib.* VII.

CAP. XIX.
SACRORUM STUDIUM APUD REGES.

SACRORUM ac Religionis in primis studiosos Reges Macedonum fuisse, vel hoc evidenti argumento est, quod toties in historia Alexandri sacrificiorum ab ipso peractorum mentio fit. Jam enim pro transitu maris aut fluminum, jam pro victoria, jam novis urbibus excitatis, jam ad propitiandos Deos, si malo omine terruissent, aræ Diis erectæ, sacrificia facta, hostiæ cæsæ, ludi, decursiones in armis, & *ἀγῶνες γυμνικοὶ* instituti. Imo Alexandrum singulis diebus cum lavisset, sacrum Diis fecisse ex Arriano *lib.* VII. p. 497. & 498. discimus. Præ cœteris tamen Diis, quibus frequentia sacra Rex ille fecit, veluti Jovi Olympio, Herculi, Victoriæ, Libero Patri, Neptuno, Æsculapio, & innumeris aliis, Minervam insigni honore coluit. Tradit Arrianus *l.* I. p. 32. cum Palladi Iliacæ sacrificasset, *τὴν πανοπλίαν τὴν αὐτοῦ ἀναθεῖναι ἐς τὸν νεών, καὶ καθελεῖν ἀντὶ ταύτης τῶν ἱερῶν τινα ὅπλων ἔτι ἐκ τοῦ Τρωικοῦ ἔργου σωζόμενα. Universis armis, quibus uti soleret, in ejus templo fixis, sumsisse eorum loco sacra quædam arma, quæ ex Trojano bello adhuc salva erant.* Perseus etiam ultimus Macedonum Rex, centum hostiis sacrificium regaliter Minervæ, quam Alcidem vocant, confecit, Livius XLII. 51.

Cœterum illud notandum quod Reges sacris non solum interfuerint, sed & ipsi ea peregerint, tum etiam quasi Gentilitia quædam habuerint sacra. Præterquam enim quod Alexander ipse *τῇ Ἀρτέμιδι ἐν Ἐφέσῳ πομπὴν ἔπεμψε ξὺν τῇ στρατιᾷ πάσῃ ὡπλισμένῃ*, Arrianus *l.* I. p. 52. f. de eodem idem refert *lib.* II. p. 151. quod *θύοντι, καὶ ἐστεφανωμένῳ, καί τε κατάρχεσθαι μέλλοντι τοῦ πρώτου ἱερείου κατὰ νόμον, corona capiti imposita sacrificanti, cum ipse patrio more primum sacrificium auspicaturus esset*, avis quædam supervolaverit. Et infra *lib.* III. pag. 197. *θύσας τῷ πατρίῳ νόμῳ, καὶ λαμπάδα ποιήσας, καὶ ἀγῶνα γυμνικὸν*, dicitur. *Vetusto Macedoniæ more Regi Alexandro nobilissimi pueri præsto erant sacrificanti. Horum unius patientiam ut Rex probaret: consulto sacrificavit diutius.* Vid. Valer. Max. III. 3. 1. *ext.* Quod argumento est Regem ipsum sacrum fecisse, nec tantum per Sacerdotes vel Vates illud peractum. Ad Gentilitia Regiæ familiæ sacra fortasse & istud referendum, cujus Arrianus meminit, *lib.* I. p. 30. pr. *Ταῦτα δὲ διαπραξάμενος ἐπανῆλθεν εἰς Μακεδονίαν· καὶ τῷ τε Διὶ τῷ Ὀλυμπίῳ τὴν θυσίαν τὴν ἀπ' Ἀρχελάου ἔτι καθεστῶσαν ἔθυσε, καὶ τὸν ἀγῶνα Αἰγαῖς διέθηκε τὰ Ὀλύμπια. His rebus gestis in Macedoniam reversus, Jovi Olympico sacrum fecit jam antea ab Archelao institutum, & certamen Olympicum apud Ægas fieri curavit.* Illud certe eo pertinet, de quo Livius XXVII. 30. *Argis curationem Heræorum Nemeorumque suffragiis populi ad Philippum Demetrii filium Regem Macedoniæ*

A *delatam, quia se Macedonum Reges ex ea civitate oriundos referunt.* Quomodo vero illa ludorum celebritas a Philippo peracta fuerit, Livius sequenti capite refert. Hoc vero luculentum satis testimonium, quod a Curtio X. 7. 2. *Aridæus Alexandri paulo ante regis frater, sacrorum, cærimoniarumque consors modo, nunc* (a morte Alexandri) *solus heres* dicitur. Quod quorsum nisi ad Gentilitia sacra referendum sit, non video. Cœterum Vates atque Aruspices magno apud Reges in honore fuisse ex illo apparet, quod Aristander qui *peritissimus Vatum, & cui maxima fides habita fuerit*, a Curtio

B describitur IV. 2. 14. & 6. 12. semper in castris cum Rege fuit, & de ominibus portentisque, si quæ observata essent, extemplo consultus est. Ille in prælio ad Arbela *alba veste indutus dextraque præferens lauream*, Curtius *ibid.* 15. 27. & quod Plutarchus addit, auream gestans coronam juxta Alexandrum equitabat. Solebat idem preces sacrificanti Regi præire, de quo Curtius *ibid.* 13. 15. *Alexander non alias magis territus ad vota & preces Aristandrum vocari jubet: ille in candida veste, verbenas manu præferens, capite velato præibat preces Regi, Jovem, Minervam, Victoriamque propitianti.* Exta *vero mos erat aruspicibus sine rege spe-*

C *ctare, & quæ portenderentur referre*, Curt. VII. 7. 8. Qua in re fraudem aliquando ab Aristandro jussu Alexandri, quo militum animi ficto prodigio confirmarentur, adhibitam Frontinus narrat, *Stratag.* I. 11. 14. Secreto videlicet monitum Aristandrum a Rege, ut excepturam exta manum inscriberet medicamento, literis inversis, quas impositum jecur recenti adhuc calore attraheret, rectasque exprimeret, iis significabatur Alexandro victoriam portendere Deos. Cum Lunæ defectione turbati essent animi militum, Alexander *Ægyptios vates, quos cœli ac siderum peritissimos esse credebat,*

D *quid sentirent, exponere jubet*, Curt. VII. 7. 8. Licet autem multum a vatum suorum responsis pendere consueverit, tamen *fortuna animum mutante post Darium victum ariolos & vates consulere desierat*, idem IX. 4. 27. 28. 29. rursus demum, ancipiti videlicet periculo implicitus, *ad superstitionem, humanarumque mentium ludibria, revolutus, Aristandrum, cui credulitatem suam addixerat, explorare eventum rerum sacrificiis* jussit. Quæ superstitio deinceps penitus in eo invaluit, teste Plutarcho, in *Alex.* cap. 127. adeo ut sacrificantium, expiantium, vaticinantium plena regia fuerit. Verum non solus Alexander religionum adeo

E studiosus fuit, sed ante eum Philippus pater eandem laudem affectavit, dum de Phocensibus, qui templum Delphicum spoliaverant, bello petitis, pœnas sacrilegii sumsit. Tantamque apud omnes nationes eam ob rem, teste Justino VIII. 2. 7. consecutus est gloriam, ut *Diis proximus haberetur, per quem Deorum majestas vindicata esset*, idem VIII. 3. 4. 5. Quamvis illam gloriam ipse sacrilegus factus, dum *non Deorum immortalium templis, non ædibus sacris, non diis penatibus publicis privatisque pepercit, prorsus, ut non tam sacrilegii ultor extitisse, quam sacrilegiorum licentiam quæsisse videretur*, haud parum obscuravit, Liv. XXXI.

F 30. conf. *cap.* 24. fine, & *c.* 26. Quo etiam nomine pessime Philippus Demetrii filius audiit, accusatus ab Atheniensium legatis in concilio Ætolorum, quod adeo *omnia simul divina humanaque jura polluerit, ut priore populatione cum infernis Diis, secunda cum superis bellum gesserit: omnia sepulchra monumentaque in finibus eorum diruerit, ut omnium nudati sint manes, nullius ossa terra tegantur*, & quæ aliæ justæ illorum fuere legatorum de injuriis sacrilegiisque Regis querelæ, Just. IX. 8. 7. Genio videlicet uterque Philippus suo indul-

gentes, quo misericordia in eis & perfidia pari jure diligebantur. Quadruplator præcipue ille prior Philippus atque interceptor litium alienarum parum pensi habebat, sive fidem datam frangeret, sive eandem, ubi ex re sua fuisset, servaret, ut ex multis Justini locis apparet, ut VIII. 3. 8. 4. 11. filio Alexandro hac in re multo inferior, de quo Nabarzanes apud Curtium VI. 4. 12. *se non timere*, ait, *ne fidem datam tantus Rex falleret*. Dextra autem data, apud Macedones pariter atque apud Persas fidem suam Reges obstrinxisse colligitur. De Persis res ex Brissonio clara, lib. 1. *de Reg. Pers. Princ.* p. m. 107. De Alexandro Curtius VI. 4. 14. *Non dubitavit, fidem quo Persæ modo accipiebant dare, Inviolatum, si venisset, fore*. Solebat autem Persarum Rex aut præsenti, aut per internuncium dextram dare. Per internuncios Nabarzani hic Alexandrum dextram obtulisse clarum est. Quod quidem postea Græcis militibus, petentibus ut Lacedæmoniorum legatis fides daretur, negavit, sed *omissis sponsionum fideique pignoribus venire eos jussit, fortunam quam ipse dedisset habituros*, Curt. VI. 5. 6. 8. Præsenti vero Artabazo dextram obtulit; eandem Omphi Indo fidei suæ pignus dedit, idem *ibid.* 5. 2. & VIII. 12. 10. & VI. 7. 35. Geminam Philotæ etiam reconciliatæ gratiæ pignus obtulit; veluti Philippo medico illa oblata benevolentiæ atque amoris regii signum fuit. idem III. 6. 13. Ut adeo non ex Persicis demum hoc moribus tractum, sed jam ante apud Reges Macedoniæ in usu fuisse videatur, fidem suam dextra data obstringere. Quomodo autem Reges jurejurando soliti fuerint defungi, ejus rei memoriam Justinus nobis conservavit XXIV. 2. 8. quando Ptolemæum Ceraunum, Macedoniæ Regem, *in sanctissimo Jovis templo, veterrimæ Macedonum religionis, sumtis in manus altaribus, contingentem ipsa simulacra & pulvinaria Deorum, inauditis ultimisque execrationibus adjurasse* scribit; *Se sincera fide matrimonium sororis petere*. Pausanias *lib.* VI. Alexandrum quoque Deos Græcorum testatum esse servasseque, licet invitum, quod juraverat, memoriæ prodidit. Res autem cognitu digna ita se habet. Lampsaceni Persarum opibus studebant, quare iratus Alexander diruere urbem statuit. *Οἱ δὲ ἅτε δέοντες περὶ γυναικῶν τε καὶ παίδων καὶ αὐτῆς πατρίδος, ἀποστέλλουσιν Ἀναξιμένην ἱκετεύειν, Ἀλεξάνδρῳ τε αὐτῷ καὶ ἔτι Φιλίππῳ πρότερον γεγονότα ἐν γνώσει. προσήει τε ὁ Ἀναξιμένης, καὶ τὸν Ἀλέξανδρον πεπυσμένον καθ᾽ ἥντινα αἰτίαν ἥκοι, κατομόσασθαί φασιν ἐπονομάζοντα θεοὺς τοὺς Ἑλλήνων, ἦ μὴν αὐτοῦ ταῖς δεήσεσιν ὁπόσα ἐστὶν ἐναντία ἐργάσεσθαι. Ἔνθα δὴ εἶπεν Ἀναξιμένης· χαρίσασθαί μοι τήνδε, ὦ βασιλεῦ, τὴν χάριν, ἐξανδραποδίσασθαι μὲν γυναῖκας καὶ τέκνα Λαμψακηνῶν, καταβαλεῖν δὲ καὶ ἐς ἔδαφος τὴν πόλιν πᾶσαν, τὰ δὲ ἱερὰ τῶν θεῶν φησιν ἐμπρῆσαι. Ὁ μὲν ταῦτα ἔλεγεν. Ἀλέξανδρος δὲ οὔτε πρὸς τὸ σόφισμα ἀντιμηχανήσασθαί τι εὑρίσκων, καὶ ἐνεχόμενος τῇ ἀνάγκῃ τοῦ ὅρκου συγγνώμην ἔνεμεν οὐκ ἐθέλων Λαμψακηνοῖς.* conf. Suid. *voce* Ἀναξιμένης. Valer. Maximus hæc ita VII. 3. 4. *ext. Cum ad excidium Lampsacenæ urbis summo studio Alexander ferretur, progressumque extra mœnia Anaximenem præceptorem suum vidisset; quia manifestum erat, futurum, ut preces suas iræ ejus opponeret; non facturum se, quod petisset, juravit. Tunc Anaximenes, Peto, inquit, ut Lampsacum diruas. Hæc velocitas sagacitatis oppidum vetusta nobilitate inclytum exitio, cui destinatum erat, subtraxit*. Tanta apud Alexandrum jurati religio fuit, ut parceret vel invitus inimicissimis, & quibus ne quidem ob respectum præceptoris ignoscere decreverat.

CAP. XX.

REGUM COMITAS & POPULARITAS. DONA. JUDICIA.

IN PRIMIS Comitati erga amicos subditosque Reges Macedonum studuisse, eosque fastum Persarum Regibus usitatum admodum fugisse, non ex uno veterum scriptorum loco liquet. *Exstant Epistolæ & Philippi ad Alexandrum, & Antipatri ad Cassandrum, & Antigoni* (Dosonis scil.) *ad Philippum filium trium prudentissimorum, quibus præcipiunt, ut oratione benigna multitudinis animos ad benevolentiam alliciant, militesque blande appellando sermone deliniant*, Cicero II. *Off.* §. 48. Hinc evenit ut eo insolentius videretur Macedonibus, cum Alexander, ut in aliis rebus, ita & hac in parte barbaricam superbiam imitari cœpisset. Reprehenditur hoc nomine a Justino scribente XI. 11. 12. *Hinc illi*, (scil. Alexandro) *aucta insolentia, mirusque animo increvit tumor, exemta comitate, quam & Græcorum literis & Macedonum institutis didicerat*. Et a Livio XLI. 20: Perseus, *quod non alloqui amicos, vix notis familiariter arridere solitus fuerit*. Contra Argæus laudem meruit, ob *moderate & cum amore popularium administratum regnum*, Just. VII. 2. 5. Et Archelaus, qui *non contentus suprema Euripidis prosequi sumtu funeris, crinem tonsus est, & mœrorem, quem animo conceperat, vultu significavit*, Solin. *Polyb.* c. 14. Quod Regem fecisse in funere privati, atque Tragici poetæ magnæ sane popularitatis signum est. De Alexandri comitate, antequam in exteros mores prolapsus esset, cum sexcenta extent documenta ex illis pauca duntaxat adduxisse sufficiat. Illud magnæ familiaritatis indicium, quod *veste deposita in conspectu agminis, decorum futurum ratus, si ostendisset suis, levi ac parabili cultu corporis se esse contentum, descendit in flumen*, Curt. III. 5. 2. Suisque hic *vel ingenii dotibus, vel animi artibus, ut pariter carus ac venerandus militibus esset, effecit*, idem *lib. eod.* 6. 19. 20. Huc illud pertinet, quod licet ipse vulneratus, tamen *τοὺς τραυματίας ἐπῆλθε*, Arrianus *lib.* II. p. 113. Nam, teste eodem Arriano *lib.* I. pag. 48. *τῶν τετρωμένων πολλὴν πρόνοιαν ἔσχεν, ἐπελθών τε αὐτὸς ἑκάστους καὶ τὰ τραύματα ἰδών, καὶ ὅπως τις ἐτρώθη ἐρόμενος, καὶ ὅ, τι πράττων, εἰπεῖν τε καὶ ἀλαζονεύσασθαι οἱ παρασχών*. *Sauciorum magnam curam habuit, obeundo singulos, vulnera inspiciendo, & quomodo quisque ea accepisset interrogando, libera cuique gestorum suorum narratione prædicationeque permissa*. Quid, quod gregarium militem frigore torpentem, ipse tunc maxime admoto igne refovens artus, in sella sua prope ignem considere jussit, ac deinde recepto calore vitali territum placide admodum allocutus est? Curt. VIII. 4. 15. *seq.* Quid, quod *non solum præcipuos copiarum duces suis nominibus, observato decore, verum etiam tribunos & manipulares nominatim compellavit: & ex mercenariis, qui aut titulo, aut rerum gestarum gloria illustriores essent*, Valer. Maxim. V. 1. 1. *ext.* *Οὐ τῶν ἡγεμόνων μόνον τὰ ὀνόματα ξὺν τῷ πρέποντι κόσμῳ ἀνεκάλει, ἀλλὰ ἐν ἰλάρχας καὶ λοχαγοὺς ὀνομαστὶ· καὶ τῶν ξένων τῶν μισθοφόρων, ὅσοι κατ᾽ ἀξίωσιν, ἤ τινα ἀρετὴν γνωριμώτεροι ἦσαν*. Arrian. *lib.* II. pag. 105. Effecit videlicet, ut a militibus suis *optimus atque fortissimus, Rex idem atque Commilito* appellaretur, Curtius III. 5. 8. & X. 5. 9. Quæ aliaque innumera Alexandrum ex gentis suæ institutis, ut quam maxime popularis esset annisum sedulo fuisse argumento sunt. Referas huc & illud licet, quod Reges adeo plerumque soliciti de militum, qui in prælio ceciderant, sepultura fuere. Curtius Alexandrum *cum cura sepelisse milites, quorum corpora invenerat* tradit, III. 12.

13. Et deprehensus aliquando Rex angustiis itinerum cum aliquot suorum amisisset, atque alia via evadere tuto posset, *dimittere tamen milites insepultos erubuit, ita tradito more ut vix ullum militiæ tam solenne esset munus, quam humandi suos*, idem v. 4. 3. Et notabile illud, quod Diodorus Siculus, quotiescunque aliquod vel levissimum etiam prælium a Macedonibus commissum, descripsit, statim ubique subjungat, milites ab Alexandro sepultos fuisse. Volebat videl. Rex hoc edito benevolentiæ in suos specimine omnium animos ad obeunda discrimina alacriores reddere. Infeliciter eum imitatus Philippus Demetrii filius, qui *aliquid & ad caritatem suorum, & ut promptius pro eo periculum adirent, ratus profecturum se, si equitum, qui ceciderant in expeditione sepeliendorum curam habuisset; afferri eos in castra jussit, ut conspiceretur ab omnibus funeris honos*, Livius XXXI. 34. Et servavit hunc morem Perseus, ultimus Macedonum Rex, qui, fusus a Romanis, *paucos tamen dies*, Livio teste XLII. 67. *ad Mopselum moratus, sepulturæ maxime militum amissorum cura*. Huc pertinet, quod causarum Reges etiam minimarum, & a promiscua plebe delatarum disceptatores exciterunt. De Perseo Livius XLI. 20. *More sella eburnea posita jus dicebat, disceptabatque controversias minimarum rerum*. Caput hoc Livii ἀκέφαλον cum sit, præponenda forte vox, *Majorum* vel *De*, ut integer sensus sit, *Majorum* vel *De more sella eburnea posita*. Nec dubitavit Pausanias de stupro ab Attalo sibi illato ap. Philippum Amyntæ filium conqueri. Vid. Just. IX. 6. 5. 6. 7. Diod. XVI. p. m. 961. Idem Philippus cum bene potus jus aliquando diceret, minusque attentus mulierculam quandam damnasset; illam appellantem audire coactus est. Ex ea cum quæreretur ad quem appellaret? a Philippo ebrio respondit ad Philippum sobrium. Motus libero hoc responso Rex, nihil tamen minus quam ægre tulit, sed mulierem iterum dicere jussit, causamque denuo cognovit. Erga exteros eadem comitate ac facilitate usos Reges, indicio est, quod legati barbarorum etiam atque hostium facile admissi. Itaque Alexander legatos barbarorum quos oppugnabat, *protinus admitti, atque considere jussit*, Curt. VII. 6. 6. Scytharum legati XX. *more gentis* cum venissent, *admissi in tabernaculum, jussique considere*, idem *ib.* 8. 6. Persarum legati ab Amynta Macedoniæ R. *benigne excepti inter epulas ebrietate crescente, cum rogassent Amyntam, ut apparatui epularum adjiceret jus familiaritatis adhibitis in convivium suis ac filii uxoribus*; quamvis id a moribus Macedonum alienum esset, uti infra patebit, voluntati tamen hospitum non reluctatus est, uti apud Justinum VII. 3. 3. 4. videre licet. Solebant porro R. Maced. præmia pro virtutis cujusque ratione tribuere iis, qui bene de se patriaque meriti essent. Ita Δάγγαρος Ἀγριανῶν βασιλεὺς, δῶρα ἔλαβεν ὅσα μέγιστα παρὰ βασιλεῖ τῷ Μακεδόνων νομίζεται. *Langarus munera accepit, quæ apud Macedonum Reges habentur summa*. Arrianus *lib.* I. p. 12. Alexander eos qui in prælio ad Granicum ceciderant, *impense ad cæterorum exemplum humatos, statuis equestribus donavit, cognatisque eorum immunitates dedit*, Just. XI. 6. 13. Eas statuas ex ære a Lysippo factas Arrianus memorat, *lib.* I. p. 47. & 48. Eodem notante *lib.* VII. p. 446. 450. Alexander *eos qui præclarum aliquod facinus edidissent aureis coronis donavit*. Ἐστεφάνωσε χρυσοῖς στεφάνοις τοὺς ἀνδραγαθίᾳ διαπρέποντας. Et quis dona omnia hujus Regis sane perquam magnifica, postquam Persicas opes adeptus est, enumeret, cum uni alicui *Lycio pastori itineris, quo Persidem intraverat, duci*, XXX. *talenta dono dederit?* Curt. V. 7. 12. Sane quantas opes amicis totique exercitui elargitus sit longum fuerit enarrare.

CAP. XXI.

REGUM MINISTRI, inter quos PRÆCIPUI ETAIPOI DICTI.

PROXIMI a Rege dignitate erant, qui Ἑταῖροι *Amici*, & Συγγενεῖς *Cognati Regis* appellabantur, Curtius III. 6. 4. Purpuratorum etiam nomen illis ab eodem tributum, III. 12. 5. Horum magna apud omnes Regemque ipsum authoritas erat. Neque magnum ullum arduumve negotium absque eorum consilio a Regibus susceptum est. Transiturus in Asiam Alexander amicos ante in consilium adhibuit, qui libere ab illo dissentiebant, suam in medium proferentes sententiam, Rege nihil ob id succensente. Neque enim Xerxi similis erat dicenti: *Mementote parendum magis vobis esse, quam suadendum*, ut Val. Max. IX. 5. 2. *ext.* Quin demum consilii sui rationibus expositis bellum eis adversus Persas persuasit. Ipse vero Scytharum legatis respondit, *fortuna sua & consiliis suorum se usurum esse. Nam & fortunam, cui confidat; & consilium suadentium, ne quid temere, & audacter faciat secuturum*. Curt. VII. 9. 1. Sæpissime autem convocatos ab Alexandro amicos ex Arriano Curtioque perdiscimus. Fraudem, qua Alexander confictis tanquam a Dario missis literis, verisque suppressis, evitavit, ne ex amicorum sententia bellum deponere cogeretur, videsis apud Diodorum Siculum, *lib.* XVII. p. m. 1015. Ab iisdem amicis reprehensus ob temeritatem æquo id animo tulit, ita enim Curtius IX. 6. 16. *Grata erat Regi pietas amicorum, itaque singulos familiarius amplexus considere jubet. Longe vero omnium amicorum carissimus Regi erat Hephæstion, cum ipso pariter educatus; secretorum omnium arbiter: libertatis quoque in admonendo eo non alius jus* (tantum, videlicet) *habebat; quod tamen ita usurpabat, ut magis a Rege permissum, quam vindicatum ab eo videretur*, diem III. 12. 16. Sane, Justino notante XIII. I. 10. 11. amici Alexandri *ejus virtutis ac venerationis erant, ut singulos Reges putares. Quippe ea formæ pulchritudo, & proceritas corporis, & virium ac sapientiæ magnitudo in omnibus fuit, ut qui eos ignoraret, non ex una gente, sed ex toto terrarum orbe electos judicaret*. Addit Justinus *vers.* 13. Eos primo a Philippo, mox ab Alexandro tanta cura lectos, *ut non tam ad societatem belli, quam in successionem regni, electi viderentur*, Just. XIII. 4. 11. Ita Ptolemæum, Ægypti postea Regem, *Alexander virtutis causa ex gregario milite provexerat*, Curt. X. 8. 3. Inde & illud est, quod Perdicca, præcipuus ex amicorum numero, percussores missos sic *animi vultusque constantia terruit, ut ad eum ultro vocantem accedere non ausi vix mentis compotes fugerent*, Just. XIII. 3. 8. Magnifice vero cultos Regi ad officia præsto fuisse eumque comitatos esse, facilis conjectura est. Hinc illud de Alexandro Arriani, *lib.* I. pag. 41. Δῆλος ἦν τῶν ἀμφ' αὐτὸν τῇ σὺν ἐκπλήξει θεραπείᾳ. *Dignoscebatur* Alexander *ex eorum quibus stipatus erat admirabili cultu*, uti Vulcanius vertit. Et de Perseo Livii XLII. 39. *Magnus comitatus fuit regius, cum amicorum, tum satellitum turba stipante*. Hic paucis annotasse sufficiat, horum amicorum unum, Rege absente, in regia relictum, qui vices ejus interim gereret. Munere isto, bellum in Asia gerente Alexandro, Antipater functus est. Sed non videtur hoc officium amicis commissum fuisse, si ex regia stirpe masculus

quispiam superesset. A Philippo quippe filius Alexander relictus, licet minorennis adhuc, *κύριος ἐν Μακεδονίᾳ τῶν πραγμάτων, καὶ τῆς σφραγῖδος*, teste Plutarcho in *Alex.* Licet autem ex optimis hi Regum Amici eligebantur, fieri tamen non potuit, quin aliqui potentia sua, gratiaque Regis abutentes secus, quam oportebat, sese gererent. Unde mores eorum superbiamque Livius graphice depingit XLV. 32. *Regis amici*, scribens, *purpuratique, duces exercituum, præfecti navium, aut præsidiorum; servire Regi humiliter, aliis superbe imperare assueti: prædivites alii, alii quos fortuna non æquarent, his sumtibus pares: regius omnibus victus vestitusque: nulli civilis animus, neque legum, neque libertatis æquæ patiens.* Eodem superbiæ prolapsus jam Alexandri tempore Philotas, cui a Belone id objectum apud Curtium legitur VI.11. 2. seq. *Milites diversoriis quæ occupassent, proturbatos, ut purgamenta servorum Philotæ reciperentur eo, unde commilitones expulisset: ac ne in vicinia quidem diversorii quenquam commilitonum receptum esse, sed per dispositos, quos ad somnum habebat, omnes procul relegatos, ne fœmina illa* (Philotam designat) *murmurantium inter se silentio verius, quam sono excitaretur.* Quæque alia sunt, quæ ceu ab insolenti Philotæ superbia profecta Belon accusat.

CAP. XXII.

ΣΩΜΑΤΟΦΥΛΑΚΩΝ SUMMA QUOQUE DIGNITAS.

NON minor autem *Σωματοφυλάκων* dignitas, quippe cum præcipui amicorum Regii simul Corporis fuerint Custodes. Alexandro defuncto *Corporis ejus Custodes, in regiam principes amicorum,* (nempe eos, qui non simul *Σωματοφύλακες* erant) *ducesque copiarum advocare*, Curt. X. 6. 1. Ex quo sane loco eminentiorem Custodum Corporis potestatem dignitatemque, quam aliquorum amicorum fuisse, cum multi etiam alii exercitus duces, & qui adhuc in Satellitum numero erant, tamen amici Regis appellentur, animadvertere licet. Arrianus *lib.* 1. p. 16. *Παρήγγειλε τοῖς σωματοφύλαξι καὶ τοῖς ἀμφ' αὐτὸν ἑταίροις*: ubi *ἑταίροις σωματοφύλακες* quoque præponuntur. Horum *σωματοφυλάκων ἡγούμενος* Hephæstion fuit Princeps idem Amicorum, ut supra vidimus, ex Diod. *lib* XVII. Reliquorum nomina ex Aristobulo Arrianus refert, *lib.* VI p. 433. Et subinde, si quis mortuus aut regioni cuipiam præfectus datus esset, ex numero Amicorum, alius ei substituebatur. Arrianus *lib.* II. p. 113. & *lib.* III. pag 128. fin. *Κιλικίας μὲν ἀποδεικνύει σατράπην Βάλακρον, τὸν Νικάνορος, ἕνα τῶν σωματοφυλάκων τῶν βασιλικῶν. ἀντὶ δὲ τούτου ἐς τοὺς σωματοφύλακας κατέλεξε Μένητα τὸν Διονυσίου.* Alexander *Balacrum Nicanoris filium Ciliciæ satrapam designat, is unus ex regiis Corporis Custodibus erat. Custodiæ autem Corporis in ejus locum suffecit Menetem Dionysii filium.* Magno autem sibi honori duxisse Macedones si in hunc numerum reciperentur, ex eodem Arriano patet, narrante *lib.* VI. p. 433. *Τὸν Ἀλέξανδρον καταλέξαι Πευκέσταν ἐς τοὺς σωματοφύλακας, ἤδη μὲν ἐγνωκότα σατράπην καταστῆσαι τῆς Περσίδος, ἐθέλοντα δὲ πρὸ τῆς σατραπείας μηδὲ ταύτης τῆς τιμῆς καὶ πίστεως ἀπείρατον εἶναι, ἐπὶ τῷ ἐν Μαλλοῖς ἔργῳ. Alexandrum Peucestam in Corporis sui Custodem adscripsisse, quem quidem jam Persidis Satrapam constituere decrevisset, sed antequam illi Satrapatum deferret, ne hoc quidem honore fideique testimonio carere eum voluisse, ob eximiam ejus operam apud Mallos præstitam.* Fuerat enim ante adhuc unus ex armigeris, quod ex eo colligitur, quia Alexandro sacrum scutum prætulit, idem *l.* VI. p. 394. Hinc iratus Alexander, ut ægre Macedonibus faceret, ait: *Se custodiam corporis sui non Macedonibus tantum, verum & Persis crediturum*, Just. XII. 12. 3. Nisi forte verba illa de Satellitibus seu Armigeris intelligenda sunt, quod evincere videntur proxime sequentia: *Atque ita mille ex his* (Persis scil.) *juvenes in numerum satellitum legit*, *vers.* 4. In tantum vero numerus Custodum Corporis proprie ita dictorum nunquam excrevit, sed præcipui tantum ex amicis illo honore gaudebant. Septem enim Custodum Corporis Arrianus meminit, quibus octavus Peucestas accesserit. Ex Diodoro tamen constat Alexandrum nobilissimis Persarum id officii dedisse, ut circa se cum telo ad corporis custodiam essent, *lib.* XVII. p. m. 1068. In iis vero Oxathrem Darii fratrem fuisse. Jam autem ex Curtio VI. 2. 11. liquet hunc non *in cohortem tantummodo amicorum omni vetustæ claritatis honore servato*; sed etiam inter Custodes Corporis receptum, idem VII. 5. 40.

CAP. XXIII.

ARMIGERI, SATELLITES, ΔΟΡΥΦΟΡΟΙ EX NOBILIBUS PUERIS ASCITI.

SEQUEBANTUR hos *Σωματοφύλακας*, qui Armigeri, Satellitesque appellitabantur. His quoque regii corporis custodia committebatur, longe tamen inferiori erant dignitate, quam illi quasi majorum gentium Corporis Custodes ex Amicorum regiorum numero asciti. Non itaque miscendi cum illis, qui jampridem ex Armigerorum censu exemti, post magnarum rerum experimenta, in virtutis præmium inter *Σωματοφύλακας* coptati erant. Quod vel solo Peucestæ exemplo paulo ante a nobis adducto patet. Hæc itaque numerosior corporis custodia, ut functionis plus habebat, ita longissime infra hanc dignitatem erat, imo hujus aliarumque similium seminarium. Hi autem Armigeri, seu *Δορυφόροι*, ex pueris nobilibus Macedonicis assumebantur, qua de re audiendus omnino Curtius VIII. 6. 2. seq. *Mos erat Principibus Macedonum adultos liberos Regibus tradere, ad munia haud multum servilibus ministeriis abhorrentia. Excubabant servatis noctium vicibus proximi foribus ædis, in qua Rex acquiescebat, per hos pellices introducebantur alio aditu, quam quem armati obsidebant. Iidem acceptos ab agasonibus equos, quum Rex ascensurus esset, admovebant: comitabanturque & venantem & in prœliis: omnibus artibus studiorum liberalium exculti. Præcipuus honor habebatur, quod licebat sedentibus vesci cum Rege. castigandi verberibus eos nullius potestas præter ipsum erat. Hæc cohors velut seminarium Ducum præfectorumque apud Macedonas fuit.* Similia his quoque idem tradit V. 1. 42. *Amyntas adduxerat 50. principum Macedoniæ liberos adultos ad custodiam corporis. quippe inter epulas hi sunt Regis ministri: iidemque equos ineunti prælium admovent, venantemque comitantur; & vigiliarum vices ante cubiculi fores servant: magnorumque præfectorum & Ducum hæc incrementa sunt & rudimenta.* Id vero a Philippo Amyntæ filio institutum præter Arrianum, author est Ælianus. Arriani verba sunt *lib.* IV. p. 268. *Ἐκ Φιλίππου ἦν ἤδη καθεστηκὸς, τῶν ἐν τέλει Μακεδόνων τοὺς παῖδας, ὅτι ἐς ἡλικίαν ἐμειρακίσαντο, καταλέγεσθαι ἐς θεραπείαν τοῦ βασιλέως, τά τε περὶ τὴν ἄλλην δίαιταν τοῦ σώματος διακονεῖσθαι βασιλεῖ, καὶ κοιμώμενον φυλάσσειν τούτοις ἐπιτέτραπτο· καὶ ὁπότε ἐξελαύνει βασιλεὺς, τοὺς ἵππους παρὰ τῶν ἱπποκόμων δεχόμενοι ἐκεῖνοι προσῆγον, καὶ ἀνέβαλλον οὗτοι βασιλέα τὸν Περσικὸν τρόπον, καὶ τῆς ἐπὶ θήρᾳ φιλοτιμίας βασιλεῖ κοινωνοὶ ἦσαν. Erat jam ante a Philippo institutum, uti Macedonum, qui in aliqua dignitate constituti essent, filii cum adolevissent, ad regium ministerium deligerentur, & cum ad*

alia quæ ad regii corporis curam pertinerent præsto essent, tum eo cubante custodias agerent. Hi equos cum rex ascensurus esset, ab agasonibus acceptos ad regem adducebant, eum Persico more in equum imponebant, & venationi studentem comitabantur. Ælianum audi *Var. Hist.* XIV. 49. *Philippus clarissimorum in Macedonia hominum liberis assumtis, sui curam ministeriumque ipsis imposuit: non per injuriam aut contemtum, sed ut patientes eos laborum, & ad ea quæ fieri opus esset peragenda promtos atque paratos redderet.* At juxta Valerium Maximum III. 3. 1. *ext. Vetusto Macedoniæ more Regi Alexandro nobilissimi pueri præsto erant.* Quod vero simile videtur: ita enim & Curtius VIII. 8. 3. *More patrio & ab antiquissimis Macedoniæ Regum usurpato*, &c. Quod de solo Philippo intelligi non potest. Supersedeo hic labori multis scriptorum testimoniis demonstrare, quomodo officia sua hi Armigeri (quos lanceam manu tenentes regi præsto fuisse ex Curtio VII. 1. 18. apparet) obierint, cum id perlustranti Veterum monumenta primo intuitu incurrat in oculos: Illud tantum observaverim eos cum in præliis regem comitarentur in certas ἴλας, λοχὰς, ἱππαρχίας, atque τάξεις distributos sub suis Ducibus fuisse. Quatuor autem turmas equitum amicorum, & inter has regiam, dignitate principem, fuisse, quam plerumque rex ipse duxerit, & unde ei nomen fuerit, ex Arriani verbis *l.* I. p. 52. & 53. ἀναλαβὼν τ̃ ἑταίρων τὴν βασιλικὴν ἴλην, καὶ πρὸς ταύτῃ τρεῖς ἄλλας Blancardus colligit. Quam sententiam confirmare forsitan possit, alter Arriani locus *l.* III. p. 202. ubi τετραρχίας ἱππικῆς mentio fit, si modo de Regio equitatu illa τετραρχία intelligenda est: aut forte subsidio veniet, quod apud eundem Historicum extat, *l.* VII. p. 452. pr. Macedones indignatos fuisse, πέμπτην ἐπὶ τούτοις ἱππαρχίαν προσγενομένην. Quamvis fere existimem duo posteriora loca, non de Amicorum, sed de reliquo universo Macedonum equitatu intelligenda esse. Quæ autem Arrianus primo lib. *p.* 53. habet, ex illis me judice non satis argueris, quatuor tantum turmas fuisse. Non enim expresse extat, τὰς τρεῖς ἄλλας. Utut vero ista se habeant, sane octo ἴλας hujus Regii equitatus, cum suis ἰλάρχαις Arrianus recenset, *l.* III. p. 182. seq ὧν προετέτακτο ἡ ἴλη ἡ βασιλικὴ ἧς Κλεῖτος ὁ Δρωπίδε ἰλάρχης ἦν. Idem turmarum numerus confirmatur ex Diodoro, quem etiam Blancardus allegat in *notis ad cit. Arriani locum*, lib. III. p. 108. & 201. ubi & Regium hunc equitatum, qui alias etiam ἵππος ἑταιρικὴ vocabatur, τὸ Ἄγημα appellatum fuisse monet. Quod præcipue ex Curtio manifestum, cujus ubi eandem aciem ab Alexandro instructam describit, hæc sunt IV. 13. 26. *In dextro cornu locati sunt equites, quos Agema appellant, præerat his Clitus*, &c. Dictum autem est hoc τῶν ἑταίρων τὸ ἄγημα, etiam τὸ ἄγημα τὸ βασιλικὸν, Arr. *l.* V. Livius quoque ejus mentionem facit XLII. 58. *Medius omnium Rex Perseus erat. circa eum agema, quod vocant, equitumque sacræ alæ.* Ubi quæ sacræ illæ alæ sint, quarum idem Livius XLII. 66. XLIV. 42. etiam meminit, nec citato Arriani Commentatori Blanc. *l.c.* liquet, nec a me quis speret, ut me explicaturum profitear. Nisi forte sacra illa ala, ex qua XXIV. primores equitum amissos Livius XLII. 66. narrat, eadem fuit, quam Arrianus ἴλην βασιλικὴν appellat. Porro quoque est notandum peditum agemata fuisse, uti ex Arriano *l.* V. p. 316. & Livio XLII. 51. apparet, quæ cum hoc Equitum Amicorum agemate non sunt confundenda. Cæterum cui placet plura, de hac ἑταίρων ἵππῳ, ut & numero Equitum illorum cognoscere, adeat, egregie de eo disserentem, Nicolaum Blancardum, in *not. ad Arr.* III. p. 182. 183. 184. & alibi. Illud non prætermittendum, robur ferme exercitus hunc regium Amicorum Equitatum ex delectis videl. constantem, fuisse. Propterea post mortem Philotæ, qui ξυμπάσης τ̃ ἵππυ τ̃ ἑταίρων ἦρχεν, quemque Alexander *equitatui, optimæ exercitus parti, principibus nobilissimæ juventutis unum præfecerat*, Arr. *l.* III. p. 184. Ἀλέξανδρος κατέστησεν ἐπὶ τὰς ἑταίρους ἱππάρχας δύο, Ἡφαιστίωνά τε τὸν Ἀμύντορος καὶ Κλεῖτον τὸν Δρωπίδε, δίχα διελὼν τὴν τάξιν τ̃ ἑταίρων, ὅτι ὐδὲ φίλων ἂν ἠβούλετο ἕνα τοσούτων ἱππέων, ἄλλως τε καὶ τῶν κρατίστων τε παντὸς ἱππικῦ, κατά τε ἀξίωσιν καὶ τὴν ἄλλην ἀρετὴν, ἐξηγεῖσθαι. *Alexander equitatui duos ex amicis Hephæstionem Amyntoris f. & Clitum Dropidis præfecit, divisisque in duas partes Amicorum copiis, neque enim quemquam Amicorum volebat unum tot equitibus, qui alioqui præstantissimi totius equitatus, & dignitate & bellica virtute erant, solum præfectum esse.* conf. *l.* VIII. p. 474. Quanta porro dignitas fuerit præfectum esse huic Amicorum Equitatui ex illo etiam Photii Patriarchæ Constantinopolitani apparet, in *Eclog.* ex Arriani *de reb. post Alex. gestis* libris X. Convenisse ille memorat inter duces Alexandri, Περδίκκαν χιλιαρχεῖν χιλιαρχίας, ἧς ἦρχεν Ἡφαιστίων. τὸ δὲ ἦν (addit Photius) ἐπιτροπὴ τ̃ ὅλης βασιλείας. Cæterum de Equitibus Amicis satis: pauca addenda de iis qui Πεζέταιροι, hoc est, *Pedites Amici* dicebantur. Fuisse autem & hos præstantissimos, atque dignos qui Regi proximi essent, vel ex illo Demosthenis colligendum *Olynth.* II. Οἱ δὲ δὴ περὶ αὐτὸν ὄντες ξένοι, καὶ πεζέταιροι, δόξαν μὲν ἔχουσιν, ὡς εἰσὶ θαυμαστοὶ, καὶ συγκεκροτημένοι τὰ τῦ πολέμυ. Plura qui cupit, videat quæ congesta sunt a laudato Blancardo in *Notis ad Arrianum lib.* III. p. 143. seq. Hoc unicum addo, videri eosdem Πεζεταίρυς etiam Ὑπασπιστὰς βασιλικὰς appellatos fuisse. Hi enim expressis verbis a cæteris ὑπασπισταῖς distinguuntur apud Arrianum *l.* V. p. 335. Τῶν πεζῶν πρῶτυς μὲν τὰς ὑπασπιστὰς τὰς βασιλικὰς, ὧν ἡγεῖτο Σέλευκος, ἐπέταξε τῇ ἵππῳ· ἐπὶ δὲ τούτοις τὸ ἄγημα τὸ βασιλικόν· ἐχομένυς δὲ τούτων τὰς ἄλλυς ὑπασπιστάς. *Peditum primos scutatos regios, qui ducebat Seleucus, equitatui adjunxit. Proxime his agema regium; exinde reliquos scutatos.* Ut adeo quando πεζέταιροι & ὑπασπισταὶ conjunguntur, sub illis prioribus ὑπασπισταὶ βασιλικοὶ, sub his reliquum Scutatorum vulgus intelligi debeat. Vide eundem *l.* VIII. p. 443.

CAP. XXIV.

SCRIBÆ REGIS. SIGILLI CUSTOS. SIGILLUM ET ANNULUS REGIS.

INTER ministros Regios Scribæ quoque erant, quorum unius, cui Eumeni nomen, meminit Arrianus, *l.* VII. p. 448. In haud exigua vero hunc γραμματέα βασιλικὸν dignitate constitutum fuisse, inde apparet, quod Alexander ipsi unam ex Artabazi filiabus Artonim uxorem dedit; cum hujus sororem Artacamam Ptolemæo corporis custodi desponsasset; adeoque Eumenis præcipua quoque ratio in nuptiis illis habita. Laomedon Erigyii frater ab Alexandro honoris causa, inter Scribas receptus. Λαομέδοντα ὅτι δίγλωσσος ἦν, ἐς τὰ βαρβαρικὰ γράμματα, ἐπὶ τοῖς αἰχμαλώτοις βαρβάροις κατέστησεν, ut Arrianus, *l.* III. p. 167. Militaribus quoque muneribus Scribæ fungebantur. Ita enim Curtius VIII. II. 5. *Leviter armatis* (petram Aornon ascensuris) *dux datus est Mullinus Scriba Regis.* Scribarum vero officium quod fuerit, facilis conjectura. Arrianus *dicto loco* refert Alexandrum jussisse nomina Macedonum qui Asiaticas uxores duxissent, conscribi. An per eosdem literæ regiæ scriptæ fuerint, de eo nondum apud Veteres inveni vestigium. Sane sub Alexandro usu id venisse vix dubium est, cum eo ille processerit arrogantiæ ut

nulli, præter Phocioni cum ſcriberet, τὸ χαίρειν appoſuerit, Plut. in *Phocion.* Ælian. *Var. Hiſt.* I. 25. Cœterum Literæ regiæ annulo Regis obſignabantur. De hoc Curtius VI. 6. 6. *Literas quas in Europam mitteret veteris annuli gemma obſignabat: iis quas in Aſiam ſcriberet Darii annulus imprimebatur.* Sigillum vero annuli regii inviolabile fuit. Itaque Alexander epiſtolam Parmenionis ſigillo annuli ſui impreſſit, ne videl. a quoquam illa legeretur, quam cui ipſe permiſiſſet, idem III. 6. 7. Ex India revertens, cum magna fame exercitus ejus premeretur, ipſe vero in Gedroſia aliquantum frumenti nactus eſſet, τοῦτον σημηνάμενος τῇ ἑαυτοῦ σφραγῖδι κατακομίζεσθαι κελεύει ὡς ἐπὶ θάλασσαν. *Illud ſigillo ſuo obſignatum jumentiſque impoſitum ad mare vehi juſſit*, Arr. *l.* VI. p. 423. & 424. pr. Verum fame urgente, φροντίσαντες οἱ στρατιῶται τῆς σφραγῖδος, αὐτοὶ δὲ οἱ φύλακες τῷ σίτῳ ἐχρήσαντο. Ἀλέξανδρος δὲ καταμαθὼν τὴν ἀνάγκην, συνέγνω τοῖς πράξασι. *Milites neglecto ſigillo, atque ipſi adeo cuſtodes frumento uſi ſunt. Alexander vero cognita neceſſitate, quia adacti id feciſſent, iis ignovit.* Alias ſcil. graves pœnas violati Regii ſigilli daturis. Monumentum Cyri Regis apud Paſargadas per τυμβωρύχους violatum expilatumque erat, id inſtaurare cupiens Alexander, mandata dedit Ariſtobulo, cui cura iſta commiſſa erat, θυρίδα τοῦ τάφου ἀφανίσαι, τὰ μὲν αὐτῆς λίθῳ ἐνοικοδομήσαντα, τὰ δὲ πηλῷ ἐμπλάσαντα, καὶ ἐπιβαλεῖν τῷ πηλῷ τὸ βασιλικόν. *Ut ædiculæ portam lapide & calce obſtrueret, regio ſigno illi impreſſo*, ut Arrianus *l.* VI. p. 439. Ut videlicet deterrerentur homines ſepulcrorum expilatores, ne in poſterum tam facile illud irrumperent, qui non ob monumentum modo, ſed etiam ob ſignum ei impreſſum violatum pœnas luituri eſſent. Regem autem ipſum annuli ſui ſignatorii cuſtodem fuiſſe ex hoc apparet, quod eum digito geſtavit; ut ex Curtio x. 5. 4. & Juſtino XII. 15. 12. diſcimus. (Quanquam a Philippo in bellum proficiſcente Alexander κύριος τῆς σφραγῖδος relictus dicitur apud Plut. in *Alex.* nempe non alii ejus curam credere volebat Philippus, quam filio, regni aliquando futuro hæredi.) Et traditionem annuli Regii ſignificaſſe Regni curam ei, cui traditus eſſet, demandatam ex variis autorum locis colligere licet, Curt. x. 5. 4. Alexander moribundus propius adire juſſis amicis detractum annulum digito Perdiccæ tradidit; quæ res, notante Juſtino XII. 15. 12. 13. *gliſcentem amicorum diſſenſionem ſedavit. Nam etſi non voce nuncupatus hæres, indicio tamen electus eſſe videbatur.* Idem Ariſtoni fuit judicium, cum de hærede Regni ageretur, in medium proferentis; *Alexandrum conſultum, cui relinqueret regnum voluiſſe optimum deligi. judicatum autem ab ipſo optimum Perdiccam, cui annulum tradidiſſet*, Curt. x. 6. 16. Ex Nepote tamen diſcas non ipſam Regni hæreditatem, ſed ejuſdem tantum adminiſtrationem per traditum annulum ſignificatam. Ita enim ille in *Eumene: Alexander moriens annulum ſuum dederat Perdiccæ, ex quo omnes conjecerant, eum regnum ei commendaſſe, quoad liberi ejus in ſuam tutelam perveniſſent.* Videtur itaque onus hoc a ſe amoliri voluiſſe Perdicca, dum regia ſella in conſpectum vulgi data, annulum ſibi pridie traditum a Rege in eadem poſuit, adſtantes ita allocutus: *Ego quidem annulum, quo ille regni atque imperii vires obſignare erat ſolitus traditum ab ipſo mihi, reddo vobis*, Curt. x. 6. 4 5. Veruntamen ego me litis hujus arbitrum non facio. Videtur certe cum Philippus Alexandrum κύριον τῆς σφραγῖδος reliquit, id feciſſe, ut Macedones, ſi quid ipſe humani pateretur, ſcirent, quem ſibi ſucceſſorem eſſe velit.

CAP. XXV.
DE MEDICIS, ET ALIIS MINISTRIS REGIIS.

RESPONSA Reges per amicos dare ſolitos, Plutarchus docet in *Alex.* cap. 83. referens: Alexandrum cernentem, Hephæſtionem ad inſtitutum ſuum ſe accommodantem, Croterum vero patriis inſiſtentem moribus, hoc interprete Græcis & Macedonibus reſponſa dediſſe, illo barbaris. Non autem cuilibet licuiſſe adire Regem, ſed quaſi per Admiſſionales eo deduci debuiſſe ex Curtio VI. 7. 17. liquet. Apud eum *Cebalinus ante veſtibulum regiæ, neque enim propius aditus ei patebat, conſiſtit; operiens aliquem ex prima cohorte amicorum, quo introduceretur ad Regem.* Hunc morem obſervare Metron ob periculi imminentis magnitudinem, non potuit, ſed protinus Regi, corpus forte curanti, quid ei index detuliſſet, oſtendit, apud Curt. VI. 7. 23. Laudatus eam ob rem ab Alexandro, quod licet de more expectare debuiſſet donec ad Regem ubi commodum ei fuiſſet deduceretur, tamen *ne momentum quidem temporis diſtulerit exonerare ſe, ut eo, ubi lavabatur, irruperit*, idem VI. 9. 9. Non ultimo autem loco ponendi ſunt inter miniſtros regis, Medici, magni etiam ab ipſis habiti. *Erat inter nobiles Medicos e Macedonia Regem ſecutus Philippus natione Acarnam, fidus admodum Regi: puero comes & cuſtos ſalutis datus, non ut Regem modo, ſed etiam ut alumnum, eximia caritate diligebat*, Curt. III. 6. 1. Huic quantum crediderit Alexander, ut etiam monitus *a Parmenione fidiſſimo purpuratorum, ne ſalutem ſuam Philippo committeret, mille talentis a Dario & ſpe nuptiarum ſororis ejus eſſe corruptum*, nihiloſecius medicamentum a Philippo dilutum ebiberit, dignum ſane eſt ut plenius ex Curtio III. 6. & Arriano *l.* II. p. 89. 90. cognoſcatur. Ex quibus locis peritia hujus medici, quam in adeo periculoſo morbo tam celeriter percurato oſtendit, patere etiam poteſt. Nec minor laus Critobuli, inter medicos artis eximiæ, quanquam is in magno Regis vulnerati periculo territus manus admovere metuebat, *ne in ipſius caput parum proſperæ curationis recideret eventus*, tamen Rege ipſo hortante ingens ſpiculum, cui hami inerant, & quod penetraſſe in viſcera videbatur, e corpore ejus evulſit, atque vulnus feliciter curavit. Vide Curt. IX. 5. 22. ſeq. Cœterum quod Critobulus hic metuit, ne ipſius in caput parum proſperæ curationis recideret eventus, id Glauciæ, qui Hephæſtionem curare debuerat, contigit. Eum enim Alexander ἐκρέμασε, ὡς ἐπὶ φαρμάκῳ κακῶς δοθέντι. ἢ ὅτι οἴνου περιεῖδεν ἐμπλησθέντα θεωρῶν αὐτός. *In crucem tolli juſſit, ob potionem non recte datam: vel quod cum eum liberalius bibiſſe cerneret, curam ejus omiſiſſet*, Arrianus *l.* VII. p. 471. Pauca ſuperſunt miniſteria regum, quorum apud autores mentio fit, quæ digito indice demonſtraſſe ſufficiet. Arrianus etiam *l.* IV. p. 276. Πείθωνος ἐπὶ τῆς βασιλικῆς θεραπείας τεταγμένου meminit. Ἰόλαος ἀρχιοινοχόος ἦν. Philippus & *Jolaus prægustare ac temperare potum Regis ſoliti*. Erat autem hoc officium puerorum nobilium, ut ſupra ex Curtio notavimus, Juſt. XII. 14. 9. Plutarcho Proxenus quidam Macedo ſtratoribus regiis præfectus memoratur, in *Alex.* p. m. 489.

CAP. XXVI.
DE FORMA IN REGENDIS PROVINCIIS. PRÆFECTIS REGIONUM, ÆRARII. TRIBUTIS.

DIXIMUS ſupra de Præfecto in Regia relicto, ubi Regi expeditio ſuſcipienda eſſet, qualis etiam ille Euctus fuit, cujus apud Livium fit mentio, XLIV. 43. In iis vero provinciis quas Alexander bello ſuæ ditionis fecit, partim ſimili modo

Præfecti positi, qui vices Regis absentis gererent; partim libertas concessa. Arr. *l.* I. p. 49. Σαρδιανὺς ϗ τὺς ἄλλυς Λυδὺς τοῖς νόμοις τε πάλαι Λυδῶν χρῆϑαι ἔδωκε, ϗ ἐλευϑέρυς εἶναι ἀφῆκεν. *Sardianis aliisque Lydis, ut antiquis Lydorum legibus utantur permisit, dimisitque liberos.* Quanquam prætor Lydiæ Antigonus datus, qui videlicet, ut arbitror, ad subita belli intentus esset, &, ne quid demum domitus populus innovaret, curam gereret, Curt IV. I. 35. Ephesi autem Alexander τὴν Ὀλιγαρχίαν καταλύσας, δημοκρατίαν κατέστησε, Arr. *l.* I. p. 51 Quin in Æolicis Jonicisque urbibus τὰς μὲν ὀλιγαρχίας πανταχῦ καταλύειν ἐκέλευσε, δημοκρατίας δὲ γε ἐγκαϑιστάναι, ϗ τὺς νόμυς τὺς σφῶν ἑκάστοις ἀποδῦναι. ϗ τὺς φόρυς ἀνεῖναι, ὅσυς τοῖς βαρβάροις ἀπέφερον. *Paucorum dominatum ubique aboleri, & popularem statum introduci, patriasque leges cunctis restitui jussit: tributa etiam quæ barbaris tulerant rescindi.* Arr. *l.* I. p. 52. Etiam Σολεῦσι δημοκρατεῖσϑαι ἔδωκεν, idem *lib.* II. p. 92. Cœteris vero provinciis Præfecti dati. Ita Abistamenes Cappadociæ, Parmenio Cœlesyriæ, Socrates Ciliciæ, &c. Prætores constituti, Curt. III. 4. I. IV. I. 4. & 5. 9. Atque hi prætores etiam sub Macedonibus Satrapæ vocati, nomine a Persis originem ducente, ut apud Arrianum videri licet, *l.* III. p. 168. & 230. Satrapis vero barbaris a se constitutis Alexander inspectores dare consueverat. Σατράπην τῇ χώρᾳ ἐπιτάξας Προέξην ἄνδρα Πέρσην τ̃ δὲ ἑταίρων, Νειλόξενον τ̃ Σατύρυ, ἐπίσκοπον ξὺν στρατιᾷ ἀπολιπών. Idem *l.* III. *p.* 230. conf. p. 163. Et quemadmodum apud Persas fieri solebat, ita & ab Alexandro alii Regionum satrapæ ac prætores constituti, alii arcium atque militum præfecti, ne videlicet uni omnis potestas in aliqua provincia committeretur. Curt. v. I. 43. 44. *Arci Babyloniæ Rex Agathone præsidere jusso cum* 700. *Macedonum, ac* 300. *mercede conductis; prætores qui Regioni Babyloniæ & civitati præessent, Menetem & Apollodorum reliquit. His* 200. *peditum dat. Mazæum transfugam satrapea Babyloniæ donat.* Nimirum Freinshemio notante, in *Not. ad cit. l.Curt.* Menetem & Apollodorum constituit Prætores, Στρατηλὺς ut vocat Diodorus *Bibl.* 17. 64. qui præessent militibus, ut Mazæus satrapa provincialibus. Adeo ut distinguendi omnino a se invicem sint satrapæ tum Prætores seu Στρατηγοὶ, atque Præfecti arcium seu Φρύραρχοι. Quod ex illo Arriani etiam loco *l.* III. p. 197. liquet: Καταλιπὼν σατράπην μὲν τοῖς Συσιανοῖς Ἀβυλίτην ἄνδρα Πέρσην, φρύραρχον δὲ ἐν τῇ ἄκρᾳ τ̃ Σύσων Μάζαρον, τ̃ ἑταίρων, ϗ στρατηγὸν Ἀρχέλαον τ̃ Θεοδώρυ. Conf. Curt. v. 2. 16. 17. Qua ratione res Ægypti Alexander ordinaverit, atque variis varios muneribus in ea defungi voluerit, vide sis apud Arrianum, *l.* III. p. 163. & 165. Quamvis autem horum Satraparum atque Prætorum magna erat potentia atque autoritas, non tamen licebat iis pro lubitu cum subjectis populis agere, neque injuria eos affecisse, impune erat. Nam ὐκ ἐξῆν ὑπὸ τῇ Ἀλεξάνδρυ βασιλείᾳ ἀδικεῖσϑαι τὺς ἀρχομένυς ὑπὸ τ̃ ἀρχόντων. *Non licebat sub Alexandri imperio cuiquam præfecto subditos injuria afficere*, Arr. *l.* VI. p. 431. Ille enim *vindicare solebat injurias eorum quibus a prætoribus suis superbe ac avare imperabatur. De Teriolte satrape, quem Paropamisadis præfecerat, iisdem arguentibus cognovit: multaque avare ac superbe fecisse convictum interfici jussit*, Curt. VIII. 3. 16. & IX. 8. 9. De Cleandri atque Sitalcis, quos accusatores e provincia, cui præfuerant, secuti erant, supplicio, vide Curtium X. I. I. seq. & Arrianum *l.* VI. p. 431. qui addit Alexandrum hos necari jussisse, ὡς ϗ τοῖς ἄλλοις δέος εἶναι ὅσοι σατράπαι, ἢ ὕπαρχοι, ἢ νομάρχαι ἀπολείποιντο, τὰ ἴσα ἐκείνοις, πλημμελῦντας πείσεσϑαι. ϗ τῦτο εἴπερ τι ἄλλο, κατέχειν ἐν κόσμῳ τὰ ἔϑνη τὰ ἐξ Ἀλεξάνδρυ δορυάλωτα, ἢ ἑκόντα προσχωρήσαντα, τοσαῦτα μὲν πλήϑει ὄντα, τόσον δὲ ἀλλήλων ἀφεστηκότα. *Ut & reliqui satrapæ, aut præsides, aut principes, qui iis locis constituerentur, metuerent si officium non fecissent, sese eodem supplicio affectum iri. Quod certe, si quid aliud, gentes quæ ab Alexandro vi subactæ erant, vel sua sponte deditionem fecerant (quarum tanta erat multitudo, tantoque locorum intervallo inter se disjungebantur) in officio continuit.* Studuit itaque Peucestas, Persis satrapa constitutus, eos sibi omni modo conciliare, Arr. *l.* VI. p. m. 440. Εὐϑὺ τά τε ἄλλα, ὡς κατεστάϑη σατραπεύειν Περσῶν, μεταβαλλὼν τὴν Μηδικὴν ϗ φωνὴν τὴν Περσικὴν ἐκμαϑὼν, ϗ τἄλλα ξύμπαντα τὰ ἐς τρόπον τὸν Περσικὸν κατασκευασάμενος. ἐφ' οἷς Ἀλέξανδρός γε ἐπῄνει αὐτὸν, ϗ οἱ Πέρσαι ὡς τὰ παρὰ σφίσι πρὸ τ̃ πατρίων πρεσβεύοντι ἔχαιρον. Præter hos autem satrapas atque præfectos, plerumque in provinciis Thesaurorum etiam Custodes, ut Persepoli Tiridates, Susis Callicrates, Ecbatanis Parmenio relicti, & Quæstores sive qui tributa colligerent constituti fuere, Curt. v. 6. II. Hæc quippe tributa præcipui Regum reditus erant, idem v. 2. 17. & Just. XII. I. 3. Itaque Alexander ἐν φοινίκῃ ἐπὶ τ̃ φόρων τῇ ξυλλογῇ κατέστησε Κοίρανον Βερροιαῖον· φιλόξενον ϑ τ̃ Ἀσίας, τὰ ἐπὶ τάδε τῦ Ταύρυ ἐκλέγειν, Arr. *l.* III. p. 166. & 196. In Babylonia Asclepiodorum Philonis filium tributis cogendis præfecit. Uxiis vero tributum annuum impositum, equi C. jumenta D. pecudum MMM. Thessali cum Alexandrum exemplo patris ducem universæ gentis creassent, vectigalia etiam omnia reditusque suos ei tradidere, Just. II. 3. 2. Macedones autem & ipsos Regibus tributum tulisse ex Livio clarum XLV. 18. *Placuit, dimidium tributi, quod Regibus ferre soliti erant, populo Romano pendere.* Etiam *Eneti devicti datis obsidibus ab Alexandro impetrarunt, tributum, quod ne Persis quidem tulissent, pendere ne cogerentur*, Curt. III. I. 23. Solebant etiam interdum a recens subactis pecuniæ exigi, idque mulctæ nomine. Ita Aspendiis L. talenta in exercitus stipendia imperata. Cum vero hi rebellassent, imperatum iis ὁμήρυς δῦναι σφῶν τὺς δυνατωτάτυς, ϗ τὺς ἵππυς, ὓς πρόσϑεν ὡμολόγησαν. ϗ ἑκατὸν τάλαντα ἀντὶ τ̃ πεντήκοντα· ϗ πείϑεσϑαι τῷ σατράπῃ ὑπ' Ἀλεξάνδρυ ταχϑέντι. ϗ φόρυς ἀποφέρειν ὅσα ἔτι Μακεδόσι. *Ut principes urbis obsides dent, & equos quos antea promiserant tradant; & talentorum summam duplicent; utique satrapæ, quem Alexander statuisset, pareant, & tributa annua Macedonibus pendant*, Arr. *l.* I. p. 73. & p. 75. Atque hac ratione demum Aspendiorum regio in provinciæ formam redacta, cum antea impetrassent ab Alexandro ut ne præsidia quidem oppidis eorum imponerentur. Solensibus vero CC. argenti talenta nomine mulctæ impetrata, ὅτι πρὸς τὺς Πέρσας μᾶλλόν τι τ̃ νῦν εἶχον, Arr. *l.* III. p. 91. f. Pecuniis vero ex tributis aliisque reditibus regiis coactis certi homines præponebantur, qui eas custodirent. Ita pecuniarum, quas Alexander penes se habebat, Harpalo Machatæ, Arr. III. p. 166. f. & post Alexandri mortem regiæ pecuniæ custodia Cratero commissa, Just. XIII. 4. 5. Erant autem in thesauris Alexandri 50000. talentum, & in annuo vectigali tributo 300000. Id. XIII. I. 9. Magnum discrimen inter hos thesauros atque eos quos Philippus reliquerat, de quo Alexander apud Arrianum *lib.* VII. p. 457. se invenisse in patris thesauris aurea quædam argenteaque pocula, talenta vero ne 60. quidem. De loco ubi thesauri a Macedonibus asservari soliti hæc Strabo lib. XIV. *Geogr.* habet: Ὑπέρκειται ϑ τὰ Κύινδα τ̃ Ἀγχιάλης ἔρυμα, ᾧ ἐχρήσαντό ποτε Μακεδόνες, γαζοφυλακείῳ. ἦρε ϑ τὰ χρήματα Εὐμενὴς ἀποστὰς Ἀντιγόνυ. Pellæ custoditos regios thesauros Livius indicat lib. XLIV. referens, Per-

ſeum ob irruptionem Romanorum trepidantem, gazam in mare dejici Pellæ, Theſſalonicæ navalia incendi juſſiſſe. Incautiorem vero Niciam, Pellæ projiciendo pecuniæ partem, fuiſſe. Eidem Perſeo decennis belli ſumtus, a patre paratus, in theſauris & horreis erat, Juſt. XXXIII. 1. 3. Cœterum non ex tributis ſolummodo, verum etiam ex metallis magnos reditus habebant Maced. Reges. Circa Pydnam fuiſſe aurifodinas autor eſt Diodorus *l.* XVI. *c.* 8. e quibus Philippus annua talenta mille colligebat. Idem Philippus *auraria in Theſſalia, argenti metalla in Thracia occupavit*. Juſt. VIII. 3. 12. De quo Alexander apud Arr. *l.* VII. p. 456. τῶν μετάλλων τὴν ἐργασίαν ἀδεῆ παρέσχε. Erant autem in Thracia Crenides metallifodinæ, de quibus & Strabo l. VII. *Geogr.* Φίλιππος ἐσπούδασε διαφερόντως περὶ ταῦτα τὰ χωρία, ὥστ' ἐξιδιώσασθαι, καὶ συνεστήσατο προσόδους μεγίστας ἐκ τῶν μετάλλων καὶ τῆς ἄλλης εὐφυΐας τῶν τόπων. Has fodinas duraſſe uſque ad Regni Macedonici finem ex Livio XLV. 18. perdiſcimus: *Metalli Macedonici, quod ingens vectigal erat, tolli placebat*. Nummos etiam a Regibus Macedoniæ cuſos eſſe exin conſtat quoque, quod Horatius Philipporum, a Philippo nimirum Amyntæ filio, cujus imagine ſignati erant, ita dictorum meminit; *l.* II. *epiſt.* I. verſ. 134. & Plutarch. eundem Olympicas curruum victorias numiſmati inſculpere ſolitum tradit, in *Alex.* p. m. 448. Sed de his Libro ſecundo pluribus.

CAP. XXVII.
MORBI AC FUNERA REGUM.

SI Rex in morbum incidiſſet, ſumma cura ſummoque ſtudio præſtantiſſimi Medici adhibiti laborabant, ut eo liberaretur, veluti ex ſuperius dictis patere poteſt. Solicitudinem militum pro Alexandro ægro decumbente Curtius deſcribit III. 5. 8. *Mos quoque erat principibus amicorum & cuſtodibus corporis excubare ante prætorium* (quippe alias armigerorum hoc erat officii, idem IX. 5. 30.) *quoties Regi adverſa valetudo incidiſſet*. Et Vota pro valetudine ſuſcipi ſolita, idem IX. 6. 4. Itaque Alexander vota pro ſalute ſuſcepta reddens, Æſculapio & Minervæ ludos celebravit, idem III. 7. 3. Cœterum Reges, ſi vita exceſſiſſent, more reliquorum Macedonum humatos facilis conjectura eſt. Alexandri quidem funus quod attinet, Perſico more ejus corpus curatum, Alexandriam delatum eſt, idem *l.* X. *c.* 10. 12. & ſeqq. Cremationem vero corporum non ſecus ac Humationem apud Macedonas veluti apud reliquos etiam Græcos obtinuiſſe ex multis autorum locis patet. Nempe introducto uno, vel Cremationis vel Humationis more, non exoleviſſe alterum, ſed remanſiſſe utrumque, aliis hunc, aliis iſtum uſurpantibus, pro cujuſque arbitrio & voluntate. Forte dum hæc ſcribo, incidi in Scholiaſten Homeri, qui *ad Iliad.* α. verſ. 25.

——— αἰεὶ δὲ πυραὶ καίοντο θαμειαί.

(de Crematione autem Græcorum peſte deletorum ibi loquitur Homerus) hæc annotat: Τὸ γὰρ παλαιὸν, τὰ σώματα τῶν θνησκόντων πρότερον ἐκαίετο, διὰ τὸ ἀπέριττα γίγνεσθαι, εἶθ' οὕτως ἐθάπτετο ὑπὸ γῆν. ἡ δὲ αἰτία τοῦ καίεσθαι τὰ σώματα παρὰ τοῖς Ελλησιν αὕτη. πρῶτος φασὶν οὕτως ἐτάφη Αργειὸς ὁ Λικυμνίου δι' ἀνάγκην ὑπὸ Ηρακλέους. (Narrat deinde, quid Herculem adegerit, ut hunc Argeum cremaret.) Apparet videlicet ex hoc Scholiaſtis loco crematorum corporum cineres terræ mandatos fuiſſe. Quare nemo arbitrabitur Curtium III. 12. 13. ſibi ipſi contradicere, cum eoſdem milites quos ab Alexandro *cum cura ſepultos* tradit, in ſequentibus ſtatim, *haud precioſe crematos eſſe* dicit. Ita Solinus etiam Αἴγας fuiſſe prodit in *Polyb.* c. 14. *in qua ſepeliri reges mos erat. Nec alter*, ſtatim addit, *excellentium virorum buſtis apud Macedonas priſcos dabatur locus*. Humationis autem apud Macedonas Curtius V. 4. 3. quoque meminit. *Rex*, inquit, *dimittere milites inſepultos erubeſcebat: Ita tradito more, ut vix ullum militiæ tam ſolenne munus eſſet, quam humandi ſuos*. Apud eundem VIII. 2. 12. Macedones ajunt, *ſe Clitum* velut jure interfectum *ſepultura quoque prohibituros, ni Rex humari juſſiſſet*: ubi nota, ſepultura caruiſſe non ſecus apud Maced. quam apud alias gentes ſummæ ignominiæ notam fuiſſe. Vide *Not.* Freinsh. *ad hunc locum*. Livius XLII. 67. narrat, Perſeum ad Mopſelum moratum, *ſepulturæ* militum amiſſorum cura. Rogi ſui mentionem facit Philotas apud Curt. VI. 10. 31. & Olympiadem corpus Pauſaniæ ſuper reliquias mariti cremaſſe Juſtinus refert. Et Diodorus Siculus magnifice extructam Hephæſtioni pyram pluribus deſcribit, *Bibl.* lib. XVII. circa finem. Quin tandem Perdicca ſuccedentium ſibi Regum oſſa, non corpora, Ægis condi voluit, Juſt. VII. 2. 2. Reges igitur defunctos ut cœteros Macedones etiam crematos aliquando fuiſſe credi par eſt. Magnificum Hephæſtionis funus Diodorus *loco cit.* atque Arrianus *lib.* VII. p. 474. deſcribunt, cujus poſterioris verba apponam: Αλέξανδρος ἀγῶνα ἐπενόει ποιῆσαι γυμνικόν τε καὶ μουσικὸν, πλήθει τε τῶν ἀγωνιζομένων, καὶ τῇ εἰς αὐτὸν χορηγίᾳ πολύ τι τῶν ἄλλων τῶν πρόσθεν ἀριδηλότερον. τρισχιλίους γὰρ ἀγωνιστὰς τοὺς ξυμπαντας παρεσκεύασε, καὶ οὗτοι ὀλίγον ὕστερον ἐπ' Αλεξάνδρου τῷ τάφῳ λέγουσιν ὅτι ἠγωνίσαντο. *Alexander ludos gymnicos & muſicos, cum certantium multitudine, tum ſumtuum præmiorumque magnitudine longe prioribus omnibus illuſtriores inſtituit. Tria namque certantium millia in id præparaverat, quos quidem non multo poſt ad ipſius tumulum certaſſe ferunt*. Ex quo funebria apud Macedones certamina atque ſpectacula in uſu fuiſſe cernimus. Tradit idem Arrianus *loco cit.* amicos Alexandri & ſe & arma Hephæſtioni devoviſſe, Diodorus autem *loco cit.* refert, eos ſigna ex ebore, auro, & materia alia pretioſa fieri curaſſe. Quod multo magis in Regum funeribus factitatum credibile eſt. An ἀποθέωσις Regum etiam apud Macedones obtinuerit, de eo nihil conſtat. Hephæſtionem ab Alexandro in numerum Deorum relatum, eique tanquam præſidi Deo ſacrum factum Diodorus *loco cit.* autor eſt. Alias luctus demonſtrandi cauſa apud Macedones crines tondebantur. Ita *Archelaus non contentus ſuprema Euripidis proſequi ſumtu funeris, crinem tonſus eſt, & mœrorem, quem animo conceperat, vultu publicavit*, Solin. *Polyb.* c. 14. De Alexandro Arrianus *l.* VII. p. 472. pr. tradit eum κείρασθαι ἐπὶ τῷ νεκρῷ τὴν κόμην, *ſuper mortui* Hephæſtionis *corpus* proſtratum, *comam præſcidiſſe*. Parentare quoque mortuis ſoliti Macedones. *Olympias parentari Pauſaniæ quotannis, incuſſa populo ſuperſtitione, curavit*, Juſt. IX. 7. 11. Quæ ſi in aliorum funeribus contigerunt, multo magis, Regibus defunctis, facta, rationi conſentaneum eſt. Inferias etiam Manibus patris Alexander dedit, veluti Æneas in funere Pallantis, Virg. XI. *Æn.* verſ. 82.

Vinxerat & poſt terga manus, quos mitteret umbris
Inferias, cæſo ſparſuros ſanguine flammas.

Prima Alexandro cura paternarum exequiarum fuit: in quibus ante omnia, cædis conſcios ad tumulum patris occidi juſſit, Juſt. XI. 2. 1. Idem ferme de Auguſto Imp. traditur, eum trecentos ex dedititiis electos ad aram D. Julio (patri) extructam, Idibus Martiis hoſtiarum more mactaſſe, Suet. *Aug.* XV. Tandem peculiaris etiam Regum ſepulturæ locus fuit. Siquidem *Perdicca moriens Argæo filio monſtravit locum, quo condi vellet; ibique non ſua tantum, ſed*

sed & succedentium sibi Regum ossa poni jussit, præfatus quoad ibi conditæ posterorum reliquiæ forent, regnum in familia mansurum: creduntque hac superstitione extinctam in Alexandro stirpem, quia locum sepulturæ mutaverit, Just. VII. 2. 2. seq. Confirmat idem Solinus *Polyb.* c. 14. Αἴγας *fuisse in qua sepeliri Reges mos erat*, tradens. *Nec alterum* excellentium virorum bustis apud Macedonas priscos datum fuisse locum. Tantum de funeribus Regum Macedoniæ.

CAP. XXVIII.

DE REGNI MACEDONICI INCREMENTIS QUÆDAM, AC FINE.

TANDEM adjicere quippiam visum est, qui præcipue finis scopusve fuerit Regum Macedoniæ in gerendo principatu suo. Eum vero tranquillitatem Regni non fuisse ex universa Macedonum historia manifestum est: quippe bellica illa gens erat, quæ a teneris unguiculis armis innutrita, quiescere nesciebat, domi hostem quæsitura, si foris non invenisset. Vid. Cur. III. 2. 13. Arr. I. p. 15. Just. XXIX. 3. 8. Assidui itaque in armis Macedones tantam sibi bellicæ rei peritiam compararunt, ut per universum Orientem victricia arma circumtulerint, & multis adhuc post Alexandrum M. annis Romanos vetus eorum devicti Orientis gloria terruerit. Regum itaque Macedoniæ ea præcipua semper cura fuit, ut aut imminentes cervicibus hostes depellerent, aut fines imperii proferrent. Videtur autem de Macedonia optimo jure dici posse, quod de Rep. Romana Florus eleganstissime literis consignavit, *l.* 1 9 6. Prima quippe adversus exteros arma pro libertate corripuit, contenta servitutis ignominiam depulisse, quamvis sæpe Thracibus Illyriisque obnoxia tributa illis pendere coacta est, unde apud Curt. X. 23. Alexander milites suos Illyriorum paulo ante & Persarum tributarios appellat. Idque fere ad Philippum usque Amyntæ filium duravit, qui adhuc obses apud Illyrios pro fratre Alexandro, (pacta vero is mercede bellum ab iisdem redemerat,) & apud Thebanos vixit, Just. VII. 5. 1. Sub hoc demum pro finibus certare cœpit, quamvis jam ante nonnullas regiones suæ ditioni adjecerit; pro sociis vero Græcis videlicet, bellum Persicum a Philippo Alexandroque susceptum tandem pro gloria & imperio persecuta est. Quippe Macedones medii velut inter Thraces Illyriosque, quasi in quodam bivio collocati, undique in hostem incurrebant; donec quasi contagione quadam per singulos itum est: & proximis quibusque correptis, totam illam regionem, quæ deinceps Macedonia appellata est, sub se redegerunt. Non indignus certe Livii locus qui hic adscribatur. Is cum bellum a Romanis cum Perse gestum illorumque de Macedonum Rege victoriam descripsisset, tandem subjicit *l.* XLV. *c.* 9. *Hic finis belli cum quadriennium continuum bellatum esset, inter Romanos ac Persea fuit; idemque finis inclyti per Europæ plerumque atque Asiam omnem regni.* Ac paulo post: *Macedonum obscura admodum fama usque ad Philippum Amyntæ filium fuit: inde & per eum crescere cum cœpisset, Europæ se tamen finibus continuit; Græciam omnem ac partem Thraciæ atque Illyrici amplexa. Superfudit deinde se in Asiam.* Vid. sane quæ porro ibi habentur lectu dignissima. Quin hujus quoque Principatus atque Populi, quemadmodum a Floro in *Procem.* Romanæ Rep. videntur quatuor quasi ætates constitui posse, adeo ut in Infantia quidem, circum ipsam matrem suam cum finitimis luctatus, sub Philippo demum Alexandroque, quod tempus viris armisque incitatissimum fuit, in Adolescentia viguerit: Ultimis vero Alexandri annis proximeque sequentium Regum temporibus robusta quasi quædam ejus maturitas fuit; donec inertia principum quasi consenuit atque decoxit, nisi quod sub Philippo Demetrii filio Perseoque movit lacertos, donec penitus defecit, inque Romanorum potestatem redacta est.

JOH. BAPTISTÆ CROPHII
ANTIQUITATES MACEDONICÆ.
LIBER SECUNDUS

CAP. I.

MACEDONUM SACRIFICIA. ΑΓΩΝΕΣ. TEMPLA. AUGURIA ET VATES.



DICENDUM jam mihi esset, quæ Sacra Macedonum, quæ leges, qui ritus ac consuetudines fuerint, verum cum plurima eorum superius jam tractata sint atque exposita, labore multis ea repetendi supersedebimus, addituri pauca duntaxat quædam, quæ notatu præ cœteris digna videbuntur. Uti Græcos omnes ita & Macedones innumeros coluisse Deos satis superque constat. Nec in recensendis iis, in vulgus notissimis, occupabimur. Vide tamen *l.* I. *c.* XIX. Singulares autem quosdam ritus in Sacris suis peragendis Macedones habuisse illa indicant, quando Curtius III. 8. 22. tradit, Alexandrum *cum in jugum editi montis ascendisset, multis collucentibus facibus patrio more sacrificium diis præsidibus loci fecisse.* Et IV. 6. 10. *Orto sole, priusquam admoveret* (sc. Alexander Urbi Gazæ) *exercitum, opem Deum exposcens Sacrum patrio more faciebat.* Ita cum apud Arrianum *l.* III. p. 230. legitur Alexander condita ad Caucasum Alexandria, θῦσαι ἐνταῦθα τοῖς θεοῖς, ὅσοις νόμος αὐτῷ, Interpres ea recte explicat, Regem *Sacrificium diis patrio more fecisse.* Libro priori Dissertationis nostræ notavimus Reges ipsos sacrificia fecisse; verum fuerunt & popæ ac sacrificuli qui ea administrarent. Inter hos Coqui, de quibus Athenæus *l.* XIV. *c.* 22. Εὐφαίνει δ' αὐτῶν τὴν ἐμπειρίαν ἡ πρὸς Ἀλέξανδρον Ὀλυμπιάδος ἐπιστολή. προτρεπομένη γὰρ μάγειρον

αὐτῷ (ita feliciter Caſaubonus reſtituit) πρίαϑαι ϑυσιῶν ἔμπειρον, &c. *Ritus ſacrificiorum & ceremonias coquis notas fuiſſe palam eſt ex Olympiadis ad Alexandrum epiſtola. Nam cum* Alexander *eam hortatus eſſet, ut adſe mitteret popam ſacrificandi peritum*, ait Mater: *Pelignam coquum miſſum, a matre tu habe. Scit ille omnia ſacra patria tua quomodo peragantur, & pura & Dicaſtica* (in Græco eſt, καὶ τὰ ἀργὰ, δικαστικὰ, ſed alii pro his legunt, καὶ τὰ Οργιαστικὰ) *& Bacchica, & alia prorſus omnia, in quibus mater tua victimas immolat. Eum igitur ne contemſeris, ſed libenter excipe, & ad me remitte quamprimum*. Jam vero ille Arriani locus, qui lib. III. p. 197. extat, non prætermittendus: Ενταῦϑα ϑύσας τῷ πατρίῳ νόμῳ Αλέξανδρος, καὶ λαμπάδα ποιήσας, καὶ ἀγῶνα γυμνικόν. Ubi per τὴν λαμπάδα Curtii collucentes faces exprimuntur, III. 8.22. At enim ſæpiſſime Diis ludos factos non ex uno Autorum loco manifeſtum eſt. De his Arrianus *l*. III. *p*. 220. ϑύσας τοῖς ϑεοῖς ὡς νόμος, καὶ ἀγῶνα γυμνικὸν ποιήσας. Item *l*. v. *p*. 375. ἀγῶνα ποιεῖ γυμνικόν τε καὶ ἱππικόν. Qualis vero ille ἀγὼν γυμνικὸς fuerit, ipſe explicat *l*. I. pag. 53. memoriæ prodens de Alexandro, ὅτι πομπὴν ἐπέμψε ξὺν τῇ στρατιᾷ πάσῃ ὡπλισμένῃ τε καὶ ὡς ἐς μάχην ξυντεταγμένῃ. Quod Freinshemius in *Supplement*. Curt. II. 7.9. repetit, perhibens: *Regem ſacrificiis Epheſi magnifice celebratis, in honorem Deæ cum univerſo exercitu qui aderat, in armis decucurriſſe*. Quibus addendum ex Arriano *l*. II. p. 92. Αλέξανδρος δὲ ἐν Σόλοις ϑύσας τε τῷ Ασκληπιῷ, καὶ πομπεύσας αὐτός τε καὶ ἡ στρατιὰ πᾶσα, καὶ λαμπάδα ἐπιτελέσας, καὶ ἀγῶνα διαϑεὶς γυμνικὸν καὶ μουσικόν. Ex quo alios etiam ludos in honorem Deorum præter γυμνικὸν ἀγῶνα factos apparet. Feſtos etiam certos dies ad cultum Deum celebratos ex Curtio VIII. 2. 6. diſcimus ſcribente: *anniverſarium ſacrificium Libero patri non eſſe redditum ſtatuto tempore*. Et Arriano *l*. IV. p. 256. f. Εἶναι ἡμέραν ἱερὰν τοῦ Διονύσου Μακεδόσι, καὶ ϑύειν Διονύσῳ, ὅσα ἔτη ἐν αὐτῇ Αλέξανδρον. Ubi & epulum in honorem Dioſcurorum inſtitutum legitur. Alexandrum Muſis ludos ſcenicos feciſſe, per novem dies pro numero Dearum Freinsh. in *Suppl*. Curt. II. 2. 23. autor eſt ex Diodoro. Vota quoque ſuſcipi ſolita. Hinc Curt. III. 7.3. Alexandrum vota pro ſalute ſuſcepta reddidiſſe notat. Statuæ Diis ſacratæ. Alexander Dives Apollini Delphos, Jovi Elidem ſtatuas aureas dono miſit, Solin. *Polyh*. c. 14. De XII. ſtatuis Deorum a Philippo conſtitutis vid. Diod. XVI. p. m. 960. pr. Alexander *Herculi Tyrio ex auro crateram, cum 30. pateris dicavit*, Curt. IV. 8. 61. Jam aræ frequentes Diis erectæ. Legimus apud Arrianum *l*. I. p. 32. Alexandrum βωμοὺς ἱδρύσαϑαι, ὅϑεν τε ἐστάλη ἐκ τῆς Εὐρώπης, καὶ ὅπου ἐξέβη τῆς Ασίας, Διὸς ἀποβατηρίου καὶ Αϑηνᾶς καὶ Ηρακλέους. Conf. Juſtinum XI. 5. 4. Idem poſt prælium apud Iſſum *tres aras in ripa Pinari amnis Jovi atque Herculi Minervæque ſacravit*, Curt. III. 12. 27. Atque poſt Aornon petram expugnatam, *locorum magis quam hoſtium victor, tamen magnæ victoriæ ſacrificiis & cultu Diis ſatisfecit. Aræ in petra locatæ ſunt Minervæ Victoriæque*, idem VIII. 11. 24. Finem expeditioni facturus, δώδεκα βωμοὺς κατασκευάζειν προσέταξε, ὕψος μὲν κατὰ τοὺς μεγίστους πύργους, &c. ὡς δὲ κατεσκευασμένοι αὐτῷ οἱ βωμοὶ ἦσαν, ἔϑυεν ἐπ' αὐτῶν, ὡς νόμος, Arr. *l*. v. p. 374. & 375. Has aras XII. ex quadrato ſaxo, monumentum expeditionis ſuæ, eum erigi juſſiſſe Curtius autor eſt, IX. 3. 19. Aras pro numero fluminum poſitas, ſacrificiumque factum apud eundem *ibid*. 4. 14. legimus. Templa etiam Diis extructa a Macedonibus, neque hos ea ut Perſæ ſolebant averſatos fuiſſe illud teſtimonio eſt, quod Alexander Jovi Olympio Sardibus in ſumma arce templum conſtituit, Arr. *lib*. I. p. 49. & 50. Et cum Thebas dirueret, templis tamen aliis ſacris ædificiis abſtineri juſſit, *Suppl*. Fr. I. 14. conf. Curt. IV. 4. 13. Ptolemæus vero Ceraunus *in ſanctiſſimo Jovis templo, veterrimæ Macedonum religionis, ſumtis in manus altaribus, contingens ipſa ſimulacra, & pulvinaria Deorum*, juravit, Juſt. XXIV. 2. 8. *Cum Amphipolim fama pugnæ perveniſſet, concurſus matronarum in templum Dianæ, quam Tauropolon vocant, ad opem expoſcendam factus*, Liv. XLIV. 44. Quæ omnia, ſimulacra ſcil. aras, delubra diis ſtatui apud Perſas nefas habebatur, veluti multis docet Barnabas Briſſonius *de Regno Perſarum* lib. II. pag 169. ſeqq. Exteris etiam Diis ſacrificium facere Macedones non dubitarunt. Alexander cum Memphin perveniſſet, ἔϑυε ἐκεῖ τοῖς τε ἄλλοις ϑεοῖς καὶ τῷ Απιδι, καὶ ἀγῶνα ἐποίησε γυμνικόν τε καὶ μουσικόν, Arr. *l*. III. p. 156. Jovi Hammoni ſacrificia quoque facta, Curt. IV. 7. 28. Adjiciendus Suetonii locus: *Octavio, cum per ſecreta Thraciæ exercitum duceret, in Liberi Patris luco barbara cærimonia de filio* (Auguſto ſcil.) *conſulenti, idem affirmatum eſt a ſacerdotibus* (nempe dominum terrarum orbi natum,) *quando infuſo ſuper altaria mero, tantum flammæ emicuiſſet, ut ſupergreſſa faſtigium templi ad cœlum uſque ferretur: unique olim omnino Magno Alexandro apud eaſdem aras ſacrificanti ſimile proveniſſet oſtentum*. Oceanum vero perluſtrans Alexander cum ad Inſulam quandam perveniſſet, ἔϑυε ἐνταῦϑα ἄλλας αὖ ϑυσίας, ἄλλοις τε ϑεοῖς, καὶ ἄλλῳ τρόπῳ, καὶ ταύτας δὲ κατ' ἐπιϑεσπισμὸν ϑύει τοῦ Αμμωνος, Arr. *l*. VI. p 415. pr. Pro tranſitu fluminum ſacrificia ſæpe facta. Pro tranſitu Aceſinis, Tanais, Indi, eoque tranſmiſſo, Vid. eundem *lib*. v. p. 351. ut & cum Hydaſpem cum exercitu trajeciſſet Alexander. Αλέξ. ϑύει ἐπὶ τῇ ὄχϑῃ τοῦ Ἴστρου Διὶ Σωτῆρι, καὶ Ηρακλεῖ, καὶ αὐτῷ τῷ Ιστρῳ, ὅτι οὐκ ἄπορος ἄπορος αὐτῷ ἐγένετο, Arr. *lib*. I. p. 11. Eadem ratione exſcenſione in terram facta, aras eo loco conſtituit Jovi deſcenſori Minervæque & Herculi: eo quoque loco unde ex Europa ſolverat, aras exſtrui juſſit, Arr. *l*. I. p. 32 De quo etiam Juſtinus XI. 5. 11. Eum *in littore Aſiæ hoſtias cæcidiſſe, precatumque ne ſe Regem illæ terræ invitæ accipiant*. Si vero exta ſacrificanti Regi infauſtos eventus portendiſſent, tranſitu fluminis abſtinere ſolitus. Cum ad Hyphaſin amnem perveniſſet, milites vero longæ pertæſi militiæ ultra ſequi eum detrectarent, ipſeque inſuper ſacrificio facto non litaſſet, domum reverti ſtatuit. Taniam trajecturo, ut Scythas debellaret, cum exta nihil proſperi portenderent, commoratus aliquantiſper ibi eſt. Ως δὲ οὐκ ἀνίεσαν οἱ Σκύϑαι, αὖϑις ἐπὶ τῇ διαβάσει ἐϑύετο,, &c. Arr. l. IV. p. 246. (Notandum hic in tranſcurſu hunc fluvium, quem Orxantem a finitimis barbaris appellari Ariſtobulus auctor eſt, per errorem ab Alexandri militibus Tanaim appellatum, Arr. *lib*. IV. pag. 236. Plin. VI 16.) Conſule hic de ſacrificii fluminibus factis Arrianum *lib*. VI. p. 382. & p. 415. ubi Oceano ſacrum factum deſcribitur. Ex Europa autem initio expeditionis in Aſiam trajiciens, cum jam in mediis Helleſponti fluctibus navigaret, taurum Neptuno ac Nereidibus Alex. immolavit, aureamque phialam, ex qua libaverat, diis marinis donum, in pelagus abjecit. Idem *lib*. I. pag. 32.

Conſueſſe autem Macedones Diis pro Victoria conceſſa ſacrificare, ex illis *Curt*. VIII. 11. 24. liquet: *Alexander locorum magis quam hoſtium victor, tamen magnæ victoriæ ſacrificiis & cultu diis ſatisfecit. Aræ in Petra locatæ ſunt Minervæ Victoriæque*. Qui locus indicat, alia ſacrificia facta victoria majori, alia minori parta. Cum Siſymithres deditionem feciſſet, Rex victimas Minervæ ac Victoriæ cæcidit, idem VIII. 2. 32. Ali-

bi vero τοῖς θεοῖς τὰ νομιζόμενα ἐπινίκια ἔθυε. Arrian. v. p. 351. Aristobulus memoriæ prodidit, θύσας ἐν Καρμανίᾳ Ἀλέξανδρον χαριστήρια τῆς κατ' Ἰνδῶν νίκης, καὶ ὑπὲρ τῆς στρατιᾶς ὅτι ἀπεσώθη ἐκ Γαδρωσίων, καὶ ἀγῶνα διαθεῖναι μουσικόν τε καὶ γυμνικόν, Idem l. VI. p. 433. pr.

Verum nec auguriorum negligentes, imo in ominibus capiendis admodum superstitiosos fuisse constat. Inde notatum a Justino XII. 16. 5. nato Alexandro, *duas aquilas ea tota die præpetes supra culmen domus patris ejus sedisse, omen duplicis imperii, Europæ Asiæque præferentes*. Parmenio quidem Alexandro navalem cum Persis pugnam suasit, Græcos superiores fore sperans, ὅτι ἀετὸς ὤφθη καθήμενος ἐπὶ τοῦ αἰγιαλοῦ κατὰ πρύμναν Ἀλεξάνδρου νεῶν, Arr. I p. 54. Alexander autem hanc aquilam interpretatus est, quod significaret, ipsum e continente naves victurum, idem p. 59. pr. Eundem in Halicarnassi obsidione sub meridiem quiescentem hirundo circumvolitans ac perstrepens e somno excitavit. Ipse vero οὐ φαῦλον ποιησάμενος τὸ τῆς χελιδόνος, ἀνεκοίνωσεν Ἀριστάνδρῳ τῷ Τελμισσεῖ μάντει, Arrian I. p. 71. f. & 72. Idque interpretatus Aristander, instare periculum dixit ab amico Regis: sed insidias in occulto non mansuras. hoc enim monere naturam avis, quæ præ cœteris homini familiaris, eademque supra modum garrula esset. Denotabatur autem Alexander Lyncestis, qui insidias Regi struxerat. Non possum non luculentum ex Curtio huc transscribere locum, IV. 6. 11. seq. conf. Arrian. II p. 151. Alexandro Gazam obsidente, atque faciente sacrificium, *forte prætervolans corvus glebam, quam unguibus ferebat, subito amisit; quæ cum Regis capiti incidisset resoluta defluxit: ipsa autem avis in proxima turre consedit. Illita erat turris bitumine ac sulphure: in qua alis hærentibus, frustra se allevare conatus a circumstantibus capitur. Digna res visa, de qua vates consulerentur. & erat non intactus ea superstitione mentis. Ergo Aristander cui maxima fides habebatur, urbis quidem excidium augurio illo portendi, ceterum periculum esse, inquit, ne Rex vulnus acciperet. Itaque monuit, ne quid eo die inciperet*. Quod cum non observasset Alexander, responso Vatis eventus respondit. Curt. IV. 2. 14 Tyro obsidione clausa *cum apud Macedonas forte panem quidam militum frangeret, manantis sanguinis guttas notaverunt. territoque Rege, Aristander peritissimus Vatum respondit; si extrinsecus cruor fluxisset, Macedonibus id triste futurum; contra cum ab interiori parte manaverit: urbi quam obsidere destinassent, exitium portendere*. Aliud apud eundem Curt. IV. 8. 6. *Fama est, cum Rex Urbis* (Alexandriæ in Ægypto) *futuris muris polentam, ut Macedonum mos est, destinasset; avium greges advolasse, & polenta esse pastas: cumque id omen pro tristi a plerisque esset acceptum, respondisse Vates, magnam illam Urbem advenarum frequentiam culturam, multisque eam terris alimenta præbituram*. confer Val. Max. I. 4. *ext.* I. & Arrian. III. p. 157. Cœterum de Religionibus Macedonum satis. Unum tamen addendum, in more positum fuisse apud Macedones, ut ad tumulos Heroum parentarent. De quo Justinus XI. 5 12. *Alexander in Ilio ad tumulos Heroum, qui Trojano bello ceciderant, parentavit. Circum cippum Achillis cum amicis nudus decucurrit, unctoque coronam imposuit*, Arrian. I. p. 32. 33. Hephæstion Patrocli tumulum coronavit, Plut. in *Alex.* cap. 24. p. m. 456. Hinc etiam Mimus Alexandri Antoninus Caracalla, τὸν Ἀχιλλέως τάφον στεφάνοις τε ἐκόσμησε καὶ ἄνθεσι πολυτελῶς. Herodian. IV. 8. 10. Sacrificavit Alexander etiam Priamo ad Jovis Hercii aram, ut Priami iram adversus Neoptolemi progeniem, quæ ad ipsum pertingebat, deprecaretur. Protesilao ad tumulum ejus Eleunte inferias dedit. ὁ δὲ νοῦς τῆς θυσίας ἦν, ἐπιτυχεστέραν οἱ γενέσθαι ἢ Πρωτεσιλάῳ τὴν ἀπόβασιν, Arrianus l. I. pag. 31. Cum Mallum Ciliciæ Urbem pervenisset, Ἀμφιλόχῳ ὅσα Ἥρωϊ ἐνήγισε, *Amphilocho tanquam Heroi parentavit*, idem *libro* II. pag. 92.

CAP. II.

LIBERUM EDUCATIO. FRUGALITAS. CONVIVIA. NUPTIÆ. VESTITUS.

JAM ad reliqua Macedonum instituta pergendum. De insigni quidem amore, quo Reges suos prosecuti, ac veneratione, qua tamen Diis eos æquare recusabant Macedones, in superioribus satis dictum existimo. Duarum etiam Macedonicarum legum facta ibi mentio, quarum priore cautum erat, *ut propinqui eorum, qui regi insidiati erant, cum ipsis necarentur*, Curt. VI. 11. 20. VIII. 6. 28. Quem tamen morem *occidendi cum sceleſtis insontes propinquos parentesque Alexander solvit*, Id. *ibid.* & VIII. 8. 18. Altera Macedones, pro Rege soliciti, quanquam prospero eventu, cum videlicet Leonem uno vulnere occidisset, defunctus erat Alexander; tamen *scivere gentis suæ more, ne pedes venaretur, aut sine delectis principum amicorumque*, idem VIII. Qualis vero ille gentis Macedonicæ mos fuerit in condendis legibus id sane haud liquet. Educationem liberorum apud Macedonas quod attinet, dubium non est, eam cum reliquis eorum institutis ac disciplina apprime convenientem fuisse, neque blandam patrum indulgentiam segnes effecisse natos. De Regum quidem liberis, eorumque solicita pro hisce cura supra *lib.* I. *cap.* XVII. notavimus quædam, de Philippi præcipue in Alexandro filio educando prudenti diligentia, qui eum *vix* XVIII. *annos natum, ut sub militia patris tyrocinii rudimenta deponeret, ad se arcessivit*, Just. IX. I. 8. Quin Plutarchus Alexandrum XVI. demum annos natum fuisse, cum Byzantium oppugnaret Philippus, tradit in *Alex.* cap. XIV. Regum vero suorum exempla, uti alias, ita & in hoc secutos esse Macedonas, vero est simillimum. Siquidem φιλεῖ πως ἀεὶ τὸ ὑπήκοον τῇ τοῦ ἄρχοντος γνώμῃ βιοῦν, Herodian. I. 2. 8. Quin *mos erat principibus Macedonum adultos liberos Regibus tradere, ad munia haud multum servilibus ministeriis abhorrentia. Atque hæc cohors velut seminarium Ducum Præfectorumque apud Macedonas fuit*, Curt. VIII. 6. 2. seq. & V 1. 42. Sed de his abunde supra actum arbitror. Nunc frugalitas Macedonum, victusque parcitas satis superque nota. Quippe *luxu & peregrinis infecta moribus veteres Philippi milites, rudis natio voluptates palam aversabantur*, idem VI. 6. 9. Quamvis successu temporis *tenaces antea disciplinæ suæ, solitosque parco ac parabili victu ad implenda naturæ desideria defungi, in peregrina & devictarum gentium mala* Alexander *impulerit*, idem VI. 2. 3. Adeo vero gulosi tandem evasere, ut Rex ipse objecerit illis apud eundem X. 2. 26. eos *profundo ventre devictarum gentium spolia circumferre*. Splendidissimas Carani Macedonis omnique luxu affluentes, Rege non indignas, nuptias descriptas videre licet apud Athenæum in *Deipnosophistis*, l. IV. p. m. 96. seqq. p. 97. Ubi quoque observes Macedonas inter epulas sæpe manus lavare, egregie vero etiam potare solitos. Nec non extremæ cœnæ signum tuba editum fuisse. Est & illud notandum, *Principum Macedonum liberis præcipuum illum honorem habitum, quod licebat sedentibus vesci cum Rege*, Curt. VIII. 6. 5. Huc quoque facit quod Hegesander scribit apud Athenæum *Deipn.* lib. I. p. m. 14. apud Macedonas neminem in cœna accumbere solitum, qui aprum

extra retia non interemisset, verum in sedilibus cœnasse, quoad feram occidisset. Porro observamus feminas conviviis non adhiberi solitas. Græcorum videlicet more, quem ex Corn. Nepotis præfat. n. 6. & 7. discimus. *Quem Romanorum*, ait ille, *pudet uxorem ducere in convivium*, &c. *quod multo fit aliter in Græcia. nam neque in convivium adhibetur nisi propinquorum*. Sic Lampsaci in convivio apud Philodamum, cum Rubrius filiam ejus intro vocare juberet; *ille negavit moris esse Græcorum, ut in convivio virorum accumberent mulieres*, Cic. *in Verr.* orat. I. §. 66. Jam apud Macedonas nefas idem habitum Curtius indicat, V. 7. 2. *De die Alexander inibat convivia, quibus feminæ intererant.* Ne quis autem putet eum adeo consuetudinem Macedonum violasse, ut honestas matronas, vel amicorum suorum uxores, conviviis adhiberet, addit statim: *Non quidem quas violari nefas esset; quippe pellices licentius quam decebat cum armato vivere adsuetæ.* Liquet quoque ex eo, quod Persæ quo facilius persuaderent Amyntæ, ut adhiberet in convivium suas ac filii uxores, finxere (vid. not. Bern. *ad Just. l. c.* & Brisson. p. 216. 217. 228. *id apud Persas haberi pignus ac fœdus hospitii*, Just. VII. 3. Quibus tandem humanissimus Rex morem gessit, non audens legatis Magni Regis quicquam negare. Herodotus autem Amyntam hunc in modum loquentem introducit, *lib.* V. *cap.* XVIII. *Nobis, Persæ, ista consuetudo non est, sed viros a fœminis semovendi.* Ritum in contrahendis nuptiis observatum Curtius notat VIII. 4. 27. nempe, *hoc apud Macedones sanctissimum coeuntium pignus* fuisse, *ut panem divisum gladio uterque libaret. Credo*, Rufus addit, *eos, qui gentis mores condiderunt, parco & parabili victu ostendere voluisse jungentibus opes, quantulo contenti esse deberent*, add. omnino Freinsh. *not. ad h. l.* num 28. Pellices autem non Reges solum, verum etiam reliquos, & gregarios milites habuisse, cum aliis ex locis, tum ex illo quoque patet, quod contumeliose ipsos Alexander *pellicum suarum concubinas* apud Curtium vocat, X. 2. 27. Nempe captivas mulieres pellicum loco habebant. Nefas autem apud Macedon. existimatum fuisse, si quis captivam matrimonio sibi jungeret, ex eo liquet, quod Alexander adeo solicite, cum Roxanem Sisymithræ filiam uxorem ducere vellet, se suis purgavit: *Ne inferri nefas arbitrarentur, ita matrimonii jure* (se scil. Regem cum captiva) *velle jungi. Achillem quoque, a quo genus ipse deduceret, cum captiva coisse*, Curtius VIII. 4. 25. & 26. Nempe Achilles Briseide captiva non pro concubina & pellice abusus est, sed quemadmodum illi Patroclus deductor promiserat, in legitimam uxorem duxerat: quod ex Homero & epitome *rerum Troïcarum* in *Curtianis Commentariis* observat Raderus. Stupra autem puerorum Macedonibus non ignota fuisse, ex supra dictis patet. Vestitu Macedonas ante devictos Persas vili admodum, cum ne Reges quidem de eo soliciti valde essent, usos dubium non est. Adeo ut apud Curtium X. 2. 23. Alexander militibus objiciat, *modo sub Philippo seminudos* fuisse. Uti nec reliqua supellex splendida fuit, nam lignea vasa, cum argenteis nunc uti liceret, exprobrat iis *loco citato*. Jam vero Orientis victores pretiosissimis induebantur vestibus. Unde *ibidem* Alexander: *Modo sub Philippo seminudis amicula ex purpura sordent, aurum & argentum oculi ferre non possunt*, &c. Eundem Regem amicos suos, ut non secus ac ipse Persico more vestirentur, perpulisse, supra vidimus. Crepidis indutos Macedonas ex Curtio IV. 8. 8. cernimus: *Hector diu flumini obluctatus, cum madens vestis, & adstricti crepidis pedes natare prohiberent, in ripam tamen semianimis evasit.* Et Antoninus Caracalla ἐνδὺς Ἀλέξανδρος

A ὤν, περονῇ ἐν Μακεδονικῷ σχήματι, καυσίαν τε ἐπὶ τῆς κεφαλῆς φέρων, καὶ κρηπῖδας ὑποδεδεμένος, Herodian. IV. 8. I. 5. Notat autem Julius Pollux in *Onomastico* ad Commodum Imp. scripto, lib. VII. c. XXII. inter calceorum species hanc esse φόρημα στρατιωτικόν, *habitum militarem*. Scapula in *Lex.* κρηπῖδα reddit per calceamentum subæratum, &c. Peculiari etiam Tonsuræ genere Macedonas usos locus Strabonis arguit, ubi memorat, *lib.* VII. p. m. 226. esse, qui omne id quod ad Corcyram usque est regionis Macedoniam appellent, αἰτιολογοῦντας ἅμα ὅτι καὶ κουρᾷ, καὶ διαλέκτῳ, καὶ χλαμύδι, καὶ ἄλλοις τοιούτοις χρῶνται παραπλησίως.

B

CAP. III.

CONDITÆ A MACEDONIBUS URBES. EORUM REI NAUTICÆ IMPERITIA. VENATIONIS STUDIUM.

ALIA quædam ex moribus Macedonum adjicimus. Polenta eos ambitum murorum condendæ novæ urbis designasse Curtius affirmat IV. 8. 6. *Fama est*, ait, *cum Rex urbis futuris muris polentam, ut Macedonum mos est, destinasset, avium greges advolasse & polenta esse pastas.* C Marcellinus tamen, penuria calcis id accidisse scribit, XXII. 20. & Val. Max. I. 4. *ext.* I. *Architectum Dinocratem, cum cretam non haberet, polenta futuræ urbis lineamenta duxisse.* Eodem inclinat Arrianus tradens, *l.* III. p. 157. *Voluisse Alexandrum signa ducendo muro fabris designare, cumque nihil ad manum esset, quo terra inscribi posset, quendam ex fabris hoc excogitasse, ut congesta omni farina quam milites in vasis habebant, eam terræ quam rex designabat aspergeret, atque ita in orbem locum muro urbi circumducendo præscriptum fuisse:* conf. Plut in. *Alex.* p. m. 466. pr. Cretæ enim potius in hujusmodi usibus officium. D quod & ex Plinio patet, *l.* XXXV. *c.* XVII. *Est & vilissima qua Circum præducere ad Victoriæ notam instituerunt majores.* Certe Eustath. *ad Dionys.* v. 254. diserte scribit, *ex more fuisse ut creta designaretur ambitus urbis.* vid. Freinsh. in *Not. ad Curt. l. c.* Macedonas rei nauticæ admodum imperitos fuisse ingens illa trepidatio, confusioque, cum æstu maris naves attollerentur, iterumque a recedente in sicco destituerentur, arguit. Operæ autem pretium facturus est, qui hæc apud Curtium elegantissime non tam descripta, quam depicta potius, cognoscere volet, *lib.* IX. *c.* IX. *n.* 7. seqq. *Ignota*, inquit ille, *num.* 10. *vulgo freti natura erat, monstra-* E *que & iræ Deum indicia cernere videbantur.* & *ibid.* num. 22. 23. *æstum paulo post mare relaturum, quo navigia allevarentur ignari, famem & ultima sibimet ominabantur. & Regem quoque desperatio salutis ægritudine affecerat.* Jam olim etiam Alexander suis diffisus, cum Parmenio naumachiam suaderet, respondit, se ὀλίγαις τε ναυσὶ πρὸς πολλῷ πλείους ξὺν οὐδενὶ λογισμῷ ναυμαχήσειν, καὶ οὐ μεμελετηκότι τῷ σφῶν ναυτικῷ πρὸς ἠσκημένον τὸ τῶν Κυπρίων τε καὶ Φοινίκων. Arrian. *l.* I. p. 54. Classis Alexandri pericula atque damna ad Confluentes Hydaspis ac Acesinis amnium idem descripsit, *l.* VI. p. 386. 387. Ipsius Regis F Alexandri in his vorticibus, ubi Acesines Hydaspi confunditur, periculum, metum nautarum, ac imperitiam, Curtius ob oculos ponit, *l.* IX. 4. 10 11. seq.

Venationis Macedonas admodum studiosos fuisse, ut qua ad bellica munia exequenda promtiores fierent, cum supra in Rege Alexandro notavimus, qui sæpissime totos a prandio dies in ea consumsit, Plut. in *Alex.* cap. XXXIX. tum ex illo etiam oppido liquet, quod Hegesander apud Athenæum tradit, in *Deipnosoph.* lib. I. pag. m. 14. apud Macedonas neminem in cœna

accumbere solitum, qui aprum extra retia non interemisset, verum in sedilibus cœnasse quoad feram occidissent: ideoque Cassandrum jam natum annos XXXV. sedentem cum Patre cœnavisse, quod nondum eo defungi certamine potuisset, quamvis & validus & peritus venator. Nempe ista observata consuetudine incitare suos juvenes ad hoc fortitudinis bellicæ (ut ita loquar) præexercitamentum in animo habebant. *Venandi studio deditos Leonnatum ac Menelaum, aulæa centum stadiorum sequebantur*, ceu Ælianus testatur *Var. Hist.* IX. 3. qui ibidem quoque tradit *Perdiccam & Craterum, deditos arti pugillandi, secutas stadiales magnitudine diphtheras, quibus amplissimum locum comprehenderint in castrametationibus, ut in eo se exercerent*. Addend. Plaut. in *Al.* cap. LXXII. Secutum quoque eos multum pulverem per jumenta vectum, qui ad exercitiorum certamina pertinuerit. Paucis addendum, inter alia saltationum genera, Macedonicæ quoque Athenæum mentionem facere *Deipn.* XIV. p. m. 469. his verbis: Μακεδονικὴ δ' ἐστὶν αὕτη ὄρχησις, ᾗ χρησάμενοι οἱ περὶ Πτολεμαῖον, Ἀλέξανδρον τὸν Φιλίππου ἀδελφὸν ἀνεῖλον ὡς ἱστορεῖ Μαρσύας ἐν τρίτῳ Μακεδονικῶν. *Macedonica saltatio ea est, qua utentes qui circa Ptolemæum erant, Alexandrum Philippi fratrem occiderunt, ut scribit Marsyas lib. III. rerum Macedonicarum.*

CAP. IV.

JUDICIA, TORMENTA, SUPPLICIA.

JUDICIA ipsos Macedonum Reges exercere solitos *lib.* I. *cap.* XX. aliquas tamen in iis & populi partes, præsertim in capitalibus fuisse *cap.* VI vidimus *De capitalibus rebus*, inquit Curtius VI. 8. 25. *vetusto Macedonum modo inquirebat exercitus: in pace erat vulgi. nihil potestas Regum valebat; nisi prius valuisset auctoritas*. Armatos vero milites, nec nisi ortu Macedonas ad hæc judicia convenisse ex eodem loco *num.* 23. manifestum est: *Postero die Rex edixit, omnes armati coirent. Sex millia fere militum venerant*. Nempe tum temporis sex tantum millia Macedonum cum Alexandro erant, reliqui milites Græci erant, peregrini, ac mercede conducti, quorum judicio non stabant rei. Unde Alexander quærit ex Philota, *cum Macedones* de eo *judicaturi sint, an patrio sermone sit apud eos usurus*, Curt. VI. 9. 34. Producebantur autem in judicium rei habitu vili, vincti manus, omnibusque gesti honoris insignibus orbati. Ita Alexander Philotam *religatis post tergum manibus obsoleto amiculo velatum jussit induci*, idem *ibid. num.* 25. Addit Curtius: *Facile apparebat motos esse tam miserabili habitu non sine invidia paulo ante conspecti. Ducem equitatus pridie viderant; sciebant Regis interfuisse convivio*, &c. Quare ex singulari indulgentia, petentem Amyntam, *ut, dum diceret, vinculis liberaretur, Rex solvi, desiderantique, ut habitus quoque redderetur armigeri, lanceam dari jussit*, idem VII. I. 8. Alicujus cujusdam consuetudinis Philotas apud Curtium VI. 10. 30. meminit. *Solent rei capitis*, inquit ad Macedonas, *adhibere* (vel *exhibere* potius) *vobis parentes*. Videlicet ad misericordiam commovendam. Hoc vero in loco parentum nomine cognatos etiam omnes atque propinquos intelligi certum est. Quippe statim de fratribus subditur. Cœterum si de causa aliqua minus liqueret, quæstio apud Macedonas per tormenta haberi solita, neque illa vel summi etiam Viri effugere poterant. Unde apud eundem VI. 10. 29. Philotas: *Si certiora oraculis creditis esse tormenta; ne hanc quidem exhibendæ veritatis fidem deprecor*. Et Demetrius *ibid.* 11. 35. *multa affirmatione, animique pariter constantia, & vultu abnuens, quicquam sibi in Regem cogitatum esse, tormenta etiam deposcit in semetipsum*. Sic apud Livium lib. XL. cap. 55. Philocles, non e plebe homo, tortus fuisse legitur. Xychus vero conspectum tortoris verberumque non sustinuisse, sed ordinem omnem facinoris exposuisse. Quam enim crudeliter quæstio hæc habita fuerit, indicio est quod multi in tormentis extincti sunt. Herodotus, summæ dignitatis Vir, quippe *Demetrii amicorum princeps, diu excruciatus, sine indicio rei ullius in tormentis moritur*, Livius *lib.* XL. *cap.* 23. fin. Quin & pœnæ loco adhibita fuere tormenta. Quare Philotas *per ultimos cruciatus, utpote damnatus, & inimicis in gratiam regis torquentibus laceratur*, Curt. VI. 11. 15. 16. Atque hinc ignis, illinc verbera, *jam non ad quæstionem, sed ad pœnam ingerebantur*. Ubi idem *num.* 13. 15. 17. *tortores in conspectu Philotæ omnia crudelitatis instrumenta proposuisse, obligatos ejus oculos, vestem exutam, tandem vero eundem intumescens corpus ulceribus, ac flagellorum ictus nudis ossibus incussos ferre non potuisse*, tradit. Ita Bessum quoque Alexander μαστιγοῦν ἐκέλευεν, Arrian. lib. III. pag. 235. f. 236. Nihilo tamen minus Βῆσσος οὕτως αἰκισθεὶς ἀποπέμπεται ἐς Βάκτρα ἀποθανούμενος. Hermolaum, ejusque sceleris, quo Regem interficere cogitaverant, conscios, jam damnatos, *tradi hominibus, qui in eadem cohorte erant, jussit. Illi ut fidem suam sævitia Regi approbarent, excruciatos necaverunt. Callisthenes quoque tortus interiit*. Imo *nullius cædes majorem apud Græcos Alexandro excitavit invidiam, quod præditum optimis moribus artibusque virum non tantum occiderit, sed etiam torserit indicta quidem causa*, Curt. VIII. 8. 20 seq. Cœterum supplicia quod attinet, legimus Alexandrum in procuratione paternarum exequiarum *ante omnia cædis conscios ad tumulum patris jussisse occidi*, Just. XI. 2. 1. Quo vero mortis genere autor non exprimit. (vid. *Not.* Bern. *ad Just.* XI. 2. 1.) Alexandrum Lyncestem causam capitis dicturum, *cum non memoria solum, sed etiam mens destitueret, nec dubium esset, quin trepidatio conscientiæ indicium esset, non memoriæ vitium, ex iis, qui proxime adstiterant, obluctantem adhuc oblivioni lanceis confoderunt*, Curt. VII. 1. 8. 9 Quod tamen præter Macedonum morem factum ut indicta causa lanceis merito supplicio ereptus necaretur, quomodo & Sisines Perses *in agmine a Cretensibus, haud dubie jussu Regis occisus est*, idem III. 7. 15. Alias enim noxios atque capitis damnatos saxis, patrio more obruere solebant Macedones. *Placebat amicis Alexandri Philotam Macedonum more obrui saxis*, idem VI. 11. 10. Quod jam ante Cœnus, qui Philotæ sororem matrimonio secum conjunxerat, facere aggressus est. *saxum enim ille, quod forte ante pedes jacebat, eripuit, emissurus in eum, ut plerique credidere, tormentis subtrahere cupiens*, idem *ib.* 9. 31. Ac deinceps Macedones, *omnes a Nicomacho nominatos*, (inter quos Philotas quoque erat) *more patrio dato signo, saxis obruerunt*, idem *ib.* 11. 38. Quamvis Arrianus e Ptolemæo, Lagi filio (qui post Alexandri mortem Rex Ægypti factus est) refert, lib. III. p. 225. Φιλώταν καὶ ὅσοι ἄλλοι μετέσχον αὐτῷ τῆς ἐπιβουλῆς κατακοντισθῆναι πρὸς τῶν Μακεδόνων. *Philotam ac cæteros omnes insidiarum conscios a Macedonibus jaculis confossos fuisse*. Cum Polemon e fuga retractus vinctus adduceretur, *infesta concio vix inhiberi potuit, quin protinus suo more saxa in eum jaceret*. Curt. VII. 2. 1. Apud Arrianum *lib.* IV. pag. 272. pr. legas, τὸν Ἑρμόλαον καὶ τοὺς ξὺν αὐτῷ ξυλληφθέντας καταλευσθῆναι πρὸς τῶν παρόντων. *Hermolaum & cæteros comprehensos lapidibus fuisse obrutos a circumstantibus*. Atque sic quidem in Macedonas criminum atrociorum damnatos animadvertebant: de peregrinis vero atque

barbaris, quos in cruces agebant, sæviori modo sumtum supplicium. Ita *duo millia Tyriorum, in quibus occidendi defecerat rabies, crucibus affixi per ingens litoris spatium pependerunt*, Curt. IV. 4. 17. & VII. 5. 40. Τὺς νέυς πάντας ὄντας ὐκ ἐλάττυς τ̃ δισχιλίων, ἐκρέμασεν, Diod. *lib.* XVII. Bessum Alexander *cruci affixum mutilatis auribus naribusque, sagittis a barbaris confodi voluit; asservarique corpus ut ne aves quidem contingerent*, Curtius VII. 11. 28. Arimazem cum cum propinquis nobilissimisque gentis suæ descendisset in castra, (nullam enim conditionem deditionis acceperat Alexander) *omnes eos verberibus affectos sub ipsis radicibus petræ crucibus jussit affigi*, idem IX. 8. 16. Musicanorum princeps, eorum defectionis autor in crucem sublatus, &, quod Arrianus *l.* VI. p. 410. addit, τ̃ Βραχμάνων ὅσοι αἴτιοι τ̃ ἀποςάσεως τῷ Μυσικανῷ κατέςησαν. Orxinem Persarum nobilissimum sacrilegii præcipue, atque sepulcrorum spoliatorum accusatum, οἷς ἐπάχθη ὑπὸ Ἀλεξάνδρυ ἐκρέμασαν, Arr. *ibid.* p. 440. Pausanias tamen etiam Macedo, Philippi interfector, in crucem actus est. Quippe, ut Justinus IX. 7. 10. refert, *in cruce pendentis Pausaniæ capiti, Olympias coronam auream imposuit*. Quid quod Πτολεμαῖος ὁ Λάγυ tradit Callisthenem ςρεβλωθέντα καὶ κρεμασθέντα ἀποθανεῖν: *tortum ac crucifixum vitam finxisse*, Arr. *l.* V. p. 272. Alexander milites seditiosos *mergi in amnem, sicut vincti erant, jussit*, Curtius X. 4. Sed de judiciis suppliciisque dicta hæc sufficiant.

CAP. V.

ANNUS, NUMMI, LINGUA MACEDONUM.

Annum Macedonum mensesque quod attinet de eo plenius & abunde cognoscet, cui lubet, apud Scaligerum in *de Emendatione Temporum* lib. I. Hoc saltem notare hic lubet, Dæsium mensem (qui Junio respondet) infaustum res gerentibus apud Macedonas habitum, vid. Plut. in *Alex.* Quare Alexander, gnarus quantum in rudibus animis valeret etiam vanæ religionis opinio, edixit, ut repetito prioris mensis nomine, pro Dæsio alter Artemisius haberetur. Eundem Regem, ut lubebat, menses mensiumque dies mutasse vide etiam apud Plutarchum in *Alex.* p. m. 456. & 464. Nomina quibus menses suos Macedones insigniebant, e Scaligero, ordine quo se invicem sequebantur, excerpta, appono. Sunt autem: Ὑπερβερταῖος, Δῖος, Ἀπελλαῖος, Αὐδυναῖος, Περίτιος, Δῦςτρος, Ξανθικὸς, Ἀρτεμίσιος, Δαίσιος, Πάνεμος, Λῶος, Γορπιαῖος.

Utebantur porro Macedones numis aureis, & argenteis Regum suorum imaginibus nominibusque insignitis. Philippus, Alexandri pater apud Crenidas auri fodinas nactus, nummum aureum Philippi nomine cudi instituit, Diod. *lib.* XVI. p. m. 487. Horum numorum Horatius meminit, de Chœrilo poeta memorans, *lib.* II. *epist.* I. v. 234.

—— *incultis qui versibus & male natis*
Retulit acceptos, regale numisma, Philippos.

Et Plautus in *Bacchid.* Act. II. Sc. II. vers. 52.

Mille & ducentos Philippos attulimus aureos.

Ubi annotat Taubmannus valuisse Philippum aureum duos circiter aureos Gallicos: quod Lambinus dicat ex uno cognovisse, quem ipsi Clemens Tenevinus ostenderit. In *Asinaria* vero, Act. I. Sc. III. vers. I.

Unumquodque istorum verbum nummis Philippus aureis
Non potest auferre hinc a me, si quis emtor venerit.

Fuisse autem hos nummos optimæ notæ ex eodem Poeta discas, ubi Agorastocles ad Advocatos, in *Pœnulo* Act. III. Sc. II. vers. 17. *seqq.*

Hic trecentos nummos numeratos habet.

Addens:

Agite, inspicite, aurum est.

Cui Collybiscus:

—— *profecto Spectatores, Comicum:*
Macerato hoc pingues fiunt auro in barbaria boves.
Verum ad hanc rem agundam Philippum est.

Hoc est; quamvis hi lupini tantummodo sint, quales in Comœdia pro aureis nummis annumerari solent, tamen, ad hanc rem agundam, sic habendi, ac si aureum sint Philippum & optimum. Philippus hic, teste Plutarcho in *Alex.* p. m. 448. Olympicas curruum victorias numismati insculpere solitus est. Non solum autem Regum nomina, sed & urbium Macedonicarum, nummis inscribebantur, veluti Pellæ, Thessalonicæ, Cassandreæ, Olynthi, Dyrrhachii, Amphipolis, &c. quorum, ut & a Regibus fere omnibus cusorum exempla Goltzius in *Græcia sua* exhibet. In præfixa huic Dissertationi pagella aliquot Nummos Macedonicos conspiciendos dedi, quorum undecim priores a Viro maxime Reverendo, Amplissimo, atque Excellentissimo Dn. CASPARE SAGITTARIO, SS. Theologiæ Doctore, in hac Jenensi Academia Historiarum Professore celeberrimo, Patrono atque Præceptore meo æstumatissimo; posteriores duos e Museo Viri Nobilissimi, Consultissimi, atque Excellentissimi Dn. D. CHRISTOPHORI JACOBI LAUBERI, Reipubl. Augustanæ Consiliari splendidissimi, Patroni atque Fautoris venerandi me accepisse, gratissima agnosco mente.

Est autem Sagittarianorum primus argenteus, in quo conspicitur Philippus Amyntæ filius capite laureato, in memoriam forte expeditionis in Phocenses susceptæ. Tum enim temporis Philippus, *quasi sacrilegii, non Thebanorum ultor esset, omnes milites coronas laureas sumere jussit, atque ita veluti Deo duce in prælium perrexit*, Just. VIII. 2. 3. Ab aversa hujus nummi parte equus est, cui vir insidet, in memoriam credo victoriæ, quam equo in Olympicis obtinuit. Plutarchus in *Vita Alexandri*: *Eodem forte tempore, cum Philippus Potidæam cepisset urbem, terni simul ad illum feruntur nuncii, & Illyrios ab ejus duce Parmenione ingenti prælio profligatos, & suum in Olympicis victorem equum extitisse, & natum esse Alexandrum.*

Nummus II. ut & X. Alexandri vultum repræsentant, qui in aliis quoque ita galeatus conspicitur, vid. Goltzii *Græc.* Tab. XXXI. Ab altera parte Pegasus est.

Nummo III. v. ac XI. Lysimachi caput ab una parte spectatur cum arietinis cornibus; quæ sibi Reges Macedonum in nummis adaptare amasse Lazius in *Græcia sua* tradit. *Quamvis multi suspicantur* (Ludovici Nonnii verba sunt in *Comment. ad Goltzii Græciam*) *Alexandri hunc vultum esse, ob Hammonem*. Ab altera parte Minerva est (hanc vero valde coluisse Macedones supra notatum) sedens cum Victoriola in manu.

Numm. IV. Ptolemæi Κεραυνῦ videtur, ob aquilam cum fulmine. Est autem hic Ptolemæus (Pausania in *Phoc.* teste) Κεραυνὸς dictus ob nimiam audaciam vel celeritatem in agendis.

Numm. VI. Demetrii Poliorcetis esse arbitror. Ab altera parte nummi Neptunus est cum tridente. Reor ob victoriam navalem, quam Demetrius hic de Ptolemæo Lagi retulit. vid. Just. XV. 2. 6.

Nummum VII. cum imagine Olympiadis & Sacrificio (erat autem Sacrorum studiosa hæc Regina) olim jam e Museo Bosiano Saubertus impetravit, & exhibuit in libro *de Sacrificiis Veterum*.

Nummus VIII. Aristotelis effigiem refert, quem ab Alexandro, Stagiritæ discipulo, in honorem Magistri excusum fuisse non immerito suspicor.

In IX. Alexander est leonino spolio ornatus, in Herculis memoriam, a quo Macedonum Reges originem ducebant.

Adducit Nonnius *l. c.* in hujus rei testimonium verba Constantini Porphyrogennetæ lib. II. *de Thematibus: Ideoque Macedoniæ reges pro redimiculo & corona & purpura regia leonini capitis exuviis se rediminunt, atque hoc gestamen coronam & ornatum esse censet, eoque magis quam pretiosis lapillis & unionibus decorari putant, ac testis hujus rei fide dignus est nummus Alexandri Macedonis, ejusmodi figura insignitus.* Ab aversa parte Jupiter Αετοφόρος est cum hasta, sellæ insidens, quod non mirandum, cum Alexander passim se ejus filium prædicarit,

In Nummo XII. qui e Museo Lauberiano est, Dianam cernimus cum arcu & pharetra, quam Deam Macedones peculiari cultu prosequebantur, quod Venationis egregie studiosi essent. Ab altera parte clava est in honorem Herculis, a quo Mac. Reges originem suam repetebant, cum inscriptione: ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ ΠΡΩΤΗΣ. Indicat nummum hunc signatum fuisse in prima Macedoniæ regione; siquidem illam in quatuor regiones a P. Æmilio divisam fuisse Livius & Dexippus tradunt.


XIII. Dyrrachicus est nummus, Bovem habet cum lactante vitulo. *Nihil aliud videtur designare, quam agriculturæ Dyrrhachios studiosos fuisse: agrumque illis fuisse compascuum, & fertilem. hoc enim boves designare Pausanias autor est. Dicit enim* lib. X *Carystios & Platæenses boves Apollini Delphico, devictis Medis, dedicasse; quod expulsis barbaris perfectam felicitatem essent adepti; & liberam terram ararent.* Hæc Ludovicus Nonnius. Qui idem putat Meniscum (super cujus nomen in aliquibus nummis victoria est alata, coronam utraque manu gerens) fortasse ludicro aliquo certamine victorem evasisse. *Quid vero adversa horum numismatum* (addit idem) *pars designet*, ὐδὲν ὁρίζω, *peritiores explicabunt*. Tantum de nummis.

Linguam Macedonicam peculiari Dialecto a reliquis Græcæ linguæ distinctam fuisse, dubium non est. Ex Strabonis *lib.* VII. p. m. 226. jam supra citato discimus, Macedonas cum Epirotis aliisque ejus tractus populis, καὶ κουρᾷ, καὶ διαλέκτῳ, καὶ χλαμύδι, καὶ ἄλλοις τοιούτοις χρῆσθαι παραπλησίως. Verum non ab omnibus Græcis Macedonum sermonem intelligi potuisse credibile omnino est. Quare Alexander interrogat Philotam causam dicturum coram exercitu, qui ex Macedonibus, Græcis, Illyriis constabat, *An, cum Macedones de eo judicaturi sint, patrio sermone sit apud eos usurus*, Curt. VI. 9. 34. Tum Philotas, *præter Macedonas*, inquit, *plerique adsunt, quos facilius, quæ dicam, percepturos arbitror, si eadem lingua fuero usus, qua tu egisti. non ob aliud credo, quam ut oratio tua intelligi posset a pluribus*, idem *ibid.* num. 35. Quo autem sermone Alexander usus tum fuerit, Curtius non indicat. Vero tamen videtur simillimum Græca cum lingua apud exercitum fuisse locutum, ut a pluribus, nempe non Macedonibus modo, verum & reliquis Græcis intelligi posset. Strabo cum subjectas Macedonibus gentes enumerat, plerasque duplici sermone usas scribit, patritio nempe & Macedonico. Athenæus III. 33. de Macedonum lingua hæc habet: *Atticos etiam plerosque novi, eo quod cum Macedonibus versati sint & permixti, a Macedonicis vocibus & loquendi proprietate non abhorrere.*

De funeribus Macedonum, quorum Humationem pariter atque Cremationem in usu fuisse ostensum est, cum cap. XXVII. lib. primi egerimus, non visum est ea hic repetere.

JOH. BAPTISTÆ CROPHII
ANTIQUITATES MACEDONICÆ.
LIBER TERTIUS.

CAP. I.
DE MILITIA MACEDONICA.



VENIO nunc ad celebratissimam Macedonum militiam, cujus beneficio, cum ei fuerint deditissimi ejusque experientissimi, conjuncta innata quadam genti ferocia, victricibus tandem armis Orientem universum peragravere, & decantatissimas Liberi Patris Herculisque expeditiones non æquavere tantum, verum & longe superavere. Nempe *robustus acri militia* Macedo *puer angustam pauperiem pati condidicit*, ad hoc a teneris institutus, (Horat. *lib.* III. *od.* II.) ut sit

—— Eques metuendus hasta,
Vitamque sub dio & trepidis agat
In rebus: illum ex mœnibus hosticis
Matrona bellantis tyranni
Prospiciens, & adulta Virgo, ut
Suspiret: Eheu ne rudis agminum
Sponsus lacessat regius asperum
Tactu leonem, quem cruenta
Per medias rapit ira cædes.

Et quantum putas addidisse stimulum juventuti Macedonicæ, ut in castris avidissime degeret, legem illam, *quæ capistro cingi jubebat, qui nullum hostem interfecisset?* Arist. l. VII. *Polit.* c. II. Hinc minime vanum encomium, quo hanc gentem Polybius exornat, *lib.* IV. *c.* II. Πρός τε γὰρ τοὺς, inquit ille, ἐν γῇ κινδύνους ἐκ παρατάξεως δοκιμώτατοί γε καὶ γενναιότατοι, πρός τε τὰς κατὰ θάλατταν ἐκ τοῦ καιροῦ χρείας ἑτοιμότατοι· λειτουργοί γε μὴν περὶ τὰς ταφρείας καὶ χαρακοποίας, καὶ πᾶσαν τὴν τοιαύτην ταλαιπωρίαν φιλοπονώτατοί τινες, οἵους Ἡσίοδος παρεισάγει τοὺς Αἰακίδας, πολέμῳ κεχαρηκότας, ἠΰτε δαιτί. Hæc interprete Isaaco Casaubono ita se habent: *Enimvero Macedones & in acie probatissimi fortissimique milites sunt, & si forte ita postulet usus atque occasio, ad maritimæ rei ministeria promtissimi: ad hæc in fossis ducendis, castris*

muniendis, *& toto illo durorum operum genere*, *laboris patientissimi*; *quales Hesiodus facit Æacidas*, *bello quam mensis gaudere paratos*. Ut adeo plane hostilis insectatio sit, quod Demosth. *nullum olim frugi mancipium emi e Macedonia potuisse* scribit, Orat. III. *in Philipp.* Nec fortasse mirum cuipiam videatur, si tandem bellicæ laudis gloria non finitimos tantum, verum & toto orbe distantes alioque calentes sub sole terruerunt, *cum assidua ipsis cum Thracibus atque Illyriis fuerint certamina*, *quorum armis*, *veluti quotidiano exercitio induratus*, *non aliter his gentibus quasi cote quadam Macedo miles ferrum suæ acuebat virtutis*, Just. VII. 2. 6. & Flor. II. 3. 3. Unde Athenienses *prælio ad Chæroneam commisso assiduis bellis indurata virtute Macedonum*, *licet ipsi longe majore militum numero præstarent*, victos esse tradit Justinus IX. 3. 9. Quam bellicosæ autem atque feroces illæ gentes Macedoniæ vicinæ fuerint vel ex Cicerone Orat. *in Pison.* §. 35. discas dicente: *Macedoniam tantis barbarorum gentibus attingi*, *ut semper Macedonicis Imperatoribus* (quos scil. Romani in illam Provinciam miserant) *iidem fines provinciæ fuerint*, *qui gladiorum & pilorum*. Hinc nempe ille bellandi amor, illa armorum insignis peritia, illud corporum robur, illa castris assuetorum ferocia. Quam bene Cato perspexit, de quo Spartianum audias, in *Hadr.* c. V. *Hadrianus Imperator*, *cum omnia trans Euphratem ac Tigrim reliquisset*, *exemplo se Catonis fecisse dicebat*, *qui Macedonas liberos pronunciarit*, *quia teneri non poterant*. Cœterum, si non omnes in castris nati Macedones, velut illi, de quibus Alexandri consilium Justinus refert, XII. 4. quod, cum militibus suis permisisset, *si quarum captivarum consuetudine tenerentur*, *ducere uxores*, *existimaverit*: *In supplementa militum minus exhauriri posse Macedoniam*, *si veteranis patribus tyrones filii succederent*, *militaturi in vallo in quo essent nati*, *constantioresque futuri*, *si non solum tyrocinia*, *verum & incunabula in ipsis castris posuissent*. *Quæ consuetudo* (addit Justinus) *in successores quoque Alexandri mansit*. Si, inquam, non omnes intra vallum nati, certe plerique adolevere in illo, mature inter tyrones asciti, (quemadmodum & Philippus *filium Alexandrum decem & octo annos natum*, *ut sub militia patris tyrocinii rudimenta deponeret*, *ad se arcessivit*, Just. IX. 1 8.) ætatem totam virilem transegere in castris, quin multi senuere in iisdem. Vid Curt. X. 2. 8. & 12. Quare in admirationem rapuit Taulantios, cœterosque qui cum Clito & Glaucia erant, peritia Macedonum, celeritas atque ordo, quo quæ ab Imperatore mandata ipsis erant promtissime exequebantur, de quo Arrianus *l.* I. p. 15. Οἱ δὲ πάλαι μὲν ἐθαύμαζον, τήν τε ὀξύτητα ὁρῶντες καὶ τὸν κόσμον τῶν δρωμένων. Verum quid ego de his multa, cum alias jam Scriptio nostra brevis Dissertationis modulum excesserit, & nemini non ob bellicas res notissimum sit Macedonum nomen. Quare Alexander eos, ut fortiter se in prælio gererent, instigaturus, commodissime se id facturum existimavit, si partam armis gloriam in memoriam ipsis revocaret. De hoc enim ita Curtius, III. 10. 4. *Macedones tot bellorum in Europa victores*, *ad subigendam Asiam*, *atque ultima Orientis*, *non ipsius* (scil. Alexandri) *magis*, *quam suo ductu profecti*; *inveterata virtutis admonebantur*, conf. IV. 14. 7. Et eodem teste, IV. 16. 33. *Si vere æstimare Macedonas*, *qui tunc erant*, *volumus*: *fatebimur & Regem talibus ministris*; (duces autem atque præfectos copiarum hic potissimum intelligit) *& illos tanto Rege fuisse dignissimos*. Nec, etiamsi posteri a majorum virtute aliquantum desciverint, bellica eorum gloria penitus extincta est. Quippe *Romanos* (quam vero bello potens is populus!) cum Philippo Demetrii filio dimicaturos, *terrebat & vetus Macedonum devicti Orientis gloria*, *& Philippus studio Alexandri æmulationis incensus*, *quem promtum in bella*, *industriumque cognoverant*, Just. XXIX. 5. 8. Erant enim *Macedones*, *affectator quondam imperii populus*. *Itaque quamvis tunc Philippus regno præsideret*, *Romani tamen dimicare sibi cum Alexandro videbantur*, Flor. II. 7. 2. Quin & ipsum *fortissimum populum memoria & recordatio suæ nobilitatis agitabat*, id. II. 12. 2. & cum successisset *Philippo filius* Perses; *semel ille in perpetuum victam esse Macedoniam*, *non putabat ex gentis dignitate*. Sed de his plena antiquorum monumenta. Cœterum cum de re militari Macedonum aliqua dicere constituerim, visum est, me haud incommode ordinem, quo Magnus ille Lipsius in describenda *Militia Romana* usus est, secuturum. Quamvis summa tantummodo rerum tangentur capita, ipsique fontes commonstrabuntur, ex quibus plenius illa hauriri queant, alias enim in immensum creverit, magnique commentarii instar obtinuerit Dissertatio nostra; & fortasse olim illa rectius, ubi plus otii supperet, explicari poterunt. Quinque autem partibus opus suum absolvit Justus Lipsius, *Delectum*, *Ordinem*, *Arma*, *Aciem*, ac *Disciplinam* singillatim describens, cujus vestigiis insistens in totidem Capita hunc Dissertationis meæ Librum III. dispescam, & quæ ex Veterum monumentis ad eam rem pertinentia hauriri possunt, eodem ordine literis consignabo.

CAP. II.
DE DELECTU.

De Delectu itaque primum dicturus non adeo multa apud antiquos, quæ huc referri debeant invenio. Non male autem facturus videor, si quotquot sub Regibus Macedonum militaverunt, tam equites, tam pedites, in tres Classes distribuero: Macedonum, Sociorum, ac Mercenariorum. Confirmat hoc expressis verbis Diodorus Siculus *lib.* XVII. cum de Alexandri exercitu, (nam ex hujus, ut clarissimi omnium Regis rebus gestis adducenda pleraque sunt, quamvis & Philippi Perseique ultimorum Regum exercitus Livius XLII. 51. & alibi, describat) disserit: *Copias quæ secum transmiserant diligenter recognovit* (Alexander) *invenitque peditum Macedonum* 13000. *auxiliorum* 7000. *mercenariorum* 5000. *His omnibus præerat Parmenio*. Post hæc Sagittariorum quoque ac velitum, ut & postea equitum leviter armatorum numerum recenset *Bibliothecæ* Autor. Cœterum de equitibus ita pergit: Ἱππεῖς δ' ὑπῆρχον Μακεδόνες μὲν χίλιοι καὶ ὀκτακόσιοι, Φιλώτα τοῦ Παρμενίωνος ἡγουμένου. Θετταλοὶ δὲ χίλιοι καὶ ὀκτακόσιοι, ὧν ἡγεῖτο Κάλλας ὁ Ἁρπάλου· τῶν δὲ ἄλλων Ἑλλήνων πάντες ἑξακόσιοι, ὧν ἡγεῖτο Ἐρίγυιος, Θρᾷκες δὲ καὶ πρόδρομοι καὶ Παίονες ἐνακόσιοι, Κάσσανδρον ἔχοντες ἡγεμόνα, &c. Veruntamen Macedones quod attinet, certum est eos non mercede, sed sponte sua Regibus militasse, unde apud Q. Curtium III. 10. 4. Alexander Macedonas suos, *non ipsius magis quam suo ductu profectos* allocutus dicitur. Et qua ratione toties missionem & a militia vacationem flagitare potuissent, si mercede fuissent obstricti? Aut cur nullus autorum mercedis ipsis datæ meminisset, aut cur a mercenariis tam solerter distinguerentur? Et potuisse cogi Macedones, si in bellum ire detrectarent, e Curtio IV. 6. 30. liquet. *Alexander Ægyptum adire festinans*, *Amyntam cum decem triremibus in Macedoniam ad inquisitionem novorum militum misit*. Atque ille deinceps *ab Antipatro Macedonum peditum* 6000. *adduxit*: 500. *præterea ejusdem generis equites*, &c. apud eundem V. 1. 40. Capitis postea accusatus cum caussam diceret pro exercitu, inter alia ita Alexandrum alloquitur, apud eundem VII. 1. 37. seq. *Meministi*, *cum me ad perducendos ex Macedonia milites mitteres*, *dixisse te*, *multos integros juvenes in domo tuæ matris abscondi*. *Præcepisti igitur mihi*,

mibi, ne quem præter te intuerer; sed detrectantes militiam perducerem ad te. Quod equidem feci, & liberius, quam expediebat mibi, executus sum imperium tuum, &c. *Sex millia Macedonum peditum, &* DC. *equites adduxi, quorum pars secutura me non erat, si militiam detrectantibus indulgere voluissem*, Curt. v. 1. 42. Ex quibus luce meridiana clarius, etiam principum Macedoniæ liberos, (eorum enim L. tunc adduxerat Amyntas) vel invitos ad castra pertrahi potuisse. Nec vero juvenes tantum, & qui uxoribus liberisque carerent, sed & veteranos ac quibus jam parvus in aula luderet filius conscriptos fuisse Arrianus cum Justino docet. Ita enim ille, *l.* 1. p. 68. *Cum ex Macedonibus qui secum militabant, nonnulli paulo ante expeditionem uxores duxissent, etiam horum res Alexander minime negligendas existimavit. Itaque iis ex Caria dimissis, hybernandi in Macedonia cum uxoribus potestatem fecit*. Deinde etiam *militibus suis permisit, si quarum captivarum consuetudine tenerentur, ducere uxores: existimans minorem in patriam reditus cupiditatem futuram, habentibus in castris imaginem quandam larium ac domesticæ sedis*, Just. xii. 4. 2. 3 Et illudit apud Curtium x. 2. 28. hac inter alia voce Alexander militibus reditum in patriam flagitantibus: *Læti vos excipient parentes, liberique, sine vestro rege redeuntes! obviam ibunt desertoribus transfugisque!* Hæc de Macedonibus. Socii fuere Græci, Peloponnenses, inter equites Thessali potissimum, tum & ex aliis gentibus, Agrianis, Pæonibus, &c quales in exercitu suo Perses quoque habuit, Livius xlii. 51. De Thessalis res extra dubium, neque enim ut Macedones Regibus subjecti erant (& supra vidimus Thessaliam Macedoniæ non annumerandam esse, eo quod tantum sociæ Thessalorum urbes, Macedonum fuerint) sed Philippum ejusque filium Alexandrum duces duntaxat non reges gentis suæ creaverunt, Justinus viii. 2. 1. & xi. 3. 1. Et, ut alia loca taceam, expresse de iis Arrianus *lib.* 1. p. 69. *Parmenionem Sardes misit, data huic amicorum equitum præfectura, utque Thessalos equites aliosque auxiliarios ducat*. Græcos quod attinet atque Peloponnenses, licet multi eorum mercede fuerint conducti, tamen nec pauci absque stipendio Alexandro militaverunt, nempe communi Græcorum decreto ad bellum Persicum duce Alexandro missi, ut veteres injurias, quibus ipsos olim Persæ provocaverant, ulciscerentur. Hinc illud est Alexandri apud Arrianum *l.* 1. p. 96. cum ductoribus copiarum suarum prælium ad Issum & ut præsenti animo essent persuasurus, inter alias hac quoque utitur ratione: *Græcos qui in utraque acie* (Darii nempe atque sua) *essent, non iisdem conditionibus pugnaturos. Qui enim a Darii partibus essent, mercede eaque exigua conductos pugnare: eos qui a Macedonibus essent, pro Græcia sponte sua adductos dimicare*. Nempe in concilio Græcorum quod Corinthum Alexander coegerat, cum petiisset ab iis uti imperator exercitus adversus Persas crearetur, quod quidem Philippo antea concesserant, tradit Arr. *l.* 1. p. 3. *id ab omnibus impetratum, exceptis Lacedæmoniis. Respondisse enim Lacedæmonios, se eam consuetudinem a majoribus non accepisse, ut alios sectarentur, sed ipsi aliis præirent*. Huc pertinet quod Curtius ait iii. 1. 20. *ex fœdere* (nempe Corinthi inito) *naves sociis* (intellige Atheniensibus, aliisque Græcis, qui mari pollebant) *imperatas, quæ Hellesponto præsiderent*. Peloponnensium quidem cum aliis sociis expressa quoque fit mentio, apud Arr. l. 1. p. 51. *Calan autem & Alexandrum Aeropi filium in Memnonis provinciam mittit*, (nempe Alexander Rex) *qui Peloponnenses ac reliquorum Sociorum plerosque ducant, exceptis Argivis. Hi enim Sardibus præsidio arcis relicti erant*. Cœterum inter Socios

A Agrianos quoque refero, perpetuos illos atque fidos Macedonicorum regum, Alexandri inprimis, comites. Hic Rex *ingens periculum in medio hærens adisset, ni equites Agriani calcaribus subditis circumfusos ei Barbaros adorti essent, aversosque cædendo in se obverti coegissent*, Curt. iv. 15. 21. *Langarus Agrianorum Rex, dum Philippus adhuc in vivis esset, Alexandro charus fuerat, & privatim ad eum legatos miserat, ac tunc temporis cum lectissimis optimeque armatis scutatis militibus ei aderat*. Arrianus *l.* 1. p. 21. At vero hunc Regem cui sororem suam Cynam, ubi Pellam reversus esset, uxorem se daturum spopondit, cum suis copiis mercede stipen- B dia apud Alexandrum meruisse vero plane simile non est, Arrianus *l. c.* Et ipsi Agriani apud Curtium a mercenariis non uno loco distinguuntur, vide v. 3. 3. & 6. Sed inter auxiliarios & Balacri erant. *Philacus Balacros regebat, in societatem nuper ascitos*, idem iv. 13. 28. Retulimus paulo ante multos Græcorum ex civitatum suarum decreto Alexandrum in bellum Persicum secutos fuisse: pauca nunc addemus de iis qui mercede conducti militabant. *Inter hæc Alexander* (ita tertium suum librum de rebus Alexandri Curtius orditur) *ad conducendum ex Peloponneso militem Cleandrum cum pe-* C *cunia misit*. Quem deinde idem Alexandro Tyrum obsidente cum Græcis militibus in Asiam advectum refert, iv. 3. 11. De eodem Arrianus *l.* ii. p. 135. 136. *Undecim dierum spatio Sidonem reversus est Alexander, ubi Cleandrum Polemocratis filium ex Peloponneso venientem, & cum eo Græcorum mercenariorum* 4000. *deprehendit. Ex Peloponneso mercenarius miles ad* 4000. *advenerat, cum* 380. *equitibus*, Curt. v. 1. 41. & Arr. *l.* iii. p. 163. Καὶ στρατιὰ παραγίνεται, παρὰ μὲν Ἀντιπάτρου μισθοφόροι Ἕλληνες ἐς τετρακοσίους, &c. Idem Arrianus de Græcis qui se Alexandro dediderant, *l.* iii. p. 220 Τοὺς δ' ἄλλους ξυστρατεύεσθαι οἱ ἐπὶ μισθῷ τῷ αὐτῷ ἐκέλευσε. *Cæ-* D *teros* (videlicet Græcos qui non ante societatem a Græcis cum Macedonibus initam apud Persas meruerant) *secum eadem mercede, qua sub Dario meruerant, militare jussit*. Græcis vero mercenariis & nonnullis Macedonibus qui bello inepti erant, Alexandria ad Tanaim habitanda data, Arr. iv p. 245. Et erant mercenarii tum pedites, tum equites. Alexand. *mercenarium equitem ex Pæonia præcedere* jussit, Curt. iv. 12. 22. Quin etiam barbaris militibus mercede conductis usus est Alexander. Meneti & Apollodoro, quos Babyloniæ prætores reliquerat, mille talenta dedit, *& utrique præcepit, ut in supplementum milites legerent*, Id. v. 1. 43. Quo pro- E culdubio illud Arr. *l.* iii. p. 174. pertinet, quando τῶν μισθοφόρων ξένων τοὺς ἡγεμόνας memorat, nempe ut a Græcis mercenariis eos distingueret. Veruntamen de Macedonibus, sociis mercenariisque eorum, satis superque dictum esse existimo. Cœterum inquirenti, qua ratione copiarum Duces atque Præfecti instituti, porque turmas aut cohortes distributi fuerint, illud Curtii v. 2. 2. 3. occurrit, in hunc modum disserentis: *Ne desides otio milites demitterent animos, judices dedit Alexander præmiaque proposuit de virtute militari certantibus. Novem, qui fortissimi judicati essent, singulis militum millibus præ-* F *futuri erant. Chiliarchas vocabant; tum primum in hunc numerum copiis distributis: namque antea quingenariæ cohortes erant, nec fortitudinis præmia gesserant*. Ex quibus liquet, tum cohortes ex quingentis tantum militibus constitisse, (nam vocem *quinquagenariæ*, haud immerito rejicit Freinshemius, in *Notis ad h. l.*) tum præfectos cohortium constitutos, non ut quisque fortissimus esset, nec semper virtutis, sed fortasse generis, aut divitiarum, atque apud Regem gratiæ respectum habitum fuisse. De eo quod de equitum præfectis mox

Curtius *vers.* VI. subjungit, inferius forte dicendi locus erit. Unum hic de Equis addo, quos reddidere Thessali cum dimitterentur, & qui a Ducibus, iis qui amisissent suos, dari solebant. Arr. *l.* III. p. 206. *Alexander ubi Ecbatana venit, Thessalos equites aliosque socios in maritimam oram remisit, præter integrum stipendium* 2000. *talentum militibus donans.* Et paulo post: *Eos vero per Epocillum Polyeidis filium ad mare deduci jussit, alio equitum præsidio adjuncto. Thessali enim equos ibi reddiderunt.* Nempe non suis sumtibus equos coemerant, sed suis amissis a ducibus alios acceperant, quare æquum ut militiam relinquentes ipsos redderent. At audiamus hac de re Curtium, VII. I. 15. Amyntæ inter alia crimina objiciebatur, *quod, cum Antiphanes scriba equitum ei denunciasset, pridie quam Philotæ scelus deprehensum esset, ut ex suis equis more solito daret iis, qui amisissent suos; superbe responderit, nisi incepto desisteret, brevi sciturum quis ipse esset.* Mos itaque obtinuerat, ut equos inter milites copiarum duces, veluti qui plures alere consuevissent, distribuerent, & quidem proprios, non forte eos quos ipsi a Rege hunc in finem accepissent; quod ex Amyntæ dicto clarum est, cum ille ait, *vers.* 33. *Melior est causa suum non tradentis, quam poscentis alienum.* Volebat autem Antiphanes ex eo, quod equos non tradidisset Amyntas, elicere, quasi ille cum Philota conspirasset, jamque officia Regi debita negare cœpisset, quam criminationem ut dilueret Amyntas ita apud Curtium pergit, *vers.* 34. *Cæterum, Rex, equos decem habui, e quis Antiphanes octo jam distribuerat iis, qui amiserant suos. Omnino duos ipse habebam: quos cum vellet abducere homo superbissimus, certe iniquissimus, nisi pedes militare vellem, retinere cogebar.* An autem pretio aliquo hic Scriba equitum ab Amynta cœterisque ducibus equos redemerit ex Curtio colligi nequit. Quanquam factum id esse vero est simile. Huc facit & illud quod apud Arrianum *l.* VI. p. 426. legere licet, Milites cum frumentum ipsos deficeret, concursu facto equis plerisque trucidatis, æstu atque labore defecisse, vel siti extinctos esse dixisse. Neque Alexandrum factum ignorasse, sed præsentis rerum status remedium potius in simulatione ignorationis, quam facti abs se cogniti permissione consistere judicasse. Ne scil. videretur connivere, ut equos, quos ipse illis tradiderat, aut, si hos amisissent, per Scribas suos a ducibus redimi ipsisque dari curaverat, adeo impune trucidarent occiderentque. Tantum de Delectu.

CAP. III.

DE ORDINE.

PEDITES Macedonum quod attinet trium illos generum fuisse dubium non est. Levem videl. & Gravem armaturam, atque inter has medii quosdam generis Peltastas sive Cetratos. Ita quidem Leo Imperator in *Tacticis* cap. 6. περὶ ὁπλίσεως καβαλλαρικῶν καὶ πεζικῶν, ex Æliano scriptum reliquit, apud antiquos pedites divisos fuisse. Et conveniunt cum his cuncta quæ Curtius & Arrianus de Macedonum militia habent. Nimirum ὁπλῖται Arriani illi sunt, quos Curtius armatos, aut graviter armatos appellat, VII. 9. 3. & 20 &c. Atque ex his spissa illa & inexpugnabilis Phalanx Macedonica conficiebatur. Cetrati sive Peltastæ Livii XXXI. 36. pr. videntur esse Arriani ὑπασπισαὶ, quos ille non semel ab ὁπλίταις & Phalange distinguit, interdum tamen eosdem cum ipsis facere videtur, *l.* I. p. 22. Fortasse quod non secus atque ὁπλῖται aspide illa Macedonica, unde & nomen iis impositum, uterentur, eo distincti, quod reliquis justis armis (puta gravioribus) quibus Statarii illi milites, (ita enim ὁπλίτας Vulcanius vertit apud Arr. *l.* I. p. 5. pr.) instructi erant. Atque ὑπασπισὰς non fuisse graviter armatos ex illo Arriani evidentissimum *l.* I. p. 88. *Alexander ut Pylas valido præsidio insessas vidit, Parmenionem ibi cum cohortibus peditum, qui gravioris armaturæ erant, reliquit. Ipse sub primam noctis vigiliam sumtis secum Scutatis, & Sagittariis, atque Agrianis, noctu ad Pylas movit, ut ex improviso præsidium invaderet.* Notandum autem & Agrianos ὑπασπισὰς fuisse. Idem *l.* I. p. 12. Λάγγαρος ὁ τῶν Αγριανῶν βασιλεὺς τότε παρῆν Αλεξάνδρῳ μετὰ τῶν ὑπασπισῶν, ὅσους τε καλλίστους καὶ εὐοπλοτάτους εἶχε. *Langarus Agrianorum Rex tum temporis cum lectissimis optimeque armatis Scutatis militibus Alexandro aderat.* Arrianus *l.* II. p. 99. describens quemadmodum acies ab Alexandro in Ciliciæ faucibus instructa fuerit, inter alia ista habet: *In dextro cornu montem versus peditum agema locat, & scutatos, quibus præerat Nicanor Parmenionis filius. Proximum his, Cœni; mox Perdiccæ agmen. Hos quidem ad medios usque gravis armaturæ ordines, ipse dextro cornui præfuturus, statuerat.* Quis non videt a gravi armatura, (qui ὁπλῖται sunt) distingui hic τοὺς ὑπασπισάς? Ad leviter armatos transeo. Erant hi Thraces plerumque, Cretenses, Sagittarii, Funditores, & qui tormenta intendebant. Alexander *Thraces leviter armatos præcedere jussit, scrutarique calles, ne occultus hostis in subeuntes irrumperet. Sagittariorum quoque manus occupaverat jugum,* Curtius III. 4. 13. Et *ibidem* 9. 9. *Ante aciem posuerat funditorum manum, sagittariis admixtis. Traces quoque & Cretenses ante agmen ibant, & ipsi leviter armati.* (Scil. instar funditorum & sagittariorum.) Erant quoque Μακεδόνες τοξόται. Τῶν τοξοτῶν τοὺς κουφοτάτους Arr. habet *l.* III. p. 186. & 202. Alios itaque aliis levius armatos fuisse credibile est. Ita illi in petram Arimazis evasuri, *alimentis in biduum sumtis, gladiis modo atque hastis armati subire cœperunt,* Curt. VII. 11. 14. Quin apud Arrianum *l.* I. p. 7. γυμνοὶ τοξόται sunt. & p. 8. fin. Alexander dicitur τὰς ναῦς ἐμπλήσας τοξοτῶν τε καὶ ὁπλιτῶν. Ubi ab armatis sagittarii distinguuntur. Ita & apud Curtium VII. 9, 8. *Qui tormenta intenderent, & ab utroque latere & a fronte circumdati armatis.* (Ipsi videlicet inermes.) Livius XXXI. 35. de iisdem leviter armatis in hunc modum: *Non par erat pedes concursator & vagus, & prope seminudus genere armorum veliti Romano, parmam gladiumque habenti; pariterque & ad se tuendum, & ad hostem petendum armato.* Gladium ex his Macedonum leviter armatos habuisse colligo quo hostem læderent, clypeum nullum quo se tuerentur. Imo adeo leves erant, ut Alexander, cum ratibus equitem phalangemque transportaret, super utribus nare levius armatos jusserit, Curt. VII. 8, 6. At de Peditibus satis. Videamus Equites. De his quidem Leo, in *Tact.* l.c. Παρὰ τοῖς ἀρχαίοις τὴν ἱππικὴν τάξιν εἰς δύο φορὰς ὁπλίσεως ἐποίουν οἱ στρατηγοὶ, μίαν μὲν κατάφρακτον λεγομένην καὶ ἑτέραν οὐ κατάφρακτον. *Apud antiquos equestrem aciem duabus diversis armaturis muniebant: alteram autem cataphractam, id est, loricatam appellabant, alteram vero non loricatam.* Cataphractorum equitum in exercitu Antiochi mentionem facit, Liv. XXXVII. 42. nec dubium est, illud robur Thessal. pariter atque Macedonum equitum, in Alexandri exercitu armis munitum optime fuisse. Et inter graviorem armaturam ab Arriano Thessali equites referuntur, ubi ille in hunc modum *lib.* III. p. 201. Ἐκ δὲ τούτου τὰ μὲν σκευοφόρα, καὶ τοὺς Θετταλοὺς ἱππέας, καὶ τοὺς ξυμμάχους, καὶ τοὺς μισθοφόρους τοὺς ξένους, καὶ ὅσοι ἄλλοι τοῦ στρατεύματος βαρύτερον ὡπλισμένοι, &c. *Posthac*

Alexander sarcinas & impedimenta, Thessalosque equites, ac socios, & mercenarios exteros, reliquumque exercitum gravioris armaturæ cum Parmenione mittit. Ipse vero Rex cum aliis, *προδρόμους ἱππέας*, *equites antecursores*, Agrianos atque Sagittarios secum sumsit. Videlicet eos, qui non adeo graviter & cataphractorum in modum armati essent. Cœterum illorum levius armatorum equitum apud Macedonas non exiguus erat numerus, & illuc referendi, quos modo dixi *πρόδρομοι ἱππεῖς*, item *ἱπποτοξόται*, qui Curtio V. 4. 14. sunt Sagittarii equites, & *ἱππακοντισαὶ*, seu *Jaculatores equites*, Arr. *l.* IV. p. 247. Illam Εταίρων ἵππον, ut & τοὺς Πεζεταίρους quod attinet, de iis Libro primo pluribus jam egi, neque opus esse censeo ea hic repetere. Quare nunc, quod ad varia militum genera spectat, hæc, quæ attuli, dixisse sufficiat. Quamvis illud paucis addendum de equitibus, quos *Dimachas* Curtius appellatos refert, V. 13. 8. *Hi dorso graviora arma portabant, ceterum equis vehebantur; cum res locusque posceret, pedestris acies erat.* Alexandri hoc inventum. Locum Julii Pollucis hac de re adduxit in *Notis ad Curt. l. c.* Freinshemius. Iidem *ἀμίπποι* dicti, quasi Pedites simul & Equites.

Copias Macedonum non adeo accurate in Cohortes, Manipulosque, saltem in acie, divisas fuisse, ceu apud Romanos fieri consuevit, vel ex illo Livii *l.* VIII. 8. clarum est, ubi is horum adversus Latinos instructam aciem describit, ordinesque in utroque populo plane eosdem fuisse docet. *Quod antea, ait, Phalanges similes Macedonicis, hoc postea manipulatim structa acies cœpit esse.* Ad hunc locum videndus Lipsius *de Milit. Rom.* l. II. dial. III. ubi notat in Macedonum phalange discrimina sua & sectiones usque ad Centurias, Decuriasque; sed in acie juncta omnia & devincta fuisse. Curtius post Babylonem captam ab Alexandro exercitum in Chiliarchias distinctum refert V. 2. 3. cum antea *quingenariæ* (ita certe rectius, quam *quinquagenariæ*) fuissent. *Novem, qui fortissimi judicati essent, singulis militum millibus præfuturi erant, Chiliarchas vocabant; tum primum in hunc numerum copiis distributis: namque antea quingenariæ cohortes erant.* Quamvis Arrianus jam in Halicarnassi obsidione Addæum *Chiliarcham* cecidisse memoriæ prodat, *lib.* I. p. 65. Ut adeo juxta eum dudum ante millenariæ apud Macedonas cohortes extitissent. De Equitibus Arrianus *l.* III. p. 198. Κατέστησε καὶ λόχους δύο ἐν ἑκάστῃ, οὐ πρόσθεν ὄντας λόχους ἱππικούς. Alexander *duas in singulis alias turmas constituit, cum antea equestres turmæ nullæ fuissent.* Colligo hinc λόχους tamen ante hæc πεζικοὺς fuisse. Hic Raderus *ἴλην turmam*, λόχον vero *decuriam* significare putat, & λοχαγὸν *decurionem*. Verum, bene monente Freinshemio in *Not. ad Curt.* V. 2. 6. *Frustra sumus si Græcis nominibus æquipollentia apud Romanos quærimus: cum ipsæ res variaverint.* Hac enim ratione ἴλη viginti tantum hominum fuisset, nec adeo multum honorasset amicos Alexander, si quemque eorum decem equitibus præposuisset. Ita enim pergit Arrianus; Καὶ λοχαγοὺς ἐπέστησε τοὺς κατ' ἀρετὴν προκριθέντας ἐκ τῶν ἑταίρων. *Turmarum ductores ex amicis eos qui virtute bellica præstitissent delegit.* Alarum equestrium Curtius aliquoties mentionem facit. Ita III. 11. 2. 14. *Duabus alis equitum ad jugum montis jussis subsistere, cœteros in medium belli discrimen transfert.* Et: *Persæ Thessalos equites vehementer urgebant, jamque una ala ipso impetu proculcata erat.* In pugna ad Arbela, *Mazæus cum omni suorum equitatu vehementer invectus urgebat Macedonum alas*; idem IV. 16. 1. Aliquando Ala apud eundem V. 4. 21. Amicorum illum equitatum notat. *Ipse* (scil. Alexander) *cum armigeris & ala, quam Agema appellant, multa cum vexatione processit.* Qui tamen Equitatus alias in plures ἴλας atque τάξεις ab Arriano distribuitur. Qua de re Libro primo cap. XXIII. plura. Equitum Sacras alas Livius habet, *l.* XLII. *cap.* 58.

Cœterum per gentes antiquitus solebant distribui apud Macedonum Reges copiæ, & cuique genti suæ nationis duces præfici. Cum vero *in disciplina militaris rei* Alexander *pleraque a majoribus tradita utiliter mutaret*, hunc quoque morem abolevit, ut refert Curt. V. 2. 6. *Nam cum ante equites in suam quisque gentem describerentur seorsum a cœteris; exemto nationum discrimine, præfectis, non utique suarum gentium, sed delectis attribuit.* Eandem apud pedites consuetudinem Arrianus fuisse perhibet *l.* III. p. 198. Τοὺς μὲν ἱππέας ἐς τὴν ἵππον ἑταιρικὴν κατέταξεν Ἀλέξανδρος, τοὺς πεζοὺς δὲ προσέθηκε ταῖς τάξεσι ταῖς ἄλλαις κατὰ ἔθνη ἑκάστους συντάξας. *Equites quidem Alexander ad amicorum equitatum conjunxit: pedites vero in suæ quosque gentis ordines distribuit.* Cumque adeo certis cohortibus atque turmis certi præfecti essent duces, factum est ut illæ copiæ a ducibus suis nomina nanciscerentur. Hinc invenias passim jam ὁπλίτας ἐκ τῆς Περδίκκου τάξεως jam Ptolem. τήν τε Ἀδδαίου καὶ Τιμάνδρου ἅμα οἳ τάξιν ἄγοντα, Arr. *l.* I. p. 61. & 65. & *l.* III. p. 219. nunc Amyntæ, nunc Cœni agmina; nunc etiam Meleagri alam. *Dextrum cornu Nicanor Parmenionis filius tuebatur: huic proximi stabant Cœnus, & Perdiccas, & Meleager, & Ptolemæus, & Amyntas, sui quisque agminis duces*, Curt. IV. 13. 27. & III. 9. 7. Cœterum qua ratione hi Copiarum duces a se invicem distincti, aut quot quisque militibus præfectus fuerit, quot etiam homines cohortem, aut alam, aut turmam, quot τάξιν, καὶ ἴλην, καὶ λόχον constituerint, cum ea de re nihil adhuc exacte definitum mihi reperire licuerit, nihil quoque temere affirmaverim. Siquidem varie admodum Ducum nomina a Curtio atque Arriano referuntur. Illum quidem de Chiliarchis supra audivimus; Et quos alias idem Præfectos appellat, eosdem VI. 6.7. vocat Principes militum, atque ab Amicis Equitibusque, videlicet iis, qui Agema constituebant, discernit. Hujus unum alterumve adducemus locum cum versione Bonaventuræ Vulcanii a Nicolao Blancardo emendata, ex quibus de discrimine Ducum aliquo modo judicare queas, *l.* II. p. 95. Ὁ δὲ συγκαλέσας στρατηγούς τε καὶ ἰλάρχας, καὶ τῶν ξυμμάχων τοὺς ἡγεμόνας. Alexander *convocat cohortium turmarumque ductores, & Auxiliariorum Præfectos.* Item pag. 127. Αὐτὸς δὲ ξυναγαγὼν τούς τε ἑταίρους καὶ τοὺς ἡγεμόνας τῆς στρατιᾶς, καὶ ταξιάρχους καὶ ἰλάρχας, ἔλεξεν ὧδε. Rex *convocatis amicis & principibus exercitus & cohortium turmarumque præfectis, ita eos allocutus est.* Atque *l.* III. p. 174. ξυγκαλέσας αὐτούς τε τοὺς ἑταίρους, καὶ στρατηγοὺς, καὶ ἰλάρχας, καὶ τῶν ξυμμάχων τε καὶ τῶν μισθοφόρων ξένων τοὺς ἡγεμόνας, ἐβουλεύετο εἰ αὐτόθεν ἐπάγοι ἤδη τὴν φάλαγγα, &c. *convocatis amicis & copiarum ductoribus turmarumque præfectis, sociorum etiam ac mercenariorum exterorum ducibus, consultat an ex loco phalanx in hostem agenda esset*, &c. Ex quibus simul discas hos στρατηγοὺς, ἰλάρχας atque ἡγεμόνας in consilium quoque de rebus bellicis a Rege vocatos, sententiasque eorundem auditas fuisse. Veruntamen ipsa Imperii vis penes supremum erat Imperatorem, Regem videlicet ipsum. Is enim plerumque ipse in castris erat, ceu ex omni Macedonum historia manifestum est. Adeo quidem ut veluti domi, ita & militiæ nihil absque Regis gestum sit auspiciis. Hinc illa Curtii IV. 13. 19. seqq. *Et jam tempus instabat; nec miles injussu ducis aut arma capere poterat, aut in ordines ire.* Tum Parmenio *diu* tamen *cunctatus*, tandem, *cibum ut caperent, ipse pronunciat.* Cum hoc alias Rege ju-

A bente fieri deberet. Dein Alexandrum admonens, in hunc loquitur modum: *Multa lux est, instructam aciem hostis admovit: tuus miles adhuc inermis expectat imperium*. In prælio vero ipso, cum Persæ equites ad diripienda Macedonum impedimenta aciem circumvecti essent, Parmenio *propere Polydamanta mittit ad Regem, qui & periculum ostenderet, & quid fieri juberet, consuleret*, idem IV. 15. 6. Interdum tamen si pluribus simul in locis exercitus habendi essent, alii quoque Duces cum parte copiarum summoque in eas imperio missi. Ita *Craterus cum Parmenione magnæ exercitus parti atque impedimentis præfectus*, idem V. 6. 11. Idem VII. 9. 20. B *cum majore parte exercitus modicis itineribus sequi jussus*. Idem VI. 6. 33. Craterus cum Artacacna obsideret, *omnibus præparatis, regis expectabat adventum, captæ urbis titulo, sicut par erat, cedens*. Ita & alii, Caranus, Erigyius, Hephæstion, Cœnos cum parte copiarum atque imperio a Rege in diversas partes missi. Quare non immerito de Parmenione Curtius VII. 2. 23. *Hic exitus Parmenionis fuit militiæ domique clari viri. Multa sine Rege prospere; Rex sine illo nihil magnæ rei gesserat*. Hi vero Duces, quemadmodum & ipse Rex, non solum imperio militibus præerant, verum & ipsi manu strenui, C unius de plebe militis officiis defungi non aspernabantur. Unde de eodem Sene, Alexandri amico, Rufus: *Septuaginta natus annos, juvenis ducis, & sæpe etiam gregarii militis munia explevit. acer consilio; manu strenuus; carus principibus; vulgo militum acceptior*, idem VII. 4. 33. seqq. Cum Satibarzanes *si quis viritim dimicare vellet, provocaret ad pugnam, non tulit ferociam barbari dux exercitus Erigyius, gravis quidem ætate, sed & animi & corporis robore nulli juvenum postferendus. Is itaque galea demta caniciem ostentans; venit, inquit, dies, quo aut victoria aut morte honestissima, quales amicos & milites Alexander habeat, ostendam. Nec plura elocutus equum in* D *hostem egit*, summaque cum gloria victoriam de eo reportavit. Pari modo Alexander in pugna ad Issum *non ducis magis, quam militis munera exequebatur; optimum decus cæso Rege expetens*. Curtius III. 11. 7. Idem IV. 15. 41. *mutato equo, quippe plures fatigaverat, resistentium adversa ora fodiebat, fugientium terga*. Et ἐμβάλλει ἐς τὰς Πέρσας πρῶτος, ἵνα τὸ πᾶν στῖφος τῆς ἵππου καὶ αὐτοὶ οἱ ἡγεμόνες τῶν Περσῶν τεταγμένοι ἦσαν. *Ubi maxime confertos equites Persarumque duces videt, primus facit impetum*, Arr *l.* I. p. 42. Et quis omnia hujus Regis militaria enumeret facinora, cum ille nunquam non inter primos pugnaret, primus in rupes evaderet, pri- E mus in mœnia hostium? *Primus is inter pedites egressus in ripam, vadum militibus manu, quando vox exaudiri non poterat, ostendit*, Curt. IV. 9. 18. Neque etiam omnia ejus erga milites familiariter facta, & ut ipse illis exemplum semper præiverit, ut eo magis ad strenuam in militia ei operam navandam extimularet, recensuero, nimis enim id longum foret. Siquidem non semel equo desiliens pedibus iter fecit, imo etiam *per nivem & concretam glaciem pedes ingressus est, primusque dolabra glaciem perfringens iter sibi fecit*, idem V. 6. 14. Enimvero in eo maxime elaborabat, ut exercitui suo pariter carus ac venerandus esset. Quod etiam consecutus F est. Nam, *quæ leviora haberi solent, plerumque in re militari gratiora vulgo sunt: exercitatio corporis inter ipsos: cultus habitusque paulum a privato abhorrens*, id. III. 6. 19. De Philippo ultimo Liv. XLIV. 41. *Movebat imperii majestas, gloria viri, ante omnia ætas, quod major sexaginta annis, juvenum munia in parte præcipua laboris periculique capessebat*.

CAP. XXIV.

ARMA.

PERGIMUS ad Arma Macedonum. Aliter pedites, aliter equites armatos fuisse ex Arriano *l.* III. p. 211. colligas. *Alexander cum intelligeret non posse pedites se festinanter equitantem sequi, equites circiter quingentos equis desilire jubet, & duces peditum aliosque præstantissimos quosque ὥσπερ οἱ πεζοὶ ὡπλισμένοι ἦσαν, ita ut pedites armati erant, equos conscendere*. De leviter armatis supra notavimus eos fere nudos fuisse, puta, funditores atque sagittarios sagittis suis atque fundis, Thraces reliquosque levis armaturæ gladiis modo atque hastis armatos. Inde Curt. III. 4. 13. *Sagittariorum manus occupaverat jugum; intentos arcus habebant, moniti, non inter ipsos inire, sed prælium*. Autor *Noctium Atticarum* X 25. *Rumpiam genus teli esse Thracæ nationis*, ait: *positumque hoc vocabulum in Q. Ennii annalium quartodecimo*. De his Livius XXXI. 39. *Thracas quoque romphææ, ingentis & ipsæ longitudinis inter objectos undique ramos impediebant*. Cœterum reliqui pedites gravibus admodum armis fuere usi. *Macedones ob gravitatem armorum, imperitiamque viarum, minus audacter fugientes insecuti sunt*, Arr. *l.* I. p. 78. Fuisse quoque splendoris armorum Macedonas studiosos ex multis discimus. Ἀλέξανδρος δῆλος ἦν τῶν ὅπλων τῇ λαμπρότητι, idem *l.* VI. p. 395. Et quamvis Charidemus apud Curt. III. 2. 12. 13. *Macedonum aciem torvam atque incultam* vocet, non tam de armis intelligendus est, quam de reliquo cultu; opponit enim eam Persarum exercitui, *qui purpura auroque niteret*. Et paulo post idem *ibid.* c. 3. vers. 26. *Contra si quis aciem Macedonum intueretur, dispar acies erat*, (Persicæ videlicet) *equis virisque non auro, non discolori veste; sed ferro atque ære fulgentibus*. Quin tandem argenteis quoque armis usi. De Argyraspidibus res nota. & *Memnon arma* 25000. *auro & argento cælata pertulerat, quis distributis vetera cremari jussit* Alexander, idem IX. 3. 21. Cum ex India remearet exercitus *arma ad pristinum refecta sunt cultum*, *ibid.* 10. 23. Sed age videamus ὁπλίτην seu Phalangitem Macedonicum. Nobilis admodum est Xiphilini locus in *Caracallo*: *Comparavit* (Caracallus) *phalangem ex solis Macedonibus, in qua erant hominum sedecim millia: eamque phalangem Alexandri cognominavit. Hi utebantur eodem armorum genere, quo vivo Alexandro armati fuerant. Hæc erant: galea facta ex crudo bovis corio, thorax ex lino triplex, scutum ex ære, lancea longa, hasta brevis, crepidæ, gladius*. Audi & Curtium IX. 7. 19. Horratas Macedo (quem Diodorus & Ælianus *Corragum* vocant,) decertaturus cum Dioxippo pugile, *justa arma sumserat: æreum clypeum, hastam, quam sarissam vocant, læva tenens, dextra lanceam: gladioque cinctus, velut cum pluribus simul dimicaturus*. Per justa arma Curtium hic galeam, loricam, crepidas intelligere arbitror, quibus instructus fuerit Horratas, cum Dioxippus oleo nitens & coronatus nudus accesserit. Sed de singulis seorsim, & primum de clypeo. Certum est clypeum atque scutum diversa fuisse, cum Scutum fuerit oblongum: unde Græcis θυρεὸς vocatur: clypeus, qui Græcis ἀσπὶς, sit rotundus. Unde Maro de Polyphemi oculo, lib. III. *Æn.* vers. 637.

Argolici clypei, aut Phœbeæ lampadis instar.

Livius VIII. 8. *Clypeis antea Romani usi: deinde, postquam facti sunt stipendiarii, scuta pro clypeis fecere*. Vid. Voss. *de Vit. Serm.* lib. I. cap. 30. conf. Lips. *de Milit. Roman.* libr. III. dial. 2. Jam Macedonibus clypeos non scuta fuisse Patavinus IX. 19. nos docet: *Arma, clypeus, sarissæque illis* (Macedonibus) *Romano scutum, majus corpori tegumentum*. Aspidem Macedonicam Leo Impera-

tor describit, *Tact.* c.VI. §. 38. Ἀσπὶς Μακεδονικὴ χαλκῆ, λίαν κοίλη, ἤγουν σκυτάριον στρογγύλον μέγα, ἁπλωτέραν ἔχον τὴν κοιλότητα. τὸ δὲ μέτρον αὐτῆς σπιθαμῶν γʹ. *Aspis Macedonica ærata, non admodum concava, id est, scutum rotundum magum, simpliciorem habens cavitatem, mensuram trium spithamarum.* Et ab hac Aspide ὑπασπισταὶ nomen suum sortiti sunt. Curtius III. 2. 13. sub Charidemi persona clypeos, non scuta, Phalangi tribuit. Alexandro etiam clypeus fuit. Is enim in oppugnatione Tyri, *quosdam cominus gladio clypeoque præcipitavit*, id. IV. 4. 11. Ipseque gloriatur, se corpus patris sui jacentis *protexisse clypeo suo*. Et Clitus *apud Granicum amnem nudo capite regem dimicantem clypeo suo texit*, VIII. 1 24. & 20. Umbonis quoque fit mentio. Hortatur suos Alexander prædicans: *Vix gladio futurum opus; totam aciem* (Persarum) *suo pavore fluctuantem umbonibus posse propelli*, III. 10. 6. Milites a clypeo eidem Curtio VII. 9. 2. clypeati dicuntur. *Alexander in proris clypeatos locaverat, jussos in genua subsidere, quo tutiores essent adversus ictus sagittarum. Post hos qui tormenta intenderent, stabant.* Ex quo apparet eos non satis munitos fuisse stantes clypeorum objectu. Notandum tamen huic Scriptori clypeum interdum atque scutum idem esse. Cum enim dixisset, *ibid.* vers. 8. *Vix ullum fuit scutum* (loquitur autem de clypeatis, quorum paulo ante mentionem fecimus) *quod non pluribus simul spiculis perforaretur.* Mox *vers.* 9. subjungit: *Jamque terræ rates applicabantur, cum acies clypeata consurgit.* Et Alexander militibus seditiosis objicit, *Modo sub Philippo seminudis, lignea vasa, & ex cratibus scuta*, idem X. 2. 23. Ex quo simul discas antiquitus non æreos habuisse clypeos, sed ligneos aut ex cratibus, quos paupertas facere docuit. Fuisse etiam clypeos peditum ab equestribus distinctos. Arrianus *lib.* IV. p. 292. docet. Αὐτὸς ἀναλαβὼν τοὺς ἱππέας ξυμπάντας, καὶ τῶν πεζῶν Μακεδόνων ἐς ὀκτακοσίους ἐπιβιβάσας τῶν ἵππων ξὺν ταῖς ἀσπίσι ταῖς πεζικαῖς σπουδῇ ἦγεν. *Alexander sumto secum equitatu universo, & Macedonum peditibus* 800. *clypeos pedestres gestãtibus in equos impositis, summa celeritate contendit.* Hic vero observandum, quod Polybius discrimen inter clypeatos atque scutatos Macedonum milites faciat. Ita enim ille *lib.* IV. pag. m. 449. *Philippus acceptis tribus millibus clypeatorum, & scutatorum* 2000 *Larissa profectus est.* Suspicio mea est (suspicio tantum) ultimis Regni temporibus cum adversus Romanos quoque belligerare Macedonum Reges cœpissent, eos, uti in aliis quoque illos imitati sunt, scuta quibusdam militibus suis fecisse, unde Scutatorum nomen adepti sint. Sed adjiciendus & Livii locus satis intricatus, *lib.* XLIV. *cap.* 41. *Intervallum, quod inter cetratos & phalangem erat, implevit legio, atque aciem hostium interrupit. A tergo cetratis erat, frontem adversus clypeatos habebat: aglaspides appellabantur. Secundam legionem L. Albinus consularis ducere adversus leucaspidem phalangem jussus: ea media acies hostium fuit.* At, quinam hic cetrati? num forte ii, qui Polybio scutati? Phalangem ex clypeatis constitisse satis clarum est. Sed qui aglaspides, qui leucaspides? Si Græcæ vocis originem spectamus, illi a fulgentibus, hi ab albis clypeis nomen habent. Num forte alterutri eorum Argyraspides? Ita sane arbitror. Quamvis non satis de eo constet. Cœterum de Argyraspidibus hic nonnulla adjicienda. Hi ab Alexandro instituti. *Posthæc*, inquit Justin. XII. 7. 4. 5. *Indiam petit, ut Oceano, ultimoque Oriente finiret imperium. Cui gloriæ ut etiam exercitus ornamenta convenirent, phaleras equorum, & arma militum argento inducit; exercitumque suum ab argenteis clypeis Argyraspides appellavit.* De his Curtius VIII. 5. 4. In India *clypei militares auro & ebore fulgere dicebantur; itaque nec ubi vinceretur* (Alexander,) *cum cæteris præstaret; scutis argenteas laminas, equis frenos aureos addidit, loricas quoque alias auro, alias argento adornavit.* At idem jam in prælio Arbelitico Argyraspidum mentionem fecerat, IV. 13. 27. *Post phalangem*, ait, *Argyraspides erant. his Nicanor Parmenionis filius præerat.* Videtur Freinshemio (in *Not. ad Curt.* VIII. 5. 4.) Curtius deceptus a Diodoro, cujus sunt illa, *lib.* XVII. *Deinceps erat peditum, quos Argyraspidas vocant agmen, armorum elegantia & virtute præstantissimum: hisque imperabat Nicanor, filius Parmenionis.* Verum hi, quibus Nicanor præerat, Arriano ὑπασπισταὶ sunt, *lib.* III. p. 185. Καὶ ἐπὶ τούτῳ οἱ ἄλλοι ὑπασπισταί. ἡγεῖτο δὲ αὐτῶν Νικάνωρ ὁ Παρμενίωνος. *Et ab hoc alii Scutati, quorum Dux erat Nicanor Parmenionis filius.* Quomodo hos inter se conciliare conetur Freinshemius, vide *l.c.* Ut hac in re imitaretur Alexandrum Macedonem, Alexander Severus Rom. Imp cum in Parthos expeditionem susciperet argyroaspidas sibi & chrysoaspidas fecit, teste Lampridio, in *ejus Vita* cap. L. Tales vero argyraspides etiam Alex. M. successores retinuere. Eos qui adhuc sub Alexandro militaverant, atque post eum *omnes duces fastidiebant, sordidam militiam sub aliis, post tanti Regis memoriam existimantes, Eumenes commilitones suos periculorumque Orientalium socios appellare* non dubitavit. In Antiochi exercitu quoque Argyraspides. Cum aciem ejus Livius describit, hæc inter alia *lib.* XXXVII. 40. *Ab eadem parte paululum producto cornu regia cohors erat: Argyraspides a genere armorum appellabantur.* Subjicio hic de Alexandri sacro clypeo. *Peucestas, sacrum clypeum gestans, quem Alexander ex æde Palladis Iliacæ sumtum in omnibus præliis præ se gestari curabat*, Arrian. *lib.* VI. p. 394. Tandem & illud notandum optimas fuisse atque firmissimas illas ex ære Macedonum ἀσπίδας; quod vel ex hoc colligere licet. Alexander montem, quem Thraces Autonomi tenebant, oppugnaturus, cum videret eos in phalangem suam plaustra demissuros, quæ eam vi sua atque impetu dissipent, milites suos monuit, ut ii, qui angustiis viæ premerentur, reclinati, atque in humum flexi clypeos (ἀσπίδας) inter se accurate confererent, ut plaustra in ipsos delapsa, impetu ipso transilientia, nihil damni inferrent. Neque aliter, quam jusserat atque animo conceperat Alexander, evenit. *Divisa enim phalange, plaustra scutis devoluta parum damni intulerunt: nemo autem eorum ruina interiit*, Arrian. *lib.* I. pag. 5. edit. Blancard. Sane firmissimos durissimoque ex ære conflatos clypeos fuisse oportet, qui tantum impetum plaustrorum sustinere potuerint.

De gladiis Macedonum, non est quod multa dicamus. Ea videlicet gladiorum forma usi, qua reliqui Græci. Unde illud Curtii III. 3. 6. *Vetera quoque omina, ut fit, solicitudo revocaverat: Darium enim in principio imperii vaginam acinacis Persicam jussisse mutari in eam formam, qua Græci uterentur; protinusque Chaldæos interpretatos; imperium Persarum ad eos transiturum, quorum arma esset imitatus.* Jam quis a Macedonibus Persas subactos nescit? Gladio vero Macedones cominus rem gerebant. Alexander *quosdam cominus gladio clypeoque impulsos præcipitavit*, idem IV. 4. 11. Fuere autem tam punctim, quam cæsim, gladiis suis usi. Thessali equites *tela vibrare non poterant. ergo cominus pugnam coacti conserere, gladios impigre stringunt*, idem III. 11. 4. 5. Et paulo post, IV. 15. 31. *Duæ acies ita cohærebant, ut armis arma pulsarent; mucrones in ora dirigerent. Alexander resistentium adversa ora fodiebat, fugientium terga.* Clitus vero in prælio in campis Adrastiis commisso *Rhosacis manum capiti regis imminentem gladio amputavit*, idem VIII. 1. 20. Quod Diodorus quoque confirmat, *lib.* XVII. pag. m. 991. *Iterum eum ferire conanti Rhosaci, Clitus,*

Niger cognomento, equo accurrens, manum abscidit. Imo Arrianus *lib.* I. p. 44. Spithridatem, non vero Rhosacem, brachium totum Cliti ictu amisisse memoriæ prodit. *Jam Spithridates in Alexandrum alte a tergo gladium sustulerat, cum prior Clitus Dropidis filius humerum ejus ferit, brachiumque cum Copide ei abscindit.* Ariston præfectus Pæonum equitum Persam Satropatem *fugientem ex equo præcipitavit, & obluctanti caput gladio demsit*, Curt. IV. 9. 25. Ut adeo in desuetudinem paulatim abiisse apud Macedonas istam cæsim feriendi rationem ex illo Livii XXXI. 34. colligamus: Macedones *qui hastis sagittisque, & rara lanceis vulnera facta vidissent, cum Græcis Illyriisque pugnare assueti; posteaquam gladio Hispaniensi detruncata corpora brachiis abscissis, aut tota cervice desecta, divisa a corpore capita, patentiaque viscera, & fœditatem aliam vulnerum viderunt, adversus quæ tela, quosque viros pugnandum esset, pavidi vulgo cernebant.* In capulis gladiorum cælata quædam habuisse aut insculpta e Valerio I. 8. 9. *ext.* discas: Delphico Apollinis *oraculo Macedonum Rex Philippus admonitus, ut a quadrigæ violentia salutem suam custodiret, toto regno disjungi currus jussit, eumque locum, qui in Bœotia Quadriga vocatur, semper vitavit. Nec tamen denunciatum periculi genus effugit: nam Pausanias in capulo gladii, quo eum occidit, quadrigam habuit cælatam.* Eum Gallicum gladium fuisse, quem sub veste occultaverit Pausanias, autor est Siculus, *lib.* XVI. p. m. 962. Et hunc ipsum *gladium, quo Rex percussus est*, Olympias *Apollini sub nomine Myrtalis consecravit: hoc enim nomen ante Olympiadis parvulæ fuit*, Just. IX. 7. 13. Pugionibus quoque usos inde notum, quod Alexander, Homeri libros, cum quiesceret, una cum pugione sub cervicali reposuisse perhibetur.

Supra vidimus duabus Macedonicum militem hastis fuisse instructum, longiori una, altera breviori. Brevior Curtio, ubi Horratam armat, lancea dicitur, quam dextra ille tenuerit. Hac eminus hostes petebantur. *Macedo* (Horratas) *haud dubius eminus interfici posse, lanceam emisit; quam Dioxippus cum exigua corporis declinatione vitasset, antequam ille hastam* (sarissam) *transferret in dextram, adsiluit, & stipite mediam eam fregit*, Curt. IX. 7. 19. vers. 21. Et VII. 9. 9. *Jamque terræ rates applicabantur, cum acies clypeata consurgit, & hastas certo ictu, utpote libero nixu, mittit e ratibus.* Nam antea dixerat: *Ne tela quidem conati nixu vibrare poterant; cum prior standi sine periculo, quam hostem incessendi cura esset.* Notes autem lanceam apud Livium sarissam denotare, hastam illud telum, quod antea Curtius lanceam vocaverat. Ita enim ille XXXI. 34. Maced. *qui hastis sagittisque, & rara lanceis vulnera facta vidissent, cum Græcis Illyriisque pugnare assueti*, &c. Ex quo manifestum missilibus illis hastis non magna admodum vulnera infligi potuisse, & confirmat idem Patavinus IX. 19. ubi arma Romanorum atque Macedonum inter se confert: *Pilum haud paulo quam hasta vehementius ictu missuque telum.* Jam longior hasta sive sarissa, proprie Macedonica fuit. Atque tales sunt illæ hastæ, quas Charidemus Phalangi tribuit. Curt. III. 2. 13. *Hastæ nostræ prolongæ & validæ*, inquit Alexander, *non alias magis quam adversus belluas* (elephantos) *rectoresque earum usui esse poterunt; deturbate eos qui vehuntur, & ipsas confodite*, idem VIII. 14. 16. Indicio est valde longas fuisse sarissas, si ad elephantorum rectores pedites iis pertingere potuerunt. Et quod XVI. vel potius XIV. cubitos longa fuerit sarissa Polybius docet, *Eclog. Hist.* XVII. Τὸ δὲ τῶν σαρισσῶν μέγεθός ἐστι κατὰ τὴν μὲν ἐξ ἀρχῆς ὑπόθεσιν ἑκκαίδεκα πηχῶν, κατὰ δὲ τὴν ἁρμογὴν τὴν πρὸς τὴν ἀλήθειαν δεκατεσσάρων, &c. *Sarissæ longitudo secundum primum institutum cubitorum est sedecim, at secundum veram congruentiam quatuordecim, quorum* IV. *spatium aufert, quod est inter utramque manum, quodque in protensione æquipondium aliquod confert; inde liquet, necessario pro corporibus singulorum decem cubitis prominere.* Leo Imper. *Tact.* cap. V. memoriæ prodit: Ἦσαν δέ ποτε Ῥωμαίοις καὶ Μακεδόσι κοντάρια ἄχρι πηχῶν ιϛʹ. ἅπερ ἡ νῦν χρεία οὐκ ἀπαιτεῖ. τὸ γὰρ κατὰ τὴν ἑκάστου τῶν μεταχειριζομένων δύναμιν ὅπλον σύμμετρόν τε καὶ χρήσιμον. *Erant Romanis & Macedonibus hastæ* XVI. *cubitorum longitudine, quas nunc usus noster non requirit, sed singula jam pro utentis viribus ac robore arma atque idonea fiunt.* Idem sequenti capite: αἱ σαρίσσαι ἦσαν κοντάρια μακρὰ ἕως πηχῶν ιδ. καὶ ἄχρι πηχῶν ιϛʹ. *Sarissæ hastæ erant longæ interdum cubitos* XIV. *interdum* XVI.

Galea nunc superest, atque Lorica. Galeam factam fuisse ex crudo bovis corio Xiphilinus autor est. Utebantur autem galea non gregarii modo milites, sed duces etiam, atque Rex ipse. Unde Cœnus detrahit galeam capiti. *Seniores demtis galeis, quo facilius nosci possent*, &c. Curt. IX. 3. 4. & X. 7. 18. Diod. *lib.* XVII. Galea Alexandri cedente ictus leviter ad vivum pervenit. Philippus Demetrii filius *expeditione ea, qua cum populatoribus agri ad Sicyonem pugnavit, in arborem illatus impetu equi ad eminentem ramum, cornu alterum galeæ perfregit. id inventum ab Ætolo, perlatumque in Ætoliam ad Scerdilædum, cui notum erat insigne galeæ, famam interfecti Regis vulgavit*, Livius XXVII. 33. Cornua quorum hic Livius meminit pinnas esse credibile est, quarum unam in prælio ad Granicum a galea Alexandri ictu barbari avulsam fuisse Plutarchus in literas retulit.

Lorica ex lino triplex fuit. Curt. VII. 9. 3. *Remigem lorica indutum, scutorum testudine armati protegebant.* Alexander *loricam, quam raro induebat, amicis orantibus sumsit. per quam* postea *sagitta adacta est; omnibus territis, quia nunquam tam alte penetrasse telum, lorica obstante, cognoverant*, idem IV. 6. 14. vers. 17. 18. Ex quo bonitatem loricæ colligas. *Philippus lorica indutus & arma gestans, per* 500. *stadia pedes, equo vectum Regem comitatus est*, idem VIII. 2. 36. C. Caligula *interdum Magni Alexandri thoracem repetitum e conditorio ejus gestavit*, Suet. in *Calig.* cap. LII. Denique κρηπῖδες erant calceorum genus, quos Julius Pollux *lib.* VII. *cap.* XXII. φόρημα στρατιωτικόν, *habitum militarem* esse dicit. Tales crepidas quoque Antoninus, cum in reliquis imitaretur Macedonas, induit, Herod. IV. 8. 5. Et Hectorem Parmenionis filium *adstricti crepidis pedes natare probibuerunt*, Curtius IV. 8. 8.

Equites, licet non eodem, quo pedites, modo armati fuere, plerique tamen iisdem armis utebantur. Clypeos equitibus alios (minores credo) quam peditibus fuisse ex Arriano supra audivimus. *Galeam Erigyius* (eques autem pugnabat) *demsit, canitiem ostentans.* Thoracem Alexander equo dimicans in prælio ad Granicum habebat duobus in locis perforatum, Diod. *lib.* XVII. Ἀκοντισμὸς, hastarum jactus equitibus tribuitur ab Arriano I. p. 7. Alexand. ξυντρίβεται τὸ δόρυ ἐν τῇ μάχῃ, *hasta in conflictu frangitur*, idem *ib.* p. 43. Et sarissa equitibus fuit. Erigyius *infestam sarissam equo calcaribus concito in medio barbari gutture ita fixit, ut per cervicem emineret*, Curt. VII. 4. 36. Ἱππέας σαρισσοφόρους Arrianus habet *lib.* I. p. 37. & Curtius IV. 15. 13. Alexander *Areten, ducem hastatorum quos Sarissophoros vocabant, adversus Scythas mittit.* Hos autem Sarissophoros, equites fuisse, ex antecedentibus discas. In pugna ad Granicum equites Macedones ξυστοῖς κρανεΐνοις πρὸς παλτὰ ἐμάχοντο, *jaculis corneis adversus tragulas Persarum usi sunt*, Arrianus *lib.* I. p. 43.

CAP. V.

ACIES.

NUNC oculis nostris Macedonica se sistit acies, (in qua pedites medium plerumque locum obtinebant, in dextro sinistroque cornu equites erant) atque in primis decantata illa apud veteres Scriptores Phalanx. Et cui non dicta, cui non audita Phalanx? Ante omnia vero illud observandum, Phalangem non semper pro quadrata illa acie sumi, sed interdum quoque pro quolibet agmine graviter armatorum. Quod multis ex Arriano exemplis demonstrare liceret, si id nunc ageremus. Hinc enim apud illum *lib.* I. p. 39. & 40. alia Perdiccæ Phalanx est, alia Crateri, alia Meleagri, &c. Quid quod & de Persarum equitatu idem *pag.* 41. Phalangis vocem usurpat. Ετάχθησαν τ̀ μὲν ἵππον παρατείναντες τῷ ποταμῷ, κτ̀ τ̀ ὄχθην ἐπὶ φάλαγγα μακράν. *Equitatum* (Persæ) *in ripa fluminis in longam phalangem exporrexerant*. De media Persarum acie *lib.* III. pag. 179. 180. Αὕτη μὲν ἡ τοῦ εὐωνύμου κέρως, ἔστε ἐπὶ τὸ μέσον τ̀ πάσης φάλαγγος, τάξις ἦν. *Et hic quidem sinistri cornu ordo erat usque ad medium totius phalangis*. Ac paulo post *pag.* 190. οὗτοι μὲν ἔστε ἐπὶ τὸ μέσον τῆς πάσης φάλαγγος. Nobis quidem, omissis aliis, de ea Phalange sermo est, quam institutam a Philippo atque Alexandro Regibus fuisse Appianus ait, & cujus inventionem Diodorus Siculus expressis verbis Philippo Amyntæ filio adscribit *lib.* XVI. princ. *Excogitavit præterea* (Philippus) *ordinem illum junctissimum phalangis, quæ Macedonum peculiaris fuit, sumto exemplo Heroum, qui clypeos clypeis conjungebant in bello Trojano*. Hæc fuit illa vallo similis acies, qua nihil apud Macedonas validius, quam non immerito Macedonici exercitus robur esse Darius conjectavit, quam Charidemus torvam atque incultam, clypeis hastisque immobiles cuneos & conferta virorum robora tegentem describit, subjungens: *Ipsi* (Macedones) *phalangem vocant peditum stabile agmen. Vir viro, armis arma conserta sunt*, ἡ φάλαγξ ἡ Μακεδονικὴ πυκνὴ κ̀ ταῖς σαρίσαις πεφρικυῖα, *Macedonum phalanx conferta ac sarissis horrida*, Arrian. *l.* III. p. 190. φοβερὰ τῆς φάλαγγος ἡ ξύγκλεισις. *Terrorem Getis incutiebat phalangis densitas*, idem *lib.* I. p. 10. In prælio quod in Ciliciæ faucibus commissum est, strenue rem gerentibus Persis, Macedones contra annitebantur, ne manifestæ Alexandri victoriæ deessent, *& ne phalangis gloriam, quæ ut invicta tum temporis omnium ore celebrabatur, imminuerent*, idem *lib.* II. pag. 107. Λεύκιος δ' ὁ ὕπατος οὐχ ἑωρακὼς φάλαγγα τὸ παράπαν, &c. *Lucius Consul nunquam ante visa nisi sub Perseo demum Macedonica phalange, sæpenumero Romæ fassus est, nihil se unquam quicquam formidabilius spectasse Macedonum phalange; quamvis & multas, si quisquam alius, acies viderit, & multis ipse præliis decertaverit*. Hæc ex Polybio nobis Suidas servavit. Sed age, videamus nobilem Polybii locum, cum is Macedonum ac Romanorum acies inter se conferens, Phalangem Macedonicam, & quod præcipuum robur illius sit, elegantissime describit, *Eclog. Hist* lib. XVII. Ὅτι μὲν, ait, ἐχούσης τ̀ φάλαγγος τ̀ αὐτῆς ἰδιότητα κ̀ δύναμιν, οὐδὲν ἂν ὑποσταίη κτ̀ πρόσωπον, οὐδὲ μεῖναι τὴν ἔφοδον αὐτῆς, διὰ χερὸς καταμαθεῖν ἐκ πολλῶν, &c. *Equidem quod phalangis proprietatem suam ac vim obtinentis incursum atque adversam in fronte impressionem manere ac sustinere nihil valeat, e multis id discere facile est. Nam quia vir cum armis, imminente conflictu cum fit densatio, stat occupans locum trium pedum, ac sarissæ longitudo secundum primum institutum cubitorum est sedecim,*

A &c. Sequuntur verba, quæ supra, cum de sarissarum longitudine ageremus, adduximus. Post illa vero addit Polybius: Ἐκ δὲ τούτου συμβαίνει τὰς μὲν τοῦ δευτέρου, κ̀ τρίτου, κ̀ τετάρτου πλεῖον, τὰς δὲ τοῦ πέμπτου ζυγοῦ σαρίσας δύο προπίπτειν πήχας πρὸ τ̀ πρωτοστάτων, ἐχούσης τῆς φάλαγγος τ̀ αὐτῆς ἰδιότητα, κ̀ πύκνωσιν κατ' ἐπιστάτην, κ̀ κτ̀ παραστάτην· ὡς Ὅμηρος ἐπιδείκνυσιν ἐν τούτοις:

> Ἀσπὶς ἄρ' ἀσπίδ' ἔρειδε, κόρυς κόρυν, ἀνέρα δ' ἀνήρ,
> Ψαῦον δ' ἱππόκομοι κόρυθες λαμπροῖσι φάλοισι
> Νευόντων, ὡς πυκνοὶ ἐφέστασαν ἀλλήλοισι.

Unde fit, ut secundi quidem, & tertii, ac quarti
B *ordinis, sive jugi, sarissæ plures cubitos; quinti vero duos tandem protendantur ante præcedentium ordines; si modo phalanx proprietatem suam obtineat, & convenienter sibi densata sit, ratione cujusque armati, sive pone, sive ad latus stantis: quam hisce versibus Homerus ostendit:*

> *Et clypeus clypeum, & galeam galea, atque virum vir*
> *Sustinet, implexis vario nutamine cristis*
> *Vibrantum: dum densato stat in agmine miles.*

Sed pergit noster nonnullis interpositis in hunc modum: *Hinc facile est, ob oculos ponere Phalangis istius impetum atque impressionem, qualem eam esse*
C *probabile, ac quam vim habere necesse sit, altitudine ejus constante e sedecim viris*. (Hic tamen obiter notes quod Livius, ubi Antiochi phalangem describit, hæc verba addat, XXXVII. 40. *A fronte introrsus in duos & triginta ordines armatorum acies patebat*. Idem Appianus habet in *Syriacis*.) *Quorum quotquot post quintum jugum sunt, suis sarissis nullum possunt operæ pretium in conflictu præstare. Non enim viritim impetum faciunt, sed præter humeros præcedentium prominentes sarissas gerunt, ut verticem totius aciei muniant, tela densitate sua avertentibus sarissis, quæ supra Protostatarum capita transeuntia*
D *possint in posteriores elidi. Corporum tamen pondere, cum hi ipsa in hostes inductione præcedentes propellant, tum violentam reddunt incursionem, tum prioribus retrocedendi ansam omnem præripiunt*. Longiora hæc aliquanto sunt, quæ ex Polybio excerpsimus, sed quæ adeo perspicue omnem Phalangis rationem, & in quo robur ejus consistat, pandunt, atque ob oculos ponunt, ut omnino dignissima visa sint, quæ hic adscribantur, loco omnium, quæ ab aliis sparsim forte traduntur futura. Notum autem porro est quadrata forma instructam fuisse Phalangem. Unde Alexander *quadrato agmine, quod ipse ducebat, velut in aciem irent, suos ingredi*
E *jussit*, Curt. V. 1. 19. Ita & quando Arrianus *l.* III. p. 211. & 235. habet, pedites jussos ἐν τάξει ἕπεσθαι, Vulcanius, approbante Blancardo, illud vertit, *peditibus præceptum, ut quadrato agmine sequantur*. Nicanor jussus τ̀ φάλαγγα ἐν πλαισίῳ ἄγειν, *quadrata acie phalangem ducere*, idem *lib.* I. pag. 10. Est autem τὸ πλαίσιον, militare agmen dispositum quadrangulari forma, quam tamen longiorem esse, quam latiorem scribit Ælianus. Huc refero illam ab Arriano descriptam Phalangis formam, cum inquit: Ἔνθα δὴ ἐκτάσσει τ̀ στρατὸν Ἀλέξανδρος, ἕως ἑκατὸν κ̀ εἴκοσι τῷ βάθει τ̀ φάλαγγος. *Alexander aciem ita instruxit, ut centum*
F *viginti in spissitudine phalanx haberet*. Deinde autem notamus quoque non adeo in minutas partes distinctam fuisse Macedonum phalangem ac Romanorum aciem. Hoc Livius VIII. 8. docet: *Quod antea phalanges similes Macedonicis* (scilicet, apud Romanos fuere) *hoc postea manipulatim structa acies cœpit esse*. Quod vero idem IX. 19. habet, ubi comparationem inter Macedonum Romanorumque militiam instituit: *Statarius uterque miles, ordines servans: sed illa phalanx immobilis, & unius generis: Romana acies distinctior, ex pluribus partibus*

constans: facilis partienti quacunque opus esset, facilis jungenti. Ex hoc nemo colligat, ac si instar inconditi cujusdam agminis in nullas certas partes distincta fuisset acies, in quas dividi, & ex quibus iterum componi posset. Unde enim alias Curtius atque Arrianus tam accurate describere potuissent, ubi quodque agmen sub certis suis ducibus ab Alexandro aciem instruente collocatum fuerit, quis prior, quis posterior steterit? aut unde illud Charidemi, phalangitas laudantis, quod obsistere, circumire, discurrere in cornu mutare pugnam, non duces magis quam milites calleant? apud Curt. III. 2. 14. aut unde denique ista Illyriis Taulantiisque stupenda phalangis agilitas? Arr. *lib.* I. p. 15. Livius certe ipse, & post eum Appian. aliud nos docent. Ita enim prior de exercitu Antiochi, XXXVII. 40. *Decem & sex millia peditum more Macedonum armati fuere, qui phalangitæ appellabantur. hæc media acies fuit in fronte in decem partes divisa. Partes eas interpositis binis elephantis distinguebat: a fronte introrsus in duos & triginta ordines armatorum acies patebat, hoc & roboris in regiis copiis erat, & perinde quum alia specie, tum eminentibus tantum inter armatos elephantis magnum terrorem præbebat*. Appianum in *Syriacis* audi. *Robur erat phalanx* 16000. *Macedonum ornata ex instituto Regum priscorum Alexandri Philippique. Hæc media acies fuit in decem partes divisa; earum singulæ in fronte quinquagenos armatos habebant, a fronte introrsus in duos & triginta ordines patebant acies: phalanx muri speciem præ se ferebat, elephantis inter partes eminentibus, tanquam turribus*. Habes hic simul numerum militũ ex quibus phalanx constabat, nempe 16000. Totidem in phalange sua Philippus Demetrii filius habuit. *Decem & sex millia militum fuere; robur omne virium & regni*, Livius XXXIII. 4. Et Caracalla *comparavit phalangem ex solis Macedonibus, in qua erant hominum* 16000. *eamque phalangem Alexandri cognominavit*, Xiphil. in *Carac.* Utut autem præstantissimum inventum phalanx Macedonica fuerit, neque semel victoriam reportaverit, ut adeo Philippus non immerito jactaverit (apud Livium *lib.* XXXIII. 4.) *Macedonum phalangem loco æquo justaque pugna semper mansuram invictam*; tamen eam *inutilem vel mediocris iniquitas loci efficere potuit*, idem XLIV. 37. f. Unde rectissime idem XXXI. 39. *Erant pleraque silvestria circa, incommoda phalangi maxime Macedonum: quæ, nisi ubi prælongis hastis velut vallum ante clypeos objecit (quod ut fiat, libero campo opus est) nullius admodum usus est*. Dignissimus vero est, qui hic apponatur, rem planissime explicaturus, alius ejusdem vere lacteæ eloquentiæ scriptoris locus, XLIV. 41. *In medio secunda legio immissa dissipavit phalangem. Neque ulla evidentior causa victoriæ (Romanorum) fuit, quam quod multa passim prælia erant, quæ fluctuantem turbarunt primo, deinde disjecerunt phalangem. Cujus confertæ & intentis horrentis hastis intolerabiles vires sunt. Si carptim aggrediendo circumagere immobilem longitudine & gravitate hastam cogas, confusa strue implicantur: si vero ab latere, aut ab tergo aliquid tumultus increpuit, ruinæ modo turbantur. Sicut tum adversus catervatim irruentes Romanos, & interrupta multifariam acie, obviam ire cogebantur: & Romani, quacunque data intervalla essent, insinuabant ordines suos. Qui, si universa acie in frontem adversus instructam phalangem concurrissent, quod Pelignis principio pugnæ incaute congressis adversus cetratos evenit: induissent se hastis, nec confertam aciem sustinuissent*. Similia plane his Polybius habet in *cit. excerpt.* lib. XVII. *Hist.* Καὶ μὴν ὅτι χρείαν ἔχει τόπων ἐπιπέδων καὶ ψιλῶν ἡ φάλαγξ, &c. Ubi pluribus qua ratione Romanus miles Macedonicam aciem superare queat, quæque hujus sint incommoda, ostendit. Verum missam faciamus phalangem. Neque est, quod de reliqua aciei dispositione multa dicamus, cum pro ratione loci, hostis, aliarumque circumstantiarum ea aliter atque aliter instrui solita fuerit. Illud tantum notabimus, quod superius monitum est, Phalangis latera utrinque equitatum plerumque texisse, quod ex Arriano, Curtio, Plutarcho, Diodoro, Livio, aliis, pluribus deducere possemus, si id necessum foret. Hinc: *Paulatim deinde se laxare sinus montium, & majus spatium aperire cœperant; ita ut non pedes solum pluribus ordinibus incedere, sed etiam a lateribus circumfundi posset equitatus*, Curt. III. 9. 12. Unum adjicicimus de Velitibus. Thraces hi erant, Illyrii, Cretenses, Sagittarii, ac funditores. Equites quoque antecursores Agriani, ac Pæones. Hos in prima acie ante Signa collocabant. *Ducebat* aliquando *ipse Rex antesignanos*, idem IV. 6. 23. *Ante aciem posuerat Alexander funditorum manum, sagittariis admixtis. Thraces quoque & Cretenses ante agmen ibant, & ipsi leviter armati*, idem III. 9. 9. In acie ad Issum Alexander *præstituit equitibus ad dextrum cornu antecursores, quibus præfectus erat Protomachus, & Pæonas, quibus præerat Ariston. Peditibus vero Sagittarios, quos Antiochus ducebat*, Arrian. *lib.* II. p. 103. Ac paulo post: Τοῦ δὲ εὐωνύμου προετάχθησαν, τῶν μὲν πεζῶν, οἵ τε Κρῆτες τοξόται, καὶ οἱ Θρᾶκες, ὧν ἡγεῖτο Σιτάλκης. Et Pæonas, Antecursores equites fuisse aliunde discimus, ubi Alexander dicitur secum sumsisse τήν τε βασιλικὴν ἴλην, καὶ τῶν ἑταίρων μίαν, καὶ τῶν προδρόμων τοὺς Παίονας, idem *lib.* III. p. 171. Solebant autem hi leviter armati atque Antecursores prælium plerumque conserere atque inchoare. Ita Alexander *ante phalangem Sagittarios progredi jussit, utque Thracas, quacunque proruant, telis petant*, idem *lib.* I. p. 5. Atque hi, prout quis Thracum prosiliebat, sagittis ferientes repressere. Tum demum phalanx immissa. Idem *pag.* 7. *Sagittarios ac funditores præcurrentes jussit, sagittis & fundis barbaros* (Triballos) *lacessere, si forte ea ratione e sylvis in aperta provocari possint*. Deinde etiam ἕως μὲν ἀκροβολισμὸς παρ᾽ ἑκατέρων ἦν, *quamdiu telis utrinque certatum est*, Triballi haud inferiores erant Macedonibus, sed phalangis impetum non sustinuerunt. In prælio cum Poro Indorum Rege *Alexander Agrianos & Thracas leviter armatos, meliorem concursatione quam cominus militem, emisit in belluas*, Curt. VIII. 14. 24. Pugnam leviter armatorum Macedonum atque Romanorum vide apud Livium XXXI. 35. Cœterum diximus hos antesignanos fuisse. Post illos signa sequebantur, atque hæc reliqui milites. Qualia vero signa fuerint, de eo nihil adhuc reperi. Ea autem in hostem conversa fuisse si prælium ineundum esset, illud nos docet: Hostes *ut Macedonum signa circumagi videre, repente sistunt gradum*, Curt. IV. 6. 14. Circa signa Duces plerumque in acie erant. Non enim cum Terentiano Thrasone in *Eunuch.* act. IV. sc. VII. *post principia stabant*, ut inde suis *signum darent*, sed vel ipse *Rex ante prima signa ibat, ac inter primores dimicabat, ducebat ipse antesignanos, & se cœteris fortitudinis fore exemplum, ac ante prima signa dimicaturum spondebat*, Curtius variis locis. Nec secus reliqui Duces gregariorum militum munera exequebantur, quod de Parmenione atque Erigyio supra notavimus, & longius hæc deducere longum nimis foret. Certus etiam in acie summorum ducum locus interdum esse solebat. Curtius IV. 13. 35. *Lævum cornu, sicut alias Parmenioni tuendum datum; ipse* Rex *in dextro stabat*, idem VII. 1. 3. & *Parmenio semper alterum in acie cornu defenderat. Polydamas longe acceptissimus Parmenioni erat, proximus lateri in acie stare solitus*, idem *ibid.* 2. 11.

Varias

Varias acierum formas apud Macedonas in usu fuisse, ex eo, quem sæpius jam laudavimus, Arriani loco *lib.* I. p. 15. manifestum est: *Alexander phalangem celeriter promovit, & in cornua aliter atque aliter duxit: atque ita immutata in varias formas brevi tempore aciei structura, lævas hostium copias, phalange demum in cuneum redacta, invasit*. Hic ἐμβόλȣ fit mentio, quæ Æliano acies cuneata est. Cuneum vero ex equitibus ac peditibus factum argumento est, quod Alexander dicitur, ὥσπερ ἔμβολον ποιήσας τ̃ ἵππȣ τ̃ ἑταιρικῆς κ̀ τῆς φάλαγγος τῆς ταύτη τεταγμένης, Arrian. *lib.* III. p. 190. Et contra Taulantios ἀναμιχθέντες τοῖς ἱππεῦσι πεζοὶ pugnavere, idem *lib.* I. pag. 10. *Totam aciem orbe munitam & ultimos ordines fronte aversos, subsidia quoque non recta a fronte, sed a latere posita, ut si hostis circumvenire aciem tentasset, parata pugnæ forent, adeoque aciem versatilem, ut qui ultimi stabant ne circumirentur, verti tamen & in frontem circumagi possent*, descriptam vide apud Curtium, IV. 13. 30. seq. *Testudine objecta milites Alexandrum tuebantur*. In angustiis vero, quibus Persis aditur, depehensi, *nec stare nec niti, nec testudine quidem protegi poterant, cum tantæ molis onera propellerent barbari*. Tandem Rex *signo receptui dato densatis agminibus, scutisque super capita consertis, retro evadere ex angustiis jussit*, idem V. 3. 9. & I. 23.

Antequam arma caperent atque in aciem prodirent milites jussi sunt plerumque a Duce δειπνοποιεῖσθαι. Alexander *corpora milites curare jussit, ac deinde tertia vigilia instructos & armatos esse*, Curt. III. 8. 22. Item VI. 13. 10. *incitatos suos ad corpora curanda dimisit*. δειπνοποιεῖσθαι κ̀ ἀναπαύεσθαι ἐκέλευσε τ̃ στρατὸν. *Diu Parmenio cunctatus*, cum tempus pugnæ appropinquaret, *cibum ut caperent* milites, rege cunctante, *ipse pronunciat*, Arrian. *lib.* III. p. 176. Tum Rex *munimento corporis sumto processit ad milites, proruptoque vallo exire copias jubet, aciemque disponit*, Curt. IV. 13. 20. 25. 26. Signum pugnæ, etiam antequam e castris milites egrederentur, tuba datum. Alexander *signum pugnæ tuba dari jussit. Jamque tertium, sicut præceptum erat, signum tuba miles acceperat, itineri simul paratus & prælio*, idem VI. 13. 22. Idem III. 8. 23. & VII. II. 25. *Jamque e Macedonum castris signorum concentus & totius exercitus clamor audiebatur*. Αἱ σάλπιγγες, Tubarum clangor Cratero signum erat Alexandrum ad hostes pervenisse, & cum iis manus conserere, Arrian. *lib.* III. p. 202. *Signum tuba dari, ut ad regiam armati coirent milites*, rex jussit, Curt. VIII. I. 47. *Signum receptui datum*. *Signum quoque ut consisterent milites datum*, VIII. II. 17. Adeoque varius tubarum usus erat. *Tuba quoque Rex, cum castra movere vellet, signum dabat, cujus sonus plerumque tumultuantium fremitu exoriente, haud satis exaudiebatur*, IV. 12. 16. Cœterum alloqui etiam milites ante pugnam Rex solebat, eosque ut strenuos se viros gererent, hortabatur. Et extant plurimæ Alexandri orationes ad milites (nam erat haud rudis tractandi militares animos) habitæ apud Curtium IV. 2. 17. & III. 10. 4. ac Arrianum *lib.* II. p. 105. quas ibi vide. *Cum agmen obequitaret, varia oratione, ut cujusque animis aptum erat, milites alloquebatur. in omnem exercitus partem obequitans, ut strenuos fortesque viros sese præberent, hortabatur. neque præcipuos solum copiarum duces suis nominibus observato decoro, verum etiam tribunos & manipulares* (ita habet Vulcanius) *nominatim compellabat: & ex mercenariis qui aut dignitate, aut rerum gestarum gloria illustriores essent*. Rex idem *usum aurium intercipiente fremitu duorum agminum in conspectu omnium duces & proximum quemque interequitans alloquebatur*. *Sic duces sic proximi militum instincti sunt*, Curtius IV. 13. 38. Durante etiam pugna hortari milites Rex solebat. Cum dimicaretur ad Arbela *Alexander territos castigare, adhortari; prælium, quod jam elanguerat, solus accendere, confirmatisque tandem animis ire in hostem jubet*, idem IV. 15. 19. Idem Curtius, VII. 9. II. 12. *Vox adhortantis* Regis *non poterat audiri, nondum bene obducta cicatrice cervicis; sed dimicantem cuncti videbant. Itaque ipsi milites ducum fungebantur officio; aliusque alium adhortati, in hostem salutis immemores ruere cœperunt*. Allocutionem Regis, si assentirentur milites, clamor exercitus excipere solebat. Arrian. *lib.* II. p. 105. Καὶ αὐτοῦ πανταχόθεν βοὴ ἐγένετο, μὴ διατρίβειν, ἀλλ' ἐσβάλλειν ἐς τὰς πολεμίας. *Hic clamor undique sublatus est, abrumpendam moram, in hostes ruendum*. Si vero displiceret oratio dissensum suum significabant. Curtius X. 6. 12. *Nulli placebat oratio. itaque suo more hastis scuta quatientes obstrepere perseverabant*, conf. X. 7. 14. Ad hunc morem videtur respicere Alexander, cum apud Curtium IX. 2. 30. 31. ait: *Date hoc precibus meis, & tandem obstinatum silentium rumpite. Ubi est ille clamor alacritatis vestræ index? ubi ille meorum Macedonum vultus*? Et paulo post: *In solitudine mihi videor esse. nemo respondet, nemo saltem negat*. Sed *ne sic quidem ulli militum vox exprimi potuit*, idem III. 10. I. 2. Hæc quidem in concione militari facta. Cœterum in acie cum *priores Persæ* in faucibus Ciliciæ *inconditum & trucem sustulissent clamorem, redditus & a Macedonibus major, exercitus impar numero, sed jugis montium vastisque saltibus repercussus. Jam nitidior lux, discussa caligine aciem hostium ostenderat: & Macedones sive alacritate, sive tædio expectationis, ingentem, pugnantium more, edidere clamorem*, idem IV. 12. 23. Arrianus *lib.* I. p. 15. Ἀλέξανδρος ἐπαλαλάξαι ἐκέλευσε τὰς Μακεδόνας, κ̀ τοῖς δόρασι δȣπῆσαι πρὸς τὰς ἀσπίδας. *Alexander clamores edi, hastisque scuta quati jubet*. Ἡ φάλαγξ, ὡς διὰ τ̃ ποταμȣ̃ ἐπέρασα, ἐπηλάλαξεν. *Phalanx transmisso jam flumine clamores edidit*, idem *ibid.* p. 16. Est autem ἀλάλη, vox quædam inarticulata, quæ a militibus ante pugnam editur. Et ἀλαλάζειν est idem, ac *alala clamare*. Arrianus *l.* I. p. 41. Ἀλέξανδρος ἄγων τὸ δεξιὸν κέρας ὑπὸ σαλπίγγων τε κ̀ τῷ Ἐνυαλίῳ ἀλαλάζοντας, ἐμφαίνεσθαι τ̃ πόρον. *Alexander dextrum cornu agens, inter tubarum clangorem faustosque clamores Marti editos flumen ingreditur*. ὑπὸ σαλπίγγων ἐπέρα τ̃ ποταμὸν. *Tubis clangentibus flumen transiit*, idem *lib.* IV. p. 247. δρόμῳ τε κ̀ ἀλαλαγμῷ ἦγεν ὡς ἐπὶ αὐτὸν Δαρεῖον. *Concitatio cursu ingentique clamore sublato in Darium ipsum fertur*, idem *lib.* III. pag. 190. Jamque ad arma ventum. *Nec jam contineri Macedones poterant, quin cursu quoque ad hostem contenderent*, Curtius IV. 12. 24. Equites vero laxatis effusisque habenis, subditisque calcaribus in hostem plerumque proruerunt, quo impetu ipsi eum pellerent. Qua de re videantur, quos supra nominavi, Scriptores. Addendum quid Hastarum erectio apud Macedones in prælio designaverit. Hac de re Polybium audi in *Excerpt.* lib. XVII. c. XXII. τῶν πολεμίων ὀρθὰς ἀνασχόντων τὰς σαρίσας. ὅπερ ἔθος ἐςὶ ποιεῖν τοῖς Μακεδόσιν, ὅταν ἢ παραδιδῶσιν αὐτὰς, ἢ μεταβάλλωνται πρὸς τὰς ὑπεναντίους. *Hostes sarissas tenebant in altum erectas. Macedonibus ea consuetudo est, quoties aut deditionem, aut transitionem ad hostes faciunt*. Atque Liv. XXXIII. 10. *Quinctius, cum cedentibus institisset, repente quia erigentes hastas Macedonas conspexerat, quidnam pararent incertus, paulisper novitate rei constituit signa: deinde, ut accepit hunc morem esse Macedonum tradentium sese, parcere victis in animum habebat*. Hæc quidem de Acie.

CAP. VI.

DISCIPLINA MILITARIS.

DISCIPLINA militaris Macedonum, Charidemo judice, *paupertate magistra stetit: fatigatis humus cubile fuit: cibus quem occupabant satiavit: tempora somni arctiora, quam noctis fuere*, Curt. III. 2. 15. Quanquam post Persica spolia a dura ista virtute plurimum hic exercitus recesserit, vel Alexandro teste: *Totum exercitum aspicite: qui paulo ante nihil præter arma habebat, nunc argenteis cubat lectis; mensas auro onerant, greges servorum ducunt*, idem VIII. 8. 9. Verum ante hæc *tenaces* erant *disciplinæ suæ, solitique parco ac parabili victu ad implenda naturæ desideria defungi*, idem VI. 2. 3. Quantam famem, quæ frigora, quæ alia incommoda sustinuerint, passim ex Arriano & Curtio discas. Cumque hic luxuriam Alexandri in Persicos mores desciscentis descripsisset, tandem addit VI. 6. 9. *Hæc luxu & peregrinis infecta moribus veteres Philippi milites, rudis natio ad voluptates palam aversabantur; totisque castris unus omnium sensus ac sermo erat; plus amissum victoria, quam bello quæsitum esse*. Et quanquam aliquando *vecordes & disciplinæ militaris immemores, seditiosis vocibus castra compleverint, regemque ferocius quam alias adorti essent*, idem X. 2. 12. & 30. mox tamen magna iterum ejus documenta dedere, nec qui ad supplicium trahebantur ausi sunt repugnare, nec reliqui, eos eripere. Cum Alexander suas totiusque exercitus sarcinas incendi jussisset, brevi deinde oratione mitigavit militum dolorem; illique *habiles militiæ & ad omnia parati, lætabantur sarcinarum potius, quam disciplinæ fecisse jacturam*, idem VI. 6. 17. Flori locus de disciplina Macedonum utique non negligendus. Ita vero ille II. 12. 3. *Multo vehementius sub hoc* (Perse nimirum) *Macedones, quam sub patre consurgunt. quippe Thracas in vires suas traxerant: atque ita industriam Macedonum, viribus Thracum; ferociam Thracum disciplina Macedonum temperaverunt*.

Verum lustrabimus castra Macedonum. Solebant autem locum castris idoneum eligere, eaque vallo communire. Hinc apud Curtium VII. 5. 10. & IV. 12. 24. invenias: *Ex iis qui præcesserant ad capiendum locum castris, duo occurrunt*, &c. *Rex melius adhuc ratus in eodem tumulo castra munire, vallum jaci jussit*, Arrian. *l.* III. p. 174. Τὸ στρατόπεδον τάφρῳ τε καὶ χάρακι ἐτείχισεν, *Castra vallo ac fossa munivit*. Quale autem illud vallum Macedonum fuerit Livius XXXIII. 5. explicat: *Vallo & Macedones & Græci usi sunt, sed usum nec ad commoditatem ferendi, nec ad ipsius munitionis firmamentum aptaverunt. Nam & majores & magis ramosas arbores cædebant, quam quas ferre cum armis miles posset, & cum castra his ante objectis sepissent. facilis molitio eorum valli erat. Nam & quia rari stipites magnarum arborum eminebant, multique & validi rami præbebant quod recte manu caperetur, duo aut summum tres juvenes connixi arborem unam evellebant, qua vulsa, portæ instar, extemplo patebat, nec in promtu erat quod obmolirentur*. Unde peculiare illud est, quod Alexander, ut voragines circa Aornon petram repleret, *sylvam ita cædi jussit, ut nudi stipites jacerentur: quippe rami fronde vestiti impedissent ferentes*, Curt. VIII. 11. 8. Cum in aciem educeretur exercitus, vallum rumpi solebat. Alexander *prorupto vallo exire copias jubet, aciemque disponit*, idem VI. 13. 26. Nempe ut plures simul, servatis etiam ordinibus egredi possent. qua longum nimis, si per portarum angustias prodire singuli coacti fuissent. Portam vero Castra non unam tantum habuisse hinc discas: *E spadonibus Tyriotes inter trepidationem lugentium elapsus per eam portam quæ, quia ab hoste aversa erat, levius custodiebatur*, idem IV. 10. 25. Munimenta castrorum ac tabernacula non ampliora fiebant, quam usus postulabat. Quare Alexandri illud singulare fuit institutum, cum expeditioni finem impositurus, *munimenta castrorum jussit extendi, cubiliaque amplioris formæ, quam pro corporum habitu relinqui; ut speciem omnium augeret, posteritati fallax miraculum præparans*, idem IX. 3. 19. Vel ut Justinus XII. 8. 10. ait: *Motus* militum *precibus, velut in finem victoriæ castra solito magnificentiora fieri jussit: quorum molitionibus & hostis terreretur, & posteris admiratio sui relinqueretur*. Nitidissime vero de his Diodorus Siculus *lib.* XVII. cujus locum ex interpretatione Angeli Cospi Bononiensis adscribam: *Alexander cum statuisset suorum bellorum ibi esse terminum, aras duodecim Diis magnitudine* 50. *cubitorum excitavit. Castrorum circuitum duplo, quam prius fuisset, ampliorem fieri jussit, ducta fossa pedes* 50 *lata, intra quam & agger, & murus præaltus extructus est. Pediti cuivis, ut in suo tabernaculo lectos duos quinque cubitorum: equiti ut idem, insuperque præsepes solitis altero tanto majores facerent, injunxit. Pariter & alia, quæ in discessu relicturi erant, spatio auctiori produxerunt, quod a Rege curatum est, ut castra insignia & plane heroica, opus suum apparerent. Simul ut indicia & veluti vestigia virorum prægrandium, documenta ejus loci incolis forent, præstantissimam Macedonum fuisse fortitudinem*. Tentoria militum ex pellibus erant, διφθέραι Arriano vocantur, quibus etiam si usus efflagitaret, aliaque navigia deficerent, navium loco non semel usi sunt Macedones. Alexander cum Istrum trajicere vellet, τὰς διφθέρας, ὑφ' αἷς ἐσκήνουν, τοῦ κάρφους πληρώσας, *pelles, sub quibus in castris degebant, paleis impleri jubens*, iis flumen ingressus est, Arr. *lib.* I. p. 9. *Collectis pellibus, sub quibus milites in tentoriis degebant, sarmentis quam maxime siccis eas impleri, accurateque vinciri & consui jubet, ne aquam aliqua ex parte admittere possent. quibus ita impletis & consutis, exercitum quinque dierum spatio traduxit*, idem *lib.* III. p. 233. conf. *lib.* V. pag. 333. & 333. Binos milites in uno tabernaculo fuisse ex eodem Scriptore colligi potest, cum ille ait *lib.* I. pag. 61. Δύο τῶν Μακεδόνων ὁπλῖται ἐκ τοῦ ὕστερον Περδίκκου τάξεως ξυσκηνοῦντες, καὶ ἅμα ξυμπίνοντες. hoc est, *Duo graviter armati ex Perdiccæ agmine contubernales, qui tum simul bibebant*. Et ex Curtio VI. 1. 16. *Totis castris tumultus hinc contubernales suos requirentium, hinc onerantium plaustra*. Cœterum Regis quoque tabernaculum ex pellibus confectum. Cum enim ille *tabernaculum super ripam fluminis de industria locatum secessisset*, (verosimile alias illud Macedonas in medio castrorum erigere solitos) *ibi sine arbitris singula animi consulta pensando, noctem vigiliis extraxit, sæpe pellibus tabernaculi allevatis, ut conspiceret hostium ignes* &c. idem VII. 8. 1. 2. Et alias quoque Alexander in tabernaculum ut solus esset se contulit. Ita Curtius IV. 12. 24. *In tabernaculum, ex quo tota acies hostium conspiciebatur, secessit*. Hic obiter notamus *tabernaculum Darii omni luxu & opulentia instructum Alexandro reservatum fuisse. namque* addit Curtius III. 11. 23. *id solum intactum omiserant milites, ita tradito more, ut victorem victi regis tabernaculo exciperent*. Ad tabernaculum Regis duces militesque convenire solebant. *Jam luce orta duces ad accipienda imperia convenerant, insolito circa prætorium silentio attoniti. quippe alias accersere ipsos, & interdum morantes castigare adsueverat*, idem IV. 13. 17. Regia Curtio IV. 1. 4. idem quod prætorium aut tabernaculum Regis. Alexander *edicit, ut omnes in vestibulo regiæ præsto adforent, quos ubi frequentes adesse cognovit, in concionem processit*. Sunt autem hæc in Stativis gesta, uti ex Curtio VI. 7. 1. patet. Idem Rex *signum tuba dari, ut ad regiam armati coirent*,

jussit, VIII. 1. 47. 49. Et paulo post: *Impotens animi percurrit in regiæ vestibulum*. Capite quoque sequenti regia & tabernaculum promiscue usurpantur, & alibi quoque. Satis autem amplum fuit tabernaculum Regis, in quo & convivium habitum, (de ἑκατοντακλίνῳ supra diximus) & vestibulum fuit, in quo exercitus conveniret. Ad regiam excubiæ quoque atque vigiliæ actæ. Curtius VIII. 13. 20. *Alexander in diversa parte ripæ* (ut nempe hostes falleret) *statui suum tabernaculum jussit, adsuetamque comitari ipsum cohortem ante id tabernaculum stare, & omnem apparatum regiæ magnificentiæ hostium oculis de industria ostendi*. Clito ab Alexandro cum de convivio exiret interfecto *manabat toto vestibulo cruor paulo ante convivæ, vigiles attoniti & stupentibus similes procul stabant*, idem VIII. 2. 3. Clamore in castris exorto, *cohors, quæ excubabat ad tabernaculum Regis, verita ne majoris motus principium esset, armare se cœpit*, idem III. 12. 3. Erant autem principum Macedoniæ liberi adulti, qui *vigiliarum vices ante cubiculi regii fores servabant*, idem V. 1. 42. Cœterum & ipsa castra custodiebantur, ne forte improviso hostes irruerent. Unde Perdiccas dicitur προτεταγμένος τῆς φυλακῆς τοῦ στρατοπέδου σὺν τῇ αὑτοῦ τάξει, Arr. lib. I. p. 21. Ad portas castrorum quoque vigiles. Hinc Curtius IV. 10. 25. *Porta, quæ ab hoste aversa erat, levius custodiebatur*. Procubiæ ante castra. Alexander castra ad lucum Iolai fixerat, sed Thebani ex urbe proruentes ἐς τε ἐπὶ τὸ στρατόπεδον ἠκροβολίζοντο ἐς τὰς φυλακὰς, *in ipsas castrorum procubias tela mittebant*, Arrianus *lib.* I. p. 20. Noctu ignes excitati. Alexander *Cratero ad custodiam castrorum relicto præcepit: ut castrorum specie manente, plures de industria ignes fieri imperet, quo magis barbari crederent ipsum Regem in castris esse*, Curt. V. 4. 14. Cum ad flumen Oxum Rex prima fere vespera pervenisset, sed exercitus magna pars non potuisset consequi: *in edito monte ignes jussit fieri, ut ii, qui ægre sequebantur, haud procul castris se abesse cognoscerent*, idem VII. 5. 13.

Sæpius quoque Rex stativa habuit, quod pluribus si deducerem operæ me pretium facturum haud existimo. Unum tamen locum addo. Curtius IX. 10. 18. *Omnium rerum sola fertilis regio* (Gedrosia) *est, in qua stativa habuit, ut vexatos milites quiete firmaret*. Ἔμεινεν αὐτοῦ, ἵνα ἐξηγγέλθη, ἡμέρας τέσσαρας, καὶ τὴν στρατιὰν ἐκ τῆς ὁδοῦ ἀνέπαυσε. *Quatuor diebus eo in loco, ubi hæc nunciata, moratus, exercitui quietem ab itineris labore dedit*, Arrianus *lib.* III. p. 174. Hiberna etiam. *His compositis tertio mense ex hibernis movit exercitum*, Curtius VIII. 4. 1. Verum cum castra moverentur, certum militibus signum dabatur, ut vasa colligerent, & sese itineri accingerent. De eo in hunc modum idem V. 2. 7. *Tuba, cum castra movere vellet, signum dabat, cujus sonus plerumque tumultuantium fremitu exoriente haud satis exaudiebatur: ergo perticam, quæ undique conspici posset, supra prætorium statuit, ex qua signum eminebat pariter omnibus conspicuum, observabatur ignis noctu, fumus interdiu*. Unde idem *ibid.* 4. 17. *Alexander tertia vigilia silenti agmine, ac ne tuba quidem dato signo, pergit ad demonstratum iter callium*.

In agmine plerumque, non tamen semper, leviter armati atque equites præcedebant, phalanx cum impedimentis modicis itineribus sequebatur. Phalanx autem quadrato ut plurimum agmine, velut in aciem iret, incedebat. Arriano id est ἐν πλαισίῳ ἄγειν τὴν φάλαγγα, (de quo supra nonnihil dictum) aut ἐν τάξει ἕπεσθαι. Hinc sæpe apud Curtium, miles itineri simul paratus ac prælio sistitur. Neque enim semper armatus miles incedebat; quod ex isto colligas: *Alexander Omphim non socium, sed hostem adventare credebat. Jamque & ipse arma milites capere, & equites discedere in cornua jusserat,*

A *paratos ad pugnam*, Curt. VIII. 12. 8. Ordinem agminis e Curtio VI. 4. 14. 15. discas: Rex *quadrato agmine & composito ibat, speculatores subinde præmittens, qui explorarent loca*. (Ita & in Ciliciæ faucibus Thraces leviter armati præcedere jussi scrutarique calles) *Levis armatura ducebat agmen*. (certe & equites his verbis intelligi necesse est) *Phalanx eam sequebatur; post pedites erant impedimenta*. Præter arma milites cibaria quoque ferebant, nunc plura, nunc pauciora. Alexander *sex dierum cocta cibaria ferre milites jussit*, Curtius VIII. 4. 20. Trecenti juvenes *alimentis in biduum sumtis gladiis modo atque hastis armati subire* petram *cœperunt*, idem
B VII. 11. 14. Alibi quoque *tridui alimenta portare miles jussus leviter armatus*, idem V. 4. 17. Cum Alexander urbem a se nominatam in Ægypto conditurus, nec aliud ad manum esset, quidam fabrorum excogitavit, ὅσα ἐν τοῖς τεύχεσιν ἄλφιτα οἱ στρατιῶται ἐκόμιζον ξυναγαγόντα, ἐπιβάλλειν τῇ γῇ, *ut congesta omni farina quam milites in vasis habebant, eam terræ quam rex designabat aspergeret*, Arr. *lib.* III. pag. 157. Alexander delectissimis militum secum sumtis, cum præcessisset, *Reliquo exercitui Craterum præficiens, mandat ut itinera moderatius faciat. qui secum ibant, arma solum & duorum die-*
C *rum cibaria gerebant*, idem *ibid.* pag. 210. Itaque alia plura quoque portare consueverunt. Utrium, quibus aquam, vinum, oleum ferrent, Curtius VII. 7. 5. 7. mentionem facit. *Pauci e peritis regionis admoniti præpararunt aquam, hæc paulisper repressit sitim: deinde crescente æstu rursum desiderium humoris accensum est. Ergo quicquid vini oleique erat, hominibus ingerebatur*. Ac paulo post idem *ibid.* vers. 10. *Ex iis qui præcesserant ad capiendum locum castris, duo occurrunt utribus aquam gestantes, ut filiis suis, quos in eodem agmine esse, & ægre pati sitim non ignorabant, occurrerent*. His deinceps utribus quos stramentis repleverant, incubantes
D amnem transnavere, *vers.* 18. Dolabras quoque habuere milites, queis sylvas stravere, queis glaciem, queis muros perfregere. Vid. Curt. V. 6. 14. VIII. 4. 11. IX. 5. 19. Paulo ante notavimus impedimenta plerumque agmen clausisse. Eadem tamen non raro seorsim cum præsidio relicta. Ita Alexander *Erigyium impedimenta, modico præsidio dato, campestri itinere ducere jussit. Ipse cum phalange*, &c. idem VI. 4. 3. Et *ibid.* 5. 11. *Impedimentis cum præsidio relictis* (ne scilicet morarentur agmen) *invicta manu comitante processit*. Sarcinæ exercitus, (quas aliquando ab Alexandro, ut sui habiles militiæ & ad omnia parati essent, crema-
E tas fuisse superius dictum est) equis atque curribus vehebantur. Rex Philotam ἀναλαβόντα τῶν ἱππέων ὅσους ἐς προσφυλακὴν, καὶ τὰ ὑποζύγια τὰ ἐκ τοῦ στρατοπέδου, ἐς ἐπισιτισμὸν ἔπεμπεν, Arr. *lib.* I. p. 14. Cum in Mediam tenderet Alexander, τὰ μὲν ὑποζύγια, καὶ τὰς τούτων φύλακας, καὶ τὴν ἄλλην κατασκευὴν ἕπεσθαι ἐκέλευσε. *Impedimenta, eorumque præsidium & reliquum apparatum subsequi jussit*, idem *lib.* III. p. 206. De plaustris atque curribus quibus sarcinæ vehebantur, hæc habe ex Curtio VI. 2. 16. *Discurrunt* (milites) *lymphatis similes in tabernacula, & itineri sarcinas aptant, signum da-*
F *tum crederes, ut vasa colligerent. Totis castris tumultus hinc contubernales suos requirentium, hinc onerantium plaustra*. Alexander *sarcinas & impedimenta cum Parmenione mittit, qui ea in Persas, via curribus apta ducat. Erigyium exteros, reliquumque equitatum via plana cœterum longiore ducere jussit, cui currus, atque impedimenta, ac cœteram turbam adjunxit*, Arr. *lib.* III. p. 201. & 215. Illud adhuc notabimus, quod *pedites saucios commilitones gestare adsueverint*, Curtius VII. 6. 8. Quare cum Rex ob vulnus in crure acceptum *lectica militari*

ferretur, quam pro se quisque eques pedesque subire certabant, eripi sibi proprium officium tum potissimum cum Rex gestandus esset, questi sunt.

Jam in exercitio operis laboribusque perferendis plane egregios atque longe præstantissimos fuisse Macedonas quis dubitet? cum tanta bella confecerint, tot tamque numerosas gentes subegerint, tantas tamque munitas urbes ceperint, certe, uti non sine sanguine, ita nec sine pulvere atque sudore. Hi nempe sunt illi Polybio *lib.* IV. c. 2. laudati *in fossis ducendis, vallisque faciendis operosissimi, & circa omnem hujusmodi ærumnam laboriosissimi.* Quot non labores vel in sola Tyri obsidione exhauserunt? & quamvis principio *ingens eorum animos desperatio incessit, cernentium profundum mare, quod vix divina ope posset impleri;* tamen strenue operi institerunt, donec urbs post septimestrem tandem obsidionem capta est, Curtius IV. 2. 16 Bis mare saxis arboribusque ingentibus repletum, & a fundo maris in altitudinem montis opus excreverat, bis moles a maris æstu hostibusque subrutæ, nec tamen quicquam post hæc cessatum. Et quis compendio enumeret omnes labores in illa obsidione exantlatos? Quoties vero muri urbium brevi tempore quassati ac diruti? Quot turres, ex quibus in medias hostium urbes despectus esset, exædificatæ? quot aggeres qui mœnium altitudinem æquarent extructi? Quoties cuniculis actis suffossus subrutusque murus? Quid? & majora his. Non semel Alexandro consilium fuit muro murum circumdare. Quod certe animo non proposuisset, nisi virtuti militum suorum eorumque in laboribus tolerandis operibusque maximis perficiendis dexteritati confidere tuto potuisset. Ita κατακλείσας τὰς πολεμίας ἐς τὴν πόλιν Πήλλιον, καὶ στρατοπεδευσάμενος πρὸς τῷ τείχει, ἐγνώκει περιτειχισμῷ ἀποκλεῖσαι αὐτάς. *Hostibus intra mœnia Pellii conclusis, castrisque ad muros positis, statuerat alio in orbem muro ducto ipsos intercludere*, Arrianus *lib.* I. p. 13. De Milesiis includendis simile ejus consilium apud eundem p. 53. videre est. Craterum deinde ad obsidendam Cyropolim maximam Sogdianorum urbem misit. *Imperavit autem ei ut castra prope urbem locet, fossamque in orbem ducat, & vallo muniat*, idem *lib.* III p. 241. Quot vero urbes in expeditionibus suis Alexander opera militum suorum excitavit? quæ atque quanta hi suæ laborum patientiæ monumenta, adhuc quoque orbi miracula, reliquere? Unicum tantum de his Curtii testimonium adducam. Cum Alexandria ad Tanaim conderetur, *Opus*, ait ille VII. 6. 26. *tanta celeritate perfectum est, ut decimo septimo die, qua munimenta excitata erant, tecta quoque urbis absolverentur. Ingens militum certamen inter ipsos fuerat, ut suum quisque munus (nam divisum erat) primus ostenderet.* Cœterum de operis exercitio satis. Quis autem est, qui de Macedonum in armis exercitatione dubitare queat, nisi qui omnino sit ἀνιστόρητος? Res certe ipsa loquitur. Quare non opus, ut ego de his multa. Qui enim tanta bella comitti non solum ac profligari, sed etiam confici ab his potuissent, & nunquam non victoribus, nisi *ad nutum monentis omnes intenti, sequi signa, ordines servare didicissent?* nisi *obsistere, circumire, discurrere in cornu, mutare pugnam, non duces magis, quam milites calluissent?* Curt. III. 2. 13. 14. Specimen exercitii armorum habes apud Arrianum *lib.* I. p. 15. Alexander ne milites sui *desides otio dimitterent animos, judices dedit, præmiaque proposuit de virtute militari certantibus*, Curtius V. 2. 2. Fortasse huc non immerito referam illos ἀγῶνας γυμνικοὺς τε καὶ ἱππικοὺς, quos in honorem Deorum sæpius institutos fuisse Libro II. memoravimus. Quid enim aliud, quando de Alexandro Arrianus scribit *lib.* I. p. 53. Πομπὴν ἔπεμψε ξὺν τῇ στρατιᾷ πάσῃ ὡπλισμένῃ τε καὶ ὡς ἐς μάχην ξυντεταγμένῃ, quam armorum quoddam atque militare exercitium in honorem Dianæ Ephesiæ institutum designari putem? Huc pertinet illud Livii XL. 6. *Mos erat, lustrationis sacro* (de quo mox dicemus) *peracto exercitum decurrere, & divisas bifariam duas acies concurrere ad simulacrum pugnæ.* Addit deinde idem: *Regii juvenes* (Perseus atque Demetrius) *duces ei ludicro certamini dati. cæterum non imago fuit pugnæ, sed tanquam de regno dimicaretur, ita concurrerunt: multaque vulnera sudibus facta, nec præter ferrum quicquam defuit ad justam belli speciem.*

De ritibus, legibus, moribusque apud exercitum Macedonum observari consuetis dicturo, primo loco se offert, cujus paulo ante mentio facta, Lustratio exercitus. Deorum cultum atque crebra Sacrificia ab Alexandro armato neglecta haud fuisse alibi ostensum est. Ad Sacra Macedonum hæc quoque exercitus lustratio pertinet, de qua Hesychius: Ξανθικά, ἑορτὴ Μακεδόνων, Ξανθικοῦ μηνὸς η΄. (hæc lectio Radero arridet) ἀγομένη, ἔστι δὲ καθάρσιον τῶν στρατευμάτων. *Xanthica, solenne Macedonum, Xanthici mensis octavo die peractum. Est autem expiatio sive lustratio exercituum.* Describit eam lustrationem Curtius X. 9. 12. *Macedonum Reges ita lustrare soliti erant milites, ut discissæ canis viscera ultimo in campo, in quem deduceretur exercitus, ab utraque abjicerentur parte: intra id spatium armati omnes starent, hinc equites, illinc phalanx.* Verbis autem, quæ ista, modo a me recitata, præcedunt, causam ob quam hæc lustratio institui solebat, indicat, *num.* 11. *Placet exercitum patrio more lustrari. & probabilis causa videbatur præterita discordia.* Verum plenius de his Livius XL. 6. *Forte lustrandi exercitum venit tempus, cujus solenne est tale. Caput mediæ canis præcisæ, & prior pars ad dexteram cum extis, posterior ad lævam viæ ponitur. inter hanc divisam hostiam copiæ armatæ traducuntur. Præferuntur primo agmini arma insignia omnium ab ultima origine Macedoniæ Regum: deinde Rex ipse cum liberis sequitur. proxima est regia cohors custodesque corporis: postremum agmen Macedonum cœtera multitudo claudit.* Dehinc simulacrum pugnæ institutum est, de quo paulo ante dictum. De religione autem hujus Sacri abunde nos Demetrius apud eundem Livium docet. Is apud patrem Philippum a fratre Perseo delatus, ac si eum veneno tollere, aut ferro interficere voluisset, eo ipso die quo lustratio peracta fuerat, se inter alia in hunc modum de cogitati parricidii scelere purgat, *lib.* XL. c. 13. *Tempora quidem qualia sint ad parricidium electa, vides: lusus, convivii, comissationis. Quis dies? qualis? quo lustratus exercitus, quo inter divisam victimam, prælatis omnium, qui unquam fuere, Macedoniæ regum armis regiis, duo soli tua tegentes latera, pater, prævecti sumus, & secutum est Macedonum agmen. Hoc ego, etiamsi quid ante admisissem piaculo dignum, lustratus, & expiatus sacro, tum quam maxime in hostiam itineri nostro circumdatam intuens, parricidium, venena, gladios in commissationem præparatos, volutabam in animo. Ut quibus aliis deinde sacris contaminatam omni scelere mentem expiarem?* Quem locum eo minus huc transscribere piguit, quod, præter ostensam religionem hujus sacri, repræsentat quoque omnes lustrationis cerimonias.

Ad alia nunc transeo. Moris non erat ut milites in castris atque militia uxores secum haberent, Arrianus *l.* I. p. 68. Quare dimissi ex Caria, qui paulo ante expeditionem uxores duxissent, iisque permissum ut in Macedonia cum illis hibernarent. Hinc novum illud quod Alexander, *ne solus vitiis eorum, quos armis subegerat, succubuisse videretur, militibus quoque suis permisit, si quarum captivarum*

consuetudine tenerentur, ducere uxores: existimans, minorem in patriam reditus cupiditatem futuram, habentibus in castris imaginem quandam larium, ac domesticæ sedis, Just. XII. 4. 2. Solebant quoque Macedonici milites barbam radere ne ea prehendi possent. Forsan & capillos? ut adeo illud Strabonis huc pertineat, quod de κουρᾷ Macedonum scribit *l.* VII. De barba res certas Τοῦτο δὲ ἀμέλει καὶ Ἀλέξανδρον τὸν Μακεδόνα ἐννοήσαντα φασὶ προστάξαι τοῖς στρατηγοῖς ξυρεῖν τὰ γένεια τῶν Μακεδόνων, ὡς λαβὴν ταύτην ἐν ταῖς μάχαις οὖσαν προχειροτάτην. Hæc Plut. habet in *Theseo*, cum paulo ante commemorasset, Abantes, ne nexum hostibus capillorum præberent, tonsos fuisse.

Quod prædam attinet, eam aliquando sibi Rex solus vendicabat. Arr. *l.* I. p. 6. *Alexander prædam in maritimas urbes remisit, Lysaniæ & Philotæ ejus administrandæ negotio dato*. Idem cum Getarum urbem cepisset & prædam omnem a Getis relictam, *prædam quidem Meleagro & Philippo abducendam tradidit*, idem p. 11. A Philip. 20000. *nobilium equarum* ex præda Scythica *ad genus faciendum in Macedoniam missa*, Just. IX. 2. 16. Aliquando tamen & militum præda fuit. Adeo quidem ut Alexander ante prælium Arbeliticum ad milites dicat: *Unum pene se communis prædæ exortem, in illis colendis ornandisque usurpare victoriæ præmia*, Curtius IV. 14. 6. Captis Darii castris, quæ erant *omni opulentia ditia, ingens auri argentique pondus, non belli, sed luxuriæ apparatum, diripuere milites*, nec quicquam intactum reliquere præter tabernaculum Darii, quod Alexandro, ita tradito more, reservabatur, idem III. 11. 20. In Damascenis opibus *non sufficiebant prædantium manus prædæ*, idem *ibid.* 13. 11. Persepolis, in quam *totius Persidis opes congesserant barbari*, militibus quoque prædæ fuit. gaza tamen regia Alexandro tradita est. Quemadmodum hic *inter ipsos victores ferro dimicatum sit, & pro hoste fuerit qui preciosiorem occupasset prædam* videas pluribus apud Curt. v. 6. *Phalanx mœnia oppidi* Branchidarum *circumire jussa; & dato signo diripere urbem proditorum receptaculum, ipsosque ad unum cædere*, idem VII. 5. 32. Alias tamen & homines in prædam venere. Qui pro servis deinde habiti. Scythis victis a Philippo *viginti millia puerorum ac fœminarum capta, pecoris magna vis, auri argentique nihil*, Just. IX 2. 15. *Thracum fœminæ, quotquot eos sectabantur, omnes captæ: pueri etiam & præda omnis abducta*, Arr. I. p. 6. *Sed auro argentoque* ex præda Persepolitana *onusti* milites *vilia captivorum corpora trucidabant; passimque obvii cædebantur, quos antea pretium sui* (solebant enim captivi sub corona vendi) *miserabiles fecerat*, Curt. v. 6. 6. Capta Sogdianorum aliqua urbe, *signoque; ut puberes interficerentur, dato, reliqui in prædam cessere victoris*, idem VII. 6. 16. Captivos venditos ac pro mancipiis fuisse illa præter alia arguunt *num.* 27. *Incolæ novæ urbi* (Alexandria hæc erat ad Tanaim sive Orxantem potius) *dati captivi, quos, reddito precio dominis, liberavit* Alexander. *Multitudo dedititiorum*, (qui ante cum Arimaze petram occupaverant) *incolis novarum urbium cum pecunia capta dono data est*, idem *ibid.* 11. 29. Captivos sub corona venundatos idem IX. 8. 15. ex Clitarcho annotat. Militibus nonnullis stipendium quoque datum est. Philippus Amyntæ filius multorum qui stipendia facerent, certum & validum numerum sibi legit. Diod. *l.* XVI. p. m. 849. Alexander ubi Ecbatana venit, Thessalos equites aliosque socios in maritimam oram remisit, *dans illis & integrum, uti par erat, stipendium, ac insuper* 2000. *talentum donans. Quicunque autem illorum adhuc viritim* (pro se) *stipendia mereri vellent, conscribi jussit*, Arr. *lib.* III. p. 206. Macedonibus ἐθελονταῖς stipendium cum dimitterentur cum donis datum. Vide eundem *lib.* VII. p. 464. Huc refero illud Curt. v. 1. 45. *Ex pecunia deinde Babyloniæ Macedonibus equitibus* 600. *denarii tributi; peregrinus eques* 500. *accepit. Ducenis pedestrium stipendium mensum est*.

Præmia quoque militaria fortibus viris tributa. Curt. IX. 1. 1. Ita Alexander *milites, quo promtioribus animis reliqua belli munia obirent, pro concione laudavit. Et bellicas uniuscujusque laudes, quem vel ipse præclarum aliquod facinus in pugna patrantem viderat, vel patrasse constanti fama acceperat, verbis ornavit, & pecuniarum largitione singulos pro suo merito dignitateque honestavit*, Arr. II. p. 113. Capta Persepoli *dona amicis cæterisque pro cujusque merito dedit. propemodum omnia, quæ in ea urbe ceperat, distributa*, Curt. v. 6. 20. Philippus post prælium apud Chæroneam eos, qui strenue pugnaverant, pro cujusque merito honoravit, Diod. *l.* XVI. At filius hujus *eos qui præclarum aliquod facinus edidissent aureis coronis donavit*, Arr. *l.* VII. p. 449. Et *propositis præmiis de virtute militari certantibus*, IX. *qui fortissimi judicati essent, singulis militum millibus præfuturi erant*, Curt. v. 2. 3. Neque minor illis honor habitus, qui in prælio pro Rege & patria dimicantes cecidissent, Arr. *l.* I. p. 48. Eorum qui in prælio ad Granicum occubuerant equitum æneæ statuæ a Lysippo jussu Alexandri fictæ in Dio oppido positæ sunt, Vell. I. 11. 4. Parentibus autem eorum omnium, qui post illam pugnam desiderati sunt, ac liberis, Alexander in sua cuique regione, vectigalium immunitatem concessit, omniaque quæ aut corpore præstantur servitia, aut ex facultatibus penduntur tributa, remisit. Supra Libro I. pluribus deduximus, quod vix ullum apud Macedonas militiæ tam solenne munus fuerit, quam humandi suos, ex Curt. v. 4. 3. Hic nempe supremus honor iis qui fortiter pugnantes occubuerant, habebatur, ut ξὺν τοῖς ὅπλοις τε καὶ ἄλλῳ κόσμῳ sepelirentur. Unde Arrian. *l.* II. p. 113. de militum sepultura ait: Ἀλέξανδρος τοὺς νεκροὺς ξυναγαγὼν ἔθαψε μεγαλοπρεπῶς. Et *l.* v. p. 351. Οἱ ἀποθανόντες ἐν τῇ μάχῃ κεκόσμηντο τῷ πρέποντι κόσμῳ. Unicum addo ex Liv. XXXVI. 8. Antiochus Syriæ Rex cum in Græciam trajecisset, *Philip. Megalopol. cum* 2000. *hominum ad legenda ossa Macedonum circa Cynoscephalas, ubi debellatum erat cum Philippo, misit; sive ab ipso quærente sibi commendationem ad Macedonum gentem & invidiam Regi, quod insepultos milites reliquisset, monitus; sive ab insita regibus vanitate, ad consilium specie amplum, re inane, animo adjecto. Tumulus est in unum ossibus, quæ passim strata erant, coacervatis factus*.

Quemadmodum vero terræ ossa alicujus mandari honoris erat signum, qui mortuo adhuc habebatur; ita sepultura carere non parum ignominiæ afferebat. Hinc milites ut delinirent Alex. animum dolore confectum, Clitum se *sepultura probibituros* professi sunt, *ni rex humari jussisset*, Curt. VIII. 2. 12. Interfecto Parmenione *dilapsis pluribus pauci remanserunt, qui saltem ut corpus ipsius sepelire permitterent, precabantur*, id. VII. 2. 31. 32. Magna quippe hujus viri dignitas & apud milites auctoritas cum amore erat, adeo ut indignum existimarent hunc tantum ducem insepultum abjici. *Sed diu id negatum est Cleandri metu, ne offenderet regem: pertinacius deinde precantibus, materiem consternationis subtrahendum ratus, capite deciso truncum humare permisit. ad regem caput missum est*. Alius cujusdam militaris ignominiæ Curtius mentionem facit *ibid.* 37. 38. *Qui forte tædium laboris per literas erant questi, hanc seorsum cohortem a ceteris tendere ignominiæ causa Alexander jubet: fortitudine usurus in bello; libertatem linguæ ab auribus credulis remoturus*. Post hæc vero *nihil illis ad bella promtius fuit, incitabat virtutem & ignominiæ demendæ cupido; & quia fortiora facta in paucis latere non poterant*.

Tandem de Commeatu dicemus atque Missione. Commeatum interdum dari solitum illud argumento est, cujus sæpe jam meminimus, quod aliqui

M. cedonum domum remissi sunt, ut cum uxoribus hibernarent, Arrian. *l.* I. p. 68. Dimittebantur atque militiæ oneribus eximebantur, qui vel seniores facti, vel quibus alias matura erat missio. Verum interdum & ignominiosa missio fuit. Cum aliquando *vecordes & disciplinæ militaris immemores omnes simul missionem postulare cœpissent; deformia ora cicatricibus, canitiemque capitum ostentantes*, Curt. x. 2. 12. (nempe ut regem his veluti justis causis moverent). Tum Alexander ira stimulante omnes eos abire, atque oculos suos liberare ingratissimos cives jussit, conf. Arr. *l.* VII. Acerbitatem verborum quibus dimissi sunt, pluribus apud Curtium expressam videas. Verum ii mox pœnitentia ducti summopere annisi sunt, ut regis placato animo denuo reciperentur, pro militibusque haberentur. Certum autem atque definitum terminum aut annos, quibus militare debebant, Macedonibus non fuisse, ex multis colligo. Cum *Græci milites redire domos juberentur, Macedones ipsi quoque finem militiæ adesse credebant*, Curt. VI. 2. 17. Quod utique non factum fuisset, si compertum habuissent, quot annorum spatio militiæ munera absolvere deberent. Plerumque certe in castris senes facti tædio laborum sæpius missionem flagitarunt. Seniorum tamen habita ratio, ne tantis, quantis juvenes, cogerentur laboribus defungi. *Macedonum ætate graves præsidere arcis Susianæ custodiæ jussi*, idem V. 2. 16. Tandem omnino dimissi sunt. *Septem millibus seniorum Macedonum & præterea militibus, quorum opera uti desisset, permissum, in novam urbem considere*, idem VII. 3. 23. Remissi quoque domum. *Rex, quibus matura erat missio, electis 800. fere, equiti bina talenta dedit; pediti terna denarium millia: monitosque ut liberos generarent, remisit domum.* Arrianus *l.* III. p. 233. Ἐκλέξας τοὺς πρεσβυτάτους [illegible] ἀπολε[illegible], καὶ τῶν Θεσσαλῶν τοὺς ἐθελοντὰς κατα[illegible], ἐπ᾽ [illegible] ἀπέσταλεν. Libro ultimo περὶ ἀναβάσεως Ἀλεξάνδρου p. 464. Arrianus illa habet. *Dehinc Macedones voluntarii ab eo dimissi sunt, qui aut per ætatem, aut aliquam membrorum mutilationem inutiles bello erant: decem circiter millia fuere. Quibus quidem non exacti tantum temporis stipendia persolvit, sed etiam viatico quod ad reditum sufficeret est prosecutus.*

Hæc sunt quæ de disciplina Macedonum dicenda habuit. Pauca adjicere visum est de Victoriæ apud Macedonas usu, opimis spoliis, atque tropæis. Victoria Macedonum Reges plerumque clementer usi, nisi vel rebelles ad obsequium redegissent, vel graviora ante in se ausos devicissent. Thebis quidem captis nullum in ea urbe crudelitatis exemplum prætermissum constat: viros fœminasque promiscua strages hausit; nec ab impuberum cæde temperatum est. Vid. Arr. *l.* I. p. 24. Sed Phocensium Platæensiumque & Orchomeniorum & Thespiensium ea infamia fuit; quibus olim dum Thebana res valebat, vicinæ civitatis opulentia exitiosa fuerat: Macedones ultra fas belli non sæviere, Diod. *l.* XVII. In Tyrios crudelius aliquanto consultum est. Sed irritaverant hi animum victoris non mora solum obsidionis, sed multo magis, quod *caduceatores, qui ad pacem eos compellerent*, ab Alexandro *missos, contra jus gentium occisos præcipitaverunt in altum*, Curt. IV. 2. 15. Quare *Alexander exceptis, qui in templa confugerant, omnes interfici, ignemque tectis injici jussit*, idem 4. 13. 17. Quin etiam *triste deinde spectaculum victoribus ira præbuit regis. duo millia, in quibus occidendi defecerat rabies, crucibus affixi per ingens litoris spatium pependerunt*, idem VII. 5. 32. *seq.* Branchidarum urbs in gratiam Milesiorum dato signo direpta, ipsique ad unum cæsi. *Tandem ut dejicerent* Macedones, *fundamenta murorum ab imo moliuntur, ne quod urbis vestigium extaret*. Sogdiani defecerant, iis victis, urbes eorum dirutæ, signoque dato puberes fere omnes interfecti sunt, Curt. VII. 6. Opima spolia apud Macedonas expetita fuisse idem innuere videtur III. 11. 7. cum de ipso Alexandro Rege scribit: *Alexander non ducis magis, quam militis munera exequebatur; opimum decus cæso rege expetens*. Geminum huic de Erigyio VII. 4. 40. Alexandro *Erigyius spolia barbari* (Satibarzanes is fuit, singulari certamine ab Erigyio victus atque occisus,) *ceu opimum belli decus præferens, occurit*. Apud eundem Scriptorem Alexander in oratione quadam tropæorum meminit, quæ in Scythia Europæa erigere in animo haberet. *Et quanti*, inquit ille, *æstimandum est, dum Asiam subigimus, in alio quodammodo orbe tropæa statuere!* Verum videtur Curtium erroris arguere Pausanias, qui expressis verbis tropæa Mac. reges erigere solitos negat. Sunt autem illa *l.* IX. Φίλιππος οὐκ ἀνέθηκεν ὁ Ἀμύντου τρόπαιον, οὔτε ὁπόσας μάχας ἄλλας Βαρβάρους ἢ καὶ Ἕλληνας ἐνίκησεν. οὐ γὰρ τι Μακεδόσιν ἱστάναι τρόπαια ἦν νενομισμένον, &c. *Philippus Amyntæ F. neque ad Chæroneam, neque usquam vel de Barbaris, vel de Græcis a se victis ullum erexit tropæum: neque fuit omnino patrius Maced. mos, victorias suas tropæis ullis testatas relinquere*. Rationem deinde addit, quare id fieri non soleret. *Et a Macedonibus ipsis traditum, Caranum Regem suum victo in pugna Cisseo, qui finitimis imperabat, Argivorum ritu tropæum constituisse. Erumpentem ex Olympo leonem ita illud subvertisse, ut prorsus fuerit abolitum. Intellexisse Caranum, id sibi merito contigisse, quod eo monimento erecto, spem sibi reditus in gratiam cum finitimis præcidisset. Reliquo dehinc tempore, neque Caranum, neque successorum quenquam tropæum ullum excitasse; quod nempe sibi ad reditum in gratiam cum hostibus loci aliquid relictum voluerunt. Satis certum fuit hujus rei argumentum, quod Alexander neque de Dario, neque de Indicis victoriis tropæum ullum erigendum curavit*. Hactenus Pausanias. Attamen an ejus auctoritas nos movere debeat, ut reliquos omnes, qui Macedonicorum tropæorum mentionem faciunt, ἀκύρως locutos fuisse credamus, merito dubitat Vir eruditissimus Joh. Freinshemius in *Notis ad Curt.* III. 12. 27. ubi hac de re uberrime. Neque ego nunc actum a Viro doctissimo agam. Hoc solum notabo, Philippum Amyntæ filium non tantum de Illyriis, sed & de Atheniensibus prælio ad Chæroneam victis tropæa excitasse, teste Diodoro Siculo *lib.* XVI. Certe quod tropæa attinet Alexandri M. nam & hunc nullum erexisse Pausanias scribit, ut alia taceam, loquuntur tot urbes ab eodem Rege, (quam aliam ob causam, nisi ut victoriarum monumenta essent?) excitatæ. Urbem, victoriæ apud Issum τρόπαιον καὶ δεῖγμα, Herodianus suo adhuc tempore superfuisse memorat III. 4. 6. Nec nisi tropæi loco fuere *castra* illa, quæ *velut in finem victoriæ solito magnificentiora fieri jussit, quorum monitionibus & hostis terreretur, & posteris admiratio sui relinqueretur*, Just. XII. 8. 16. Indidem Alexander *erigi* XII. *aras ex quadrato saxo, monumentum expeditionis suæ jussit*, Curt. IX. 3. 19. ut Arrianus tradit altitudine quidem maximis turribus bellicis pares, latitudine, quam quæ turrium est, majore, *lib.* V. p. 374. f. χαριστήρια τοῖς ἐς τοσόνδε ἀγαγοῦσιν αὐτὸν νικῶντα, καὶ μνημεῖα τῶν αὐτοῦ πόνων. *His aris diis gratias agebat, quod ipsum eo usque victorem perduxissent, & laborum suorum monumenta consecrabat*.

Atque hic & ego laboris mei ac Dissertationis limitem pono. Hæc enim sunt, quæ de Regni Maced. Antiquitatibus dicenda habui; in quibus e veterum Scriptorum monumentis eruendis, digerendis, congerendisque, si non diligentiæ par in omnibus judicium attuli, licet non sim laudem meritus, saltem veniam me ab æquis harum rerum æstimatoribus impetraturum esse certo certius confido.

F I N I S.

PETRI HENDREICH

MASSILIA.

PATRUIS OPTIMIS

Dn. PETRO
Dn. ANTONIO } HENDREICH,
Dn. HERMANNO

OMNI OFFICIORUM ET OBSEQUIORUM GENERE ÆTERNUM DEVENERANDIS,

S. P. D.



MASSILIÆ Vobis deſcriptionem, Viri Nobiliſſimi, Ampliſſimi, offero. Exiguum eſt munus, ſi opuſculi ſpectetis molem, ac vernantis adhuc ingenii mei ſtilum; at ob rei argumentum gratum omnino futurum haud dubito. Multa quippe admodum præclara hac de Rep. veterum ſcriptorum reliquerunt monumenta, quæ carptim ex iis conquiſita in faſciculum hunc colligare fuit animus. *In quo ſi quid peccatum* (verbis me Lipſii excuſo) *poſt emendabitur, quia libellum hunc, velut in guſtum do & periculi faciendi cauſa*. Veſtro autem conatus hoſce inſcribo Nomini, utpote cui quamplurimum & velle me & debere ingenue fateor. Vos enim mihi per novennium fere apud exteros degenti, & in ipſo juventutis ac peregrinationis limine patre orbato, parentis loco omni conſilio & auxilio adfuiſti promptiſſimi; ut ita vacuis manibus ad vos redire nefas eſſe duxerim. Accipite igitur lubentibus animis ac ſereno vultu, munus hocce, ex Muſarum (quas hucuſque foviſtis ac promoviſtis) penu, quamvis rudi admodum & ſterili, prolatum, imprimis autem animum tot beneficiorum memorem & devota ſtudia, quæ æternum meritis Veſtris debeo. Valete, Viri Nobiliſſimi, Ampliſſimi, & favete atque amate.

Vobis addictiſſimum

PETRUM HENDREICH

LECTORIS.



I quis perpetuas rerum humanarum vicissitudines, variasque variarum gentium consideret migrationes, Tyriorum procul dubio & Phocæensium imprimis inveniet colonias, quæ vel ob antiquitatem, vel ob rei gestæ eventum ac successum (quo plerumque facta æstimantur) singulari memoratu atque admiratione digna merito haberi debent. Per tot enim casus ac maris discrimina exules hi e patrio solo profugi miro tandem modo superatis sævientium fluctuum marinorum globis ac innumeris periculorum vadis, in Libyam, Galliamque expositi sunt, ubi sedem locumque exilii sui invenerunt atque posuerunt feliciter. Illam frater Christophorus levi, quod dicitur, penicillo adumbrare conatus est; editionem vero, ob iter in patriam susceptum, distulit, maturaturus tamen, simul ac penatibus redditus fuerit. Hanc autem (Phocæensium puto coloniam) ipse aggressus sum pro viribus describere, cum illustre hujus rei monumentum adhucdum hodie, quamvis non in eo, quo olim viguit flore ac honore, extet urbs incolis dicta Marseille; *olim vero etiam admiranda ac præstantissima illius fuerit Respublica. Hoc motus, ex variis auctoribus, quorum copiam eximiorum aliquot virorum mihi aperuit humanitas haud vulgarem, quædam collegi, quæ jam amicorum quorundam suasu luci dare compulsus sum. Plura quidem, dicenda restare, ingenue fateor; verum cum libri nonnulli, qui plurimum hac in re juvissent, defuerint, facile veniam merebor. Defuit Petrus Quinqueranus, qui de laudibus Provinciæ scripsit; defuit Pontani Itinerarium Gallico-Narbonense, & aliqui adhuc, quorum usum, vel ipsa raritas, vel loci distantia denegavit. Ipsa adhæc temporis vetustas plurima exedit monumenta, vel bellum forsan Gothicum pleraque tumulavit; quod tamen erudite multis refutat Johannes Poldus d' Albenas Nemausi urbis descriptor insignis, ac ab injuria Gothos vindicat; quos vulgo Europæum hunc nostrum orbem vastasse dicunt. Utcunque sit, quantum invenire potui, tantum in breve hocce conjeci atque redegi opusculum. In quo concinnando verba sæpe ac sententias probatiorum auctorum in usus meos transfudi, ab Eximio Politico ita edoctus:* Satius esse ex variis prudentiæ auctoribus optima quæque congerere, quam propriæ viribus excogitata periculose proferre. *Scio autem varia ac dissimili hosce conatus meos suscipi interpretatione, ab iis scilicet, quorum mos est, aliena despicere superbe, propria vero suspicere gloriose. Non tamen hoc opusculi hujus morabitur editionem, cum me amicorum satis firmaverint eoque traxerint consilia; ipse vero etiam sciam,* difficile esse omnibus placere, & apud æquos rerum æstimatores componere aliquid in quacunque arte, laudabile admodum esse.

MASSILIA.

DUM premitur ſævis Phocæa obnoxia Perſis,
Fidere ſtat regnis Ennoſigæe tuis;
Et quo fata ferent peregrinas quærere terras:
Libertas inter barbara teſqua placet.
Celſorum vigui qua fœdere tuta Quiritum,
Eximium ſocio nomine nacta decus.
Tandem ſceptra colens magni florentia Regis,
Fortunæ gratas prædico læta vices.

R. K.

PETRI HENDREICH MASSILIA.

SECTIO I.

DE ORIGINE ET SITU MASSILIÆ.



ASSILIENSIUM mores, atque res geſtas deſcripturus, operæ pretium me facturum exiſtimo, ſi a primordio Urbis initium ſumam, ipſiuſque Reipublicæ natales atque incunabula paulo altius repetam. Ab exiguis enim illa profecta initiis, imo e fugitivis aliquot navibus (tantillo operis fundamento) repente caput extulit, eoque crevit, ut armis prævalida, multos coloniarum tractus, tanquam fecunda mater, ex ſeſe diffuderit, firmiſque fœderibus, præſertim cum populo Romano initis, novam in Gallia ſibi Reipublicæ aſſeruerit formam. Quæ inter aſſiduas bellorum tempeſtates. quæ aliis civitatibus exitio eſſe ſolent, invicta ſteterat, omnigenaque floruerat, ut Martem armorum illic ſedem fixiſſe, Muſas relicta Græcia, terrarum illo quondam phrontiſterio, ſtudiorum locum ſibi elegiſſe, merito quis dicere poſſit. Rem autem vulgatam omnibuſque notam narrare videbor; a Phocænſibus enim crudelitatem præfecti Regis Cyri Harpagi averſantibus, indeque ex Aſia in Galliam ſolventibus conditam eſse, etiam iis, qui hiſtoriarum fontes, primis, ut ajunt, labris delibarunt, haud ignotum eſse ſcio. Utcunque ſit juvabit tamen, ut ſpero, pauca de Phocænſium migrationibus, in limine opuſculi noſtri ex incorruptis rerum geſtarum monumentis petita, commemorare. Cum vero Herodotus hiſtoriarum pater (ita a Cicerone *de Legib.* Eloquentiæ Romanæ parente vocatus) ea prolixius, quam ut lectorem eo remittere debeam perſcripſerit; ego rem brevi verborum complectar compendio, ne enumeranti fuſius,

A quædam rerum ipſarum copia ſubducat aut rerum moretur ordinem. Talis autem fuit rei geſtæ Scena. Cyrus Monarchiæ Perſicæ conditor, Rex potentiſſimus ac tot bellorum victor, totius orbis terrarum imperium ſpe ac mente concipiens, varia adverſum circumjectas nationes ſuſcepit bella, quæ nonniſi victoria feliciter terminavit. Inter cætera autem Aſtyagem avum veterem propter injuriam, cujus apud præpotentes in longum acris memoria eſſe ſolet, ſtructamque ſibi necem armis aggreſſus eſt; quo debellato regnoque expulſo, Crœſum Lydorum Regem, aut quia Aſtyagis affinis ſui partes ſecutus, aut quod continua felicitate ad ſuperbiam prolapſus, bello invaſit: quem brevi victum vinctumque pyræ impoſuit, donec tan-
B dem ab igne liberatum, contra omnium ſpem in amicorum atque conſiliariorum numerum reciperet. Tum Iones atque Æoles Græcæ originis & linguæ gentes, cum proſperos hos Cyri ſucceſſus, ſibi ac poſteris ſuis, plus nimio quam ſatis tutum eſſet, creſcere viderent; fœdere cum Lacedæmoniis, quibus & hæc Perſica arma, vicinorum jam cruore imbuta, ſuſpecta erant, inito, omnia communiter in bellum conſilia, Pythermo, Phocæenſi tum legationem obeunte, verterunt. Ac quamvis Cyrus varias pacis offert conditiones, quibus illos firmare ſibi pertentabat; tamen illi miſeram pacem, ſub cujus velo pactio ſervitutis morte ipſa triſtior latere videbatur, bello mutare ex
C præſentibus tutiſſimum eſſe judicabant. Volutatis igitur inter ſe rationibus laudatoque conſilio non ultra morati, arma ceperunt, Lacryne Viro ſuorum ſpectatiſſimo ad Cyrum præmiſſo, qui mandata ei perferret. Hic ad Regem introductus, dicendi poteſtate facta, commiſſa aperit: Græciæ civitatibus damnum ne inferret, dicens, Lacedæmonios utpote periculorum, bellorumque ſocios, id minime toleraturos. Acribus ſane hæc initiis, fine autem incurioſo.

1 Herodolus *lib.* 1.

Cyrus enim, cui tunc ne nomen quidem Lacedæmoniorum notum erat, ira simul ac dolore stimulatus, quod e medio victoriarum revocaretur cursu. Et his, si modo Superi me servaverint incolumem, non Ionum modo, sed propria sua incommoda erunt deploranda, respondit. Hocque dicto Mazarem citis cum militibus ad subigendam Ioniam ire jussit, ipse in Orientem profectus, cujus tum res turbabantur, ideoque festinati eo itineris necessitudinem fecerant. Jam Iones, quibus hucusque bellum placebat, suis diffisi viribus, cum Mazarem finibus suis appropinquantem inaudivissent, ad sapientiora conversi, arma deposuerunt, nullum aliud sibi remedium contra vim tantam superesse rati, quam huic præpotenti principi sese permittere, sub quo meliorem dediti, quam hostes habituri essent fortunam. Mox igitur legatos Sardis misere, qui nullis precibus omissis, eandem a Cyro, quam Lydis antea dederat, veniam impetrarent, nunciarentve simul: Iones se ei, urbes, agrosque suos dedere atque intactis viribus jugum tanti Regis lubentes excipere. Verum Cyrus sero eos ab offenso Rege pacem petere respondit, apologo hujusmodi usus atque similitudine. Tibicen quidam conspectos in mari pisces, cantu se suo allecturum existimabat, cum vero surdas eorum aures frustra diu pulsasset, verriculo ingentem eorum cepit numerum; & cum illi in sicco, elementum suum repetituri palpitarent, iratus in hæc erupit verba; temperate nunc mihi quæso a saltationibus, siquidem me tibia canente vobis non libuit saliendo progredi. Hisque dictis legatos dimisit, atque Harpagum in locum Mazaris demortui suffecit, qui Ioniam ingressus, Phocæa prima illius civitate potitus est, reliquis urbibus captis ac ductis aggeribus, totam provinciam Persicæ adjecit dominationi. Ipse vero regendis Phocænsibus impositus, cuncta malefacta sibi tanta potentia subnixo impune futura ratus, ea sævitia usus est, ut illi extrema quæque pro libertate experiri, quam diutius sub immanissimo servitutis jugo miserrimam, ipsaque morte tristiorem ducere vitam, sibi proponerent. Impetrato itaque ab illo ad consultandum de demolitione propugnaculi, quam iis proposuerat, die, conscensis navibus imposita supellectili, Statuis templorum & donariis, cæterisque quas itineri tum aptare licuerat, sarcinis secum ablatis, una cum uxoribus liberisque cujuscunque fortunæ sociis, in Chion insulam trajecerunt, quasi in dubiam imperii servitiique aleam ituri. Pulchre admodum hac de re Horatius ita canit, *Epod.* libr. od. XVI.

Forte quid expediat, communiter aut melior pars
Malis carere quæritis laboribus.
Nulla sit hac potior sententia Phocæorum,
Velut profugit execrata civitas:
Agros atque lares patrios, habitandique fana
Apris reliquit, & rapacibus lupis.
Ire ..... quocunque per undas
Notus vocabit, aut protervus Africus.

Sed haud grati Chiis hospites hi a gentili solo profugi, protinus sedem mutare coacti sunt. Cum enim ab iis insulas Oenusas, pretio certo sibi comparare non possent (metuebant enim ne commerciorum jura eo translata apud se interciderent) in Cyrnum seu Corsicam insulam concedere consilium ceperunt. Antequam autem illuc trajicerent, Phocæam natalem urbem, visuri forsan, quo in statu, res illius sub Harpagi dominatione essent, relegerunt; quam ingressi, pristinæ adhuc fortunæ memores, & jam præsentis tyrannidis pertæsi, igni ferroque vastarunt, Persasque præsidium ibi agitantes, ne inulti patriam relinquerent, trucidarunt. Post solitudine hosti ita

A relicta, hi penatium, quos a populationibus vindicare debuerant, populatores, navibus conscensis, discesserunt, alibi sedem locumque fortunis suis quæsituri. Cum in alto jam essent, renovatis dextris, juramento mutuo sese adstrinxere, saxoque in aquam projecto, votum fecere, se de patria repetenda non prius cogitaturos, quam saxea hæc moles (lapidem ignitum fuisse vult Erasmus in *Adag.* Callimachum secutus, nec non Turnebus *lib.* XIV.) vadis imis levata renarit. Quod his expressit verbis Horatius, *Epod. Od.* XVI.

Sed juremus in hæc, simul imis saxa renarint
Vadis levata, ne redire sit nefas.

B Ex his fuere multi, qui inter revertendi fugiendique consilium hæsitantes, juramento tandem violato, Phocæam reversi sunt, adeo magna patriæ caritate tenebantur. Sed fuere etiam & illorum quidem plures, qui firmata concordia, patriaque ejurata, susceptum perfecerunt iter, atque recto cursu Cyrnum pervenerunt. Ubi humaniter ab incolis excepti, sua per quinquennium stativa habuerunt. Interim vero hospitio hoc usi populabundi magis, quam justi more belli vicinos circumquaque infestabant, opulentissimasque ex eorum terris agebant prædas; prædari autem tum temporis, teste Justino *lib.* XLIII. gloria habe-
C batur. Quod etiam ante Justinum & post Homerum Thucydides ex amica illa apud Homerum interrogatione probat. Julius quoque Cæsar *bell. Gall.* lib. VI. latrocinia apud Priscos Germanos, quæ extra fines cujusque civitatis agebantur, nullam habuisse infamiam asserit. Fiebant enim, ut ipsi prætendebant juventutis exercendæ ac desidiæ minuendæ caussa. Hinc factum est, ut, qui Ducem sequi recusasset vel agmine decessisset, tanquam proditor vel desertor aliquis perjurus infamia notaretur. Vide Cluver. *Germ. Antiq.* lib. I. Grotium *de Jure Bell. & P.* lib. II. cap. XV. Fiebant
D etiam victus tantum causa sine insigni alicujus injuria atque detrimento, ut putat Schefferus *de Milit. nav.* lib. I. cap. I. donec in sceleratam tandem reverterentur rapinam. His igitur, quas modo memoravi prædationibus exciti Carthaginenses, sociatis cum Tyrrhenis sexaginta navibus, rapaces hos vicinos vi repellere, ablataque armis recuperare decreverunt Phocænses, quorum tum aucta erat potentia, non minus ad arma concurrunt, ac totidem naves hostibus objiciunt, præmia armorum armis defensuri. Disponuntur jam classes pari utrinque spe, ac tandem concursu facto pugnant. Eventus prælii Phocænsibus
E lætior quidem fuit, ac victoria penes eos; sed quæ impendio haud levi steterat, quadraginta enim naves amiserant, quarum pars ab hoste ablata, pars mari hausta est, reliquæ viginti contusis rostris factæ sunt inutiles. Non defecere tamen animis Phocænses, quanquam ab ingenti spe destituti, sed claudis suis navibus raptim refectis, liberos atque uxores, charissimam sui partem imposuerunt, convasatisque quantum poterant, bonis ac facultatibus suis, relicta Cyrno, quasi ad majora ducentibus fatis, quidam eorum Rhegium in Italiam, quidam Italiam prælegentes, in Galliam concesserunt. Qui Rhegium confugerant civita-
F tem condiderunt in agro Oenotriæ, Parmenidis & Zenonis Pythagoreorum quondam patriam; Herodoto, *Hyela*, Straboni, *Elea*, Ammiano Marcellino, nec non Hygino apud A. Gell. *Velia* vocatam, unde Eleatici Philosophi prodierunt, de quibus vid. Lips. *Manud. ad Philos. Stoicam.* diss. IX.

—— cui plurima debet
Mundus, & antiquæ gaudent quo vindice chartæ.

Qui

Qui Galliam appulerunt, non procul a Rhodani A ostiis urbem posuerunt nomine MASSILIAM. Tejos etiam tum temporis in Thraciam navibus trajecisse, ibique Abderam urbem a Temezio Clazomenio antea fundatam, quod tamen impugnat Salmasius, *Exercit. Plin.* p. 106. incoluisse historiarum [1] testantur monumenta; nec non Phocæensium coloniam in Asiam deductam putat Lazius *de rebus Græcis*, pag. 48. Nos dimissis rerum aliarum, quæ tum gestæ sunt, Synchronismis, de transmigratione Phocæensium in Galliam, ex Justino hoc ponimus: Temporibus Tarquinii Regis, ex Asia Phocæensium juventus, ostio Tyberis invecta, amicitiam cum Romanis junxit; B inde in ultimos Galliæ sinus navibus profecta, Massiliam inter Ligures ac feras Gallorum gentes condidit. Duces autem itineris Protim ac Simon fuisse idem ait: & cum eo Plutarchus, in *Solone*. Cælius Rhodig. *lib.* XXVIII. *cap.* XV. Peranum nominat; vir omnigenæ quidem doctrinæ, quem tamen Autorem, unde ista hauserit, hoc in loco protulisse vellem, sed puto vitiosum Justini quoddam exemplar secutum. Strabo *lib.* VI. Creontiadem vocat. Nonnulli Furium classi præfuisse existimant, de quo videndus Bertaldus *Flori Gallici* Autor *lib.* I *cap.* VI. Casaubonus in doctissimis suis *in Strabonem castigationibus* litem hanc diremisse C videtur, dum, illorum qui Galliam petierunt duces Simon ac Protim fuisse putat, illorum qui in Italiam iverunt, Creontiadem. Ex his jam patet, Massiliam origine Græcam esse, Græcosque loco parentum agnoscere. Sed de ipsius provinciæ nomine variis hic certant Autores sententiis. Quidam Phocidem provinciam, quidam Phocæam Ioniæ urbem, Matricem Massiliæ statuunt; validissimi ab utraque parte autores sunt, quos secuturi, quæ diversa prodiderint, sub nominibus ipsorum trademus. Pro Phocide est Thucydides, *lib.* I. Livius *lib.* V. *cap.* XXXIV. qui hæc habet D verba: *Massilienses erant, hi navibus a Phocide profecti*. Seneca *ad Helviam matrem*, *cap.* VIII. his verbis, *Phocide relicta*, Gellius *lib.* X. *cap.* XVI. qui *Phocidem terram* vocat, Lucanus *lib.* III. Adstipulatur his Sabellicus *fol.* 87. Pro Phocæa vero, cui sententiæ & nos subscribimus, militat historicorum antiquissimus Herodotus, *lib.* I. qui tot circumstantiis rem hanc illustrat, ut non alia, quam Phocæa Ioniæ Urbs intelligi possit. Consentiunt quoque Strabo *lib.* IV. Silius Italicus *l.* XV. Solinus *c.* VIII. Plinius *l.* III. *c.* IV. Ammianus Marcellinus *l.* XV. ipse quoque Livius, qui antea nobis contrarius, jam nostræ accedit opinioni, dum *lib.* E XXIV. *c.* IX. Massilienses a Phocæa oriundos esse dicit. Unde vult Henricus Glareanus in *notis suis* etiam in supra dicto Livii libro quinto ita legendum. Idem putant Joachimus Vadianus *ad Pompon. Melam* lib. II. Manutius in *epistolis Ciceronis ad Atticum* lib. II. Idem Brodæus *lib.* III. *cap.* XXVII. Sed quia in hoc nomine etiam prisci utriusque linguæ Scriptores hæsitarunt aut erravere, non operam me lusurum puto, si summorum virorum Scaligeri & Salmasii erudita collectanea & sententias in medium protulero. Verba Scaligeri in *Animadversionibus ad Eusebii Chronologica*, p. 81. hæc sunt. *Sed cum multis abutitur* (Solinus F scil.) *Phocensium nomine, quum Massiliotæ non oriundi ex Phocensibus, sed ex Phocæensibus*. Φωκὶς *est regio Græciæ, cujus Metropolis Delphi, a qua* Φωκεῖς, *Phocenses*. Φωκαία *vel* Φωκαιν, *urbs Ioniæ, ex qua* Φωκαιεῖς, *Phocæenses*, & Φωκαῖται, *Latine etiam Phocæi*. *Horatius*,

—— Phocæorum
Velut profugit execrata civitas.

Harpocration, ὑπὸ Φωκαίων ᾠκίσθη ἡ Μασσαλία. *nisi legendum sit* Φωκαέων. *Sed non est necesse*. *Mela*: *Massilia a Phocæis condita*, *non autem*, *Phocensibus*, *Seneca in* Epigrammate:

Corsica Phocaio tellus habitata colono.

In vetustissima insciptione: LITORE. PHOCAICO. PELAGI. VI. EXANIMATAS. *Loquitur de Corsica*. *Ammianus*: a Phocæa vero Asiaticus populus Harpali inclementiam vitans Cyri Regis præfecti Italiam navigio petiit, cujus pars in Lucania Veliam, alia condidit in Viennensi Massiliam. *Quare excusari non possunt Veteres Scriptores*, *summi alioquin viri*, *qui hæc confundunt*. *Seneca* ad Helviam Matrem *de Massiliensibus*, cap. VIII. *Phocide relicta*. *Atqui non* Φωκίδα *regionem Græciæ*, *sed* Φωκαίαν *urbem Asiæ reliquerunt*. *De Lucano nihil mirum post patruum tantum virum*:

—— nec Phocidos undis
Massiliæ ——

Φωκίδα Μασσαλίαν *vocat potius quam* Φωκαΐδα. *Ejus exemplo Sidonius*:

Ibis Phocida, Sextiasque Bajas.

Desine mirari Eustathium, *qui commentario* in Dionysium *de Massilia loquens non semel* Φωκεῖς *pro* Φωκαεῖς *dixit*. *Habet majorem gentium authorem*, *quem sequatur*, *Callimachum*:

Φωκείων μέχρις γε μεῖ'ον μέγας εἰν ἁλὶ μύδρος.

Producitur iste versus Callimachi a Scholiis in Antigonam Sophoclis *in illud*, καὶ πῦρ διέρπειν. *Sed* ὅδε/ φρος ἔπος. *Qui* Φωκεῖς & Φωκαεῖς *sine delectu usurpat*, *potest Ioniam Asiæ eandem putare cum Phocide Græciæ*. *Recte in veteribus nummis hæc distincta sunt*. *In nonnullis* ΦΩΚΙΔΟΣ, *in aliis* ΦΩΚΑΙΕΩΝ. *Alterum est Græciæ*, *alterum est Asiæ*. Hucusque Scaliger. Sequitur Salmasius, cujus verba ex *Exercitationibus Plinianis*, quia liber non est in omnium manu, describere etiam non piguit, *p.* 94. *Error est communis Latinorum scriptorum*, *Phocenses*, *qui Phocaenses erant*, *appellantium*. *Phocaenses ab urbe Asiæ Phocæa condiderunt Massiliam*, *non Phocenses a Phocide*, *regione circa Parnassum*. *Illi* Φωκαιεῖς *vel* Φωκαεῖς *dicti*: *Isti* Φωκεῖς. *Stephanus*, *ut alios omittam*: Μασσαλία πόλις τῆς Λιγυστικῆς κατὰ τὴν Κελτικὴν, ἄποικος τῶν Φωκαέων. *Id utcunque tolerandum Phocænses*, *contracte dixisse pro Phocaenses*. *Sic ab urbe* Νικαίας ἐθνικὸν *Græce* Νικαιεὺς, *Nicaneus*. *quod postea Latinis*, *Nicænus*. *Sic Phæthon pro Phaethonte*. *Sed quod Phocidem pro Phocaide passim dixere*, *id nullo modo ferendum*. *Lucanus de Massiliensibus* lib. III.

Et post tralatas exustæ Phocidos arces.

quomodo enim ἡ Φωκὶς *possit esse* Φωκαΐς *aut* Φωκαιίς; *atqui idem Lucanus paulo ante Phocaida juventutem de Massilitanis dixerat*:

Phocais in dubiis ausa est servare juventus
Non Græca levitate fidem.

quasi idem esset Φωκαΐς & Φωκὶς: *id etiam feramus Phocida pro Phocaide*, *quis vero æquanime patiatur quod idem Lucanus Phocaicum* κτητικῶς *usurpavit pro Phocico a regione Phocide quæ circa Parnassum*:

- - - crinesque in terga solutos
Candida Phocaica complectitur insula lauro.

1. Herodotus *lib.* I.

ubi Phocaica laurus manifeste pro Parnassia & Phocica, qua ratione fieri possit, Φωκαϊκὸν ἀπὸ τῶν Φωκέων *non video. nec enim* Φωκεῖς ἐθνικὸν Φωκαῖος *facere queant, atqui a* Φωκαῖος, Φωκαϊκὸς; *ut ab* ἀρχαῖος ἀρχαϊκὸς; *ab* Ἀχαῖος Ἀχαϊκὸς; ἀπὸ τῶν Φωκέων, ὁ Φωκικὸς πόλεμος, Φωκικὴ ἀπόνοια. *ita Phocaicas manus pro Phocicis dixit* lib. III.

Phocaicas Amphissa manus scopulosaque Cyrrha,
Parnassusque jugo misit desertus utroque.

apparet eum τὴν Φωκαιὰν *Ionicam urbem in Asia confudisse, &* τὴν Φωκίδα *Achaiæ regionem, insanum quam magno errore. Phocæi Asiatici colonias etiam in Corsicam deduxerunt. unde Seneca in* Epigrammate:

Corsica Phocaico tellus habitata colono.

ita legendum ex vetustissimo codice non Phocaio. *Nam aut* Phocæo *aut* Phocaico *scribendum. Fallitur etiam vir magnus, quod in partem hujus hallucinationis Græcos quoque vocare conatur. nec hilum facit versus Callimachi, in quo non* Φωκείων, *sed* Φωκαέων *scribendum:*

Φωκαέων μέχεις γε μένῃ εἰν ἁλὶ μύδρος.

Certe nunquam Græci confuderunt, τοὺς Φωκεῖς καὶ τοὺς Φωκαεῖς; τὴν Φωκαΐαν καὶ Φωκίδα. *quod apud Eustathium Commentario* in Dionysium, *ubi de Massilia loquitur,* Φωκεῖς *aliquoties nominantur, erratum est non ipsius auctoris, sed librarii qui* Φωκαεῖς *scribere debuit. Etenim cum Stephanum sequatur Eustathius, qui Massiliam Phocaensium* τῶν Φωκαέων, *coloniam esse scribit; & verba etiam ejus exscribat, quod* Φωκεῖς *in eo legitur, id palam est librarios peccasse. Hoc igitur Latinorum peccatum, non Græcorum. Et quod jure mireris, etiam apud Plinium ita legas in libris membranaceis: At in ora Massilia Græcorum Phocensium fœderata. Sic & hoc loco similia ejus Phocenses, pro Phocænsibus dixit.* Hactenus ille. Pro Phocæa tandem quoque est Vellejus Paterculus, *lib.* II. *cap.* XV. quem dum nomino, non possum, quin animadversum ab eo, totque magnis exemplis suffultum Romanorum illud de Coloniis extra Italiam non deducendis arcanum huc ponam. Ita autem ille: *In legibus Gracchi inter perniciosissima numeraverim, quod extra Italiam colonias posuit: id majores, (cum viderent tanto potentiorem Tyro Carthaginem, Massiliam Phocæa, Syracusas Corintho, Cyzicum ac Byzantium genitali solo) diligenter vitaverunt, ut cives Romanos ad censendum ex provinciis in Italiam revocaverint.* Hac enim imperii arte publicis utilitatibus ac majestati (judicium est Clarissimi Boecleri in *Notis ad d. l. Patercul.*) plurimum consuluerunt, solet enim fieri, ut filia ipsa matre urbe major sæpe evadat. Interim tamen necessarium statuunt Politici, in unum aut alterum adeptæ ditionis locum, colonias, veluti claves mittere; illis enim, ut cum Lipsio loquar, *de militia Rom. Polit.* IV. 7. 15. nihil ad vim imperii firmius est. Et hæc de Phocæensium migrationibus dicta sufficiant; antequam autem ultra progrediar, illud prætereundum non existimarim (omnium enim sententias in medium proferre lubet) quod Porcius Cato & C. Sempronius, nec non Plinius, Græcos ex Attica jam diu ante Phocæenses nostros, imo etiam ante Trojanum bellum ex Italia duce Phaethonte ejusque filio Ligure migrasse ferunt, ab illisque ortos Ligures asserunt. Sed fundamento parum solido, cum neque tempus quo id contigerit, quave usi fortuna sedes patrias reliquerint, definiant: verum Græca usi fabula, ne unum quidem eorum, qui Græca conscripsere, autorem nominent. Adde quod hæc, ut doctis notum, sint ex Scriptoribus, qui ab Annio Viterbiensi conficti, petita. De quibus operæ pretium erit legere Vossium *de Historicis Latinis.* Vid. Joh. Chrysost. *lib.* I. *col.* 123. 152. Zanchium *de origine Cenoman.* necnon Diodorum Siculum *lib.* IV. qui Phaethontis in ostia Padi adventum, fabulam ex Veteribus omnino incredibilem vocat. Putat tamen Drusius *ad loc. Exod. cap.* XXXII. quod ejusmodi antiquorum fabulæ religionis Christianæ antiquitatem asserere videantur, sicque per hunc Phaethontis casum Luciferi lapsum voluisse illos significare. De quo Mornæus *de verit. relig. Christ.* & Petr. Molinæus *en son Theophile.* Sicut per ejusdem incendium de quo Ovidius *Metam.* l. II. Sodomorum excidium. Missis his, nobilissimi illius Scriptoris Gallici Stephani Pasquier, l. I. *des Recherches*, sententiam, cur migrationes ejusmodi hodie evanuerint, coronidis loco attexam. Putat autem exinde evenire, quia fortitudo militaris in callidam sedentariæ quietis degenerarit versutiam, existimatque Galliam, quæ innumeram olim bellatorum effudit turbam, tunc totidem Scribas, Notarios (*Chriquaneurs* vocat & *Gastepapiers suivans l'estat de la plume*, injuria tamen esset, si omnes) suppeditare posse. Cæterum ad Phocæenses, unde mea divertit oratio, revertor. Hi in Galliam per tot discrimina rerum ac casus varios tandem delati, loci opportunitatem quærebant, ubi urbem ponerent. Itaque volutatis inter se consiliis, Nannum (ut Justin. *l.* XLIII.) Segobrigiorum Regem conveniunt, amicitiam ejus expetentes, qua firmata, primitias novæ urbis locare, sibi licitum esset. Prudens sane eorum consilium, eoque magis laudandi, quam Trojani apud Livium, *lib.* I. qui cum in agrum Laurentem venissent, hostili modo Latinorum agros populabantur, adeo ut Latinus Rex adscitis Aboriginibus ad vim arcendam concurrere necessum habuerit. Sed mirus tum casus nostris accidit Phocæensibus, ut merito Pomponius Mela *lib.* II. *cap.* XII. in admirationem sit raptus, tam facile illos sedem alienam inter dissimillimas cepisse gentes. Forte enim impræsens evenit, ut Nannus Rex, Just. *lib.* XLIII. supra cit. memoratus, filiæ suæ, cui nomen Gyptis indiderat (*Pettam* vocatam Athenæus lib. XIII. *Deipn.* vult) nuptiarum celebraret hilaria, secutus morem gentis suæ, maritum illi traditurus, quem ipsa inter epulas sibi eligeret. Convocabantur tum hospitaliter quamplurimi, qui delectum hunc nuptiis diem concelebrarent, ac inter cæteros Græci hi recens advenæ quoque invitabantur. Cum omnes præsentes essent, virgo hæc jamjam nuptura a patre jubetur aquam porrigere ei, quem virum sibi adsumere vellet. Illa circumlatis oculis, in hos peregrinos incidit, atque ex illis aquam Proti Phocæensium Duci porrigit. Euxenum fuisse ex Aristotele probat Athenæus, lib. XIII. *Deipn.* nec non Guilielmus StucKius *lib.* I. *Antiquitatum conviv.* Contra Plutarchus in *Solone*, mercatorem quendam fuisse autumat. Sed verius Protim fuisse credendum est. Hinc enim Massiliæ *Protiadæ* vocatæ sunt Athen. *loco* mox *citato* Contracto sic matrimonio Protis hic ex hospite repente gener factus, locum futuræ urbis a Rege Socero facile accepit, cui enim sors dedit corpus, animum quoque denegare non potuit. Hic igitur est Protis, cujus auspiciis Massilia nostra feliciter fundata est, ac postea non minus feliciter crevit. Humanitas autem hæc Regis Segobrigiorum, nec non affinitas cum Phocæensibus contracta, admodum laudanda videtur, cum hoc pacto sibi regnoque suo mirum in modum prospexerit, finesque ejus amplificaverit, hominumque

multitudine impleverit. Hinc etiam filia ejus, mutato nomine, Aristoxena, (ut Dio *lib.* XLI. & Ath. *Deipn.*lib. XIII. quod erga hospites benevola fuisset, postea vocata est. Imitatus Romulum, qui plerosque populos eodem die & hostes & cives habuit, ut non mirum sit, quod in tantum opes ejus viresque creverint in annis circiter, quibus regnavit, triginta septem. Laudat quoque hoc institutum Imperator Claudius, qui Tacito teste, lib. II. *An.* cap. XXIV. dum Galli jus adipiscendorum in urbe Roma honorum expeterent, inter cætera præsente ac fluctuante Senatu hæc disseruit: *quid aliud exitio Lacedæmoniis & Atheniensibus fuit, quanquam armis pollerent, nisi quod victos pro alienigenis arcebant*. Ac paulo post: *Jam moribus, artibus, affinitatibus nostris mixti* (Galli scilicet) *aurum & opes suas inferant potius, quam separati habeant.* Pluribus de advenarum cura prudentissimus ac fidissimus scriptor Xenophon *De ration. redituum* agit, qui proventum hunc ex optimis rerum publicarum augmentis esse dicit; cum advenæ atque exteri suis se alant sumptibus, multisque aliis commodis adficiant civitatem, non tamen ullam accipiant mercedem, sed potius pensionem sibi imperatam dando, ærarium publicum una cum ipsa Republica augeant atque amplificent.

Chronologiam hujus migrationis variam ponunt. Tempore Cyri conditam esse ex historicorum scriptis probari potest, inciditque tempus in annum, si communem sequamur calculum, ab orbe condito 3400. Cum eo consentit Cassiodorus, in *Chron.* Justinus, *lib.* XLIII. nec non Eutropius, *lib.* I. p. m. 461. qui tempore Tarquinii Prisci, Cyri coætanei, id factum esse scribunt. Solinus *Polyhist.* ad Olympiadem refert quadragesimam quintam. Petavius in *Ration. temporum* circa Olympiadem sexagesimam evenisse dicit. Aristoteles ante id tempus contigisse supputat, teste Harpocrat. in *Massilia*. Arbitrum litis hujus constituo Doctorum nobilissimum, & Nobilium doctissimum illum omnis literaturæ dictatorem Scaligerum, quo nemo melius

—— annosi correxit tempora mundi.

Hic in suis *in Chronicon Eusebii Animadversionibus*, *pag.* 81. accuratius hæc pertractavit, Solinoque assentitur. Nec prætereundi versus Timæi apud Marcianum Heracleotam, quos Latinos ita reddidit Federicus Morellus *p.* 18.

—— cui continens
Massilia magna civitas colonia
Phocænsium; atque hanc in Ligustina, prius
Quam pugna Salaminia daretur, struxerant,
Annis decem denis, ut ajunt, insuper
Denisque bis: Timæus ita ait conditam.

Nominis Etymon ex Timæo historico notat Stephanus *de Urbibus*, dicitque urbem hanc nomen inde suum sortitam esse, quod Phocæensium gubernator, qui dubio procul supra dictus Protis fuit, navi egressurus conspectum in primo adventu piscatorem funem alligare jusserit. Μάσαι enim lingua Æolica idem sonat quod Δῆσαι, id est, *religare*. Alii talem ponunt nominis originem: Massilia dicitur ab ἁλιάς, hoc est, *nave piscatoria*, & μάσαι, id est, *alligare*, vel *quærere*, ut Rhod. *lib.* XVI. *cap.* VIII. quod locum hunc propter portum adpulsu fidelissimum navigantes sibi elegerint, Christianus Matthiæ in *theatr. histor.* Vide hic Volater. *lib.* III. *Geograph.* A Salyis nomen habere vult Jacobus Dalechampius in *not. ad Plin.* lib. III. cap. IV. Ptolemæus Commonopolim vocat a Rege forte Commano, de quo consulendus Bongarsius *ad Justin.* lib. XLIII. cap. III. Massaliam

A idem Ptolemæus ac cum eo Goltzius in *antiquis numismatibus* legunt, sed Græcorum more; cum Latini in plerisque vocibus a. in i. mutent, quas ex Græco deflexerant, ut docet Salmasius in *Not. ad Ælium Spartianum* p. 48. & *Exercitat. Plinianis in Solin.* p. 110. 185. 587. nec non Claudius Dausquius in *Orthograph.* Massyla quoque alias in historicorum invenitur scriptis, scribiturque per Ypsilon, vel etiam per V; verum hæc mediterranea est pars Mauritaniæ in Africa, a qua non longe absunt, ut Servius putat, Hesperidum horti & mons Atlas. Meminit hujus Virgilius, lib. IV. *Æneid.*

B *Hinc mihi Massylæ gentis monstrata Sacerdos.*

Meminit quoque Martialis *lib.* X. *epigr.* LXXVIII. narratque fuisse ibidem famosum illum serpentem, cui nomen Ladon erat. Hujus gentis equos Lucanus *lib.* IV. absque freno sola virgula regi scribit; dum ita inquit:

Et gens quæ nudo residens Massylia dorso
Ora levi flectit frenorum nescia virga.

Plura si quis volet de Massiliæ nostræ Etymo Eustathium videat, nec non P. Merulam; nos, re-C licta nominis crisi, ad situm urbis progredimur: Hanc Pompejus Trogus inter Ligures conditam esse dixit; sed cum Veteres latissimos olim Liguriæ terminos tribuerint, curiosius illos inquirere non suscipiam; cum & Jacobus Bracelius Genuensis in *Epist. ad Blondum Flavium Apost. Secret.* Liguriæ incola, & Joh. Poldus d'Albenas, *cap.* III. ingenue fateantur, se non posse abolitos & per tot ætates sepultos Liguriæ ac Galliæ Narbonensis fines eruere. Ipsi etiam Veteres de magnitudine Narbonensis longo admodum numero dissenserunt. Ita Missi Theodosii longitudinem ejus M. P. M. CCCXXXIV. latitudinem CLXXVIII. passuum D esse volunt. Plinius vero hanc CCCXLVIII. illam CCCLXX. tradidit. De quibus Salmasius in *Exercitat. Plinian.* p. 240. Ergo cum Justino dicam, conditam esse prope Rhodani amnis ostia in remoto sinu, veluti in angulo ac littore maris; unde fit, teste Cæsare lib. II. *de bell. civil.* quod ex tribus oppidi fere partibus mari alluatur. Strabo *lib.* IV. ipsam urbis structuram, ita describit: *Sita est loco saxoso, austro obversa, cum portus tum ipsa urbs est justæ magnitudinis, præclare ædificata.* Dissentit ab hoc Alex. ab Alexand. qui ex paleis tecta ædificiorum contignata refert; verum ab initio id factum esse crediderim, vel etiam de Massyla E Africæ regione intelligendum existimarim; ut vel Alexander, *Genial. dier.* lib. V. cap. XXIV. vel etiam typographus errore literæ y. lapsus esse videatur. Aut de Gallis id dicendum putarim, quorum ut & Britannorum casæ, referente Cæsare, stramento erant tectæ. Sed demus hoc, nil quicquam tamen laudis illud Massiliensibus derogabit, cum ut eximius Politicus Besoldus *de increm. imper* cap. II. docet, *quod non semper ex aspectu urbis & ædificiorum, de ejus potentia judicandum sit.* Et faciunt huc verba Thucydidis, quibus ille etiam utitur. Si Lacedæmoniorum urbs desolaretur, templis solum & ædificiorum areis relictis, in-F credibilis posteris, post longius elapsum tempus, eorum potentia gloriaque erit, cum ea urbs, neque templis & ædificiis sumptuosis exornata sit: verum antiquo Græciæ more, vicatim fuerit habitata, imparque famæ suæ visa. Sin autem ita eveniat in Atheniensium urbe; duplo major, quam est revera, eorum potentia urbis faciem intuenti apparebit. Solum Massiliæ quod attinet, atque agrum suburbicarium, qui Græcia (ut P. Mer. *Cosm.* p. 389.) vocabatur, illud ob asperitatem

suam frumenti admodum sterile est; hincque progressu temporis factum, ut Massilienses partim vicinorum agros, belli jure sibi acquisiverint; partim navigationibus potius, quibus telluris defectum & officium supplerent, quam Agriculturæ operam dederint, ne alias irritus labor, obstante natura, esset. Sic natura rebus mortalium optime consulens, quanto intra steriles Massiliam inclusit terræ fines, tanto ampliores ipsi oceani aperuit & concessit campos, quos subigat atque incolat. Sed præter hoc inopiæ huic vicinorum Gallorum mira prodigaque fertilitas largiter quoque subvenit, apud quos tanta frumenti vis multis ac diversis seculis (ut Rosinus lib. VII. c. 38. *antiq. Rom.*) ab Historicis notatur, ut gravitati annonæ sublevandæ aliorsum Romamque etiam copiose transvectum fuerit. Inprimis autem contermina Narbonensis provincia ac Aquitaniæ præsertim regio refertissimum illius granarium optimo jure dici potest; Illa enim (cum Plinio loquar) agrorum cultu, virorum morumque dignatione, amplitudine opum, nulli provinciarum postferenda: breviterque Italia verius, quam Provincia. Hæc (Salviani verbis utor lib. VII. *de gubern. Dei*) medulla fere omnium Galliarum est, & uber totius fæcunditatis, nec solum fæcunditatis, sed & quæ fæcunditati præponi solet, jucunditatis, voluptatis, pulchritudinis. Hinc uvarum passarum, ficuum, citreorum magna copia, tantaque rosmarini felicitas, ut juniperos nostros multitudine adæquent, ac sylvæ speciem quandoque præferant. Cæterum sua naturæ dona habet quoque Massilia nostra, nec terra ejus plane otiosa est & inutilis. Sifer illius (Pastinacam vocat Poldus d' Albenas *p.* 210. & Salmasius in *Exercit. Plin. p.*) tanquam omnium optimum effert Plinius *lib.* XX. *cap.* V. curiosissimus ille reum naturalium indagator. Poldus d' Albenas *p.* 110. supra memoratus hæc, (citato Dioscoride, *lib.* II. *cap.* CVI. quæ tamen dicto loco invenire non potui) de sisere Massiliensi scribit: *C' est le Sisaron ou Pastinaca: dont escrit Dioscorides, que Tiberius Cesar faisoit apporter tous les ans d' Alemaigne d' un chasteau pres du Rhin, nomme Geldiera: mais non tant commodement, que de Marseille.* Seseli Massiliense alias ita describit idem Dioscorides, *lib.* III. c. LX. *Seseli Massiliense folia fœniculi habet, crassiora: caulem vegetiorem: umbellam anethi, in qua semen oblongum, angulosum, degustanti statim acre: radix longa est, jucundi odoris. Semen & radix excalefaciendi vim habent: potu stranguriæ & orthopnϾ medentur, suffocationibus mulierum comitialibusque prosunt, menses & partus trahunt: ad omnia interna mala pollent, tussim veterem sanant. Semen eum vino potum, concoquit, & tormina discutit: epialis febribus utile, & contra perfrictionis in itineribus, cum vino & pipere bibitur: capris, cæterisque pecudibus, datur in potu, quo facilius suos fœtus enitantur.* Vitibus præterea consitam Massiliensium terram haud obscure ex eo licet colligere, quod Plinius *lib.* XIV. *capp.* 1. & 6. pateram ex vitibus confectam Massiliæ asservari referat; vino autem singularem præ cæteris pinguedinem, geminumque saporem attribuat, illudque inter generosa vina enumeret. Confirmat hoc Athenæus, qui vinum illorum bonum esse dicit. Justinus *lib.* XLIII. id ipsum quoque innuit, dum a Massiliensibus Gallos didicisse vitem putare, olivamque serere scribit. Martialis quidem vina hæc tanquam fumea vituperat, *lib.* XIII. *epig.* 123. *lib.* X. *epig.* 36. qui tamen fumandi mos Veteribus ad conciliandam vinis gratiam crebro in usu erat. Nec illud omittam, dum de terræ natura mihi sermo: lateres ex terra illa factos siccatosque nunquam in aqua mergi, (ut Plinius *H. N.* lib. XXXV. c. 14.) quia nimirum e terra pumicosa constant.

Hæc sunt utilitatis ac necessitatis, sed nec illa quæ ad jucunditatem & delitias facere videntur Massiliæ nostræ desunt, hortos puto, quorum numerus hodie (ita Sincerus rationem subduxit) 1800. excedit. Meminit horum Pithœus in *Conjectaneis ad Petronium*, ubi Sidonii Apollinaris carmen *ad Magnum Felicem* citat, quod tale:

Et te Massiliensium per hortos
Sacris stipitis Arbiter colonum
Hellespontiaco parem Priapo.

De Accipitribus Massiliensium (Massylorum putant aliqui) hoc refert Plinius *lib.* X. c. 8. *illos humi fœtificare, nec alibi nasci cum illis gentibus jam assueti sint.*

Ac, ut terra relicta, ad aquas transeam, piscibus abundare Massiliam ex Æliano *lib.* XIII. c. 16. *de Animal.* liquet, qui Massilienses Thynnos (piscationem hanc Itali *cetiam* vocant,) maximis & firmissimis hamis comprehendere scribit. Est autem admiratione dignissimum, quod de piscibus littoris Massiliensis fossilibus (mugiles vocantur,) Strabo *lib.* IV. refert; illos scilicet, cum aratrum duos vel tres pedes in terram inducitur, sub existentibus glebis emergere vivos. Rationem rei hujus non satis assecuti Veteres, multa variaque super eo disseruere; Aristoteles tamen Doctorum ille Doctor hanc adfert, *de Mirab. Auscult. Esse nimirum prope Massiliam lacum quendam, qui dum exundat, loca vicina ingenti piscium copia tegit; quas postea Etesiæ terra obruunt, solidamque flatu suo efficiunt superficiem, sub cujus visceribus limosa aqua pisces hi vitam producunt.* Verum an hæc Philosophi ratio satis firma sit, doctioribus dijudicandum relinquo, cum Etesias in Gallia atque Italia non spirare, sicut in Græcia Geographi observaverint. Inter quos videatur Varenius, *Geogr.* lib. I. c. 21. prop. 5. qui caussas hujus pluribus exponit. Strabo *lib.* VI. miraculum naturæ vocat. Livius *lib.* XLII. magis attonitus, tanquam portentum quoddam narrat. Affine huic est Marsiletum lacus in agro Carcassonensi, qui ferventi æstate totus in salem concrescit, ut refert Bodin. in *theat. Nat.* lib. II. Non autem prætereundum hoc loco est, quod de his mugilibus Plinius *Hist. Nat. lib.* IX. *c.* 17. sequentibus tradit verbis: *Tanta iisdem est salacitas, ut in Phœnice & Narbonensi provincia coitus tempore e vivariis marem linea longinqua per os ad bronchias religata emissum in mare, eademque linea retractum fœminæ sequantur ad littus, rursusque fœminam mares partus tempore.* Hoc unum est naturæ miraculum; sequitur alterum non minus stupendum, singularique memoria ac admiratione dignum. Campus est, ille saxosus, inter Massiliam & Rhodani ostia a mari 100. circiter stadiis dissitus, quem Galli nativo sermones *les Craux* (de hoc vocabulo vid. Cambd. & Isaac. Pont. in *Itin. Gall.*) appellant; Antiquis, ut Plinio, campus saxosus, Solino Lapidarius, Melæ littus lapideum dictum. Totus hic campus lapidibus plane obsitus est, quibus terra herbam ferens, quam vocant Thymum, diversum tamen a Græco & capitato) ut Salmas. in *Exercit. Plin.* p. 1287.) subjacet, pecoribus pascendis abunde sufficiens, eoque opulentissimos reditus ac quæstus incolis præbens, ad quos e longinquis regionibus multa pecudum millia adveniunt, ut hac herba vescantur. De hoc vide Aristotelem, *Hist. l.* IX. ac Plinium, *lib.* XXI. c. 10. qui non quidem re, sed nomine dissentit, rubram enim herbam vocat; Incolis vernaculo sermone *la ferigolle* dicitur. Poldus d' Albenas, in *antiq. Nemaus. c.* 3. Injuriis autem cœli, ventorumque procellis impetuosissimis totus hic tractus expositus est, tantusque sæpe flantis boreæ furor ac

impetus exoritur, ut homines in terram etiam A ex vehiculis dejectos, una cum lapidibus agitet ac simul volvat, vestibusque tandem ac armis exutos plane obruat. Putarim illum eundem esse, ob quem provinciæ Narbonensis incolæ [1] vites suas nullis imponant fulcris vel pedamentis, ne dum altius assurgant, majori venti hujus pateant sævitiæ. Ventum hunc Boream nigrum vocabant Galli, [2] forte quia terram vehementer obscurabat, vel Circium, a turbine ejus, ut putat A. Gellius, *lib.* II. *cap.* XXII. aut vertigine. Quam Etymologiam tanquam ridiculam multis rejicit Salmasius in *Exercit. suis Plinianis* pag. 1258. ubi simul negat contra Plinium B ventum hunc esse Galliæ Narbonensis proprium, Viennensi autem incognitum, sed unum ex principalibus & authenticis ventis esse affirmat. De hoc Lucanus *lib.* I. ita:

—— *solus sua littora turbat*
Circius, & tuta prohibet statione Monaci.

Tanto ejus enim furore motus, ac violentia, Augustus, votum exsolvit, ac ne amplius Galliam rabidus infestaret, Diis templum Anemothidos Palladis dicavit, [3] Alex. ab Alex. *lib.* III. *cap.* XXII. Fœdam ipsius tempestatem non sine magno vitæ suæ periculo expertus quoque erat Claudius Imperator olim, cum enim ab Ostia portu solvens C navigaret, prope Stœchades insulas, tanta ipsius vehementia correpta est classis ejus, ut ægre per undarum globos eluctata, Massiliam perveniret. Plinius *l.* XVII. *c.* II. hunc etiam, sicut cæteræ naturæ stupenda, notavit, dum contra illum serere peritiam, eundemque oblique accipere providentiam esse dicit. Habet tamen & ille sua commoda, temperare enim frigiditate sua fervidissimum æstatis tempus idem dicto loco refert. Et hæc quidem de hoc vento, sed de lapidum hujus campi copia variæ variorum sunt sententiæ, ac mirum in modum laborarunt & æstuarunt Physicorum ingenia. D Aristoteles naturæ indagator solertissimus, referente Strabone, *lib.* IV. a terræ motibus, quibus ob ejiciendi vim *Braston* nomen est, lapides in superficiem egestos in cava loca confestim delapsos esse putat. Sed locum Philosophi, in quo hac de re tractet, nobis hodie superstitem non esse, vult Casaubonus in *Notis ad Strab.* Aristoteli cum sapientissimo Seneca nobilis ille ac militaris Historicus Ammianus Marcellinus *l.b.* XVII. suffragari videtur, qui quatuor terræ motus species referens, inter illos brasmatias vocat, qui humum quassantes ex intimis ejus secessibus immanissimas moles ejiciunt; in cujus rei E fidem insulam Delon allegat, quæ cum antea mari tecta esset, mox recedentibus aquis emersa, Latonæ a Jove compressæ, & locum ad pariendum quærenti sese ostenderit. Vid. hic Varenium in sua *Geographia* lib. I. cap. XVIII. prop. XIII. qui sententiam hanc multis comprobat argumentis, ipsiusque Senecæ roborat auctoritate, qui sua ætate Insulam Therasiam in Ægeo mari, & quidem spectantibus nautis, enatam commemorat. Posidonius vero a superiorum sententia longe diversus, lacum quendam fuisse existimat, qui nimia fluctuatione exaruit; hincque vagos undarum fluctus tot lapides, ut in fluminibus ac littoribus F fieri adsolet, congessisse. Æschylus, ac Plinius, *lib.* III. *cap.* IV. Poeticis magis decora fabulis, quam veritati consentanea, hac de re habent. Lubet tamen paucis commentum referre. Hercules cum a Geryone trium insularum, quæ Hispaniæ adjacent, Rege, boves eximios (quorum tanta pinguedo narratur, ut nisi sanguinis missione castigetur, L. dierum spatio nimium abdomen pecus suffocet) abduceret, iter per Ligurum terras fecit; quem cum regionis incolæ præda tam opima stipatum viderent, invaserunt. Tum Hercules se suaque defensurus sagittis, quibus tum instructus erat, impetum hostium diu repulit, multosque illorum confodit. Cum autem tanta multitudo inimicorum undique adflueret, ut tela missiliaque tandem exhauriret, in genua procumbens a Jove patre auxilium supplex rogavit; qui tum non diu moratus, laboranti filio subvenit. Concreti enim nubium nigrantium globi ingentem lapidum copiam torrentis modo cum fragore tonitribusque, veluti numine summo fatales defendente manubias, deficienti, totque vulneribus confosso suppeditarunt, ut facile iis postea hostem in fugam conversum profligaverit. Hæc Poetice reddit Æschylus, cujus versus a Salmasio emendatos lege *Exercitat. Plin.* pag. 58. Egregius in hanc fabulam extat Posidonii supra memorati jocus: præstare scilicet, saxa in ipsos injecisse potius Ligures, quam eo inopiæ lapidum adegisse Herculem. Igitur & nos Physicis hæc rimanda relinquamus; qui adeo in diversas iverunt partes, ut Poetarum mendacio locum tandem fecerint. Campis potius Massiliensium relictis, in urbem revertamur; intraturi autem ipsius munimentum contemplemur. Muro cinctam esse, nec non arcem habere loci ingenio ac valle altissima munitam ex Julio Cæsare lib. II. *de bell. civ.* constat; in qua oppugnanda quam maxime olim desudaverit C. Trebonius, ob prolixitatem suam in fine operis dicemus. Murorum autem præstantia ex eo æstimari potest, quod, Justino teste *lib.* XLIII. Galli illos imitati, simili opere urbes suas circumdederint. Cum vero formam murorum Gallicorum descripserit Julius Cæsar, lib. VII. *de bell. Gall.* n. 23. eam hoc loco mutuatam Massiliensibus adscribere, utpote rei hujus auctoribus, summo jure poterimus. Ea talis est: *Trabes directæ perpetuæ (id est, continuæ) in longitudinem, paribus intervallis distantes inter se binos pedes, in solo collocantur. Hæ revinciuntur introrsus & multo aggere vestiuntur. Ea autem intervalla, grandibus in fronte saxis effarciuntur. Iis collocatis & cogmentatis, alius insuper ordo adjicitur, ut illud idem intervallum servetur, neque inter se contigant trabes; sed paribus intermissæ spatiis, singulæ singulis saxis interjectis, arte contineantur. Sic deinceps omne opus contexitur, dum justa muri altitudo expleatur.* Hactenus ille. Templa in arce spectatu digna erant duo. Unum Dianæ Ephesinæ; alterum Apollini Delphico sacratum. Prioris templi hanc esse fundationem refert Strabo *lib.* IV. Cum Phocæenses a natali solo discessuri, Principem ac navigationis futuræ ducem ordinarent, Ephesum unanimi iverunt consensu, ab oraculo itineris eventum exploraturi. Ibi Aristarchæ honoratissimarum uni matronarum, Dianæ species per somnium oblata est, quæ ut accepto quodam e sacris simulachro, una cum Phocæensibus navale hoc iter subiret, jusserat. Creditum autori tam gravi, ut itineris cursus feliciter absoluto, fanum Deæ huic Ephesinæ sacrandam ad memoriam dicarent; Aristarcham autem templi hujus Sacerdotem perpetuam designarent. Minervæ præterea simulachrum summo honore cultum apud Massilienses legimus, apud Just. *lib.* XLIII. c. 5. & quidem ideo, quia Catamundus illius per quietem conspectu, ad pacem cum illis firmandam motus fuerat, ad quos antea collectis undique viribus opprimendos ac delendos venerat. De quo suo tempore plura memorabimus. Cæterum portum insignem Massilia nostra habuit, ob opportunitatem aditus, & quia

1 Plinius *lib.* XIV. *cap.* I. 2 Casaubonus *ad Strab.* 3. Suet. in *ejus Vita* cap. XVII.

magnarum navium patiens, admodum celebrem. Dictus is fuit Eustathio teste, Lacydon, theatrique formam cavato saxo exhibuit, ut Strabo refert *lib.* IV. Hinc Dionysius Alex. in sua *Periegesi*, sequentibus describit verbis, quæ Latine ita sonant: Ibique terra Massilia extensa est rotundum portum habens. Sed cum plerumque vetera extollamus, recentium incuriosi; Tacitus II. *An. c.* ult. hic sane aliter judicare licet, portus enim iste jam nostra ætate multo magis quam olim, & ob splendorem exornatus, & ob securitatem ac duratio nem aliquot turribus & loricatis insulis, prout cum inter recentiores machinali scientia clarissimus Matthias Dogen *Archit. milit.* lib. I. c. VIII laudat, munitus, firmatusque est. Nec non ad illius introitum turris posita est, in qua tormenta bellica collocata videntur, ad arcendos illos, qui vi intrare contendunt; ab hac rursus turri catena ducta obversum littus jungit, ingressumque moratur. Sunt præter hanc tria adhuc munimenta, quæ, quia tutius visum, in diversis urbi adjacentibus insulis dispersa. Proximum vocatur *Le Chasteau d' If*, quod a scopulo, qui totus etiam mu-

A nitus est, sustinetur: huic specula innititur, ex qua in late patens mare quam longissime prospectari potest. Huic a parte dextra visitur *Rattonneau*, a sinistra *la forteresse de S. Jean.* quæ turris rotunda, ampla, eoque recipiendis militibus abunde sufficiens est. Totus autem hic portus magno navium triremiumque regiarum numero semper refertus videtur, immensaque servorum (vulgo *sclavorum*) multitudo in iis conspicitur. De hoc videatur Sincerus in *Itinerario Galliæ*. Plura de ipsa Massiliæ topographia jam dicenda non occurrunt; monumenta, imprimis aquæductuum, (apud Paul. Merulam *p.* 394.) memoratu
B digna nobis quoque desunt; idque vel ob vetustatem, quæ opera non solum manufacta, sed ipsam etiam naturam paulatim exedendo perimit, vel ob temporum injuriam, quibus Gothi tanquam Cataclysmus quidam universalis, totum fere orbem, ac inprimis Galliam Narbonensem, ita vastarunt, ut nihil intactum in ea delinquentes, etiam nomen regionis, Gothiam vocantes, ad perpetuam sui memoriam mutaverint, vid. Cluv. *introd. Geogr.* lib. II. cap. XIII.

PETRI HENDREICH
MASSILIA.
SECTIO SECUNDA,
IN QUA
DE ADMINISTRATIONE REIPUBLICÆ MASSILIENSIS, EJUS LEGIBUS, INSTITUTIS, RELIGIONE, ET LIBERALIUM ARTIUM STUDIIS.



CIVILEM Reipublicæ Massiliensis descriptionem jam auspicor. Cum vero multo altiore, quam ego, buccina, eloquentiæ summus Cicero, Orat. *pro Flacco*, illius decantaverit excellentim, liceat mihi augustissimum elogium, quod audiente Senatu populoque Romano ore plenissimo in *defensione Fonteii* protulit, huc ponere. Ita autem inquit. *Neque vero te, Massilia, prætereo, quæ Lucium Flaccum militem, quæstoremque cognosti: cujus ego civitatis disciplinam, atque gravitatem non solum Græciæ, sed haud scio, an cunctis gentibus anteponendam jure dicam. quæ tam procul ab omnium Græcorum regionibus, disciplinis, linguaque divisa, cum in ultimis terris cincta Gallorum gentibus, barbariæ fluctibus alluatur, sic optimatum consilio gubernatur, ut omnes ejus instituta laudare facilius possint, quam æmulari.* Hæc ille: nec immerito. Omnium enim quotquot unquam extiterunt Rerumpubl. optime constitutarum laudatissima præ cæteris fuit, quæ licet inter tot barbaras gentes sedem habuerit suam, integritatem tamen morum, omnisque virtutis cultum intactum illibatumque servavit. Regiminis autem formam Aristocraticam fuisse,

E ex dictis Ciceronis liquet, qui ab Optimatibus gubernatam fuisse Massiliam modo retulit. Oligarchiam fuisse vult Aristoteles, *Polit.* lib. V. c. VI. qui, dum de commutationibus Oligarchiarum tractat, Massiliensium Oligarchiam ab ipsis divitibus, qui magistratus participes esse contendebant, mutatam esse dicit. Idem etiam *ibidem* lib. IV. c. XIII. inquit: Apud Massilienses Reip. administrandæ formam ex illis constitisse, qui arma gesserunt; Magistratum vero ex iis, qui militabant, lectum, imitatosque Græcos, qui, postquam Regibus uti desierunt, ex iis, qui arma ferebant, eligebant Magistratum. Sed salva Philosophi au-
F toritate, probabilem magis sequimur Strabonis *lib.* VI. ac Valerii Maximi *lib.* II. *c.* VI. sententiam, quia res Massiliensium, fusius accuratiusque, utpote socii ac vicini, pertractarunt. Quamvis non negarim, ut sunt temporum vices & quædam latentes Rerumpublicarum commutationes, aliquid etiam in hac Republica potuisse contingere; nihil est enim a periculo mutationis exceptum, non terra, non cœlum, non totus hic rerum omnium contextus; imprimis Respublicæ, quæ quia ex multis partibus constant, magis nutationi ac mutationi obnoxiæ sunt. *Qualemcunque etiam in ea gubernationis formam animo finxeris* (verba sunt Grotii *lib.* I. *c.* III. *de Jure B. & P.* merentur hic apponi) *nunquam incommodis aut periculis carebis.*

Hi autem (ad Strabonem ac Valerium Maximum redeo) expresse scribunt, ab Optimatibus Rempublicam illorum administratam fuisse, ac ut exactius rem definiant, numerum posuerunt, sexcentos fuisse, qui sexcenti Viri, ac Timuchi, quasi dicas honorum participes (*die Rathsfohig varen*,) vocabantur. Quorum officium non ambulatorium fuit, aut per orbes ibat, sed perpetuum, nec nisi una cum vita deponebatur. Præerant huic sexcentorum concilio (*Synedrion* vocat Strabo) viri xv. qui negotia quotidie obvia, quæque minoris essent momenti, expediebant. Ex his xv. rursus tres præsidebant, Præsides inde dicti, authoritate & opibus longe primi, penes quos regimen summæ rei fuit, ut Alex. ab Alex. *gen. dier.* lib. iv. cap. xi. Non sine caussa hoc ita constitutum crediderim; putabant forsan inter paucos pauciora esse privatorum compendiorum studia, nec tamen inter paucos minorem esse, si modo delecti illi fuerint, prudentiam. Horum autem Quindecim Virorum meminit etiam Julius Cæsar, lib. I. *bel. civ.* num 35. quos, dum urbem obsidere proposuisset, ad se evocabat. Illi autem in Timuchorum tantum adsociabantur numerum, non quos affectus, aut sors, vel urna, quæ plerumque ad parum idoneos deerrare solet (ut Tac. *An.* xiii. *cap.* xxix.) offerebant; sed quos tanta dignitate dignos esse judicabant. Ab hac proh dolor recessit consuetudine hodierna Gallia, exitiosumque introduxit morem, quo officia ac Magistratus cuivis certum modo, illudque haud modicum offerenti pretium quasi sub hasta venalia, patent; nec secus ac Cæsaris tempore nummariæ prostant mensæ pro recipiendis ambientium nummis. Ex quo fit, ut dum ad emendæ curiæ vel præfecturæ ambitum pugna hæc aurea initur, sæpissime ii victores existant, qui ut viliori sanguine, sic & indole & ingenio reliquis cedunt. Præterea fæda hæc honorum nundinatio (ut Barcl. *icon. an.* c. iii.) & pervicax licitatio pauperum excludit virtutes, illosque Regibus Candidatos obtrudit, quos munera commendaverant. Nec validum potest illarum legum esse auxilium, quæ vi, ambitu, postremo pecunia turbantur, ut habet Tac. I. *An. c.* II. Sane si alias hic vere illud Poetæ locum habet:

Haud raro emergunt quorum virtutibus obstat
Res angusta domi ———

Aliter Massilienses, ut dictum, fecere, qui meliori sortitu illos tantum eligebant sibi, quos bonos ac sufficientes esse existimabant (Heinsius *ad Polit. Arist.* lib. vi. cap. vii.) ac præterea illos, quibus liberi erant, quorum pater, avus, proavusque civitatis jure gaudebant. Ratione hac forsan usi, quod a talibus debitam patriæ charitatem exspectandam putarent, simulque cives ad procurandam sobolem invitarent. Fuisse Comitem civitatis suo tempore refert Sidonius Apollinaris, *lib.* vii. *epist.* iii. qui idem quod defensor ac rector urbis habebatur, nec non Fortunatus Bodegissi alicujus Ducis meminit *lib.* x. ut & Gregorius Turonensis *p.* 300. Dynamii rectoris provinciæ & Massiliæ. Plures, illosque ut per omnia secula omnia accurate perscribam, Romani Imperii & Imperatorum crebræ commutationes non permittunt; ut & illæ, quarum paulo ante memini, barbararum gentium irruptiones. Veniam hujus, ut spero, facile merebor, cum etiam Camerarius summi ingenii, indefessæ industriæ, multarumque rerum cognitione excellentissimus Vir, se nihil habere, quod de hac materia *ad Aristotelis Politicam lib.* v. *c.* vi. adjiciat ingenue sit professus. Igitur & ego, paucis hisce dictis, ad ulteriora progrediar, ipsius Reipublicæ administrationem, relicta regiminis forma, per-

A pendam. Hæc ut a summis moderata fuit viris, ita & multis salutaribus legibus & præceptis ex disciplina Græca depromptis ornata, commendata & celebris extitit. Leges illæ Ionicæ erant, ac ut omnium cognitioni paterent, publice propositæ. Mores antiquissimi præter leges latas, quibus utebantur, severe ac constanter retinebantur, neque in rebus, quæ minoris erant ponderis, mutabantur facile. Exemplum ejus gladius fuit, quo in puniendis noxiis a condito urbis usa est, qui licet ob rubiginem ministerio amplius non sufficeret; tamen asservabatur, ut index esset, (verba sunt Valerii Maximi *lib.* ii. *c.* vi.) in mi-
B nimis quoque rebus omnia antiquæ consuetudinis momenta servanda. Hoc autem non nisi gravi de causa Massilienses nostri tam acriter observarunt; *nulli enim*, ut jam cum Tacito loquar *An.* xii. *c.* xi. *non tantum usui sunt crebræ illæ morum ac legum mutationes, sed etiam vis ac autoritas earum vilescit, dum quæ jusserant vetant, quæ vetuerant, jubent*. Ipsa adhæc vetustatis species (ut Bodinus *de Republ.* lib. iv. c. iii.) tam cara, ut lex antiqua sine magistratibus seipsam tueri facile possit. Egregium de hoc Alcibiadis apud Thucydidem extat monitum, quod tale est: *Eos homi-*
C *num tutissime agere, qui præsentibus moribus, legibusque etiamsi deteriores sint, minimum variantes Rempublicam administrant*. Nam

Curando fieri quædam majora videmus
Vulnera, quæ melius non tetigisse fuit.

Potest tamen lex mutari, si id necessitas expresserit, utilitas suaserit, ipsaque mutata populi natura exegerit; *non enim leges humanæ de fine sunt, sed de ordinatis ad finem*, ut Canonistæ loquuntur. Quoddam autem habuere institutum Massilienses nostri, quod an nobis Christianis recipiendum sit hodie, a multis disceptatur. Fuit veneni apud illos
D præbitio in usu, ut refert Valer. Max. *lib.* ii. *c.* vi. poculum enim cicuta temperatum custodiebatur publice, dabaturque ei, qui caussas sexcentis viris, de quibus supra egimus, exposuisset, propter quas sibi finem vitæ sumere, mortemque adpropinquare vellet. Mentem de hac consuetudine suam hoc modo exponit Valerius Maximus: *Cognitione virili benevolentia temperata, quæ nec egredi vita temere patitur, & sapienter excedere cupienti celerem fati viam præbet: ut vel adversa, vel prospera nimis usi fortuna (utraque enim finiendi spiritus, illa ne perseveret, hæc ne destituat, rationem præbet) comprobato exitu terminetur*. Cicuta hæc
E antiquis quoque Græcis admodum frequentata fuit, pœnæque loco usitata; ita legimus Socratem Philosophum ab Atheniensibus ab bibendam eam compulsum, supremum vitæ diem clausisse. Ab his morem hunc accepisse Massilienses, cum Valerio Maximo crediderim; is enim, cum in Asiam una cum Sexto Pompejo iret, in insula Ceo eam asservari animadvertit; refertque ipse spectator facti tum præsens, in Julida ejusdem insulæ oppido fœminam quandam summæ dignitatis, sed ultimæ jam senectutis nonaginta utpote annorum, reddita mortis obeundæ ratione, cupido haustu venenum hoc bibisse. Affine huic rei apud
F Æthiopes observabatur, (ut Alex. ab Alex. *lib.* ii. *c.* v.) qui sacrilegos ophiusam herbam certo modo præparatam bibere cogebant, qua pota, ira, terroribus & falsis imaginationibus corrripiebantur, ut sibi ipsis mortem inferrent. Ita apud Ægyptios quoque Sacerdotes Abii & Anymphi dicti, ut in casta religione manerent, verbis venenosis sese emasculabant, & virilitate privabant. Hierophantæ Atheniensium Pontificatui admoti, potu cicutæ seipsos castrabant (quam vim Plinius,

lib. XXV. *c.* XIII. ei tribuit,) ut incendia libidinum reprimerent, Diisque suis non minus religiosa, quam casta offerrent sacrificia. Fuerunt etiam multi alias populi, quibus venenum hoc admodum familiare erat. Verum nos Christiani puræ veræque religioni addicti, nihil immanius impiusque hoc more esse, animadvertere possumus, quamvis Petrus Quinqueranus Bellojocanus Episcopus in *laude Provinc.* lib. I. c. XXIII. illum defendere videatur, tanquam præsentissimum iis auxilium, quibus aut satis ætatis, aut qui deplorato morbo doloribusque acerbissimis excruciantur; fieri enim alias, ut homo tot ærumnis calamitatibusque exesus, ignavus gerendis rebus fiat, ac tanquam inutile terræ pondus vivat miserrime, *cui* (juxta Tacitum *An.* XII. *c.* XX.) *quo longior vita est, tanto plus supplicii.* Melius igitur esse, ut talis homo, magna sui parte jam præsepultus imminentia mala voluntario prævertat fine, mortemque maturam in seipsum festinet, quæ omnium miseriarum finis (ut Tacit. *Hist.* l. IV. c. LVIII.) quod fecisse legimus insulæ Cei incolas, qui narrante Alex. ab Alexandro legem statuerant, ut sexaginta annorum majores aconito vitam finirent, ne reliqui propter eos inedia laborarent. Ita apud Indos quoque (cum Curtio loquor,) *occupare fati diem, pulchrum erat, quibus aut segnis ætas, aut incommoda valetudo est, exspectatam diem pro dedecore habebant.* Sed quamvis speciosa hujus instituti argumenta adferri possunt, illud tamen juri divino, naturæ ac civili contrariari manifestum est. *Non occides*, posita lex est Divina, quæ ut alium, ita seipsum occidere vetat, non enim minus quis sibi charitatem debet, quam proximo. Unde occidere seipsum in intentione directa quamcunque ob caussam nullo modo licere notant Theologi, peccareque αὐτόχειρα dicunt, contra autoritatem Dei, cujus ut solius est vitam dare, ita & reposcere, ut solius vitam producere, ita & incidere. Contra ejus benignitatem, cujus tantum beneficium contemnit; contra Divinæ Providentiæ cursum, quem confundere conatur; contra communem naturæ inclinationem & legem, cujus nimia vivendi cupiditas est, ut Tacitus *An.* II. cap. XXXVII. Apud Jurisconsultos quoque illud illicitum esse constat, etiam permittente id Senatu, qua de re vide nonnulla in Digestis *Tit. de Pœnis.* Plura enim hac de re dicere nostri jam non est instituti, pauca delibasse Petrus Quinqueranus impulit.

Ad Massilienses, unde in hoc diverticulum excessi devius, revertor, cujus alias multæ salutares leges moresque extitere, adeo, ut Cicero Rempublicam omnium florentissimam judicaverit; Valerius vero Maximus, *lib.* II. *c.* VI. etiam usque ad tempora sua usurpare eos disciplinæ gravitatem prisci moris observantiam dixerit: ut Tacitus, *Agr.* IV. 4. etiam elogii cæteroquin parcus, *locum Græca comitate & provinciali parsimonia mistum ac bene compositum* appellare non dubitaverit. Nos ordine instituta illorum, quantum e plurimis maximisque fidis Autoribus collegisse licuit, depromemus. Inprimis frugalitatis vitæ & continentiæ in tanto divitiarum usu (quæ alias pessimas ut plurimum artes mortales docent) laudatur Massilia nostra. Indicium ejus maximum, vel hoc existimari potest, quod dos, referente Strabone *lib.* IV. centum aureos (Romanos scilicet, tunc enim cum scripsit Strabo, omnia Romanis parebant in Gallia, de quo vide Budæum *de asse* lib. V.) non excesserit, in vestem non plus quam quinque aureos, in mundum muliebrem totidem assignaverint. Nec id quidem gravi sine ratione; putabant scilicet, fæminas bene dotas, impotent is alias naturæ, obsequium mariti nullo modo passuras, sed regere solere maritos, quibus tandem cum Demæneto Plautino exclamandum est:

Argentum accepi, dote imperium vendidi.

Aut cum ejusdem Euclione,

Hæ sunt, atque aliæ multæ in magnis dotibus
Incommoditates, sumptusque intolerabiles,
Nam quæ indotata est, in potestate est viri;
Dotatæ mactant & malo & damno viros.

Bodinus rei Politicæ scriptor acutissimus, *l.* V. *c.* II. morem hunc ut prudenter introductum miris effert laudibus, suaderque in omni bene constituta Republica certas esse de dotibus statuendas leges, ne dotium magnitudine domus exhauriantur, moderatione autem earum facta, ad obsequium virorum redigantur fæminæ. Hinc apud Venetos, si Patricius plebejam ducat, dos duo millia aureorum non excedit. Et Galli ipsi, ut alia laudatissima, ita & hanc Massiliensium consuetudinem postea imitati sunt; quod hisce testatur verbis Julius Cæsar, *de bell. Gall.* lib. VI. cap. XIX. *Viri quantas pecunias ab uxoribus dotis nomine acceperunt, tantas ex suis bonis æstimatione facta, cum dotibus communicant. Hujus omnis pecuniæ conjunctim ratio habetur, fructusque servantur. Uter eorum vita superarit, ad eum pars utriusque cum fructibus superiorum temporum pervenit. Viri in uxores, sicuti in liberos, vitæ necisque habent potestatem; & quum paterfamilias illustriore loco natus decessit, ejus propinqui conveniunt; & de morte, si res in suspicionem venit, de uxoribus in servilem modum quæstionem habent: & si compertum est, igni atque omnibus tormentis excruciatas interficiunt.* Duravit hic de dotibus apud eos mos, in illustrissimis etiam familiis, referente Bodino, *lib.* V. *c.* II. ad Caroli IX. usque tempora quibus lata fuit lex, ne dotes quamvis amplissimæ, decem libellarum millia excederent; addita in eos mille aureorum pœna, qui legem hanc immodicis dotium largitionibus violarent. Tandem saluberrima hæc a majoribus reperta constitutio, oblivione abolita, securiorem luxum fecit, ita, ut nullis remediis, quia prævalidum jam & adultum vitium, sisti possit: sed latius ac impunitius crescat.

Quantum enim in gemmas solummodo, quæ ad sponsarum adhibentur ornamenta, impenditur; ac quantum (cum Tacito *An.* III. LIII. loquor) lapidum horum caussa, pecuniæ, ad externas aut hostiles gentes transfertur. *Non satis* (verba sunt Senecæ *de Benefic.*) *muliebris insania viros subjecerat, nisi bina ac terna patrimonia singulis auribus pependissent.*

Plura de hoc non dicimus, qui volet Bodinum consulat, & Danielis Souterii *pædagogum divitum*, nec non Besoldum, qui lectorem ad plures Autores evolvendos remittunt. Ad Massiliam revertor, & quia de fæminis illorum dixi, illud hic non omittam; vinum scilicet illis bibere nunquam licuisse, sed puram tantum loco potus aquam permissum. Ita referunt Theophrastus, & ejus autoritate Ælianus *Var. Hist.* lib. II. Stuckius, *Conv. Ant.* lib. III. Nicolaus Leonicus *lib.* III. *cap.* LXXXVII. *Var. Histor.* Et hoc gravi ex caussa constitutum ab iis. Proximus enim a Libero Patre intemperantiæ gradus, ad inconcessam Venerem esse solet, Valer. Max. *lib.* II. *cap.* I. inprimis apud fœminas, sexum natura invalidum, cujus acrior ad Venerem cupido, Curtius *lib.* VI. *cap.* V. Ne igitur cupidinibus alienis exponerentur conjugia, quæ vix præsenti custodia illæsa manent, ebrietati omnium vitiorum fomiti obviam ire volebant, ac ne mali hujus aliquam mulieribus subministrarent occasionem, ne cellas quidem vinarias curæ fideique earum commiserunt. Severius hoc ipsum observarunt Romani, qui morem osculan-

culandi quotidianum receperunt, quo cognati affinesque osculum mulieribus ferebant, ore ut explorarent, an vinum bibissent, Plut. *quæst. Rom.* II. Vestigium hujus consuetudinis hodieque permanere in eo crediderim, quod in Gallia ac Belgio adhucdum observatur, dum adveniens hospes, uxorem filiasque adhibito osculo salutat, & ut Lotichii verbis utar,

Perque vias dantur basia, perque domos.

Vid. Salmuth in *Notis ad Pancirol. de rebus perd.* Egregia hæc Massiliensium consuetudo, si hodie etiamnum ubique locorum vigeret, plures magis castas uxores, nec tam multorum amoribus famosas maritis efficeret. Sed o tempora! o mores! quibus eam sibi impunitam bibendi licentiam usurpant mulieres, ut sub signis Clionis, famosissimæ illius apud Ælianum lib. II. *Var. hist.* cap. IV. potatricis, non tantum Viros propinando, quasi quoddam meripotionis præmium ab Alexandro esset propositum, provocent, sed & potando superent cum perpetuo sexus sui dedecore atque infamia. Imo Gallia ipsa a vetere illa abstemii laude hodie quodammodo degenerasse videtur, vinum enim illa, mulieribus olim plane interdictum, jam aqua temperatum permittit. Imo pueris etiam hoc vitium admodum familiare hodiernum est; eo forte fine, more olim Bohemico, qui tempore Æneæ Sylvii, qui postea vocatus Pius II. Pontifex Romanus, viguit, a parentibus ita edocentur, ut adultiores facti culullum aulicum eo facilius evacuare possint; exemplo a Milone sumpto, qui ut bovem portare posset, vitulorum corporibus cervicem humerosque firmavit, donec majori adsuesceret oneri. Sed ita major quotidie peccandi cupiditas, minor verecundia. Hinc variæ libidinum illecebræ, illaque frugalitate contempta, cum Philoxeno suaviora ac jucundiora habentur, quo majori pretio, profusiorique comparantur sumptu, quæ nisi quis apponat, sordidus habetur, ac parum comis, nisi hospites suos ad largius provehat vinum. Non possum, quin eximiis S. Martyris Cypriani *Serm. de jejun.* verbis, mundi hujus in pejora indies ruentis mores complectar atque defleam: *Rarus hodie Phinees, qui perfodiat impudicos: rarus Moyses, qui occidat sacrilegos: rarus Samuel, qui inobedientes lugeat: rarus Job, qui pro filiorum negligentia sacrificium offerat: rarus Aaron, qui coram Pharaone comminationes Divinas edicat: rarus Noe, qui his, quibus submersio imminet, arcam bitumine litam provideat.* Eximium hoc fuit Massiliensium frugalitatis argumentum, disciplinæ ac severitatis publicæ; jam sequitur non minus egregium. Nullum illi aditum in scena mimis dabant, quorum argumenta majore ex parte stuprorum continebant actus, ne talia spectandi (hæc Valerius Maximus *l.* II. *c.* VI.) consuetudo, etiam imitandi licentiam sumat, præsertim apud mobiles vulgi ad mala animos. Sapienter & hæc Massilienses, & quidem diversi, a Græcorum parentum institutis, apud quos ludicras artes exercere honestum erat, atque in theatris locus consultationi præbebatur, Tacit. *Ann.* X. VII. & Front. III. *strat. c.* II. Diversi etiam a Nemausensibus, vicinis suis, apud quos scenici hi ludi admodum viguerant, illisque spectandis amplissimum extructum erat Amphitheatrum, prout id describit ac depingit Johan. Poldus d Albenas, *c.* XIV. Videbant enim illas omnis nequitiæ ac lasciviæ magistras esse, vixque artibus honestis pudorem retineri, nedum inter certamina vitiorum, quibus audiendis dum quis assuescit, sceleratus tandem evadit; quia nihil mortalium ingeniis altius irrepit, tenaciusque adhæret, quam ea, quæ ab illis histrionibus, levissimæ apud vulgum delectationis, repræsentantur. De horum immodestia, & jam olim Cæsar Tiberius, referente Tacito, IV. *An.* XIV. 4. variis prætorum questibus retulit: *Multa ab iis in publicum seditiose, fœda per domos tentari, eoque flagitiorum & virium venisse, ut autoritate patrum coercendi sint.* Quo pacto pulsi tum mox sunt Italia. Suadent tamen Politici, quandoque ludos ac voluptates populo indulgendas, cum ita ferociores populi belloque faciles a seditione & generosis curis avocentur; quieti autem ac otio per voluptates assuescant. Sed modum simul in eo tenendum esse monent, ut lætitiæ potius dentur, quam lasciviæ, Tac. *An.* XIV. XXI. 6. Verum hic mihi quispiam Athenæum *l.* XII. objicere posset, nec non qui cum eo sentiunt, Lipf. in *excursu ad Tacitum, p.* 544. Ludovicum de la Cerda, ac Isaacium Pontanum, qui mollitiei profusæ ac pudendæ libidinis Massilienses nostros accusant. Ita autem primus illorum. Massilienses effæminati erant, eodem atque Iberi vestitu ornati, indecoram enim & turpem speciem præ se ferunt, propter animorum mollitiem, qui propter luxuriam & delitias muliebria patiuntur. Ex quo factum videtur vulgatum illud, sed turpissimum omnium ore receptum proverbium: *Massiliam naviges.* Hoc innuere quoque videtur Diodorus scribens: Gallos licet habeant speciosas fœminas, ad mares tamen esse illos proniores. Etsi aliquid in hæc inferiora virtutis, locorum sedibus, astrorum motibus & cælestibus conversionibus dare velimus, ab iisque mortales ingenia sortiri ponamus, Massiliam una cum Italia & Sabaudia ad quintum revocabimus clima, *Dia Romes* dictum, cui Venerem præsidere atque dominari volunt; exindeque istius plagæ incolas voluptatibus præ cæteris magis deditos esse a cælestium peritis observatum est, qua de re vide Besoldum *de natura Populorum, p.* 7. Nodum hunc pro me solvant Erasmus in *Adag.* ac Lambertus Hortensius, *ad l.* IV. *Æneid.* qui Athenæum loqui putant, non de hac nostra Gallorum Massilia, sed de Africanorum, quorum vitia Salvianus l. VII. *de gubern. Dei.* breviter hoc modo describit: *In Afris pene omnibus, nescio quid non malum;* fusius autem Joannes Leo Africanus *l.* I. *c.* XXXII. in *sua Africæ descriptione.* Aut etiam de tertia aliqua hujus nominis urbe, quæ luxu perdita pessum ivit, intelligendum nonnulli existimant, alii ut Camerarius *ad Aristotelis Polit. l.* VI. *c.* VII. ac Casaubonus *ad Strabonem l.* IV. distinctione temporum litem dirimunt; morum scilicet Massiliensium depravationem post longum seculorum ambitum, aut ipsam Strabonis ætatem, vel adhuc recentius cum Franci eam possiderent, contigisse, illosque tum demum a prisca descivisse frugalitate, ac in mores degenerasse sequiores. Rebus enim cunctis (ut observavit Tac. *An.* III. LV. 5.) inest quidam veluti orbis, ut quemadmodum temporum vices, ita morum vertantur. Singula quoque secula sua habent vitia, suosque defectus, ut egregie Besoldus Corol. VI. *in Oecon. ff. tit. de just. & jur.* Sæpeque iidem affectus pro temporum sorte nunc virtutes, nunc vitia sunt, ut Barclajus. Et hoc Agathias *l.* I. *de bello Goth.* (sive ut se in epigrammatibus vocat Agathius) hisce comprobasse videtur verbis: *Habent Franci Massiliam urbem, Ionum olim coloniam. Hanc enim Phocenses quondam per Medos sedibus suis abacti incoluere, Dario Hystaspis filio Rege Persarum regnante; nunc vero Græca ex urbe reddita jam barbara est.* Unde factum forsan, ut quæ olim latæ erant de luxu leges saluberrimæ, temporis vetustate obliteratæ fuerint, impunitumque effecerint luxum; si enim prohibita impune semel transcenderis, neque metus ultra, neque pudor est. Exinde igitur tanquam inveteratum malum difficulter ac ne vix qui dem corrigi potuit, ut nec corporis morbi & diu aucti, nisi per dura & aspera coercentur. Neque ex ingenio aut scelere hominum æsti-

manda est legum rectitudo, ex mente Barclaii in *Arg.* Aut hoc etiam modo objectis respondere possum, quod fortassis unius aut alterius privati delictum erat, non toti civitati commune, ut ita non sine summa injuria culpentur, cum publica semper caussa a privata separari debeat, non autem tota gens, vel etiam communitas unius vitio dehonestanda, quod præclare Rhodiorum docuerunt Legati, ita narrante Livio *lib.* XLV. *cap.* XXIII. Nulla enim usquam gens tam modesta, tam morata fuit, quæ non aliquando improbos ediderit homines, imo nulla est civitas, quæ non improbos aliquando cives habeat. Roma ipsa, non unum tantum aut alterum civem, sed nefariorum hominum catervas in unoquoque fere seculo a suis emisit laribus, Nec tamen sceleratorum numerus bonorum cœtum idcirco fœdare debet, culpa enim, juxta communem Jurisperitorum regulam, semper autorem sequitur, & ignominia culpam. Ergo si quis Massiliensium luxus vitio laboraverit, non est propterea tota Massilia luxuriosa existimanda, neque universis in commune quicquam derogandum. Fuit illa, ut ex memoratis constare potuit, egregium disciplinæ publicæ exemplar. Hinc de ea Plautus, *Ubi tu es, qui colore mores Massiliensium postulas*, quasi diceret: ubi tu es, qui severitatem, morum gravitatem, castimoniæ puritatem singularem vultu præ te fers, cum interea sis nequam, ut Rittersh *ad Salvian.* Fuit hæc illorum morum integritas etiam exteris satis nota atque perspecta; hinc de ea Rhodiorum Legati in pleno Senatus Romani consessu tale perhibuere encomium, Liv. XXXVII. LIV. Massilienses, quos, si natura insita velut ingenio terræ vinci posset, jam pridem efferassent tot indomitæ circumfusæ gentes, in ea merito dignitate audimus apud nos esse, ac si medium umbilicum Græciæ incolerent: non enim sonum modo linguæ, vestitumque & habitum, sed ante omnia mores & leges & ingenium sincerum integrumque a contagione accolarum servarunt. Ut magis hæc adversariorum diluamus objecta, reliquas pertexamus Massiliensium virtutes. Laudantur autem etiam illi quam maxime ob indefessam securitatis publicæ curam; de qua hoc nobis argumentum præbet Valerius Maximus, *l.* II. *c.* VI. quod scilicet neminem telo aut quovis armorum genere armatum, urbem intrare siverint, certumque præfecerint hominem, qui arma ab intrante acciperet, exeunti vero illæsa, bona fide restitueret. Rationem hujus instituti hanc reddit idem Autor, ut nempe hospitia sua, quemadmodum advenientibus humana esse debent, ita ipsis quoque Massiliensibus tuta essent; sicque & hospitalitatis & salutis suæ simul rationem ducerent. Hospitalitas vero hæc insigni admodum encomio a Sidonio Apollinari, *lib.* VII. *epist.* II. Æliano, *l.* XIII. *c.* XVI. nec non Stuckio *de antiquorum conviviis* celebratur. Græcos hac in parte secutos putarim Massilienses, hi enim Sexto Victore narrante hospitibus advenientibus omni officiorum genere inserviebant; primo adventus die ad cœnam invitabant, postero mittebant pullos, ova, olera, poma, & alia, quæ Xenia ab hospitum vocabantur nomine. Hanc autem arma adimendi consuetudinem sæpius pluribus in locis eo usque invaluisse memini, ut rebus turbidis cum omnia ad res novas & seditiones spectarent, ab ipsis quoque subditis præcipue in munitissimis urbibus arma in loco publico asservanda colligerentur. Bodinus magnæ doctrinæ ac experientiæ Politicus *lib.* IV. *cap.* VII. multis iisdemque gravissimis niti vult morem hunc rationibus, dum tuendæ civium salutis amuletum singulare vocat, ac medicinam bellorum civilium curandorum admodum necessariam. Hinc Itali

A principum satellitibus exceptis etiam civibus armorum usum multis in locis denegant, quod tamen in Germania ac Anglia non æque observatur; sicut quoque in Helvetia, aliisque Democratiis, in quibus, licet inferioris ordinis civibus arma gestare, non tantum licitum est, sed & honestum, interdum etiam ab ipso Magistratu mandatur. Turcæ milites nunquam armati incedunt, imo cum in hostem eunt, qui adhuc longius abest, arma jumentis vel curribus vehunt, nec illa nisi jamjam pugnaturi sumunt. Pariis ne brevissimos quidem gladios ferre permissum est bajulis, qua re multæ seditiones ac cædes, quæ inde nasci possent, mature præca-
B ventur. Et duobus adhinc annis cum illic morarer, nobilibus pueris (Gallis *Pages*, de quo vocabulo vid. Lips. in *Excurs. ad Tacit.* XV. *An. lit.* 8.) nec non Magnatum servis, quævis telorum armorumque genera sunt interdicta, mortis pœna in illos statuta, qui edicto non obtemperaverint. Morem autem hunc Massiliensem, ab ultima ætate repetitum esse probabile est; cum enim Commanus Segobrigiorum Rex cum Liguribus, (referente Justin. *lib.* XLIII.) urbem hanc per insidias solenni Floraliorum die occupare statuisset, dolo patefacto Massilienses Ligures omnes comprehensos (quorum nu-
C merus ad septem millia extendebatur) una cum Rege *eorum duce* interfecerunt, exindeque festis diebus portas claudere, stationum vices permutare, peregrinos recognoscere, ac tempore pacis cura, provisu perinde agere ac si hostis ingrueret, in consuetudinem deduxerunt. Quod etiam in aliis ditionis suæ locis observarunt; ita (referente Livio *l.* XXXIV. *c.* IX.) Emporium, licet ab una parte Hispanis objectum esset, ab altera aperto exponeretur mari, per se alias non munitum, nihil aliud tamen tutabatur, quam militaris rationis diligens observatio. E Magistratu enim aliquis portam custodiebat, ci-
D vium pars tertia noctu excubabant, excubias diligenter circumibant, nec peregrinum facile in urbem recipiebant. Hoc fuit de Massiliensibus, securitatis publicæ exemplum, sequitur disciplinæ gravitas, qua variis hominum fraudibus, malitiisque medebantur, ut Valer. Max *l.* II. *c.* VI. Si enim servus manumissus, doli postea contra dominum admissi convictus fuerit; tertium jam in servitutem, libertate per singulas vices rescissa retrahebatur. Si vero quarto deceptus fuisset dominus, libertatem servus retinebat, idque vel ob culpam domini, quod toties liberto fraudulento inconsulta quadam laxaque bonitate sese credidisset, ac quod
E dispicienda (Tac. *An.* XIII. XXVII. 4.) erant merita tardeque concedend, quæ data adimerentur; vel ob nimiam libertatis æstimationem, quæ etiam tanta apud Romanos erat, ut non facile nisi ob ingratum animum convictus reus jure exueretur. Sequitur præter hæc prudentia Massiliensium circa sanitatem civium tuendam cura indefessa: quæ nunquam magis sese exeruit, quam morborum contagiosorum tempore, in quibus tam præcavendis, quam depellendis, vel ad minimum mitigandis solicite admodum laborarunt. Hinc eo fine sequentem observabant morem, cujus fragmentum a Servio lib. III. *Æneid.* citatur: Quo-
F tiens pestilentia laborabant, unus se ex pauperibus offerebat publicis ac purioribus cibis integro anno alendus. Hic postea ornatus verbenis (herba hæc in lustrationibus adhiberi solita ab Apulejo *lustrago* vocatur, ut putat illustris D. Joseph. Ant. Gonsalius de Salas in *Comment. ad Petron.*) & vestibus sacris amictus per totam civitatem (hinc dictum *Amburbium*) circumducebatur. Post execrationibus omnis generis in eum conjectis precabatur populus, ut omnia civitatis mala in ipsum recciderent. Quo facto tanquam commune totius civi-

tatis malum ex urbe projiciebatur. Ex hoc ortam verbi *Sacer* significationem putant Critici, Voss. *Inst. Orat.* v. *c.* vi. ut idem quod devotus, execrabilis ac sceleſtus exprimat, hocque sensu illud Virgilii intelligendum, *Auri sacra fames*. Duravit autem ejusmodi a malis purgandi civitatem modus etiam postea apud Gallos, qui, teste Luctatio Placidio, *in Statii* x. *Thebaid.* urbes suas humana lustrabant hostia, dum hominem, quem, ut ad hoc se venderet, maximis pelliciebant præmiis, per totum anni tempus delicatissimis (forsan ut eo magis lautam Diis suis offerrent victimam) alebant cibis, donec tandem delecto solenni die extra urbis pomœria ductum, manu caseum cum placenta, & siccas ficus tenentem, (Leonic. *var. hist.* l. ult. cap. ult.) saxis obruerent; & sic illum e viventium numero exterminarent; atque hinc sortitam nomen suum urbem Arelatem putant viri docti (P. Merula in *descr. Gall.*) quasi dicas *aram latam*, quæ super duas columnas fuit admodum magna collocata, in qua duo juvenes huic sacrificio destinati, publicisque sumptibus in eum finem saginati, tanquam piacularis victima immolabantur quotannis. Verum melius postea ac verius, cum ad meliorem veramque conversi essent religionem, ab hac lue urbem suam purgarunt Massilienses, cum tempore Gunthteramni Regis, grassante hoc morbo, publicas preces atque jejunia suis indicerent, Baron. Tom. viii. *ad A. C.* 590. Hæc circa ægros Massiliensium cura fuit, non minor circa mortuos eadem extitit, quibus ultimum honorem funebria scilicet ac sepulturam persolvebant religiosissime. De iis hæc refert Valerius Maximus, *lib.* ii. *c.* vi. Duæ ante portam eorum jacebant arcæ, altera, qua liberorum, altera, qua servorum corpora ad sepulturæ locum devehebant. Ex quo simul conjicere licet, monumenta illos sua ante urbem extra frequentem hominum cœtum habuisse; hæc enim sepeliendi in templis mortuos consuetudo magno sanitatis detrimento ante 400. & quot excurrunt, annos in quibusdam locis inventa est. Quod Solonis lege vetitum, & a Romanis postea in duodecim tabulas translatum, summopere observarunt Athenienses, adeo quidem ut cum M. Marcellus summæ dignitatis vir a P. Magio Chilone ibidem esset occisus, Servius Sulpitius ab iis non impetrare potuerit, ut locum sepulturæ intra urbem darent, quod religione se impediri, neque id antea cuiquam concessisse dicerent. Pausanias etiam sepulcra multa extra urbem posita, urbanum nullum commemorat. Prudentia Massiliensium vere prudens, eo enim quam plurimum suorum civium valetudini profuere, quæ multum alias venenatis illis halitibus læditur, qui ex mortuorum cadaveribus in templis reconditis exhalare, ac, ob frequentiam hominum tepidiores facti, eo magis contagiosi esse solent. Nec illud memoratu minus dignum est, quod sine lamentatione, sine planctu, sacrificio tantum domestico ac necessariorum convivio adjecto justa mortuis suis peragebant, ut Val. Max. *lib.* ii. *cap.* vi. Atque hoc etiam ab Atheniensibus secum in Galliam transtulisse animadvertere possumus, apud quos sapientissimus ille ac quæsitiorum legum lator Solon, (Tac. iii. *an.* xxvi.) in antiquissimis suis legibus, quæ Athenis axibus ligneis incisæ erant, (Gellius ii. xii.) flebiles in funeribus lamentationes. ac cætera dolorem testantia, velut inania ac supervacanea sustulit. Eadem fecisse Thraces, Historicorum testantur scripta, Herod. in *Terps.* Valer. Max. *l.* vi. *c.* ii. qui circa dies suorum natales ac fatales hæc facere solebant. Editum in lucem infantem, propinqui lachrymis deflebant, ob ea scilicet mala, quæ illi primum hanc miseriarum vallem intranti perpetienda essent; hominem vero vita concessum lætabundi terræ demandabant, quod tot malis exemptus, ac ad sedes beatas translatus, tristibus ac turbidis his relictis, vel (ut Plutarchi utar verbis *Quæst. Rom.* xxvi.) *peracto difficili ac vario certamine in omni felicitate sit collocatus*. Hæc Ethnici: Christianis tamen licere defunctos suos lugere, ab Ecclesiastico xxxviii. 16. discimus, luctu vero secundum Paulum, *Thess.* iv. 15. moderato, non more infidelium nimium effuso, qui omni resurrectionis spe destituuntur. Nam ut Prudentius,

Quidnam sibi saxa cavata,
Quid pulchra volunt monumenta,
Nisi quod res creditur illis
Non mortua, sed data somno?

Restat adhuc, ut brevibus de Massiliensium severitate publica quædam dicam. Hi validos mendicantes, omnesque illos, qui, ut Valerius Maximus ait, *lib.* ii. *cap.* vi. per aliquam religionis simulationem alimenta inertiæ quærebant, id est, sacrificulos otiosam ac fucosam superstitionem sectantes, urbe ejiciebant, ne pigri hi ventres, qui titulo sanctitatis sibimet inscripto, habituque tantum, non actu religioso assumpto, probroso otii vitio toti mancipati vivunt, a Republica frustra alerentur. Et hocce quoque ab Atheniensibus procul dubio traditum observarunt, apud quos Draconis lege cavebatur, ut qui otii damnatus esset, morte crimen lueret. Egregia sane prudentia politica, quæ a fæcibus inutilique terræ pondere (grave etenim est Reipublicæ secundum Xenophontem, vel unicum alere otiosum) Rempublicam purgavit, inutiliaque ejus membra resecavit. Hoc perpenso olim Imperatores laudatissimi Valentinianus ac Valens constitutionem fecere laudatissimam, quam talibus positam verbis legimus *l.* 26. *C. de decur.* *Quidam ignaviæ sectatores desertis civitatum muneribus captant solitudines atque secreta, & sub specie religionis cum cœtibus monazonton congregantur. Hos igitur atque in hujusmodi comprehensos, erui latebris consulta præceptione mandamus: atque ad municipia patriarum subeunda revocari, & pro tenore nostræ sanctionis familiarium rerum carere illecebris*. Hanc legem Justinianus Imperator ob utilitatem ac præstantiam postea sanctione repetivit, *Nov.* cxxxiii. *cap.* vi. addita ratione, *quod mens frustra vacans nihil bonorum pariat*.

Hæc sunt quæ de Politicis Massiliensium institutis dicenda hoc loco habui. Religionem eorum jam paucis attingam; hæc enim, ut cujuslibet hominis, ita & Rerumpublicarum tota est, tantumque una habet momenti, ut sola felicitatem ejus consummet atque perficiat. Scimus Græcos religioni suæ addictissimos fuisse, ex quo factum, ut & Massilienses nostri cultum ejus, quem ab illis, dum in Græcia essent materno cum lacte imbiberant, Massiliam transtulerint, ibique continuatum sancte ac strenue observaverint. Solebant enim Coloni patriæ suæ ritus, sacra, linguamque secum transferre, illiusque simulacra effingere, & iisdem plerumque urbem, in quam devenere, fluvios ac montes insignire ac vocare nominibus, quod Dionysius Halicarnasseus probat; qui ut ostendat Tyrrhenos non esse Lydorum coloniam, *nec enim communis*, inquit, *illis lingua est, nec eadem quæ Lydii colunt numina, nec similibus utuntur legibus*. Id quoque docet Virgilius, lib. iii. *Æneidos*:

—— effigiem Xanthi Trojamque videtis
Quam vestræ fecere manus ——

Ita igitur Massilienses Dianam Ephesinam, quam etiam Majores eorum in Ionia coluerunt, religioso quoque cultu Massiliæ venerari continuarunt, eique templum sacraverunt, ac ritum ejus cæteras gentes docuerunt. Similiter ædem sacram Apollini Delphico posuerunt; nec non multa ei, Justino teste *lib.* XLIII. *cap.* V. Delphos attulerunt & obtulerunt munera. Ut & Phocæenses, qui Elateam incolunt, obsidione, qua a Cassandro premebantur, liberati, misso ad opem ferendam Olympiodoro, Delphico Apollini leonem æneum miserunt; ita, qui leoni proximus est Apollo, Massiliensium *ἀπαρχὴ decima* spectabatur cum Carthaginenses navali devicissent prælio, Pausan *libro* X. Minervæ præterea simulachrum habuere, quod sedens fuisse refert Strabo, *libro* XIII. seu genibus impositum, sic enim sedebant simulachra, quæ alias fuissent juxta collocanda. Non autem suis tantum finibus Massilienses religionem concluserunt, sed & vicinas conterminasque gentes sacro ejus imbuerunt cultu. Hinc Strabo, *libro* IV. ritum Ephesinæ Deæ Hispanis tradidisse eos scribit; ac Gallos quoque ab iisdem, ut usum vitæ cultioris, ita & religionem accepisse probabile est. Quod Cæsar *de Bell. Gall.* lib. VI. ipse comprobare videtur, dum Gallos religionibus admodum deditos esse, Apollinem tanquam morbi depulsorem præsentissimum, Minervam tanquam operum inventricem sapientissimam, Jovem tanquam cæli rectorem potentissimum, Martem tanquam bellorum moderatorem ac ducem supremum, maxime autem Mercurium tanquam omnium artium parentem colere ait. Visitur adhucdum Nemausi, quæ urbs est non longe a Massilia distans, inter alias venerandæ antiquitatis monumenta templum Dianæ, aut, ut alii opinantur, Vestæ olim sacrum, de quo Pithœi *Adversaria* videantur, nec non Poldus d'Albenas, ut & Sincerus. In sacris autem, Druidibus usos fuisse conjicere possumus. Notum quidem reliquis Gallorum populis, hæc Sacerdotum nomina, & munia adscribi: verba tamen Ammiani Marcellini *libro* XV. eo fere nos ducunt, ut Massiliensibus non ignoros fuisse credamus: Dicit enim: *Per hæc loca* (in quibus Massilia) *hominibus paulatim excultis, viguere studium laudabilium doctrinarum inchoata per Bardos & Eubages & Druidas*. Ubi pro *Eubages*, *Vates* legendum esse, Diodori & Strabonis verbis asserit incomparabilis Geographiæ Veteris illustrator Cluverius. Ipsa etiam Strabonis verba hanc nostram confirmare videntur sententiam; qui apud universos fere Gallos hæc tria hominum genera floruisse scribit. Erant autem hi Druides maximæ autoritatis Philosophi referente Pomponio Mela, Græcanice viventes ἀπὸ τῶ δρυῶν, id est, *quercetis* dicti, quia in nemoribus ac saltibus, in quibus olim reddita oracula, consederant. Quamvis ut in ipso nomine variant, sic etiam in Druidum origine & etymologia. De his Lucanus Poeta sic canit, *lib.* I. vers. 450.

Et vos barbaricos ritus moremque sinistrum
Sacrorum Druidæ positis repetistis ab armis
Solis nosse Deos, & cœli numina vobis
Aut solis nescire datum: nemora alta remotis
Incolitis lucis ——

Confirmat hoc Plinius, *l.* XVI. *c.* XLIV. qui Druides visco & arbore in qua gignitur nihil sanctius habere, nulla sacra sine illius fronde conficere, curandisque vulneribus tanquam panaceam adhibere, ait. Ab his fluxisse putant nonnulli, quod multis in Galliæ locis usu receptum est, ut sub ingressum novi anni, *Au guy l'an neuf*, id est, *ad viscum annus novus*, clamitent. Vide *les Empires du monde* p. 112.

Hi Druides rebus etiam divinis intererant, religiones interpretabantur, sacrificia publica juxta ac privata procurabant. Sacrificia autem illa, non tantum animalia erant, sed & homines, quos pro victimis (sacrilegium verius, quam sacrum) immolabant, ac referente Diodoro Siculo, *lib.* V. maleficos per quinquennium detentos, furcis suspenderunt, unaque cum aliis primitiis rogo impositos Diis sacros fecerunt; putabant scilicet (ut Cæsaris, lib. VI. cap. XVI. *de bel. Gal.* verba mea faciam) *non posse aliter Deorum numen placari, nisi vita hominis pro vita hominis reddatur*.

Mansit hæc diritas etiam in sequentibus seculis apud Gallos: ita enim Procopius ait, lib. II. *bel. Goth. Francos etsi Christum jam colerent, humanis tamen ad suum ævum hostiis usos*. Alias cruenta ejusmodi Ethnicorum sacrificia, fortitudinis excitandæ, & humani sanguinis contemnendi caussa instituta fuisse ex Lacedæmoniorum constat exemplo, qui pueros ad aram cædebant, sanguinemque eliciebant: quam palæstram fortitudinis patientiæque vocavit Lycurgus. Ad hæc Druides hi de omnibus tam civilibus, quam criminalibus cognoscebant caussis, idque tanta cum potestate ac autoritate, ut, si quis judicatis eorum ac decretis parere, ac æquis legibus pacem accipere nollet, sacrificiis interdixerint, devotionibusque execrandis eo coegerint. Exemplum ejus rei nobis suppeditat Tacitus, XIV. *An.* III. I. ubi illi, milites pugnam detrectantes precibus suis diris adeo perculere, ut quasi hærentibus membris immobile corpus vulneribus præberent. Vide hic Grotium *de Jure Belli & Pacis*, l. II. cap. XXIII. qui Episcopos hodiernos his hac in parte, & meliori quidem cum jure, successisse autumat, horumque nonnisi consiliis præviis bella suscepisse olim Imperatores narrat. Duravit hæc illorum secta ad Tiberii usque Cæsaris tempora (ad Claudium Imperatorem referendum esse vult Lipsius *ad lib.* XII. *An.*) quibus illi e Gallia pulsi, in Germaniam profecti regnantibus Carolis, Arnolphis & Ottonibus in sylva Hercinia Christianam religionem docuerunt. Plura de his qui volet, Bodinum *l.* VI. consulat, Pithœi *Adversaria subseciva*, Plinium, *l.* I. *c.* III. Luciani *Herculem Gallicum*, Sabellicum, Nauclerum, nec non Conradum Celtem Protucium primum apud Germanos Poetam de Hercinii nemoris per Germaniam tractu. Hinc igitur patet, quam religiosi fuerint Massilienses nostri, non tantum religionis assertores strenuissimi, sed illius etiam apud feras exterorum gentes præceptores felicissimi. Quamvis ut in re antiqua, & ab ipsis auctoribus Græcis Latinisque varie interpolata, quis distinctim horum, ut & reliquorum Sacerdotum apud singulas Gallorum gentes, usus, quæve dignatio, mihi non satis liquere ingenue profiteor. Nam alia Græcorum, alia Celtarum initio fuisse sacra constat. Temporis diuturnitas & consuetudinis mutuæ usus, aliquid in iis forte postea mutaverint. A sacris ad scholas transeo, illas doctrinæ ac virtutum officinas, harum cura non impar, quam ipsius religionis Massiliensibus nostris cordi fuit. Unde factum est, ut literarum apud illos studia adeo florerent, ut Musas una cum Phocæensibus, ex Græcia, ex cujus sinu prima literarum effulsit claritas, illuc migrasse, sedemque suam ibi posuisse, optimo jure quis dicere possit, Plin. IV. I. Argumentum hujus illustre est, quod etiam cives, ut cum Varrone loquar, trilingues fuerint, id est, Græco, Latino, Gallicoque sermone loquerentur; adeo, ut si hæ tres linguæ alibi interciderent, hic instaurari denuo ac consummari potuissent quam facillime; & si hodie lingua Gallica omnium disciplinarum ac doctrinarum capax prædicatur, merito tum temporis Massiliensium talis appellari

poterat. Eo autem perfectionis literæ pervenerunt, ut neglecta Atheniensium Schola, omnium illo disciplinarum quondam templo ac communi sapientiæ oraculo, Romani, Galli, Hispani (ut Strabo *lib.* IV.) in hunc bonarum artium mercatum opulentissimum, non secus ac Rhodum aut Alexandriam Philosophiæ, Græcæque linguæ gratia confluerent frequentissimi, nomenque, derogato Athenis suo, Athenopolis sive Athenarum Gallicarum Academiæ huic dederint. Plurimi enim in ea erant viri eruditionis excellentia illustres, & ad decus usumque rei literariæ erecti. Tales fuere Bardi, cantores sive Poetæ, qui fortia virorum illustrium facta, Heroicis composita versibus, cum dulcibus lyræ modulis cantitarunt, Amm. Marcelinus *l.*XV. Hos Lucanus *lib.* I. vers. 447. ita alloquitur:

Vos quoque qui fortes animas, belloque peremptas
Laudibus in longum vates dimittitis ævum
Plurima securi fudistis carmina Bardi.

Tales præter hos fuere Eubages, qui summa naturæ & sublimia curiosa indagine scrutari conabantur. Tales etiam erant Druides, qui religionem juxta, eruditione quoque ac scientia præstantissimi habebantur. Qui cum Sodalitiis interessent, variis occultarum, profundarumque rerum quæstionibus occupabantur, eoque sublimitatis progressi sunt, ut animas immortales, ac illas, (ut addam ex Cæsare, lib. VI.*bel.Gall.*)*ab aliis post mortem ad alios transire assererent*. Hoc maxime Gallos ad virtutem excitabant, ut sæpe illi inter ipsas epulas, caussa ex jurgio aliquo levi prolato solaque ambitione altercantium increscente arrepta armis sumptis, inter se digladiarentur, ipsaque convivia vulneribus aut cæde non raro tristissima transigerent. Ex quo festivus ille apud eos manavit mos, pecunias mutuo accipiendi, quæ apud inferos demum redderentur, ut Valer. Max. *lib.* II. *cap.* XVI. De his Lucanus ita canit, *lib.* I. vers. 440.

—— certe populi quos despicit Arctos
Maximus haud urget lethi metus; inde ruendi
In ferrum mens prona Viris, animæque capaces
Mortis: & ignavum rediturae parcere vitæ.

Pythagoræ hac in parte sententiam secuti sunt, nisi quod ille hominum animas ad pecudes etiam transire statuebat, illi ad homines tantum. Hi fuere viri, qui in Gallia ac in Massilia præcipue urbe floruere, nec tantum floruere, verum etiam literarum usum ac cultum vicinis quoque tradidere, ut merito in aurea Lipsii, *Milit. Rom.* l. I. c. VI. hic erumpam verba: *Divina providentia Græcos olim in Asiam, Europam hanc nostram, usque in Hispaniam per maritima loca misit & disposuit, ut rudes ferocesque humanitate & elegantia percolerent, atque ad mitiora studia & mores transferrent*. Et sane transtulerunt Massilienses ad Gallos inprimis, qui præter literas ac doctrinam, etiam linguam Græcam tam feliciter didicere, ut non tantum in publicis privatisque rationibus Græcis uterentur literis, sed & in suum Gallo-Romanum sermonem frequentissimos induxerint Hellenismos, quasi non Græcia in Galliam, sed Gallia in Græciam migrasse videretur, ut Strabo *lib.* IV. Hinc legimus Caligulam, cum tertium Lugduni Consulatum gereret, certamen ibidem oratorium in lingua Græca & Latina ad Augusti aram instituisse. In quo prælio erat succumbentis pœna, arbitrio tamen illius relicta, ut aut lingua propria vel spongia paululum madefacta scripta sua elueret, aut virgis cæderetur, vel etiam in proxima præterlabente aqua immergeretur. Ipsius vero Hellenismi deductionem, si quis accuratius noscere desideret, Lazium *de migrat. gentium*, ac Henr. Stephanum *de la Conformitè Francoise & Grecque*. Verum hodie vocibus multis emotis, venustate verborum & copia conquisita lingua hæc ante alias exculta est & elaborata. Ad Helvetios quoque linguæ hujus cultum diffusum, ex Julio Cæsare lib. I. *bel. Gal.* num. 29. accipimus: qui in castris eorum tabulas, literis confectas Græcis, repertas esse refert, quibus numerus eorum, qui domo exierant, qui arma ferre poterant, item puerorum separatim, senum mulierumque continebatur. Tabulas autem has Græco duntaxat charactere, sermone vero Gallico scriptas esse putant nonnulli; alii utrumque statuunt, quod & veritati magis congruum videtur, cum veteers Helvetios & in sermone Græco & ejus scribendo modo plerumque institutos olim, sicut nos hodie in Latinis, constet, de quo Rhellicanus ad dictum locum Cæsaris cum eoque Hottomannus. Dico plerumque, non enim vulgus, sed Scribæ tantum, potentiores nobilioresque Helvetiorum, ut & Gallorum Græcitati studuerunt, idque autoritate Cæsaris, lib. VI. *bel. Gal. qui in omnibus pene contractibus ac rationibus literis illos Græcis usos esse* ait; dum vero *pene* dicit, aliquos excludit. Illud planius reddit, lib. V. num. 28. *bel. Gal* cum epistolam ad Ciceronem Græcis ideo conscriptam literis refert, ne ea intercepta, Romanorum consilia hostibus proderentur. Jam si familiaris communiter lingua Græca fuisset, frustra hoc consilium suscepisset Cæsar. Quod tamen hinc colligi non potest, hæc enim ratio Cæsaris fuit, quod Nervii Germanicæ originis gens, extra Celticam (mediam universæ Galliæ Comatæ partem hoc nomine appellat Cæsar) in extremis prope versus septentriones, Belgicæ Galliæ finibus positi, barbaris etiam tunc, ac Germanicis omnino agebant moribus: de quibus Tacitus in libro *de Germania: Literarum*, inquit, *secreta, viri pariter ac fœminæ ignorant*. Quapropter facile Cæsar consilia sua, dum Græcis conscriberet literis, id est, lingua Græca, celare eos potuit. Non obstant huic Strabonis *lib.* IV. verba: *Urbs hæc barbaris loco ludi literarii patefacta, tantum literarum Græcarum apud Gallos excitavit studium, ut contractuum quoque formulas Græce conscriberent*, præcise enim de Massiliensium ille loquitur vicinia, dein sua demum id memoria factum commemorat. Præter Helvetios etiam Romani linguam hanc ex parte a Massiliensibus accepere, utpote cum quibus quippe vicinis & sociis ut negotiorum, ita & literarum commercium intervenit fidissimum. Ad hoc Germanos quoque Græcitatem suam ab iisdem traditam habuisse probabile est, cum huic conjecturæ etiam Tacitus lib. *de Germ.* locum addere videtur, qui Germanorum mores describens, monumenta & tumulos quosdam Græcis literis inscriptos in confinio Germaniæ ac Rhætiæ ætate extitisse sua, refert. Et nostris temporibus multa quoque vocabula lingua Germanica habet, quæ ortum a Græcis suum esse ipsamet produnt, adeo ut Græcus statim illa agnoscere & intelligere possit: quod ante paucos annos edita de ha re *commentatione* ostendit Mericus Casaubonus. Sed illa in præsens enumerari nostri non est instituti; ad ulteriora progredior, & quia de Musarum ac Apollinis dixi cultoribus; jam de Mercurii prole paucis dicam. Floruisse Massiliam tanquam emporium opulentissimum, & auctorum testantur scripta, & ex multis indiciis colligere licitum est. Quamvis enim terræ circumjectæ, tanta non fuerit, ut reliquæ Galliæ, fertilitas, tamen ut hodie in Italia Genuenses, aliasque aliis in re-

gionibus urbes idipsum incolas movebat, ut frequentissimas susciperent navigationes; eo quidem fine, ut mare daret, quod terra negavit. Rei hujus testem Pytheam virum ex hac ipsa urbe oriundum habeo, qui Conterraneos suos, Massilienses scilicet, maris non tantum sui, quod in Tyrrhenum quam longissime excurrit, gnaros, potentesque circumquaque fuisse, sed ultra etiam navigationes instituisse docet. Cui autem hac in re majorem adhibere debemus fidem, quam huic viro, qui ipsemet superato Herculis freto, ubi Antiquis finis mundi credebatur, postquam Gades esset prætergressus, universi propemodum gelidissimi Septentrionis ignota littora, desinentisque quasi mundi lustravit oras; Thulen, quæ nobis hodie Islandia est, (vide Dom. Marium Nigrum *Geogr. Comm.* 110. & Pontan. *disc. hist.* II. IV. Hornius *de orig. Americ.* III. IV.) ac fere totius Boreæ tractum Græcorum primus aperuit, tamque accurate, ut fuit Mathematicus subtilissimus, naturam loci scrutatus, ut teste Cambdeno, Oceanum Britannicum octogenis cubitis supra Britanniam intumescere, nec non referente Plinio, *l.* II. *cap.* LXXIV. sex dierum navigationem in Septemtrionem a Britannia distare, observaverit. Autoritati tamen huic Strabo *l.* I. p. 43. 71. sese opponit, qui Pytheam hominem mendacissimum ac impostorem vocat, Polybiumque adducit accusationis suæ socium, qui incredibile, ac ne Mercurio quidem dicenti credendum putat, Pytheam ut hominem nulla nec natalium, nec fortunæ gratia pollentem, sed privatum, totque sumptibus minime sufficientem, tantum spatii terra marique obire potuisse. Verum reponi illis cum Pontano potest, Pytheam neque pauperem fortasse aut inferioris ordinis hominem, sed in comitatu ac societate mercatorum Massiliensium fuisse, aut etiam autoritate ac expensis præcipuorum in urbe virorum eo missum. Ipse Strabo *l.* IV. p. 139. Pytheam Virum Matheseos juxta ac Geographiæ peritissimum agnoscit, qui plagæ septemtrionalis proprietates egregie descripserit. Ac ut liti huic finem imponam, arbitrum constituo insignem illum Strabonis commentatorem Isaacum Casaubonum, *p.* 35. qui sine ullo partium odio aut amore judicium suum sequentibus exponit verbis: *Scripserat Pytheas Terræ periodum sive periplum: & quia in Gallia natus erat, de partibus Septemtrionalibus plerique eum auctorem amplectebantur, ut qui de vicinis regionibus potuisset fidelius, quam ulli Græci ante eum fecissent scribere, præsertim qui, ut ipse ajebat, totam exteri aut borei maris oram lustrasset,* &c. *neque sane dubium multa eum Græcos docuisse, quæ prius ipsi ne audivissent quidem, cujusmodi sunt quæ de Thule scripserat, quam non esse aliam, quam quæ Islandia hodie dicitur, facile doctis viris assentior. Eratosthenes vero Pytheam tanti fecit, ut singulas ejus sententias singula esse oracula existimasse videatur,* &c. *quod cum Polybius aliique magni viri & Eratosthene* κριτικώτεροι *animadverterent, viderentque Pytheam falsa multa tradidisse etiam de iis, quæ Græcis hominibus nota erant atque explorata, ita cœpit Pytheæ fides esse suspecta,* &c. *adeoque factum est, ut ne iis quidem, quæ ab ipso vere scripta erant, ei fides ab iisdem magnis viris haberetur,* &c. *Hæc si cogitasset Becceselenus quidam nunquam profecto tam stultus fuisset, ut Strabonem maximum præstantissimumque scriptorem propter hoc de Pytheæ judicium damnandum ac despuendæ (sic enim loquitur) temeritatis pronunciaret,* &c. Hactenus Casaubonus, cujus sententia contentus ego, ad Massiliam revertor, emporium navigationibus florentissimum. Perfecere autem illas partim naves ipsæ, quas habebant ad usus commeantium instructissimas, partim ipse urbis situs, undique liber, & ad totius generis humani commercia terra marique apertus, ut natura urbem pro commerciis posuisse videatur. Inprimis juvabat commodus rei nauticæ situs ac portus, Lacydon teste Mela vocatus, ad quem ex diversis regionum oris tot peregrinarum classium vela plenissimo adpellebant cursu, idque, quod præcipuum est, sine gnaro aliquo custode, ac naufragii periculo; quia ubique mare portuosum subsidioque quamvis maximis navibus abunde sufficiens. Hinc igitur factum est, ut commerciorum iis usus etiam cum remotioribus populis intercederet, navesque eorum per varii nominis maria emitterentur, quæ res domesticas exteris ferebant, rursusque exotica civibus suis advehebant. Ita multum illuc stanni (ut Diod. *l.* IV. & V.) ex Insula Britannica navibus transportabatur, quod postea in penitiorem Galliam terrestri devehebatur vectura. Lapides (vid. Plin. *H. N.* XXXVII. VII. Salm. *Exercit. Plin. p.* 380.) quoque non parvum mercaturæ addidere nomen, ut & corallia apud Plin. XXXII. II. quæ omnium laudatissima, circa insulas Stœchades inveniuntur, ex quibus multa rara manufacta dodie etiamnum venalia prostant. Uno verbo mercaturæ ac commerciorum ejus præstantiam ut complectar; laudes illas, optimo jure me illi adscribere posse crediderim, quas olim Imperator Fl. Constantinus ad Agricolam Præfectum PrætorioGalliarum scribens, urbi Arelatensi tribuebat: Tanta est loci opportunitas, tanta est copia commerciorum, tanta illic frequentia commeantium, ut quidquid uspiam nascitur, illic commodius distrahatur, cum enim huic serviat civitati, quidquid terra habet præcipuum, ad hanc vel navi vel vehiculo, terra mari defertur. Cæterum & apparatus suos nauticos ac bellicos habuere Massilienses nostri, quibus jus commerciorum asserere, ac protegere poterant, Strabo *l.* IV. Naves bellicas intelligo, quæ tanto artificio fabricatæ erant, ut illarum celeritate, ac illas gubernantium scientia confisi, Cæsari sese opponere ausi fuerint, fatente hoc ipso Julio Cæsare, lib. I. *bel. Civ.* cap. LVIII. & lib. II. cap. I. ubi simul navalium illorum meminit, in quibus stabant & fabricabantur naves. Formam illarum ex Thucydide lib. I. *de Bel. Pelop.* ac Herodoto *lib.* I. colligimus, qui longis eos usos esse navibus ac lembis quinquagenum scalmorum, non vero triremibus, eo tempore quo in Galliam contenderent, ac Carthaginensibus bellum inferrent, memorat, idque ideo forsan, quia, ut Polybius *p.* 226. ait, propter celeritatem ad circumfundendum hostem cornua eorum erant aptissima. Figuram depictam qui desiderat, Schefferum *de militia navali* adeat. Quanta etiam rei nauticæ claruerint scientia, unius Telonis sufficiet exemplum, cujus miram velificationis in omnem partem obliquandæ dexteritatem Lucanus *lib.* III. vers. 592. sequenti prosequitur encomio:

Dirigit huc puppim, miseri quoque dextra Telonis,
Qua nullam melius pelago turbante carinæ
Audivere manum, nec lux est notior ulla
Crastina, seu Phœbum videat, seu cornua Lunæ,
Semper venturis componere carbasa ventis.

Non autem mirum est, Massilienses re navali tam celebres extitisse, cum eam multis ante tempestatibus a Phocæensibus & Ionibus acceperint, quorum illi Græcorum primi longis ac iisdem usi fuere navigiis, Herod. *lib.* I. hi autem ætate Cyri classe valebant, ut cum illo pugnantes, suo tandem potiti sint mari, Thucyd. *d. lib.* Hanc igitur illos artem nauticam a majoribus traditam indies magis ac magis auxisse, vel Forum Julii apud Strab. *lib.* I. esse potest argumento, oppidum stadiis circiter DC. ab iis distans, navale olim Augusti Cæsaris, ac tandem ob nimiam celebritatem Classica urbs nuncupata, Plin. *lib.* III. *cap.* IV. Præterea cum mer-

caturæ imo imperii nervus opes sint ac divitiæ, ac militare ærarium illarum quoque subsidio nitatur, Massiliæ illas non defuisse animadvertere licet. Conjecturæ locum dat Aristoteles, qui libro *de mirabilibus auscultationibus* refert, Pastores aliquando in Iberia sylvam combussisse, cumque vi incendii terra inalesceret, magnam argenti liquefacti efluxisse copiam; nec non postmodum terram hanc motu concitatam non minorem ejusdem metalli faucibus suis apertis eructasse quantitatem, ex qua non vulgares Massiliensibus obvenere proventus. Et ex eo quoque idipsum colligere poterimus, quod vicinos ac præcipue Arvernos admodum divites fuisse tradat Strabo *lib.* IV. inque rem hanc Luerii Arvernorum Regis alleget exemplum, qui tantis luxuriavit opibus, ut aliquando ostentandæ amicis opulentiæ suæ caussa, curru per campum veheretur, auream argenteamque monetam hinc inde dispergens, non recipiendi animo, ut Venetorum Dux cum annulo sibi despon- A sat mare, sed comitibus colligendos relicturus. Nummorum autem quibus usi sunt Massilienses formam Leonem fuisse refert Petrus Victorius, *lib.* XXXV. *c.* XXIII. animal alias in Hieroglyphicis & aliis satis celebratum. Hæc imago & Veliensium numismatibus insculpta erat, ideo quidem, quia & ipsi a Phocæa oriunderant, nec non Lugdunum officina illa Romanorum quondam monetaria eandem nummis suis impressit figuram, Plinius *lib.* IV. *c.* XLVIII. Insigne urbis, ut & hoc hic obiter addam, Taurus erat, de quo vide Stephanum &, qui illum secutus est, Bertium, *p. m.* 249. Ex his patet, quanta opum ac B commerciorum laude insignis fuerit Massilia nostra, non igitur mirum, quod & potentia, hinc enim res eorum tam magnæ factæ sunt, ac ad summum pene elatæ, ut bella non tantum cum vicinis, sed & remotioribus populis gesserit quam maxima, de quibus jam dicendi commode sese offert locus.

PETRI HENDREICH
MASSILIA.
SECTIO TERTIA,
IN QUA
DE EJUSDEM MILITIA,
AC CUM POPULO ROMANO FOEDERIBUS.



REI militaris laude floruisse Massilienses observavit olim Strabo, qui studiosius, ut totius orbis, ita & Reipublicæ hujus admiranda, in memoriæ codices retulit. Ita autem de illis ille, *lib.* IV. *Habent Massilienses etiam navalia, & armamentarium olim etiam suum; armorum ac machinarum ad navigationes & oppugnationes urbium factarum copia præditi fuerunt.* A summo illo auctorum (ut Tac. *Germ.* XXVIII. Cæsare forsan ita edoctus erat, qui lib. II. c. II. *de bel. civ.* magnos iisdem omnium rerum ad bellum fuisse apparatus refert, ac tantam tormentorum multitudinem, ut tum temporis, cum urbem obsideret, vim eorum nullæ viminibus contextæ vineæ sustinere possent. Ac paulo ante idem scribit, lib. I *bel. civ.* c. XXXIV. Armorum officinas in urbe habuisse illos, quæ omne armorum genus suppeditabant affatim. Neque deerant milites, qui his armis uterentur; cujus inter cætera vel illud argumento esse poterit, quod Gallorum quam plurimi apud illos, memorante Polybio p. 176. stipendia meruerint. His igitur illis armis, propria accedente virtute, fines suos longe lateque dilatarant, partim vicinos, ut cum Justino loquar, lacessendo, partim vicinos lacessentes repellendo. Ipsa soli, de qua in principio diximus, sterilitas rei bellicæ studiosos effecit, ut, eodem Justino refe- E rente, *lib.* XLIII. c. III. latrocinio maris vitam tolerasse necessum habuerint. Ad quod accessit nimia Gallorum & vicinarum gentium feritas, cum quibus multa illaque acerrima coacti fuere gerere bella. Hoc ut melius pateat, singula illorum jam suis temporibus reddam. Et primo loco vix sede posita in ipsis prope portis bellum iis cum Liguribus ortum est. Hi enim ut gens est, judicio Justini, fera, quia montium editis inculta, Scaligero *cerberea* vocata, a Marco Catone Porcio *fallax* dicta, Massilienses nostros non ita pridem advenas bello aggressi sunt, rati hanc exulum felicitatem, ut est assidua eminentis fortunæ co- F mes invidia, in ipso ortu extinguere. His mox Commanus (Nanni filius ac successor, a quo locum condendæ urbis acceperant) sese adjunxit, vicinorum regulorum ac suorum motus querelis; qui Massiliam exitio finitimis populis quandoque futuram, eoque mature opprimendam, antequam ipsa opprimat, asseverabant, ac ut melius persuaderent, hac utebantur fabula apud Just. *lib.* XLIII. *c.* IV. *Canem aliquando partu gravidam locum a pastore precario petisse, in quo pareret: Quo obtento, iterato petisse, ut sibi educare eodem in loco catulos liceret: Ad postremum adultis catulis, fultam domestico præsidio, proprietatem loci sibi vindicasse. Non aliter Massilienses, qui nunc inquilini videantur, quandoque Dominos regionum futuros.* Hoc incitatus Rex argumento, priusquam illis tantum roboris esset, quantum futurum apparebat, bellum communiter facere occupat, non prius autem

illud ostendere ratus, quam inferre, idque per dolum, aperto Marte nil effecturus. Vere hic repeti potest ac dici illud vulgare: *Principes parvi non amant Vicinos magnos, æque ut parvi pisces Balænas grandes*, ut ait Besold. *de præced. sess.* Itaque solenni Floraliorum die optimos quosque suorum ac maxime strenuos viros, in quibus plurimum spei reposuerat, hospitii jure in urbem misit: Plures scirpis latentes, frondibusque supertectos induci vehiculis, non secus ac olim in Equi Trojani gravido Græcorum fraude utero, jubet. Ipse vero cum exercitu sub proximis montium jugis delituit, eo quidem fine, ut cum nocte a prædictis reclusæ fuerint portæ, ac ratio agendæ rei, ac tempus conveniret, suis mandatum exequi inchoantibus subveniret, ortaque ex composito vi, Urbem somno ac vino, ob festivitatem diei solennibus epulis ludicræ, largius sumpto, sepultam armatus invaderet, sicque civitate, quod certo sibi pollicebatur, sine suorum sanguine potiretur. Verum consilio huic eventus non respondit: Insidias enim præparatas mulier quædam e regia stirpe, prodidit, quę consuetudinem cum Græco Adolescente habere solita, miserata juvenis formam publica brevi cum ruina perituram, insidias aperuit, periculumquæ declinare jussit. Ille rem statim Magistratui denunciat. Quo facto Ligures, qui jam urbem intrarant, comprehenduntur, latentesque de scirpis protrahuntur; Regi autem ante urbem insidianti, insidiæ tenduntur, quæ felici exitu successere, captus enim est is, & sua mercede peremptus, cumque illo septem millia hostium occisa. Sic male destinata discussit omni ratione potentior fortuna, ut Curtius III. VIII. & ad bonos Massiliensium eventus vertit. Affine huic de Phocæensibus apud Plutarchum *de virtutibus mulierum* legimus, quod a nostræ narrationis instituto non alienum opinor. Phobus Patria Phocæensis, Vir potentia & dignitate præditus regia, cum Parium (quæ urbs est Asiæ in Regione Mysiæ) suorum causa negotiorum navigasset, amicitiam & hospitii jus cum Mandrone Bebrycum Rege contraxit, eique bello tum temporis a vicinis infestato, auxilium tulit. Mandro ob navatam præclare operam tantis ejus meritis devinctus, inter cætera officia delata, quibus animum gratum declararet, etiam urbis, ut eo firmior, amicitia societate redderetur, agrique partem largiturum se promisit Phobo, si Phocæorum coloniam liberet Pityoessam transferre. Quod factum est. Cum vero Phocæi aliquantum temporis illic morarentur, spoliisque ac opibus magnis e finitimis barbaris potirentur, invisi primum insita mortalibus natura recentem aliorum felicitatem ægris oculis introspicere (ut Tacit. *Hist.* II.XX.) post etiam terrori Bebrycibus esse cœperunt, ita ut Bebryces variis studuerint rationibus, quibus extraneos hos e medio tollerent. Donec tandem consilio additus dolus est. Verum illum Lampsace Mandronis filia Græcis aperuit, utque sibi ab insidiis caverent, monuit. Græci igitur artem arte elusuri, per speciem sacrificii ac convivii Pithyoessenos in suburbium vocabant, illosque cum præsentes essent, nec nisi Hilaria animo sperarent, trucidarunt: Lampsace ex invaletudine mortua summo ac sacro honore culta. Sed ad Massilienses redeo, qui etiam postmodum assidua illaque acerrima cum Liguribus, quos *Genevois* Joh. Poldus d'Albenas vocat, ac Gallis gessere bella; quibus tamen illorum vires, quod ancipiti alias ac vario Marte fieri assolet, non attenuatæ, sed cum gloria, virtusque tot frequentibus victoriarum vicibus exercitata, celebris inter finitimos reddita est. Exemplum ejus esto bellum,

A quod non multo post primum secutum est; inchoatum tamen non perfectum. Rei actus talis erat, Justin. *lib.* XLIII. *c.* V. Finitimi populi spreto vicinitatis, quam sancte coluisse debuerant, jure, rebus Massiliensium prosperis ac felicitati invidentes, ad commune velut incendium extinguendum undique confluentes, Urbem illorum, electo sibi duce Catamundo regulo, societis animis ac manibus egressi sunt. Tum Catamundus cum circa illam hærens, anxius de instantibus curis, quietem caperet, specie cujusdam mulieris ultra modum humanum torve agitatus est, B quæ se Deam dicens, hortabatur, ut relicto, quod conceperat, odio, pacem cum Massiliensibus, qui nullius criminis rei essent, constitueret. Hoc somnio tam insolito tactus Dux, ac vetera, quod solicitudo facere solet, illaque Massiliensium cum Liguribus bella revocans, animum infestum deposuit, adeo ut quemadmodum antea novissimus in culpam, ita jam primus ad pœnitentiam factus, pacis dextram ultro iis offerret, & dare fidem & accipere paratus; petito simul, ut intrare urbem ibique Deos eorum adorare liceret. Quo admisso, cum in arcem Minervæ sacram ascenderet, ac in illius porticibus Deæ illius quam antea diram per C quietem viderat, simulacrum conspiceret, repente exclamavit; Illam ipsam esse, cujus specie exterritus, jussuque motus obsidionem urbis solvisset. Gratulatusque Massiliensibus, quod tantæ Diis curæ essent, ac torque aureo donata Dea firmæ perpetuæque imposterum cum iis posuit fœdus amicitiæ. Sic ex bello, quod parabat, tristi, læta repente ac insperata pax extitit; adeo natura facile redit ad statum staturamque suam, si quæ illam inflabat ambitio, detumescat. Cæterum motibus his compositis a Saliis post hæc, vid. Flor. *lib.* III. *c.* II.) Galliæ Narbonensis populo (qui ibi habitarunt, ubi nunc est Archiepiscopatus A- D quensis, ut Merula) variis incursionibus infestati erant Massilienses nostri, quos tamen illi felicibus M. Fulvii Flacci Consulis auspiciis, feliciter domuerunt. Cum Rhodiis etiam bellum gessisse illos, ac Rhodium occupasse meminit Strabo *lib.* XIV. Nec non cum Carthaginensibus, causa ob captas Piscatorum naves orta, diversa prælia marina iniisse, illaque nonnisi victoria terminasse, adeo ut pacem sæpe dederint supplicibus, refert Justinus, *lib.* de XLIII. *c.* V. Præterea cum Ambronibus atque Toygenis fortiter pugnasse ex hoc colligimus, quod Marius, ob præstitam fideliter tum operam, urbem, fossam Marianam a se auctore E sic vocatam, hodie *Aigues mortes* dictam, præmii loco donaverit: Unde illi magnas sibi ex vectigalibus parabant opes, Strabo *lib.* IV. & Grot. *de J. P. & B.* II. II. Nec non (ut obiter hoc addam) prostratis ab eodem centum millibus Teutonum, Massilienses tum temporis demortuorum ossibus vineas circumdabant, tellurem vero putrefactis replebant cadaveribus, atque reddebant pinguiorem, ut stato tempore fructum ex eo majori copia colligerent atque abundantia. Vide hac de re Photii *Bibliothecam*. Hanc autem fossam duxerat Marius ideo, quod Rhodani ostium adgestione limi, fluxu maris id causante, obturatum, intratuque factum fuerat admodum difficile. F Opus igitur erat fossa, quæ majorem amnis partem eo detortam exciperet, commodioremque efficeret navigationis cursum, quo subveherentur ea, quæ exercitui essent necessaria. Postea vero cum nihilominus difficilis, ob aquæ copiosæ crebrum affluxum, limi adgestionem & loci humilitatem, in hæc ostia esset introitus, ita ut aere turbido, ne e vicino quidem conspici possent; Massilienses signi loco turres erexerunt, ac Dianæ Ephe-

Ephesinæ fanum in insula, quam ostia fluminis faciunt, posuerunt. Ad hæc bellicæ Massiliensium fortitudinis indicium est Tolosana provincia, olim pars Hispaniæ citerioris, quæ teste Hieronymo, armorum jure ab illis occupata fuerat, Volaterranus *lib.* III. *Geogr.* Hæc sunt bella, quæ Massilienses nostri, summa cum laude, summa cum virtute ac fortuna perfecerant olim. Sed unum adhuc restat, quod & temporibus postremis, & postremum etiam gesserunt cum potentissimo illo bellatorum principe Julio scilicet Cæsare; (*Bell. Civ.* I. num. 34.) cui etsi nemo nec rerum gestarum magnitudine, nec celeritate conficiendi, nec præliorum numero par haberi potuit, ausi tamen sunt illum in Hispaniam properantem morari. De hoc sub finem operis, ne nunc incepto longius abierim, plura in tempore traditurus sum. Ex his patet, quam ab omni ætate bellicæ laudis fama claruerint Massilienses, ita ut qui illustrissimi, qui fortissimi, qui fortunatissimi pugnaverint. Auget vero illis non minimum fortitudinis laudem & hoc, quod deficientibus nervis, crines suos abscissos & contortos maritis suppeditaverint fœminæ, quibus nervorum ac funium inopiam supplerent, vid. Frontin. *lib.* I. *cap.* VII. non secus ac Carthaginenses, apud quos, Floro teste *lib.* II. *cap.* XV. *n.* 10. in tormentorum vincula matronæ capillos suos conferebant. Ita efficacior omni arte imminens necessitas, non usitata modo præsidia, sed etiam nova tum admonuit, ut Curtius IV. III. 24. Egregium vero mulierum factum, quo nec prudentia, nec consilio, nec virtute viris cedebant! Maluerunt illæ pristini decoris immemores, deformato ad tempus capite arma ac ballistas, quibus libertatem viri protegerent, reparare, quam venustate illæsa in hostium pervenire manus ac crudele servitium. Hoc autem in primis mirandum est in Massiliensibus, quod cum cæteri populi bellorum exhauriantur motibus, illi opulentiores ditioresque his facti sunt; ac eo pervenerint potentiæ, (referente Just. *lib.* XLIII. III.) ut victis hostibus, multas in captivis agris colonias variis ex successu rerum temporibus constituerent, ac finitimis populis, quo tutiores in meditullio essent, varias opposuerint munitiones ac urbes, quas partim vel ipsi condiderant, partim ab hostibus ereptas suæ fecerunt ditionis. Ita Rhoen Agatham (nonnullis Civitas Nigra, nonnullis Monspessulus) adversus barbaros Rhodanum accolentes, (de qua re consulendi Strabo *lib.* IV. Plinius *lib.* III. *cap.* IV.) Ita Taurentium Olbiam hodie *la Ville d'Yeres* secundum Poldum d'Albenas, juxta Dominicum Marium Nigrum (*Comment.* IV. *Geogr.* I.) *Tolon* vocatam, Antipolim hodie *Ragnys* Poldus Albenas, Nicæan (quæ *Nizza* hodie) Salyum genti ac Liguribus alpium juga incolentibus opposuerunt, quibus eos impune antea excursionibus vastantes, postea tanquam freno injecto mirum in modum coercuerunt. Arelatem præterea Phocæenses, & ex his proculdubio præcipue Massilienses condiderunt, Sincer. *p.* 224. sicut etiam Emporium Celticam urbem, quam cum Livius disertissimis, ut omnia, descripserit verbis; meis ego cedam, ipsius, quod de eo tulit, encomium huc positurus, *lib.* XXXIV. IX. *Oppidum Græcum in mare expositum est, totum orbem muri minus quadringentos passus patentem habebat. Miraretur quis cum cerneret aperto mari ab altera parte, ab altera Hispanis, tam feræ & bellicosæ genti objectos, quæ res eos tutaretur. Disciplina erat custos infirmitatis, quam inter validiores optime timor continet. Partem enim muri versam in agros egregie munitam habebant, una tantum in eam regionem porta imposita: Cujus assiduus custos semper aliquis ex magistratibus erat, nocte pars tertia civium in muris excubabant: Neque moris tantum aut legis caussa, sed quanta si hostis ad portas esset, observabant vigilias & circumibant cura. Hispanum neminem in urbem recipiebant, ne ipsi quidem temere urbe excedebant ad mare. Patebat omnis exitus: Porta ad Hispanorum oppidum versa nunquam nisi frequentes, pars tertia fere, cujus proxima nocte vigiliæ in muris fuerant, egrediebantur, caussa exeundi hæc erat: Commercio eorum Hispani imprudentes maris gaudebant, mercarique & ipsi ea quæ externa navibus inveherentur & agrorum exhibere fructus volebant. Hujus mutui usus desiderium ut Hispana urbs Græcis pateret, faciebat: Erant etiam eo tutiores quod sub umbra Romanæ amicitiæ latebant, quam sicuti minoribus viribus, quam Massilienses, ita pari colebant fide.* Hæc ille. Fusius hac de ipsa urbe agit Johannes Episcopus Gerundensis, *Paralip. Hispan.* lib. I. Cæterum in insulis quoque Stœchadibus ('ut Plin. III. v. Strabo *lib.* IV. Tacit. *Hist.* III. XLIII. 4.) Gallis *les Isles d'Hyeres*, vel *les Isles dor*, quæ herba Stœchade Gallis, Stichas Arabibus insignes sunt, contra excursiones prædonum præsidium suum habuerunt Massilienses. Ita autem appellatæ sunt hæ insulæ propter situs ordinem; erant enim tres (secundum Strabonem autem quinque) quarum prima Prote, hodie *Iséco*; Altera Mese, hodie *divi Stephani*; Tertia Hypæa aut Pompejana, hodie *Pomige*. Præter has Aphrodisium etiam illi, nec non Monæcum seu portum Herculis condiderunt; De quibus vid. Cluverius, nec non Strabo, qui hæc ad Massilienses pertinuisse, ac eousque littus eorum porrectum conjicit; cujus conjecturæ rationem, quia nullam addidit, Casaubonus *Comment.* p. 81. ex nomine supplevit, dicitque, quia ut Massilienses Græci erant, ita nomina ejus tractus esse Græca. Quod validum esse argumentum Hornius *lib.* I. *cap.* VII. *de origin. gent. Amer.* esse dicit, ubi nomina locorum, urbium, montium, fluviorum valide probare ait, quia minus obnoxia mutationibus sunt. Clarius ac planius hoc ipsum facit Plinius, *lib.* III. *cap.* IV. qui littus Massiliensium amplissimum, ac de nomine ipsorum *Massilioticum* appellatum scribit. Memorat præterea sæpe memoratus Strabo, *lib.* IV. p. 127. forum Julii seu navale Augusti Cæsaris Massiliensium fuisse, nec non Athenopolim Plinius *loco cit.* Salyas quoque victos & subjugatos Cæsari Massiliensibus se attribuisse ipse refert, *Bell. Civ.* I. XXXIV. Multæ insuper erant, sed minoris magnitudinis, eoque incerti nominis Insulæ, quæ Massiliensibus parebant. Neque vero illud hoc loco prætereundum est, quod dum ex Phocæa Galliam peterent Massilienses, ac incerto mari adhuc volverentur, coloniam a se dimiserint; Fabri enim tum cursu a classe illorum deflexo, digressi, locum mari vicinum occuparunt, ubi urbem Taurinum, ab insigni navis, quæ taurino capite notabatur, sic vocatam, posuerant; hodie *Turinum* illa dicitur. De hoc, qui volet, singulare illud & operosum Wolffgangi Lazii adeat Opus, *lib.* I. pagin. 49. Sed latius adhuc dominium Massiliensium sese extenderat, in Hispaniam scilicet, ubi tria (referente Strabone *Geogr. libr.* III. pag. 109.) habebant oppida inter Sucronem ac Carthaginem sita, quorum fama præcipue celeberrimum erat illud, quod speculam habebat, ac fanum in promontorio, Dianæ Ephesinæ sacrum, quo tanquam arce & receptaculo ad res mari gerendas olim usus erat Sertorius, quia munitum fuit editi loci natura, latrociniis aptum, longeque ab adnavigantibus cerni poterat. Meminit hujus Dianii, præter Plinium *lib.* III. *cap.* III. etiam Cicero hisce verbis lib. V. *contra Verrem:*

Quicunque accesserant ad Siciliam paulo pleniores, eos Sertorianos milites esse, atque a Dianio fugere dicebat. Hæc fuit Massiliensium potentia ac virium gloria, quibus florentes multa & ingentia gesserunt bella, illaque non sine fructu perfecerunt. Testes ejus rei sunt spolia quam plurima, quæ illi ab hostibus erepta, duraturam ob memoriam affixa habebant, Strabo *lib.* IV. Talia erant enses, clypei, galeæ, currus, devictarum navium rostra, & cætera trophæa devictorum cruore rubentia veluti avitæ gloriæ ac fortium factorum præmia, ornamenta & documenta; quæ quanto vetustiora erant, tanto plus decoris & majestatis ob antiquitatem per se etiam venerandam habebant. Hac autem de causa ab iis factum crediderim, quo hæc intuentium posterorum animos cogitatio subiret, ut pari ipsi exemplo Majorum sequerentur & adsequerentur fortitudinis laudem, ac inveteratæ virtutis, quam ab illis acceperant, gloriam in posteritatem suam derivarent, nec degeneres, tam claros triumphos turpibus fœdarent factis, sed novis eosdem exornarent verbis. Hunc tenuere morem Galli (referente Merul. *Cor.* lib. III.) quoque, qui victoria parta, captivos suos Diis immolare, & refecta hostium capita, nec non spolia sanguine illorum perfusa spectaculi gratia pro portis oppidorum affigere solebant; cujus exinde consuetudinis adhucdum circa feras occisas vestigia quædam apud illos permanent, dum nobiles trunca bestiarum capita, quas vel ipsi vel majores eorum interfecerunt, foribus vel porticibus adfixa ostendunt. Fuit hæc consuetudo, etiam in ipso Romæ ortu a Romulo observata, qui devictis Ceninensibus templum Jovi Feretrio, exiguum quidem, sed religione sanctissimum dedicavit, illique spolia, quæ tum hostibus eripuerat ex quercu suspensa consecravit, solennibus his tunc additis verbis: *Jupiter Feretri, hæc tibi victor Romulus, Rex regia arma fero, templumque iis regionibus, quas modo animo metatus sum, dedico: sedem opimis spoliis, quæ regibus ducibusque hostium cæsis, me auctorem sequentes, posteri ferent.* ut Livius *lib.* I. Postea non minus florente Republica illorum ærarium ex hostium spoliis & victorum tributis auctum erat, Besold. *de ærar.* cap. I. Monent tamen hic Politici, honestius esse, ac ad majorem victoris laudem facere, si captarum urbium ornamenta in patriam non transferantur. Rei hujus caussas adducit Polybius *lib.* IX. quod hoc pacto ad invidiam accendantur reliqui, vitium etiam in ludicris certaminibus admodum familiare, in quo deteriori atque infirmiori favetur, Livius *lib.* XLII. *cap.* LXIII. Quod etiam calamitas aliena spectatores ad commiserationem movere soleat; ac odium concitare in illos, qui devictorum spoliis ac trophæis superbe gloriantur. Quod præter hæc ipsismet devictis, cladis suæ memoria ac imago ante oculos semper obversetur, atque alta mente reposta maneat, donec tandem in vindictam, si potest, prorumpat. Stultescere denique ait illos, qui alienas calamitates suæ patriæ decus esse sibi persuadent. Hinc in tales cum Thucydide Lipsius *Polit.* V. 18. exclamat: *o stulti, is qui in bello ob res secundas exsultat, non cogitat, quam infida fiducia se extollat.* Eam ob rem cum victor e bello redux gloriabundus urbem intraverat, non tantum vulgus conviciis prætereuntem afficiebat, sed & carnifex non procul a triumphante sedebat, admonens, ne hac victoria, ex eaque parto sibi honore elatus insolescat, sed ancipites & infidas Martis vices esse cogitet. Multos enim fortuna Reges a suo denique axe excussit, præcipitesque egit ex suggestu, quem invidiose conscenderant. Huic quoque rei triumphali appensa erant currui nola & flagellum, quibus significabatur, jam triumphantem in eandem posse incidere sortem, ut & flagris cæderetur & capite mulctaretur. Proinde Princeps & vincere & victis consulere sciat. Sic Massiliam vidimus præclare institutam, hostibus formidabilem, armorum vi potentem ac munitam, restat ut amicis atque fœderatis clarissimam contemplemur; hæc enim plurimum etiam ad potentiam valent. Socios autem illa sibi legit tales, qui, ut cum Lipsio *Polit.* IV. 9. 78. loquar, & viribus & loci opportunitate utiles esse poterant; viribus inquam, ridiculum enim alias esset, cum illis fœdus inire, qui succurrere, vel quovis modo prodesse nequeunt, exemplo fœderis quadrupedum cum piscibus contra aves; loci etiam opportunitate dico, quamvis enim locorum sejunctio amicitiam haud dirimat, officiorum tamen interrumpit usum. Socii igitur ac fœderati fuere Romani, cum quibus Massilia nostra, Romanos puto, cum quibus illa summa invictaque pietate arctissimum ab initio pene suo fœdus coluit, (vid. Grotius *de J. B. & P.* l. I. c. III.) ut optimo jure fidissimam atque amicissimam civitatem Florus *l.* III. *c.* II. appellaverit. Itaque sine ulla subjectionis spe, nam, ut cum Ubbone Emmio, *Vet. Græciæ* Tom. III. *p.* 344. 4. 2. 2. verbis autem Curtii, rationem reddam, quia claritate & magnitudine ante omnes Galliæ urbes memorabilis, facilius societatem Romanorum, quorum ditio nondum adeo late se protenderat, acceptura videbatur, quam imperium; adeo, ut suis moribus legibusque utens, ac suæ majestatis jura servans, non minus libera, quam ipsa Roma censeretur. Habent enim (ut Bodin. *Rep.* lib. I.) & retinent summum imperium illi, qui inæqualiter fœderati & fœdere inferiores sunt, ut docet Eximius Grotius *de Jure B. & P.* l. III. c. III. fœderibusque (vulgare est doctorum) nemo ab ordinaria jurisdictione eximitur, nec ulla jurisdictio transfertur, sed gens libera manet, privilegia regimenque pristinum retinet. Hinc referente Alexand. ab Alexandro *Gen. dier.* lib. II. cap. XXVII. Massilienses & Nemausenses ab onere provincialis prætoriæ fuere immunes. Tam arcta autem armorum & animorum cum Romanis erat conjunctio, ut se etiam fratres invicem appellarent. Testantur id veteres Panegyrici, inter quos Eumenius Rhetor in oratione *pro Scholis Cliviensibus*, (Augustodunensibus putat Lipsius *Excurs. in* III. *An. Tac. lit. H.*) instaurandis tempore (ut ex Hospiniano *de orig. Schol.* ac Beato Rhenano *p.* 93. 324. colligere licet) Constantii Cæsaris coram præside Galliæ habita, cujus hæc tum fuere verba: *qui civitatem istam* (Massiliam scilicet) *& olim fraterno populi Romani nomine gloriatam*, &c. Nec non fere disparia hac de re verba habet, innominatus quidam Panegyrici Constantino & Maximiano dicti auctor: *Cujus civitatis antiqua nobilitas, & quondam fraterno populi Romani nomine gloriata est.* Confirmat hoc Plinius *lib.* III. *cap.* IV. *lib.* XXI. *cap.* XX. & *lib.* XXXIV. *cap.* IX. qui Civitatem fœderatam; nec non Livius, qui socios amicitiam magna fide colentes vocat. Idem Ammiani Marcellini *lib.* XV. judicium, qui ita dicit Massiliæ societate ac viribus in discriminibus assiduis fultam aliquoties legimus Romam. Sed omnium optime ut ætate, ita eloquentia omnes hos antecedens Cicero: Cujus de Massiliæ fœderibus hæc eximia, in oratione *pro Marco Fontejo* habita, verba legimus: *Atque ex ipsa etiam Gallia fidissima & gravissima auxilia sumuntur. Venit huic subsidio, misero atque innocenti, Massiliensium cuncta civitas, quæ non solum ob eam caussam laborat, ut huic, a quo ipsa servata est, parem gratiam referre videatur; sed etiam, quod ea conditione, atque eo fato se in his terris collocatam esse arbitratur, ne quid nostris hominibus illæ gentes nocere possint.* Idem eadem, *Phil.* VIII. talibus repetit verbis:

Ego te cum in Massilienses tam sis acerbus, Fusi, non animo æquo audio, quousque enim Massiliam oppugnabis? Ne triumphus quidem finem fecit belli? per quem sublata est urbs ea, sine qua nunquam ex Transalpinis gentibus majores nostri triumpharunt. Exempla hujus rei nobis occurrunt quam plurima, inter quæ hoc jam sit primum, apud Justin. XLIII. v. Cum Massilienses Urbem Romam a Gallis captam ac incensam inaudirent; mali fama adeo eos accendit, tantumque expressit dolorem, ut indicto justitio luctuque publico fora desererent, domus clauderent ac communi funere calamitatem Urbis, ac triste ejus fatum prosequerentur, ita nemo fuerat civis, qui hujus civitatis sociæ miserias alienas arbitraretur. Imo ut e captivitate redimerent illam, omne aurum argentumque, quod vel fiscus vel privatus habebat, contulerunt, ad exæquandam Gallis summam, qui pacem ac libertatem pro certo se Romanis pretio reddituros promiserant. Sane quo major tum Romæ calamitas, quæ vere magna fuit, concidisse enim Rempublicam, nihilque spei reliquum videbatur, ac exinde cautum, ne quoties Galli tumultum intulissent (videndus Barclajus in *icon. an.*) sacerdotibus, senibusve, ab armis vacatio esset, eo major amicitiæ Massiliensis extitit argumentum. Scribit Plinius *lib.* XXXI. *c.* I. exiguum fuisse Romanis illo tempore aurum, nec plus quam mille pondo effici potuisse, quod si reliquum, quo pretium conventum expleverant Massilienses, subducta ratione addamus, officii colligere poterimus magnitudinem. Hoc illorum igitur meritum grato agnoscentes animo Romani, fœdere æquo jure invicem percusso, & immunitatem a vectigalibus, & locum spectaculorum in senatu iis decreverunt. Hoc unum fuit veræ fidelisque amicitiæ ac fœderis exemplum: sequitur alterum, non minus singulare, quo in bello Punico cum Annibale jurato illo Romani nominis hoste multis vicibus fidem suam probant, Livius XXI. XX. Cum enim is Gallorum populos in societatem belli contra Romanos trahere vellet, Romani legatos suos misere, qui a Gallis peterent, ne Pœno bellum Italiæ inferenti, per agros, urbesque suas transitum concederent. Sed Gallis stolida, imprudensque visa est postulatio, dicebant enim deberene bellum hoc in se avertere, agrosque suos pro alienis populandos objicere; respondebant igitur: neque Romanorum in se meritum esse, neque Carthaginensium injuriam, ob quæ aut pro Romanis, aut adversus Pœnos sumant arma, Liv. XXI. XXVI. Polyb. pag. 176. Massilienses vero tum pro antiquo fœdere legatos hos etiam ad se missos benigne, humaniterque exceperunt, ac ut studia sua erga urbem testarentur, P. Cornelium Scipionem, cum LX. navibus longis ex Italia vectum portu exceperunt, commeatum, arma, ac quæ cætera in classium armamentis necessaria large & hospitaliter subministrarunt; utque noscerent ubinam moraretur Annibal, assumptis trecentis equitibus speculatum iverunt. Postea quoque cum Cn. Scipio Publii Frater, Asdrubalem Annibalis fratrem XL. navium classe ex Hispania adventantem navali adoriretur certamine (ipse XXXV. navibus ac fortissimis quibusque ex omni copiarum pedestrium numero selectis militibus instructus) Massilienses constantes ut si qui alii, tum certe consilia sua cum Romanis junxerunt, Livius XXII. XIX. Polyb. p. 221. Suas enim illi speculatorias præmisere, quæ periculis primæ se objectantes, classem præcedebant, & prærupta quadam utentes audacia, maximo illis ad omnia tum erant usui: præibant enim Syrtes scrutaturæ, simulque exploraturæ, ipsene Asdrubal adesset, an præfectorum aliquis speciem universi exercitus præbuisset. Cum vero reverterentur illæ, ac classem Punicam stare in ostio fluminis, castraque in ripa posita referrent;

A Cn. Scipio sublatis anchoris in hostem ivit, improvidum incautumque, effuso uno impetu terrore oppressurus. Verum Asdrubal, nunciato ab iis, qui e speculis prospectabant, hostem appropinquare, classem suam & terrestres copias in aciem instruxit, ipse quoque pugnaturus. Non mediocris autem simul animum ejus formido incesserat, vix credentem venire Scipionem, nec levi perculsi metu erant milites, quippe itineri, quam prœlio aptiores, eoque castra secuti, qui ignaris supervenire solent; ipsaque festinatio discurrentium, suosque ad arma vocantium, majorem effecit metum, spiritusque
B simul concitabat. Hinc vario tumultu omnia turbabantur, adeo ut Pœni tentata verius quam inita pugna, actis in littora navibus (instabant enim Romani acerrime) saltu se in terram ejicerent, relictis hosti viginti quinque navibus. Actum sane de Romanorum tum esset rebus, nisi Cnejus sociatis cum Massiliensibus armis ac consiliis, vires duorum illorum fratrum, Annibalis & Asdrubalis, qui Romanos communibus se viribus oppressuros constrinxerant, disjunxisset. Sed Massilienses nostri tum & postea quoque fideles manserunt, quamquam Galli & Arverni profugo ex hac clade in Italiam Asdrubali sese adjungerent, moti
C fama (qua bella maxime constant) a Pœnis vulgata, ultimum Romanis imminere exitium. Cum enim Scipio sua cum classe in Hispaniam iret, quatuor illi triremes officii gratia miserunt, qui illos Tarraconem usque comitarentur, Livius XXVI. XIX. & XXVII. XXXVIII. Ad hæc, ut Romæ socii de adventu Asdrubalis ingruente certiores fierent, legatos suos demandarunt, qui nunciarent, Asdrubalem cum totis viribus in Italiam tendere, ac magnæ pecuniæ summa Gallorum animos ad fidem exuendam emercari. Eodem præterea modo abire Romam legatos suos jusserant, qui significarent, Li-
D gures structis insidiis L. Babium prætorem in Hispaniam proficiscentem circumvenisse, eoque redegisse, ut magna parte comitum suorum cæsa, ipse, nec tamen sine vulnere, cum paucis quibusdam indecora sibi consulere fuga necessum habuerit; qua delatus Massiliam intra triduum vita functus est, Livius XXXVII. LVII. Hæc sunt exempla fidelitatis Massiliensium erga Rom. luculenta, quibus illis fidem animumque suum veræ amicitiæ cultorem probabant. Non minus autem eandem præstiterunt fidelitatis operam, in bello contra Ambrones atque Toygenos habito, quæ tanta fuit, ut Romani præmii loco fossa eos donaverint Mariana, ex cujus illi
E possessione multum utilitatis percepere. Sic igitur probata tot vicibus illorum fides magis ac magis cum Romanorum coaluit, ut utrinque facti fuerint mutui laborum tristiumque socii ac cujuscumque fortunæ, & si ita ferret, exitii etiam comites, Livius XL. XVIII. Sic enim cum Massilienses quererentur, Ligures in litus suum piraticis excurrere navigiis, latrociniis agros suos mari conterminos miserandum in modum infestare, mox Rom. exercitum eo decreverant, duum-viris ad id electis, quorum singulis denas commiserunt naves, quibus alter eorum oram maritimam usque ad Massiliam, alter usque ad Barium a populationibus Ligurum defenderent.
F Nec non cum Ligures transalpini Massiliensium oppida, Antipolim & Nicæam vastarent, Q. Opimius Consul jussu Senatus populique Romani citis cum militibus sociis subvenit, ac hostem feliciter subegit, Livius *Epit.* l. XLVII. Hanc rem cum Polybius pluribus enarret, *pag.* 878. & 880. & nos illum secuti autorem prolixius referemus. Ligures, gens ob asperitatem locorum, hæc enim ingenia hominum quandoque durare solent, (ut Curtius VII. III. 6.) aspera, raptoque vivere adsueta, Rom. ac Massiliensium hostes fuerunt juratissimi.

Ac quamvis Romani per centum & amplius annos (ut Bodin. *Rep.*v.) bella contra eos gesserint, tamen eorum imperium ferre prius non potuerunt, quam coloniis deductis montium juga, vastosque saltus deserere coacti essent, cultioribusque locis sua inculta permutarent. Ita perfidia nullis constringi poterat vinculis. Magis singularem Liguriæ descriptionem habet Diodor. Sicul. *lib.* v. Hi igitur Massiliensium oppida Antipolin atque Nicæam hostili modo omnia vastando incursabant, ipsasque civitates arctissima premebant obsidione; ut ea re moti Massilienses suorum quosdam ad Romanos mitterent, ab ipsis auxilia petituros, quorum viribus opibusque tum sublevarentur. Quo audito Romani ob fœdus ac beneficia Massiliensium nihil quicquam sociis denegaturi extemplo Flaminium & Popilium Lænatem, ac L. Pupium miserunt, qui cum Massiliensibus navibus Roma profecti Ægitnam urbem sitam in Oxybiorum agro appulerunt. Hoc audito Ligures venisse Romanos qui obsidionem urbis solvi juberent, ac imperata facere recusantes, vi armisque cogerent, concursu undique facto, audacia sceleratissimorum quorumque armata ad portum usque egressi sunt, ac advenas jam e navibus descensuros vi repulerunt. Interea vero Flaminium forte ac vix cum suis aliquot e navi egressum, probrosis primum recedere jusserunt verbis, ac cum diu reniteretur ille, non contenti maledictis, tandem manus corpori ejus & bonis injecerunt, adeo ut direptis sarcinis ac aliquot eorum, qui illas exposuerant satellitibus interfectis, Flaminius, nec tamen sine vulnere, conscensa navi rudentibus anchorisque ejus præcisis ægre cum vita evaserit: ita ab inhumanis Liguribus inhumane exceptus altum repetens mare, Massiliam tandem delatus est; ubi ab eximiæ artis Medicis omni studio curabatur ac diligentia. Quo cognito Senatus Populusque Romanus casu qui Flaminio Consuli acciderat, confestim Q. Opimium ejusdem dignitatis virum cum exercitu misit, qui, cum milites suos in Placentinorum agro contraxisset, conjunctis viribus tandem in Liguriam, superatis Apenninorum montium jugis, pervenit, ac castra ad Apronem fluvium posuit, opperiturus hostem, quem compererat brevi venturum.

Mox in interiora regni penetravit, atque urbem Ægitnam, ubi Romanorum Legati violati erant, vi cepit, adempta civibus libertate, illosque qui autores injuriæ erant, vinctos Romam misit, hoc peracto bellum trahendi nullam esse rationem ratus hosti obviam procedit. Tum Oxybii nullam ob ad missum in Legatos delictum sperantes veniam, extrema ad iram adacti desperatione cœco atque incomposito impetu, non exspectatis sociorum, quorum quatuor millia erant, auxiliis Romanos invadunt. Ita desperatio in audaciam accingere solet, ut Tacit. *Hist.* III LXVI. 3. Verum Opimius Consul nimiam hanc Barbarorum temeritatem videns, utendum occasione ratus, aciem suam e castris motam ordinabat, atque ut fortiter bellum capesserent, varia oratione, ut cujusque animis aptum erat, milites adloquebatur. Quo facto sensim appropinquando vehementissimo in hostem impetu invectus, quo is territus primum inclinare, jam cedere, ac tandem, qua cuique patebat ad fugam via, erumpere coactus est, multa suorum strage in loco prælii relicta. Instabant fugientibus Romani, multosque ingenti cæde prostraverant. Dum vero ita pericli tantur Oxybii, auxiliares Deciatæ superveniunt, majus solatium, quam auxilium; post pugnatam enim pugnam venerant. Hi tantum effusos in fugam socios adhortatione firmantes reiterare prælium monent, ac sociatis viribus Romanos adoriuntur. Sed victi eo etiam prælio se, urbes agrosque suos dedere, ac Romanæ ditioni permittere coacti

A sunt. His ita feliciter subactis, Q. Opimius Consul quantum maximam poterat agri capti partem Massiliensibus statim attribuit, ipsosque Ligures compulit, ut obsides, qui vinculum fidei essent, Massiliensibus certis temporibus darent renovandos. Ipse vero ablatis genti huic armis, mitigandum ferocem populum armorum desuetudine ratus, distributoque per oppida in sua verba jam adacto exercitu, hyberna ibi egit. Atque ita bellum hoc & susceptum & magna celeritate confectum, clarum fide Romanorum erga Massilienses documentum, in extremo necessitatis puncto tum constitutos. Ligures enim plurimum terræ illorum vi
B invaserant, scelere occupabant, miserandumque in modum omni clade vastabant. Sed sequitur jam alterum amicitiæ atque fidelitatis Romanorum argumentum non minus illustre. Cum enim Salyes variis incursionibus Massilienses infestarent, Sextus Calvinus Consul mature subvenit, hostemque ab ora maritima non tantum rejecit, sed multum etiam terræ ademit, quam Massiliensibus confestim tradidit. Vid. Florus *lib.* III. *cap.* III. Strab. *lib.* IV. Extat rei hujus monumentum Aquæ prope Massiliam, cui, quia hyberna sua ibi egerat, Sextius tale cognomen dedit; Colonia Julia alias vocata
C fuit; hodie vero est nobilissima, & opulentissima Aquensis civitas, Gallis *Aix en Provence*, in qua Parlamentum totius provinciæ Amplissimus & Augustissimus Senatorum consessus residet. Hæc quæ modo dixi, illustria fuere amicitiæ inter Romanos & Massilienses mutuæ indicia, unicum adhuc restat. Cum Romani (Justin. teste *lib.* XXXVII. *c.* I.) capto a M. Perpenna Aristonico spurio Eumenis filio Asia potirentur, Phocæensium urbem, ulturi quod infesta contra se arma, de quibus Livius *lib.* XXXVII. *cap.* IX. tulerat, armis aggressi sunt, hoc animo, ut captam, una cum Senatu omnibusque quos in urbe reperirent, penitus delerent; tum
D Massilienses nostri, Legatos Romam miserant, veniam pro conditoribus ac parentibus suis nullis omissis precibus petendo, qui cum Romam venissent, facile Phocæensibus veniam admissi impetrarant criminis. Tanta igitur in dignitate apud Romanos erant Massilienses nostri, tamque arcto amicitiæ ac fœderis nexu invicem constricti; qua re factum est, ut ejus cultura majorem in modum fortunati fuerint ad bellum usque Cæsaris cum Pompejo, quo, cum se victæ, quam tamen maxima ex parte postea recuperarunt, parti adjunxissent, magnam felicitatis suæ partem amise-
E rant; de hoc pluribus jam dicemus, rei hujus quam gessit scriptorem Julium Cæsarem secuti, a nostro narrationis instituto haud alienum esse duco. Hæc autem ferme erant, quæ tum temporis gesta sunt cum Massilia nostra. Cum Triumviri illi, Jul. Cæsar, Pompejus Magnus, (ut habet Florus IV. II.) & M. Crassus auctoritate ex æquo florerent, ac pariter etiam potentiæ cupidi, mutuis viribus in suum quisque decus niterentur; æmulatio tandem, cæso apud Parthos Crasso, inter Cæsarem & Pompejum exorta, & in ferale bellum conversa est, quod universum, qua tum patebat Romanum imperium, igne suo & flamma corripuit,
F & miserandum in modum inexpiabili populorum ac provinciarum clade sæviit, quum simul Pompejus nimias Cæsaris opes suspectas habebat, Cæsar vero Pompejanam dignitatem utpote gravem ægre ferebat. Sic causa bellandi utrinque urgebat, atque duos hos cognatos ad arma stimulabat. Accessit huic ipsa Juliæ mors, quæ dum vixerat, male cohærentis inter duos hos principes concordiæ (cum Paterculo I. IV. 7. 3. loquor) erat vinculum; quo rupto, etiam jus necessitudinis utrinque ruptum est. Cum igitur bellum utrinque sum-

mis pareretur ausibus, vertique in eo res videretur, uter primus arma caperet, Cæsar illa prior arripit, illisque Pompejum ex Italia pellit, adeo ut qui tantus antea rerum dominator erat, jam nullus, lacera ac pene inermi nave indecoram coactus fuerit capessere fugam. Ac postea Cæsar, hoste feliciter pulso, firmatisque sibi Gallorum animis, in Hispaniam ad exercitus Pompeii transire animo proposuit, ac ut eo citius consilium maturaret suum, per Massiliam expedita magis via eo ire decrevit. Verum Massilienses urbi jam proximo Cæsari nec transitum concedere, nec in urbem, clausis portis, recipere voluerint. Facti hujus consilium etsi a multis, ut grandia consilia solent, caussis, ceu magna navigia a pluribus remis, impellebatur: præcipua tamen hæc erat ratio, quod Pompejus, ut erat vir, qui ingenio ac oratione plurimum valuit, (juxta Tac. *Ann.* XVI. 2.) Massilienses inveteratæ virtutis ac fidelitatis erga Remp. Romanam, admoneret, hortatus, ne novis, quibus sibi firmare illos Cæsar pertentaret, officiis, veterem suorum in eos meritorum memoriam invisam redderent, atque expungerent. Igitur illi aliquandiu ex ancipiti temporum mutatione pendentes, cum utrique amici, neutri hostes essent, tandem per ingentia Pompeii promissa eo adacti sunt, ut Cæsarem prius socium, jam pro hoste eligerent: Igitur bello decreto nihil amplius morati, Albicis populis, qui montium proxima insederant, ad se vocatis, omne, quod tum terra dabat, ex finitimis regionibus, frumentum adversus obsidionis moras convehebant, per muros turresque tormenta sua disponebant, arma singulis, prout cujusque persona exigebat, distribuebant, officinasque armorum ne aliquando deficiant, instituebant. Atque sic præparatis omnibus, quæ tuendæ urbi excogitari poterant, obsidionem, quam certo futuram prævidebant, loco suo satis fisi ferre decreverant. Cæsar vero, dum circa muros illorum hæreret, XV. primos ad se evocavit, illosque, ne initium inferendi belli a Massiliensibus oriretur, se vere monuit; addito præstare Italiæ totius auctoritatem sequi, quam unius Pompeii obtemperando voluntati cruentum in se trahere bellum, atque in ipsius jactationem tantum impendere sanguinis. Hæc & similia, quæ in rem esse videbat, atque ad conciliandas sibi ipsorum mentes facere posse putabat, commemoravit. Verum Legati, in urbem reversi, ea quæ dixerat Cæsar Senatui retulerunt sumpto consultandi spatio, qui rursus eos ad Cæsarem redire, eique hæc renunciare jusserunt: *Intelligere se divisum esse populum Rom. in partes duas: neque sui judicii, neque suarum esse virium discernere, utra pars justiorem habeat causam: Principes vero esse earum partium Cn. Pompejum, & C. Cæsarem patronos civitatis, quorum alter agros Volcorum, Aremoricorum & Helviorum publice iis concesserit: alter bello victas Gallias attribuerit, vectigaliaque auxerit; quare paribus eorum beneficiis parem se quoque voluntatem tribuere debere, & neutrum eorum contra alterum juvare, aut urbe aut portubus recipere. Proinde, si quis amici more ad se venire vellet, utrumque se, sed inermem, in urbem admissuros suam: sin bello veniant, neutrum.* Hæc dum fiunt, Pompejus, rebus suis intentus, utendumque animis, dum specalent, ratus; Domitium cum classe ad Massilienses mittit, quem illi humaniter exceptum, urbi suæ summa imperii bellique administrandi communi consilio permissa, præfecerunt; ultima quæque forti animo pro fide Pompejo semel data laturi. Non possum hic Velleii Paterculi de hoc facto præterire judicium, qui Massiliam fide meliorem, quam consilio prudentiorem appellat; hac addita ratione quod intempestive principalium armorum captave-

A rit arbitria, quibus ii se debent interponere, qui non parentem viribus ac armis coercere possunt. Et sane si volutatis inter se pro utraque parte rationibus, rem accuratiori & æqua perpendamus ingenii trutina, melius profecto fecissent Massilienses, si medios sese ac neutri parti addictos tum præstitissent. Quia ob parem utrinque tam Cæsaris quam Pompeii gratiam æquo obligationis vinculo utrique erant obstricti. Dividenda igitur potius erat fides, quæ ab alterutro eorum non erat separanda: aut ad minimum societas alterius induenda, ad alterum per occulta & fida magis inclinandum, ut Lips. in *Polit.* Hinc Strabo errasse illos hoc in facto,
B ac plurimum felicitatis per hoc amisisse notat, quod parti victæ sese adjunxerint, cujus ruina ipsorum quoque secum trahebat. Idem Florus, IV. 2. 23. eam miseram vocat, quæ dum pacem cupit, belli metu, in bellum incidit. Sed ita natura mortalium hoc quoque nomine prava & sinistra dici potest, quod in suo quisque negotio hebetior sit, quam in alieno, & quod plerumque non futura, sed transacta perpendat, Curtius VII. 35. Verum nec omni prorsus modo vituperandi sunt Massilienses; maluerunt illi defensionem suam displicere, quam causam, quod egregie ita Lucanus *l.* V. *v.* 300. reddit:

C *Cumque alii famæ populi terrore paverent,*
Phocais in dubiis ausa est servare juventus
Non Graja levitate fidem, signataque jura,
Et caussas non fata sequi.

His igitur injuriis permotus Cæsar, non tenuit iram, cujus alioquin potens nec properus erat: M. enim Cicero non semel illum effusæ clementiæ ac humanitatis laudabat, nec non Plinius, II. XXV. clementia usque ad pœnitentiam omnes superasse, scribit, ut & Plutarchus, Suetonius. Sed ut plerumque fieri solet, naturam tum fortuna corrumperat, resque in Italia bene gestæ, ad reliqua confirmabant animum. Pulchre de hoc quoque Luca-
D nus, *l.* III. vers. 335.

—— *sic Graja juventus*
Finierat, quum turbato jam prodita vultu
Ira ducis, tandem testata est voce dolorem.
Quamvis Hesperium mundi properemus ad axem,
Massiliam delere vacat. ——

Itaque pervicax iræ, nullumque aliud nisi ex bello remedium superesse certus, tres legiones Massiliam adducit; turres vineasque urbem oppugnaturus, agere, naves longas Arelate numero XII. properare instituit, quibus extructis, ac XXX. diebus, a qua die materia cæsa est, instructis, Massiliam adductis, D. Brutum præfecit, atque littus
E præsidere jussit, C. Trebonio legato ad oppugnationem urbis relicto. Ipse cum expedita manu in Hispaniam profectus est, timens ne obsidione urbis tam validæ implicatus, aliarum rerum dimitteret opportunitatem. Tum Massilienses tam arcta pressi obsidione prævio L. Domitii consilio, longas numero XVII. expediunt naves, additis haud parvi numeri navigiis, ad augendam Cæsarianis multitudine navium formidinem; hisque sagittariorum atque Albicorum imposuerunt quam plurimos, quos maximis præmiis ad fortiter capessendum bellum incitaverant. Cæteras vero naves L. Domitius sibi deposcit, quas modo colonis, modo pastoribus
F undique collectis complevit. Ita jam & militibus & navibus instructus, portu solvens obviam Bruto processit, cui in proxima urbi insula cum navibus suis statio fuit, quæ quidem numero longe pauciores, verum electis ex omnium legionum copia fortissimis quibusque militibus, ac præfectis instructissimæ erant. Hi etiam manus ferreas (harpagonas vocant) quas navibus hostium retinendi caussa injicerent, præparaverant, magna quoque pilorum (seu missilium) tragularum (seu telorum hamato-

rum) copia instructi. Jam utraque acies in conspectu erat, pugnæque adventabat tempus. Concurrentibus igitur navigiis prælium initum, pugnatumque utrinque, fatente ipso Cæsare, fortissime atque acerrime; nec multum Albici, quos potius nomina quam auxilia antea dixeris, Romanis cedebant, gens aspera, quam ita montium editorum situs formavit, & cœli positio habitum dedit, Curtius VIII. IX. 20. Tacit. IV. *Ann.* XLVI. I. Hi atque cum illis pastores, promissa paulo ante libertatis spe incitati, præsentibus dominis, operam suam probare studebant. Ipsi vero Massilienses præter viros armaque classe quoque valebant sua, cujus celeritate & gubernatorum confisi scientia Romanos eludebant sæpius, naves quippe iis erant velis admodum habiles, remisque citæ, quas converso repente remigio hinc vel illinc adpellebant facillime. Hinc factum, ut cum naves in magis patentem produxissent Oceanum, easque in aciei expofuissent formam, Romanos circumvenire contenderent, jam pluribus suis illorum singulas adoriendo, jam remos transcurrentes detergendo. Romanis autem nec remiges exercitati erant, nec rei nauticæ periti gubernatores, quibus neque nota fuit freti natura, neque quam patiens longarum navium esset mare, cognitum;; ipsaque navigia inhabilia ægre moliebantur, facta utpote nimia festinatione, ex humida navali materia. Donec tandem cominus pugnandi daretur locus, quo Romani singulas suas binis Massiliensium navibus objecerant, atque injecta iis manu ferrea in hostium naves translati, conlato pede pugnaverunt; ubi Romani magno Albicorum ac pastorum numero cæso, navium Massiliensium partem depresserunt, partem una cum hostibus ipsis ceperunt, reliquis quos fuga subduxit, in portum compulsis. Interierunt die illo, numeratis iis etiam quæ captæ sunt, novem Massiliensium naves, sicque ad paucitatem redactæ, quam antea in hoste contempserant. Memorandum est autem maxime Acilii exemplum quod in hisce navalibus evenit pugnis; cujus factum an magis ad temeritatis, quam gloriæ famam referendum sit, dubius sum. vid. Suet. in *J. Cæs.* cap. LXVIII. Postquam enim diu satis cum hostibus pugnasset, dextra lassata, onustam hostibus navem tenuit, qua amissa, sinistra usus est; utraque tandem amputata, truncato ex vulneribus corpore, dentibus detinuit. Meretur profecto ut ei, qui Cynægirum Justini (II. IX. 16.) imitatus est, illud ipsum quoque elogium adscribam. Tanta in eo virtus fuit, ut non tot cædibus fatigatus; non duabus manibus amissis victus; truncus ad postremum & veluti rabida fera, dentibus demicaverit. Hæc mari a Bruto tum gesta sunt; Terra autem C. Trebonius legatus, qui ad oppugnationem Massiliæ relictus erat, ne segniter urbi adsidere videretur, duabus ex partibus aggerem, vineas, ut sic utrinque instaret obsessis, turresque ad urbem agere instituit: unam proxime portui, navalibusque: alteram portæ, qua aditus ad ostium Rhodani est, admovit, ut Cæsar, *Bell. Civ. l.* II. *c.* I. Reliquam urbis partem obsidione claudere non potuit, præaltum enim eam ambit mare; hincque præceps erat euntibus vestigium; ac licet molem quandam agere potuisset, ipsæ undæ, furente ac inhorrescente mari per nexus operum manantes illam excederent, ac tandem absorberent, aut acriori in altum concitatæ operis fastigium superarent. Igitur duobus tantum locis opera extruxit; ad quæ perficienda magnam jumentorum atque hominum ex omni provincia evocat multitudinem, vimina, materiamque comparari comportarique ex proximo loco jubet. His allatis opus suum orsus est, aggeremque altitudinem pedum LXXX. æquantem exstruxit. Verum Massiliensibus tanti erant jam ab antiquis temporibus omnium rerum bellicarum, quæ vel ad tuendam urbem, vel vim arcendam facere possent, apparatus, ut eorum vim nullæ contextæ viminibus vineæ sustinere possent, ut Rhellic. *ad Bel. Civ.* II. num. II. Causa erat quod asseres duodecim, cuspidibus præfixos ex ballistis mitterent, ac per quatuor Cæsarianarum cratium ordines terra defigerent. Hæc his verbis expressit Lucanus *l.* III. vers. 463.

Sed major Grajo Romana in corpora ferro
Vis inerat, neque enim solis excussa lacertis
Lancea, sed tenso ballistæ turbine rapta,
Haud unum contenta latus transire, quiescit:
Sed pandens perque arma viam, perque ossa, relicta
Morte fugit: superest telo post vulnera cursus.

Igitur Romani, ut eo melius hanc tormentorum Massiliensium vim sustinerent, vel excipiendi impetum, aggerem suum perficiunt, quem ita Cæsar describit, lib. II. *Bel. Civ.* cap. III. *Pedalibus lignis conjunctis inter se porticum* (vinearum Cæsaris) *integebatur, atque hac* (parte) *agger inter manus)* militum, de manu in manum sub vinearum porticibus, ut Hotm. *d. l. Cæsaris) proferebatur. Antecedebat testudo pedum* LX. *æquandi loci causa ex fortissimis lignis, involuta omnibus rebus, quibus ignis jactus & lapides defendi possent*. Sed & tum nil profecere Romani, magnitudo enim ac difficultas operum, altitudo muri atque turrium, ac tormentorum impetus omnem morabantur administrationem. Ipsi etiam oppidiani, quicquid ad impediendam molem excogitari poterat, haud segniter exsequebantur, tum crebras per Albicos eruptiones faciendo, tum ignes aggeri & turribus inferendo. Donec tandem Romani, eruptores hos tanto impetu rejicerent, ut non sine gravi damno fuga urbem repetere coacti fuerint. Hæc dum fiunt L. Nasidius a Cn. Pompejo cum classe navium XVI. in quibus paucæ erant æratæ (id est, rostratæ ab æreis rostris nomen trahentes, ut Hotm. *hoc loco*,) L. Domitio Massiliensibusque subsidio missis, freto Siciliæ, imprudente ac inopinante Curione (qui Insulam a Catone desperatis Pompeii auxiliis relictam occupavit) provehitur; cumque Messanam (urbs est Siciliæ, quia causa primi belli Punici fuit, famosa) appelleret, principesque ejus una cum Senatu ob terrorem improvisum abiisse cognosceret, unam ex navalibus eorum navem deduxit. Qua cum suis sociata, recto cursu Massiliam tendit: atque ut maturius de suo Massilienses adventu certiores redderet, clam naviculam præmisit nunciatum hortatumque simul, ut conjunctis viribus cum Bruti classe prælium navale animose restaurarent. Qua re accensi Massilienses, quanquam ex priori pugna damnum haud leve perpessi erant, tamen veteres ex claudas naves suas e stationibus mox produxerunt, refecerunt, ac summa, qua poterant, diligentia, armis, remigibus, gubernatoribusque instruxerunt; piscatoriis quibusdam adjunctis, quas, ut remiges ab ictu telorum essent immunes, contexerunt. Tali igitur modo instructa classe, non minori, quo ante primam pugnam, animo ac fiducia cum hoste dimicaturi, naves conscendebant. Multum autem excitabat illos, quod præcipuum fortitudinis incitamentum esse solet, (ut Tacitus *Germ.* VII. III.) omnium seniorum, matrumfamilias, virginum liberorumque intercursantium fletus ac preces, rogantium: ut arma ad suum patriæque decus asserendum, servitiumque avertendum capesserent fortiter; nihil reliquum esse, quam tenere libertatem, aut mori ante servi-

tium, talemque futuram patriæ fortunam, qualem ipsi fecerint. Accessit & ipse L. Nasidius, qui quia ex improviso advenit, mire illorum accendit fiduciam; ita enim naturæ vitio comparatum est, (Cæsar. *Bel. Civ.* l. II. c. IV.) ut invisis, latitantibus atque incognitis rebus magis confidamus, vehementiusque exterreamur, latiori utpote ex incerto metu, Tacitus IV. LXIII. 3. Nacti igitur ventum secundum, postea solvunt, conjunctis suis cum Nasidii navibus, in castello, quod Tauroenta vocabant, ad confligendum se præparant, bipartita classe, dextra Massiliensibus attributa, Nasidio sinistram tuente. Brutus quoque & navium numero (quarum partem Arelate fieri curavit, partem Massiliensibus ademit) & hominum auctus multitudine, non minus alacri remigio, obviam procedit hosti, suos variis hortatus incitamentis, ut forti animo ac victoriæ certi prælium inirent, addito facile ac sine ullo Martis discrimine posse jam vinci semel victos, quos memoria cladis pristinæ adhuc terret. Poterat autem ex castris C. Trebonii, quæ in montem assurgebant, facile prospici, mœsta tum civitatis facies, tot luctibus funesta, in qua & hominum & mulierum, puerorumque turba agminibus immista omnes compleverat vias; cujus pars in muro tensis ad Cælum manibus, pars in templis Deorum auxilia, genibus flexis supplex exposcebant. Neque erat quispiam qui non ultimi discriminis adventasse tempus arbitraretur, illumque diem, qui aut gloriosissimus inter majores aut ignominiosus apud posteros foret, aut libertatis recipiendæ ac belli finem vel servitutis initium adferret. Omnis enim ætatis ac generis præcipui, ipsaque nobilitas, robur militiæ præcipuum, naves conscenderat, de summa pugnaturi. Qui si caderent, actum de salute, nihilque spei reliquum esse, sed certum imminere exitium putabant. Jam ventum ad manus erat, consertaque illico pugna cum hoste, incredibili admodum fortitudine, quam accendebat partim desperatio, partim suorum hortamenta, quæ vel victoriæ spem, vel si cederent, insignitius flagitium ac extremam sibi suisque salutem objecerant animo, Strada *Tom.* I. p. 401. Usque adeo nullum est telum ad vincendum potentius necessitate vincendi, nullisque citius persuadetur, quam iis quibus & mori persuasum est. Adhæc ut laxius in patente starent mari, Romanos provocabant, provocatosque suarum mobilitate navium ac mira eas gubernantium dexteritate circumveniebant; si vero Romani ferreis suis manibus sociorum aliquas comprehenderent, mox periclitantibus illi succurrebant. Albici vero & hoc rursus in casu fidelissime operam suam probabant Massiliensibus; ex minoribus enim illi navigiis Romanos missilibus suis infestabant telis acerrime, multosque eorum vel vulnerabant vel confodiebant. Cumque Bruti navem, quæ insigni se suo prodiderat, agnoscerent, duabus illi cum navibus, tanto in utrumque latus impetu invecti sunt, ut cum ille periculo prævifo elaberetur, illæ concursu facto inter se colliderentur, una perfracto rostro dehiscens mari hausta, altera labefactata; quam postea Brutus facili negotio in aquam immersit. Sed Nasidianæ naves nulli tum usui erant, celeriterque pugna ardescente, fugam certamini præferentes evaserant; putabant enim neque sibi patriam hanc esse, pro qua periculis objicere & sic dominationi alienæ sanguinem commodare debeant, neque propinquos, quorum monita ad tantum discrimen adigerent vel fugam exprobrarent, Tacitus *Agr.* XXXII. III. Ex quo factum, ut nullæ ex illarum tum numero desideratæ essent; cum ex Massiliensium quinque sint depressæ, quatuor captæ, unaque cum Nasidianis fuga ablata, ac in citeriorem delata Hisp. Post hanc cla-

A dem cum Massiliensium aliqua urbem versus progrederetur, nunciatura quæ acciderant, cumque appropinquando incolis conspectum sui præberet, omnis multitudo in eventum non utriusque tantum classis, sed etiam suæ sortis intenta, festinans prorupit, ac re cognita, in tantum effusa est luctum, ac si urbs eodem temporis momento ab hoste capta esset. Non tamen defecere animis, nec ut timidi vel ignari solent ad desperationem formidine properavere, sed reliqua, quantum ob nimiam festinationem licuerat, ad defensionem urbis suæ apparare cœperunt. Dum hæc mari geruntur, legionarii milites a dextra urbis parte aggerem agentes,
B multum sibi profuturum observabant, si pro castello ac receptaculo, turrim lateritiam sub muro erigerent. Hanc itaque primo humilem admodum parvamque ponebant, qua repentinos hostium insultus reprimebant; si major aliqua ingruebat vis, se defendebant, eruptionesque hostium infringebant sæpius. Postea vero, ut est rerum omnium efficacissimus ac pleraque monstrans magister usus, Tacitus *Hist.* V. XII. 2. cum viderent magno adjumento fuisse exiguam turrim, majorem & altitudine & capacitate perfecerunt, idque hac ratione, quam sequentibus Julius Cæsar perscribit verbis. Ubi turris altitudo perducta est ad conta-
C bulationem: eam in parietes instruxerunt ita, ut capita tignorum extrema parietum structura tegerentur; ne quid eminerent, ubi ignis hostium adhæresceret. Hanc insuper contignationem, quantum tectum plutei (qui sunt tabulæ, quibus aliquid præsepitur) ac vinearum passum est, laterculo (lateribus minoribus) adstruxerunt: supraque eum locum duo tigna transversa injecerunt non longe ab extremis parietibus, quibus suspenderent (substinerent tectum) eam contignationem, quæ turri tegumento esset futura, supraque ea tigna directo transversas (planum igitur fuit te-
D ctum, non fastigiatum) trabes injecerunt, easque axibus religaverunt. Has trabes paulo longiores atque eminentiores quam extremi parietes erant, effecerunt, ut esset, ubi tegumenta (Storeæ Hotm.) propendere possent, ad defendendos ictus ac repellendos, dum inter eam contignationem parietes exstruerentur: eamque contabulationem (tectum illud planum ex asseribus factum,) summam lateribus lutoque constraverunt, ne quid ignis hostium nocere posset, centonesque (sunt vela ex lana conferta ad eludendos ictus juxta Glandorp.) insuper injecerunt; ne aut tela tormentis missa tabulationem perfringerent, aut saxa ex ca-
E tapultis lateritium discuterent. Storeas (mattæ seu tegetes Latinis) autem ex funibus anchorariis tres in longitudinem parietum turris latæ (crassas) IV. pedes fecerunt: easque ex III. partibus, quæ ad hostes vergebant, eminentibus trabibus circum turrem propendentes religaverunt, quod unum genus tegumenti aliis locis erant experti nullo telo neque tormento transjici posse, (quia talia impetum mollius substinebant, Hotm.) Ubi vero ea pars (quantum altitudo pluteorum & vinearum passa est) turris, quæ erat perfecta, tecta atque munita est ab omni ictu hostium; pluteos ad alia opera abduxerunt: turris tectum per seipsum prehensioni-
F bus (Rhell. *ein Gerust*, Hotm. *Cochleæ*) ex contignatione prima suspendere ac tollere cœperunt; ubi quantum storearum demissio patiebatur, tantum elevabant. Intra hæc tegumenta abditi atque muniti parietes lateribus exstruebant: rursusque alia prehensione ad ædificandum sibi locum expediebant; ubi tempus alterius contabulationis videbatur, tigna item ut primo tecta, ut extrema parietum structura capita tignorum tegerentur, extremis lateribus instruebant, exque ea contigna-

tione rursus summam (tectum contabulatum, pensile, nec dum operi conjunctum) contabulationem storeasque elevabant, ita tuto, ac sine ullo vulnere ac periculo VI. tabulata exstruxerunt: fenestrasque, quibus in locis visum est, ad tormenta mittenda instruendo reliquerunt. Tali modo igitur turri perfecta, ad repentinos hostium incursus reprimendos, musculum quoque LX. pedum longum adversus rerum gravissimarum lapsum facere decreverunt, cujus hæc, describente eodem Cæsare, erat forma. Duæ primum trabes in solo æque sexaginta pedum longæ, distantes pedes IV. collocantur, inque eis columellæ sive intercolumnium seu spatium relictum erat pedum in altitudinem quantum horum, qui intus latebant, altitudo poscebat, V. defiguntur, Hotm. Has inter se capreolis (lignis, quæ proclinata capitibus inter se junguntur) molli fastigio conjungunt, tigna, quæ musculi tegendi causa ponant, collocentur. Eo super tigna bipedalia injiciunt, eaque laminis (laminam superimponebant, eam clavis in tigna & capreolos adactis devinciebant) clavisque religant; ad extremum (in extrema inferiore parte) musculi tectum, trabesque extremas, quadratas tegulas IV. patentes digitos defigunt; quæ lateres, qui super (ne quid ignis hostium nocere posset) musculo struantur, (contineant) sustineant; ita fastigiato, atque ordinatim structo, ut trabes erant in capreolis collocatæ, lateribus lutoque musculus, ut ab igne, qui ex muro jaceretur, tutus esset, contegitur. Supra lateres coria inducuntur; ne canalibus aqua immissa lateres diluere (lateres erant massa ex argilla vel luto, quæ tecto isti imposita sole induratur) posset. Coria autem ne rursus igni ac lapidibus corrumpantur, centonibus conteguntur. Hoc opus omne tectum vineis ad ipsam turrim perficiunt; subitoque inopinantibus hostibus, machinatione navali, palangis (ligna cylindri formam habentia, quæ oneri subjecta vectibus impelluntur) subjectis, ad turrim hostium admovent, ut ædificio jungatur. Hoc modo perterriti Massilienses, ingentis magnitudinis saxa, subjectis vectibus propellunt, illaque in musculum devolvunt; reliqua saxa manualia & quicquid manibus fors dederat in subeuntes jaciendo. Verum cum materia ex qua factus erat musculus, ictum ac lapsum saxorum sustineret fortiter, adeo ut quicquid incideret fastigio musculi elaberetur, ad aliud confugerunt remedium, igne machinam tentaturi. Cupas igitur tæda, pice, reliquisque rebus alendo igni aptis refertas, incendunt, easque in musculum dejiciunt, hac spe, fore, ut concepto igne, incendium latius iret. Adhæc, referente Vitruvio, *lib. ult. cap. ult.* cum hostes numero supra XXX. specus tum agerent; Massilienses suspicati, totam, quæ fuerat ante urbem, fossam altiori fossura depresserunt: ita specus omnes exitus in fossam habuerunt. Laudat utrumque hoc illorum institutum præstantissimus inter Neotericos Machinator bellicus Dogen, *Archit. milit.* p. 483 & p. 490. Et sane laudandum est, nisi frustra esset susceptum; Romani enim delapsas cupas longuriis furcisque a lateribus musculi & pedibus militum removebant. Adhæc sub operis tecto turris hostilis fundamenta vectibus ab imo moliebantur, ac plurima jam ex infimis saxa convellebant; utque convellentes tuto essent, ex turri sua illi lateritia continenti tormentorum telorumque procella hostem per muros dispositum proturbabant ac distrahebant. Donec minima suorum jactura crebris arietum pulsibus saxorum nexus ac compages quassata, laxata, ac tandem prostrata esset, adeo ut ingens spatium nudaretur, per quod hostis irrumpere ac urbem diripere poterat. Tum ut solet fieri, cum ultimi discriminis adventat tem-

A pus, in solicitudinem Massiliensium fiducia versa est; jam enim illi, abjectis, quibus confidebant, armis, ac pristini decoris immemores, infulis tantum deprecantium fasciis induti foras universi se proripiunt, ad legatos Romanorum atque exercitum supplices tendunt manus, obortis lacrymis, acclamationibusque, quibus studia sua multitudo profiteri solet, ac confusis quidem vocibus, unico vero veluti ore ac consensu petunt, ut sibi urbique parceretur, nec non promissa, impensius quam exigebatur, opera, gemitu ejulatuque veniam clementiamque Cæsaris in deditos precantur. Hos ut conspexere legati tantis precibus tamque miserа-
B bili habitu eorum, quos antea non sine invidia conspexerant, moti sunt, ut milites, qui ut ad omnes adfectus, ita jam ad avaritiam & crudelitatem impetu rapiebantur, (Curt. VII. I. 14.) ab oppugnatione desistere juberent, audireque quid Massilienses ab iis petituri essent, Tac. II. XXX. I. Tum illi legatorum exercitusque pedibus provoluti, nullis omissis precibus, quas tum prolixas præsens expresserat necessitas, orant: Opperiendum esse Cæsarem, hoc unum urgentium malorum suffugium sibi esse; captam enim suam urbem se videre, opera ac machinas perfecta esse, turremque
C subrutam. A defensione igitur abstinere se, deditionemque properare; periculum interim in mora, dum exspectatur Cæsar, nullum extimescerent legati, patentem quippe liberumque in urbem esse ingressum, seque paratos imperata ac arbitrium victoris, cui se totos permittunt, facere, & si nollent, posse se facillime eo adigi. Io eo tantum discrimen verti, si turris omnino concideret, ne milites, quorum alias nec lætitia nec indignatio moderata est, (Curtius VII. I. 24.) prædæ cupidine ac sævitia ingenii moti, indeque in rabiem prolapsi in urbem irrumperent ac civibus promiscua cæde trucidatis, illam plane delerent, sicque quic-
D quid irarum in obsidendo conceptum est, in suorum capita effunderent, tum vero causas & merita spectari posse, nec innocentes ac noxios juxta casuros. Tantis igitur illorum precibus moti legati (scilicet Trebonius & D. Brutus) induciis pactis ab oppugnatione decreta desistunt, militesque signo receptui dato, ne quid hostiliter interim tentent, hortantur ac omnibus modis pro imperio continent. Quod illi tamen tanto promptius præstitere, quanto severius per literas mandatum erat a Cæsare, ne vi urbem expugnarent, ne milites & contemptione sui & diutino obsessionis labore fatigati, eoque accensis ad ultionem animis, nul-
E li nec sexui nec ætati parcentes in obvios quosvis sævirent, sicque manes commilitonum placarent, quod se facturos jam prædixerant. Ideo imputandum gratiæ putabant, quod usui commodoque vertebant, eaque quæ casus offert in sapientiam vertendum rati. Verum durantibus his induciis Massilienses, partes Pompejanas nihilominus & sequi & tueri proponebant, ac quia aperto Marte, nil se effecturos sciebant, arte nova tentandum censebant rati, incautos facillime opprimi posse hostes, quiete & improviso periculo territos. Talem itaque dolum intendunt. Cum Romanos viderent meridiano tempore ex diutino labore fatigatos, dispersos ac nihil
F metuentes quietem capere, armaque omnia seposita atque contecta esse, subito illi se foras erumpunt, ac in aggerem, pluteos, testudinem turrimque ignes conjiciunt, qui, quia materiam sui alimenti conceperat, ac ventus, quasi etiam in scelus conspirans, inflarat, tanto successu se se extenderunt, ut hæc omnia uno tempore incendio flagrare conspicerentur. Tanta inde Romanos sopore utique graves obturbavit consternatio, ut quisque sibi properus arma arriperet, tela ingereret, & quia,

ut tali in casu fieri assolet; incertus incerto utpote pavidis consilio signorum ordo, confuso in Massilienses incitarentur impetu, qui tamen facile, quia semel perterriti, repellebantur, adeo ut illi, libero ad reliqua opera aditu sibi facto illa omnia incenderent, totque mensium laborem puncto temporis excidio ac ruinis darent, atque in cineres redigerent. Postero dein quoque die Massilienses eadem tentaturi ex urbe egressi sunt, facibus maxime armati, hac spe, se non minus libere ac prius fecerant, alteram hostium turrim aggeremque demolituros. Verum Romani proximo casu admoniti, jam melius se suaque tuebantur; cumque illi recentibus fidentes, ac securi exirent; tanto furore eos aggressi sunt, ut multis ante portam interfectis reliquos in urbem repellerent. Ita frequentissimum calamitatis initium securitas esse solet. Trebonius quoque quanquam alternas belli vices expertus, non modo amissa restituere, sed nova etiam instituere cæpit opera, militibus tanto majore cum studio plurimum juvantibus, quanto magis eos stimulante ignominia pigebat, tantos labores suos in vanum cecidisse, induciisque fracta fide violatis suam jam virtutem, & fortitudinem celebratam ad ludibria recidisse, nihilque materiæ esse reliquum, ex qua opera quædam conficere possent. Excisæ namque erant in proximo luco & finibus longe lateque circum Massiliam arbores, quarum pars combusta erat, pars operi inutilis facta, ipsaque sarmenta, virgulta, vimentaque, (ut Dogen *Archit. milit* p. 483.) quorum ad paludes explendas, aut loricales corbes texendas, aut aggeres tormentarios vinciendos, usus erat necessarius, ab oppidanis incensa. Vide Lipf. lib. II. *Poliorcet.* dial. III. qui locum hunc clare & erudite, ut omnia, illustrat. Talem tamen illi novi generis exstruxerunt aggerem, prout Cæsar sequentibus illum describit verbis: Ex lateritiis duobus muris senum pedum crassitudine, atque eorum murorum contignationem facere instituerunt, æqua fere latitudine, atque ille congestus ex materia fuerat agger. Ubi autem spatium inter muros, aut imbecillitas materiæ postulare videretur, pilæ interponuntur, transversaria tigna injiciunt, quæ firmamento esse possint. Et quidquid est contignatum, cratibus consternitur, cratesque luto integuntur. Sub tecto miles dextra ac sinistra muro tectus, adversus plutei objectu, operi quæcunque usui sunt, sine periculo supportat, celeriter res administratur: diuturni laboris detrimentum solertia & virtute militum reconcinnatur. Portæ quibus locis videtur eruptionis causa in muro relinquuntur. Tum Massilienses, spe, qua ante tumebant, abrupta, timidi, ad desperationem adacti sunt, opera illa, quæ longo temporis intervallo refici non posse crediderant, tam paucorum dierum intercursu ac exiguo labore jam instaurata videntes, ac ita quidem refecta, ut nec eruptionibus, nec jactu ignium, imo nec sibi quis in muro locus concederetur, ac tormentorum suorum, in quibus plurimum spei reposuerant, usus ob propinquitatem esset ademptus. Nullum igitur aliud consilium necessitas subjecit, quam ponere arma; nec majus remedium imminens summæ rei discrimen suasit, quam incruentas conditiones, ac obsequium cum securitate pro contumacia cum pernicie, Tacitus IV. *Hist.* LXXIV. 8. Inopia enim frumenti, quo tam diu vitam trahebant, jam ad famen ventum erat, quæ deficientibus solitis insolita, fædaque in usum vertit, ut panico vetere, atque hordeo ob antiquitatem corrupto, vitam tollerare necessum haberent. Successit etiam acrior pestilentia, quæ ex insalubrium ciborum orta alimento, accedente animi ægritudine graves vulgaverat morbos, qui quam plurimos

A hominum jam absorpserant, ut domus exanimis corporibus, plateæ funeribus complerentur, neque sexus, neque ætas periculo vacua esset. Urgebat adhæc ruina dejectæ turris, minitabaturque casum murus magna ex parte labefactatus. Præter hæc, auxilia provinciarum, quæ brevi ventura sperabantur, ab illis ad Cæsarem defecerant; ut ita nihil spei reliquum esse videretur, urgente intra urbem malo, hoste extra instante. Quare, quanto magis publicum ingravescebat malum, tanto celerius illi deditionem urbis, iisdem, quas paucis ante diebus offerebant, conditionibus maturarunt, ac se, urbemque suam clementiæ Cæsaris sine ulla

B exceptione ac fraude, petita in præteritum venia, dederunt. Sed paulo ante L. Domitius desperatis rebus, cognitaque Massiliensium voluntate ad deditionem inclinante, tres sibi naves comparavit, quarum unam ipse conscendit, reliquas familiaribus suis attribuit. His turbidam nactus tempestatem, quo facilius e conspectu Romanorum evaderet, secundante vento profectus est, Tacitus II. *An.* XXIV. Has cum fugientes Bruti naves, quæ ad portum excubias agebant, conspexerant, sublatis anchoris prosecutæ sunt, duasque illarum ceperunt, tertia e manibus suis elapsa. Cæterum Mas-

C silienses jam dediti, tormenta sua bellica, ac reliquos belli apparatus ex urbe, ut erat a victore, cujus fuit dare leges, imperatum, adducunt, naves ex portu navilibusque producunt, pecuniamque ex publico proferunt. Sic igitur Cæsar tam clemens ac pronus in misericordia victor in deditionem ac fidem suam recepit Massiliam sine cujusquam cæde, aut domus direptione, quamvis ad hanc civium opulentia invitaret, illam contumacia & fraus mererentur. *Qui enim* (utor verbis Josephi, quæ de Judæis habuit) *semel suspectus est, & deinceps deficit, contumax magis servus, quam libertatis ostenditur amator.* Jure igitur omnia pœnarum exempla

D in ipsos urbemque ipsorum statui debuissent, Besold. *de bell. cap.* CLXII. VIX. 3. Verum civili sanguini parcebat contentus vicisse, bellorum egregios fines ratus, quotiens ignoscendo transigatur; maluitque eam pro nomine & vetustate conservare, quam convellere illam, quæ sine exitio convellentium convelli non poterat. Non erat quidem Romanæ dignitatis, utpote victricis, pacis accipere conditiones, sed nec illas recusare fortunæ. Monuit hoc utriusque conditio. Itaque libertate iis relicta duas tantum legiones præsidio imposuit, cum cæteris in Italiam profectus, Dio *lib.* XLI. Laudat hoc Imperatoris institutum Grotius, *l.* III. *c.* XV. *n.* 4.

E 10. monetque *victis merito relinquendum imperium, aut certe libertatem aliquam.* Et *l.* III. *c.* XIX. *n.* 19. *Generosi esse animi*, ait, *stare fœderibus, etiam post aliquid injuria acceptum.* Illud autem dolendum est, quod & Cicero doluit, quod Cæsar in triumpho devictæ hujus urbis imaginem portaverit. Talibus autem ille queritur verbis: *Itaque vexatis & perditis exteris nationibus, ad exemplum amissi imperii portari in triumpho Massiliam vidimus, & ex ea urbe triumphari, sine qua nunquam nostri Imperatores ex transalpinis bellis triumpharunt.* Atque hic est exitus belli, ac obsidionis Massiliensis. Sed cum illa,

F quæ ademerat Cæsar, mox ab ipso atque Senatu fidelissima civitas recuperaverit, nec minus post hæc tempora floruerit, operæ pretium me facturum existimo, si coronidis loco Massiliæ post deditionem paucis hoc loco dicam.

PETRI HENDREICH

MASSILIA.

SECTIO QUARTA,

IN QUA

DE IPSIUS STATU

POST DEDITIONEM, EJUSQUE

PER GOTHOS EVERSIONE.



QUAMVIS Massilia tanto novercantis fortunæ casu & infausto sibi Martis eventu eousque redacta fuerat; ut quæ antea socia, nec minus libera, quam ipsa censeretur Roma; jam in Romanorum venisset potestatem, tamen non diu hac in sorte atque conditione fuit. Mox (ut refert Dio *lib.* XLI.) enim a Cæsare atque populo Rom. ob veterem societatem arctissimam, properata multis tempestatibus auxilia, ac cætera beneficia præterita, cuncta, quæ adversis belli motibus amiserat, quasi jure quodam postliminii recuperavit, non in minori, quam antea, fide atque dignatione habita. Sic scilicet veterem gloriam & hanc ipsam urbis senectutem, quæ in homine venerabilis, in urbibus sacra est, venerari voluerunt Romani, nihilque ex dignitate, nil ex libertate decerpere, ut merito illud Taciti hic repetere possim. Datum id fœderi antiquo, & quia soli Gallorum fraternitatis nomen cum populo Romano usurpant. Nec vero solum (Eumenii Rhetoris, *pro Schol. instit.* verba, quamvis alio sensu prolata, mea hic facio) pro admiratione meritorum, sed etiam pro miseratione casuum illam attollere ac recreare justum existimarunt, ipsamque ruinarum ejus magnitudinem immortalibus libertatis suæ monumentis dignam judicarunt, ut tanto esset illustrior gloria restitutorum. Testis præter Dionem hujus rei est Valerius Maximus, *lib.* II. *c.* VI. qui Massiliæ sub Imperatoribus statum, paucis quidem, sed egregiis describit verbis, quæ in hunc se habent modum; *Massilienses quoque ad hoc tempus usurpant disciplinæ gravitatem, prisci moris observantiam, charitate populi Romani præcipue conspicui.* Et paulo post. *Eadem civitas severitatis custos acerrima est.* Hucque referendum est quod Plinius refert, apud Volaterr. lib. III. *Geograph.* Libertate antiqua usam fuisse suo tempore Massiliam, nec prætoribus provinciæ paruisse, cum tamen circa illa tempora Suediam Clementem, Antonium Novellum, & Æmilium Pacensem præfuisse ex Tacito *Hist.* II. *c.* XII. liqueat. Huc etiam spectat, quod Cicero *Philip.* XIII. ait: *Massiliensibus jura belli adempta, reddituros vos pollicemini.* Colligit tamen Ioh. Poldus sub Romanorum postea illam fuisse

C imperio, idque ex verbis Eusebii *ad An.* CCCXIII. *Herculius Maximianus a filia Fausta detectus, quod dolum Constantino viro suo pararet, Massiliæ fugiens occiditur;* nec non ex eo ratiocinatur, quod *long temps auparavant l' Empereur Severus prit la charge de la* IV. *legion Scytique.* Adhuc se credere, idem ait, sub Burgundiorum illam fuisse dominio, quia Bex Burgundiæ Stephanus ibi Ecclesiam D. Victoris ædificavit, crucemque, qua vitam finiit D. Andreas, eo apportari curavit. Anxius de hoc jam non disputabo, ad Tacitum venio, in *Agr.* IV. IV. qui sua ætate locum Græca comitate & provinciali parsimonia mistum ac bene com- D positum vocat. Argumentum alias hujus rei etiam hoc esse potest, quod illorum, quos Romani exilio mulctaverant, quam plurimi, quibus electio sedis relicta erat, non in locum aliquem obscurum, sed huc se contulerint; vel ipsi etiam Romani tales non in insulam aliquam, sed in urbem hanc transferre maluerint. Idque hanc ob caussam existimarim; putabant enim, posse illos ibi sine ullo Reipublicæ Romanæ damno morari, neque res novas moliri, fidissima scilicet civitate actiones illorum observante, atque conju- E rationes, si quæ conflarentur mox detegente, nec quidquam reticente. Ita, referente Tacito, IV. *An.* XLIII. Vulcatius Moschus apud Massilienses exilium toleravit, illisque postea bona sua reliquit. Ita Manlius in exilium ejectus Massiliam sese contulit, Sallust. *cap.* XXIV. Ita Catilina eo in exilium se profecturum Roma ad Consulares plerosque scripsit. Ita T. Annius Milo occiso ob conspirationem P. Clodio, cum frustra a Cicerone defensus esset, & ob id in exilium pulsus, Massiliam venit. Ita Cornelius Sulla, cum cedere patria juberetur, Massiliam delatus est. Et magis recens occurrit Maximiani Her- F culii Imperatoris exemplum, qui cum depositum a se regnum, variis artibus recipere conaretur, eoque insidias Constantino strueret, ut Eutropius *lib.* IX. tandem vero spe frustraretur, Massiliam, certum illic sibi præsidium fore persuadens, confugit; ubi tamen a genero captus strangulatusque est. Ex eo colligere licet inter Romanos & Massilienses usum adhucdum intercessisse ac familiaritatem. Hoc ipsum etiam clarius ex hoc fiet, quod cum legibus Augusti Senatoribus adempta esset peregrinandi sine commeatu libertas, idque ideo, ne hoc obtentu

Senatorum aliquis militum ac provincialium conciliet atque firmet sibi animos, Claudius tamen Imperator idem edictum renovans, Narbonensem provinciam exceperit, ad illamque liberam exeundi potestatem concesserit. De hoc hæc Tacitus XII. *An.* XXIV. *Galliæ Narbonensi ob egregiam in patres reverentiam datum, ut Senatoribus ejus provinciæ, non exquisita Principis sententia, jure quo Sicilia haberetur, res suas invisere liceret*. Dat huic loco lucem Dio hisce verbis: *Excepta enim Sicilia & Gallia Narbonensi, nusquam alio peregrinari Senatori fas est*. Rationem vero hujus reddit Lipsius, *ad dict. loc.* Taciti, quia utraque provincia vicina & quasi suburbana erat. Si igitur libet jam argumentari, in Galliam Narbonensem ivisse licuit, sane & Massiliam præcipuam illius ac fidissimam Romanis urbem non erat denegatum proficisci. Inprimis autem multos eorum trahebat studiorum claritas & Academiæ celebritas, quæ tanta erat, ut ad illam tanquam ad quoddam omnium disciplinarum emporium, literatorum altricem, sapientiæ sedem, ac doctissimorum quorumque domicilium, variarum nationum homines, inprimis Romani, gregatim confluerent, exindeque nomen Athenopolis ei darent, Strabo *lib.* IV. In hanc se contulit in ipso ætatis suæ limine Julius Agricola, *in qua*, ut cum Tacito in *ejus Vita* IV. IV. loquar, *quia illam studiorum suorum magistram habuit, per omnem honestarum artium cultum pueritiam adolescentiamque suam transegit*. Huc Augustus Cæsar L. Antonium in ipso adolescentiæ exordio sororis suæ nepotem misit, ut specie studiorum tanquam velamento nomen exilii tegeret. Hic etiam Favorinus Arelatensis, (ut Montan. *ad Jul. Cæsar. Bel. Civ.* II. num. XII.) Philosophiam & eloquentiam didicit, Græcæque linguæ tantam hausit perfectionem, ut inter tria, quæ de seipso mira narrare solitus est, etiam hoc addiderit. Primum autem est, quod cum Gallus sit origine, tamen Græcisset. Secundum quod cum sit Eunuchus, & ut tales Marcellinus vocat, mutilus, tamen illicitas rapere voluptates adulterarique censeatur. Tertium quod inimicus Adriano vivat, raro apud Magnates exemplo, qui sibi invisos vel medicata aliqua potione, vel, quando illa non procedit, ferro e medio sæpe tollunt. Difficile enim est in lubrico aulæ firmo semper pede diu stare, præsertim injecta prrncipi suspicione atque odio. Miræ alias eloquentiæ ipsum Gellius sæpissime laudat, nec unquam tanti viri nomen sine insigni aliquo præterit elogio. Præcipua, quæ de illo memorantur, in transitu quasi referre congruens crediderim, maxime enim merentur. Extat eximium ejus monitum politicum circa civiles discordiarum motus sedandos observandum, apud Gell. *N. Attic.* lib. II. c. XII. Suadet autem ille, sapientissimum legislatorem Atheniensium secutus, cum seditio vel dissensio aliqua inter populum, vel etiam inter privatos exoritur, ut illi qui se medios ac discordiæ arbitros præbent, cum nihil se efficere animadvertunt, alterius partis induant societatem, fieri enim hoc modo, ut qui ad alterutram sententiam accesserint, arma quasi certantibus interponant, facileque discordiam componere possint, suam videlicet cui se dederunt, partem tuendo, & sic authoritate & suffragio prævalendo. Nec minus egregium præceptum ejus est Oeconomicum, (apud eundem *lib.* XII. I.) quo matres infantes suos proprio lacte nutrire jubet, addita hisce aut similibus verbis ratione. *Quod est enim*, inquiens, *hoc contra naturam imperfectum atque dimidiatum matris genus, peperisse atque statim partum ab sese abjecisse? aluisse in utero sanguine suo nescio quid, quod non videret: non alere nunc suo lacte, quod videat jam viventem, jam alteram sui partem a se rubentem ac sanguinolentam jam matris officia ac opem fletu, vagitu ac lacrymis implorantem, cum tamen natura binos pectori illis fontes perpetua lactis scaturigine stillantes applicaverit, quo tanquam nutrimento præ cæteris sibi proprio, alatur, atque vitam producat.* Neque minus observandum est insigne illius monitum, (apud eundem XIX. III.) ex morum doctrina civilique scientia depromptum, quod tale est: *Turpius esse frigide laudari, quam acerbius vituperari, quia qui vituperat, tam maxime ille pro iniquo & inimico ducitur, sed qui infœcunde atque jejune laudat, destitui a caussa videtur, & amicus quidem creditur ei, quem laudare vult, sed nihil posse reperire, quod jure laudet*. Hoc etiam tantum, ne devius a proposito plus ultra aberrem, huc adjiciam. Cum is de verbo quodam cum Adriano Imperatore disputaret, tandem maluit cedere, ut Spartian. in *Vita Adr.* Grammaticus alia- & Logicus, judicio Gellii *lib.* IV. *cap.* I. acutissimus, quam diutius sese Cæsari opponere. Mirantibus igitur amicis cessisse tantum Philosophum, respondit: *Nonne cedam ei, qui* XXX. *habet legiones*; hoc ipso docens, difficile esse cum iis contendere atque disputare, qui possunt amputare. Sed ad incepta redeo, Massiliensem scilicet Academiam.

Fuere in hac virtutis & doctrinæ officina viri eruditionis & sapientiæ laude clarissimi, Philosophi doctissimi, Physici & Mathematici acutissimi. Vixit in ea Eumenides, qui tam accurate de Nilo scripsit. Vixit & natus est Pytheas, (ut Merula *de Gall.* p. 393) Geographus insignis non sedentarius, atque cogitationum alis emensus, sed oculatus accuratusque ultimæ Septentrionalis plagæ peragrator atque detector primus, cujus situm exacte notavit, multaque quæ notatu digna occurrunt diligentissime observavit. Vixit Charmis Medicus, qui frigida aqua, hyberno licet tempore ægros lavari ordinabat, inusitato sane ac miro curandi genere. De quo tale extat Plinii judicium, *H.N.* lib. XXIX. cap. I. *Non dubium est, omnes istos famam novitate aliqua occupantes, animas statim nostras negotiari. Hinc illæ circa ægros miseræ sententiarum concertationes, nullo idem censente, ne videatur accessio alterius*. Si igitur aliquando incerta illorum consilia succedunt, fortuna nobilitat, ut Barclajus. Fuit vero idem Charmis rerum naturalium etiam scrutator solertissimus, ex quo observavit, lusciniam avem non tantum Musicæ studiosam, sed gloriæ quoque avidam esse, Ælianus lib. V. *de Animal.* Cum enim auditores sibi attentos videt, parvulis suis faucibus cantum majori cum conatu ac exquisitius edit. Hic unum ægrum, narrante Plinio, ex provincialibus H. S. ducentis conduxit. Coævus ei præterea floruit ejusdem facultatis Crinas Medicus, qui ægris ad siderum motus, quos ex Mathematicorum observabat Ephemeridibus, certis diebus ac horis cibos dabat; vita functus, centum sestertia reliquit pro mœnibus patriis extruendis, ut Plinius *dicto loco*.

Vixit quoque regnante Theodosio Minore A. C. 425. Victor, Rhetor Massiliensis, qui libros *in Genesin* ad filii sui Ætherii personam commentatus est, Ado Viennensis *Chron.* p. m. 159. Plures & quibus quique eorum ætatibus viguisset nominarem, si in veteris memoriæ annalibus plures collegisse licuisset. Verum fuere hi & reliqui, quorum nomina non extant, veri bonarum literarum doctores ac propagatores felicissimi, qui in studiis adolescentum promovendis subsidiariam operam liberalissime conferendo maximum suæ patriæ ac urbi splendorem attulerunt,

atque adjumentum; sui vero nominis fama, conterminas compleverunt regiones, iisque omnium ingenuarum artium ac liberalium scientiarum tradiderunt usum. Agnoscunt illos pro præceptoribus suis Galli, quorum rudes bonarum artium, ut efferatis militia esse solet,animos,liberalibus imbuerunt & induerunt literis; ac feram & in arma sobolescentem gentem a feritate ad humanitatem revocarunt, a furore intra rationis & officiorum ambitus reduxerunt. Idque tam fideliter & feliciter, ut mira illi literarum cupidine capti, artem pro Marte edigerent, studiisque animum applicarent. Ita enim refert Strabo *lib.* IV. illos non tantum privatim, sed & publice Medicos ac Sophistas, quos Professores seu Doctores vocat Causabonus, conduxisse, iisque de publico stipendium statuisse ac reditus. Secuti hac in parte non tantum (ut Diodor. Siculus *l.* XII.) Charondæ utilissimam ac præstantissimam legem, quam primus omnium excogitavit, sed etiam Massiliensium laudabilem admodum consuetudinem, apud quos plures unius curæ ac disciplinæ committebantur,quos Magistros & Comites vocabant, Alex. ab Alex. II. XXV. Hos etiam postea Romani æmulati sunt, apud quos Romæ Lucius Plotius e Gallia Lugdunensi oriundus primus Latine docere cœpit. Cujus cum admirabilis eloquentia multos ad se traheret, dolebat Cicero, tum adhuc puer, quod tantum virum audire sibi non liceat. Ex his manifestum erit, Academiam Massiliensem, quæ motibus belli cum Julio Cæsare, paululum intercidisse videbatur, postea vires recepisse, ac illustri fama floruisse. Unde merito illa sibi laudem, quam olim Imperatores multis Galliæ urbibus detulere, præ cæteris vindicare potest, & nos jure ei optimo adscribere possumus, *l.* II. *de Medic. & Profess.* C. Theod. *Frequentissimas civitates in Gallia fuisse, quæ pollerent & eminerent claritudine Præceptorum, Rhetorum & Grammaticorum, Atticæ Romanæque doctrinæ*. Nec non illa Claudii Imperatoris apud Tacitum verba: *Num pœnitet Balbos ex Hispania, nec minus insignes viros e Gallia Narbonensi* (inprimis vero Massilia dixerim) *transivisse*. *Manent posteri eorum, nec amore in hanc patriam nobis concedunt*. Tandem vero cum Gothi atque Vandali totam Europam horrendis stragibus miserandum in modum per annos CLX. vexarent, omniumque bonarum artium & literarum, & quod præcipuum est, religionis veræ cultum (eo enim tempore hæresi laborabant) extinguerent; & hæc Massiliensis Academia communibus hisce bellorum motibus ac cladibus involuta, magnumque, magno rei literariæ detrimento, damnum perpessa est. In quo simul quam plurima venerandæ antiquitatis iniquo Reipublicæ litterariæ fato interierunt monumenta, quæ si nobis temporis invidia reliquisset, multa eaque illustria de hac ipsa Massiliensium Academia dicenda haberemus. Merito hic verbis Lipsii exclamo; *Massilia ingenia semper habuit, plurimum formavit; & si quid nunc incultum aut ferox, a tristi ac immani isto Marte est*. Verum cum omnia quæ orta sunt, fatum hoc habeant perpetuum, ut occidant tandem, sic pariter interitus Academiarum quoque communes sunt, de quibus pluribus singulari oratione agit Kirchnerus.

Quare ad residuum operis mei, quod tamen merito primum esse debuit, propero, religionem scilicet Massiliensium, cujus sane nomine primas illi merentur. Illi enim primi aut inter primos salutare illud liberationis nostræ per Christum factæ nuncium acceperunt, abjectaque immani Ethnicorum superstitione religionis Christ. puritatem susceperunt atque amplexi sunt, ut Baron. *ad A C.* XXXV. Quamvis autem Sulpitius ad ea tempora scriptor serius religionis Christianæ lumen Transalpinis effulsisse ac innotuisse gentibus statuat; martyres tamen illi Lugdunenses, piæ nobis celebratissimæque etiam apud Græcos memoriæ, Irenæus ac Vettius contrarium ostendunt, qui religionem Evangelicam Lugduni Gallorum, non tantum fideliter prædicarunt, sed etiam sanguinis sui confirmarunt profusione. Imo præter hæc exempla, alia illaque multo antiquiora ex Ecclesiastica historia petita probant, viros fuisse in Gallia, qui Evangelium recens tum exortum longe lateque prædicarunt atque diffuderunt. Sic Josephus ab Arimathæa, piissimus ille Decurio anno Christi trigesimo quinto in Galliam venit, qua relicta in Britaninam postmodum profectus est. Ipse Paulus Apostolus Neronianis solutus vinculis per totum fere decennium, in Italia, Gallia, Hispania, docuit. Nathanael apud Bituriges (Gallis hodie *Bourges en Berry*) & Treviros eandem sparsit fidei doctrinam; quam tum quoque temporis S. Petrus ad occidentalem usque oceanum ac Britannicas insulas pertulerat, Hieronym. in *Catal.* II. II. *cap.* XV. Gregor. Turon. *lib.* I. Lucas quoque Apostolus, teste Epiphanio, Evangelium suum, quod scripto nobis jam reliquit, tum Gallis quoque voce promulgavit. Exin factum est, ut lux hæc ab hisce accensa Viris totam tum admirabili celeritate ac velocissimo cursu (in commendationem religionis Christianæ, ut concludit Origenes cap. I. *Philocal.* fol. 2.) Galliam splendore suo compleret, illustraret, ac indies magis ac magis latius diffunderetur. Secuti enim sunt, Divina sic disponente providentia, multi Viri ac Doctores religiosissimi, qui verum hunc religionis Christianæ cultum, quem ab his sanctis acceperant, latius ac copiosius tradiderunt. Et quod mirandum tales apud nationes, quarum neque linguam didicerant, neque mores cognoverant, felici tamen ac lætissimo successu id præstiterint. Ita Martialis Aquitanos docuit; Maternus ac Valerius Leodios sive Eburones, (hodie *Liege*) Ubiosque, *Florus Gallic.* lib. IV. cap. XI. Sixtus Remos ubi hodie *Reims en Champagne*, Savinianus & Potentianus Senonas, ubi hodie *Sens*, & Trecos, ubi hodie *Troye en Champagne*, Provinciam docuit Trophimus; Viennam Crescentius; Ursinus Biturigas, Arvernos, ubi hodie *Auvergne*; Austremonius, Eutropius Santonas, ubi hodie *Sanctonge*; Cenomannos Julianus, quorum hodie est *la ville de Mans*; Clarus Nannetas, quorum hodie est *la Ville de Nantes*. Hi omnes partitis quasi provinciis palantes, tot hominum animas absterfa omni errorum nebula in veram veritatis viam deduxerunt, atque a semita in exitium tendente, quam tum calcarant, deflexerunt.

Sed ut Massilienses nostros propius accedam, consceleratì nominis Christi hostes Judæi Christianorum quam plurimos, (ut Baron. *ad A. C.* L.) concepto eos extirpandi ardore navibus claudis ac remigio plane destitutis imposuerunt, ac in late patens mediterraneum mare exposuerunt, rati ac certo persuasi, religionem Christianam iratis Oceani vorticibus una cum illis perituram. Verum potentissimus ille gubernator ac moderator Deus naviculas has diu satis per tot fluctus ac incerta vada procellis jactatas in portum Massiliensem, una cum navigantibus Christianis, contra conceptam inimicorum spem salvos feliciter deduxit atque exposuit. Hinc Massiliam præ cæteris omnibus Gallis fidem Christianam accepisse verisimile est. Fitque hoc ipsum clarius ex eo ipso, quod Lazarus, quem Salvator noster

resuscitatum vita donaverant, primus Massiliæ Episcopus a rei Ecclesiasticæ scriptoribus fuisse tradatur, vid. Nicolaus Selnecc. *in Act. Apost.* p.191. & Mercator in *descript. provinc.* Sincer. in *Itiner.* Extat ejus rei monumentum sacratum ei ad littus maris templum, ac reliquiæ sancti ejus corporis, quæ magno magni viri honore in Cathedrali asservantur Ecclesia. Venit vero ille una cum sorore sua Magdalena, (ut Sigebertus *Chron. An.* DCCXLV.) cui quoque sacellum dicatum est, in quo visitur arcula, qua gestaverat ungentum, quo pedes Salvatoris inunxerat. Nec non lapis ibidem ostenditur, in quo cum pœnitentiam ageret, recubuit, quem febri abigendæ conducere ajunt. Comitem itineris fuisse Martham cum Marcella pedisequa, Annales dicunt Baronii, Tom. I. *ad A. C.* XXXV. qui in fidem hujus manuscriptum allegant Anglicum, cujus in Bibliotheca Vaticana copia haberi potest. Cæterum Lazarum hunc multorum Episcoporum secutus est ordo; ex quibus etsi longa post temporis serie sequentes floruere Episcopali dignitate illustres viri, D. Victorius Episcopus circa A. Christi CCCXXX. grassante tum dira illa atque infami persecutione, quæ fortissimum ac constantissimum Christi Confessorem etiam martyrio abstulit. Burgundiæ Rex Stephanus templum nomini ejus ædificavit & dedicavit, illudque reliquiis crucis, cui S. Andreas affixus erat, celebre magis reddidit, Parad. *de Antiq. stat. Burgund.*

Johannes Monachus Cassianus, (ut Ado *Chron.*) insignis ac facundus scriptor, juxta Eusebium A. Christi CCCCXXXVII. juxta Sigebertum CCCCXXVII. de Ecclesia Constantinop. a Joanne Chrysostomo electus; & in Massiliam Galliæ Presbyter vel Episcopus, (utroque enim nomine promiscue utebantur Veteres, ut ex Paulo colligitur, I. *Tim.* III. v. 2. vid. Rittersh. *Comment. ad Salvian.*) ordinatus. Duo hic ibidem condidit Monasteria, & multos utriusque sexus congregavit Monachos.

Salvianus Episcopus ac Presbyter secundum Adonem Viennensem A.C.CCCCLVIII. vere Episcopus, imo Episcoporum magister. *Vir* (mutuo Trithemii Abbatis Spanheimensis elogium) *in divinis scripturis eruditissimus, & in secularibus literis sufficienter instructus.* Redivivus quasi Jeremias sæpe vocatus, qui scelestam Aquitanorum tum luxuriam & per hoc totius Christianitatis vitia castigavit. Multa egregia bono publico edidit scripta, inter quæ opus præclarum est liber *de Providentia Dei*, quem hac motus occasione edidit, ne Christani, cum ab Arrianis miserandum in modum vexarentur, quasi Deus Ecclesiæ suæ curam deposuerit, æstimantes, ad desperationem, tanquam in extrema salutis constituti linea, adigerentur. Summam illius operis verbis comprehendo Lipsii: *Deus est, cujus summæ & perfectissimæ naturæ, nil magis convenit, quam ut curam tutelamque operis sui gerere & velit & possit. Quid ni autem velit? optimus est. Quid ni possit? maximus est, adeoque vires nullæ nisi ab ipso.* Diu latuit hic liber; donec ex Mathiæ Corvini Pannoniæ Regis Bibliotheca *An.* M. D. XXX. Joannes Alexander Brassicanus Jurisconsultus e densissimis latebris illum erueret, lucique restitueret. Quem anno postea quinquagesimo Lutetiæ Parisiorum Petrus Pithœus, æternum Galliæ & omnium bonarum artium ornamentum antiquitatisque vindex, auctum magis ac emendatum, magno Reipublicæ literariæ emolumento edidit. Opus hoc, quia meretur, hoc nostro seculo novo illustravit lumine consultissimus Corradus Rittershusius. Reliqua ejus, quæ confecit scripta, Gennadius in *Catalogo virorum illustrium* recenset.

Gennadius consummatissimus Pontificum a Sidonio Apoll. Ep. Arvernensi, *l.* VII. *epist.* II. cum quo fidissimum & frequentissimum intercessit literarum commercium, sæpissime vocatus. Successisse eum Eustathio putat Savaro *ad dictum Apoll. locum.*

Theodorus Episcopus (vid. Gregor. Turon. *lib.* VI. *Hist.*) cui cum Dynamio provinciæ rectore & Clericis Massiliensibus, quorum caput erat Anastasius Abbas & Proculus Presbyter, capitales intercesserant discordiæ, quas postea Childebertus Rex per Gundulfum Ducem suum composuit.

Ad hanc Episcoporum tribum etiam hi referendi sunt, Musæus, (de quo Pithœus in præfatione *ad Salvianum de Provid. Dei*) Græcus, non vero A Græcius, quod multis demonstrat Savaro *ad dictum Apollinaris locum.* Proculus, (vid. *Concil.* Tom. I.) qui Concilio interfuit Aquilejensi, cum S. Ambrosio, & plures alii viri religiosissimi, & doctrina clarissimi, quorum nomina jam non occurrunt, in libris eorum alias satis obvia, qui res Ecclesiasticas atque Conciliorum composuere. Hoc vero non parum etiam auget Massiliensium gloriam, quod ex illorum Ecclesiasticorum numero, quidam ad Pontificiam evecti fuerint dignitatem, cujus exemplum est Urbanus V. antea Abbas Massiliensis, Guilielmus Grimoart vocatus, Poldus *de urbe Nemauso* p. 199. Verum cum in magna præcipue Republica vix fieri queat, quin hæreses inveniantur, (*impossibile enim est*, ut ait Hieronymus, *in Act. Homil.* 33. *aliquod bonum fieri, quin simul etiam pullulet malum*) fuere apud Massilienses etiam multi Pelagianismo infecti, qui se Augustino opposuerant, ut multis hac de re verbis conqueritur Prosper & Hilarius Arelatensis, vid. *Act. Magd. cent.* V. *c.* V. Fuere autem etiam multi martyres, qui pro orthodoxæ religionis gloria diversis suppliciorum & mortis generibus interfecti sunt. Idque factum Diocletiani inprimis temporibus, quibus nulla neque diuturnior (decem utpote annorum) neque immanior persecutio Ecclesiæ fuit, teste Sulpitio Severo, lib. II. *Sacr. Hist.* cujus hæc sunt præclara verba: *Diocletiano & Maximiniano imperantibus, acerbissima persecutio exorta, quæ per decem continuos annos plebem Dei depopulata est, qua tempestate omnis fere sacro martyrum cruore orbis infectus est. Quippe certatim gloriosa in certamina ruebatur, multoque avidius tum martyria gloriosis mortibus quærebantur, quam nunc Episcopatus pravis ambitionibus appetuntur.* Hæc ille.

Illud postremo hic notandum; ex Concilio Tauritanensi tempore Siricii Papæ A. C. 395. habito, Episcopum Massiliensem primatem fuisse & Metropolitanum Galliæ Narbonensis secundæ. Quam prærogativam brevi post amiserunt, cum Massilia in Gothorum redacta esset potestatem, quod factum, (ut Jornand. *de reb. Get.*) ab Eurico Wisigothorum Rege, qui Massiliam & Arelatum suæ subdidit ditioni, æra secundum Isidorum DIV. secundum Sigisbertum, in *Chron.* p. 160. anno post Christum natum CCCCLXXI. quo fatis functo tenuere illam Gothorum Reges ejus successores ad Justiniani tamen tantum usque Imperatoris tempora. Cum enim is Narsetem exercitus sui ducem ad debellandos Gothos, (vid. Paul. Æmil. Veron. *de reb. gestis Francorum*) valida cum manu mitteret, Gothi se Rom. ac Francorum viribus longe impares esse videntes, cum Francis pacem inivérunt, (Baron. *An.* Tom VII. *ad A. C.* DXLIX.) illisque Galliæ Narbonensis partem, in qua Massilia, Aquæ Sextiæ & Arelatum erant, hac lege ut se contra Romanos juvarent, tradiderunt. Suasit hæc tum pro tempore Vittiges Gothorum Rex, hisce usus verbis, apud Procop. *l.* I. *p.* 27. *Et sane Francorum cum natione præsenti, hoc nihil inferius bellum nos gerimus: quo nondum recte disposito, velle aliud aggre-*

di, majoris esse vesaniæ duxerim, nam qui in ancipiti positi sunt, nec in hostem unum intenti, par erit omnino ab adversariis superentur. Et paulo post, *p.* 33. *Cætera quidem ad bellum parata nobis egregie sunt, sed Franci obstant, quibus jam nobis hostiliter adversantibus, etsi cum magna nostra ut corporum, ita & rerum jactura ad resistendum tunc vires fuere, cum aliunde nobis nihil occursaret hostile, nunc tamen eum in alios ire omnino cogimur hostes, cum Francis incœptum necessario solvendum est bellum, & ea primum de caussa, quasi hostes nobis sint hi permansuri, cum Belisario contra nos arma sine mora consociabunt: nam qui unum eundemque habeant hostem, ut invicem & benevolentiam concilient, & fœdera inter se jungant, rerum natura ipsa induxerit*. Hoc Regis consilio collaudato, Gothi confestim Theodeberto Francorum Regi hæc Galliæ Narbonensis loca, inter quæ & Massilia fuit, addita ingenti pecuniæ summa, tradiderunt. Testis rei hujus inter cæteros quoque est Agathius, *lib.* 1. qui tempore Tejæ IV. post Vittigem successoris Massiliam Francos tenuisse refert. Exin Massilia in Francorum venit potestatem, una cum Gallia universa, quam illi sequentium temporum successu universam occuparunt, atque ex gentilitio suo nomine *Franciam* appellarunt. Sed horum etiam adhuc dum tutela Massilia nostra (hodie MARSEILLE dicta) multis casibus defuncta, & post exitium, quasi surculus ex cineribus, nihil tamen aliud, nisi umbra prioris, renata, jam hoc tempore longa pace cuncta refovente, adquiescit. *Urbs* (ut cum Curtio finiam) *& vetustate originis & crebra fortunæ varietate ad posteritatis memoriam insignis*.

FINIS.



BURCHARDI NIDERSTEDT
HOLSATI

MELITA
VETUS ET NOVA,
AUSPICIIS ET JUSSU

CHRISTOPHORI CASPARIS

LIBERI BARONIS

A

BLUMENTHAL

EDITA.

SERENISSIMO ET POTENTISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO

FRIDERICO WILHELMO

MARCHIONI BRANDENBURGICO

SACRI ROM. IMPERII

ARCHICAMERARIO ET ELECTORI,

DUCI

MAGDEBURGENSIUM, PRUSSORUM, JULIACENSIUM, CLIVENSIUM, BERGENSIUM, STETINENSIUM, POMERANORUM, CASSUBIORUM, VENEDORUM, CROSSENSIUM, JEGERDORFENSINUM, SILESIORUMQUE,

BURGGRAVIO NORENBERGENSI,

PRINCIPI

HALBERSTADENSIUM ET MINDENSIUM

COMITI

MARCHIÆ ET RAVENSBERGII

DOMINO RAVENSTENII

PRINCIPI ET DOMINO

SUO CLEMENTISSIMO

VITAM, FELICITATEM, VICTORIAM,

PRECATUR

SERENISSIMÆ CELSITUDINIS EJUS

Subjectissimus & devotissimus
cliens

CHRISTOPHORUS CASPAR LIBER BARO

A

BLUMENTHAL.

SERE-

SERENISSIME ET POTENTISSIME
PRINCEPS

DOMINE CLEMENTISSIME.



UCUNDISSIMUM peregrinationis fructum ab amœna illa variaque contemplatione & adſpectu gentium, urbium, locorum uberrime colligi, nullos ignorare arbitror præter humiles illas & plebejas animas, quæ humi affixæ & ſuæ glebæ non alium fumum, quam e patrio foco, nec majores umbras quam e propinquis forte colliculis, in tota vita viderunt. Nam altius in pectus deſcendere, & majori vi ſenſus commovere ea, quæ oculis hauriuntur, quam quæ auribus percipimus, quis tam lapis eſt aut frutex ut neget? Per has enim portas ad intima cordis penetralia agmine veluti facto ruunt, quæ pro objectorum diverſitate lætorum aut triſtium varie animos afficiunt. Hinc fit, ut optimis quibuſcunque ingeniis ſive priſco, ſive noſtro ævo nihil gratius acciderit, quam (ut JCti loquuntur) in rem præſentem deduci, id eſt, penitius introſpectis variis hominum moribus, terras alio ſole calentes adire, ibique rariora & vetera monumenta ac rudera in multis præclaris ſcriptoribus decantata, imo *& campos ubi Troja fuit* luſtrare, atque curioſo oculo legere; quæ res tantam ipſis voluptatem attulit, ut ſtudio cognoſcendi naturæ & artis miracula multi æſtum, frigora, vias latronibus infeſtas, ac ſexcenta ejus generis pericula alto ſupercilio ſpreverint, quorum in numero non ita pridem fuit vir omni laude cumulatiſſimus Philippus Cluverius, ut Veteres Platonem, Ariſtotelem, Ciceronem, Pythagoram, Democritum & reliquam ſapientum turbam ſilentio prætereaṁ. Is enim totam Siciliam quaquaverſum pedeſtri itinere peragravit, atque per colles, valles, ſpeluncas, ſaxa *& ignes* (in monte Æthna) *ſuppoſitos cineri doloſo* excurrit, ut Inſulæ ipſius ſolidam notitiam poſteritati traderet. Quod ex animi ſententia ita illi ſucceſſit, ut Siculi Cluverio magnam & induſtriæ & fidei laudem attribuant, id quod Meſſanæ, quæ eorum Metropolis florentiſſima eſt, a viris nonnullis doctis coram accepi. Quamobrem peregrinatio prudenter inſtituta non modo privatim jucunda, ſed etiam publice longe utiliſſima. In republ. enim adminiſtranda, in ducendo exercitu, in conſiliis denique officio rite defungi nequit, qui exemplo Ulyſſis inſtituta illa varia gentium, ritus, moreſque hominum non cognoverit, qui earum linguas & leges non didicerit, qui civitatum formas, & quod in oppidis muniendis, & caſtris locandis memorabile, non animadverterit. Hæc enim omnia incredibile eſt ad judicium & prudentiam quam potenter poſſint, ut Juſtus Lipſius teſtatur. Nihil interim eſt quod exiſtimemus, erronum iſtorum temeritatem probandam, qui utilium rerum incurioſi tectis & oppidis aſpiciendis oculos paſcunt, qui ſimul ac foras proruperint, litteris bonis & virtutibus nuncium remittentes otium iners & meras nugas agunt. Toto namque cœlo, quod dicitur, illi aberrant! notæ ſunt parentum lachrymæ, notæ amicorum querelæ, ad quos redeunt Liberorum non pauci facta jactura rei familiaris, valetudinis, famæ, temporis, & quod dolendum, redeunt a Campanis cum Hannibale diſſoluti, a Circe libidinoſi, imo in ſues & beluas cum ſociis Ulyſſis converſi. Hæc, Sereniſſime Princeps, & id ge-

nus plura Patrem meum longe chariſſimum, Tuum olim Conſiliarium intimum,& Principatus Halberſtadienſis ſummum Vicarium, ad cęleſtia hinc jam evocatum, mihi ſæpiuſcule inculcaſſe memini, qui pro ingenti, quo me complexus eſt, amore virum eximium atque clariſſimum Dom. Burchardum Niderſtedt, J.U. Candidatum, h.t. Sereniſſimo Duci Holſatiæ Friderico, &c. a ſecretis, & apud Tuam Celſitudin. jam Reſidentem, in exteris tunc multum riteque verſatum, ſtudiis meis ante admovit, quam in Italiam e ſuo conſpectu me dimitteret, ubi mox litteræ ſacræ Cæſareæ Majeſtatis Ferdinandi III. glorioſiſſimæ memoriæ ad Illuſtres & Eminentiſſimos Viros Ducem de Terra Nova Hiſpaniæ Oratorem, Cardinalem Lantgravium Haſſiæ, Cardinalem Columnam, & Magnum Regni Neapol. Comitem Stabuli aditum in aula Romana optatiſſium mihi aperuerunt, a quibus cum bona gratia, interjecto aliquot menſium ſpatio, abiens commendatus fui Excellentiſſimo & Perilluſtri Comiti de Caſtriglio, Regis Hiſp. in regno Neapolitano tum Viceſ-gerenti, Duci Oſſunæ Siciliæ Proregi, ac denique Magno Magiſtro ſacræ Religionis Hieroſolymitanæ, quorum omnium & ſingulorum alloquiis ac favore uti contigit. Quæ res non mediocrem facultatem mihi præbuit ea diſcendi, quæ partim viſu rara, partim auditu jucunda a tantis aliiſque fide digniſſimis viris in medium proferebantur: Illud etiam non tacendum, me a Sereniſſimo Principe Melitæ ſene optimo, tantum non centenario, totaque adeo inclyta Germanorum Lingua (ſic Nationes ibi ſignantur) ingentibus beneficiis affectum eſſe,cum illius Eminentia equos & idoneos homines perluſtrandæ toti inſulæ miniſtraret, hujus vero humanitas ſtudiis, quibus poterat, conatum promoveret. Hic ſtimulus, hæc occaſio fuit penitius cognoſcendi ſitum & habitum MELITÆ, Pelagiarum in mari mediterraneo Reginæ, quæ licet a variis vario idiomate ſparſim illuſtrata exſtet, inprimis hac noſtra tempeſtate a Boſio, qui res geſtas terra marique horum Equitum aliquot Tomis Italico ſermone commemoravit, nec non ab Excellentiſſimo viro Franciſco Abela Melitenſi, Vice-Cancellario, noſtroque vernaculo a Nobiliſſimo Dom. ab Oſterhauſen amico ſummo, Magno Priore & Commendatore laudatiſſimi hujus Ordinis; quum tamen operoſius Inſulam hanc ſcrutari minus ipſis fuerit propoſitum, viſum fuit ſtudiorum meorum Directori, & fido in itinere Achati (cujus antea mentionem injeci) preſſius eorum veſtigia legenti, ea quæ ſcitu maxime neceſſaria occurrebant, & noſtris oris non uſque adeo obvia, confecto in privatos uſus brevi commentario complecti, quem etiam nunc Tibi, Eminentiſſime Principum, devoto ſtudio conſecrandum putavi, ne ego, Diogenis exemplo, ſolus in tantis omnium negotiis otio nunc abuti videar, nullus dubitans, quin inter juſtiſſima arma, quibus afflictos Principes & oppreſſos populos ſublevatum iviſti,militarem etiam hanc & planeMavortiam Inſulam,Africæ & Aſiæ terrorem,Orbis vero Chriſtiani firmiſſimum propugnaculum, benigno, ut ſoles omnia, vultu adſpicias. Quanquam non diſſimulandum eſt, Melitæam hanc Deſcriptionem, utpote nullis verborum lenociniis adornatam, ſed levi & volante penicillo adumbratam, Celſitudinis Tuæ faſtigio minus dignam eſſe. Ipſe tamen pro incomparabili Tua Clementia, quæ Orbi univerſo innotuit, & propenſo in ſtudia litterarum favore, facile immaturo huic fœtui veniam dabis, concepto nimirum

inter ſummas anguſtias & dolores in ſinu almæ & antiquiſſimæ Urbis Capuæ, quæ nos, immani & inaudita peſtilentia univerſum regnum Neapolitanum, ac potiſſimum Parthenopen, Paradiſum Italiæ, funeſtante & laniante, totos octo menſes in obſcuro quaſi carcere detinui, ubi mors ante oculos, pallor in vultu, trepidatio in corde, ubi denique injuria temporis non ſolum ab Italorum conſuetudine, quod tunc moris eſt, ſed & ab omni pene humano commercio nos abſciderat. Ita enim invaluit peſtiferæ luis contagium, ut Neapoli ſola (horrendum dictu!) quater centena hominum millia miſerando fato conceſſerint, quod conſtans fama, neque mendax, ut credo, perhibuit. Benedictum ſit nomen Altiſſimi, qui nos ex ipſis orci faucibus eripuit, & a piratico Turcarum impetu in vaſtiſſimo mari, immenſis erroribus & naufragio præſentiſſimo poſt varios caſus tandem ſalvos & incolumes Hiſpaniæ littoribus admovit, a quibus deinde per Fretum Herculeum, (hodie *Gibraltar*) & Africæ oras, ad Gaditanum portum in Inſula Cadiz delati, aureis extremæ Heſperiæ regnis oppido perluſtratis, in Gallias, indeque in Germaniam ad patrios lares, ſed malum! ex obitu optimi Patris mei nimium quantum afflictos, reverſi ſumus. Verum quorſum importunius hæc repetens Tua Clementia abutor, Sereniſſime Elector? cur non potius in eximias Tuas laudes me totum diffundo, quod & Dedicationis proprium, & fere ubique uſu receptum eſſe videmus? Mihi quidem ampliſſimum de Heroicis Tuis virtutibus dicendi campum apertum eſſe non diffiteor, in quem ſi excurrendum eſſet, citius me ſpiritus & vires, quam dicendi argumentum deficeret. Nam cujus oratio Tuis egregiis in univerſam Rempubl. meritis par eſſe poterit? Quod igitur præſtare me non poſſe ſatis prævideo, nec tentare quidem auſus ſum; quicquid dicturus eſſem, minus foret. Accedit quod Tua Celſitudo præconia illa laudum, quibus a viventibus vivi afficimur, ex alto deſpiciat, & virtutum ſuarum præmia a poſteritate, quæ liberius & multo incorruptius judicatura eſt, lubenti & defœcato animo exſpectet. Id interim in votis mihi unice eſt, Potentiſſime Princeps, ut hanc chartaceam Inſulam, ſed alias ferream, & Chriſtiani nominis infenſiſſimo hoſti acerbam, imo ſudem in oculis, clementi vultu atque tutela dignari ne graveris, qui jam inſulis expugnandis ſolers, de hujus, cætera inexpugnabilis, natura & ſitu omnium rectiſsime judicium tuleris. Et cujus quæſo congruentius ei patrocinium in hac noſtra Germania quam Tuum eligendum, Magne Elector? qui nobiliſsimi hujus ordinis Patronus, & Defenſor potentiſsimus in terris inferioris Saxoniæ merito audis, qui tot egregios hinc inde Commendas ſub Imperio Tuo tenes, quos præcipuis Tuis clientibus cum alba cruce in præmium virtutis, & ſignum principalis affectus per Celſiſsimum Principem Naſſoviæ MAURITIUM, Tuum in Ducatu Cliviæ Vicarium & magnum Magiſtrum noſtrum, &c. liberaliſsime diſtribuis, cujus me quoque quamquam immerentem non ita pridem gratioſiſsime participem facere voluiſti. Quæ Tua ſingularis beneficentia, & in tantum DEO ſimilis, quantum humana natura ferre poteſt, animum hunc impellit, ut Tibi non proprio, ſed etiam totius meæ familiæ nomine tot tantiſque beneficiis a Te orna-

tæ, humillimas gratias, quas referre non possum, æternum habeam. Deus ter Opt. Max. Te, Serenissime Elector, ingens rei Christianæ Columen sua potenti manu fulciat, qui in pejus ruenti seculo fortiter temet opponis, & in medio bellorum æstu tranquillæ Pacis negotium pie agitas. Ille omnis bonæ donationis autor, Te spiritu sapientiæ ex alto induat, consiliis salutaribus benedicat, Tuasque actiones omnes & singulas in nominis sui gloriam, & publicam omnium salutem quam diutissime & quam felicissime dirigat, ut amplissimas provincias, quæ citra sanguinis humani jacturam contigerunt, vel pacate moderari, vel si necessitas aliud jubeat, victricibus armis rite tueri possis.

Dabam Supplingenburgi, die XV. *Martii Anno* CIↃ IↃC LIX.

TUÆ SERENISSIMÆ CELSITUDINIS

Humillimus & devotæ submissionis servus

CHRISTOPH. CASP.
B. DE BLUMENTHAL.

REVERENDISSIMO ET CELSISSIMO PRINCIPI AC DOMINO DOMINO

MAURITIO

PRINCIPI NASSOVIÆ, COMITI IN CATZEN-ELLEBOGEN, VIANDEN ET DIETZ

DOMINO IN BEILSTEIN

EQUESTRIS ORDINIS JOHANNITICI PER MARCHIAM, SAXONIAM, POMERANIAM ET VANDALIAM MAGISTRO

SERENISSIMI ET POTENTISSIMI

ELECTORIS BRANDEBURGICI

CONSILIARIO INTIMO, ET PROPRINCIPI IN DUCATU CLIVENSI ET MARCHIÆ COMITATU, ETC.

DOMINO SUO CLEMENTISSIMO

SALUTEM ET FELICITATEM.



ON est dubium, Celsissime Princeps, quin pro mercede risum & indignationem reportasset, quisquis olim Duillio aut Pompejo, maximo terra marique Imperatori in littore cymbam quasi rem novam curiose monstrasset, cum in vastissimo pelago tot rostratas naves, corbitas, triremes, & ejus generis navigiorum plurima ipse non solum viderit, sed & sæpicule magno nisu remis velisque contra pyratas, & Romani nominis hostes in aciem eduxerit: aut si alius forte Tyrrheni ac Hadriatici maris totiusque fere Oceani insulas in numerato habenti, Gades describere voluisset. Quanto magis, Domine Indulgentissime, idem mihi non absimili ratione timendum est, Celsitudini Tuæ parvam Insulam in charta saltem offerenti? cum Princeps juventutis patriis finibus egressus, probe perspectis variis hominum moribus, statim crescentibus annis longius ire cœpisti, & nequaquam circumscribendus hoc nostro orbe, *Novi illius miranda pervestigare, imo sub Tuo ductu auspiciisque potentissimæ Batavor. Reip. regna ibidem gloriose condere sustinueris. Quot immensos terrarum tractus, quot maria & insulas, quot flumina & montes, quot denique urbes & oppida in periculoso eo itinere oculis usurpaveris, & pede etiam armisque presseris, facile is, qui non plane in Geographia hospes, dijudicare poterit. Hoc quoties mecum revolvi, toties in diversas partes animus distractus anceps hæsit, utrum in affluentissima talium copia* MELITAM, *maris Mediterranei Coronam, manibus quoque Tuis subjicere, aut instar reculæ tanto fastigio indignæ iisdem verecunde subtrahere, consultius & magis ex usu foret. Sed pervicit tandem illa consideratio, quod sicuti Pompejo, quem paulo superius nominavi, & ejus acerrimo hosti C. Julio*

*Cæsari grave non fuit, cymba interdum navigare, qui alias classe superbissima vehebantur, & ut magnus ille Scipio pudori sibi non duxit, in parvum aliquem Italiæ angulum secedere, quem spatiosa & ingens Africa antea vix capiebat; ita certam spem foveo, Tuam quoque Celsitudinem suo læto aspectu non dedignatum iri eam insulam, quæ etiamsi iis, quas admodum multas vidisti, magnitudine & divitiis sit inferior, earundem tamen nonnullis mirabili situ & excellenti fortitudine par, ne dicam superior jure optimo habetur. Accedit, quod ejus loci Genius sponte ad limen Tuum properat, cum ab Illustri nomine Tuo non solum præsidium, sed & decus atque gloriam sibi repperit. Tu enim, Celsissime Princeps, omnium dignissime electus fuisti, quem conspicua virtute & fama undiquaque Clarissimum Ordo noster S. Johannis Hierosolymitani hac tempestate in utraque Saxonia pro Capite agnosceret, & a cujus liberali manu albam Crucem accipere, mihi quoque non minus honori quam voluptati fuit. Igitur ratio postulat, ut post Serenissimum nostrum Electorem, Dominum meum Clementissimum, Celsitudini Tuæ (exiguus quamvis) hicce pagellæ locus detur, quia una cum eo in protegendis & optime conservandis laudatissimis hujus Ordinis Sacris utramque paginam facis. Et quemadmodum magna & late patens Brasilea, Te olim duce, non solum ab infestis Barbarorum armis mascule vindicata, sed & durante Tuo imperio in florenti pace egregie stabilita fuit, teste disertissimo Tuarum laudum præcone Barlæo; Sic etiam (*si parva licet componere magnis*) Nobilissimus Ordo noster & brevis hæc insulæ* MELITÆ *descriptio tali Tibicine semper firmo stabunt talo, neque a morsu dentis Theonini unquam damnum aut vulnus patientur. Quod superest, Celsissime Princeps, etiam atque etiam obnixe rogo, ut hoc quicquid tandem est libelli, quod sane parvi ponderis esse non diffiteor, gratiose amplecti, & exinde meum erga Celsitudinem Tuam debitum observantiæ cultum, gratique animi significationem æquo modulo & pede metiri, ne graveris, quem si melius ex animi voto hoc tempore declarare nequeo, non mehercule voluntatis, sed virium est defectus. Deus Ter Opt. Max. Celsitudinem Tuam totius inclytæ patriæ, & ejus præcipue, cujus nunc fræna capessis, Provinciæ bono, quam diutissime & felicissime in terris sospitem esse jubeat.*

Dabam Supplingenburgi, die XV. *Martii* CIↃ IↃC LIX.

Illustrissimæ Celsitudinis Tuæ

Devotus Cliens

CHRISTOPH. CASP.
B. DE BLUMENTHAL.

REVERENDISSIMO, ILLUSTRI ET GENEROSO DOMINO

CHRISTOPHORO CASPARO L. BARONI
DE BLUMENTHAL,

SERENISSIMO ET POTENTISSIMO

Dn. ELECTORI BRANDENBURGICO

A CONSILIIS ARCANIS REIPUBLICÆ,

EQUITI ORDINIS JOANNITICI ET COMMENDATORI SUPPLINBURGENSI, HÆREDITARIO DOMINO IN STABENAW, DIEBAW, TECKWITZ, WITTENSEH ET HAUSNEWENDORFF, ETC.

HERMAN. CONRINGIUS

S. P. D.



MULTIS nominibus laudem maximam mereris, Illuſtris Domine, edi curans illum librum, quem *de Melitæ Inſulæ rebus* conſcripſit, tuus & itinerum per Germaniam, Italiam, Siciliam, Melitam ipſam, Hiſpaniam, Galliam, Belgiumque, ſimul & ſtudiorum, non ſocius duntaxat, ſed etiam ductor, BURCHARDUS NIDERSTEDIUS, Vir eximiæ profecto eruditionis. Oſtendis enim utique hoc ipſo ſaltim inſignem pietatem erga bene de te meritum ducem: quæ rara hodie virtus eſſe ſolet; pleriſque non ingrata oblivione tranſmittentibus duntaxat, ſed etiam ſuperbe faſtidientibus illos, quos morum vitæque magiſtros nacti juvenes fuerunt. Oſtendis vero non minus, quod jam ante editis præſtantibus propriæ fœturæ libellis jam tum orbi probaveras, præclarum in re literaria judicium; amari ſcilicet abs te non proletarii argumenti aut inepte condita ſcripta, ſed ea, quæ Genium habent, plenaque ſunt doctrinæ elegantis & accuratæ. Et vero talis omnino eſt hic *de Melita* liber, omnium quos equidem vidi eo in argumento & optimus, & nitidiſſimus, & abſolutiſſimus. Oſtendis denique, te non fortem duntaxat Equitem, ſed & doctum eſſe rerum honoriſque ſacræ militiæ ac diligentem curatorem: quorum etſi illud pluribus conveniat, hoc tamen oppido eſt rarum. Meretur autem & virtus & quod ab illo Ordine accipit Chriſtianus orbis beneficium, illuſtrari militiæ illius res omnis, ſaltim non ignorari illa ἀκρόπολις, unde propugnatur mari mediterraneo adjacens Europa omnis, adverſus vim barbaram Aſiæ pariter & Africæ tantum non univerſæ ſumme detrimentoſam. Nec vero ea hodie ſacræ Veſtræ militiæ, quæ olim primarum in Palæſtinam expeditionum, eſt ratio. Quamvis nimirum & illas religio quædam excitaverit, vix tamen abſolveris ab injuria, aut ab impietate; non ſane a ſumma imprudentia. Infinitam ſcilicet hominum multi-

tudinem non vulgi ſolum, ſed Regum, Principum omniſque generoſi ſanguinis, imo fere quicquid tum fortitudinis laudem vel meruit vel affectavit, per ducentos amplius annos cruenta ſtrage expeditiones iſtæ, enervata propemodum & opibus ſimul exhauſta omni Europa, e medio ſuſtulerunt. Quod non potuit non rebuſpublicis omnibus publice privatimque par eſſe noxium & damnoſum: nec vero quod ſimul perierit ita quicquid foro domi erat turbidum, tanti eſt; cum in promptu ſint prudentibus imperiis ejus quidem coercendi rationes multo meliores. Nulli ſane reipublicæ expeditiones iſtæ vel tantillum commodi attulerunt: quod ſummæ regentium imprudentiæ certum eſt argumentum. Pontificibus tamen Romanis illas utiles tum fuiſſe, haud negaverim. Nec enim duntaxat Cæſaribus aliiſque Regibus, paratis manu tueri adverſus Curiæ inſolitos conatus priſca a majoribus accepta jura, nova hac, propoſito æternæ vitæ præmio, evocata militia ſubductum fuit robur validum, ſed etiam ipſimet illi, ſi ferociores viderentur, procul ablegati ſunt, vacuum regnum & oportunum Romanæ ſervituti domi relinquentes. Imo quod multo majus eſt, ipſum illud robur univerſæ pene Europæ, ut Regibus & rebuſpublicis ſubductum, ita ſimul in fidem Pontificum tranſiit; incredibili Pontificii regni incremento. Nec vero in Europa ſola, ſed etiam in Aſia & Africa, quocunque miles ille ſacer vires ſuas extendit, Pontificum majeſtas nimium quantum propagata eſt. Verum ut Pontificum in expeditionibus illis provocandis laudes fortaſſe calliditatem, eorum tamen quibus publica civilis rei cura incubuit ſupinam imprudentiam nullo colore excuſaveris. Æque manifeſta vero eſt & injuſtitia iſtorum armorum. Mota quippe illa ſunt a noſtri orbis hominibus in eos, qui nulla nos injuria affecerant. Nec vero ad injuriam noſtram pertinet poſſeſſio locorum quæ Deus Iſraelitis ſingulari benignitate conceſſerat quidem in peculium; ſed ſolis illis non autem nobis, nec illis niſi quamdiu viverent ex præſcripto divinitus ſibi datæ legis; ubi ſcilicet immorigeri & ipſi facti ſunt, jam ſine diſcrimine poſſidentur jure omnia illa a quavis gente, quamvis Pagana, quamvis Mahumedana, modo juſtus adſit titulus; qui etſi illis forte defuerit, Europæis tamen noſtris fas propterea non eſt terras illas ſibi vindicandi. Spiritualium porro promiſſionum Sanctis Patriarchis divinitus factarum competit quidem Chriſtianis hæreditas; jus hæreditarium autem bonorum civilium Iſraelitici populi neutiquam illis conceſſum eſt. Nihil denique refert noſtra, quod terræ ſanctis pedibus quondam calcatæ hodie ab impuris ambulentur; niſi quod doleamus merito impietatis vim, quæ divinam indignationem uſque adeo commeruit: cum ubivis terrarum æque Deo acceptis, æque propinquis cœlo, eſſe nobis liceat, & omnis plenitudo terræ perinde ſit Domini. Non ferenda ſane eſt illa quorundam perſuaſio, quaſi juſta promiſcue ſint Chriſtianrum arma, in quoſvis a Chriſtiana fide ſive prorſus alienos, ſive non nihil exorbitantes. Non minus profecto deteſtanda eſt hæc opinio; atque illa ex adverſo Muhammedanorum in diverſa ſentientes quoſvis, aut veterum Græcorum in omnes quos barbaros vocabant, tanquam illi natura ſint ſervi, prætenſa bellandi licentia. Quam impia præterea fuit illa animis militantium penitus infixa tum credulitas! *in certamine quod contra in-*

fideles geritur quisquis moritur cæleste regnum meretur; quamvis in ipsummet Pontificium jus cum tempore sit receptum, & simili illicio adversum Christianos etiamnum arment militem suum Muhammedis asseclæ! Est sane hoc fere illud, quod olim impius Cæsar Nicephorus Phocas persuasum orbi desideravit; testibus Cedreno, Glyca Curopalate & Zonara; ut videlicet milites bello interfecti pari cum sanctis martyribus honore colerentur. Quanta promiscue fuerit multitudinis illius sacræ militiæ profana impietas, quam fœda vivendi improbitas, ad posteritatem memoraverunt, qui bella ista prodiderunt ipsi scriptores σύγχρονοι; cumprimis Auctor ἀνώνυμος Chronici quod appellatur Hierosolymitanum, Guilhelmus Tyrius, Otto Frisingensis, Conradus Urspergensis, Arnoldus Lubecensis & alii quammulti: ut non moremur nunc Nicephori Gregoræ querelas, ceu hostilis Græcorum in nostros animi suspectas. Quis vel hodie non obstupescat ad impietatem saltim illorum, qui capellam & anserem, tanquam S. Spiritu afflatas, viæ duces coluerunt? fuere autem ducenta millia equitum & peditum. Sane Spiritus aliqua occulta vi homines fuisse tum agitatos & ad arma quasi abreptos, affirmabit, nisi fallor, omnis qui debita attentione res temporum illorum perpenderit. Spiritum sane quempiam, quem peregrinum appellitat, expeditionis illius, quæ Conrado III. Cæsare facta est, arcanum incitatorem agnovit ipsemet Otto Frisingensis itineris istius socius. Spiritus S. vero aliquem in his motum rarissime sane si modo ullo indicio agnoveris. Sed quo prolabor? Hoc volebam, Illustris Domine, etsi prima sacri belli exordia vitiis gravissime laborent, aliam tamen esse hodie rationem Ordinis tui militaris. Et vero nunc intentus ille potius est tuendis Christiani orbis finibus a violentia Muhammedanorum; eoque ipso vincit omnes, quotquot hodie supersunt, sacræ militiæ Ordines reliquos universos. Perge vero, Illustris Domine, tua cura non illum tantum Ordinem, sed etiam illum in quem te Serenissimi Electoris providentia nuper cooptavit, exornare. Ut nempe fideli & cauto consilio patriæ rempublicam administres. Quod ut strenue facias, incitamento indubie tibi erit, & Patris, & qui generum sibi te jam fortunatis auspiciis delegit, summorum sane virorum, longe præclarissimum exemplum. Ego vero Deum obsecro, ut consilia tua cedant in felicem patriæ tranquillitatem, & perpetuum emolumentum: simulque domi res tibi ex voto fluant succedantque. Helmestadii in Academia Julia Anno cIↃ IↃ CLX. Kal. Febr.

ILLUSTRISSIMO SIGNORE BARONE,

SIGNORE MIO E PATRONE SEMPRE COLENDISSIMO.



La gratiosissima sua da Berlino delli 7. di Marzo mi venne l' altro giorno a buon ricapito, per la quale e piacciuto a Vr. Sig^{ria} Illma farmi consapevole del suo dissegno sopra la Descrittione dell'Isola di Malta, dicendo, ch' ella no solamente sia approvata da molti grandi e dotti personaggi, ma anco stimata degna del Excellentissimo ed Illustris^{mo} Sig^{re} Barone di Schwerino, primo Ministro di Stato, Capo e Presidente in tutti li Consigli di S. Altess. Elettorale di Brandenburgo, &c. Signore mio e Patrone sempre colendissimo, per darla alla stampa, acciochè in coteste parti della Magna si possa haver più notizia d'una Terra così nobile, antimurale della Christianità e Corona del Mare mediterraneo. Havendo dunque Vr. Sign. Illma pensiero di satisfar all'instanza di questi Signori ed al desiderio de' curiosi, ella s'è degnata d'accennarmene prima la sua volontà e di richieder il mio consentimento in tal materia: in che ricognosco volontieri la solita sua gentilezza in sieme collo studio ed amore per la gloriosissima Religione di S. Giovanni di Gerusalemme, della quale l'Isola di Malta hoggidì e la sede, e l'inclita Residenza, Scuola della guerra e Nudrice delle più nobili famiglie d' Europa. E veramente cosa molto lodevole, che Vr. Sig^{ria} Illma non contentandosi d' haver fatto quel longo e difficultoso viaggio dagl' ultimi confini della nostra Patria, non per altro, che per imparar il mirabil sito e li costremi di quella fortissima Isola, sia acceso ancor d'un singolar ardore, di publicar al Mondo quelle sue bellissime doti, che la Natura ed una virtù poco commune l'hanno conferite. Vr. Sig. Illma sà bene, quanti disaggi, molestie e rischi habbianco patiti si per mare, come per terra per giungere a tal meta. La fidelissima Città di Napoli, la guerriera Lucania, la magna Grecia, Cioè, la Calabria, e finalmente il fiorentissimo Regno di Sicilia ne conservano un monumento ne' animi nostri eterno. Gioconda in vero, passato il pericolo, e la memoria, come ci siamo abatutti nelle mani de' Ladroni e Banditi: come habbiamo fatto lunghissimi ghiri ed errori nel mare in sul debole Feluga: come il Sirocco e li venti, anzi li Barcarvoli (gente perfidissima) ci siano stati contrarii: come alla volta dispagna in una fortuna di mare il nostro vascello veniva urtato da vento impetuoso contro un altro con gemito delle Onde e quasi necessità di naufragio: Machi al contrario non senti goja e contento più grande d'adocchiar il monte di Soma, ciuè il Vesuvio? Chi non restò stupito all' aspetto del Posilipo, delli Laghi d' Averno e d' Agnano, degli Antri del Cane e della Sibilla Cumana, delli bagni di Germano e di Trittoli, del mare mortuo, e di tanti altri Miracoli di Natura? Chi non hebbe altresì a caro dimirar a bel studio le curiose e magnifiche rovine delle superbissime ville di Cicerone, Cesare, Lucullo, Pompejo, Mario, &c. la piscina mirabile di Nerone, gli Amphiteatri, Circi & tante opere meravigliose dell' Arte delle quali, se io volessi far un essatto raguaglio mi converrebbe il divino ingegno di Vr. Sigr. Illma ed un gran tratto di tempo. Basta, ch' ella si ricordi d'esserle stato detto, che colui chi non haveva visto e ben pratticato il Regno di Napoli, non poteva vantarsi della vera cognizione delle cose grandi, chi si ritrovano in Italia. Dipoi passando piu avanti, occorrono in sulla strada la bocca di Capri, Salerno, Paula, Monasterio notissimo per la devotione, e nel Mare Stromboli e Vulcano, montagne ardenti di continuo fuoco. In altre si scuoprono Scylla e Charybdis nel Stretto di Sicilia, Monstri piu falsi, che veri e favole de' Poeti. Qui si vede su la spiaggia d'un lato l'antico Reggio, del altro la Nobile ed Essemplar Città di Messina, celebre per il suo bel porto

e le richissime mercantie. Sequita appresso il Mongibello, civè l'Etna, coperto di neve e gonfio di solfo e di fiamme, Catania, Augusta, Syracusa, famoso domicilio de Tyranni, e finalmente il Capo Passaro, donde passando di notte per quel largo e pericoloso Canale habbiamo abandonnato le vela al vento ed il corpo al dolce somno, a segno tale che la mattina al spuntar del sole li Marinari cognoscevano la dapocaggine loro e l'infelicità nostra, spingendoci la tempesta di più in più, verso il lido d'Africa per esserci sviati di gran lunga del dritto corso di Malta. Qui mancando il cuore ed il consiglio, S. Antonio di Padova, ed il Beato Gaetano furono chiamati in ajuto, ma in vano, fin tanto che la Borrasca si calmo, e la nostra Barchetta trovò il desiderato porto. Ecco il Ritratto del viaggio di Malta in un picciolo quadro! Le cose che V. S. Illustriss. vidde in quell'Isola Notabile (come si chiama) sono adittate e raccolte in gran parte nel Libretto, ch' ella brama metter alla luce, però con agevolezza si cognosce, che mancandogli molto, Malta non vi sia depinta coi suoi vivi e naturali colori. E di grazia come fu possibile, Illustr. Sign. d'istruirsi del tutto in un momento? Il modo di guereggiar per mare e per terra, il governo delle galere, l'Aministratione ed il Mantenimento della Religione insieme colla Raggion del suo stato chi potria saper senza una lunga isperienza? E ben vero, ch' habbiamo navigati nella loro squadra e sotto la Bandiera di Malta dove la magnificenza e la puntualita in tutte le cose fu admirabile, li Galeotti dando la voga e spingendo avanti il Legno ad un fischio del Comito per una cieca ubbedienza: che ci sia mostrata fidelmente l'Isola con quella del Gozo e del Comino: che siamo entrati ne' loro Ospedali con fur l'ordinario uffizio agl'infermi: che l'Eminentissimo Principe e Gran Maestro Lascaris, li Signori della gran Croce e gli Alberghi delle Lingue ci habbiano fatto honorevol trattamento con ogni sorte di cortesissimo affetto; ma tutto quello non poteva che dar poco lume per chiarirsi a bastanza de' loro andamenti e costumi, delle singolari prodezze e segnalate imprese adoperate in diversi tempi da quelli famosissimi Guerrieri per travagliar di continuo li Barbari e metter in iscomplio tal volta il piu potente nemico della Terra. Considerato dunque questo Trattato come imperfetto e difettoso, potria farsi difficoltà in divulgarlo, si egli non fosse propriamente stato conforme, al nostro proposito d'abozzar con brevità l'istessa Isola senza far menzione in qual si voglia modo de' statuti della Religione, sendo oltre di ciò composto come un compendio solamente per la memoria nostra, tra mille angoscie e senza soccorso di buoni Authori. Il che porgerà commoda occasione ai discreti Lettori di supplir tanto piu volontieri ad ogni altro suo mancamento, abbracciando il generosissimo animo di V. S. Ill. desideroso sempre di far honore alle buone lettere e sopra tutto authenticando l'authorità di quel grande e prudentissimo Ministro, splendido sole del nostro secolo, al di cui riparo questa Opretta sicuramente puo isperimentar la sua ventura. Nel resto Ill. Sig. mi pregio d'esser stato trovato degno del Eccell. ed Ill. Sig. suo Padre di felice memoria per servirle di compagno e d'appoggio in tanti viaggi, ne' quali, (senza vanità) habbiamo corso non solamente li megliori Regni e Provincie d'Europa, ma anco visto una parte d'Africa, pregando l'Altissimo di conservarmi sempre V. S. Ill. per un singolarissimo Padrone, ai di cui gran meriti e compita virtù auguro una felicità perpetua piena d'ogni glorioso successo. Con che me le dedico e le baccio le mani. Viburgo vella Iutia ne' Quartieri d'Inverno. alli 15. di Marzo anno CIϽ IϽ LIX.

Di V.S. Illustrissima

Humilissimo e prontissimo servitore

BURCHARDUS NIEDERSTEDT.

FLOS est Insularum MELITE,
Ad hanc PIETAS, velut ad portum suum appulit,
Cum PAULUS naufragium passus est:
Ad hanc FORTITUDO velut in sedem suam commigravit,
Cum HIEROSOLYMITANI MILITES Rhodo abiere.
Imo,
Hic NATURA velut in Emporio suo triumphat
Omnium rerum affluentia.
Mihi, Lector, non credis?
Accede, fruere & mirare.

INDEX CAPITUM.

LIBER PRIMUS.

LIBER SECUNDUS.

BUR-

BURCHARDI NIDERSTEDT

H O L S A T I

M E L I T A

V E T U S E T N O V A,

L I B E R P R I M U S.

C A P. I.

De variis insulæ Melitæ nominibus.



NTEQUAM hæc insula Melitæ nomen accepit, antiquis fuit appellata *Iperia*, ut Cluverius putat, vetustissima Phæacum sedes, postea *Ogygia*, ut est apud Homerum, deinde a Græcis *Melita*, & denique corrupta voce ex idiomate Arabico aut Sarracenico, tunc temporis una cum Sicilia in barbaræ hujus gentis ditionem redacta *Malta* fuit dicta, suffragante Thoma Erpenio, quem hic laudat Cluverius. *Nomen id (Melita) nonnuper corruptum est in hodiernum Malta, sed jam ante sexcentos amplius annos cum Arabes insulam una cum Sicilia occuparent, ut ex Arabibus Geographis pariter atque historicis nobis exposuit peritissimus hoc seculo Arabicæ linguæ interpres cæteraque doctissimus Thomas Erpenius*. In antiquo illo Itinerario, quod falso Antonino tribuitur, hæc verba extant: *Item inter Siciliam & Africam insula Cossura a Lilybæo sunt stadia* CIↃ XXX. *a Clipea ex Africa stadia* IↃ XC. *Insula Maltacia, Testa & Falcaron, insula Cercenna, hæc a Tapacis distat* IↃCXXII. *Insula Girba*. Hujus loci authoritate seducti docti aliquot hujus seculi viri, existimarunt ea tempestate Maltaciam vocatam fuisse, sed quam insigniter illi hallucinentur ex eodem Cluverio liquet. Nam Regum Hispaniæ exemplar Bibliothecæ S. Laurentii in Escuriali, attestante Hieronymo Zurita, historico regni Arragoniæ excellentissimo, habet; *Insulæ Maltachæ, Testia*; Neapolitanum vero *Maltatiæ, Testa*; quæ pugnantia inter se nomina in luculentam consonantiam erigere & hoc modo emendare conatus est dictus Zurita: *Insulæ Melita, Icetia*: & adjungit: *Icetiæ Ptolomæus meminit inter insulas Siciliæ adjacentes, quæ mihi pro Festia substitui ex manuscriptorum corrupta lectione videtur*. Sed autor Itinerarii hujus enarrat insulas inter Africam & Siciliam sitas; at Icetia Ptolomæi, aut Hicetion Eustathii collocabatur inter insulas Liparenses, ergo potior videtur Cluverii lectio: *Insulæ Malta Hephestia*. Sunt præterea nu-
C mero non pauci, qui affirmant hanc insulam recte vocari *Melivetum* aut *Milivetum*, & hinc Concilium Melivitanum originem & nomen traxisse; sed horum quoque sententiam merito explodendam, inter alios censet Abrah. Ortelius in voce *Melita*, *Milevi*, quippe Milevitanum a Milevio est urbe Africæ, in qua celebre illud Concilium habitum; ipsius verba hæc sunt: *Milevis Africæ proprie locus, Augustinus epist.* CLXVIII. *Milevitana regio est apud eundem epist.* CXXIX. *ad Donatum: unde liquido apparet, errare eos qui Concilium dictum Melivitanum in Melita insula habitum scribunt*. Huic sententiæ quoque astipulatorem habemus Card. Ba-
D ronium: *De Milevio*, inquit, *cujus Optatus erat Episcopus, frequens est mentio in Conciliis Africanis, & in epistolis S. August. ibi & celebratum est Concilium Melivitanum dictum, quod inconsulte nimis dixit aliquis celebratum in insula Melitæ; ejus enim Synodica ad Innocentium Papam, litteræque Augustini & aliorum ad eundem Pontificem, & aliæ ad Hilarium scriptæ illud Milevii in Numidia actum esse luce clarius manifestant*. Idem asserunt Pamelius in suis *Annotationibus super lib.* V. *de Conc. Carth. num.* XXXVIII. & Robertus Mireus. *Milevis Episcopatus olim Ecclesiæ Africæ Concilio Melivitano ibi celebrato*
E *clara, cui S. Augustinus Hipponensis, Aurelius Carthaginens. & Sylvanus Episcopi interfuere, errant, qui dictam Africæ urbem cum insula Melitæ a Melitena Armeniæ metropoli confundunt*. Et Franciscus Balduinus in *Commentariis* suis: *Itaque errant vehementer, qui & nostrum hunc Optatum cum illis superioribus a Milevium seu Milevitanam ejus civitatem, vel cum Melitena Armeniæ metropoli, in qua celebratæ Synodi meminit Sozomenus Historicus* lib. IV. cap. XXIV. *vel cum Melita insula confundunt, & quidam magni etiam nominis, & eruditi viri existimant*. Hi ipsi tamen facile veniam merentur: nam absque S. Augustini autoritate si esset,
F certe ex nullo prorsus autore hujus rei fides adstrui posset, cum nec Ptolomæus nec veterum Geographorum quispiam ullam talis civitatis in Africa faciat mentionem, imo nec apud eos, qui ex professo illas provincias descripserunt, minimum exstet vestigium. Enatus autem hic error videtur, primum post exactos Saracenos tempore instaurationis templi Cathedralis & Episcopatus ejus insulæ, quando Comes Rutgerius Episc. ejus insulæ præfecit Gualterium, qui diploma quoddam seu

privilegium Ducissæ Sichelgaitæ uxoris Ducis Roberti Anno MLXXXIX. æræ Christianæ testimonio suo corroborans in hunc modum nomen suum subscripsit, *Gualterius Melivitanus Episcopus testis*: cujus nominis abusus postmodum tractu temporis ita invaluit, ut in actis publicis, seu Capitulis Regni Siciliæ locum inveniret, imo & in aula Romana adhæc fere tempora frequentetur. Sciendum etiam est novissimum illud nomen Maltæ, quo insula nostra hodie gaudet, tribus aliis quoque locis esse commune: Nam & alia insula est, cujus mentionem facit Plinius, quæ Melita vocatur, hodie Meleda Dalmatiæ adjacens, & dominio Reipubl. Ragosæ inserta, de qua Dominicus Marius Niger in sua *Geographia*: *Cæterum ad Orientem Corcyræ eodem tractu neque ab ea longe ex adverso dictæ Chersonesi Melita insula est, nunc comparato vocabulo Meleda*. Urbs quoque ejusdem nominis in Armenia minore sita est, de qua idem Niger: Melitena, sive *Melita urbs eximia ad Confluenta Melæ fluminis cum Euphrate sita, quam Semiramidem condidisse fama est, quæ nunc Malantia, ad quam Euphrates ponte transitur*. Solinus eam ponit in Cappadocia non multum ab Euphrate. Denique vicus est in Græcia, de quo Ortelius sic loquitur: *Vicum Melite vocat Plutarchus in Themistocle & in Solone*. In *Vita hujus* habetur: *Solonem vero planum fecisse ajunt Judicibus Philæum & Eurysacem Ajacis filios civitate ab Atheniensibus donatos: ipsis insulam hanc Salaminam tradidisse, habitavisseque hunc in Braurone, illum in Melite, trahereque curiam Philaidarum unde erat Pisistratus ex Philæo*, &c. Ipsum porro nomen Melite quod attinet, sunt, qui insulæ huic nostræ id datum credunt a Melite Nympha, filia Nerei & Doridæ Antiquis Dea maris credita, de qua Hesychius:

Et Melita amabilis, & Eulimene, & Agane
Pasithea que, Eratoque & Eunice, roseis
Cubitis nitida —— ——

& apud Virgilium *Æneid.* lib.V.

Læva tenent Thetis, & Melite, Panopæaque Virgo.

Natalis Comes lib. VII. cap. I. de Hercule in *sua Myth.* a Melita Ægæi fluminis filia, insulam sic dictam affirmat. Relicti sunt autem multi ab Hercule filii, siquidem & Afer ille, a quo Africa vocata est, genitus fuit ab Hercule, &c. Hyllus e Melita Ægæi filia fluminis, qui insulæ, & oppido in insula nomen dedit. Sed neglectis Veterum commentis, verius est, a Græcis propter apium copiam uberemque mellis proventum a μελίσσα (quod ipsis *apis* est) Melitam nuncupatam fuisse.

CAP. II.

De situ Insulæ Melitæ.

SITA est in alto mari, a continenti dissita longius ulla alia insula, in umbilico maris Mediterranei, ad latus meridionale Siciliæ, media fere inter duo famosissima ejus Promontoria Pachynum (*Caput Passarum* vulgo hodie dictum) & Camarinam (nunc *Camarana*:) A Septentrione respicit Siciliam versus Puzzallum, ab eaque parte mari Siculo alluitur: A Meridie Africam versus Tripolim Numidiæ urbem, a qua mari Africano dirimitur: Ab Oriente Candiam, cui Adriaticum & Ionicum mare, superum alias dictum, interfluit. Denique ab Occidente Gaulon vicinam insulam, quam mare Sardum aut Sardiniæ lavat. Distat a Puzzallo arce fortissima & frumenti emporio, unde ex regno Siculo propinquior trajectus, LX. millib. pass. & ab utroque Siciliæ promontorio LXXXVIII. secundum Strabonem: *Ante Pachynum jacet Melita, unde Catelli Melitæi, & Gaulus* LXXXVIII. *ab utraque ambæ distantes stadiis*. Sic enim secundus ejus interpres ex Græco vertit, haut nimis consonanti verborum intellectu: primus magis absurde ita interpretatus est: *Absunt inter se ambæ millib. passuum* LXXXVIII. sed credendum omnino est, Strabonem hujus rei non ita rudem fuisse, ut nesciret distantiam Melitæ a Gaulo V. millia non excedere: Plinius ita habet: *Insulæ sunt Africam versus, Gaulos, Melita, a Camarina* LXXXIV. *mill. pass.* & ita Compilator ejus Martianus Capella: *Africam versus Gaulos Melita a Camarina* LXXXIV. *pass. mill.* Ex quo licet colligi, Strabonem promontorium Pachynum velut terminum constituisse, a quo utraque insula distet LXXXVII. mill. pass. & ita Cluverius recte sentire videtur vocem ἑκατέρας transmutandam in τῆς ἄκρας, & sensus hic erit, LXXXVIII. *millia a promontorio ambæ distantes*. Thom. Fazellus *de reb. Sic.* dec. I. lib. I. c. I. putat insulam hanc a Pachyno, seu Capo Passaro centum milliarium intervallo disjungi; verum expertissimi nautæ LXXX. tantum numerant, illudque mare quod medium interfluit, *il Gran Canale* appellitant, quod sicut serventissimum, sævum, ac propter ingentes æstus alternosque cursus formidabile habetur, teste Cicerone VI. *in Verrem*; sic quoque æstatis in primis tempore propter assiduas piratarum, & præcipue Barbarorum ex Africa excursiones periculosissimum est, adeo ut etiam ipsæ Equitum Hierosolymitanorum Triremes aliquando hic periclitentur, tam ab hostium insidiis, quam maris intemperie infestatæ: quemadmodum maximo ipsorum damno accidit Anno MDCXXV. die XXVI. Junii, quando quinque Triremes cum e portu Syracusano Melitam versus solverent non longe a Capo Passaro a sex Barbarorum e Biserta majoribus Triremibus, (quas *Galliotti* vocant) ex improviso adortæ fuerunt, ex quibus duæ captæ, cum internecione multorum Equitum, cæteræ incompositæ, & male cohærentes vix fuga elapsæ.

Hinc fit, ut plerique omnes illuc iter facientes non nisi obscura nocte, & secundo vento hoc fretum trajiciant, ut ita Turcarum oculos fallant, & primo die sub Solis ortum insulam appellant. Abest a Syracusa (hodie *Saragoza*) Siciliæ olim Metropoli, teste Valerio *lib.* II. urbiumque Siciliæ principe Solino, CXII. mil. pass. quanquam Diodorus cognomento Siculus, patria Agyrinæus, centum circiter mil. pass. tantum faciat. Ab urbe Mamertana sive Messana (olim Zancla, nunc *Messina* dicta) CCXL. mil. pas. A Drepano urbe insigni, populo & navibus frequenti (hodie *Trapano*) CCXX. A Panormo regni capite, ac Regia sede (nunc *Palermo*) CCC. mil. p. Josephus Scaliger hanc insulam ponit in mari Adriatico his verbis: *Ergo Melite Pauli est in Siculo freto, in mari Adriatico, non in sinu Japygino*. Joh. Boterus: *Qualis in medio mari Libyco Malta est, quæ Regina supradictarum dici potest*. Henricus Pantaleon in *Hist.* sacræ Religionis Hierosolymit. *Est autem insula Melita in mari Africano sita, quæ sexaginta mill. pass. in Septentrionem a Sicilia distat*. Joachimus Vadianus in *Epitome trium partium orbis* ita disserit: *Melita naufragio Pauli notata fere medio pelago inter Lilybæum Siciliæ promontorium, & Cercinnam Africæ insulam, quæ sinui magnarum syrtium adjacet, ponitur cum oppido ejusdem nominis*. Geographus ille Nubiensis alias Arabs Christianus vulgo dictus in libro, cui titulum fecit, *Relaxatio animi curiosi*, hæc habet: *Est autem Kaulera* (hoc est Pantalarea) *munita puteis, rivulisque irrigua, olivetis consita, magna insuper caprarum sylvestrium copia refe ta*, &c. *ab hac Orientem versus, recta linea jacet Ghaudese, Gozo, centum mille passus ab ea dissita, in qua tutus adest portus: a Ghaudese perges ad quandam insulam nomine Kemmuna* (Comino) *& ab Orientali parte hujus insulæ*

habes Maltam insulam magnam, tutoque portu celebrem, inter quam & locum viciniorem Terræ SaKaliæ, quæ vocatur Acheronte, intercedunt octoginta mille passus. Munsterus in sua *Cosmographia universali* eam locat inter Siciliam & littus Africæ. Georgius Braun in opere, quod fecit *de civitatibus mundi*, eam vocat Clavem Europæ & Africæ: *Malta olim Melita, medio fere pelago inter Lilybæum Siciliæ promontorium & Cercinnam* (hodie *Cherchene*) *Africæ insulam tanquam clavis ponitur, qua in Siciliam & Africam patet introitus: quemadmodum autem Divo Paulo facto naufragio, ita & Hierosolymitanis Equitibus capta a Turcis Rhodo, hospitium præbuit.* Situs denique insulæ delitiosissimus est, ipsa terra plana & in colliculos subinde assurgens, tota exculta arboribusque consita, adeo ut quod olim Horatius de Baiis, hoc vere quoque de Malta affirmari possit:

Nullus in orbe locus Maltæ prælucet amœnæ.

CAP. III.

Melitam inter Europæ insulas recte referri.

SUNT nonnulli qui existimant, Melitam insulis Africæ esse omnino annumerandam, inter quos nostra ætate novissimus juxta & diligentissimus scriptor Religionis S. Johannis Hierosolymitanæ Jacobus Bosius agmen ducit, qui eam ponit in Africa sub provincia Numidiæ, ejusdemque sententiæ assectas laudat, Ptolomæum, Plinium, Melam, Strab. & quasi omnes Cosmographos & Geographos veteres, cum tamen qui penitius hos ipsos autores introspicit, vix tale quid in iis reperiet. Nam quod Plinium attinet, is certe *lib.* v. *cap.* vii. in enumeratione insularum quæ Africæ adjacent, Maltam non recenset, sed etiam in *cap.* viii. *lib.* vii. reponit inter eas, quæ Siciliæ proximiores sunt: ita & Paulus Orosius. *Attilius Consul Liparam Melitamque insulas Siciliæ nobiles pervagatus evertit.* Pomponius Mela de Sicilia tractans: *Circa Siciliam ait in Siculo freto est Ææa, quam Calypso habitasse dicitur, Africam versus Gaulos, Melita, Cossura.* Ubi per ea verba *Africam versus* tam in hoc, quam in cæteris omnibus autoribus omnino intelligi oportet, circa Siciliam, ad latus qua Africam respicit, & non quasi Melita sita sit ad Africam. Strabo mentionem hujus insulæ facit *l.* vi. ubi discursum incipit de Sicilia, postmodum Melitam pergit, & dehinc Calabriam & alias Italiæ provincias ordine perlustrat. Superest hisce tribus tempore posterior Ptolomæus, qui in tabula ii. Africæ *cap.* iii. *lib.* iv. post enumeratas civitates lateris meridionalis Africæ, tandem in insulas eidem adhærentes & vicinias incidit, in quarum numero Maltam non habet, sed postmodum aliis insulis in mari medio positis eam associat, quas interpres ipsius vocavit Pelagias: *Pelagiæ, Cosyra insula & civitas, Glauconis insula & civitas, Melita insula, in qua civitas Melitæ, & Chersonesus, & Junonis templum & Herculis.* Et diligenter notandum est, Ptolomæum totum illud mare quod Africam & Siciliam interlabitur Africanum vocare, ipso etiam latere meridionali Siciliæ a promontorio Lilybæo (hodie *Massala*) usque ad Pachynum, sive Caput Passarum, Africæ tanquam corpori inserto, adeo ut mirari non debeamus, si Maltam quoque Africæ includat, & eodem loco, quo partem Siciliæ habeat.

Simili errore laborant illi, qui putant Melitam ideo Africæ accensendam, quia mari Libyco circumfunditur, secundum illud Ovidii, *Fastorum* lib. iii.

Fertilis est Melite, sterilis vicina Cosyræ,
Insula, quam Libyci verberat unda freti.

A Nam etiam aliæ insulæ veluti Sicilia, Sardinia, &c. eodem mari lavantur, & tamen propterea Africæ annumerari minime solent. Merito igitur Europæ insulam Maltam facimus, cum aliis rationibus innixi, tum autoritate magnorum virorum; sic enim Commentator Valer. Maximi *de neglecta Religione* cap. xxiv. *Melita insula est in Siculo mari posita, non longe a Sicilia periculoso disjuncta mari*, ut testatur Plinius lib. iii. *nat. Hist.* sed melius Joh. Dominicus Feltrius in *discursu Cosmographico*: *Quænam sunt Insulæ circa Italiam? in mari Thusco sunt Elba, Procyta, Ischia; in mari Siculo insulæ Liparenses, Melita*, &c. a quo nec abit Hieronymus Girava B Tarraconensis, qui in *sua Cosmographia & Geographia* Melitam Italiæ insularum sociam facit: *Las Islas vezinas de la Italia son las sequientes: en el mar de Sicilia Malta, dicha Melita*, &c. Id est, *Insulæ Italiæ vicinæ sunt sequentes: in mari Siculo Malta, Melita dicta.* Quod idem asserit Johannes Nicolaus Doglioni in *Amphitheatro Europæ*, & alii: accedit, quod etiam illi qui Africam & Provinciam Numidiæ sic satis curiose descripserunt Melitam huc referre ne quidem per somnium cogitarunt. Ratio quæ pro hac opinione militat, talis afferri potest: quod insulæ ejus juris esse censeantur, & ad eam continentem omnino spectent, cui proximius adhærenti C jam stante trita hac Geographorum maxima, indubitato verum est, Melitam proximiori intervallo Italiæ seu Calabriæ (terra Europæ continens) quam Africæ accedere. Nam ab hujus viciniori promontorio (quod Mercurium olim, hodie *Alypia* dictum) cc. mill. pass. dirimitur; ab illius vero extrema parte, qua fretum angustius, cxc. mill. pass. tantum abesse, rei nauticæ gnarissimi testantur; imo si eorum sententiæ adstipulari placet, qui Siciliam ab Italia terræ motibus divulsam asserunt, inter quos post Veteres Melam, Plinium, Strabonem, Silium Ital. &c. Michael Villanova D *supra Tabulas Ptolomæi*: *Sicilia*, inquit, *quondam Brutio agro cohærens mox interfuso mari avulsa ad mille & quingentos fusi latitudinis passus*, &c. Fazellus *lib.* i. *cap.* iii. Tertul. *Apolog.* cap. XL. &c. Supradictum axioma magis obtinebit; nam tunc continens erit Sicilia (quam talem accipi debere, Ulpianus *l.* 95. *§.* 1. *de v. s.* tradit, cum modico saltem freto Italia dividatur) etiam ab ea Malta LX. amplius mill. pass. non recedet. Procopius lib. i. *rer. Vand.* autor gravissimus, qui pedem huic insulæ ipse intulit, & inde cum exercitu Imp. Justiniani sub auspiciis Bellisarii Ducis, ad debellandum Vandalos in Africam trajecit, ita loquitur: E *Velis celeriter sublatis, Gaulum & Melitam petierunt, quæ Adriaticum Tuscumque mare disterminant*: quasi dicere vellet, has insulas duo illa maria dividere, & ultimos limites iisdem ponere. Mare Adriaticum vero usque ad hanc insulam extendunt supra laudatus Scaliger, & Cluverius *Sic. Antiq.* lib. ii. cap. xvi. *Quippe ad finem operis de Italia ex compluribus idoneis probatisque autoribus demonstravi, Adriatici maris nomen non in Adriatico tantum sinu, qui vulgo nunc vocatur Golfo di Venezia, sed & extra eum ab hac nostra Melita ad Peloponnesum usque extensum fuisse.* Est igitur ultima terra Italiæ & clavis Europæ atque Africæ; Hinc Commendator F Cibo:

L'invitta dell'Italia ultima terra
Che parte il mar del bel Sicanio Regno
Fra gli Eroi, che del bianco e sacro segno
Adorni il sen, son fulmini di guerra.

Et Vincentius Littara in Melitæ laudes ita se effundit:

Insula parva situ, sed rebus maxima gestis
Africæ & Europæ ac Asiæ contermina Pauli
Hospes, & alborum procerum gratissima mater.

CAP. IV.

Melitam Insulam eam esse cujus meminit Lucas in Act. Apost. *c.*XXVII. & XXVIII. *quam ad Apostolus Paulus naufragium fecit.*

OCCASIONE Vincentii Littaræ ad finem præcedentis *Cap.* nobis citati, qui Melitam Pauli hospitem vocat, quæri nunc lubet, utrum hæc nostra eo nomine sit celebranda? Sunt enim qui aliam ejusdem nominis Epyro adjacentem, de qua *Cap.*1. diximus, hic intelligi audacter sustinent, quos & auctoritate Lucæ & apertissimis argumentis ab errore conatur revocare Fazellus decad. I. lib. I. cap. I. *de reb. Sic.* Primum enim, qui navalis artis peritia pollent, Euro spirante, e Cretæ portu (quem *Claudum* Ptolomæus vocat) inter Occidentem & Meridiem sito, neque Lesbon, neque Ioniam, neque Italiam sperari, sed necessario tempestatis imperio, Melitam hanc Siculam a Paulo peti debuisse constantissime ratiocinantur docentque. Deinde cum Melita solvens Syracusas, quæ ad Siciliæ oram est, pervenerit, qua recto cursu Messianam, quam petebat, navigatur; quis non videt, has Epyri ambages a tanti viri instituto fuisse alienissimas? Huc accedit quod cum Lucas natione Græcus, ac Paulus neque eruditionis, neque linguarum ignarus, hos Melitenses Barbaros appellent, verisimile non sit, quod si Epyri fuisset Melita (quæ Græca est) ad quam Paulus delatus est, barbariei eos notaturos fuisse, cum quibus & semet essent contaminaturi: Ad extremum, in Melita quæ Epyro vicina est, Paulo fanum nullum dicatum nullumque Pauli prorsus vestigium, ac ne memoria quidem ulla unquam fuit. Sed in Sicula hac nostra Melite, Paulum quid est quod non loquatur, sonet, celebret, adoret? Cathedrale urbis templum & quidem antiquissimum Paulo sacrum est. Portus ad quem appulit, Pauli adhuc titulo immortalis, ubi olim ædicula ei nuncupata fuit, quæ postmodum destructa, & a Magno Magistro Vignancourt in ejus locum templum pulcherrimum erectum est, pictura historiam naufragii repræsentante, & variis ornamentis instructissimum. Ad eundem quoque locum fons aquæ dulcis cernitur, quam beneficio Apostoli primum hic scaturire cœpisse vetus est traditio, veluti monumentum juxta positum declarat:

Hac sub rupe cava, quam cernis ad æquoris undas
Est hic exiguus fons salientis aquæ.
Relligione sacra fontem hunc venerare Viator,
Naufragus has dederit cum Tibi Paulus aquas.

Ad hæc præ mœnibus urbis specus est, Paulo sacer, eo nomine quod eum trimestri (quo in insulam divertit) ducta a majoribus per manus fama, ibi habitasse Melitenses prædicant, cui tamen Cluverius non assentitur *lib.* II. *cap.* XVI. f. 441. dum ait, maxime vero in oppido haud dubie per tres illos menses moratum fuisse, non in agris Centurionem cum militibus suis; nam in specu quæ haud procul urbis mœnibus (vulgo nunc dicitur *La Grotta di S. Paolo*, id est, *Crypta* seu *specus Divi Pauli*) trimestri eo spatio egisse Apostolum adfirmatu perquam absurdum esse, ceu carceres in urbe tam celebri fuissent nulli, quo Centurio vinctos suos abdere atque custodire potuisset, & si liberum sine vinculis Paulum habere voluisset, saltem sub conspectu suo in urbe habuisset, nisi & ipsum una cum militibus ac cœteris junctis in eadem specu tamdiu egisse, credere libeat. Ad prædictum specum insulani lapillos cædunt (linguas & oculos serpentum vocant) ad anguium exitiale virus ab humanis corporibus profligandum. Psylli namque his lapillis in tota ferme Europa morsus scorpionum & serpentum medentur: quin & in Melita hac insula scor-

A piones, qui alibi perniciosi sunt ac lethali veneno execrabiles, mansuescunt, lædendique naturam penitus deponunt, Pauli ut creditur munere, qui in hac insula a vipera morsibus acerrimis petitus, nihil damni passus est. Dubium ergo superesse nequit quin hæc ipsa proprie insula sit, ad quam Paulum naufragium fecisse Lucas in *Actis* scribit: modo videndum quo tempore, quanam anni parte, & quibus coss. illud ipsum contigerit: Communiter tradunt illud accidisse anno mundi MMMMXL. Christianæ salutis LIIX. ætatis Pauli LVII. sub secundo Consulatu Neronis & L. Calpurnii Pisonis. Baronius Tom. I. *ad an.* LVIII. num. CL. & CLI. Beda,
B Onuphrius Panvinius, in *Chronicis Ecclesiasticis*. S. Hieronymus annum post Christi ascensionem XXV. Pontificatus Petri XV. & Neronis III. suo calculo approbat. Paulum ex Melita die VI. mensis Julii profectum, vult Orosius; sed magis arridet sententia Hieronymi, quam Baronius laudat, mensem Majum ponentis: nam detractis tribus mensibus quibus in Malta substitit, appulsus ejus ad insulam commode in Februarium incidit, quo & mare impetuosius, frigus intensius, & denique imbres crebriores existunt, quibus incommodis Apostolum tum temporis afflictum fuisse Sacræ te-
C stantur Litteræ. Arator Diaconus vetustissimus Poeta Christianus, qui vixit sub Imperatore Justiniano, anno Salutis DL. natus, adventum & moram Pauli in hyemem refert:

Mensibus hybernis tribus in regione Melite,
Multiplicem dat Paulus opem.

Et postea;

Pullulat interea nitidi coma frondea Veris
Quo juvenescit humus, senio fugiente pruinæ,
Suscipiensque ratem, velis cedentibus Auster
Præbuit aligeras placidis in fluctibus undas.

Qui comites fuerint Paulo in hoc itinere & malorum juxta naufragiique socii Eminentiss. Card.
D Baron. innuit his verbis: *Et ex his unus Lucas, qui Acta consignavit, ut ex ejusdem scriptis quis facile colligit; Aristarchum Macedonem eidem navi inhæsisse idem affirmat; Trophimum etiam, qui Ephesio cum Paulo Hierosolymam venerat una cum aliis Paulum comitaturum, navem conscendisse.* Hic Trophimus ægra valetudine correptus, post Pauli discessum in Insula remanere necessum habuit, ut idem vult Baronius, contrariam eorum opinionem refutans, qui de Mileto hoc asserunt: *Dum Lucæ testimonio*, inquit, *demonstratum est Trophimum*
E *Ephesinum ex Asia secutum esse Paulum anno præterito Hierosolymam, ac proinde non potuisse ægrotum remansisse Mileti*, &c. Vid. Cornel. a Lapide *super Acta Apostolorum*, c. XXVII. & XXVIII. Idem Trophimus postea Galliarum Apostolus & Arelatensium Episcopus factus est, quod S. Zosimus Papa in *Epistola* quadam scriptum reliquit: uti in *Martyrologio Romano* videre est: *Ex ejus prædicationis fonte tota Gallia fidei rivulos accepit*, quam laudem Melitenses quoque ei tribuunt in quadam inscriptione in Templo Patr. S. Francisci in civitate nova Valetta, ubi in ipsius honorem & ac-
F cepti beneficii, Fidei a Paulo fundatæ, & ab ipso stabilitæ memoriam, Capellam erexerunt.

D. O. M.
DIVO TROPHIMO
Cum Paulo doctore gentium, Luca, Aristarcho, aliisque discipulis naufragio in Melitam ejecto
Iisdem recedentibus ob adversam valetuditem relicto
Ecclesiæ Milevitanæ Magistro mox Arelatensium Episcopo Galliarumque Apostolo
Fr. Jo. FRANCISCUS ABELA HIER. Ord. Vice-Cancellarius Hospiti patriæ inclyto ac patrono suo D.
Anno Domini MDCXXII.

CAP. V.

De ambitu, longitudine, & latitudine Melitæ.

MELITÆ insulæ ambitus est, LX. mill. pass. ejusque longitudo major quam latitudo, nam hæc ad summum XII. m. p. non excedit; illa vero ad XX. m.p. extenditur. Centrum ejus secundum Ptolomæum, est in gradus XXXIIX. & min. LXV. longitudinis; & in gradu XXXIV. & min. LX. latitud. & longior in ea dies XIV. horar. cum tertia parte, ut idem asserit. Sed diligentiori postmodum observatione deprehensum est, quantitatem diei XIV. horar. esse cum tribus quartis & media, elevationem Poli sive latitudinem in gradu XXXV. & minut. L. Tota ferme plana est, sed saxosa & ventis exposita. Hinc ingeniosissimus Italorum Poeta, Torquatus Tassus, *Gierusal. liberata*. Canz.XV. stanz.XVIII.

Tripoli appar sul' lido, en'contro a questa
Giace Malta fra l' onde occulta e bassa

Plures eosque tutissimos habet portus, quod testatur Diodorus Siculus: *Ob portuum commoditatem & in profundo mari situm*, &c. *quæ causa fuit, ut loci ejus habitatores mercatorum beneficio statim & opibus & nomine inclarescerent*. Item Dominicus Marius Niger in *sua Geographia*, ubi de Malta tractat; *Quæ & optimos portus habet, ex quo opibus aucta potens*, &c. *per id tempus fuit*. Præcipui sunt duo illi, quos Isthmus seu terra in mare excurrens (Italis *lingua di terra opunt* dicta) in qua civitas Valetta condita est, duobus ab utraque parte finibus artificiosissime efficit; quorum ille qui Orientem spectat, omnium capacissimus juxta & nobilissimus habetur in longitudine MDCCC. decempedas continens, ut testatur Franciscus Correggius, & in plures sinus & receptacula navium divisus, ab incolis lingua patria κατ' ἐξοχὴν vocatur *Marsa*, id est, *portus*, quod Arabico idiomate proprie sonat *anchoram*: apposite, quia in portu anchoris ut plurimum quam securissime utimur. In hoc portu & nominatim in sinu illo, qui Civitates Victoriosam & Sangleam discernit, stabulantur triremes, ad utriusque latera e regione urbis Novæ seu Valettæ, abs qua in eam partem continuo naviculis transcurritur. Alter, qui in Occidentem vergit, *Marsa Muscietto* appellatur, hoc est, *portus hyemalis*, seu ad hybernandum idoneus, in quo naves, quæ e locis propter pestem suspectis veniunt, LX. dierum moram facere coguntur, quod Itali *far la Quarantana o contumacia* communiter dicunt. Reliqui sunt: *Marsa S. Kalli*, *Marsa Sirocco*, *le Saline*, *la Cala*, *di S. Paolo & di S. Giorgio*, & alii minoris momenti, qui proprie portus non sunt, cum naves ibi tutam satis stationem non habeant. Est decorata hæc insula quatuor urbibus, quarum princeps est Civitas nova seu Valetta, a primo ejus fundatore sic dicta, ubi Magni Magistri sedes, & Castrum seu Ermi; altera urbs Victoriosa (communiter *il Borgo*) in qua castrum S. Angeli, tertia Senglea aut Insula S. Michaelis (vulgo *Isola*). Quarta civitas illa antiqua Malta ejusdem cum insula nominis, in centro fere posita, alias Civitas Notabilis nuncupata, duarum horarum itinere ab urbe Valetta distans, extra cujus mœnia quatuor amplissima monasteria videntur, Franciscan. Dominic. August. & Carmelitarum. Habet præterea VIII. Parochias seu oppida (*Casali Maggiori*) Nassava, Zurigo, S. Catharina, Sigeo, Sebucio, Melestu, Curmi & Belcavara, sub quibus omnes pagi & vici (*Casali minori*) continentur. In hac insula duo veteris superstitionis erant templa famosissima Junoni, & Herculi dicata. Ciceroni, Straboni, & Ptolomæo Junonis templum ad promontorium ad Orientem, non longe ab urbe si-

A tum erat: in eo trophæa plurima, dentesque eburnei miræ magnitudinis erant: quos eo Massinissa ex Numidia a classis illius præfecto antea inde sublatos, religione ductus quinqueremi reportandos curavit; de quo apud Ciceronem in *Verrina* IV. hæc leguntur*: *Ab oppido non longe in promontorio fanum est Junonis antiquum, quod tanta religione semper fuit, ut non modo illis Punicis bellis, quæ in his fere locis navali copia gesta atque versata sunt, sed etiam in hac prædonum multitudine semper inviolatum sanctumque fuerit: quin etiam hoc memoriæ proditum est, classe quondam Massinissæ Regis*
B *ad eum locum adpulsa, præfectum regium dentes eburneos incredibili magnitudine e fano sustulisse, & eos in Africam portasse, Massinissæque donasse. Regem quidem primo delectatum esse munere, post ubi audisset, unde essent, statim certos homines in quinqueremi misisse, qui eos dentes reportarent, itaque in his scriptum litteris Punicis fuit, Regem Massinissam imprudentem accepisse: re cognita reportandos restituendosque curasse;* eandem rem Valerius Maximus refert *lib.* I. *cap.* I. Cicero prædictis hæc subtexit: *Erat prætrea magna vis eboris, multa ornamenta, in quibus eburneæ victoriæ antiquo opere, ac summa arte perfectæ*. Et commemoratis rebus
C suprascriptis quæ in Junonis fano dicatæ erant, de Verre Siciliæ Prætore addit: *Hæc iste omnia uno impetu atque uno nuncio per Servos Venereos, quos ejus rei causa miserat, tollenda atque absportanda curavit*. Hinc etiam inter Legatos Provinciæ Siciliæ, qui Romam venerunt, ut C. Verrem repetundarum reum, Cicerone Actore, postularent, Melitensium quoque venerunt Legati: unde illud Ciceronis *eod. loco* paulo post: *Dicunt Legati Melitenses, publice spoliatum templum esse Junonis, nihil in religiosissimo fano reliquisse, quem in locum classes hostium sæpe accesserint, ubi piratæ fere quotannis hyemare soleant, quod neque prædo*
D *violarit ante, neque hostis attigerit, id ab uno isto sic spoliatum esse, ut nihil omnino sit relictum*. Hujus templi inter arcem & suburbium ex quadratis lapidibus, eisque ingentibus, in hæc usque tempora non aspernandæ promanant reliquiæ, inquit Fazellus, quod & Quintinus asserit his verbis: *Junonis templum, non solum inter magna, sed etiam inter magnifica numerari potuisse arbitror, ex his quæ pauca durant, medio fere loco inter oppidum & castellum, ruina sparsa apparet in multa jugera fundamentis & substructionibus templi, bonam portus ejus partem occupantibus longe etiam in mari, in quo inædificatum erat infra clivum promontorii in planitie,*
E *undique a ventis & præaltis rupibus defensa*. Hæc Quintinus anno MDXXXVI. scripsit, & ita adhuc ea rudera vidisse potuit; sed hodie plane nullum eorum apparet vestigium, portu illo antiquo, in quo inædificatum erat, plane in aliam formam mutato. Alterum Melitæ templum Herculi sacrum ad Meridiem erat, in ea insulæ parte metatum, quam nunc patria lingua portum *Euri* Melitenses vocant, cujus meminit Ptolomæus: *Melita insula, in qua Melita oppidum, & peninsula, & Junonis templum, & Herculis fanum*. Quintinus etiam in *desc. Melitæ*: *Herculani templi immensæ adhuc reliquiæ*
F *patent, circuitu in passus* MMM. *& ultra, in eo insulæ angulo, quem ab argumento loci, patria lingua Euri portum nominant*. Ima pars exstat in plerisque lapidum longitudinis, crassitudinisque stupendæ. Sed quis temere crediderit unum templum tria amplius millia passuum occupasse! ut cum Cluverio loquamur, qui ob hunc errorem tam manifestum dictum Quintinum justissime reprehendit. Herculem autem illum fuisse, quem Tyrium vocatum, Phœnices summis honoribus coluerunt, ex historiarum monumentis

indubitate colligitur: Nam Phœnices ea tempestate Melitam tenuisse, doctorum constans est autoritas: quibus addi potest Cluverius, qui *lib.*11. *cap.*XVII. de erroribus Ulyssis ita loquitur: *Phœnices sub Trojanam expeditionem, id est, ante Solonem annis ferme* DC. *coolonias in Africam, Siciliam, Sardiniam, Melitam, Hispaniam atque Gadeis deduxisse superiori capite, & item lib.*1. *cap.*11. *intelleximus*. Ergo cum ratione creditur, Phœnices qui tunc temporis Insulam Melitam insedebant, honori Herculis ceu patrii Numinis templum hic dedicasse, quod in summa postea veneratione apud incolas fuerit. De hoc Hercule Tyrio vide Diodorum Sicul. *lib.* XX. & Curtium *lib.* IV. ubi de obsidione Tyri loquitur. Græcis fuit appellatus Alexicacos; Gregorius Gyraldus lib. *de Diis gentium* Syntagm. X. Alexicacos vero Hercules, hoc est, *expellens mala*, ut interpretatur Macrobius, post Apollinem etiam dictus, de hoc ita Lactantius lib.X. *Divin. Instit.* contra Hierodem, ut puto de Apollonio loquens: stultum est igitur id putare Apollonium noluisse, quod optaret utique si posset, quia nemo est qui immortalitatem recuset, & maxime cum eum dicas & adoratum esse a quibusdam sicut Deum, & simulacrum ejus sub Herculis Alexicaci nomine constitutum ab Ephesiis, etiam nunc honorari. Sed & Herculis Alexicaci Hesychius meminit; qui in Melita coleretur, unde etiam vocabatur ΜΕΛΙΤΙΣ, id est, *Melitensis*, de quo ita Bosius *Hist.* part. III. lib. V. fol.91. *E doru quel vano e immaginario Iddio con somma veneratione era adorato non solamente da Malthesi, ma dall'altre Nationi, liquali da lontanissimi paesi partendosi, ivi in pelegrinaggio andavano, quivi i voti loro con molto devozione, o per meglio dire superstizioni sciogliendo: il che particolarmente facevano i Greci, i quali chiamar solevano quell'Idolo Alexicacos, ciò è, discacciator de mali*. Hodie dicti templi monumenta admiratione dignissima adhuc supersunt apud portum (quam *Marsa Sirocco* vocant) ad Ecclesiam ibi vicinam S. Georgio Sacram; sicut & vetustissima ejusdem Herculis statua ex nobilissimo marmore raræ admodum & excellentis sculpturæ opus, in Antiquario Joh. Francisci Abelæ in gratiam studiosorum antiquitatis curiosissime asservatur. Ipsa nunc Melita B. Virgini Mariæ, divisque Joh. Baptistæ & Paulo Apostolo insulæ Tutelaribus sacra est, Episcopatu insignis & S. Religione Ord. Joh. Equitum toto terrarum orbe celeberrima, imo ut laudes ejus compendifaciam, vere propugnaculum Christianitatis audit, quia in sensissimis Christiani nominis hostibus aciem ob vertit, & Siciliæ Italiæque littora ab eorum impetu defendit: Corona maris, cum insularum inter Africam & Asiam sit princeps: Regia Neptuni, quia maris dominium possidet: Academia armorum, quod armis gloriam parere discat: Theatrum Fortitudinis, dum viros fortes egregiisque facinoribus formidabiles efficit: Terror Africæ & Asiæ, quippe illam vicinitatis metu factisque domat; hanc solo nomine famaque torquet. Asylum Europæ, a quo omnium regnorum dependet securitas, denique quod in præcipuis ponendum: AUREUM NOBILITATIS JUBAR. Nam ubi terrarum quæso tam frequens generosa juventus? ubi splendidiora illustrium familiarum sidera? Huc plerique fere omnes, *quibus*

De meliore luto finxit præcordia Titan,

ex toto fere orbe concurrunt ad augmentandam avorum gloriam, & consequendam propriam virtutis laudem: huc velut ad petendum vellus aureum non sine periculo dirigitur velificatio, quod sanguine & magno labore tandem partum præmio dignissimis obvenit. Hic Gallia & Hispania, hic

A Germania, aliaque Europæ regna suos Martis alumnos educant, postea tam sago quam toga Reipublicæ sibique utiles; de quibus alibi fusius dicendi erit locus, quando de sacri Ordinis Hierosolymitani Equitum adventu in hanc insulam, legibus & institutis, aliisque rebus ad accuratam ejus Religionis (uti vocatur) cognitionem pertinentibus, cum bono Deo instituetur tractatio: illud nunc tantum hic addere lubet: insulam hanc NOTABILEM vocari titulo ab Alfonso Rege Arragoniæ primum concesso, qui ipse eam *Gioiello eccellente, e membro segnalato e singolarissimo della regia corona*. Ac alibi, *Jocale Notabile & insigne* B *coronæ regiæ*, in suis literis sæpius appellat, ex quo tempore postmodum semper illud nomen retinuit.

CAP. VI.

De Ubertate Melitæ.

AD bonitatem alicujus provinciæ præcipue requiri cœli clementiam, soli fertilitatem, & aquarum salubrium copiam constans doctorum est autoritas, quibus beneficiis Maltam inprimis ab Autore naturæ locupletatam esse, nulli de- C bet esse ambiguum. Nam quantum aeris temperie polleat, quotidie affatim testantur tot cana in ea capita, quæ plerumque ad octogesimum & non raro ad centesimum annum ætatem producunt. Unde Henricus Pantaleon: *plerosque senectus octoginta annorum, non morbus dissolvit*. Ipsa quoque terra fructuum omni ferme genere exuberat, quam tandem ei tribuit Ovidius *Fastor.*III.

Fertilis est Melite sterili vicina Cosyræ
Insula — —

& hinc Cornelius a Lapide ita de ea scribit: *Altera est vicina Siciliæ vulgo Malta dicta, ea hic intelligi-* D *tur, quæ cœlo est clemente, aquis salubribus, agro benigno & frugifero, a bonitate mellis laudata, indeque Melita, ut videtur, appellata*. Johannes Quintinus in *descriptione ejusdem*, experientia & visu edoctus idem confirmat his verbis: *Octo a vico millibus in mediterraneo civitas est*, &c. *salubri cœlo, sicuti tota insula, iis præsertim qui jam diutinæ mansionis consuetudine illi assueverunt, fontibus rigua est, hortis consita, palmas, sed steriles nec sponte genitas, ferentibus, oleasque ac vites (uvis tamen quam vino meliores) & cum reliquo pomorum genere ficus, breviter eosdem quos & Italia fructus producit*. Idem ille magnopere laudat rosas, quas hæc tellus profert, E Neapolitanis & Capuanis bonitate non inferiores, odoris suavissimi, & gratissimi saporis, inprimis ea quæ ruderatum agrum amat, proprieque Melitensis dicitur; hinc Paulus Æmilius Santorius: *Apparatur lautum convivium, splendidissimæ epulæ, optima vina, thorus mollissimus inter odores, & sarta Melitensi, aut Paestana* (Paestum civitas in sinu Agropolitano aut Salernitano) *rosa pulvinaria, interque lintea tenuissimi lini sternitur*. Mellis etiam nobilissimi proventu clarissima est, unde etiam nomen traxisse laudatus sæpe Quintinus statuit: *Quare fiunt optima & hoc tractu mella, ut quæ sunt* F *thymi violarumque florumque apibus & alveariis convenientium condita, sic ut nomen traxisse videri possit insula ipso nomine mellis gloriam statim præferens*. Certe suavitate hoc ipsum non cedit Hyblæo Siciliæ poetis celebratissimo: nam & iisdem florum nutrimentis conficitur, quos apes pro confingenda cera libenter sectantur: hinc & Cicero ejusdem bonitatem laudare deprehenditur, in oratione *contra Verrem*: *Jam non quæro unde* CCCC. *amphoras mellis habueris*, &c. *mitto de melle, sed tantum, ne Melitensium?* Quam deinde probatissimi

gossypii (vulgo *Cotone*) fœcunditate excellat hæc insula, Quininus quoque testatum facit: *Huic pariter insulæ Coton familiare, unde magni proventus insulanis.* Hoc olim aliqui Gossypion vocavere, pluresque Xylina, inquit Plinius, Ægypto tantum nascens dum is autor vixit, nunc in Sicilia, Calabria, Hispania, & aliis locis pluribus seritur: verum Melitense maxime horum laudatur, alterius enim nationis crassius est. Et quia hanc plantam dictus autor vivis coloribus depingit, in gratiam curiosorum ejusdem descriptionem hic addere non abs re visum fuit: Ita enim de ea loquitur: *Speciem ejus non tradunt autores, quos equidem legerim, prolixius itaque depingam, præsertim quia est admirabile nostratibus aliquid ex arbore nasci quod tam molle & laneum ab exotico aliquo animante detonsum putant. Frutex est arbusculi modo pedali magnitudine, caulo lignoso, a quo rami terni quaternive fructificant, folia ni minora essent, vitium poterant videri, flos subcœruleus, fructum defert amplitudine avellanæ nucis, qui maturitate ruptus, praeduras pilas ostendit, tenui lanugine obductus, ex qua Coton netur in textrinis mira depectendi arte, ex quo & mapalia, & vestes hic muliebres conficiuntur, ut jam nobis laniferæ Indorum arbores Gossam pin eque vestes miraculo esse non debeant. Ad vela navium, etiam perutile & multum expetitum.* Hucusque Quintinus, ad cujus mentem Cluverius accedit: *Fallitur non modice dum Plinii ævo in una Ægypto id natum tradit. Quin hoc idem est illud ex quo ante Plinium jam Diodori atque Ciceronis temporibus vestes illæ Melitenses fiebant, subtilitatis ac mollitiei mirandæ, & ante Ciceronem Lucretii quoque tempestate, qui ita de his vestibus:*

Interdum in pallam & Melitensia, Ceaque vertant
Eximia veste ——

Et Silius Italicus:

Hadrunum Ergentumque simul, telaque superba
Lanigera Melite ——

De subtilitate & mollitie harum vestium Diodorus Siculus, ubi de Melita loquitur: *Ejus incolæ fortunati existimantur, quoniam & varii generis exercent artes, & optime faciunt lineas telas cum tenuitate, tum mollitie spectatas.* Et Cicero IV. *in Verrem*: *Insula est Melita, in qua est eodem nomine oppidum, quo iste nunquam accessit* (de Verre ipsi sermo est) *quod tamen isti textrinum per triennium ad muliebrem vestem conficiendam fuit.* Et alibi: *Dico te maximum pondus auri, argenti, eboris, purpuræ plurimam vestem Melitensem Syracusis exportasse.* Hesychius & Favorinus: *Melitensia dicuntur lintea quadam præstantia ex Melita Insula*, &c. Imo etiamnum hac tempestate talia lintea ibi texuntur, inprimis vero ex gossypio tibialia affabre facta invenies (*calzette di Cottone*) quæ si sericis mollitie & tenuitate non superiora, certe paria habentur.

Quod aquarum copiam attinet, quæ hanc insulam irrigant, præcipue in ea parte, ubi horti excoluntur, miraculi instar & incredibilis illarum abundantia; nam etsi insula in ambitu pass. mill. LX. non excedat, & tota fere saxea, plana ac humilis existat, in medio mari posita: nihilominus ita dulcissimis juxta & ad bibendum utilissimis aquis scatet, ut ultra plures rivulos & scaturigines amplius LXXX. fontium superbis machinis triumphet; Fazellus *lib.* I. *c.* I. *dec.* I. Qua Aquilonem spectat, omnino aquarum est indigna; qua vero Occidentem, aquis irrigua, & domesticarum arborum ferax. Ab altera parte, ubi aquarum inopia magis laborat, provida natura damnum illud alio lucro resarcivit, dum e mari per occulta terræ viscera aquam immittit, quæ postmodum certos subterraneos meatus & loca cavernosa perambulans,

A salsedinem paulatim perdit, & ita humanis usibus inservire commode assuescit. Hujus rei fidem nobis facit P. Hieronymus Manduca, Melitensis, ubi ita de sua patria discurrit: *Pars ad occidentem obversa aquarum copia magis abundat quam reliqua insula, crebrisque fontibus manat.* Existimavit antiquitas tantam aquæ vim ingentem in speluncam, quæ a Divi Pauli portu modicis distat intervallis, e mari acceptam occultis meatibus perlabi quasi fistulis, donec expurgata marini liquoris salsedine in fontes erumpat atque dimanet; experientia enim annis ab hinc septuaginta (scripsit hoc anno MDXCVIII.) rem comprobatam esse accepimus in
B umbilico insulæ non longe ab oppido, sub terra maximam aquæ vim fluere, eamque ut dicitur fontium caput esse cœterorum.

Catulos Melitenses in summo pretio apud Antiquos fuisse Strabo nos docet his verbis: *Ante Pachynum jacet Melita, unde catuli sunt, quos Melitenses vocant.* Et Hesychius quoque idem innuit dicens: *Melitensis catellus parvus.* Cluverius id testatur *Sicul. Antiq.* lib. II. cap. XVI. *Melitæi catuli dicuntur inde, quod in Melita Insula Italiæ vicina gignantur.* Cum quo facit Suidas, & Favorinus: *Melitæi catuli, canum quippe alii sunt venatici, alii*
C *qui una cum animantibus progrediuntur, alii qui domi custodiam pecudum agunt, alii sunt ad oblectationem, ut Melitæi Catuli*, &c. *qui voluptatis seu animi causa aluntur.* Fazellus *decad.* I. *lib.* I. *cap.* I. de eadem differit in hunc modum: *Parvulos canes subalbos & pilis longioribus ad hominum delicias Melita gignit, ut Aristot. in Problemat. & Strabo referunt.* Plinius tamen alteri Melitæ contra Epyrum sitæ insulæ eos attribuit. Certum autem est, eam catellorum progeniem hodie fere extinctam esse, in ejusque locum nunc successisse canes venaticos, propter cuniculorum capturam, in Galliis multum expetitos.

D Equos etiam hæc insula educat admodum generosos, & velocitate cursus præstantissimos, haut absimiles illis, quos in Italia *Barbaros* vocant, quam ob causam in magno æstimio sunt apud exteros, a quibus ad fœturam exportantur, sicut & cœtera jumenta, quæ nescio quid præ aliis ferocitatis præ se ferant.

Cumini quoque fœcunditate celebrem esse inter alias testatur Fazellus *Decad.* I. *lib.* I. *cap.* I. his verbis: *Sed tota ipsa insula frumenti, lini, leuconii & cumini fœcunditate pollet, quod herbæ genus divite proventu varium producit; unum dulce, suavis & grati odoris, Medicinæ & Tincturæ inserviens;*
E *alterum acrius*: De quo ita Quintinus: *Melita Cuminum notam herbam medicinis & condimentis quod & crustæ panis inspergitur gratissime, solo gracili gaudet. Duo autem ejus genera sunt: unum est magna gustus acrimonia, alterum per omnia refert anethum, & anisum, sativum utrumque Cumino Africo, quale hoc nostrum palma semper data, unde incolis magnum cumini atque cotoni cum exteris nationibus commercium.*

Ipsa terra cultu facilis nec Laboratoribus operosa sua sponte semina recipit, multiplici fœnore mox messem redditura. Et sane mirandum, eandem nunquam quiescere, sed continuo in ea aliquid seri & meti. Sicut enim arbores duabus anni
F vicibus liberalissime fructus producunt, ita quoque ipsa terra duplici proventu beat agricolas. Nam post hordei messem gossypium terræ committitur, & de novo deinde ad hordeum aut aliud quippiam reditur, quod Quintino nemo melius exprimit: *Biferæ, inquit, arbores, bine messes: demesso enim hordeo mox cotonum succedit, vel hordeum cotono, adeo terra non cessat parere, idque si sit aptum solum magna fœcunditate.*

E modio siquidem sexdecim & plures nonnunquam modii redduntur, plerumque autem & cum decimo ac duodecimo fœnore totius insulæ campi frondent. Ob id credo ab Ovidio fertilitatis titulo decoratur Melite: terreni autem qualitas diversa est, nam aut saxosum, aut planum, aut vallosum existit. In saxeo animalia pascuntur, utpote graminibus & herbis ad nutrimentum pecorum sic satis abundanti, in quo etiam arbusta & stirpes colliguntur, quibus lignorum defectus ex parte suppletur, quanquam & huic rei alio remedio nuper succurri cœptum, nova plane inventione, qua ad fornacium publicarum calefactionem *alga* notissima maris herba, quæ copiose ad littus ejicitur, lignorum vicem sustinet. Planities ad frumenti sationem apta est, sicuti valles ad hortorum culturam accommodatissimæ: nam cum insula propter humilitatem situs ventis maximis sit exposita, provida rerum natura hic ab eorum impetu arboribus patrocinium præstat, aquarum insuper abundantiam optatumque alimentum liberalissime iis subministrans.

Generatur quoque in hac insula Glastum, Hispanis *Anil*, Arab. & Melitensibus *Ennir* dictum, tincturæ species toti Europæ jam notissima & usitatissima herba, e qua fit; non absimilis est ciceri foliis ad modum senæ, sed paulo brevioribus & latioribus ramusculis lignosis instar genistæ, caulis raro ad proceritatem ulnæ assurgit, & tertio quoque anno vix pollicis crassitiem assumit, flos jacceæ flori haut dissimilis est. Semen fœni Græci semini nonnihil accedit utrinque compressum, & veluti præcisum, quod Novembri mense colligitur, feritur vero mense Junio, herba semel sata triennium durat, & sub fine mensis Septembris aut initio Octobris, quum pluviæ cessant, secatur. Primo anno planta adhuc tenera est, & Glastum quod ex illo conficitur, imperfectum est, rubicundo colore, & ponderosum, ita ut aquæ injectum fundum petat, & subsidat, id vocatur *Nouti*, sive *Mouti*: secundo anno absolutum est leve, & violacei coloris, aquæque inditum supernatat: id peculiari nomine vocant *Cyerce*, sive *Ziarie*: tertio anno rursus declinat a perfectione, estque grave & nigri coloris, omniumque vilissimum appellant *Cateld*.

Glastum vero ipsum in hunc modum conficitur: plantam sectam conjiciunt in oblongam cisternam ad id paratam, & multis saxis superinjectis deprimunt atque diluunt, & operiunt plurima lympha, ita compressa, & aqua cooperta relinquitur ad aliquot dies, donec aqua colorem & substantiam omnem herbæ extraxerit, & imbiberit, tunc aquam hanc in rotundam cisternam, in cujus fundo alia minor itidem articularis structa est, emittunt: bacillis valde eandem agitant, & liquidam sensim despumant, atque id tantisper donec aqua omnis despumetur & feces atque crassior substantia in fundo subsidant, hanc exemptam super pannos extendunt & siccant ad solem; ubi autem jam paululum indurari cœpit, in orbiculos aut laminas aut pastillos cogunt, & super arenam porro indurandam projiciunt: nam omnis alia materies colorem ebiberet & vitiaret, si pluvia inopinato ingruat, perit color & splendor glasto, & hinc ab ipsis *Aaliad* appellatur. Præstantissimæ glasti notæ sunt, siccitas, levitas, ita ut aquæ innatet, violaceus color & splendor coram sole, & si prunis ardentibus impositum violaceum fumum edat, & quam paucissimos cineres post se relinquat. Utile quod iis accedit, qui glastum hoc (*Indaco* vulgo) conficiendi notitia & experientia pollent, cum haut sit parvi momenti, evenit, ut artem illam paucis communicent, timentes, ne per ejus divulgationem lucrum omne ipsis decedat; uti plerumque fit in iis rebus quæ a raritate pretium inveniunt.

Jam porro nec ipsæ rupes hic sterilitate horrescunt, sed in iis (præcipue quæ Septentrionem spectant) gummi aliquod reperitur, in modum lachrymarum e duro saxo profluens (incolis *Vercella* dictum) quod instrumento ferreo inde avulsum, certoque alio liquore madefactum tincturæ coloris xerampelini (*di rosa secca*) inservit, quo Insulani pannos & tapeta (quæ *Farde* vocant) inprimis exornant; nec minus eædem venarum fodinarumque sunt feraces, tum marmoris, tum ferri, de quo inter alios Joh. Textor tale perhibet testimonium: *Malta quoque Siciliæ insula constantes habet ferri fodinas*. Et Raphael Volaterranus: *Sed & ferrum quod ostenti loco conflatum in statuam a Glauco Chio Pausanias memorat, cœperunt proximis annis apud Melitam Siciliæ insulam, quæ nunc Malta dicitur, ubi & cotonum nascitur, rursum conflare. Id ostendit captivus, & nobilis Turca in fornacibus follibus* XXXIV. *horarum spatio excisis pulvere quodam adhibito, quod factum Anno Christi* MCCCCLX.

Marmor locus aliquis, *Zoncol* dictus, IIX. m. p. ab urbe Melita dissitus, & Afficli Victoriosæ proximus, etsi non in magna copia, sufficienter tamen subministrat, sicuti & in eodem tractu alia fodina est saxi durissimi, ex quo lapides molinares efformantur; imo circa ipsam urbem, Insulæ principem, petræ exciduntur ad ædificationem utilissimæ, quæ & ferro, & limæ non multum resistunt: id quod habitatoribus valde commodum accidit. Nam cum lignorum inopia laborent, lapidibus omnia ædificia nullo fere sumptu exstruunt; quin ad munimenta immane quantum compendii quoque afferunt, quippe propugnacula & omnes circumvallationes e solido saxo constant, ipsius loci natura non difficulter in quamlibet formam transeunte.

Jam quid memorem linguas serpentum colore cineritio quæ in ipsis scopulis crescunt? quid oculos colore luteo qui annulis gemmæ instar inseruntur, tam ornamenti, quam occultæ virtutis contra venenum? hæc duo certe auro contra cara apud exteros habentur, & plane thesauri loco: nam non solum serpentum aliorumque venenatorum animalium morsus mederi, sed & febres malignas aliasque similes infirmitates a corpore humano prohibere, post alios testatum fecit Cornelius a Lapide. Hinc & Bosius hanc terram medicinalem Melitæ famosissimæ Lemniæ (*terra sigillata* vulgo dicta) omnino præfert. Hi ipsi autem oculi & linguæ, quæ a serpentibus nomen habent, vulgo creduntur exinde natæ, quod cum Apostolus Melitæ sarmenta in ignem conjiceret, vipera manui adhærescente, omne id genus reptilium maledixerit, ex quo subito serpentes cum veneno vitam postmodum deposuerunt, Deo Opt. Max. linguis & oculis lapsu temporis petrefactis occultam hanc contra venenum virtutem, beneficio Pauli attribuente, eamque ob causam etiamnum hodie nulla in tota hac insula venenata animalia reperiri, imo si quæ forte importentur, statim venenum & lædendi naturam perdere, quod tamen pie potius credere, quam tuto affirmare ausim. Illud certum, non solum oculos & linguas hic inveniri, ut diximus, sed etiam dentes, mammillas, & capita veris illis serpentum membris simillima, quæ in ipsis rupibus veluti in quodam seminario succrescunt, cum adultiori ætate majus quoque incrementum recipientia. Virtutes horum lapillorum Gallica lingua impressæ passim circumferuntur, quas hic curiositatis ergo apponere visum fuit.

Ver-

Vertus admirables de la Pierre de St. Paul, & des langues & yeux de Serpents très-precieux, qui se trouvent en l'Isle de Malte.

Cette pierre appelle'e Pierre de St. Paul, se trouve en la très-noble Isle de Malte, en la mesme caverne de St. Paul deux lieues loing de la ville neufue, estant de couleur fort blanche, & d'ycelle se forment, images, medailles, vases, & autres choses. II. *Les langues sont de coleur de cendre, & les yeux de serpents sont oranges: on les troùve par ous les lieux de l'Isle, ainsi formez naturellement, lesquels representent le très-grand miracle fait par le glorieux Apostre St. Paul, lors qu'il prescha trois mois en la dite Isle, & la convertit a la foy de Nostre Seigneur Jesus Christ, & depouilla de venir touts les Serpens qui y estoient, les rendant mansuets & inhabiles à offencer, comme s'ils fussent estè des pierres, privilegiant les pierres en le mesme terre de plusieurs graces.* III. *Les vertus de la pierre, yeux, & langues susdits, font de très-grandes merueilles, puisq'ils servent contre toute sorte de venin & morsure d'animaux venineux, non seulement pour se preserver, mais encor servent de remede efficace à une personne empoisone'e, mordue ou picque'e par quelque animal venineux.* IV. *Servent encor en plusieurs autres infirmites, comme continuellement s'en voit l'experiencе en l'Isle de Malte & ailleurs, selon la particuliere devotion de ceux qui en usent, se recommendant devotement à nostre Seigneur, & audit Apostre S. Paul, à intercession duquel furent par sa Divine Majestè done'es de ces graces.* V. *La maniere de se servir des dits yeux est, qu'on les doit porter au doigt, estant enchassez en anneaux comme pierres precieuses, en maniere qu'ils touchent la chair.* VI. *Faut porter les dites langues attache'es au col, ou au bras, ou boire de l'eau, ou du vin, ou quelque autre liqueur, là où sera estè detrempè un peu de la susdite pierre blanche, ou bien là aù il aura estè mis en infusion un des dits yeux, ou langues, ou boire de l'eau, qui aura estè dans un vase fait de la dite pierre. A Malte, par permission des Superieurs* MDCLIV.

Fructus quos Melita profert extremæ sunt bonitatis, adeo ut quod Solinus de Sicilia scripsit, hic vere dici possit: *Omnia quæ in ea gignuntur, sive soli natura, sive hominum ingenio proxima esse iis, quæ optima judicantur:* imo reapse hæc ipsa sunt optima, cum propter pulchritudinem grossitiemque, tum propter salubritatem exquisitissimumque saporem; nam cum alibi nimius fructuum esus facile noceat, hic nullum omnino damnum affert, ac ne nauseam quidem parit, quam ob causam Romam & Gallias transmitti non raro solent.

Falcones quoque sacri & peregrini volatilium hostes, Nisi, Accipitres, & plures ejus generis aves rapaces (statis anni temporibus) aliunde (id est, Africa & Europa) advolantes singulari artificio hic capiuntur, quorum insigniores aliquot quotannis Regi Catholico dono offerri, vetusti moris est. Præterea & leporum cuniculorumque venatu ac perdicum, attaginum (quas *Francolinas* vulgo appellant) coturnicum, turdorum, ficedularum, similiumque volatilium aucupio est insignis. Domesticis etiam avibus, ut Danitris, columbis, gallinis, abundat, in primis majoribus illis ex India (Meleagrides dictæ) quæ magna copia gregatim hic pascuntur, vili pretio venales.

Agnorum quoque & vitulorum aliorumque quadrupedum carnes hic saporitissimæ sunt in tantum, ut quæ Siculorum animalia importantur, bonitatis Melitensium facile cedant, inprimis si statim occidantur, herbis hujus insulæ non prius innutrita.

Piscatu quoque Melita præstat: nam mare hic omnium piscium genere benignissimum, & Thynnorum, (*Tonni*) mullorum, murænarum, ostrearum, testudinum majorum (*Taratuga* Italis, *Schiltkrote*) copia nobile. Conchyliorum quoque miræ species hic inveniuntur: inprimis autem illud hic admiratione dignum est, petras talibus conchyliis (quæ *dattili*, & *Cappe* vocant) intus plenas esse, singulari hac virtute saxis indita, ut in mare projecta modico temporis spatio hujusmodi conchyliorum genere fœcundentur, & postea fracta & contusa uberem, & hominibus salutarem partum emittant (idem quoque Anconæ in mari Adriatico accidit) sed magis rarum & insolens est in mediterraneo quoque, idest, penitissima parte Insulæ lapides inveniri conchyliis talibus refertos, quanquam sint, qui hæc talia sicut & fungos, equulos, & echinos marinos, insectaque, pinnas & ossa piscium, &c. petrefacta in saxis latentia tempore Diluvii huc transportata, & postea decrescentibus aquis in sicco relicta scopulorum, quibus inhærent, naturam duritiemque induisse, omnino existiment. Elegantissima & curiosa admodum conchyliorum species est *Naccare* insulanis dicta, longitudine vix palmum superans, & instar delicatissimæ setæ colore capillitio materiam ad latus habens, quæ amygdalium oleo madefacta & auriculæ inserta, aurium dolori præsentem præstat medicinam. Sal etiam e mari sponte progignitur, spuma in extremis littoribus ac scopulis relicta: vel industria humana aquis marinis in scrobem congestis, & ad solem aliquamdiu siccatis. Corallium quoque plantæ marinæ genus hic laudatissimum invenitur, quod sub aquis herbescit, extractum deinde durescit in lapidem purpurei coloris, oculis gratissimum.

Hæc ita de ubertate Melitæ dixisse sufficiat, quæ omnia Boterus verborum brevi compendio complectens in hunc modum enumerat: *Ha il terreno quasi tutto sassoso; ma la pietra e tenera, e di facile lavoratura, la terra s'inalza sulla pietra duo o quattro palmi, le cose, ch' ella produce, vi nascono in tutta eccellenza, come il Cottone, i frutti, i fiori, e massimamente le rose. I Greci la chiamano Melita dal miele, produce pecore, capre, buoi, asini, muli, conigli, e pernici in copia. Vi si fa anche Sale, in un luogho che si chiama le Saline.*

Verum quanquam hæc insula rebus omnibus ad mortalium alimoniam necessariis pro sua magnitudine sic satis abundet, tamen ob ingentem incolarum numerum sibimetipsi non sufficit, sed quam maxime aliena ope indiget. Imprimis autem (quod in victu præcipuum) frumenti & vini insufficientia laborat: nam grana quæ ipsa profert sex mensium spatio facile consumuntur, unde ex vicina Sicilia (olim Romæ, nunc Melitæ Horreo) pro sacra Religione Hierosolymitana, 8000. pro insulanis 16000. *Salmæ* frumenti (mensuræ genus in iis locis) privilegio Regis Hispaniarum quotannis absque ulla *gabella*, id est, vectigali importantur, excepta ea annona quam Triremes faciunt, eodem beneficio gaudentes. Vinum quoque ex Sicilia petere necessum habent incolæ, quippe ultra 300. dolia ad summum non conficiunt, uvis vino melioribus in mercatu venditis: quapropter ex dicto regno huic indigentiæ oppido succurritur, pro Mag. Magistri palatio, Hospitali & Albergiis 350. doliis sine vectigali pro habitantium usu plus 500. quotannis æquo pretio in insulam advectis. Lignorum etiam tam ad foci usum, quam navium fabricam necessitate succum-

bunt, quibus tamen loca vicina, imo etiam remotiora (imprimis Gallia) abunde proſpiciunt, ſicut & de omnibus aliis rebus ad bene vivendum requiſitis, quæ exterorum beneficio affatim & ad abuſum uſque poſſident, adeo ut de Melita vere dici poſſit, quod Scaliger de Batavia, *eam copia omnium rerum affluere, & tamen maxime egenam eſſe, quod eo magis mirum, cum mercatura hic parum floreat*. Nam etſi naves onerariæ quotidie ferme ex omnibus mundi plagis huc adpellent, potius tamen id fit ob portus ſecuritatem, & ad ſublevandam rerum neceſſariarum inopiam, quam merces vendendi, aut res cum rebus permutandi ſtudio.

CAP. VII.

De Moribus Melitenſium.

INCOLÆ Melitenſes ingenio ſunt acuto, & ſolerti, utpote quibus aer purus & tenuis, audaces, belli terra marique inſignes, ut latiſſimo hiſtoriarum teſtimonio & quotidiano uſu cognoſcimus. Hinc Joh. Laurentius de Anania in *deſcriptione Mundi* ita de iis loquitur: *Sono molti eſperti, è valoroſi in mare, è in terra, il ch' anno ben dimoſtrato in queſt' ultima guerra contra Turchi, dove ſi ſono vedute etiam dio le donne ſempre coraggioſe è d'animo virile combattendo*: adeo ut etiam fœminis Melitenſibus eadem laus fortitudinis tribuatur, quod inter alios refert P. Cartagena IV. Tom. *Hom.* in feſto S. Mariæ ad Nives, ubi fœminarum virtutes perſtringens, Melitenſium fortitudinem quoque magni penſi habet. *Præterea* (inquit) *Melitenſes fœminas quæ incredibili audacia, ita adverſus hoſtes dimicarunt, ut ipſe Muſtapha ſtragem magnam ſuorum animadvertens, dicere compelleretur*, Belliсoſiſſimos eſſe illius urbis cives. Id quod etiam de mulieribus confirmat diligentiſſimus rerum Melitenſium ſcriptor Thomas Boſſius *lib.* XXXI. fol. 649. ubi de obſidione Melitæ tractat: *Et era certamente coſa maraviglioſa il vedere, che fin alle donne, ed i fanciulli aveſſero perduto è laſciato affatto ogni timore delle archibuſate, e delle cannonate, è de' fuochi artificiali, e che non moſtraſſero aver orrore ò sbigottimento alcuno di veder caderſi à lato è vicino tanti morti, ſmembrati è ſtranamente feriti, anzi ch' arditamente ſe ne ſteſſero in continuo eſſercizio di lavorar intorno a ripari, o di tirar ſaſſate contra nemici, o di ritirar morti, ed ajutar feriti, o di portar rinfreſcamenti a Combattenti, intrepidamente accoſtandoſi a parapeti, ancor che danno è ferite è morte ne riceveſſero.*

Virorum virtus certe hic multo major, nam ipſi belli artibus quotidie imbuuntur, ita ut arma tractare, omnia militiæ munia decenter obire, labores ſufferre, maria navibus adire, claſſe confligere, jam a teneris aſſueſcant. Erga ſuos reges Melitenſes ſemper fuerunt fide incorrupta: hinc propter inſignem Regi Catholico navatam operam in expugnatione Tripoli laudem fidelitatis demeruere, & relaxationem annui cujuſdam cenſus, uti apparet ex litteris Regis ad Comitem de monte Leone tunc vice-Regem Siciliæ 1517. ſcriptis, ubi inter alia hæc habentur: *Nos tenemos voluntad de favoreſcer a los de la dicha liudad, y Isla de Malta, per la fidelidad, que han tenedo y tienna neuſtra Real Corona*. Sic etiam a Carolo V. Imperatore & Rege Hiſpaniæ Siciliæque poſt donationem ejus Inſulæ ſacro Hieroſolymitano Equitum Ordini factam, vetera privilegia in cauſa extractionis frumenti ſine vectigalibus incolis anno 1531. confirmata ſunt, reſpectu fidelitatis, quam Coronæ Regiæ ſemper præſtiterunt: Ita enim Imperator loquitur in ſuo Diplomate, *Por ſu gran fidelidad, y ſeun alados ſervicios, quæ hizieron à neuſtra Real Corona y aun como Rennicolos, y naturales d'eſte Reyno.* Et in aliis litteris datis Ratisbonæ, *a los amados y fieles nueſtros Jurados y Univerſidad de la Isla y Ciudad de Malta*: poſtea: *como vueſtra antiqua fidelidad y ſervicios* mereſcen. Erga Deum quoque fideles Religionem Chriſtianam poſt acceptum a Paulo beneficium pertinaci ſtudio ſemper ſartam tectamque conſervarunt. Unde Jacobus Tirinus e Societate Jeſu in *Actis Apoſtolorum* hanc ipſorum conſtantiam prædicat his verbis: *Evangelio inſtructi per Paulum, & ad Chriſti fidem traducti ſunt tanta conſtantia, ut nunquam ab illa defecerint, etſi Mauri inſulam ſubinde occuparint, tenuerintque centenis, & pluribus annis*. Ideoque juſtiſſime hoc elogium inſulæ accommodatur:

Ex quo fidem accepiſti,
Recidiva non fuiſti
Inſula Notabilis.

Imo ut Incolæ e primis ſunt Chriſtianorum in Europa, qui fidem Chriſti per manus Apoſtolorum acceperunt, ita vere gloriari poſſunt, ſe in eadem conſervanda & propugnanda, ſemper conſtantiſſimæ pietatis fuiſſe. Erga homines quoque fidei ſunt intemeratæ, beneficii memores, & inprimis in negotiationibus pactiſque candidi, quemadmodum Phalaris, Agrigentinorum Tyrannus, qui Melitenſium amicus fuiſſe perhibetur, & ſæpius eos inviſit, ut Henricus Pantaleon ſcribit in *Hiſt. Johannit.* cap. VII. hoc elogio eos ornat in litteris quæ ſub ipſius nomine circumferuntur, e Græca in Italiam linguam translatis, Venetiis apud Gabriel. Giolito anno 1594. ibi in quadam epiſtola *ad Melitenſes* ſcripta ita loquitur; *Reputo, che voi ſiate in ogni altra coſa ricordevoli, è intorno alle mercanzie lealiſſimi.* Id eſt, *Puto vos eſſe in omni alia re beneficii memores, & circa contractus & mercaturam integerrimos*: quam ob cauſam & amicitia ſua dignos eos exiſtimavit, & pecuniam quam per Legatos ab eo petebat, lubenti animo iis mutuam dedit, abſque ulla ingrati animi ſuſpicione, cujus alias in reddendo mutuo multos inſimulat in dictis illis litteris. Joſephus Bonfilius Siculus P. I. lib. XI. *Hiſt.* hujus tyranni quoque meminit his verbis: *Queſto è quel Phalari, chiaro per molte guerre, ch' ei fece, famoſo per molte virtù, e molti vizj parimente. Fu colui amico de Malteſi, perchè ſi veggono a Malta ancora le rovine d'un Caſtello, nomato Agrigento; leggonſi le di coſtui epiſtole ſparſe di brevità Laconica*. Angelus Politianus elegantiſſimas has Epiſtolas Luciano aſcribit, ad quod tamen credendum, niſi alicujus Veterum autoritate firmetur, minime ſe adduci poſſe, profitetur Fazellus, *decad.* I. *lib.* VI. *cap.* I.

Quam deinde Melitenſes humani benignique ſint in Hoſpites & Peregrinos, Lucæ teſtimonium unum nobis erit inſtar omnium, qui c. XXIIX. in *Actis* hoc modo loquitur: *Et cum evaſiſſemus, tunc cognovimus quia Melita inſula vocabatur: Barbari vero præſtabant non modicam humanitatem nobis: accenſa enim pyra reficiebant nos omnes propter imbrem qui imminebat & frigus*. Et poſtea in fine: *Qui etiam multis honoribus nos honoraverunt, & navigantibus impoſuerunt quæ neceſſaria erant*. Unde liquido apparet habitatores non ſolum in acceſſu Paulum cum ſociis multis beneficiis affeciſſe, ſed & in diſceſſu honore & omni officiorum genere eundem quoque proſequutos eſſe. Quod autem a Luca *Barbari* vocentur, id nequaquam ex contemptu fieri, exiſtimandum eſt, ſed hoc magis eos laudat, quod tam benefici fuiſſent, trium ſcilicet menſium hoſpitium largiti: aut dicuntur *Barbari* (ut Liranus in *hunc locum* commentatur) eo quod non loquebantur Hebraice, Græce, nec Latine, alia namque idiomata barbarica dicebantur, quod idem con-

A firmat St. Dionysius Carthusianus: *præter Hebræos, Latinos & Græcos cœteri Barbari appellantur*. Sed tunc temporis insulam Græcos incolas habuisse multi validis argumentis adstruunt; si ita, tamen omnino credi oportet, & ipsam a Barbaris, id est, Carthaginiensibus sive Africanis præsertim in villis atque pagis permixtim quoque habitatam fuisse, quod inter alios Philipp. Cluverius in *Sicil. antiq.* lib. II. cap. XVI. innuit his verbis: *Cum igitur ex tot tantisque documentis satis jam constet, & Divum Paulum in hanc Melitam naufragio*
B *fuisse expulsum, & Græcos eam tum inhabitasse insulam, necessario concludendum est, Barbarorum etiam quosdam eo tempore vel saltem in agris una incoluisse*. Hi ipsi itaque sunt, qui primo Paulum advenientem cum charitate susceperunt, susceptum studiose refecerunt, refectum denique commeatu & multo honore liberalissime dimiserunt. Attamen, ne forte credas, Apostolum a plebe & fæce hominum indulgenter & benigne hic tantum habitum, animadvertendum est, etiam a Publio principe insulæ (postea Athenarum Episcopo) tridui hospitio acceptum & humaniter tractatum fuisse, adeo ut hospitalitatis laus tam paganis,
C quam civibus, tam infimi subsellii, quam primariæ dignationis viris æquo jure conveniat.

Sunt præterea Melitenses egregii litterarum cultores, quod testantur virtute & scientia plurimi illustres viri, qui ex ea insula prodierunt, uti videre est apud Abbatem Pirrum in *Notitia Melit*. Concludamus hic testimonio Henrici Pantaleonis, qui in *hist. Johan.* c. VII. ita de Maltensibus loquitur: *Genus hominum salubri corpore, victu tenui, industrium, patiens laborum, & bellicosum*. Quæ attributa ita apte iis conveniunt, ut quasi ipsorum propria esse videantur: nam cœli clementia salu-
D britatem corporis, vitæque longævitatem; vicina Sicilia Italiaque, frugalitatem; angustissimi fines, industriam; imminens hostis, belli artes; situs insulæ, laborum patientiam necessario conferunt.

Quod fœminas attinet, eæ hic admodum comptæ sunt, miraque pulchritudine, sed tali, quæ cum pudicitia male concordat, juxta effatum Juv. *Sat.* X.

—— *Rara est adeo concordia formæ,*
Atque pudicitiæ.

Sic enim illæ pro genio loci & solis ardore, & amoris igne æque exardescunt. Hinc more gentis, semper ædibus velut aves caveæ includuntur, certis corycæis adpositis, qui omnes actiones diligentissime observent, ne uspiam implendæ libidinis
E occasionem forte nanciscantur: domo exeuntes velo faciem obnubilant, ita ut nil nisi unum oculum cernas toga a summo vertice ad pedem demissa. In publico maritus uxoris suæ lateri continuo adhæret individuus socius, timens, ne fidem, quam vix præsens ei habet, absenti forte frangat, adepta occasione, quæ ad peccandum invitat. Sic nimirum suspiciosi hic sunt viri, ut fragilitatem sequioris hujus sexus contra proprium honorem, maritique inprimis existimationem sæpius laborare facile credant, ideo ipsius tutelam curamque sollicite admodum suscipientes, quod eo minus apud
F Militenses insolens, quia in Sicilia, Italia, Hispaniaque recepti quoque moris est.

Habitatores Sarracenico sive Arabico sermone promiscue utuntur; quem aut nihil, aut quam minimum a Punico veteri differre, putat Fazellus *Hist. Sic.* dec. I. l. I. c. I. *Quippe*, inquit, *cum Melitenses hodie & Hannonis cujusdam Pœni apud Plautum, & Avicennæ & ejus classis complurium verba Punica cum intelligant, tum interpretentur, non temere hinc colligimus Sarracenum idioma, quod vel plane idem, vel quam minime diversum est a Melitensi, Punicum & veterum esse Carthaginiensium*.

Hanc sententiam inter alios erroris arguit Philippus Cluverius cum ita loquitur: *Falli interim puteo eos, qui incolas hujus insulæ Melitæ hodieque Punica lingua uti opinantur, dum dialectus sit potius corrupta Arabicæ linguæ ab Arabibus, qui olim insulam cum Sicilia occupaverunt*. Quod & magis rationi consentaneum, cum antiqua illa Carthaginensium seu Punica lingua jamdudum exstincta erat in tota Africa, Saracenis eas provincias, & consequenter Melitam occupantibus, aut certe tunc temporis demum immutabatur, victoribus cum imperio linguam quoque proferentibus, ut dominantium mos esse solet, quemadmodum testatur Luis del Marmol autor Hispanicus, linguæ & morum Africæ peritissimus, qui duobus voluminibus historiam Africanam a Mahumete ad hæc usque tempora patrio sermone diligentissime conscripsit. Hæc autem Arabica lingua apud Melitenses pura non remansit, quippe (ut usu venire solet) neque pronunciatio unius linguæ semper eadem, sed pro diversitate provinciarum varia, neque nomina rerum apud omnes æque recepta, sed ut nummi valent; adde quod ex conversatione vicinorum populorum semper aliquid peregrini nativo sermoni affricetur. Hoc etiam Melitensibus apprime accidit, post recuperatam e manibus Sarracenorum insulam; nam propter continuum Italorum Siculorumque commercium, a quorum fortuna & ipsi deinceps dependebant, cœperunt paulatim purum illud idioma Arabicum collutulare, imo ab ipso quoque charactere omnino deflectere, postquam lingua Italica & Latina in omnibus curiis & tribunalibus Insulæ sive scribendo sive loquendo tantum frequentari diuturnis moribus introductum est.

CAP. VIII.

Descriptio Insulæ Gauli.

GAULOS Insula a Græcis sic dicta, quod Latino significatu *poculum* est, quia a natura talem formam, seu situm nacta, vulgo *Gozus*, ab incolis Arabica voce *Gaudese* nuncupatur, de qua Diodorus Siculus *l.* V. *Post Melitam, insula altera est, quæ Gaulus vocatur, in altero pelago, & ipsa portuumque commoditate præstans*. Pomponius Mela lib. II. *de situ orbis*: *Circa Siciliam*, inquit, *in Siculo freto est Ææe, quam Calypso habitasse dicitur, Africam versus, Gaulos, Melita, Cosura*. Plinius postmodum subjungit: *In Siculo freto insulæ sunt in Africam versæ, Gaulos, Melita, Cosyra*. Et *l.* V. *c.* VII. *Gaulos & Galata, cujus terra scorpionem dirum animal Africæ necat*. Solinus: *Ex parte, qua Cercina est, accepimus Gaulon insulam, & ita fuit etiam dicta Gauloni*. Martianus Capella: *In Siculo etiam freto insulas esse non dubium est, Africam versus, Gaulos, Melita, Cossura*. Silius Italicus eam vocavit *Gaulum*, quod postea corrupte in vulgari exemplari legitur *Caulum*:

—— *Cosyraque parva*
Nec major Megara, Mutye concordibus ausis
Juvere, & strato Caulum spectabile ponte.

Habitatores inde vocantur Gaulitani Græcis & Carthaginensibus sub titulo municipii olim parentes. Straboni *Gaudus* appellatur: *Ante Pachynum jacet Melite, unde Catelli Melitei, & Gaudus*. Plerique verbis Ovidii III. *Fastor.* innixi,

Fertilis est Melite, sterili vicina Cosyræ,

hanc Cosyram esse censent, minime advertentes Gozum frugum feracissimam, & minime sterilem esse, uti Cosyra describitur ab Ovidio. Cosyra præterea Lilybæo & Selinunti ad passuum millia fere 70. vicina est, ut Strabo testatur, Gaulos vero a Lilybæo pass. mil. 150. recedit.

Insula hæc aquis est irrigua, cultura nobilis & frumenti feracissima, XXX. mill. conficit in suo am-

bitu, XII. in longitudine, & VI. cum dimid. in latitudine. Joh. Quintinus in *descriptione Melitæ*: *Est & insula Gaulos brevissimo transitu a Melita, latitudine intercurrentis freti (quod Freo vocatur) quinque millia non amplius passuum, parva quidem, ambitu duntaxat triginta millia passuum, sed quæ fertilitate non cedit Melitæ, cujus præsulem cognoscit*. Insignis est titulo Marchisatus, quod testatur Cæsar Campana in *Vita Regis Catholici Philippi II.* parte IV. ubi de Titulis tractat: *Il Marchesato Goziano e detto volgarmente del Gozo, Isola cinque miglia presso Malta, ed è di circuito ben 30. miglia; ma solo cinque in larghezza; il suo terreno e fertile, abbonda di grano e d'acque, & abondarebbe anche di popolo, se non fosse tanto sottoposto alle prede de' Corsali, e se l'armate de' Turchi non l'avessero alcune volte destrutto, si come avenne l'anno 1551. che l'armata vi usò tanta crudeltà e vi fece tante migliaria di priggioni.*

Portus aliquot commodissimos habet, veluti *Cala Scilendi*, & *Cala Ducyra*, item *Marsa, il Forno*, ubi facilis ad terram appulsus, hinc ubique per totam oram littoralem perpetuæ vigiliæ distributæ, sicuti & propugnaculum anno 1605. exstructum in loco *Migiarro Garza* aut *S. Martino* dictum, vicinum intercurrenti freto, hostes ingressu prohibens, ne commoda aquatione hic uti possint: Ad majorem freti custodiam, etiam e regione in insula Comino (quæ inter Melitam & Gaulum interjacet) aliud castrum est, quod tormentis suis totum illum tractum ab hostili impetu defendit. Portum Marsa, il Forno non minus securum efficit vallum a M. Magistro Vignancourt munitum, ab hac quoque parte a depopulationibus & piratarum rapinis illud littus liberans. In mediterraneo autem in edito loco ejusdem nominis cum insula est oppidum cum castello fortissimo, quod expugnatis cæteris locis, habitatoribus refugium præstat. Ipsa insula licet tota montosa & collibus plena, segeti tamen aptissima & maxime exculta est: quorum sex principaliores magni sunt proventus, *Ta Cogliat*, *Dabrani*, *Ta Giordan*, *el Harasse*, *Ta Hummar*, *Ta Dibegi*. Dulcium juxta & frigidarum aquarum copia inprimis præstat, quæ causa est, ut etiam hortis & fructibus abundet, quanquam alias Insulani diligentius agrorum quam hortorum culturæ incumbant. Ecclesiam majorem habet sanctissimæ Deiparæ Virgini dicatam, sub titulo Assumptionis, hodie *Collegiatam*, cujus caput Archipresbyter est, deinde Ecclesiam parochialem S. Georgio sacram, ac duo monasteria S. Francisci & S. Augustini, aliaque oratoria hinc inde per insulam sparsa. Olim justitia in ea administrabatur per Capitaneum della Verga dictum, & Juratos sicut in Malta. Sed anno 1551. officium illud extinctum, in ejusque locum suffectus hodie Gubernator S. Ordinis Hierosolym. Eques militiæ præfectus, qui cum suo tribunali juris dicendi amplissimam habet potestatem a M. Magistro, hujus insulæ principe dependens. Habitatores in ea numerantur 3000. & quotannis reditus ad 25000. *scudi* ascendunt. De Gaulo insula hæc memoratu digna Plinius *lib.* V. *cap.* VII. & Solinus rescripta reliquerunt. *Serpentes in ea neque nasci, neque vivere invectos; prætereа jactum ex ea quocunque gentium pulverem arcere angues, scorpionesque a superjactu illico perimi*: quibus ætate sua usum suffragatum esse testatur Fazellus, *dec.* I. *lib.* I. *cap.* I. De insulis Galatha, Sardinia, Ebuso, Columbaria, Irlandia seu Hybernia idem asserens. Hanc anno salutis 1551. Calend. August. Senen classis Turcicæ, centum quadraginta triremibus instructæ, præfectus, triduana oppugnatione adortus, arce prius tormentorum ictibus disjecta, in deditionem accepit, quam deinde ingenti capta præda, & quatuor ferme Christianorum militibus in captivitatem asportatis, impio fœdavit incendio. Hoc temporis talium periculorum magis est expers, castris & turribus ad littora exstructis, quibus dies noctesque custodes impositi, ad insidias hostilium navigiorum accenso igne, datoque signo oppido denunciandum, quo maturius insulani arma colligant, & exploso tormenti ictu, in auxilium paratæ cohortes promptius quantocyus e Melita ad eos affectent viam.

CAP. IX.

De Hephæstia Insula nunc Comino *dicta*.

INTER Melitam & Gaulum parvula quædam interjacet insula a Comino nomen habens, olim *Hephæstia*, nunc *Comino* dicta, in circuitu habens quinque millia pass. Et quamvis hoc nomen pluribus aliis locis commune videatur, tamen insulæ huic vere & proprie congruit, sicuti inter alios testatur Philippus Cluverius, *lib.* II. *cap.* XVI. *Porro inter Melitam & Gaulum parvula quædam insula jacet, vulgari vocabulo Comino dicta, antiquum ejus nomen videtur fuisse Hephæstia, id est, si Latine reddas Vulcania, quæ a Scylace Lampas vocata*: Melita oppidum cum portu, Gaulus oppidum, Lampas: *Itinerarium insulare*: insulæ Maltachæ, Festia, & Falacron; Sic equidem regium in Hispania habere Laurentinæ Bibliothecæ exemplar, testatur Hieronymus Zurita, (vid. supra *cap.* I.) ex quibus priora jam antea correcta in hunc modum: *Insulæ Malta, Hephæstia*, reliquum vocabulum *Falacron*, debere esse Gaulon ipse situs indicat. Abrahamus Ortelius in suo *Thesauro Geographico* hoc modo loquitur: *Festa & Falacron (Fallacorum alia lectio) Antonino insulæ inter Siciliam & Africam*. Arabs Christianus, ut Geographus Nubiensis in libro *de Relaxatione animi curiosi* eam vocat *Kemmuna*, quemadmodum hodie Maltensibus communiter appellari solet: ipsius verba hæc sunt: *A Gaudese*, (Gozo) *perges ad quandam parvam Insulam*; unde, cui non arridet Cluverii opinio, a Græcis Hephæstiam dictam opinantis, Johan. Franciscum Abelam Vice-Cancellarium sacræ Hierosolym. Religionis hic sequi potest, qui a Græca voce *κειμένη* eam derivat, quod Latine sonat *inhærens, adjacens*, uti revera est, respectu Melitæ, adeo ut a Kimeni corrupto a Sarracenis vocabulo *Kemmuna* postmodum sit appellata, quo nomine etiamnum hodie Melitensibus & Gaulitanis idiomate Saracenico venit.

Tota insula ad culturam redacta, & frumenti pro magnitudine sic satis ferax. Castrum habet bene munitum tempore M. Magistri Vignancourt anno 1619. a Victorio Cassare Melitensi, insigni architecto ingeniose exstructum, defensioni intercurrentis freti situ & arte valde opportunum. Templo gaudet Beatæ Virgini sacro, quod idem quoque nomen vicino portui (*Cala di S. Maria*) communicatum: unde quorundam probabilis est opinio, ad alterum portum *Cala di St. Nicola* dictum, olim templum quoque eidem sancto dedicatum fuisse, quo temporum injuria destructo, solum postea nomen portui remanserit. Aqua dulci quoque felix hæc Insula, quod eo magis mirandum, quo minori est circuitu in alto mari inter duas insulas Melitam & Gaulum posita, ab utraque plus minus 2500. pass. distans. Fons ad templum Beatæ Virginis est, sed in loco eminentiori, quo castellum situm, prima ejus scaturigo apparet, ex qua olim per alias partes

aquam derivatam, rudera vetustissimi aquæductus subterranei fistulæque plumbeæ, regnante M. Magistro di Paula inventæ, clare ostendunt, indubitato argumento, & antiquitus eam insulam habitatoribus non caruisse. Ingens lateri adjacet scopulus ceu progenies, parvulæ instar insulæ, exindeque *Cominotto* dictæ, asper plane & inhabitabilis.

CAP. X.

De numero habitantium, reditibusque Melitæ & Gauli.

INSULA Malta pro sua magnitudine semper habitatoribus fuit refertissima, quorum numerus insigniter crevit, postquam Hierosolymitani milites, & cum iis plus minus centum familiæ ex Insula Rhodo sedes in eam transvexerunt. Livius testatur eo tempore, quo Romani insulam suæ ditionis facerent, expulsis Carthaginensibus in sola urbe præsidiariorum militum duo millia fuisse. Michael Saccando Ferdinandi Regis Arragoniæ Minister Anno 1499. sexaginta oppida & vicus in insula repertos satis amplos & incolis plenos suo Domino retulit. Sed ut nostris temporibus propius accedamus, certum est, numerum habitantium A non ita pridem ad 57000. animas ascendisse, uti ex supputatione Anno 1632. per Dominum Baillivum, Carolum Valdinam & Sartorium Bravam Procuratorem fisci ex mandato Ducis d'Albuquerque tunc Vice-Regis Siciliæ facta, liquido constat. Verum & illa ratio hac tempestate paulo aliter subducta, cum hodie 60000. animæ in tota insula computentur, ex quibus 12000. Bellatores, sive viri militiæ idonei *(combattenti)* exceptis iis militibus ordinariis, qui in expeditionibus præsidiisque stipendia merentur, Equitatu totius insulæ vix numerum 400. complente. Insula Gaulos hodie 3000. animas sustentat, quemadmodum hæc omnia ex Archivis Urbis Cancellariæ Joh. Fran- B ciscus Abela ejusdem Vice-Cancellarius indubitate nos docuit. De annuis redditibus ex ejusdem viri relatione illud expertum habemus. Ex insula Melita quotannis redimi 76000. *scudos*, ex Gaulo vero 25000. quorum magno Magistro utriusque Insulæ Principi 18000. incirca quotannis cedunt, ultra 6000. quos pro pensione habet ex ærario, 2000. ad refectionem ædificiorum & Palatii, decimam prædæ piraticæ, annales 7000 *scudi*, aliaque lauta beneficia, in tantum ut ipsius proprii & anniversarii reditus ad 60000. plus minus *scudos* ascendant.

BURCHARDI NIDERSTEDT

HOLSATI

MELITA

VETUS ET NOVA,

LIBER SECUNDUS.

CAP. I.

De Urbe Valetta, sive *Citta Nuova*.



RIMA hujus urbis fundamenta jacta sunt An. Christi MDLXVI. regnante Magno Magistro Fr. Joh. de Valetta, uti testatur inscriptio ad perpetuam rei memoriam Portæ Regiæ *(Porta Reale)* imposita, quam hic verbotenus exscribere, operæ pretium esse duxi.

D. O. M.

Fr. Joh. de Valetta sacræ domus Hospitalis Hierosolym. M. Magister, periculorum anno superiore a suis militibus populoque Melitæo in obsidione Turcica perpessorum memor, de condenda urbe nova, eaque mœnibus, arcibus & propugnaculis ad sustinendam vim omnem, propulsandosque inimici Turcæ impetus, aut saltem reprimendos, muniendam inito cum proceribus consilio die Jovis XXVIII. *Martii*, MDLVI. *Deum omnipotentem, Deiparamque Virginem & Numen Tutelare D. Johannem Baptistam, divosque cæteros multa precatus, ut faustum felixque Religioni Christianæ fieret, ac Ordini suo quod inceptabat, bene cederet, prima urbis fundamenta in monte ab incolis Sceberras vocato, jecit, eamque de suo nomine VALETTAM (dato pro insignibus in parma miniata Aurato Leone) appellari voluit.* D

Fr. Antonius de Paula M. Magist. Invictiss. Conditoris tantæque rei monim. P.C. anno ab urbe fundata LXVIII.

Urbs igitur primo statim anno post obsidionem Turcicam (quæ anno MDLXV. die XVIII. Maii initium, & XI. Sept. finem habuit) sub auspiciis dicti M. Magistri Joh. de Valetta condi cœpta est, ad cujus exædificationem Pius IV. Papa 15000. scudos, ligna, aliaque materialia, Philippus II. Hispan. Rex 50000. scud. Carolus IX. Rex Galliæ 40000. scud. Rex Portugalliæ 30000. Cruzados liberalissime elargiti sunt: in dies singulos 2000. scudis structuræ impensis; Urbis autem hujus novæ condendæ consilium merus subministravit, qui anno sequenti de reditu Turcarum, & reiteranda obsidione injiciebatur, antiquis munimentis & arcibus armorum vi vel plane disjectis, vel miserum & insanum in modum devastatis. Hinc ad propulsandos inimicorum impetus novis propugnaculis omnino opus fuit, quæ postmodum fau- E

ſtiſſime non tantum affecta, ſed & brevi temporis ſpatio ita feliciter effecta fuere, ut hac noſtra tempeſtate ipſa urbs plane inexpugnabilis ac terror hoſtium evaſerit, non vallis ſolum admirandisque operibus, ſed & civium multitudine fortiſſima, opportunitate loci & ſitu delicioſa, egregio portu nobilis, & Equitum Hieroſolymitan. incolatu toto orbe celeberrima. Mœnia ejus mira arte quadrato ingentique lapide ſunt constructa, imo in nonnullis locis ex ipſis ſcopulis affabre exciſa, 300. tormentis ex ære fuſo circumquaque in arcibus propugnaculiſque ordine diſpoſitis, quorum unum immenſæ molis eſt, machina, (vulgo *il Baſiliſco* vocatur) quam Turcæ ſoluta obſidione propter ingens pondus ibi relinquere fuerunt coacti, ſicuti & in ea parte, quæ mare ſpectat, aliud cernitur non modicæ magnitudinis, ad cuſtodiam portus poſitum, Illuſtriſſimi Principis Ludovici, Lantgravii Haſſiæ lineæ Darmſtattinæ donum, uti teſtatur inſcriptio, quæ talis eſt:

Cattorum Princeps peragrans Ludovicus amœna
Galliæ & Hiſpani Regna opulenta ſoli
Venerat in MELITEM pelago, ſuſceptus honore
Magno, permagnis obrutus ac meritis.
Per mare Sicilia viſa Italiæque per arva
In patriam ut rediit ſalvus & incolumis,
Molem hanc belligeram, Melitenſ. Equit. Ordini ut eſſet
Grati animi ſignum, firmæ & amicitiæ,
Gieſſæ de caſtro donatam miſit; acerbe
Sentiat hanc hoſtis, fac, pie Chriſte, Tuus.

Anno Chriſti MDCXIX.

In vertice ſita eſt arx vetuſtiſſima *Sancti Elmi*, ad cuſtodiam utriuſque portus a priſcis condita, latum proſpectum in mare habens, quæ anno MDLXV. a Turcis capta ac fere diruta, poſtmodum a Hieroſol. Equitum Ordine inſtaurata, ac propugnaculis ad recentiorem diſciplinæ militaris munitionumque formam innovatis, munitiſſima reddita eſt. Ab uno latere oſtium portus Marſa Muſcietti tuetur, cui promontorium Draguti adhæret, ab infami ejus nominis pirata ſic dictum, qui ibi anno MDLXV. ſuos expoſuit, & tormentis caſtrum Sancti Elmi validiſſime ex eo loco oppugnavit. Ab altero latere hoſtes ab introitu in portum principalem Marſam prohibet, cui promontorium Furcarum imminet, a patibulis olim ibi poſitis nomen habens, nunc *punta dell Orſo* vulgo nuncupatum, ab Alexandro Urſi Equite, qui turrim ſeu ſpeculam S. Petronii hic condidit, ad obſervandam & ſufflaminandam captivorum fugam. Urbs ipſa, quia in Cherſoneſo ſita eſt, & ab utroque latere mari alluitur duas præcipue portas habet: unam maritimam, qua ad portum aditus patet, alteram mediterraneam, qua in inſulam exitur. Viæ vero octo ſunt, quæ urbem dividunt, duodecim transverſæ quæ eam interſecant. Principaliores his nominibus vulgo inſigniuntur: 1. *S. Luigi*. 2. *S. Pietro*. 3. *S. Paolo*. 4. *S. Giacomo*. 5. *San Giorgio*. 6. *S. Giovanni Battiſta*. 7. *S. Sebaſtiano*. 8. *S. Michele*. Transverſales ſunt hæ: 1. *Strada del Palazzo*. 2. *Pia*. 3. *di Monte*. 4. *Vittoria*. 5. *del Salvatore*. 6. *del Popolo*. 7. *della Fontana*. 8. *di S. Marco*. 9. *di S. Pantaleone*. 10. *della Fortuna*. 11. *di Sant' Elmo*. 12. *di S. Simone*. In his ædes ſunt complures publicæ & privatæ, ſacræ & profanæ, ſuperbia & pulchritudine Italiæ ædificiis nihilo inferiores. In primis eſt palatium in urbis meditullio magnificentiſſimum ex quadratis lapidibus, ſtructura egregia ſplendide excitatum, intus vario marmore & curioſiſſimis picturis ornatiſſimum, Magnor. Magiſtrorum domicilium. Ante palatium, & ad latus atrium ingens, amplum & ſpatioſum deambulationibus ludiſque Equeſtribus accommodatiſſimum, fonte aquæ ſcaturientis artificioſiſſimo, & columna marmorea decoratum. Habet præterea *Albergia*, id eſt, domus Nationales, ſeu ædificia uſui Linguarum inſervientia, quorum hodie ſeptem numerantur, nimirum 1. *di Provenca*. 2. *d'Alvernia*. 3. *di Francia*. 4. *d'Italia*. 5. *d'Arragonia, Cathalonia, Navarra*. 6. *di Caſtilia, Leon, Portugal*. 7. *di Germania*: extincta *Anglicana*, quæ octonarium numerum complebat. In his curiis Linguarum, ut loqui amant, Acta conſervantur, conventus celebrantur, Equites aluntur, & res cujusvis nationis publicæ privatæque adminiſtrantur, quæ omnes ſuæ gentis inſignia in frontiſpicio præ ſe ferunt, ut Germanic. Aquilam, Gallica Lilia, &c. ſtructura & amplitudine auguſtiſſima palatia. Præcipuum in urbe templum *Divo Joh. Baptiſtæ* dicatum eſt, capellis pro cujuſque Linguæ ſeu Nationis uſu, multiſque ornamentis nobile, ac pluribus Sanctorum reliquiis venerandum. Inſigne quoque eſt P. P. e Societate Jeſu Collegium, quod hodie ampliori ſtructura formaque inſtauratur. Habet etiam urbs multa monaſteria, tam monachorum quam monialium, quorum pulchriora ſunt: *Dominicanorum, Auguſtinianorum, Franciſcanorum, Carmelitarum*, & fœminarum nobilium S. Urſulæ, quæ eodem fere modo quo ipſi Equites cruce alba decorantur. *Hoſpitale* etiam Divi Johannis Baptiſtæ hic viſitur, ad reficiendos curandoſque ægrotos (in quorum ſuſtentationem quotannis 30000. ſcudi impenduntur) omnibus rebus inſtructiſſimum, commoditate, ordine, diſpoſitu cuivis alii in Europa præferendum.

Mercatus ſeu forum rerum venalium abundantia locupletiſſimum mediæ fere urbi incubat, quo incolæ ex circumjacentibus pagis magno numero quotidie confluunt, raro alias exemplo, cum in cæteris nobiliſſimis etiam urbibus non niſi una, aut ad ſummum duabus in ſeptimana vicibus nundinæ celebrentur. Ergaſtulum captivorum in capite viæ S. Marci hæret, amplitudine & ſitu eximium, in quo Turcæ Barbarique partim compedibus vincti, partim vinculis ſoluti noctu cuſtodiuntur, negotiationis uſu, cultuſque Mahometani libertate gaudentes. Manant & largiſſime effluunt intra urbem aquæ plures publicæ, quæ anno 1615. die XXI. April. ingenti civium lætitia ſub auſpiciis M. Magiſtri Vignacourt magno labore maximoque prope ſumptu, ſcopulis per longos tractus perfoſſis, ac deinde arcu magnifice extructo in urbem affluentiſſime deductæ fuerunt, quibus ipſa civitas, quæ antea aquarum dulcium inopia valde premebatur, ita recreata fuit, ut hodie in omnibus locis publicis, M. Magiſtri palatio, ſacriſtia Eccleſiæ conventualis, Hoſpitali, Caſtro S. Elmi, Cancellaria, Caſtellania, captivorum Ergaſtulo, Fornacibus publicis, omnibus virorum fœminarumque monaſteriis, &c. ingens vis aquarum erumpat, potu nec ingrata nec inſalubris. Aquæductui extra urbem talis inſcriptio ſub M. Magiſtri Vignacourt, & ſacræ Religionis Hieroſolymitanæ inſignibus adfixa cernitur:

Hac Valetta tenus functum jacuiſſe cadaver
Viſa eſt, nunc laticis ſpiritus intus alit,
Incubuit primis olim, ceu ſpiritus undis,
Spiritus en æxa, ſic modo fertur aqua!

Bontadino de Bontadinis, Bononienſ. Aquæ ductore.

M DC XV.

Ab altero latere hæc leguntur:

Fratri Alophio de Vignacourt
Magno Magiſtro

Valettam urbem,
Et arcem dulcissimis aquis,
Vivificanti æterna salus.

Sic etiam in turricula S. Josephi, abs qua per subterraneos meatus canali lateritio aqua in urbem derivatur, sequentia verba saxo inhærentia reperiuntur:

Quam subterraneis sese ductibus
Inferentem, hoc loco amittis aquam,
Eandem urbe media pulcherrimo
Sese fonte comperies efferentem.

Ingenio miro Bontadini de Bontadinis, Bonon.

Iterum in colliculi S. Nicolai parte eminentiori, ubi eadem aqua respirat, turriculæ formæ rotundæ litteræ inscriptæ hujusmodi:

Ut spiritus in Aquis,
Sic spiritus ab Aquis.

Denique in alio loco, ubi rursus aqua exhalat, ad templum *di Sarra* vocatum, turricula floribus Lilii M. Magistri Vignacourt insignibus ornata, tale præfert Distichon:

Turricula ornatum Liliis caput effero, ut urbe
Inspiciam fontem vivificantis aquæ.
MDCXV.

Nec solum in ipsa urbe huc aqua copiosissime effluit, sed etiam ad mare seu portum, ubi fons Neptuni ex ære affabre factus visitur, Tabulis æneis ad IV. latera heroica facta de Maumetta, Ajas, Passava, & Castellis de Lepante (alias Dardanelli dicti) sub magisterio Fr. Alophii de Vignacourt perpetrata, sculptura & arte mirabili continentibus, cum adjunctis his versibus:

MAOMETTA,
Cui tua exstincto peperit Mahomete triumphos
Patria, ad ALOPHIUM vinctus inopsque sede.

L'AIAS.
Debebant Tyrio rutilantia Lilia succo,
Ajax, Ajacem vincere, vicit Aloph.

PASSAVA.
Vix Peloponnesus, Dominos properasse priores
Senserat, Alophio ut subdita facta suo.

CASTELLI DI LEPANTO.
Naupactus, Patræque patenti obnoxia parvo,
Magnæ olim classi, quæ vetuere viam.

Postremo ad littus maris eadem aqua hortum irrigat, ab hodierno M. Magistro ad ornamentum portus & oculorum gaudium magnificentissime exstructum, multisque arboribus consitum, cum pulcherrima illa via nova, *Lascara* dicta adhæret, deambulationibus valde opportuna.

In frontispicio tale monumentum est:

D. O. M.
Magnus Magister LASCARIS
Absolutis externis urbis monumentis,
Ad ejusdem ornatum, publicum commodum,
animique levamen
Superiores hortos irriguis aquis per tubos conductis
In fontes amœne scaturientibus
Sua impensa excitavit.
Hinc in saxo viam novam aperuit
Veterem ampliavit,
Littoralem in mare longissime protendit, ac stravit
Congestaque mole
Benefidam scaphis statiunculam
fieri curavit
Anno Christi MDCXLII. sui vero
Magist. VI.

Urbs ipsa, ut pulchritudine, portus commoditate, mœnium robore, propugnaculorum munimentis, ita & civium abundantia, egregiaque prorsus fortitudine maxime præstat, quorum numerum non ita pridem ad 1744. animas ascendisse, accurato calculo nostra tempestate supputatum est,

A quippe non solum ab indigenis seu Insulanis, sed & ab extraneis, omnique fere nationum genere frequentissime habitatur, quorum consuetudine res civitatis insignem in modum auctæ, majora in dies suscipiunt incrementa, de quo ita Fazellus *dec.* I. *lib.* I. ubi de Equitibus Joh. Ord. loquitur: *Hi principio suburbium maritimum (ubi arx erat vetus & portus præcellens) tenuere: ac mox arcem inexpugnabilem, & oppidum illi conjunctum muro amplissimo, & propugnaculis munitissimum, & nobili incolatu frequentissimum reddidere.* Post fundationem, titulum HUMILISSIMÆ communi consensu obtinuit, more plurimarum gen-
B tium usitatissimo, qui præcipuis civitatibus aliquid speciosi & decori nominis in honorem & laudem tribuunt; sic enim Panormus felix, Messana nobilis, & exemplaris, Neapolis fidelissima, Lutetiæ Parisiorum *La bonne ville de Paris*, &c. in omnibus scripturis qua publice qua privatim vocari consueverunt. Gemino portu dextra lævaque insignis est, quorum unus Occidentem respicit, & *Marsa Muscietto* vulgo vocatur, amplissimus variisque navium statiunculis multiplex, in cujus intimo fere recessu parvula jacet insula, locus hodie contagiosorum habitationi, & purgandæ su-
C spectæ sanitati destinatus, ubi sub auspiciis M. Magistri Lascaris in eum usum ædes commodæ exstructæ, templumque Divo Rocco pestiferorum Patrono ac Tutelari dicatum exstat. Alter portus, qui in Orientem vergit, Marsa communiter dictus, omnium in tota insula præcipuus habetur ac capacissimus, ob securitatem, situm, commoditatemque longe præstantissimus, qui & in varios sinus se diffundit, & frequenti omnis generis navium statione ubique excellit, ad cujus latus sinistrum urbes Victoriosa & Senglea ingredienti occurrunt, ipso aspectu & forma pulcherrimæ, ad dextrum immensis operibus & structura nobi-
D lis Valetta, abs qua in illas continuo naviculis transfretatur.

CAP. II.

De civitate Victoriosa, Il Borgo *vulgo dicta.*

URBS hæc e regione Valettæ in Chersoneso sive peninsula posita, duobus ab utraque parte portubus cingitur: uno versus Promontorium Ursi *Porto dell'arena*, cujus usus haut multum frequens, altero versus Sengleam *Porto Prose*, a qua modico mari dividitur. Ipsa mœnibus ac propu-
E gnaculis est munitissima, quorum invicto robore, ac stupenda civium fortitudine VICTORIOSÆ titulum in ultima obsidione Turcica justissime meruit. Arx S. Angeli (olim *Castello a mare*) in alta & prope inaccessibili rupe a Sarracenis in promontorio constructa, urbi proxime adhæret, abs qua fossa tantum, quam pelagus inundat, ponteque superstrato distinguitur, quæ & ipsa prorsus inexpugnabilis, hostem ignominiose expulit, imo fugavit, cujus rei signa evidentissima exhibet, dum creberrimis tormentorum ictibus atque pertinaci admodum oppugnatione labefactata hodie
F fere ruinam minatur. Sinus inter hanc & urbem Sengleam, interjectus ad Burmulam usque excurrit, portumque efficit tam longum quam tutissimum, qui ingenti catena ferrea in ipso ostio claudi ut plurimum solet. Profunditas ejus non minus quam ipse situs mirabilis. Nam ea tellus cui urbs Victoriosa inædificata est, cum instar jactæ natura molis propendeat, quousque in sinuosum arcum protenditur, quietum, spatiosum ac profundum etiam ad littus ipsum reddit portum: nam & onerariæ inusitatæ etiam magnitudinis naves,

ac in primis triremes, quæ continuo suam hic stationem habent, tuto littori ita adhærent, ut nautæ altero pede terram, altero navim prope attingant. Ædes urbs complures habet, tum sacras, tum profanas, easque sic satis magnificas. Sed inter sacras ea, quæ *Divo Laurentio* colitur, eminet, quæ & parochialis est, & olim ante conditam urbem Valettam, ab Illustri Hierosolymit. Equit. Ordine, pro majori conventuali Ecclesia habita, cultaque fuit. Sunt & duo ibi in primis præclara virorum monasteria, *Dominicanorum*, dictum Annunciatæ & *Carmelitarum;* unum etiam *Virginum Ordinis Benedictini*, sub titulo S. Scholasticæ, aliaque non pauca antiquæ pietatis monumenta. Palatium quoque sive *Tribunal S. Officii Inquisitionis* hic visitur, ut & armamentarium ad triremium fabricam, & armaturam multorum hominum rebus omnibus optime instructum. Numerus civium 3063. animas complere, certissimo calculo non ita pridem deprehensum est, exceptis iis, qui triremibus militiæque serviunt, quorum constans mansio esse nequit. Ab hac urbe Anno CIↃ IↃ LXXI. Fr. Petrus de Monte magnus Magister sedem suam in urbem novam, seu Valettam a prædecessore suo fundatam transtulit, postquam annis XLI. sacra Religio Hierosolymitanorum Equitum hic domicilium habuisset. Pro insignibus urbi datum est Brachium, stricto gladio armatum inter duos ramos palmæ & olivæ in campo purpureo, insignis contra Turcam victoriæ merita præmia.

CAP. III.

De Urbe Senglea, l'Isola di S. Michaele *vulgo dicta*.

PENINSULÆ huic primo inædificatum fuit castellum S. Michaelis, ita dictum, ut Bosius putat, quod VIII. Martii die solenni Apparitionis Archangeli anno MDLII. ad eum statum fuerit redactum, ut tormenta imponerentur, ac usui esse inciperent, unde locus iste postea habitationibus variisque ædificiis occupatus, ac deinde ab ea parte, qua Corradinum spectat, muro cinctus, insula vocata fuit. Processu vero temporis, cum in civitatem excrevit, Sengleæ ei nomen inditum, a Magno Magistro Claudio de la Sengle, cujus insignia gentilitia etiam sua fecit, quæ sunt, Crux transversa S. Andreæ, colore nigro, cum quinque conchyliis argenteis supra impositis, in campo aureo. Tandem post horrendam illam obsidionem Turcicam, titulo INVICTÆ nobilitata est, in præmium fortitudinis & infracti roboris, liberatis insuper civibus ab annuo censu, ad cujus solutionem Magno Magistro quotannis tenebantur, ut ostendit in Ecclesia parochiali talis posita Inscriptio:

D. O. M.
Amplifs. Hierosolymit. Ordini
Principi Munificentissimo
Fidei, & Bellicæ virtutis Remuneratori
Ob liberatum populum ab onere census,
Decreto sacri Concilii Status
Edito Magisterio vacante
IX. *Februarii* MDC. *ab incarnato Christo*
Senglea civitas Invicta
Grati animi monumentum P.

Urbs ipsa hodie, non aspernandæ magnitudinis, quippe quæ 4050. animas seu habitatores, & 994 domus comprehendit, quarum inter sacras hac ætate præcipua *S. Mariæ de Victoria* dicata, quæ in loco eminentiori ad castrum S. Michaelis condita modo in nobiliorem ampliоremque formam magnificentius instauratur. Mœnibus ac propugnaculis portusque commoditate quam maxime præstat, cujus littori pariter triremium dimidia adfixa est, reliquis e regione ad urbem Victoriosam positis, quarum officiales, Capitanei, nautæ, militesque utramque urbem æque inhabitant. In interiori portus recessu, ubi infusum mare desinit, inter ambas civitates est aliud quoddam oppidum cum tempore etiam muniendum, *Burmula* vocatum, 642. domos, ac 2778. animas continens, quod Jurisdictioni Capitanei Sengleæ subjacet, quanquam alias Justitia pro tribus urbibus Valetta, il Borgo & Insula proque oppido Burmula in Castellania communiter administretur. Est denique in loco eminentiori, seu colle, qui his duabus urbibus Victoriosæ & Sengleæ imminet, novum munimentum, quod *Fortificatio Sanctæ Margaritæ* dicitur, ad majorem loci securitatem non ita pridem construi cœptum, sed nondum omni ex parte perfectum, sub cujus præsidio omnia vicina loca maxime tuta, & plane inaccessibilia futura sunt, dempto hosti omni opportuno loco ad castrametandum, & ponendum tormenta sive machinas bellicas.

CAP. IV.

De Urbe Malta.

IN meditullio insulæ ceu in umbilico sita est urbs antiquissima ejusdem cum Insula nominis, de qua Cicero V. *in Verrem: Insula est Melita, Judices, satis lato ab Sicilia mari periculosoque disjuncta, in qua est eodem nomine oppidum*. De antiquitate ejus ita Quintinus judicat: *Tum quoque vix dum bene condita erat Roma, cum jam nostra hæc Melita florebat, Regum Tyrannorumque amicitiis, seculis aliquot ante exædificata*. Olim multo latius extensam fuisse, quam hac nostra ætate, antiqua mœnium vestigia ad oculum satis clare demonstrant, quippe Sarraceni, quibus aliquandiu paruit, ut defensioni magis aptam redderent, angustissimis finibus ita eam circumscripserunt, ut hodie vix dimidia sui parte (prout tunc temporis fuit) in circuitu pateat, ædificiis ad 565. & habitatoribus ad 2621. numerum redactis; sic nimirum civitas vetusta & florentissima situ habitatoribusque munita nunc quasi neglecta jacet, sive temporum injuria, qua *nihil privatim, nihil publice stabile est, & tam hominum quam urbium fata volvuntur*, ut prudentissimus Seneca *epist.* XCI. loquitur, sive fundatione novarum urbium (quæ postmodum in insula contigit) quarum generatione veterum induci corruptio, communi rerum omnium vicissitudine, quam sæpissime solet. Distat ab urbe Valetta duarum horarum itinere, in cujus via publica hoc monumentum hodierno Magno Magistro positum:

D. O. M.
Serenissimo Lascari, M. Magistro
Adepto Principatu,
Notabilem Urbem III. *Non. Octobr.*
Auspicato ingredienti
Jacobus Testaferrata de Robertis
U. J. D.
Ejusdem urbis Præfectus & Justitiarius
Perpetuam felicitatem exoptans,
Devoti animi monum. P.
Ann. Dom. MDCXXX.

Urbs ipsa in colle seu eminenti loco posita tam natura loci quam mœnium robore sic satis munita est, de qua ita Fazellus *Decad.* I. lib. I. *habet adhuc*

huc in medio fere, loco nimirum editiori & conspicuo, urbem ejusdem nominis vetustissimam, præsulatu claram. Olim etiam castellum habuit, quod anno cIↃ cccc LV. jussu Regis Alphonsi dirutum fuit, cujus locum hodie occupat palatium Magni Magistri a Fr. Philippo de Villiers, cum primum insulam intraret, exædificari cœptum, sed postea processu temporis a successoribus neglectum. Aquarum quoque dulcium magna hic abundantia, quæ non solum per subterraneos ductus intra urbem largissime effluunt, sed etiam ex puteis in privatorum ædibus hinc inde perenni fonte scaturiunt. Domus perpulchræ, suggrundiis & Albano opere magnificentissime exornatæ, testimonio Diodori Siculi *lib.* I. quod secundum Cluverium omnibus in insula ædificiis commune est, & ipsa quoque inspectio abunde testatur. Cluverii verba hæc sunt: *Ac Diodori verba, quæ supra perscripsi integra, ubi de pulchritudine magnificentiaque ædificiorum ait, non ad unum oppidum Melitam, sed ad universam spectant insulam.* Inter sacras præcipua est Cathedralis, caput & matrix omnium Ecclesiarum in tota insula, ex privatis Publii ædibus primi Maltensium, deinde Athenarum Episcopi templum factum, antiquitate & cultu religiosissimum, imagine beatæ Virginis a St. Luca (ut vetus est traditio) olim cum Apostolo Paulo hic commorante, artificiosissime depicta, admodum venerabile. Canonicos habet xx. quorum quinque his dignitatibus fulgent: Archi-Diaconus, Diaconus, Cantor, Thesaurarius, Archipresbyter, qui Canonicatus omniaque alia beneficia Ecclesiastica civitatis & Diœcesis Melitensis hujusmodi non nisi Clericis illarum originariis conferuntur, nec ad illa alii, quam ipsi oriundi præsentari, eligi, vel alio quovis modo assumi possunt, prout Leo X. ad petitionem Caroli V. Imperatoris indulgentissime rescripsit. Altaris majoris, positi in medio Ecclesiæ die XIV. Aprilis, cIↃ IↃc XXVI. per Episcopum Cagliares Militensem fuit facta consecratio, cujus etiam lapis sepulchralis hic cernitur cum tali Inscriptione:

D. O. M.
Æternæ Melivitani Antistitis
memoriæ,
Fratris Don Balthasaris Cagliaresii
Lactariæ pauperum columnæ.
In cujus amorem omnes omnium animi
Faustissime conspirarunt.
Quem Probitas nascentem excepit,
Prudentia natum excoluit,
Sapientia supra æquales extulit
Æmula sororis Pietas
L. M. P.
consecravit.
Obiit Prid. Non. Augusti, An. Domini
MDXXXIII.
Episcopatus XVIII.
Ætatis LVIII.

Intra urbem alia etiam templa visuntur: veluti sanctissimi Salvatoris, seu Crucifixi, Beatæ Virginis, S. Petri Apostoli, S. Nicolai Episcopi, S. Rochi, & denique St. Agathæ, omnis generis ornatu pariter & pulchritudine præclare instructa. Monasterium etiam est Virginum Ordinis Benedictini sub titulo St. Petri, opulentum juxta & splendidum. Urbs ipsa communi voce NOTABILIS vocatur, titulo quem ob antiquitatem, Ap. Pauli prædicationem, Publii præclarissimi civis sui sanctimoniam, immutabilem in fide Christi perse-

A verantiam, aliaque egregia merita jure optimo jam pridem adepta est; pro insignibus habet scutum bipartitum, albo & purpureo colore distinctum. Justitia per Capitaneum de la Verga administratur, incolis patrio sermone *Hakem* dictus, qui quotannis a Magno Magistro creatur, data ei suprema jurisdictione tam civili & criminali in omnes vicos & pagos totius insulæ, cum præfectura militari in urbem Maltam, Rabatto, Dingli Tartarini locaque confinia. Assessorem habet Doctorem Juris, qui & ipse in civilibus jus dicit. Magistratum deinde civitatis gerunt quatuor Jurati (uti vocantur) a Magno Magistro quotannis
B deputati, ad quos a curia causarum civilium (quæ ex tribus judicibus viro litterato, & duobus idiotis constat, & in judicandis querelis minimis occupatur) appellari solet, privilegio benignissime concesso a rege Alphonso Arragonensi, ad supplicationem civitatis, ne insulani ob rem parvi momenti extra territorium cum dispendio ac incommodo ad litigandum procedere, necessum haberent. Alias in criminalibus ad supremum tribunal ejusque judicem recurritur, qui a Magno Magistro, & sacro Collegio procerum nominari & eligi solet. Administratio militiæ, & cura re-
C rum bellicarum tempore prævisæ aut subito ingruentis Barbarorum invasionis ab Eminentissimo Magno Magistro commendatori cuidam committitur, Equiti sacri Ordinis, qui in palatio Magistrali hic habitat, & ibi officio suo in omnibus partibus sibi creditis debita sollicitudine defungitur. Ad tuitionem urbis ultra propriam cohortem in casu repentinæ necessitatis duæ aliæ e locis vicinis *Nasciaro* & *Siggeo* in auxilium veniunt, ita ut numerus ad 7000. assurgat, qui in propugnaculis mœnibusque pro arbitrio Capitanei hinc inde collocantur. Equitatui urbis suique districtus civis eximius aliquis præficitur, cum titulo
D signiferi a Magno Magistro deputatus, sub auspiciis stabuli Magistri (*Cavalarizzo*) Capitanei generalis totius Equitatus in universa insula. Sic etiam peditum signifer juratus antiquior est, abs quo vexillum in omni occasione portari debet. In suburbio civitatis Notabilis (*Rabatto* vulgo dicitur) parochialis S. Pauli ad latus sacræ cryptæ sita, post Ecclesiam cathedralem primum locum tenet, templum antiquissimum, quod vetustate collapsum in meliorem amplioremque formam Melitensium pietas restituit, sequens habet Inscriptio: *Divo Paulo hujus insulæ Tutelari, ubi vivus Christum prædicaverat, Martinus Royas tem-*
E *plum hoc consecravit prid. Kal. Julii,* MDLXXV. opus perfectum est, sedente *Gregorio* XIII. ut legitur supra portam principalem: *Gregor.* XIII. *Pontifex Optimus Maximus,* MDLXXVIII. & infra:

Tertius & decimus stabat Gregorius ævo.

Distat hinc locus jactu sagittæ, in quo fama est, prædicasse S. Paulum, ad cujus rei memoriam in eodem erexerunt crucem lapideam, de qua P. Massuccius e Societate Jesu in hunc modum loquitur: *Non procul vero a sacra spelunca cernitur hodie supra columnam erecta sacra crux, ex quo loco Apostolus*
F *incolis prædicasse dicitur, audientibus etiam, qui erant in proxima insula Gaulo, & ad fidem ac baptismum accurrentibus.* Ita nimirum vetus habet traditio ab habitatoribus oraculi instar Apollinis Pythii credita, vocem Apostoli concionantis, non solum per totam insulam Melitam clare omnium auribus insonuisse, sed etiam ad Gaulum usque quinpue mill. pass. distantem admirabili virtute penetrasse, adeoque omnes Galitanos solo hoc auditu ad fidem Christianam miraculose conversos, & postmodum baptizatos fuisse.

A In eodem suburbio *Rabatto* antiquissima est domus Hospitalis, olim S. Francisci, nunc Spiritus S. titulo insignis, juxta Ecclesiam S. Francisci, prope cœmiterium St. Pauli posita, cujus Rectoriam, de Jure Patronatus, Rex Fridericus tertius, Fratri Nicolao Papallæ Panormitano Franciscano (fuit is deinde Episcopus Melitæ) concessit, Anno MCCCLXX. uti refert Abbas Pirrus in *Notit. Meliteus.* fol. 619. Hodie vero ejus administratio est penes civitatem, & juratos, qui per procuratorem bonorum ejus curam gerunt. Annuos reditus possidet MM.CC. scudos in alimenta sustentationemque infirmorum, infantium expositorum, aliasque ee- B leemosynas pie destinatos. Ad eandem ædem S. Francisci crypta est subterranea, mortuorum ossibus referta, quæ propter antiquitatem in magna habetur veneratione: Altare in ea positum, cum hac Inscriptione:

D. O. M.

Vetustissimum Christianorum
ossuarium
Temporum injuria olim dilapsum,
Terraque obrutum,
Anno salutis MDCXL. *repertum,*
C *Ne fidelium animæ sacris carerent*
suffragiis
Neve religiosum deperiret monumentum
Pii Concives
Eruere, instaurareque curaverunt.

Non longe abhinc occurrit crypta S. Pauli, nunc in Ecclesiæ formam redacta, propter mansionem Apostoli, itemque multas SS corporum reliquias religiosissima, ac toto orbe Christiano celebris, cui superinstructa capella in honorem Publii a Zelantissimo fratre Johanne de sancto Paulo clerico Cordubensi, cui anno MDCXI. Paulus V. singu- D lari privilegio ipsam cryptam cum multis indulgentiis in administrationem concesserat, sub excommunicationis latæ sententiæ pœna ne reliquias aut illarum aliquam partem extra dictam cryptam extrahere quomodolibet quis audeat, vel præsumat. In ipsam cryptam introeunti, ad dextram foramen apparet, ex quo terra alba eruitur, contra serpentum morsus, aliasque infirmitates efficacissima, imo contra omnia venena, vel potu vel ictu noxia pro antidoto habita, quæ quanto majori copia inde aufertur (ducta a majoribus per manus fama) tanto uberius statim succrescit; ita ut E foramen numquam exhauriri possit, succedente semper nova materia, licet quotidie fere, non tantum ab Insulanis; sed & advenis abunde satis exportetur.

Extra suburbium Rabattum quatuor visuntur pulcherrima & antiqua Monasteria, quorum primum Carmelitarum dicatum *St. Mariæ dell' Annunciata*, situ & structura nobile, in quo sepultum est cor Magni Magistri Claudii de la Sengle, cum tali Inscriptione:

Excelsum pietate viri cor clauditur urna
Claudi, qui Rhodio præfuit Imperio.
F *Grata fuere viro, geniti cunabula verbi,*
Huic sacro moriens, cor dedit inde suum.
Franciscus Carolus de Hangest Senescallus, & Fr. Christophorus de Montgauldri Oeconomus, pietatis erga Dominum memores, hoc officium curavere, XV. *Cal. Sept.* MDLVII.

Alterum est monasterium olim Augustini, nunc *St. Marci Evangelistæ* titulo inclytum, ut Inscriptio, supra portam Sacristiæ posita, nos docet, quæ talis est.

Augustinus eram, nunc Marci nomine surgo,
Et si fata dabunt, nomina prisca geram.
Quod vetus hospitium Turcar. metu Jul. mens.
MCCCC.LI. *fuit destructum,*
Id. mens. August. MDLVI. *reædificari cœpit.*

Nam cum Patres Ordinis S. Augustini quondam templum ad urbis mœnia haberent, incolis propter Barbarorum irruptionem magnopere timentibus, ne sibi incommodo noxæque foret, illud ipsum anno MDLI. funditus sunt demoliti, concessa rursum Monachis Ecclesia vetustissima S. Marci, cujus nomen in hanc nostram ætatem quoque retinet. Conventus hodie amplissimus, dives, totius fere provinciæ celeberrimus, ac ad recipiendum & educandum Novitios inprimis destinatus, qui litterarum humaniorum, ac præcipue Philosophiæ ac Theologiæ studiis, magno profectu hic imbuuntur. Succedit postea Dominicanorum habitatio, quæ anno MCCCLXVI. Eleemosynis fundata, anno demum MDV. opere perfecto in splendidissimum templum erecta fuit, sub titulo *S. Mariæ della Grotta*, prout habet Inscriptio supra portam posita:

Fr. Petrus Zurc vir religiosus
Eleemosynis condidit hanc ædem,
Anno MDV.

Propter confraternitatem sanctissimi Rosarii in maximo cultu est apud cives, tum etiam Novitiato & antiquitate celebre, Religiosis post capitulum Ecclesiæ Cathedralis primum præ omnibus cæteris locum obtinentibus. Denique sequitur cœnobium Franciscanorum *Beatæ Mariæ de Jesu* sacrum, communibus civitatis Melitensis sumptibus a pluribus annis ædificatum, ex quo multi Patres sanctitate conspicui prodierunt. Ædes ipsæ vetustatæ collabentes anno MDLVII. restauratæ fuerunt, monumento tali in ejus rei memoriam posito:

Hoc penetrale templi jamdudum vetus,
Nova quidem ara, sua impensa,
Restaurari fecit, Magnificus Franciscus Inigues
Medicinæ Doctor non imperitus, in quo
Ut sua suorumque ossa quiescant, piis exoptat
Votis. Anno Domini MDLVII.

Sepultum hic est cor Magni Magistri de Villiers, qui primus in insula principatum tenuit, cum hac Inscriptione:

Fra. Philippus de Villies Lisle Adam
Hierosolymitanæ militiæ Magnus Magister,
Jesu dum vixit, Cultor religiosissimus,
Septuagenario major
Animam Jesu, Corpus Jesu, corporis intima
Mariæ Jesu hac in æde commendavit
Obiit XXI. *Augusti,* MDXXXIV.
Defuncti memoriæ
QUINTINUS *posuit.*

Intestina quoque Claudii de la Sangle hic recondita esse, lapis sepulchralis his verbis declarat:

D. O. M.

Militiæ quondam Rhodiæ intestina Magistri
Magnanimi Claudi marmore tecta vides.
Intima mentis erant, venerando nomine Jesu,
Plena viro, his aris mortuus Exta dedit.

In eodem templo & hoc monumentum fratri M. Magistri de Vignacourt collocatum cernitur:

Ex quo fratrem Alophium de Vignacourt Militiæ Hierosolymitanæ decus, ad Magistralis apicem dignitatis evectum sensit Joachimus ejus Frater natu major vir in Gallis praeclarissimus, oberat ætas, demum vicit amor, venit, vidit, visque in terris fratre, obiit, & patrem abiit visurus in cælis, III. *Id August.* MDCXV. *Hujus intestina (nam in ædibus Verdalæ montis objerat) ejusdem Magni Magistri jussu, Fr. Job.*

Lanfrancus Ceba, Magistralium proventuum Receptor, urbis Notabilis eo tempore Armorum Capitaneus hoc loco recondidit.

Duobus ab urbe milliaribus distat *Mons Verdalæ* (quem *Boschetto* vulgo vocant) Magnorum Magistrorum secessus, palatium situ delitiosum, cultu magnificentiaque splendidissimum a M. Magistro Hugone de Loubens Verdale S.R.E. Cardinale ad voluptatem & curarum levamina excitatum, ingeniosissima architectura, & arte symmetrica cum quibusvis Italiæ excellentibus structuris facile comparandum. Positum est in colliculo, forma quadrangulari ex ingentibus lapidibus compactum, & cum quatuor turriculis, quæ ab omni latera in altum assurgunt, decenter ornatum. Ipsum tectum, quod pro more gentis planum est, terra marique latissimum præbet prospectum, deambulationi valde idoneum, in quo quatuor parva tormenta ad recreationem, imo & custodiam posita. Ponte sublicio ingressum admittit fossa undique cinctum, quæ e vivo saxo magno labore sumtuque excisa est. Intrantibus ad lævam objicitur domicilium Magni Magistri, omni apparatus genere & regia prorsus supellectile instructissimum, ad dextram pulcherrimæ scalæ, quæ in cœnacula atque cubicula varia hospitem deducunt, quorum lacunaria, parietesque picturis artificiosissimis a celeberrimo artifice Philippo Paladini Florentino belle expoliti, historiam vitæ actorumque Magni Magistri de Valetta ad vivum repræsentant, pluribus inscriptionibus additis, inter quas hæc quoque visitur supra portam principalem posita.

Monti Verdalæ Ros & pluvia
MDLXXXVI.

Et postea: *Cedant curæ loco*. Nimirum huc se recipere M. Magistri solent, tanquam e negotiorum fluctibus in portum tranquillum, ubi

Et lenire æstus licet, & quandoque licebit
Ducere sollicitæ jucunda oblivia vitæ,
Et canis æstivos radios vicare sub umbra.

A fronte atrium est ingens, familiæ habitationibus & equorum stabulis undique obseptum; a tergo horti spatiosi & pulcherrimi amœnitatem eleganitamque summam ostendunt, ad quos gradibus descenditur in porticum longissimam, cedris & malorum Punicorum tapetis egregie vestitam. Exornant mirifice villam, piscinæ & fontium scaturigines, fructiferæ arbores omnis generis cum vitium pergulis pulcherrimis, item sylvæ; lucique elegantes ac opacissimi, ramis ita spisso decoroque flexu se invicem amplexantibus, ut radios solis nunquam admittant, sed grata semper umbra, jucundissimo florum odore, admirando naturæ opere, ac denique æmulæ artis studio, animos oculosque recreent. Sed quis accurate satis ejus loci delitias, politissimamque maximo sumptu culturam explicabit? mihi quidem haut facile foret, nec operæ pretium esse arbitror, cum plures ejusmodi in Italia horti Calliopei & pulchriformes hinc inde conspiciantur.

Est denique in eadem insula alia Magnorum Magistrorum villa, *Torre & Giardino di St. Antonio* vocata, ab urbe Valetta tria millia passuum distans, quæ quidem non minus nobilis atque præclara est, ab Eminentissimo Principe Petro di Paula magnis expensis ædificata, omnibus amœnitatibus fructibusque refertissima, cujus Prætorium seu Palatium tantam habet copiam atque opportunitatem conclavium, ut vel Rege quovis excipiendo sufficiat. Extra veterem urbem multa Deorum simulachra, columnæ marmoreæ ruptæ, fractæ, aliaque præclara antiquitatis monumenta sæpius inventa sunt, quæ laudabili prorsus opera hac nostra ætate collegit Fr. Johannes Franciscus Abela sacræ & Eminentissimæ Religionis Hierosolymitanæ Vice-Cancellarius, in prædio suburbano promontorii Cortin (*Casino di St. Giacomo dictum*) curiose asservata. Idem ille urnam veterem, in subterranea spelunca repertam, hoc elogio ornavit:

Phœnicum urnam, qui primi a gigantum interitu
Pulsis Phæacib. Melitam tenuere fortunatam,
Cum incluso cadavere imo cinere
Post ID. & amplius lustra ex antiquæ urbis
Latebris effosam
Fundi herus publico rei antiquariæ bono
Hic prope cœmiterium vetus P. C.
Anno salutis MDCXXX. Adventus vero Sacro
Ord. Herosolym. C.

Ad eandem civitatem Melitam in agris inde Balneorum sive Thermarum expressa vestigia deprehenduntur, quorum olim usum apud Veteres in maximis delitiis fuisse, ex historiis liquido constat; hic etiam multæ cryptæ subterraneæ (quas Græci *Hypogæa*, Latini *Conditoria* nuncupant) sepulchraque in vivo saxo excisa, cœmiteria, dormitoria veterum Christianorum, ubi fidelium mortuorum corpora sepulturæ mandabantur, numero haut pauca hic conspiciuntur, ipsa antiquitate cultuque prorsus veneranda, de quibus peculiariter loca situmque referre, non abs re forte me facturum credidi.

CAP. V.

De Malta Subterranea.

MALTAM Subterraneam voco, quod certis speluncis in vivo saxo excavatis veluti civitas quædam condita sit; nam ut hæc pluribus vicis domibusque, ita illa foraminibus, cryptis sepulchrisque variis constat, quæ viis latis, multisque transversis ab invicem separatis, ac pro certo spacii tractu in unum coeuntibus, in oppidi subterranei speciem divisa continetur, cujus in parietibus continuo hinc inde sepulturæ visuntur, ex inciso lapide, nec non vetustissimis characteribus inscripta Epitaphia cum defunctorum nominibus, aliisque signis pietatem veterum Christianorum exprimentibus. Sunt & aliæ specus viis paulo angustioribus ad Labyrinthi modum factis, ita ut facilis sit aberrandi occasio curiose ingredientibus, nisi filo Ariadnæo ad fores imposito, experti ductoris manu adjuventur, apprime ut eos describit Bosius ex S Hieronymo, qui ejusmodi cœmiteria sæpe visere, dum esset puer, solebat, & ex Prudentio *in passionem S. Hippolyti: Sunt cœmiteria*, inquit, *loca subterranea, sive speluncas seu cryptas ea proprie appelles, innumeris viis & angiportis, ac frequentibus reflexibus & cuniculis, Labyrinthi cujusdam instar distincta, ita ut per ea ambulantes, si redeundi viam invenire velint, Thesei exemplo filo duce uti cogantur: in quorum parietes excavata sunt hinc inde loca, veluti armaria defunctorum cadaveribus excipiendis, quæ plerumque e testaceis tegulis, plerumque e marmoreis tabulis concludebantur, in quibus aliquando titulus in ipsa circumambiente loculum calce, ferreo stylo impressus, aliquando Epitaphium vel Epigramma in ipsis marmoribus vel tegulis incisum, & quandoque rubris seu aureis litteris inscriptum ponebatur, licet plurima sine aliquo titulo & Epitaphio, multa monumenta relicta appareant*. Hanc nimirum faciem habent sacræ cryptæ, quæ Romæ visuntur, Maltensibus maxime similes, ita ut in nullo prorsus differentiam hic deprehendas. Ex quo liquido apparet, non Romam tantum hoc nomine celebrem, sed etiam alia in orbe Christia-

no loca dari, veterum fidelium, primitivæque Ecclesiæ monumentis veneranda. Sic enim Fazellus *dec.* I. *lib.* IV. pag. 91. de Syracusis refert: *Et subter D.Joh. templum specus quædam latis viis ac transversis distinctæ, atque instar urbis excavatæ, cœmiterii suo tempore locus. Ad latera namque earum, sepulchrorum frequentia in lapide ipso excisorum visitur. Denique & ea quæ ad D.Luciæ ædem magna arte effossa cernitur.* Verum ambiget forte aliquis, an Gentilium an Christianorum hic in antris sepeliendi ritus? Et omnino credendum existimo, non solum veteribus Patriarchis in usu fuisse, ut suorum ossa in specubus reconderent, quemadmodum diserte de Abrahamo legimus c. XXIII. *Genes.* qui uxorem suam in spelunca agri duplici, quæ respiciebat Mamre, humavit, cui ipse postmodum Abraham, Isaac & Jacob accesserunt, sed & processu ævi eundem morem ad omnes Christianos primæ Ecclesiæ defluxisse. Hinc cœmiteriis talibus plerumque templa superstructa videmus, ritu Gentilibus insuetatissimo, qui secundum vias publicas monumenta posuerunt, quo prætereuntes admonerent, & illos fuisse, & se esse mortales. Vide Lipsium *de Magn. Rom.* lib. III. c. X. Certe quod cryptas Melitenses attinet, notabile in iis apparet discrimen inter sepulturas Christianorum & Gentilium: Nam etsi hi etiam speluncis usi sint, tamen extra cœmiteria habebantur, quæ solis Christianis propria, ut ipsum nomen a Græco *κοιμάω*, id est, *dormio*, innuit: dormire enim mortui in Sacris Litteris dicuntur. Deinde speluncæ Gentilium unius aut paucorum admodum cadaverum capaces fuere, cum expresso aliquo gentilitatis signo: veluti vasorum funeralium, urnarum, cinerum, &c. Christianorum vero centena aliquot cadavera comprehendebant, & ingentem sepulchrorum numerum, cum evidentissima Christiani nominis nota, utpote cruce, Sanctorum imaginibus, & aliis similibus indiciis, fidelium hic demortuorum dormitoria exstitisse indubitato evincentibus. Plures autem ejusmodi specus per totam insulam hinc inde sparsæ inveniuntur, quarum inprimis memorabilis ea est, quæ *Cœmiterium sancti Pauli* hodie dicitur, ejusdem Ecclesiæ contiguum, vivo ex lapide manu excisum, visuque mirabile, in quo viæ infinitæ, in plures viculos gyrosque instar Labyrinthi divisæ, quæ ingredientem in errores seducunt, & nisi Thesei exemplo filo te regas, nunquam ex istis latebris educunt. Ad latera sepulchrorum in lapide ipso excisorum magna frequentia, & ipsa spelunca instar excavatæ cujusdam urbis amplissima in circuitu aliquot mill. pass. patet, in quam per scalas facilis descensus,

Sed revocare gradum superasque evadere ad auras,
Hoc opus, hic labor est,

qui tamen experto duce, & lumine accenso non difficulter superari solet. Altera crypta subterranea a *S. Agatha* nomen habet, cum suo cœmiterio, cui templum an. MDIV. inædificatum, ut sequens ostendit Inscriptio:

Opus hoc fieri curaverunt cives & incolæ Milevitani ad honorem Dei & sanctæ Agathæ virginis & martyris, inceptum fuit de mense Maii die ejusdem XXV. *anno Incarnationis* MCCCCCIV. V. *Indict.*

In hoc antro variæ imagines S. Agathæ aliorumque sanctorum, diversique generis cruces passim parietibus depictæ, aut insculptæ reperiuntur. Vetustissimum etiam altare e vivo saxo excisum, aliaque insignia Christianæ pietatis monumenta sicut in reliquis cavernis, ita hic quoque non pauca occurrunt. Cœmiterium ipsum ingens, cujus finem nondum exploratum constat, itinere in quibusdam locis terræ ruina impedito, saxisque obstructo. Tertia deinde crypta est *cœmiterium S. Veneræ*, non multum ab urbe Notabili dissitum, in quo ipsa Sancta depicta cernitur, manu tenens vas igne plenum, sicuti communiter ab Ecclesia Romana figurari solet. Fuit autem virgo & martyr natione Galla, a Græcis Ἁγία παρασκευὴ dicta, quia die sancto Parasceves primum lucem aspexit. Spelunca multis sepulturis undique distincta, quæ sic satis spatiosum terræ tractum occupat, quousque penetrandi datur copia, nam & hic in nonnullis locis lapsu terræ transitus prohibetur. Est quoque subterranea caverna *S. Cataldi* nominata, prope cryptam St Pauli, cujus cœmiterio templum superexstructum, eidem sancto sacrum. Sic etiam uno ab urbe lapide supra colliculum, qui orientem spectat, alia visitur, quæ a *St. Maria de Virtute* denominationem trahit, vulgo *il Cimiterio di Santa Maria della Virtu* dicta, in quam per gradus descenditur subter terram columnis aliquot, ne illabatur, caute suffultam. Eminet denique inter alias ejusdem St. Mariæ crypta, *Cimiterio di Santa Maria della Grotta* nuncupata, ob religionem loci & memoriam priscæ Ecclesiæ, cujus multa præ se fert insignia, in summa veneratione, cultuque semper habita, supra quam Dominicani hodie Templum Conventumque amplissimum fundarunt, occluso cœmiterio vetustissimo, quod eidem proxime adhærescit. Postremo maximi momenti est cœmiterium, quod vulgo *Abbatia* audit, ita dictum, quia olim Abbatiam Ordinis St. Benedicti eo loco exstitisse, certissime creditur. Hodie ingens spatium hic apparet subter terram humandis mortuis destinatum, cum triplici sepulchrorum ordine, in vias angulosque varios distinctum, ingressu facili, & transitu valde opportuno. Ibi inter cætera vas ex ipso saxo affabre excisum reperitur, cum foramine in fundo, lavacro simillimum, in quo antiquos Christianos cadavera forte defunctorum prius abluisse, antequam sepulturæ mandarentur, non abs ratione putatur, cum id ipsum Veteribus quondam in more positum fuerit, ut testatur Antonius Bosius in *Roma Subterranea*. Sic etiam effigiem Christi S. Johannis Bapt. &c. variique generis cruces more Græco pictas passim hic cernere licet, vetustæ Christianæ pietatis luculentissima signa. In medio cœmiterii spiraculum est, ubi lumen intrat, contra imbres & aquarum injuriam satis munitum: sed de his pauca hæc dixisse sufficiat, cum cæmiteriorum formam, quæ Romæ sunt, quæque ab his Maltensibus nihil distant, ex eruditissimo opere Antonii Bosii, fusius meliusque addiscere possimus. Illud tantum hic addere lubet, Usum harum specuum præcipue duplicem fuisse; primo enim sanctorum Martyrum, aliorumque fidelium mortuorum corpora, sepulturæ hic tradebantur, ac deinde veteres Christiani in illis locis subterraneis latitabant, ad effugiendas, vel mitigandas Gentilium persecutiones, quod credibile est etiam Melitensibus usu venisse tempore Sarracenorum superbissimæ tyrannidis.

CAP. VI.

De vario Insulæ Melitæ dominatu,

PRINCIPIO rerum Melitam sive Hyperiam Phæacum sedem fuisse, Homerus & plerique alii vetustissimi rerum antiquarum scriptores tradunt, qui paulo ante bellum Trojanum cum Nausithoo, patre Regis Alcinoi, eam reliquerunt, pulsi non a Cyclopibus (ut nonnulli per errorem opinati sunt) sed ab ipsis haud dubie

Phœnicibus insulam paulo ante Trojanam expeditionem occupantibus, de quibus ita Thucydides *l.* VI. ubi de variis habitatoribus Siciliæ loquitur. *Phœnices præterea circa omnem habitabant Siciliam, occupatis extremis ad mare partibus, parvisque insulis ei objacentibus negotiandi cum Siculis gratia.* Quænam autem hæ insulæ fuerint Siciliæ adhærentes, explicat Diodorus Siculus *l.* v. *Siciliæ versus meridiem tres insulæ medio in pelago objectæ sunt, quarum unaquæque urbem habet & portus, qui tutos navibus tempestate jactatis receptus præbent. Prima est quæ vocatur Melita,* Dccc. *stadia a Syracusis distans.* Et postmodum subjungit: *Est autem hæc insula Phœnicum Colonia, qui cum negotiationes suas ad Oceanum usque Occidentalem extenderent, refugium in hanc insulam ob portuum commoditatem, & in alto mari situm, habebant.* Et deinde in *eodem libro*, ubi de navigatione Phœnicum agit, hæc verba addit: Ex qua *negotiatione per multum temporis opulentiores facti Phœnices, multis postea annis Colonias non paucas in Siciliam, & vicinas ei insulas, hoc est, Melitam & Gaulum, in Africam, item & Sardiniam Hispaniamque deduxerunt.* Sic jam satis opinor liquet, Melitam Phœnicum Coloniam fuisse: nunc superest, ut videamus, quinam illi populi fuerint, & de his ita loquentem in medium adducemus Laurentium Corvinum in *sua Geographia de Asia* cap. XVI. *Phœnices qui quondam ab Erythræis profecti, primi fuisse dicuntur, qui mare navibus pertentarunt, primi etiam qui reperierunt hunc mercandi usum, quo homines adcupiditatem & avaritiam excitarent, quive primi cœli stellarum cursum omnium superiorum motuum studio & ingenii magnitudine comprehenderent. Hi enim sunt qui Joppen, Gazam & Elaida incolunt, qui Tyrum illam perpulchram, & veterem civitatem habitavere, ab initio quasi condita (autore Strabone.)* De iisdem Dominicus Niger in *sua Geographia* in hunc modum disserit: *Alii nonnulli tradunt, Phœnices olim a Græcis vocatos fuisse, quia initio sua littora adnavigantes, omnes interficiebant, sic enim nomen id sonare videtur. Alii, quia illos accolas maris rubri fuisse, & huc in Colonias deductos esse Phœnices, id est, rubros vocari volunt. Alii a Phœnice Agenoris filio vocitati, qui cum Cilice fratre ad inquirendam sororem a patre missus, hic tandem sede fixa permansit, & a se Phœniciam dictam esse: in hoc loco scientiam computandi & Arithmeticam propter mercaturam inventam fuisse scriptores tradunt, in quibus Josephus: similiter & litterarum inventionem, & siderum navaliumque ac bellicarum artium, teste Plinio.* Illud certo constat, Tyrum præcipuam Syriæ urbem eos incoluisse, de qua Q. Curtius *libro* IV. ita disserit: *Tyrus, & claritate & magnitudine ante omnes urbes Syriæ, Phœnicisque memorabilis.* Et mox paulo inferius: *Urbs & vetustate originis, & crebra fortunæ varietate ad memoriam posteritatis insignis, condita ab Agenore. Hæc gens litteras prima aut docuit, aut didicit. Coloniæ certe ejus pene orbe toto diffusæ.* In hac urbe Tyro inprimis colebatur Hercules, ob id Tyrius dictus, de quo etiam Curtius de Alexandro Magno loquens: *His compositis Herculi Tyrio ex auro craterem cum* 30. *pateris dicavit.* Apud Melitenses idem Hercules in summa veneratione fuit, adeo ut templum religiosissimum ei in insula erectum, ob magnificentiam amplitudinemque ubique celeberrimum, certo argumento Phœnices aliquando hic imperium tenuisse. Ulyssem quoque ad hanc insulam in longo illo suo errore delatum, & a Calypso Atlantis filia, quæ in magna spelunca hic habitabat, aliquot annos detentum fuisse multorum scriptorum constans est autoritas. Tunc autem temporis insula *Ogygia* dicebatur, Homeri versibus decantatissima, qui ita eam describit VII. *Odyss. Ogygia*

A *quædam insula longe in mari jacet, Ubi Atlantis filia dolosa Calypso habitat,* &c. Sed clarius in *Odyss.* lib. I. *In insula circumflua, ubi umbilicus est maris,* —— *Dea vero domicilium hic habet Atlantis filia.* Qualitates, quas insula Melita oppido omnes agnoscit, nam ob altum in mari situm alias Pelagia, adeoque umbilicus maris dicti fuit, a continenti longius ulla alia insula distans. Idem confirmatur testimonio Cluverii *de Erroribus Ulyssis* fol. 474. *Verum (inquit) Melitam insulam Homero habitam esse Ogygiam Calypsus sedem superiori capite (c.* XVI. *) plurimis ostensum est documentis.* In hanc igitur Ulysses malo navis, carinæque insidens, ac
B manibus suis remigans, post nonum tandem diem pervenit, quam sententiam etiam laudat P. Manduca, e Societ. Jesu in *Histor. S. Publii Melitæ principis* c. III. n. 10. *Nam in eo tractu fuerat palatium miro ordine in speluncis excisum ex Homericis notis, recenter deprehensum a Philippo Cluverio, in* descriptionibus Melitæ & Siciliæ. *Dum enim Homerus describit specum, in quo Calypso Atlantis filia plures annos Ulyssem naufragum inclusum detinuit, solum extimum specus arboribus consitum & aquis irriguum refert fuisse, fenestras vero inferioris domicilii ad mare obversas, quæ signa cernuntur in isto specu, merito Clu-*
C *verius Melitam existimavit fuisse Calypsus insulam, coacervatis aliis conjecturis.* Huc usque Manduca. Ulysses igitur ad Ogygiam hanc insulam appulsus a Calypso Nympha susceptus, ejusque consuetudine satis diu multumque usus Nausithoum & Nausinoum filios (ut Hesiodo placet) ex ea genuit, ac deinde post septem annorum moram in Phæaciam (*Corfu*) sive Scheriam navigavit. Post Phœnices, qui insulam 448. annos tenuere, capto Ilio, Græcorum multi cum navibus huc trajicientes, relictis plerisque Mothyam & Soluntem ac Panormum, sedibus ibi positis una incoluerunt, quæ verba sunt Thucydis, quippe Chalcidenses Eubœæ Theoclis
D ductu, qui Naxum condidit, in Siciliam Græcorum primi venerunt ante Christum ann. DCCXXXIX. ab orbis origine MMMMCCCCLX. Nihil autem certius quam jam tum sub primum in Siciliam trajectum pulsos fuisse a Græcis e Melita insula Phœnices, eaque una ratio est, cur insulas parvas Thucydides tribus illis locis, Solunti, Panormo, ac Mothyæ non adnumeret. Vide Cluverium *Sicil. Antiq.* lib. II. cap. XVI. fol. 434. Huc jam accedunt & inscriptiones antiquæ marmoris ac numismatum, de quibus videri potest Hubertus Goltzius in *antiqua Sicilia*, Georgius Gualtherus
E in *suis Inscript. Sicil.* Illud verissimum, Numismata ænea affabre facta passim ibi reperta, quorum aliquot vidi apud Joh. Franciscum Abelam S. Relig. Hierosolym. Vice-Cancellarium, Græcis inscriptionibus notata, quas idem fusius explicat in *Descriptione Maltæ.* Quintinus quoque testatur, numisma vetus se habere ex ære, in quo altera parte excisa Deæ Junonis effigies, altera Remi latitudo hac inscriptione ΜΕΛΙΤΑΙΩΝ. Ejusdem etiam meminit Fazellus *dec.* I. *lib.* I. *cap.* I. adeo ut extra omnem dubitationis aleam positum sit, Græcos aliquando hic rerum potitos fuisse. De Carthaginensium postmodum dominatu res non
F minus manifesta est, ut inter alios idem Fazellus *dec.* I. *lib.* I. *cap.* I. autumat. *Melita*, inquit, *principio rerum Batto Regi, opibus & hospitii fœdere cum Didone celebri, atque exinde Carthaginensibus paruit, cujus testes sunt lapideæ columnæ, plures passim in ea obviæ, vetustis Carthaginensium characteribus ab Hebræis non dissimilibus insculptæ.* Imo Ovidius *l.* III. *Fastor.*

Fertilis est Melita, sterili vicina Cosyræ
Insula, quam Libyci verberat unda freti.

Hanc petit hoſpitio Regis confiſa vetuſto:
Hoſpes, opum dives, rex ibi Battus erat.

Verum ut obiter hoc attingam, non ſolum Dido Phœniſſa hic hoſpitio ſuſcepta, ſed etiam poſt ejus mortem Anna ſoror, quæ Carthaginem ab Hiarba Getulorum Rege occupatam relinquens, profuga ad Battum Melitæ inſulæ Regem navigavit, quo demum relicto, mare ingreſſa in Laurentum littus delata, & ab Ænea comiter accepta fuit, non ſine mutui cum eo amoris ſuſpicione, adeo ut in odium Laviniæ veniret, cujus inſidias declinatura, ſe in Numycium fluvium præcipitavit, de quo Ovidius l. IV. *Faſtorum*. Vide Thomam Dempſterum *Antiquit. Rom.* l. II. cap. XVII. Quintinum, Cluverium, Joh. Raviſium Textorem.

Carthaginenſibus deinde a Romanis devictis, eodem quo Sicilia tempore, Malta dominos mutavit, de qua re conſulendus Bonfilius in *Hiſt. Sicil.* P. I. lib. III. Dionyſius Petavius in *ſua Chronol.* Paulus Onuphrius *lib.* IV. *c.* XI. Mariſottus in *Orbe maritimo*, lib. I. cap. XIV. Livius *Dec.* III. *lib.* II. & ejuſdem Epitomator Florus *cap.* IIX. *lib* VII. iiſdem etiam quibus Sicilia jure ac prætoribus ſemper uſa. Fazellus *rer. Sicul.* dec. I. lib. I. cap. I: Polybius *lib.* I. Plutarchus in *Marcello*, ultra teſtimonium veterum monumentorum & inſcriptionum non ſolum in inſula Melita, ſed & vicina Gaulo exſtantium, quæ curioſe a Gregorio Gualthero collectæ, Romanorum in utramque inſulam jus poteſtatemque ſatis abunde demonſtrant. Sed neque horum conſtans diu & tranquilla dominatio: nam cum lapſu temporis Melitenſes ob portuum commoditatem, & in profundo mari ſitum (ſecundum Diodorum Sic.) mercatorum beneficio ſtatim & opibus augerentur, & nomine inclareſcerent, cœperunt paulatim ab Imperii Romani ditione ſe ſubtrahere, teſte Appiano Alexandrino, quem adducit BierlingK Canonicus Averſæ in Regno Neapolitano, in *Theat. vitæ humanæ* lit. E. pag. 347. his verbis: *Appianus Alexandrinus ait Cæſarem* (ſcilicet Dictatorem circiter annum ante Chriſti ortum XLV.) *Melitenſes cum defeciſſent, magno & difficili bello ſuperaſſe, quod maris potentes eſſent, & excurſionibus omnia loca infeſtarent, ac cæſis infantibus reliquos captivos venundarent. Quoniam igitur tanto labore eos domuit, eos magnis opibus & viribus inſtructos fuiſſe oportet: ac licet victis Carthaginenſibus a Romanis ſubacti fuerunt, tamen recollegerunt ſe, & viribus ſuperiores jugum Romanorum excuſſerunt.* Gothi poſtea, Juſtiniano imperante, Siciliam, ejuſque inſulas Melitam & Gaulum occuparunt, ſed Belliſario Duce anno XVII. illis expugnatis omnia recepta fuerunt. De quo vide Procopium, quem apud ſe tum velut oneris Imperatorii adjutorem Belliſarius habebat, lib. I. *rer. Vand.* Zoſim. *Com. de bell. Vandal.* in Procop. lib. I. Fazellus *de reb. Sicul.* dec. II. lib. V. cap. III. Sarraceni deinde, Michaele Balbo rerum potiente Conſtantinopoli anno ſalutis ferme DCCCXII. confertiſſima claſſe Siciliam aggreſſi eam cum ſuis inſulis totam ſibi armorum ſævitia ſubjugarunt, quam poſtea triginta ferme ſupra ducentos annos tenuerunt. Fazellus *de reb. Sic.* dec. II. lib. VI. cap. I. ubi de Sarracenorum initiis atque progreſſu fuſiſſime tractat, cui omnino adjungendus Luis del Marmol libro II. *della deſcrittione d'Africa*, autor Hiſpanus, qui patrio ſermone rerum African. Hiſtoriam atque Sarracenorum tenuem & prope deſpectam originem, quæ poſtea in ſummam excrevit potentiam, curioſiſſime conſcripſit. Normanni autem Ducibus Roberto Guiſcardo & Rogerio Boſſo, germanis fratribus Sarracenos felici & admirabili victoriæ curſu ſuperantes, ex Sicilia Melitaque exterminarunt anno MXC. ſecundum Maurolicum; ex quo deinceps utraque Chriſtianis Principibus paruit. Mariſottus *Orbis maritimi* lib. XI. cap. X. Buonfiglio P. I. *lib.* IV. Gothofredus Malaterra *l.* IV. *c.* XVI. Pirrus in *Notit. Melitenſ.* Rogerius namque, totius jam Siciliæ Comes, ulterioris imperii ſtudio Melitam, quæ Sarracenis adhuc parebat, navigavit, & mox urbem arcemque ipſam adeptus, reſtitutis ante Chriſtianis, quos captivos habebat, Gaitus Sarracenorum princeps libertate & rerum & Religionis impetrata, in fidem totam inſulam accepit; eiſdem conditionibus & Gozum in poteſtatem redegit, de quo Fazellus *dec.* II. *lib.* VII. *c.* I. Poſt Rogerium Simon ex Andeluſia ſecunda ejus uxore filius major natu ad principatum Calabriæ & Siciliæ, adeoque Melitæ evectus fuit, cui nulla relicta prole ſucceſſit Rogerius germanus ejus frater, primus Siciliæ Rex Panormo CIↃ CXXIX. coronatus, quem falſo aliqui Rogerii Boſſi Siciliæ Comitis ex fratre nepotem aſſerunt. Is Guilielmo regni diadema adhuc vivus impoſuit, eumque ſibi Imperii conſortem aſcivit, qui & patris ſucceſſor, & avaritia ſimul ac crudelitate nulli ſecundus exſtitit, ob id nomen *Mali* ſortitus, a quo in filium unicum Guilielmum II. *Boni* cognomento omnibus gratiſſimum, rerum ſumma devenit. Hoc Guilielmo abſque liberis, vel quoquam alio legitimo herede, demortuo, Siculi Tancredum Rogerii ex pellice prognatum, Regem declarant, quem poſtremo excepit Rogerius filius, Guilielmus pleriſque, ſed minus recte, appellatus, ut vult Fazellus, ab Henr. V. Imperatore captus, & omni ditione privatus, exſtincta in eo Normannorum ſobole, ex qua olim in Sicilia magni Principes annos centum triginta quinque regnaverunt, translatoque ad Suevos regno. Henricus enim Cæſar hujus nominis quintus, ſive ſextus, ut alii colligunt, patre Friderico I. Cæſare ex Suevorum ſanguine natus, cum Conſtantia conjuge Rogerii Regis Siciliæ filia Panormi more majorum regium ſceptrum, ſibi jure uxorio debitum, ſuſcepit, quod deinde unico filio Friderico ſecundo, poſtquam ipſe fatis ceſſerat, per manus quaſi tradidit, in cujus filio Conrado & Conradino Nepote, a Carolo Andegavenſi Neapoli publico judicio ſecuri percuſſo, nobiliſſima vetuſtiſſimaque Suevorum ſtirps deſiit, Suevia nativo Principe carente, & in provinciam redacta, poſtquam diu imperio præfuit, & annos ſeptuaginta ſex in Sicilia regnavit.

Germanis in Siciliæ imperio abdicatis, Galli, Carolo Andegaviæ Duce Ludovici Francorum Regis inter Sanctos relati germano fratre a Clemente IV. ſuffecto, regno ſunt potiti, quibus omnibus poſt decem & ſeptem annos una veſpera diei Paſchatis anno ſalutis CIↃ CCLXXXII. a Siculis interemptis, Arragonenſes denique ſucceſſerunt, vide Fazellum *dec.* II. *lib.* IIX. *cap.* IV. Bonfigl. P. I. *libro* VIII. Horum primus fuit Petrus Arrogoniæ Rex, qui Siciliæ regnum non tantum ſui juris fecit, ſed & contra inſulam Melitam, quæ Caroli adhuc parebat imperio, Manfredum Lanceam cum copiis amandavit. Is dura obſidione eam ſtatim opprimere cœpit, quo intellecto Carolus XIX. triremes, quibus Guilielmus Cornelium præfecit, eo ad auxiliandum Melitenſibus deſtinat, quod ubi Rogerius Lauria, Claſſis Arragonicæ præfectus, reſcivit, confeſtim cum una & viginti triremibus Melitam & ipſe navigat, ubi vario Marte pugnatum eſt, randem victoria Arragonenſibus parta, Melitaque armis ſubacta. Interea Carolus Guilielmum Tornerium cum decem & novem triremibus ad

Melitam repetendam emisit, quem mox Rogerius Lauria cum duodecim tantum triremibus non longe a Melita adortus, commisso prælio Francorum vires plane contrivit, occiso Guilielmo, & tredecim hostium triremibus captis, ac sex fugatis. Videatur Zurita, Tom. I. *l.* IV. *c.* XLIII. Ramon Montaner *c.* LXXXII. & seqq. Bonfil. *hist. di Sicil.* P. I. l. IIX. Marisotus in *Orbe Maritimo* l. II. c. XII. Fazellus *dec.* II. *l.* IX. *c.* I. Ita nimirum ea tempestate de Malta sævissime dimicatum fuit, utpote ad obtinendum maris dominium, conservationemque Siciliæ opportunissimo, ac valido propugnaculo, quæ deinde una cum Gaulo semper Arragonensium imperio, imo Siciliæ inprimis regno subjacuit, usque ad Ferdinandum, ob Maurorum, Judæorumque ex Hispania expulsionem Catholici nomen adeptum, in quo Arragonensis stirps inclyta defecit, postquam in Hispania diu, in Sicilia vero, Melitaque CCXXX. annos felicissime regnaverat. In hujus illustris familiæ dominatu accidit, ut insula Melita una cum Gaulo propter frequentes hinc inde factas expeditiones, bellique immensos sumptus aliquoties a Regio dominio fuerit abstracta, imo & nonnullis Baronibus ob præclara in Rempublicam merita singularis præmii loco sub Marchesatus titulo assignata, vide Zuritam, in *Annal. Arragon.* lib. XIX cap. IV. circa finem, ac alibi, Pirrum in *Notitiis Melitens.* Hubertum Fogliettam, in *Hist. di Genova*, l. VII. fol. 305. quæ tamen postea sub Rege Alphonso circa annum CIↃ CCCCXXIIX. Coronæ Regiæ rursus unita, & omnibus suis juribus restituta fuit. Denique Carolus, Maximiliani Cæsaris ex Philippo filio, & Ferdinandi Catholici ex Johanna filia nepos, amplissimorum regnorum hæres, successit, & ita defuncto Ferdinando anno 1516. absque virili prole, ex Arragonensium stirpe ultimo, Hispania & Sicilia adeoque MELITA in faustissimam Germanicæ nationis Austriæ Ducum prosapiam venerunt, Fazellus l. X. c. I. decad. post. *de reb. Siculis*.

CAP. VII.

De Equitum Johannitarum origine, & adventu in Insulam MALTAM.

PRIUSQUAM de celeberrimæ hujus Insulæ regimine, & quomodo Equitibus Rhodiis ejus possessio obvenerit, aliquid dicamus, necessum erit, originem antiquissimi juxta & nobilissimi hujus Ordinis militaris paulo altius indagare. Cum anno Christi millesimo duodecimo Turcæ, edita magna hominum strage, Ægyptum, Syriam & Hierosolymam occupassent, Calipha Ægyptius ea fuit humanitate, ut templum Dominici sepulchri, Bethleemiticum & montis Sionis illæsum conservarit, quarta urbis parte Christianis circa ea loca sacra ad habitationem concessa, qua etiam indulgentia cæteri successores usi usque ad Hequem Calipham, ex matre Christiana natum, & eam ob causam eo magis Christianis infensum, ut sub specie crudelitatis omnem suspicionem alicujus favoris erga maternam gentem abs se amoliretur. Is tam immani persecutione Christianos afflixit, ut plerisque omnibus indigenis cæsis, exteros metu deterritos a consueta peregrinatione & cultu locorum sacrorum impie repelleret.

Interea accidit, ut Amalphitani ex Regno Neapolis propter varias merces in Orientem advectas, Turcis gratissimas, Caliphæ Ægyptio, cœterisque Præfectis & incolis Syriæ innotescerent, atque hoc modo non solum venia impetrata libere negotiandi iis in oris, omnes regiones adirent, sed & ubique essent acceptissimi, & data occasione quandoque etiam ipsa loca sacra inviserent; quo factum, ut amplissimum locum domicilii Hierosolymis illorum petitioni Calipha concesserit, ubi mox opportunas ædes, & in honorem DEI, ac Mariæ Virginis, *Monasterium, vocabulo sanctæ Mariæ Latinorum*, exstruxerunt Abbate & Monachis ex Amalphia Civitate exterioris Italiæ prope Salernum eo transvectis. Sed cum virorum hoc tantummodo receptaculum esset, & devotæ etiam aliquot mulieres, omnibus periculis & laboribus spretis, ex longinquis regionibus itinere facto, templis adhærerent, dicti Amalphitani propriam quoque domum & Oratorium iisdem posuere, ubi certus Monialium numerus constitutus, quæ continuo peregrinantibus fœminis inservirent.

His initiis Ecclesia aliquantum restaurata, sumptus etiam suggerente Constantino Monomacho, temploque divinæ Resurrectionis recuperato, anno salutis millesimo quadragesimo octavo, icto inter Græcos Impp. & Rectores Ægypti fœdere, multi nobiles & plebeii ex variis Christianorum provinciis ad loca sacra rursus confluere cœperunt, quorum plerique ab Infidelibus in via bonis exuti vix nudi ad urbem maximo discrimine penetrabant; extra mœnia vero fame, siti & corporis nuditate exspectare oportebat, donec numismate aureo oblato a Janitoribus introitum impetrarent; imo ingressis & loca sancta peragratis vix erat spes refectionis unius diei, nisi quantum a dicto monasterio suppeditaretur. Rebus ad eas angustias redactis, viri illi pii, qui Monasterium Latinorum incolebant, victui & vestitui detrahentes, intra ambitum sibi assignatum xenodochium erexerunt, in quo peregrini sani & ægroti colligerentur, ut ab injuriis cœli & Turcarum insidiis tuti forent, adjuncto etiam Oratorio in honorem DEI & S. Johannis Baptistæ, abs quo Johannitarum; sicut ab illo Hospitalariorum nomen traxere. Et quoniam initio huic fundationi certi reditus deerant, cives Amalphitani singulis annis Præfecto Hospitalis collectam hinc inde pecuniam transmiserunt, ut advenientibus Christianis subsidio esset.

Talibus principiis, parvis sane & difficultate plenis, Hospitalarii cœperunt, quibus postmodum tractu temporis in præclarum novum Johannitarum Ordinem longe lateque diffusum assurgentibus, sub Regibus Hierosolymitanis, propter eximias virtutes & excellentem fortitudinem, amplissimæ dignitates & opes conferebantur. Nam cum illorum instinctu & litteris ad Urbanum II. Pontif. Max. datis, in celeberrimo Galliæ Concilio Claromontano, anno millesimo nonagesimo quinto, Henrico IV. in Occidente, atque Alexio in Oriente Imperium curantibus, expeditio sacra contra Turcas decreta esset, de qua vide Henricum Pantaleon. in *Histor. Ord. Johann.* l. I. ejus belli summa Gothofredo de Bouillon Lotharingiæ Duci demandata, suffragantibus omnibus aliis Principibus cum Eustachio & Balduino duobus fratribus in partes assumptis, quarto Nonas Julii millesimo nonagesimo nono, atque tertio hujus sacræ expeditionis anno urbs Hierosolymorum in Christianorum potestatem fuit redacta, ad quam victoriam Hospitalarii magnum momentum attulere, adeo ut Gothofredus, paulo post regio titulo inauguratus, sed *aurea corona redimiri eo in loco, ubi Christus mundi Salvator spineam gestasset*, renuens, Gerhardo Xenodochii Magistro gratiis actis pro strenua suorum in expugnatione urbis opera, statim plurima bona intra & extra urbem ipsis attribueret, ut liberalius Christianos peregrinantes excipere, atque Barbaris hostibus resistere possent. Regno hoc modo vix accepto, gravi pestilentia Hierosolymis exorta Gothofredus, magno Christianorum luctu abreptus, de-

cimo quinto Calendar. Auguft. anno 1100. in Ecclefia Dominici fepulchri fub loco Calvariæ, ubi paffus eft Dominus, regio monumento conditus fuit, quem Balduinus I. frater excepit, regni pariter & amoris erga Hofpitalarios digniffimus hæres. Is enim bello feliciter contra Arabes gefto, non tantum regium nomen contra Infideles forti manu afferuit, fed & memor fidelitatis in eo fibi præftitæ, Hofpitalariis aliquot arces & oppida tradidit defendenda. Illi ergo conventu habito, poft Gerhardum, Magiftrum fibi eligunt Baymundum de Podio Florentinum, qui certum Ordinem horum Fratrum primus inftituit, eifque talem Regulam præfcripfit: *In nomine Domini Amen: Ego Raymundus de Podio Servus pauperum Chrifti, & Hofpitalis Hierufalem Cuftos, de Concilio Capituli Fratrum inftituo hæc in Domo Hofpitalis Sancti Johannis Baptiftæ Hierufalem. Præcipio enim, quod omnes Fratres accedentes ad obfequium pauperum & tuitionem fidei Catholicæ teneant, & cum divino præfidio fervent, tria, quæ promiffa funt* DEO, *videlicet*, CASTITATEM, OBEDIENTIAM, *hoc eft, quod adimplebunt, quicquid eis erit injunctum a fuo Magiftro: atque* VIVERE SINE PROPRIO, *quoniam* DEUS *requiret hæc tria ab eis in ultimo judicio*. Johannes Bapt. Rondinellus in *ftatutis Hofpitalis Hierufalem*. Huic voto etiam aliæ leges additæ, quibus Hofpitalarii obftringuntur, uti alibi convenientiori loco memorabimus, & ita Ordo hic militaris primum certum habitum, & indies majus incrementum fumpfit. Nam non folum Patriarchæ Hierofolymitani, & Romani Pontifices eum approbarunt plurimis privilegiis ornatum, fed etiam illorum opera poftea Reges & Principes in Oriente ufi multa præclara facinora terra marique contra Sarracenos, Arabes & Turcas edidere.

Balduino I. ad Carram Mefopotamiæ urbem capto, fed poftmodum liberato, & mox exftincto, Principibufque Chriftianis in varias partes fciffis, eligitur alter Balduinus de Burgo Edeffæ Comes anni 1119. quo tempore Templariorum Ordo inftitutus & Teutonici initia jacta, authoribus Bremenfibus & Lubecenfibus, Hieronym. Megiferus in *delitiis Ordinum Equeftrium*.

Hic patruelis fui fucceffor Martis quoque varia fortuna ufus, peffimo fato etiam a Turcis captus, mox reftitutus Fulconi Turonenfium, Cenomanenfium, & Andegavenfium Comiti in generum adfcito anno 1128. cum filia Imperii fafces tradidit, qui anno regni undecimo in venatione equo delapfus mifere interiit.

Illum fubfecutus filius Balduinus III. urbem Afcalon in Ægypto expugnavit, cui expeditioni Raymundus domus Hofpitalis Magifter cum fuis ipfe interfuit, atque cum hoc modo negotia regni Hierofol. fatis profpere fuccederent, etiam Johannitarum Equitum Ordo indies magis magifque caput extollens plurima oppida, vicos & bona a Rege & Principibus ob virtutem in Terra fancta obtinuit, adeo ut magnæ fimultates inde ipfis cum Patriarcha Hierofolymitano exortæ fuerint. Conquerebatur enim, quod decimas prædiorum ipfi negarent, quod fumptuofas domus ante Refurrectionis Ecclefiæ januam in fui contemptum ædificarent, imo excommunicatos, & ab Ecclefia feparatos ad fe reciperent, ægrotis fuprema unctione & mortuis fepultura haut negata, quæ res caufa fuit, ut partium ftudiofi etiam in templis mutuis fe telis conficerent. Unde Patriarcha centefimo fere ætatis anno, verno tempore, fe mari commifit, & Romam ad Pontificem evolavit, ut adverfarios accufaret, & Ecclefiæ fua jura afferetet, fed irrito fucceffu. Nam Hadrianus IV. Papa in Cardinalium Senatu pro Johannitis pronunciat, eorum bonis a jurifdictione Patriarchæ & Epifcoporum exemptis, abs quo tempore Ordo Johannitarum Pontificis Romani authoritate, opibus, & dignitate plurimum crevit, atque apud Principes in majori exiftimatione & honore fuit.

Balduino a Judæo medico pillulis veneno mixtis perfide fublato furrogatur Amalricus ejus frater anno 1159. qui Alexandria urbe potitus cum Gilberto Affaly Magiftro domus Hofpitalis Johan. pepigit, ut victoria adepta, Pelufium cum univerfa circumjacente regione eorum Ordini in perpetuum cederet, veluti poftmodum magno fumptu expugnatum tenuere.

Balduinus IV. Amalrici filius mortuo patre, Hierofolymorum feptimus Rex a Proceribus electus fuit, anno 1172. & varia fortuna conflictatus anno regni fui duodecimo vita conceffit, poftquam Balduinum V. nepotem fuum ex forore, annorum quinque puerum in regno fuccefforem, de communi Principum confilio, denominaffet, qui feptem tantum menfibus fuperftes avunculo fuo Guidoni lampada tradidit. Sub hujus imperio Fata regnum Hierofolymitantum urgere, & propter Chriftianorum Principum diffenfiones in miferabilem ruinam trahere cœperunt. Nam Saladinus anno 1170. ad Ægyptiaci regni gubernacula evectus, tam commoda occafione arrepta, cum nihil jam præftare fortuna majus poterat quam Chriftianorum difcordiam, anno Salutis 1187. magno noftrorum dedecore Hierofolymam occupavit, quam illi per undenonaginta annos inhabitaffent. Mox Latini parentes cum liberis, nobiles atque plebeii ingenti luctu urbe exceffere, ad Tripolim, Tyrum & Antiochiam fuga delapfi, quæ folæ tres urbes in hifce tumultious Chriftianis ad breve tempus falvæ permanferunt, Johannitis folis hactenus Barbaris refiftentibus, quibus poft diverfas expeditiones Friderici Imperatoris anno 1189. Richardi Angliæ, Philippi & S. Ludovici Galliæ Regúm, anno 1237. aliorumque Principum e Terra fancta difceffum, multi nobiles viri fe adjunxere, omnibus fuis bonis tranfmarinis iifdem attributis. Inprimis vero illis accedebant propterea, quod Templarii ob amicitiam cum Turcis multis fufpecti & invifi effent, Teutonici autem tantum fuæ gentis homines affumerent, quomodo etiam paulo poft Templariorum Ordine plane exftincto, majori ex parte eorum poffeffiones & prædia utrique Ordini Johannitarum & Teutonico adjudicata fuere, tefte Henrico Pantaleone lib. III. *Hiftor. Johann.* quibus opibus aucti, ex omnibus terræ partibus adeo Johannitæ in maximum cœtum coaluerunt, ut quanquam difcordia Chriftianorum Syria amiffa, inftructa protinus claffe omnia littora Sarracenica infeftarent, & duce Vilhelmo Villareto Magno Ordinis Magiftro, tandem poft multas cruentas oppugnationes 18. Cal. Sept. anno 1308. nobiliffimam Infulam Rhodum, una cum quinque adjacentibus, *Nicoria*, *Epifcopia*, *Iolli*, *Limonia* atque *Sirana* in fuam poteftatem redigerent, quas omnes, inprimis Rhodum, ita opere & impenfis munitas reddiderunt, ut quicquid in mari Chriftianis reftabat, integrum confervarent, cœterofque peregrinos, qui Hierofolymam proficifcerentur, defenderent, quamvis magnis & perpetuis bellis a Turcis fruftra premerentur, Johannes Fontanus *de Bello Rhodio*, donec anno Salutis 1528. Solymannus tercentum & eo amplius armatorum convectis millibus fumma ac graviffima fex menfium obfidione Rhodum invaderet, Johannitis incredibili fortitudine, animi robore, labore & patientia, uti pro aris & focis dimicantibus æquum erat, & eorum natales nominif-

nominisque celebritas postulabant, resistentibus. Qui tandem, proh dolor, nullo Principum Christianorum in summo rerum discrimine suppetias mittente, commeatu destituti, mœnibus eversis, & partem urbis hostibus ingressis ac tenentibus, centum ferme millium Turcarum strage ante. edita, ad VIII. Calend. Januarii deditionem facere sunt coacti, Fazellus *de rebus Siculis* lib. I. decad. priore. Unde Philippus Lisle Adam, Magnus Militiæ Magister, Johannitarum Ordo totus ac plebs fere universa, cum per ducentos & duodecim annos Rhodum incoluissent, libere abire permissi, ac omnium primo in Cretam insulam Venetorum ditioni subjectam, mox partim Venetias, partim Viterbum & in alias Italiæ regiones delati, tandem de certa aliqua sede iterum circumspicere cœperunt. Inprimis autem Nicæa urbs Duci Sabaudiæ subjecta, sita ad mare Ligusticum in Provincia inter Massiliam & Genuam, ob loci opportunitatem placuit, qua potiti, venia a Sabaudo libenter data, sua classe Hispaniæ, Galliæ atque Italiæ littora a Maurorum ex vicina Africa & Barbaria infestissimis insultibus liberarunt. Cum autem intellexissent, Solymannum, rebus in Hungaria prospere gestis, & Ludovico Rege prælio superato, Italiam petere, atque Siciliam & Neapolim subitaria quadam excursione invadere paratum esse, Caroli V. Cæsaris voluntate sedem rursus mutare & Syracusas transferre voluerunt, ut propiori ad Græciam accessu melius hostibus resistere possent. Sed nec diu ibi hæserunt, quanquam ob agri amœnissimam fertilitatem ægre inde avellebantur. Nam mox Caroli V. Cæsaris consilio & liberalitate pro Habitationis loco perpetuæ Melitam acceperunt, ut ex viciniori hac insula, tanquam ex specula, quid molirentur hostes, citius explorarent, eorumque insolentiam in mari Mediterraneo tanto facilius compescerent. Et sicut olim ab insula Rhodo Equites Rhodii, ita ab hac impari sorte Melitenses vocari voluerunt, falsissimo Fazelli augurio, lib. I. *de rebus Siculis* capite I. qui hic inertiam eos spectari remisso priscæ virtutis vigore mox defecturos, arbitratur, ex eo quod olim pii homines sacrum onus pro Christi fide subibant: jam vero tanquam ad paratos thesauros, impatientes inopiæ ad hanc militiam concurrant, quæ ratio exemplis satis superque refellitur, cum nobilissimos juxta & ditissimos hoc cingulo tantum ornari, constet. Inter alias autem conditiones Carolus Cæsar ipsis imposuit, ut urbem Tripolim e regione in Barbaria sitam propriis viribus defenderent, quam quidem aliquamdiu suis præsidiis firmatam tenuerunt, sed mox ipsius Gubernatoris Gasparis Jambalis Galli perfidia & pudenda deditione turpiter amisere. Deinde convenerat, ut Cæsari & aliis Christianis Principibus contra Infideles pugnantibus semper subsidio essent, & inprimis piratas in mari Mediterraneo persequerentur & tollerent. Denique ut Hispaniæ & utriusque Siciliæ Reges Protectores agnoscerent, iisque gratitudinis ergo singulis annis Falconem offerrent, in aliis liberi essent, suoque Magistro obedirent.

Hac igitur ratione anno 1529. mense Julio nobilissimæ hujus Insulæ possessionem Johannitæ adepti, ad nostra usque tempora animose conservarunt, ex eaque in Orientem anniversaria expeditione haut parva damna Turcis inferunt, ac inprimis piraticam exercentes a littoribus Siciliæ regnorumque adjacentium mascule prohibent, imo Venetis hac tempestate ad Candiam insulam contra potentissimos hostes utilem operam navant, quæ etiam causa fuit, ut olim Principes Christiani passim in suis provinciis, præcipue autem in Hispania contra Mauros militares ordines instituerent, ut nimirum nullis familiis gravati aut curis domesticis impediti Barbaris irruentibus eo fortius occurrerent & Christianorum fines defenderent, Henricus Pantaleon in Præfat. *ad Histor. Johann.* quod apprime in horum Equitum institutione accidisse, abunde nunc liquet.

Illud sicco pede non prætereundum, insulam Melitam anno 1548. a Draguto famosissimo Pirata valida classe frustra tentatam, post a Solymanno Turcarum Imperatore maximis viribus terra marique anno 1568. crudelissime obsessam & tantum non expugnatam fuisse, unica saltem arce S. Michaelis contra hostium varios insultus fortiter defensa, donec Garsiæ Toletani Proregis Siciliæ adventu cum auxiliis ab horrenda illa obsidione oppido liberarentur. Constabat classis Ottomannica ex triremibus, biremibus aliisque navigiis fere ducentis quinquaginta, pugnatorum numerus veritati propior fuit plus minusve quadraginta millium, quibus acerrimus Christiani nominis & præsertim Johannitarum hostis Solymannus, non contentus eos clarissima insula Rhodo, arceque Tripoli, fortunisque pœne omnibus jam exspoliasse, hic reliquias etiam laudatissimi Ordinis penitus delere atque exstinguere sperabat. Vid. Com. Alexandrinum *de Bello Melitensi*, Henric. Pantal. lib. II. *Hist. Joh.* Sed Deo aliter visum: nam Barbari, relicto maximo Tormento, quod Maltenses Basiliscum vocant, ingenti clade tota insula pulsi, nunquam eandem repetere ausi sunt, postquam Ordinis tunc Princeps Johannes de Valetta fortissimus heros, mox tanta felicitate & festinatione valentissimam urbem Valettam a se dictam condidit, ut singulis diebus 3000. hominum immenso labore, muro amplissimo & stupendis operibus ita munita ac nobili incolatu frequens sit reddita, ut hodie inexpugnabile Christianorum propugnaculum contra Barbaros & pro clavi Europæ merito habeatur.

CAP. VIII.

De hodierno Melitæ regimine, ejusque Principe Magno Ordinis Johannitarum Magistro.

Ex quo tempore nobilissima hæc Insula Caroli V. Cæsaris munere Johannitis concessa fuit, eodem fere modo quo ipsi Equites Magni Ordinis Magistri Imperio subjacet, qui ad conservandum summæ dignitatis apicem, & eo commodius sustinenda Magisterii onera, ejus proventibus maximam partem fruitur, ut superius *li.* I. *cap. ult.* fuit expositum, additis etiam aliis emolumentis, nimirum per Prioratus singulos una Commenda, quæ Magistralis dicitur, & nunquam ab ipso Magistratu separari potest. Præterea si quæ bona per Equitum excursiones maritimas Barbaris auferuntur, decimæ Principi assignantur. Excurrunt autem sæpius ad quingenta & sexcenta milliaria versus Græciam & Rhodum, ut Turcis noceant, & sublatis pyratis mare pacatum reddant, ut passim videre est apud Bosium in *Historia horum Equitum*. Habent enim continuo sex Galeas ad hunc usum destinatas, quarum singulæ quadringentos aut quingentos milites, & sedecim tormenta bellica majora ferre possunt, teste Henrico Pantaleone *lib.* VII. nostra autem ætate, regnante Magno Magistro Lascari, septem ipsi vidimus optime instructas, quæ quotannis primo die Maii e portu Melitæ solvunt, & expeditione facta, mense plerumque Octobri præda

onustæ redire consueverunt. Tenebant etiam olim maximam & omnibus hostibus in mari mediterraneo formidabilem navem, quam ex Rhodo insula cum penatibus miseranda sorte transportatam Carolus V. Imperator, & Franciscus I. Galliarum Rex, acerrimo bello exorto, petebant. Verum Ordinis Priores deliberatione habita, sapienti consilio eandem demoliti sunt, ut nemini gratificarentur, & ita utrumque amicum retinerent. Porro huic Regimini atque Gubernationi Majores Concilium, quod Magistro perpetuo adesset, instituerunt, viris gravibus Senatui adscriptis, quorum tituli dignitatum & officia secundum ordinem Nationum paulo inferius denominatarum sunt, (1) Magni Commendatarii, (2) Marescalli, (3) Hospitalarii, (4) Admirali, (5) Magni Conservatores, (6) Turcopolerii, (7) Magni Bajulivi, & (8) Magni Cancellarii.

Bajulivi vel Bailii autem antiqua Gallorum vox est, qua domorum aut aliorum prædiorum Præfecti & Administratores designabantur, unde Commendæ olim Bailiæ, & etiam nunc apud Gallos prædiorum locationes vel ad certum tempus, vel sub conditione concessæ hoc nomine veniunt. Hi Bajulivi Conventuales dicuntur, quod eos abesse a Conventu, id est, domicilio Magni Magistri, non deceat, & suarum Linguarum Præsides existunt, quæ juxta varias Europæ nationes Octo constitutæ. Inter hæc Gallica Provincialis prima est, (2) Alverniæ, (3) Francorum, qui in Francia occidentali circa Lutetiam habitant, (4) Italorum, omnium maxima, (5) Arragoniæ, Cathaloniæ & Navarræ, (6) Anglorum jam exstincta, (7) Alemannorum, cui Bohemi, Ungari, Croatæ & Dalmatæ sunt conjuncti, (8) Castellæ, Legionis & Portugalliæ.

Sunt & alii Bajulivi Capitulares, qui Capitulis adscripti Concilio quoque intersunt, nimirum Prior Ecclesiæ, Commendator Cypri, quæ dignitates communes omnibus Linguis, Bajulivatu Capitulari Negropontis Arragoniæ tantum & Castellæ ex pacto conveniente. Hi omnes magnam Crucem ad pectus gestant, & tanquam Viri Consulares Magistro semper adesse debent, quorum consilio & prudentia negotia Ordinis dirigantur.

Extra Conventum, id est, Residentiam Magistri passim *Priores* constituti, qui rebus cujusque Provinciæ præsunt atque aliquoties suorum Conventu habito, de singulis inquirunt, quid omnibus locis facto opus sit, inprimis autem provident, ne Ordo iis in oris aliquod detrimentum capiat, sed certa pars proventuum per publicum Receptorem in Insulam ad Ordinis Principem transmittatur.

His subsunt Commendatores, qui Commendas, id est, prædia, domus & possessiones Ordinis tenent, atque administrant; ex eo orti, quod cum Equites bonis maximis hinc inde a piis Christianis augerentur, emeritos milites, adeoque bello fessos passim in Provincias ablegarent, atque Ordinis domus & possessiones commendarent, quod etiam inde Commendatores nunc vocant, Henricus Pantaleon *de Ord. Johann. rebus gestis* lib. III.

Verum de his plura nunc recensere, ad meum non pertinet institutum, ideoque e semita in viam digredienti, quomodo Princeps Melitæ, Magnus Magister & Caput Ordinis eligatur, paucis mihi erit dicendum. Is cum gravi morbo implicitum se cognoscit, debet pro Ordinis indemnitate Bullæ ferreæ & argenteæ cuneos,

A sigillum quoque secretum, quibus uti solet, alicujus probi Religiosi fidei committere, aut aliter tuto loco reponere, ne his fraudulenter aliquis uti posset, quæ ipso vita functo illico ad Concilium ordinarium delata, franguntur, ut eorum usus penitus pereat. In hoc igitur Senatu res & negotia ad Magisterium pertinentia tractantur & deciduntur, bonorum Spolii divisione in aliud tempus dilata. Postea Magisterii Locum tenens ac Fratres in Conventu commorantes in Ecclesia conveniunt, ubi post Missarum solemnia loco solito Conciliis habendis destinato, electionem incipiunt. Baju-

B livis, Prioribus ac Proceribus consueto more & ordine sedentibus a Locum tenente causa congregationis explicatur, fratribus octo Linguarum separatim congregari jussis, qui in præsentias Vices gerentis totiusque Concilii juramento super Crucem Habitus præstito, adstringuntur quod unum Fratrem ex sua Lingua illic præsentem idoneum & probum pro Electionario Præceptoris Electionis, uti vocatur, & trium Electorum Magistri, scilicet Militis Capellani & Servientis armorum (hi enim gradus sunt Ordinis) seligere velint, quo facto, ipsi octo Electores, tactis sacris Euange-

C liis, quoque jurant, se rite & juste unum Fratrem Militem probum & idoneum ex ipsis in Præsidem Electionis adscituros. Hoc nominato, Locum tenens Magisterii officio se abdicat, novo illo Magistratu iterum Præsidis locum tenente, coram quo Electores octo prædicti juramentum in præfatum modum repetunt, & postmodum Conclave intrantes tres illos, Militem, Capellanum & Servientem cum scrutinio ballottarum, id est, ex sorte eligunt, & tunc octo Electores officio functi censentur, ac ipsi tres Religiosi seu Fratres (utroque enim

D nomine Johannitæ Equites designantur) Miles, Capellanus, & Serviens Juramento se obstringunt, quod juste riteque quartum ex alia lingua quam ex suis optare velint: sic quoque quartus eodem juramento adstrictus cum reliquis quintum & sic deinceps ad octo; hinc ad sedecim eligunt, ita ut ex qualibet lingua sint duo fratres, in quibus nullus Bajulivo seu alii Magnæ Crucis locus detur. Horum duo possunt esse Capellani & tres Servientes, cœteri vero milites, id est, Equites existant. Inter hos sexdecim Miles ille Triumvir, prius ab octo electus, præsidet, qui Magistri electionem, cæteris adstan-

E tibus promulgat, & duobus votis, ad evitandam suffragiorum paritatem, utitur, cum cæteri omnes unico tantum gaudeant. Sedecim illi ita electi, Confessione sacerdoti facta, Missa audita, & Eucharistia reverenter sumpta Præceptore Electionis ac toto Religiosorum cœtu adsistente, nudo capite & genibus flexis super sanctum Crucis lignum, sanctaque Evangelia, manibus appositis, jurant in hæc verba: *Ego N. promitto & juro per hoc sacratissimum Crucis lignum, & sancta Dei Evangelia & sacrosancta præfationis verba, omni rejecto odio, timore, amore, præmii spe aut inordinato adfectu, sed in Deum ac*

F *Dominum nostrum Jesum Christum oculos & intellectum dirigens ad divini nominis gloriam & laudem, Religionisque Christianæ honorem & commodum, Ordinisque nostri decus & utilitatem, rite, juste, canonice secundum dictamen rectæ conscientiæ pro facultate judicii propriæ rationis nominare & eligere in Magistrum Hospitalis S. Johannis Hierosolymitani, universis Ordinis nostri fratribus Militibus, tam præsentibus quam absentibus unum fratrem militem, legitimo matrimonio natum, idoneum,*

probum, virtuosum & sufficientem, Magisteriique capacem, & ita juro & promitto, sic Deus me adjuvet & sacratissimum Crucis lignum, sanctæque Scripturæ, quas manibus tango, & si contrafecero, in periculum & damnationem perpetuam animæ meæ esse censeatur.

Quo peracto, lignum Crucis atque Scripturas sacrosanctas idem osculatur, deinde sic omnibus Electoribus juramento adactis Præses Electionis & omnes & singuli Fratres Congregationis super Crucem Habitus sui promittunt & jurant se pro Magistro & Superiore admissuros, ac ratum, ac firmum habituros, quem præfati Electores pro majorum parte votorum elegerint, & sic in Conclavi portis clausis, Electio Magistri initium capit, ubi omnes Electores pro libero rationis arbitrio, intrepide quod libuerit, proponunt, mores virtutesque & vitia cujusque examinant, & denique de his omnibus habito exquisitissimo scrutinio per tanta suffragia, hoc est, ballottas in pixides secreto conjectas, Magistrum eligunt: quo peracto, a Conclavi discedunt & coram Præceptore Electionis ac universo Fratrum cœtu, trinaque rogatione facta, si ratum habent, quod egere, terque affirmantibus, Electionis Miles alta voce, cœteris Electoribus adsistentibus, Magistrum nominat & promulgat, qui si præsens fuerit, statim ad majus altare ductus super Statutorum volumine positis manibus promittit, & juramento solemni se obstringit, Regulam & laudabiles consuetudines Ordinis se servaturum, Ordinisque negotia de Consilio Procerum regere, ordinare & executioni mandare velle. Si absens, Concilium completum ejus Vices gerentem eligit, qui usque ad Magistri adventum officio fungitur. Vide Johannem Baptistam Rondinellum in *Statutis Hospitalis Hierusalem* titulo 13. Dominum ab Osterhausen & alios.

Durante autem hoc actu Fratribus seu Equitibus prohibitum est eo in loco, ubi electio Magistri celebratur, arma gestare, pœna decreta in eos, qui contra fecerint. His igitur solennitatibus Magnus Magister, cui præcipua rerum omnium cura incumbit, rite constitutus, & a summo Pontifice confirmatus ex spolio prædecessoris sui, inprimis de frumento & vino quantitatem sibi necessariam resque ad diem Natalis Domini proxime secuturam sumere potest, residuo cum vasis aureis & argenteis ad ærarium delato, cujus deinde imperio non solum Hierosolymitani Fratres, quacunque authoritate fungantur propter votum obedientiæ ab initio receptionis præstitum, sed etiam omnes habitatores utriusque insulæ Melitæ & Gauli, obedire tenentur, cum Princeps earum dicatur, & tali titulo in Diplomatibus suis ubique utatur, immo omnes Principes Christiani hoc nomine eum colant ac venerentur, cujus gratia duarum litterarum exemplar propter curiosos hic apponere lubet, ex quarum tenore videre est, quo stylo Cardinales ipsi, ille Cardinalibus scribere soleat. Eminentissimi & Serenissimi Cardinalis Lantgravii Hassiæ, Principis summi & incomparabilis, commendatitiæ ad Magnum Magistrum Lascaris pro illustri Domino Barone de Blumenthal ita habent: Eminentissimo & Reverendissimo Signore meo osservandissimo. *Il Signore Christofano Casparo di Blumenthal, che nel venir in questa Corte, m' ha recato lettere della Maestà Cesarea in sua recommendatione parte hora con Pensiero di transferirsi costà e veder le cose più notabili; onde perche possa maggiormente restarne favorito ed honorato, io sono à raccomandarlo alla gentilezza di V. Eminenza con certezza, che lene rimarrò obligatissimo conforme egli medemo, è con rassegnar in tal congiuntura all' Eminenza vostra la solita mia osservanza, la prego de' suoi commandi, è le baccio affettuosamente le mani. Roma XI. Marzo* 1656. *Di V. Eminenza affettionatissimo Servitore Il Cardinal d' Hassia*. Inscriptio erat: All' Eminentissimo è Reverendissimo, Signore mio osservandissimo, Il Signore Gran Maestro di Malta.

Responsio vero Magni Magistri hæc est: *Eminentissimo, Reverendissimo Signore mio osservandissimo Giunse qua il Signore Baron di Blumenthal, accompagnato da V. Eminenza con la sua bumanissima littera, e se per rispetto di lei io era tenuto di honorarlo, l' ho fatto anco volontieri per li proprii suoi meriti, rimanendo solo con sentimento, di che egli non mi habbi presentata alcuna occasione, onde havessi potuto darli segno della molta stima, che faccio delle persone della qualità sua, è delli comandi dell' Eminenza vostra. La supplico à darmene molti, accio nella sua essecutione possi servirla, come bramo è le baccio affettuosamente le mani. Di Malta li 30. d' Aprile 1656. Di V. Eminenza Affettionatissimo Servitore. Il Gran Maestro Lascaris*. In dorso Litterarum: *All' Eminentissimo è Reverendissimo signore mio osservandissimo il Sig. Cardinal. d' Hassia*.

In litteris vero ad ipsos Ordinis Hierosol. Equites datis Magnus Magister hoc modo loquitur: *Magister Hospitalis Hierusalem*. Paulo inferius: *Religiose in Christo nobis charissime salutem*. Et post Italice: *e venuta in questa nostra Isola per vederla il Signore Barone di Blumenthal, esibitore di questa, che hora sodisfatta la sua curiosità sene ritorna costà, è perche siamo informati, ch' egli sia Gentilhuomo di conto siamo però con questa à raccommendarloci caldamente acio lo vogliate favorire è proteggere in tutto quello, che sarà per occorrergli nel poco tempo, che farà dimora in cotesta Citta, assicurandomi di doverci dar in cio gusto particolare, è nostro signore vi preservi*. di Malta li 30. April. 1656. Lascaris, Inscriptio iterum Latina: *Religioso in Christo nobis charissimo Fratri Don Thomæo de Gregorio Ordinis nostri Commendatori, ac apud Messanam Procuratori*.

Cassanæus in *Catalogo Gloriæ Mundi* Parte IX. Consideratione IV. credit, quod Magnus hic Magister post Papam præcedat Patriarchas, Cardinales & alios Ecclesiasticos, immo omnes Principes seculares superiorem recognoscentes, de quo judicium mihi in incerto est. Illud autem, quod idem afferit, negare haut velim, Conventum Militum Johannitarum superiorem Magistro, & majore potestate præditum esse, modo de Capitulo generali id intelligatur. Vide Oldr. *Consil.* CXXVII. ubi prolixe hac de re differit,

CAP. IX.

De Equitibus Melitensibus, & eorum receptione,

CUM paulo superius de Principe MELITÆ & Capite Illustrissimæ Religionis sancti Johannis Hierosolymitani paucis sit actum, tempus requirit, etiam de membris inclyti hujus cœtus coronidis loco, aliquid adjicere. Constat autem ex eorum origine jam antea sic satis perspicue tradita, nobilissimum hunc Ordinem præcipuum suum fundamentum habere in professione Hospitalitatis & piæ Militiæ contra Infideles, unde ab illa *Hospitalarii*; ab hac vero *Milites* seu *Equites* dicuntur. Vide Polydor. Vergil.

de rerum Inventoribus lib. VII. cap. V. Cassanæum in *Catalogo Gloriæ Mundi* Parte IX. Consideratione IV.

Deinde quia Religionis quoque Christianæ hic negotium vertitur, quam proprio sanguine contra Sectam Mahumedanam pro viribus mascule defendunt, *Religiosorum*, denique quod omnes eandem Regulam profiteantur, & in uno contubernio vivant, *Fratrum* nomine veniunt. Ordinis censentur S. Augustini, atque Orationem Dominicam a Salvatore nostro in lege Evangelica institutam, quæ vulgo *Pater noster* vocatur, singulis diebus simul aut diverse centies quinquagies pro Canonicis horis pronuntiant, solenni voto obstricti, ut observent obedientiam, paupertatem & castitatem.

Obedientia enim ab omnibus Equitibus præstanda Magistro, quæ melior victima, omnique studio tuenda, qua sublata omnis societas dissolvitur: tum etiam nihil proprii tenendum, atque castitas, quantum fieri potest, amplectenda, ne hujus seculi negotiis impliciti a sacra militia abstrahantur.

Admittitur vero nemo in numero Equitum, qui extra matrimonium a parentibus illegitimis natus, nisi ille Comitis aut Principis filius existat: neque qui originem a Judæis, Marranis, Sarracenis aut aliis Mahumedanis traxerit: nec qui homicida, flagitiosus, aut gravi debito oneratus; nec qui matrimonium contractum per carnalem copulam consummaverit. Sed oportet, ut recipiendus authentice probet, se ex iis parentibus esse procreatum, qui nomine & gentilitiis insignibus antiqua propagine sint nobiles, exceptis Capellanis & Servientibus armorum, in quibus generis nobilitas non exigitur. De his enim placuit, ut nullus reciperetur, nisi antea clarum fecerit, se honestis parentibus ortum, in liberalibusque officiis versatum, nunquam alicui in aliquo exercitio vili ministrasse, aut se vel parentes ejus in artificiis sordidis & mechanicis manibus propriis operatum esse, addito statuto, ut ei saltem detur Habitus, qui annum ætatis suæ decimum octavum attigerit, & qui sit corpore firmo & recte compacto, prospera valetudine, mente sana, probisque moribus præditus, ut ita honestius vivere, labores militiæ commodius ferre, & Barbaris gentibus fortiter resistere queat.

Hisce virtutis ac qualitatum notis insignitus, probationibus apud Capitulum Provinciale, aut Priores, rite factis, ad Conventum, id est, Magni Magistri aulam mittitur, ubi omnium primo confessione de more Ecclesiæ sacerdoti humiliter peracta, sumpta Eucharistia & Missa audita cum veste longa solutaque, genibus flexis, & ardentem cereum manibus tenens, ante altare ab Equite Suscipiente humiliter petit, se ad Fratrum & sacræ Religionis Hospitalis Hierus. consortium admitti. Tunc ille, laudato petentis proposito, & discursu facto de durissima Ordinis Regula, ejusque Statutis, quibus propria abnegata voluntate, obedientiam Superioribus præstare, pauperibus Christi servire, contra Infideles semper pugnare, & Ordinis ac Reipublicæ Christianæ utilitatem ubique promovere, adstringitur, professurum interrogat, si hæc omnia adimplere paratus sit, quo affirmante, amplius inquirit, an alterius Religionis vota emiserit, vel nuptias contraxerit, matrimoniumque carnali copula consummaverit, aut alicui personæ gravi debito sit obligatus. Si his negatis liberum se asserit, aperto Missali ambas manus junctas super Sacras Litteras apponit, & co-

A ram Fratre Recipiente tale sacramentum dicit: *Ego N. voveo & promitto Deo Omnipotenti, Beatæque Mariæ semper Virgini, Dei Genitrici ac Sancto Johanni Baptistæ perpetuo, cum Dei auxilio, servare veram obedientiam cuicunque Superiori, qui a Deo & Religione nostra mihi dabitur, amplius vivere sine proprio, & castitatem servare.* Ad hæc Recipiens ait: *Recognoscimus Te esse Servum Pauperum infirmorum & tuitioni fidei Catholicæ dedicatum.* Alte subjungit: *Ita me esse cognosco*: & mox sumpto nigro pallio alba cruce conspicuo interrogatus, an credat, quod sit
B signum vivificæ Crucis, in qua Christus mortuus, & pro nobis peccatoribus redimendis pependit? respondet, *Credo*. *Atqui hoc ipsum*, pergit Recipiens, *jubemus ut semper in habitu gestes*, & dato osculo pallium humeris, crucemque pectori parte sinistra imponit, cum hoc alloquio: *Accipe signum istud in nomine S. Trinitatis, Beatæque Mariæ semper Virginis, & Sancti Johannis Baptistæ ad augmentum fidei, & tuitionem Christiani nominis, atque pauperum obsequium. Ideo enim, Frater, tibi crucem in hac parte ponimus, ut hanc toto corde dilectam dextra defendas, defensamque conserves. Nam si pro Christo*
C *contra fidei hostes pugnans sanctæ Crucis vexillum, pedem referens, deseras, & ex bello tam justo fugias, pro Statutorum & Consuetudinum Ordinis forma, signo Crucis sacerrimo tu voti violator merito privaberis, & tanquam fœtidum membrum a cœtu nostro expulsum iri te noveris.* Denique palli laqueum collo ligans ita finit: *Accipe jugum Domini, quia suave & leve est, sub hoc invenies requiem animæ tuæ*: & sic non solum ipse, sed & reliqui circumstantes Equites professum ad amplexus & oscula, in signum pacis fraternæque dilectionis, admittunt, recitatis quibusdam orationibus cum sacerdote Missam celebrante, quas vide apud Jo-
D han. Baptistam Rondinellum in *Statutis Hosp. Hierus.* Tit. II. plura etiam de hac Receptione reperire licet apud Nobilissimum Dominum ab Osterhausen, & Hieronymum Megiserum in *deliciis Ordinum Equestrium*.

Si qui contra Statutorum formam receptus fuerit, Miles in Fratrem Armorum Servientem, Capellanus in Fratrem Obedientiæ, Serviens Armorum in Fratrem Officii redigitur, & fiunt inhabiles ad omnem administrationem Commendarum & Bonorum Ordinis: ubi notandum, triplicem esse Johannitarum differentiam, alii e-
E nim sunt *Milites* parentibus illustribus, & antiqua nobilitate claris orti: alii inferioris conditionis homines, quos *Sacerdotes* aut *Capellanos* & *Servientes* appellant.

Horum status iterum duplex: Illi enim sunt Conventuales vel Sacerdotes Obedientiæ; Hi *Servientes armorum* in Conventu; & *Servientes Officii* extra Conventum recepti, ultimis nunquam ad eos honorum gradus admissis, qui Servientibus armorum solent conferri, nam parum distant a Militibus, nisi quod nascendi conditio eos distinguat, & a Magnæ Crucis prærogativa, Prioratu ac reliquis majoribus officiis ignobiles
F arceat. Alias enim eundem habitum suscipiunt, similem professionem votorum cum Equitibus edunt, Commendas possident, & Fortalitiorum Ordinis Custodes fieri possunt, quod Fratribus Officii & Capellanis denegatum est. Sacerdotes enim sacris tantum rebus & orationibus incumbunt; Servientes vero Officii, Equitibus in suis Commendis extra Conventum ministrant.

Necesse autem habet, cui Ordinem hunc suspiciendi libido est, non solum annum integrum

(quem *Probationis* vocant) in Conventu degere, ut illius mores, vita & sufficientia cognosci possint, sed etiam pro suo trajectu ærario, aut ab eo deputatis jus *passagii* (ut consueto verbo utar) solvere, nimirum scuta auri ducenta pro gradu Militis; centum quinquaginta pro conditione Servientis.

Quod si aliquis satisfacere neglexerit, *antianitate*, id est, receptionis antiquitate & exspectiva, quæ datur de Commendis in futurum, minime gaudet: nam ea numeratur a die solutionis, ex quo etiam Tabulam in Albergiis, id est, Hospitiis & domibus, ubi Fratres per Nationes una comedunt & congregantur, & *soldeam*, id est, stipendium a communi ærario accipit, donec ad Commendas promovetur, quas consequi non potest, nisi prius post professionem factam, & sumptionem habitus quinque annos in Conventu moram traxerit, & in Triremibus Ordinis tres *Caravanas*, id est, armamenta, seu expeditiones contra Barbaros fecerit. Sic tandem in patriam revertens Domui alicui ex sententia Magni-Magistri præficitur, cujus loci proventu annuo vivit, ita tamen ut sortem vel substantiam dissipare non liceat.

Nobilissimi hi Equites in exercitio armorum & belli tempore utuntur sagulo, vel baltheo rubeo cum cruce alba recta; in pace chlamyde sive pallio atri coloris cum alba cruce octogona, & si in publico comparent habitu indecenti & absque cruce, pœnæ rei fiunt, ut liquet ex *Statutis* apud Rondinellum tit. XII.

Prohibitum quoque est, ne Christianorum bellis se immisceant, cum in propria viscera sæviunt, nisi eis injunctum fuerit a Principe, vel Domino Provinciæ, ubi Commendas tenent, quo tamen casu insignia Religionis ferre nequeunt. Hinc fit ut nihil intermittant ad pacem inter discordes restituendam, ut viribus unitis fortius Infidelibus resistere, atque Christianorum fines undique a Barbaris defendere valeant.

Quod denique rem militarem atque officiorum dignitatem concernit, Raymundus de Podio, primus Magister, antiquam Romanorum Rempublicam respexit, & ad eam formam omnia accommodavit, ut non mirum fuerit, hunc Ordinem multis victoriis semper fuisse celebratissimum, sicuti testatur Henricus Pantaleon *de rebus gestis Johannitar.* lib. I.

Ad hunc Ordinem etiam pertinent Virgines quædam, seu mulieres ex legitimo matrimonio, & nobilibus parentibus natæ, quæ alba quoque cruce & honesta vita decoræ *Sorores* vocantur, ac semper in monasteriis habitant. Nec plura de his.

CAP. X.

De statu Ecclesiastico Melitæ. Cujus censuræ Magni Magistri subjaceant.

SICUTI Illustrissima Militia Sancti Johannis Baptistæ Hierosolymitani a primis incunabulis authoritate summi Pontificis approbata, & multis ditionibus, gratiis & immunitatibus dotata, & stabilita fuit; ita etiam Ordinis cumprimis nomine, quem inter Religiosos tenet, Sedem Apostolicam obedientissime semper colit & veneratur, nullo alterius vinculo adstricta, nisi quod propter Insulam Maltam Regi Hispaniæ beneficium debet, ac pro Homagio Milvium præstat, vid. Barth. Gramondus in *Histor. Gall.* lib. I.

Hinc non solum a Pontificis consensu electio Magni Magistri vires accipit, sed etiam vita ejus, actionesque Curiæ Romanæ censuræ subjacent, prout accidisse videmus anno MDXCI. sedente Gregorio XIII. Cum enim ea tempestate M. Magister, *L'Evesque de la Cassiere* dictus, a tumultuantibus & factiosis Equitibus in Castellum S. Angeli, quod Melitæ est, detrusus, & in ejus locum Maturinus Romegassius suffectus esset, statim Pontifici, litteris missis, facti hujus rationem reddidere, qui per Nuntium paulo post carcere detentum liberari, & ad causam dicendam cum adversariis Romam evocari jussit, testante Hieronymo Megisero in *Vita ejus*.

Ad hunc modum in omnes Clericos, Militesque supremam exercet jurisdictionem, constituto insuper Tribunali S. Officii Inquisitionis contra sectam Mahumedanam & alias hæreses, immo ablegato in Insulam quandoque Visitatore, qui diligenter inspectis Ecclesiasticorum moribus, defectus reparat, quemadmodum hanc spartam nactus est sub Innocentio X. hodiernus Papa, Alexander VII. tunc Chigi appellatus.

Præterea rebus divinis in Insula præsidet Episcopus, Panormitano in Sicilia Archiepiscopo cum Mazariensi & Agrigentino suffraganeus, vid. Fazellus decade I. *de rebus Sicul.* capite I. Nam cum Malta pars sit regni Siculi, etiam Episcopatus ejus antiquo jure huc etiamnum pertinet.

Ille igitur curam gerit Ecclesiarum seu Parochiarum in Insula, simili ratione, qua Prior Ecclesiæ S. Johannis Baptistæ in Conventu omnes Fratres Sacerdotes & Capellanos Ordinis suo imperio regit, exceptis iis, qui Magno Magistro serviunt, & extra Conventum in Prioratibus & Commendis degunt.

Hos enim absens corrigere & punire, quoties necessitas occurrit, haudquaquam potest, ideoque optima ratione statutum deprehenditur, ut Priores in Prioratibus suis & Commendatarii in Commendis Fratres Capellanos pro delictorum qualitate coercendi potestatem habeant, ita tamen, ut nullo pacto Prioris Ecclesiæ jurisdictioni, ubi iis locis forte præsens fuerit, præjudicium generetur.

Magna igitur hujus Prioratus dignitas, tantoque magis idoneæ personæ conferenda, quo fit, ut eo vacante, Magister & Concilium ordinarium, matura & gravi deliberatione habita, unum Capellanum probatæ vitæ, divinorumque expertum, doctum & legitimo matrimonio natum in Priorem adsumant & elligant, qui continuo in Conventu ætatem agat, & in Ecclesia Sancti Johannis ac Capellis Oratoriisque Ordinis divinum officium diligenter fieri ordinet.

Huic succedit alius Prior *Infirmariæ* seu Hospitali præfectus, qui ab illo confirmatus, qualibet hebdomade tres, ejusque Capellanus quatuor Missas celebrare tenetur, ut unoquoque die ægroti unam audiant, in qua pro salute animæ & corporis eorum preces fiunt.

His etiam incumbit diligenter & accurate eorum confessiones audire, sanctum Eucharistiæ Sacramentum ministrare, mortuos sepelire, & ea omnia exercere, quæ ad salutem animarum ægrotantium, & obsequia sepulturæ defunctorum sunt necessaria. Vide de his omnibus egregie disserentem Johannem Baptistam Rondinellum in *Statutis Hospitalariorum Hierosolymitanorum*, titulo IV. & sequentibus.

Nimirum his duobus fulcris, Templo & Xenodochio, a prima fundationis origine S. Johan-

ni Baptistæ Hierosolymis dedicato, & hic ad piam imitationem restabilito, nobilissimus Johannitarum Ordo constanter innititur, & veluti Hospitalariorum Militum appellatione & cognomento olim se notos esse voluere, ita etiam A nunc, quod nomine præ ferunt, re & actis laubiliter præstant; Hospitalitate non solum eorum Ordini, sed etiam ipsi Insulæ propter commorationem Divi Pauli Apostoli oppido congruente.



PETRI GYLLII
DE
BOSPORO
THRACIO
LIBRI III.

AD P. GYLLUM.

APpellant Itali vulgo ſua lilia *Gylli*,
Nec male ſe nomen ſic poſuiſſe ferunt.
Gyllius inde tibi eſt aptum cognomen: ut in quo
Dogmata ſub niveis moribus eniteant.

In æde divi Marcelli, Romæ hæc ſunt inſcripta, una cum effigie vita functi: ſed dico ſimilia, aut in pariete affixa, vel in marmoreo lapide ſculpta.

D. O. M.

PETRO GYLLIO, VIRO PROBO, UTRIUSQUE LINGUÆ DOCTISSIMO,
EX AGRO ALBIENSI APUD GALLOS NATO,
OB SINGULARES ANIM DOTES, ET INDEFATIGABILEM
IN INVESTIGANDIS ANTIQUORUM MONIMENTIS,
COMPONENDIS, INTERPRETANDISQUE OMNIUM DISCIPLINARUM LIBRIS,
TOTIU SORBIS LUSTRANDIS, INDAGANDISQUE LOCIS:
NATURAM, SOLERTIAM, ET DILIGENTIAM PUBLICE, PRIVATIMQUE LAUDATISSIMO,
POST LONGAS ANNORUM PLUS XL. PEREGRINATIONES, TERRA, MARIQUE PERAGRATAS,
GALLIAM, ITALIAM, GRÆCIAM, ASIAM UTRAMQUE, ET AFRICÆ PARTEM,
AC MIRACULOSAM E MANIBUS ET CARCERE PIRATARUM, GERBEORUM LIBERATIONEM,
ROMAM QUASI POSTLIMINIO REVERSO,
ET IN RECOLLIGENDIS, ORDINANDISQUE RERUM CELEBRIUM NARRATIONIBUS,
DIES, NOCTESQUE OCCUPATO,
FEBRE VIOLENTISSIMA PER DIES XI. VEXATO,
DIEM SUUM IN CHRISTO JESU OBEUNTI;
GEORGIUS CARDINALIS ARMAIGNACIUS, PATRONUS PIENTISSIMUS
CLIENTI GRATISSIMO,
IN SPEM RESURRECTIONIS MORTUORUM,
BENEMERENTI MŒSTISSIMUS,
NON IAN. M. D. LV.
PO. CV.
VIXIT ANNOS LXV. MENSES .... DIES V. HOR. IIII.

IL-

ILLUSTRISSIMO ET AMPLISSIMO

DOMINO

DN. CARDINALI ARMAIGNACIO,

PATRONO ET MŒCENATI SUO

ANTONIUS GYLLIUS

S. P.



VETERIBUS non ſolum is fuit mos, Card. ampliſſ. eis, qui inſignem ob cauſam, perpetuitatem meruiſſent, ſtatuas erigere: ſed ſummi etiam ipſi viri ſui corporis ſimulachra in publico collocata, conſpici voluerunt, nominis gloriæ ita conſulentes. Quod etſi ambitionis ſpeciem aliquam habere videretur, non uſque adeo tamen fugiendum, ſed ut virtutis monumenta quæque præclara cenſeo; ita illud multo perennius, quo ingeniorum quam corporum effigies relinquuntur. Siquidem ſtatuæ & imagines vel vi convulſæ decidunt, aut vetuſtatis ſitu decoloratæ vaneſcunt: volumina vero (quæ ſpirantia ſunt hominum ſimulachra) nullo modo convelli, aut ſenio poſſunt obliterari; imo ſanctiora & durabiliora fiunt ipſa vetuſtate. Quæ cum animo perpenderem, danda mihi fuit opera, ut PETRI GYLLII clientis tui, & patrui mei nomen cum tuo ſempiternæ memoriæ traderetur: qua te optimo jure dignum cenſemus, in quo & vitæ religio & doctrina enitet; quibus haud dubie vita conſtat, quod ex mortalium commercio eas ſi ſuſtuleris, omnia futura ſint incondita, nec minus obſcura, quam ſi Solem & Lunam demas. Pythagoram namque ferunt, inter alia ſua documenta admonitos voluiſſe diſſipulos, in primis, *ut Deum religione colerent; animum vero diſciplinis*. Quorum dogmatum, ut tu cultor es, quantum pietas patitur, obſervantiſſimus, ita Chriſtianæ perſuaſionis ſcriptorum aſſiduus lector, & imitator, ut nulli Clariſſimorum videar is ſecundus; nec minus eruditione, quam Cardinalatu memorandus. Verum hoc unum ſcio, apicem & primatum hunc, non opes, non nobilitatem (quæ vel ſola te commendare poterat) tribuiſſe tibi, ſed religionem illam doctrinæ conjunctam: quibus ſic te adornatam videmus, tanquam alexipharmaco quodam. Hinc factum eſt, ut te conſilio pollente in legationibus obeundis & Franciſcus & Henricus Reges uſi ſint: maximas enim res apud ſummos Pontifices, & ubi viſum eſt, tuo conſilio, autoritate, prudentia, glorioſe confecere: neque ab his ſolum in ſapientum numero habitus es, verum & a ſummis Pontificibus Romanis, & Illuſtriſſimis Principibus. Hac ratione tanto apice, & meritiſſimo, cohoneſtatus es: quo ſane ante dignus

eras, quam acciperes. Quippe viris præcellentibus hoc ineſt, non ut tam ſtudeant aliquid ſuſcipere, quam mereri. Tam præclaris animi dotibus illud accedit, quod literatos diligis, ac foves, illorum benevolentiam expetis, muneribus concilias. Etenim qui tuus in omnes ſtudioſos ſemper fuit propenſiſſimus animus, hunc eundem in GYLLIUM multis ab annis perſpectum habui, maxime cum illo vita functo, te vero Legationem Regiam obeunte apud ſummum Pontificem Paulum quartum, illius lucubrationes una cum ipſo deperditas nolueris, quas in tui unius gratiam Romæ conſcribebat, ſuorum ut errorum prope Ulyſſeorum, tibi rationem aliquando redderet, fata niſi in contrarium ei obſtitiſſent. Quin & ex tua ſingulari humanitate, benevolentia haud inſueta, te in Galliam redeunte poſt expletum munus, inter cætera id tibi curæ fuit, ut illinc ejus conſcriptiones, vel fragmenta potius aſportarentur, ne quis eos labores, tuo nomine dignos, ſibi vendicaret. Igitur quod ad GYLLIUM ſpectat, ſi quid utilitatis hinc percepturi ſunt ſtudioſi, tibi acceptum ferent, ut qui tanti ſemper feceris bonas literas, ab aliis pauci æſtimatas. Itaque cum tu nec clientis induſtria, nec ille tanti Mœcenatis liberalitate unquam abuſus ſit, ſed eodem animi conſilio uterque publicæ & communi omnium utilitati propiſceret; tu quidem ex animi generoſitate virtuti, ille ingenio ſervire deſideravit. Ita rem habere ſatis in hunc uſque diem id oſtendit, cum doctrinam doctoſque vacuus a negotiis Regiis, adjungis tibi, atque concilias. Hinc eſt, quod longe major laus ſit tibi tribuenda, quam cæteris Principibus (abſit verbo invidia) in cujus cubiculum permulti libri ingreſſi ſunt, qui veri & virtutis viam tradidere. Quæ omnia cum mihi, beneficia experto, conſtarent, ne ab aliorum noſtri temporis inſtituto recedere viderer, qui cum ſua ſcripta in lucem proferunt, vel ab aliis exarata, haud ſine inſcriptionis tutela & patrocinio ea in vulgus emittunt, præclarum hunc morem mihi retinendum putavi; ut auſpiciis ductuque tuo fœliciſſimo tandem exirent ea, quæ GYLLIUS conſcripſit *de Boſporo Thracio*, *& de Conſtantinopoli*, longe melius ab ipſo tot annos luſtratis, quam ſint a cæteris, qui hoc idem tentarunt ſuis libellis. Fecit denique tua benignitas, ea fide & conditione in manus noſtras hæc pervenirent, ut una cum Æliano *de Animalium hiſtoria*, & libello Demetrii Conſtantinopolitani *de curatione Accipitrum*, ab ipſo Græco in Latinum factis, prælo ſubjicerentur. Qua in re æquiſſima ipſe mihi deeſſe nolui, deligens tuam Celſitudinem, cujus fidei & patrocinio hæc opera committerem: neutiquam aberrans a propoſito patrui vita functi, qui ſtudia ſua in tua fide, tanquam in ſinu tuto, ſuaviſſime conquieſcere cupiebat, quorum etiam illi ſemper autor fueris. Porro autem qualecunque munus literatorium iſtud fuerit, Cardinalis Illuſtriſſime, & Ampliſſime, (erit enim meæ in te obſervantiæ pignus, & grati mei erga te animi argumentum) ſic æquo animo amplectaris, quo hujus generis ſolitus es. Quod ſi tuæ Amplitudini placere judicavero: fiet, ut in his, quæ a te deſiderari intelligam, voluntati tuæ a me pro viribus ſatisfiat. Bene vale.

PETRI GYLLII
DE
BOSPORO THRACIO
PRÆFATIO.



UM Novam Romam Constantinopolitanam sim descripturus, mihi prius describendus videtur Bosporus, princeps creator Byzantii, melior & præstantior, quam Byzas hujus Urbis conditor; (quamvis hic optimus & Deo simillimus fuisse traditur) quo Urbs jam tot secula carere potuit; & situs loci alium conditorem invenisset, ut postea desertа invenit Pausaniam, deinde funditus eversa Constantinum: at Bosporo ne punctum quidem temporis carere potest, supra quem Constantinopolis sita est. In cujus obscuritate illustranda, si longior ero, id attribuendum erit obscuræ caligni tot seculorum, quæ Bosporum Thracium Cimmerico longe obscuriorem effecerunt, & magis clausum, quam esset ante Jasonis transitum, tenuerunt, ut hujus non modo caput ex tanta caligine extaret, hoc est Cyaneæ petreæ, sed ne ejusdem quidem plus centum loca antiqua olim memoriæ prodita ab antiquis scriptoribus, quæ latuerunt in tenebris abhinc fere ruinis Severi: quorum caligo discuti non potest, nisi Phineo cæco, qui nobis velut Jasoni transitum Bospori demonstret, oculos restituero, id est, Dionysio Byzantio antiquissimo Bosporici Anapli scriptori, jam tot annos in cæcis tenebris jacenti lumen attulero: qui licet hominum in magna luce versaretur, tamen crassa adeo caligine circumfusus est, ut non videretur, nisi quis simili studio, quo uti conatus sum, ejus caliginem discuteret. Ita enim ejus nomina antiqua ignorata sunt, ut nulla jamdudum nota sint: quæ illustrare ob hujus Freti excellentiam conabor, quod præstat omnibus Fretis. Gaditanum quidem stringit duos orbes, sed incipientes, sed vinculo lato sexaginta stadia: at Bosporus duos medios orbes nodo astringit non latiori quatuor stadiis. Adde, quod Bosporus est commodior: hic enim utroque orbe accolarum multis commerciis conjunctorum frequentatus, portæ habet dispositionem, ad communionem mutuam; aliquando ponte junctus ab his, qui pedibus ex una continente in alteram transire mallent. At Gaditani Freti rarus est usus, ob inusitatam Libycorum communionem cum Europæis, & ob longinquam externi maris navigationem. Thucydides laudat Siciliam, quod Freto viginti stadiorum disjungitur a continenti, sed id duntaxat insulam jungit Italiæ, infame non modo scopulis monstrosis & voraginibus, verum etiam beluis, quibus Bosporus caret. Chalcidicum Fretum mirabile: sed ob sui Euripi inconstantiam ponte quidem jungentis insulam Continenti, at non longiori spatio octoginta passibus, quibus patet in longitudinem, in latitudinem circiter quadraginta, qui hominum manu obrui potest: reliquum Chalcidici Euripi Euboicum Fretum longum & difficile: non enim alia infestior classi statio est. Nam & venti ab utriusque terræ præaltis montibus subiti atque procellosi Fretum hoc torquent: Bosporus autem semper portuosus, & navigabilis. Prætereo Isthmum Corinthiacum, qui ut Fretum admisisset, duos tamen sinus breves conjungeret, qui non magna navigationis circuitione jungi possunt: at Bosporus conjungit duo maria, quæ nulla navigationis circuitione jungi possunt: nisi Bosporo, quem sapienter Euripides Clavem nominat Ponti. Recte physicam rationem secuti Poetæ finxerunt, Bosporum minime pervium, eundemque transire, sine Phineo rege Bospori, Jasonem non potuisse, significantes Pontum invito rege Bospori adiri non posse. Recte Hesiodus ait, Phineum excæcatum fuisse, quod navigationem Cyanearum & Ponti, Phrixo indicavisset. Omitto Bosporum Cimmerium triginta stadia latum, & vadosum: qui etsi valde profundus esset, tamen hostes non arceret, sed auxiliaretur hostibus. Conglaciatus enim, pontis vicem præstat, cujus campi minus mansueti, quam illius montes. Prætereo Hellespontum longe latiorem, & Sinu Byzantiaco carentem: de quo recte Constantinus judicavit, cum posthabito Hellesponto Constantinopolim in Sigæo promontorio incohatam eminenti in fauces Hellesponti, transtulit ad Bosporum. Prætermitto reliquos triplicis Orbis limites, Pontum Euxinum, Mare internum, Tanaim, Nilum; quorum nullus contra hostes tam tutus, quam Bosporus. Illa enim maria latissime patent. Tanais gelu concretus pons est barbarorum. Nilus longissimus uno loco, custoditus infinitis locis transiri potest: Bosporus una clave duos orbes, duo maria aperit, & claudit. Piscium copia excellit Massilia, Tarentum, Venetia; sed omnia superat Bosporus: quo velut per portam duplicis maris pisces transire solent Autumno & Vere, tam certa lege naturæ, quam solent grues bis quotannis internum mare pervolare: tantaque multitudine, ut primo cuique magnum piscium numerum capere & ferire liceat: neque modo ab usu piscandi instructi, sed etiam totius piscationis rudes, atque adeo pueri, & fœminæ capere possint domi desidentes ex fenestra calathis demissis, hamisque ab esca nudis etiam imperiti piscandi, Pelamides capiant tot & tantas, ut toti Græciæ sufficiant, aliisque nationibus. Et ne numerem infinita genera piscium, tot gregalis generis capiunt, ut uno reti permulta navigia impleant. Ostrearum bonitate excellentium tantam multitudinem, cum aliis temporibus largitur Bosporus, tum maximam temporibus, quibus per leges Græci vesci non solent piscibus sanguinis participibus, ut quotidie videas fora multa redundare Ostrearum acervis, Hamiarum ignotorum piscium Romæ & Venetiis. Suavissimi cibi crebros greges videre licet in Bosporo: eorundem quoque pugnas cum Delfinis tales spectare, quales traduntur a scriptoribus. Quod si Bosporani non tantopere terrenis carnibus abundarent, si piscibus delectarentur, ut Veneti, si libere piscari possent, ac non pro tributo dimidiam piscationis partem dare cogerentur, & reservare non haberent necesse Regi omneis Pelamides ex Ponto descedentes, profecto omnia fora Byzantina piscium multitudine implerentur. Græci ex antiquo quodam proverbio extollunt Hellespontiorum piscium copiam. Sic enim

inquiunt : Cum quis temere ea, quæ abundant, aliunde affert ut rara, dicere solebant, noctuam Athenas, aut buxum in Cytorum, aut pisces in Hellespontum : quo multo præstantior Bosporus, per quem primo pisces, pastionibus Ponti pingues facti descendunt : deinde ex his, qui Bosporanorum piscatorum insidias effugerunt, latiorem transeunt Hellespontum. Quid? quod sua dulcedine superat cætera maria, & sua dulcedinis fœcunditate contendit cum mirabilibus fluviis; inter quos excellit Nilus Ægypto quidem fœcunditatem dans, sed non tam suis nativis aquis, quam cœli & terræ siticulosæ natura, id quod deprehenditur ex rivulis fontium Arabiæ, Africæ, Mediæ, Babyloniæ : hi enim, sicut Nilus, vicina loca, quæ alluere possunt, fertilia efficiunt. Unde (Byzantiis) agris Libyæ tam eximia fertilitas, ut terra agricolis fœnus reddat cum centesima fruge? nisi ex vicinis mediocribus fluviis, saxorum mole primum retentis, deinde per fossas divisis? Quot in Gallia delitescunt flumina, quæ si per arenas mediam fere occupantes partem orbis transirent, non mediocrem arenis fœcunditatem darent? Bosporus sua dulcedine piscium multitudinem Niliacis arenis numerosiorem alit, non modo a se procreatorum, sed etiam ab utroque mari : tum mellis & ceræ, frumenti & vini, cæterarumque rerum copiam largitur non modo Bosporanis; sed etiam infinitis nationibus longinquis, atque adeo ipsi Nilo Ægyptoque permulta impertitur. Jure igitur Bosporus vulgo dicitur, Autumno aureus, Vere argenteus, rectius appellandus Chrysorrhoas, quam quisquam alius, etiam si esset Chrysorrhoas Damascenus. Hic enim unius Damasci agros irrigat duntaxat, præterea nihil fert, innavigabilis. Jam quispiam cœlum Bospori damnabit, ut caliginosum, Apolloniumque afferet, cum scribit Argonautas ex alta specula insulæ Cyzici prospexisse ἠερόεν στόμα Βοσπόρου δῖον : ἀερῶδες ἤτοι ὀμιχλῶδες. Id enim non ex Bosporici cœli natura, sed ex longo intervallo accidit, quo amplius octoginta millia passuum a Cyzico abest Bosporus. Loca enim longinqua, etsi cœli natura lucida sint, tamen ex longinquo intervallo prospecta, obscura videntur. Erit alius, qui non probabit Bospori oras, ut asperas & plane Thracicas : at hæ miti amœnitate certant non solum cum omnis maris littoribus, sed etiam cum ripis nobilissimorum fluminum. Nilus quidem suam amœnitatem ex una ripa ostentat, ex altera deformat, patefaciens exustos, & latissime retorridos campos. Vide Penei ripas, quas amenas efficiunt illa nobilia Tempe Thessalica, in numerosa convalle inter Ossam & Olympum sita, per quæ media Peneus viridis labitur, amœna, ut dicuntur, sed angusta, & brevia, undique montibus in altitudinem immensam elatis coarctata, ut terror adsit prætereuntibus; qui augetur, si Livio credimus, strepitu Penei agreste quiddam resonantis. Vidi item ripas amœnas aliquot fluminum Mediæ : hæ enim sunt illa decantata Tempe Medica, virore quidem plantarum manu satarum læta, sed undique montibus asperis arenaceis, qui nativis arboribus carent, circumdata : verumtamen nulla amœniora spectavi valle, per quam defluit Bosporus utrimque cinctus collibus molliter assurgentibus, vallibus leniter pronis, utrisque partim numerosis, partim vitiferis & frugiferis, partim amœnitate viretorum, floribus, herbis, arboribus etiam fructuosis enitentium, inter quæ excellunt horti Regii : quos singulos quid aliud esse dicam, quam Thessalica illa Tempe amœnissima, sed longe amœniora, nisi ea Lapithæ Centauri velut Dracones Hesperidum hortos custodirent, proculque spectatores arcerent. Sileo rivos perennes & perlucidos circiter triginta hinc atque illinc delabentes in Bosporum, prætereo fontes gelidos. Quid unum jam commemorem Nymphæum Chalcedoniorum, situm juxta Bosporum, a permultis antiquis commemoratum? cum valles Bospori plusquam quinquaginta nihil aliud sint, quam Nymphæa virore nemorum & pratorum, topiario & coronario naturæ opere spectabilia. Ora autem maritima collucet plus triginta sinibus portuosis, ad marginem usque profundis : inter quos excellit sinus Chrysoceras, hoc est, Cornucopiæ. siquidem aurum omnium rerum copiam largitur. Collucebat olim ab initio Bospori ad finem ædificiis continuis, quæ longis bellis eversa iterum excitantur, ut ab initio Sinus Ceratini jam littus ad promontorium Estias : (littus patens in longitudinem circiter decem miliarium) exædificatum sit fere continuis ædificiis, non modo in sicco, sed etiam media ex parte in mari substructis, non modo ad hominum habitationem, sed etiam ad stationem scapharum, atque excipulas piscium : quæ omnia patitur mitis Bosporus. Non enim fremebundo æstu effervescit in ædificiorum fundamenta, sicut cætera freta, quæ littoribus fracta, spumarum fervorem in ædium pavimenta furiose jactant, & fremitu terribili murmurantis maris littora plangentia maritimas urbes vexant; sed lenis urbem & suburbana alluit, neque sese offert extra littus, quamvis humile & planum. Itaque Jasonem duodecim diis apud Bosporum sacrificasse, templumque condidisse arbitror, judicantem non modo hominum, sed etiam omnium deorum domicilium esse Bosporum. Apollo quidem sex templa habuit juxta Bosporum : antiquissimum in urbe Chalcedone, nullis oraculis cedens : duo Byzantii; unum Xerolopho, cum tripode antiquissimo; alterum cum luco laurorum juxta finem Sinus Cornu : quartum, juxta eundem sinum : quintum in promontorio nuncupato Metopo : sextum in suburbano vico appellato Daphne a profundo luco laurorum Apollini consecrato, qui in Olympia, ut Mercurium cursu secum certantem præverterit, ita periclitaretur certans in medio Bosporo cum Mercurio, qui semper præfuit promontorio Hermæo, obsidente maximas Bospori angustias, cujus radices cum sustinerent Darii pontem, ejusque sedem in saxo excisam, ostenderunt Mercurii ingenio Darium Asiam Europæ quasi compedibus alligasse. Justius apud Bosporum perenni certamine Juno, Venus, Pallas contendunt : quam ubi semel contendisse dicuntur. Dulcis Venus mare (unde nata est) dulce ostentat excellere. Juno colles uberes profert, & promontorium Bosporium, in quo fuit ædes Junonis Acrææ. Pallas arces Byzantias proponit non judici Paridi juveni pastori, sed Jovi antiquissimo imperatori, & Neptuno, præsidentibus Bosporo, cujus portas Neptunus servare traditur, & claves custodire, adjutore filio Byzante fabro Clavis Ponticæ, hoc est, arcis Byzantiæ conditore, in qua antiquum Neptuni templum fuisse scribit Dionysius. Jupiter Urius, imperatorque quamdiu multumque Bospori angustias tutatus sit, declarat fanum Jovis Urii, in hunc diem nomen retinens : declarat ejusdem statua in Bosporo sita, quæ, cum tam multa bella ex Ponto emerserint, servata est, cum interim sua signa Jupiter pateretur ex Macedonia, ex Græcia auferri. Cum Lucullus ex Ponto auferret Colosseum Apollinem, tamen illam, etsi in toto Orbe pulcherrime facta haberetur, attingere non ausus est : nec arce prius cessit, quam Christus ei successit verus Jupiter Urius, & Imperator : adeo ille Bosporum amore prosequutus est, quem nonnihil augere potuit, id quod sempiterna nominis memoria Bosporus testatur se transvexisse Jo, quam Jupiter amavit; Bosporique accola Semystra educavit Ceroessam Jovis & Jous filiam matrem Byzantis, qui condidit Byzantium. Acrius igitur & commodius in Bosporo quam in Olympia de Orbis imperio Jupiter cum Saturno colluctari potuisset. Nec modo deorum hominumque Pater, sed etiam Mater deorum Bosporum accoluit, suaque æde arcem oppositam arci Jovis Urii illustravit. Neque modo dii deæque inter se, sed etiam secum de pulchritudine Bospori certant. In quo mari Venus dulcior, quam in dulciore Ponti, cujus aqua potui pecorum utilior, quam dulcium fluminum? itaque accolentes Pontum o-

mnia pecora ad mare ducunt, ut ex eo bibant. Ubi Venus placidior, quam in placido Bosporo? ubi Veneris Placidæ ara in Sinu Auricornu nuncupato, ejusdemque templum in suburbano proximo Chalcedoniæ; & in portu Lyciorum, ubi etsi Bosporus frigidus, tamen Venus frigere non potest compressa collibus Bacchi & Cereris feracibus. Juno circa Bosporum duplex & gemina, nempe utraque continens, certat non solum de similitudine, sed etiam de paritate collium, vallium, frugum, fructuum. Ubi Pallas urbium, arcium tutrix, arcem architectari potuisset commodiorem ad retinendum utrumque orbem, quam in Bosporo? Ubi Pallas Bospori primas sibi partes deberi contendat, quam in arce Byzantii, quo primum egressi Coloniæ deductores Minervam coluerunt, aramque Minervæ Ecbasiæ ibi erexerunt, & Pallade adjutrice statim pugnarunt tanquam pro terra patria, nempe Byzantio, quod lumen est clarissimum Bospori. Habuit item alteram Aram supra Bosporum, quam Megarenses coloniæ deductores Palladis Dissipatoriæ appellarunt, ab hostibus barbaris dissipandis. Diana item, & Ceres, & Bacchus contendunt ornare Bosporum. Ecquodnam aliud tam breve spatium sex templa habuit illustria Dianæ, quam Bosporus? in cujus exordio fuit Dianæ Fanum adeo celebre, ut idem Fanum ab aliquibus dicatur Dianæ, ab aliis Jovis. Nusquam Diana sua retia marina tendit felicius, quam in Bosporo, in quo medio fuit ædes Dianæ Dictynnæ. Finis Bospori habuit templum Dianæ Orthosiæ, & ædem Persephones in Promontorio Bosporio: itemque in opposito littore delubrum Dianæ Luciferæ: atque in Bospori portu, Lyciorum nuncupato, templum Dianæ Phosphori. Sed quid tam multa de Diis? cum possem Bosporum suis variis & propriis laudibus efferre, nisi hæc pauca præloqui voluissem, non tam ut laudem Bosporum ex judicio Deorum, quam ut Bospori nomina antiqua summatim informem usurpata atque appellata ab aris, templis, cæterisque Deorum monumentis. Itaque Bosporum Deorum domicilium appellavi, quod in eo omnium majorum Deorum aræ, ædesque multæ & celeberrimæ fuerunt. Jure igitur nonnulli Bosporum, Sacrum Ostium appellarunt: jure Jason duodecim Diis Fanum consecravit; propterea, ut mihi videtur, quod omnes Dii ad eum ornandum contendisse videntur; contra Sostratum, qui Bosporum asserit Neptuni opus esse: mihi potius ab Orbe condito ipsum patefecisse videtur architectus ille summus, qui elementa creavit & distinxit. Quomodo Neptuni fortuita vi Euxinus Pontus tam scite Bosporum aperire potuisset? in quo nihil fortuitum videtur, sed summa ratione factum, ut vix ulla humana mens majore artificio excogitare posset commodiorem ad navigandum: aut si quis tentaret Bospori os aliter fingere ille esset, qui in alia corporis parte os hominis, quam est, commodius esse debuisse, frustra probare niteretur. Primum suum introitum inter Cyaneas largum viginti stadia, montibus cinctum, velut brachia distendit in complexum introeuntium: deinde sensim per longitudinem duorum miliarium usque ad Promontorium Myrleanum coarctatur in angustias miliarias: post in longitudinem quinque miliariorum, quoniam rectus procedit, multos Sinus portuosos efficit: atque ad finem usque magnis anfractibus, & crebris finibus pergit flexuosus usque ad mœnia Byzantii; cujus mucrone velut rostro scinditur in duas partes: quarum rapidior & major in Propontidem progreditur paulatim, oris recedentibus, usque dum inter Chalcedonem, & Byzantium dilatatur in quatuordecim stadia; similiter pari introitu ascendentes excipiens in Pontum, ut excipit descendentes ex Ponto. Altera pars Sinum efficit, Cornu nuncupatum. Sed quid plura de Bosporo? sine quo Byzantium nunquam extitisset, aut vulgaris urbs remansisset: cujus conditor & genius Agathodæmon Bosporus (aut Bosporius) jure dici potest & debet; sine quo non modo vivere cum dignitate, sed ne nasci quidem potuisset. Et ne habeam inculcare, quæ postea dicam de Byzantio, id fere omne Bosporo acceptum referre oportet, quod laudis tribui potest Byzantio.

INDEX CAPITUM.

LIBER PRIMUS.

LIBER SECUNDUS.

LIBER TERTIUS.

PETRI GYLLII
DE
BOSPORO THRACIO
LIBER I.

CAP. I.

De origine Bospori, & de ejus multis nominibus.



BOSPORI Thracici origo est Pontus Euxinus. Supra Pontum est Mæotis, quam matrem & nutricem Ponti divulgavit hominum sermo, jam ab usque antiqua memoria traditus. Mæotidis finis Tanais, limes Europæ & Asiæ. Mæotidem Cimmerico freto excipit Pontus, auctus Mæotidæ, & multis magnisque fluminibus per Thracium Euripum exit in Propontidem. Et ut magni lacus fluvium aliquem emittere solent, ita Pontus emittit in mare Ægæum velut flumen maximum, in principio angustum, in medio amplum, in fine strictum. Finis appellatur Hellespontus; medium vero, lacus similitudinem gerens, Propontis, principium Bosporus. Hunc multis nominibus scriptores appellant: Græci quidam αὐλῶνα: Pomponius Mela *canalem*, alii *Euripum Thracium*. Herodotus modo *Pontis os* appellat, modo αὐχένα. Laurentius vertit *collum*, poterat pure & Latine reddere *Fauces Pontici maris*: Græci nostræ ætatis λαιμὸν nominant. Turci eodem sensu *Bogazin*. Fauces,
A inquit Livius στενὰ vocant Græci. Bosporum quidam recentes Scriptores *Stenon* nuncupant. Pomponius Mela etsi interdum totum Eretum nominat *Fauces*, tamen partem ultimam Bospori, positam inter Chalcedonem & Byzantium, proprie appellat *Hauces*; reliquam oris partem vocat *os*. *In Bospori (inquit) faucibus oppidum; in ore Templum est. oppidi nomen Chalcedon, Templi numen Jupiter.* Ubi distinguit fauces ab ore: idque apte: sive existimat Pontum, ut omnes existimant, exire in Ægæum velut per meatus cujuspiam animalis, nempe primo per Bosporum, quasi per os & fauces subire in alvum, hoc est, in Propontidem: dein-
B de per Hellespontum, tanquam per vesicæ fauces delabi in Ægæum: sive putat mare Ægæum exire in Pontum, id quod putare videtur, sed falso, ut paulo infra ostendam. Tum enim, revera Ægæum a Propontide velut ab alvo ejiceretur in Pontum per fauces & os Bospori. Non igitur minus recte *Threicias fauces* Bosporum appellabimus, quam Lucanus Hellespontum appellavit. Cicero Bosporum nunc *introitus Ponti*, nunc *os*, atque *angustias* dicit. Similiter Aristides Bosporum appellat εἰσβολὰς τοῦ Πόντου. rectius Philostratus ἐκβολὰς τοῦ Πόντου, cum Bosporus sit Ponti exitus potius, quam introitus. Pomponius Mela *angustias*
C *introitumque maris venientes*, non *Fretum*, Græci πορθμὸν appellant. Procopius restrictius hunc præfinire videtur in libro inscripto περὶ τῶν ἀνεκδότων, quem scripsit contra Justinianum, contraque ejus u-

A xorem Theodoram. *Byzantium*, inquit, *utrinque Fretum habet: unum in Hellesponto circa Sestum & Abydum, alterum in Ponti Euxini ore, ubi Fanum nominatur. In Hellesponti Freto tributum quidem minime exigebatur: Præfectus vero a Rege missus in Abydo sedebat, perscrutans, si qua navis ferens arma, sine Regis permissu, iret Byzantium, aut si qui Byzantio solvisset, qui non ferret literas & signa hominum, quibus hæc cura mandata esset. Non enim fas quenquam ex urbe Byzantio enavigare sine dimissione virorum operam dantium magistratui appellato Magistro non dimissorum. Similiter si quis ad Barbaros mearet, apud Fanum Jovis præsidebat, qui perscrutaretur,* B *si qua ex Romæorum ditione ferret, quæ ad hostes efferre non liceret: nihil tamen huic Præfecto exigere licebat ab his, qui illac navigarent. At ex eo tempore, quo Justinianus accepit Imperium, in utroque Freto constituit tributum publicum; & stipendio quidem utrique Freto Præfectos afficiebat. Verum edicebat, ut omni vi quamplurimas pecunias inde auferrent.* Prætereo cætera, quæ Procopius colligit contra acerbam exactionem a Justiniano utrique Freto constitutam. Hoc unum duntaxat ex his percipe, Procopium Bospori & Hellesponti summas angustias stricte nominare *Fretum*, ut Titus Livius Fretum Chalcidici Euripi vocat summas an- C gustias canalis Euboeam dividentis a Bœotia. Certis & propriis etiam aliis vocabulis Bosporum scriptores nominant. Ptolemæus *Os occiduum Ponti*. Apollonius Argonauticorum poeta σκολιὸν πόρον [illegible] appellat: Arianus *Fretum Mysium*, a Mysiis populis, cum id Mysii accolerent: deinde *Thracium* a Thracibus accolis. Potuit etiam appellari *Bithynicum*, & *Mygdonium*, & *Bebrycium*; cum Bithynia, quæ claudit Bospori latus dextrum, Asiaticumque, fuerit etiam appellata Mygdonia & Bebrycia. Herodotus nominat *Bosporum Chalcedoniæ*. Strabo *os Byzantiacum*. Joannes Tzetzes appellat Bosporum *Damaliten* sua ætate nuncupa- D tum, vulgo *Prosphorium*. Aristides *januam Ponti* vocat; imitatus Pindarum, qui Fretum Gaditanum *Portas* dicit *Gaditanas*. Ora enim similia portis habentur; inde fluminum exitus ostia dicuntur. Plinius Fretum Gaditanum appellat *limen interni maris*. Euripides *Clavem Ponti* nuncupat Bosporum. Unde autem vocetur Bosporus, etsi omnibus clarum, a bovis meatu; tamen dubium controversumque inter vetustissimos scriptores est, quænam bos illa fuerit, & qua transierit: quod non tantopere quærendum putarem, nisi hoc perspicuo facto, plane intelligere non possumus, ubi locus appellatus *Bos* sive *Damalis*, ubi Chrysopo- E lis. Poetæ tradunt Io Inachi filiam mutatam in bovis speciem, ira Junonis, Fretum hoc transisse, ex eoque Bosporum appellatum fuisse. Polybius addit transiisse ex Europa ad locum sua ætate nuncupatum Bovem. Arrianus ex quorundam sententia adjungit, aliam bovem fuisse, quæ huic Freto nomen dederit, quam dicit Phrygibus urgentibus incolumem transiisse Fretum, positum inter Chalcedonem & Byzantium; ducemque illis extitisse, quibus divinum oraculum datum erat, ut bovem transitus ducem facerent: qui obtemperantes incolumes transierunt, hujusque meatus monimentum tradit esse Bovem æream, excitatam a Chal- F cedonensibus, locumque illic esse, qui usque ad suam ætatem forsan ex hac appellaretur Damalis. sed ubi fuerit locus Bos sive Damalis dictus, postea suo loco ostendam. Dionysius Byzantius affert quosdam tradere, bovem œstro stimulatam ad promontorium, in quo postea conditum est Byzantium, delatam trajecisse meatum medium; ex eoque hunc Bosporum, illud Bosporium nominatum fuisse. Alii vero testantur ideo sic nuncupatum, quod omne Fretum appellare olim solerent Bosporum. Nonnulli scribunt accolas, siquando olim hoc Fretum trajicere vellent, rates alligasse adjunctis bobus, atque ita trajecisse: ex eoque nomen adeptum fuisse. Nymphis tradit Acarionem historiæ mandasse, Phryges trajicere volentes navem ædificasse Bovis caput in prora habentem. Hæc quidem ex antiquissimis scriptoribus attuli, ut cognoscatur num vere recentes scriptores tradant, inter quos Joannes Antiochenus, qui scribit a Byzante conditore Byzantii bovem in hoc Fretum immissam trajecisse ad Chrysopolim; ex eoque Bosporum appellatum fuisse; cum Byzas nepos fuerit Jous, quæ antequam Byzas nasceretur, hunc canalem trajecerat.

CAP. II.

De Bospori principio, & fine, & de ejus longitudine.

HERODOTUS Bosporum Thracium scribit longum esse centum & viginti stadia; sed loca unde incipit, & definit, non explicat. Polybius similiter longum esse dicit, & loca quibus terminatur, nominat; nempe ex parte Ponti, Fano nuncupato; ex parte Propontidis, Chalcedone. sed Fani nomen non declarat, Jovisne, an Dianæ, an Neptuni: nam horum trium fana ponuntur in Ponti introitu. Sed Menippus, & Arrianus in *suis Periplis Bithyniæ*, id Fanum nominant Jovis Urii, & ponunt in Asia, eandem Bosporo longitudinem dantes a Fano Jovis Urii ad Chalcedonem. Similiter Pomponius Mela, oram Bospori Asiaticam persequens, tradit templum in Ponti ore positum authore Jasone ædificatum, cui nomen esset Jupiter. ex eoque templo dicit, ut ingens Pontus sese aperit: quem, Herodoto teste, ut videret Darius apertum, profectus est ad Cyaneas a Græcis *Planctas* nuncupatas, ubi in Fano sedens contemplatus est Pontum mirabilem. Ex quibus dubium cuipiam videri possit, an Fanum Jovis fuerit in Cyaneis petris, cum etiam Dionysius Orbis terræ scriptor tradat ex ore Bospori Thracii (ubi fama est petras Cyaneas errantes per altum inter se concurrisse) mare multum aperiri. sed ingens Pontus non modo ex insulis Cyaneis sese aperit, verum etiam ex Fano Jovis, quod etiam hodie ἱερὸν Græci appellant, posito intra Bosporum, distante ab insulis Cyaneis quadraginta stadia: atque adeo Pontus patescit a loco Bospori longe interiori, distante a Cyaneis plus sexaginta stadia, quem Dionysius Byzantius appellat *Clavem Ponti*: ubi dicit Pontum eminentibus promontoriis tectum incipere aperiri, nullo impediente amplius verum aspectum maris; Symplegadasque appellatas olim fuisse flexiones multiplicium promontoriorum. Itaque Cyaneas petras esse non modo insulas nuncupatas Symplegadas, sed etiam rupes cingentes littora Bospori, & radices Promontorii, ubi hodie spectatur Fanum, ex quo Darius contemplari potuit Pontum longe lateque. At Fanum nuncupatum alibi, quam ubi hodie extat, non fuisse videtur ex Strabone. *Distant*, inquit, *Fanum Byzantiorum, & Fanum Chalcedoniorum a Cyaneis insulis viginti stadia: quorum alterum fuit Jovis Urii, alterum Serapidis*. Quamobrem in Sinu, quam Græci hujus ætatis appellant *Dios sacra*, Fanum Jovis fuisse videri potest: præsertim cum supra id, quod nunc vocant ἱερὸν, Bosporus pergat angustus ultra duo miliaria, nimirum usque ad Dios sacra, sed ut ibi aliqua Jovis ara fuerit; tamen templum Jovis Urii terminus Bospori ab authoribus celebratus illic non fuit, & erratum esse in Straboniano Codice, vel ex ipsius Strabo-

nis verbis liquet, cum ait apud templum Byzantiorum, & Chalcedoniorum Fretum strictissimum esse totius Bospori, id quod non est apud sinum nuncupatum Dios sacra, tum magis ex Arriano tradente Cyaneas quadraginta stadia distare a Fano Jovis Urii, ubi idem totius Bospori os strictissimum esse dicit, ibidemque esse ostium Ponti addit. Philostratus, & Dionysius Byzantius dicunt esse quatuor stadiorum.

At objicietur Polybius, scribens Fanum Jovis distare ab Europa duodecim stadia: objicietur etiam Procopius, tradens Asiam atque Europam circum Abydum, & Sestum prope inter se accedere, iterumque circa Byzantium, & Chalcedonem usque ad petras Cyaneas olim appellatas, ubi Fanum nunc ita appellatum. In his enim locis decem stadiorum intervallo, eoque minus utraque continens separatur ab altera.

Quibus objectis respondendum est: non intelligere Polybium de latitudine Bospori, sed de distantia Fani ab Europa: Fani enim arx sita fuit in supercilio Promontorii, ubi etiam nunc castrum est, quod vulgus etiam Græcorum nominat ἱερὸν, id est, *Fanum:* aut si intelligit fanum juxta litus Bospori situm, codicis Polybiani erratum esse, aut ipsum errare dicemus; Procopium prorsus a vera mensura aberrare, sive intelligit de intervallo inter Cyaneas sito, inter quas Fretum intercedens ex Strabone, & meo judicio patet in latitudinem viginti stadiorum; sive intelligit Cyaneas cautes, cingentes Bosporum, & Promontorium nuncupatum Fanum, ubi scriptores longe antiquiores dicunt duntaxat quatuor stadia latas esse angustias, supra quas eminent duo castella, alterum ex Asia, alterum ex Europa, quæ Græci usque ad hanc diem vocant ἱερὰ, ubi antiqua fana fuisse cum ex antedictis assequor, tum ex meis oculis & pedibus: quibus infra ostendam ab ultimis Bospori faucibus inter Chalcedonem, & Byzantium sitis, ad castella ἱερὰ esse centum & viginti stadia: quorum situs ostendit nullum locum in Bosporo tam aptum esse ad obsidendas Bospori fauces, quam locus, ubi hodie ἱερὸν dicitur, ejusmodi, qualis a Polybio describitur: *Fanum esse locum natura munitissimum situm in Ponti ostio; quem Byzantii ingenti pecunia mercati fuerunt, oportunitate loci pellecti, ne ullam cuiquam commoditatem relinquerent in Pontum, vel ex Ponto navigandi, nisi id cum voluntate faceret Byzantiorum.* Is locus si ad superiorem Ponti introitum, intercurrentem inter Myrleium & sinum nuncupatum Dios sacra fuisset, ubi Bosporus largior, & multo rapidior, & undique fere rupes præruptæ, non tam ipsi alios impedissent, quam semetipsos, non habentes neque commodum accessum, neque portum. Adde quod hostibus commoditatem reliquissent muniendi Promontorium quod Fanum etiamnum appellatur, natura munitissimum: ad cujus radices fretum est angustissimum totius Bospori. Adde etiam hoc Promontorium plenum ruinis retinere adhuc vestigia veteris oppidi: in cujus summo etiam nunc extat castrum muris cinctum, quod Turcarum præsidio diligenter custoditur, oppositum oppido Europæ similiter in ruinis jacenti: quod cum Byzantii tenerent, situm e regione fani Asiatici, ab Strabone nuncupati Chalcedonici, perspexerunt commodissimum esse utrumque tenere ad occupandas introitus Pontici fauces angustas, utrinque portum habentes, olim catenis claudi solitas, quæ usque ad hunc diem in arce Fani Asiatici servari dicuntur, quod distat a Pharo hujus ætatis quadraginta stadia, cui vicinas insulas Cyaneas infra ostendam. Ex quibus plenius liquebit Fanum hodie nuncupatum, esse illud Jovis Urii fanum antiquissimum, quod Polybius, Herodotus, Menippus posuerunt finem Bospori. Quos miror non ulterius posuisse saltem duo milliaria, usque ad sinum Dios sacra appellatum, quo usque canalis Bosporius pergit angustus, ubi non multo latior alicubi, quam ad angustias fani, quum etiam rectius finem Bospori ad Cyaneas insulas posuissent; ut Dionysius Byzantius, & alii plerique. Inter quos Strabo: *Cyaneæ*, inquit, *in ore Ponti sitæ, duæ perparvæ sunt insululæ; quarum altera Europæ propinqua, altera Asiæ, divisæ inter se freto lato viginti stadia.* Cui consentit Dionysius orbis terræ scriptor. Sed sive Bospori initium sit a Cyaneis insulis, sive a Fano Jovis, longitudo, quam Strabo attribuit Bosporo, dissentit ab aliorum longitudine: nam si initium sit a Cyaneis insulis, quas Strabo dicit distare a Fano viginti stadia, non convenit cum Arriano, neque cum meo judicio. Illas enim Arrianus dicit distare quadraginta stadia a Fano: a quo si Bosporus incipit, Strabonis mensura justa non est: quam ponit hoc modo: *Cum*, inquit, *ex angustissimo freto intercidenti inter duo fana processeris decem stadia, obviam sese offert fretum coarctans Bospori fauces in quinque stadia: cum ab angustiis fanorum ad alteras angustias, quæ sunt ad Hermæum promontorium, sint amplius quinquaginta stadia.* Id quod ipse mensus sum. Et Herodotus confirmat: *Darius*, inquit, *ponte Bospori transitum conjunxit ad eum locum, qui est medius inter Fanum, & Byzantium*; locumque ubi pons junctus est, continuatis navibus, Polybius appellat Hermæum promontorium, a quo usque ad Byzantiorum Cornu nuncupatum Strabo non absurde quadraginta ponit stadia, si recte dimensus sum, & priusquam dimetirer, collegeram ex Sozomeno: *A promontorio*, inquit, *nuncupato Estiis ad Constantinopolim navigatio est circa triginta stadiorum: a promontorio Hermæo ad promontorium Estias recta navigatio excedit miliare.* Ex quo patet a Fano Jovis ad Cornu Byzantiorum stadia esse amplius nonaginta. At ex Strabonis mensura essent duntaxat sexaginta; cum a Byzantio ad Fanum ex antiquioribus Strabone scriptoribus stadia constet esse centum, & viginti: a quibus mensura codicis Pliniani etiam ab Hermolao emendati dissentit: *Bosporus*, inquit, D. *pass. intervallo Asiam Europæ auferens, abest a Chalcedone* XII. M. D. *pass. inde fauces primæ* VIII. M. CCL. *pass. ubi Phinopolis.* si errores ibi non sunt notularum numerariarum, ut esse longitudinis non videntur Hermolao: certe mihi errare videtur ponens XII. M. D. pass. a Chalcedone ad angustias Bospori largas D. pass. sive eas intelligit esse in Hermæo: ut intelligere videtur alio loco: *Angustiæ*, inquit, *Thracii Bospori appellantur latitudine* D. *pass. qua Darius pater Xerxis ponte transvexit copias.* At, ut jam dixi, Strabo ab angustiis Hermæi Promontorii ad Cornu Byzantiorum ponit quadraginta stadia. Herodotus ab his angustiis ad Chalcedonem miliaria designat circiter septem, & quingentos passus, cum locum ubi Darius pontem fecit, medium esse dicit inter Fanum, & Byzantium: unde fauces primæ non abessent a Chalcedone octo miliaria. Sive Plinius intelligit angustias Fani, tum enim magis fallitur. Nam ex Polybio a Fano ad Chalcedonem sunt centum & viginti stadia. Quod autem addit ab his angustiis ad fauces primas, ubi Phinopolis est, VIII. M. CCL. designat fauces prope Cyaneas, cum dicit ibi esse Phinopolim, quam alio loco dicit esse juxta Bosporum, aberrare videtur. Nam sive a Promontorii Hermæi angustiis intelligit, sunt amplius XII. miliaria ad Cyaneas, sive a Fani angustiis, quas Arrianus tradit distare a Cyaneis quadraginta stadia. Sed quid diutius me torquet Plinii inconstantia, qui alibi non veretur scribere, Cyaneas

neas distare ab ostio M. XIIII. ab Europa M. D. quæ profecto non distant ab Europa plus octoginta passibus Romanis: neque ab ostio, etiamsi ejus initium sit a Fano Jovis, amplius quinque miliaribus. Verum illi non ferendi, ignorantes initium, & finem Bospori, quos designat Eustathius: *Thracicum*, inquit, *Bosporum alii dicunt esse angustias Anapli nuncupati*. Ego vero postea ostendam Anaplum esse prope Estias promontorium: deinde adjungit Eustathius diligentius perfectiusque tradere, qui dicunt supra Chalcedonem esse os Ponti, ubi etiam sunt maximæ angustiæ: nempe designat angustias, quas dixi unas apud Promontorium Hermæum, alteras ad Fanum Jovis. In quo errore cognovi esse nonnullos Byzantios illic existimantes Bosporum dici ex eo quod boves ultro citroque transire solitos sæpe viderint. Plinius similiter angustias Bospori proprie Bosporum appellare videtur: *Bosporus* D. *P. intervallo Asiam Europæ auferens abest a Chalcedone* XII. M. D. *P. inde fauces primæ*. Nam quod Xenophontis codices tam editi, quam nondum editi habeant Chrysopolim Asiæ urbem extra Ponti ostium sitam esse, sic enim Græce est, ἔξω τῦ ςόματος, sed existimo legendum ἔσω, vel εἴσω τῦ ςόματος, cum omnes Geographi intra Bosporum constituunt Chrysopolim, quæ in penitiore Bosporo est quam Chalcedon, & Byzantium urbes ab omnibus principibus Geographis in Bosporo constitutæ. Itaque miror Herodianum scribere Byzantium situm esse in angustissimo Propontidis freto: quem facile paterer, si dumtaxat dixisset situm juxta Propontidem, quod fortasse etiam Herodiani ætate Byzantium aliqua ex parte, sed minima ex tribus Propontidem attingeret. At ex ea parte Fretum angustissimum non est, ac potius nullum Fretum est, sed lata Propontis. Nescio an imitatus sit Polybium, qui Hellespontum appellat Propontidis angustias. Varro Propontidis fauces dixit, ubi Xerxes pontem junxit. At hi etsi poterant appellare Ponti secundas angustias & fauces, tamen recte appellarunt Propontidis. Nam influit in Hellespontum Propontis, at non item in Bosporum: quin nusquam Bosporus rapidior fertur adversus Propontidem, quam circa Byzantium. In eodem errore est Eustathius, ponens Chalcedonem in Propontide: sic enim interpretatur Dionysii versum:

Χαλκιδέες μὲν πρῶτα παρὰ ςόμα γαῖαν ἔχυσιν,

τυτέςι περὶ ςόμα, ἤγυν περὶ τὴν Προποντίδα, cum potius interpretari Bosporum debuisset. Similiter labitur Priscianus, sic eundem versum Latine reddens:

Sunt Chalcedonii primi post ostia Ponti,

contra Herodoti, Polybii, Strabonis, & reliquorum summorum scriptorum sententiam, qui intercedens Fretum inter Chalcedonem & Byzantium appellant Bosporum. Dionysius Byzantius antiquissimus Bosporici Anapli scriptor Promontorium, in quo situm est Byzantium, appellat Bosporium, ex eo quod bos illa, quæ nomen dedit Bosporo, ex hoc Promontorio transierit in Asiam. Sed quam interdum Geographiæ negligentes fuerint etiam insignes Grammatici, cum ex aliis perspexi, tum ex Eustathio, & Prisciano, tum maxime ex Joanne Tzetze, qui Bosporum Thracium appellandum esse Hellespontium, & totam Propontidem Hellespontiam præscribit, magis quam docet. Sed quam arroganti licentia, ex ipso loquente cognosce. *Bosporus*, inquit, *apud nos appellatur Thracius & Hellespontius, is, qui communi consuetudine Prosphorion vocatur. Disce etiam Hellespontum, unde, & quousque tendat. Ex Abydi*

A *angustiis, & ex omnibus mediis interjectis, usque ad pontem Blachernarum Hellespontus appellatur, Bebrycium mare in medio positum circumcludens, mareque Heracleæ Thracicæ. Quis autem maris scriptor de Bosporis duobus scripserit, & de Hellesponto, e turba multorum Historicorum haud scio*: tamen Tzetzem ne mentiri in hujusmodi rebus existimes, sed exactius dicere omnibus historicis, & magis memoriter, quam quisquam viventium. Quis talem Græculam vanitatem, vel potius abasgicam ferat? Profitetur se nescire quis e multis historicis scripserit de Bosporo. Et cum hæc nesciat, tamen asseveranter affirmat se omnium optime scire, quis

B sit Bosporus, & Hellespontus. De quibus cum nihil doceat, sed tyrannice præscribat pauca, & in his paucis a seipso dissentit. Hellespontum enim dicit appellari omne mare, quod intercedit inter Abydi angustias, & pontem Blachernarum, hoc est, totam Propontidem, & partem Bospori. cur Hellespontum finit pontem Blachernarum? Cum prius definierit Bosporum Thracium appellari Hellespontium, etiam in mediis angustiis, ubi Darius pontem junxit. Quid causæ hunc moverit, cur tam temere Bosporum præscripserit, dicam ne, an jusserit Hellespontium esse appellandum?

C Non reperio: nisi forte in Homero legerat πλατὺν Ἑλλήσποντον. At Eustathius exponit Hellespontum angustum esse inter Sestum & Abydum: latum vero ad Sigæum, & Rhœtium promontoria. Dionysius Alexandrinus Æolidem regionem sitam esse dicit supra magnum Hellespontum: unde aliqui interpretati sunt Hellespontum sibi partem vicinam maris Ægæi vindicare, partemque Propontidis; at propinquam, alii Tzetzæ similes, πλατὺν καὶ μέγαν Ἑλλήσποντον minus recte interpretati sunt totam Propontidem, ut ostendam in tractatione Propontidis. Nam Eustathius cum uno loco ait Propontidem esse os Ponti, corrigen-

D dus esset, nisi alio loco resipiscere videretur, cum inquit, exactius, & emendatius dicunt, qui tradunt os Ponti esse supra Chalcedonem, ut tradunt omnes Historici, Geographi, Poetæque, Dionysius Alexandrinus, & Apollonius Rhodius, qui omnes, ut partiti sint Hellespontum, & Propontidem alias dicam: ut vero Bosporum terminarint, jam dixi: cujus de initio, & fine, quid certissimum habeam, si quis meam sententiam forte requirit, dico non modo ex capitis, sed etiam ex pedum sensu, initium Bospori a Cyaneis, non a Fano mihi videri, intuenti a Promontorio Phari, cui proximæ sunt Cyaneæ insulæ Europeæ ad

E promontorium Asiæ contrarium, propinquum Cyaneis Asiaticis Pontum, coarctari in Fretum latum viginti stadia. Ut tam recte ibi Bosporus vocari debeat, quam a Chalcedone, ubi finitur. Nam ut spatium, quod intercedit inter Chalcedonem, & Byzantium, dilatatur in stadia circiter viginti: deinde sensim in septem stadia stringitur, sic inter Cyaneas fretum interjectum latum est viginti stadia. Deinde sensim stringitur usque ad Myrlianum promontorium in angustias paulo latiores angustiis Fani. sed de Cyaneis copiosius dicetur. Jam de initio Bospori loquor, quod a Cyaneis

F duci asseveranter affirmo. Ergo, dicet quispiam, errarunt Polybius, Herodotus, Menippus, atque alii plerique antiquissimi, & eruditissimi, qui Bosporum Fano Jovis terminarunt. Errasse non dico, sed ita intelligendos censeo, cum id spatii, quod intercedit inter Fanum, & Cyaneas Insulas suburbanis duorum Fanorum solo Freto divisorum plenum esset ædificiis, hæc omnia tunc Fana fuisse nuncupata, ut nunc eadem loca vocant ἱερὰ, atque ipsum os Ponti ab arcibus Fanorum ad Cyaneas vulgus vocat ἱερόν. Ita enim

A malo intelligere tantos autores, ut eos reverear potius, quam accusem negligentiam. Quamvis Polybius, id intervallum situm inter Fana & Cyaneas excludere ab ore Ponti videtur, cum ait a Cyaneis ad Fanum Jovis Urii, ubi est ostium Ponti, quadraginta esse stadia. Quid enim necesse erat definire, esse os Ponti, ubi est Fanum, cum etiam id sit, ubi sunt Cyaneæ? Similiter Strabo sentire videretur, cum ait, Cyaneas inter se divisas esse freto lato viginti stadia, tantumdemque easdem distare a Fano Byzantiorum, quod est strictissimum totius Bospori Thracii, quodque etiam est ostium Ponti, nisi prius dixisset Cyaneas
B Insulas in Ponti ore sitas esse. Itaque Polybium similiter, ut Strabonem sentire dici convenit, potius quam accusare negligentiam metiendi Bospori veram longitudinem: quæ si a Cyaneis incipit, longior est quadraginta stadiis, quam si exorditur a Fano. Non ut mihi soli videtur, sed & Arriano, scribenti, a Cyaneis ad Fanum Jovis Urii esse quadraginta stadia, a Fano ad portum Laurus insanæ quadraginta, a Daphne Byzantium octoginta stadia. Quare miror Dionysium Byzantium scribentem Bospori longitudinem centum & viginti stadia patere, cum Insulis Cyaneis is Bosporum terminet. Nisi arbitrer ipsum secutum aliorum
C judicium, ponentium initium Bospori in Fano, potius quam suum: aut fortasse erratum est Codicis, transcripti a nescio quo, existimante in Dionysio ita legendum, ut in aliorum scriptorum Codicibus Bospori dimensionem legerat.

Jam cum ex antedictis liqueat, totius Bospori longitudinem esse centum & sexaginta stadiorum, longe errat Zozimus Historicus, Bosporum tradens longum trecenta circiter stadia; & Promontorium Fanum nuncupatum, in ore Ponti situm, distare a Chalcedone ducenta stadia; sive intelligit medium & directum cursum Bospori, sive ejus
D oram terrestrem, quam ipse, quoad fieri potuit, meis passibus mensus sum, motus tanta authorum dissensione, quæ me currentem incitavit, ut pedibus semel, & navigatione iterum, & sæpius Bosporum perlustrarem: atque ita metirer a fine Bospori ad promontorium Bosporium plus minusve sex stadia esse, a Bosporio promontorio ad Metopum, fauces Sinus Ceratini mensus sum oculis totidem stadia patere: a Metopo ad Fanum pedibus profectus, secundum litus Europæum ambulavi circiter triginta novem millia passuum meorum: qui deductis flexibus & sinibus adverti absonam non esse mensuram eorum, qui a Fano
E ad ultimas Bospori fauces inter Chalcedonem & Byzantium sitas numerant centum & viginti stadia: inde usque ad Pharum, ubi Cyanea Europia oculo quantum æstimare potui, recte Arrianus numerat quadraginta stadia, pedibus metiri non potui ob præruptum littus rupibus præcipitibus. Quamvis littus totum circuire tentaverim constanti quidem nixu, sed inconstanti mensura, ut enim pedibus manibusque ad virgulta adnitens ascenderam, confestim objecta rupe præcisa & directa mihi cum periculo descendendum erat. Sed satis superque de Bospori longitudine, atque de
F ejus principio & fine, quem aliqui ponunt, ubi principium existit, habentes rationem navigantium ex Propontide in Pontum, magis quam naturalis principii Bosporici incipientis a Ponto, & desinentis in Propontidem. Quod nihil mihi aliud esse videtur, quam ostia fluminum appellare initia, eorumque fontes, finem: ut Cæsar ostia Rheni vocat capita; alii Scriptores, fluminum fontes nominare solent capita.

CAP. III.

De latitudine Bospori.

VARIA Bospori latitudo est, ne quis forte seducatur, Herodoto, aliisque simpliciter præfinientibus Bospori latitudinem quatuor aut quinque stadiis, ea enim intelligenda est angustissima, ut profecto est duobus locis. Primus est ad Fanum Jovis, ubi Arrianus & Strabo ajunt Bosporum angustissimum. Philostratus & Dionysius Byzantius idem sentiunt, atque definiunt largum quatuor stadia. Alter locus est ad Hermæum promontorium, quem Strabo, & Pomponius Mela dicunt latum quinque stadia. Polybius similiter sentit, additque strictissimum esse oris Pontici: Dionysius Byzantius ait quatuor stadiorum. Has utrasque angustias fune mensus essem, nisi suspiciosi accolæ me deterruissent. Sed tamen quantum oculis judicare poteram, mihi videbantur eadem fere latitudine; dimidio quidem arctiores, quam Hellesponti: tametsi Lucanus Hellespontias aut arctiores, aut non minus arctas designare videtur his versibus:

Threiciasque legit fauces, & amore notatum
Æquor, & Heroas lachrymoso littore turres,
Qua pelago nomen Nepheleias abstulit Helle,
Non Asiam b evioris aquæ disterminat usquam
Fluctus ab Europa, quamvis Byzantion arcto
Pontus, & ostriferam dirimat Chalcedona cursu.

Hæ Bospori solæ duæ angustiæ sunt notatæ literarum monumentis. At piscatores nostræ ætatis alias ponunt angustias. Unas quidem a promontorio Europæo nuncupato Estiis, ad littus Asiaticum, quod vulgo vocatur *Cecrium*, easque piscatores nonnulli testantur tam angustas esse, quam ad Hermæum promontorium: alias angustias definiunt piscatores inter promontorium Argyronium, & Milton; quas tam angustas inquiunt, quam ad Fanum Jovis. Equidem ipse alias animadverti angustias inter Coracium promontorium, & portum Lyciorum; alias inter promontorium Clidium, & littus contrarium, vicinum Vico Stauro nuncupato. Reliqua Bospori latitudo varia est; sed vix usquam excedit duodecim stadia, nisi ubi ibi in aliquos sinus dilatatur, atque ubi principium est inter Cyaneas, latum viginti stadia, & finis inter Byzantium & Chalcedonem, quem Polybius dicit patere in longitudinem quatuordecim stadiorum. Antoninus Pius in suo *Itiner.* trajectum ait a Byzantio ad Chalcedonem esse quatuor mille passuum. Plinius Chalcedonem scribit distare Byzantio septem stadia. Idem alio loco: *Pelamidum,* inquit, *omnis captura Byzantii, magna Chalcedonis penuria* M. *pass. interfluentis medii Euripi:* sic enim legebatur ante castigationem Hermolai. At is legendum censet D. aut DC. & Strabonem affert id intervallum tradere πεντεςάδιον: quasi vero duntaxat de loco Bospori angustissimo intelligi possit. Quasi vero, ut Plinius ait, ex eo loco territi pisces saxi aspectu miri candoris peterent Byzantium. At locus ubi fuit hoc saxum non fuit in Euripi angustiis quinque, aut quatuor stadiorum: sed, ut infra ostendam, in trajectu lato plus minusve mille passibus. At enim quantum oculis æstimare potui, Euripus intercedens inter Chalcedonem & Byzantium non attingit duodeviginti stadia. Dionysius Byzantius canalem Bospori intercurrentem inter promontorium nuncupatum Bovem sive Damalim, & contrarium promontorium Bosporium nominatum, in quo Byzantium situm est, scribit latum esse septem stadia.

Cap. IV.

De figura Bospori, & de ejus decursu, certo quidem, sed multiplici.

QUÆ Bospori figura, quive decursus, an continuatus a principio ad finem decurrere perseveret, an interdum intermittat defluere; qui flexus, qui sinus, utrum canalis per planitiem, an inter montes; rapidus ne sit locorum angustiis, an objectionibus promontoriorum, quodnam ejus littus præceps, & præruptum, & quod planum; jam declarare conabor. Bosporus non rectus procedit, sed flexuosus, ut scribit Apollonius Rhodius & Eratosthenes σκόλιος: at quo modo, non scribunt. Progreditur enim non Mæandri more, aut aliorum fluminum, quæ recurvis & tortuosis flexibus feruntur, non aptis ad navigandum: sed ita ipsum natura incurvavit, ut subinde ad parallelas promontoriorum eminentias fractus, per multosque anfractus retentus, sedatior mearet, aptiorque ad navigandum decurreret, undique montibus cinctus. Unde fit, ut non modo triginta portus nobiles habeat, sed totus fere portuosus sit: qui si planitie cingeretur, aut rectus pergeret, valde ad navigandum incommodus esset. At per anfractus portuosos amplos pergens, ad formam normæ, ad navigandum commodissimus habetur. Ut enim norma fabrilis constat regulis duabus, ita junctis capitibus duobus, & divaricatis alteris capitibus, ut rectum angulum efficiant; ita Bospori decursus ex Ponto exiens a positione cœli media inter Orientem solstitialem, & Septentriones ad Hybernum occasum directo cursu procedens amplius duo miliaria primum latus anguli normalis efficit ad sinum Bathycolpon nuncupatum, a quo flexus ad Orientem Hybernum recto itinere pergens in longitudinem paulo amplius duorum miliarium alterum latus normæ complet. Exinde alio facto angulo normali accedit ad promontorium Hermæum, circiter tria millia passuum Romanorum ad occasum versus. Inde a Septentrionibus ad Meridianum cardinem a regione cœli media inter Septentrionem, & ortum solstitialem ad occasum Hybernum pervenit Byzantium: unde a Septentrione ad Meridiem rapitur in Propontidem. In summa, ab initio ad finem septem facit anfractus non modo Bosporicus canalis, sed littus etiam utrimque canalem cingens. Hi septem anfractus alterni retundunt alternas septenas rapidas confluentis percussiones, & retorquent in contrarium littus. Primus decursus effluentis Bospori ab initio rectus defertur in Europam, ad locum appellatum Petram Dicæam: Alter in Asiam ad locum Glarium nuncupatum: Tertius in Europam contra Hermęum promontorium. Non igitur decursus Bospori a Ponto ad Hermęum promontorium similis est ob similitudinem, ut Polybius ait, locorum utrimque Bosporum attingentium; cum jam viderimus ob similitudinem duos decursus confici ultra promontorium Hermæum diversos a communi decursu Bospori. Id quod ego iterum, & sæpius vidi, & piscatores testantur, atque Dionysius Bizantius inter Dicæam petram, & promontoriũ Hermæum ponit ὀξύῤῥουν καὶ περίῤῥουν, promontoria ita nuncupata a vehementi defluxu Bospori. Quartus decursus defertur in Asiæ promontorium vulgo nominatum Moletrinum: Quintus in Europam, ad Promontorium (Estias:) a quo violenter rejectus, ita fertur in Asiam ut exiliter deinde repulsus ab Europa jactetur fluctuans juxta Asiam primo ad utrumque promontorium, claudens vicum Chrysoceramum, postea ad promontorium dictum Bovem, sive Damalim. A quo septi-

A mus repulsus rapidus fertur ad Promontorium Bosporium, sive Byzantium nuncupatum. Cujus mucrone discissus diffluit in duas partes: quarum rapidior præcipitat in Fretum ad Propontidem versus; altera debilior exilit in sinum Cornu appellatum. Hi septem decursus fluctuum adeo impetu rapido feruntur, ut remos præternavigantium vi rapiant, molasque versare valeant: ut novem locis moletrina constitui possint; neque tantum molas, sed & naves remis, & velis impulsas retardent, & longe retro interdum convertant: atque adeo pisces ipsos, & cancros, a celeritate nominatos E-
B quites, iter terrestre inire cogant. In cæteris locis defluxus Bosporici feruntur similes ob similitudinem locorum ex utraque parte canalem attingentium: quibus similibus utriusque continentis contractus fluvii in modum descendit.

Unde autem fiat, ut hi septem decursus defluxionis Bosporicæ sint rapidiores cæteris fluctibus, & effervescentes in terram, cum littus attigerint, refervescant, & revolvantur identidem; profecto id fieri existimo, non tam locorum angustiis, ut quidam putant, quam anfractibus promontoriorum objectorum, quibus ut refractus retardatur, sic angustiis proclivior, incitatiorque labitur. Si enim
C angustiis locorum id fieret, rapidior esset apud Fanum Jovis: at ibi rapidus non est, ob directum canalis alveum. Nam primus anfractus, & ultimus, patentes in latitudinem circiter miliaris, non tam angustiis utriusque continentis refringuntur, quam objectione promontoriorum fluctus rejicientium in contrarium littus: ut ab Hermæo promontorio tanquam ictu quodam repulsus in opposita Asiæ loca recidat, illinc rursus revertens, ad promontorium Estias fertur; a quo refractus incurrit in locum Bovem. Tantoque impetu hi anfractus retorquentur, ut non modo undarum partem majorem
D & violentiorem deorsum detrudant: sed etiam debiliorem, & communem Bospori decursum sursum versus recurrere cogant. Vidi etiam reflante vento rejectos fluctus a promontorio Bosporio per vertices ferri ad Estias, versus promontorium, ubi colluctatio quædam vorticosa videtur contrariorum fluctuum, aliorum descendentium, aliorum ascendentium. Sic enim undarum cursus fertur contra promontorium Bosporium, ut & fluvios ingredientes Sinum nuncupatum Cornu, & fluxum Bospori illuc rejectum exire non permittat: sed cogat eos ascendere ultra tria miliaria: id quod percipitur etiam oculis vulgi, cum flumina Sinum
E Cornu ingressa turbida ex multis pluviis, non possunt subire cursum fluxus delati a loco Bove nuncupato ad promontorium Byzantinum: ubi videntur aquæ turbidæ ascendentes amplius stadia quindecim, divisæ a decursu fluxus clari & cærulei descendentis a promontorio Estiis: ad quod decursus rapidus quidem defertur, sed paulo infra multis vorticibus circumfertur, ob rejectiones aliorum promontoriorum. Itidem fluxus ad promontorium Asiæ, quod vulgo vocant *Moletrinum*, etsi assiduo, & rapido cursu dejicitur, ut ejus murmur circumsonans audiatur; tamen paulo infra varie & multipliciter revolvitur, ob repulsiones contrariorum
F fluctuum. Itaque duplici cursu ferme usque ad Fanum Jovis fluxus Bospori movetur: uno quidem deorsum versus, depulsus a locorum angustiis & rejectionibus promontoriorum; altero sursum rejecto a violentia fluxus descendentis, & coercito sinibus, & flexibus.

In summa, quos dixi promontoriorum & fluctuum anfractus septies cursum communem Bospori sistunt, & violenter coercent, ut cogant ipsum retrorsum currere. nimirum primus decursus, contra petram Dicæam olim nuncupatam dela-

tus, retundit fluxum Boſpori communem in Bathycolpon ſinum ita nominatum, uſque ad Scletrinum ſinum: Secundus, a promontoriis Aſiæ, quorum unum appellat Dionyſius Ὀξύῤῥουν, alterum Περίῤῥουν, repulſus, decurſum repellit communem in ſinum Soltanicum dictum, uſque ad promontorium Turcicum nominatum. Tertius, a promontorio Hermæo rejectus, rejicit in ſinum Phidaliæ, uſque ad Commarodes. Quartus, a promontorio Moletrinario in ſinum Anapli appellatum, uſque ad promontorium Amanolum. Quintus, a promontorio appellato Eſtiis in ſinum τῶν χηλῶν, ad Neocaſtrum uſque. Sextus, & ſeptimus refracti a Damalico & Boſporio promontoriis, rejiciunt defluxum debilem ad loca ſuperiora, ad promontorium Eſtias verſus.

Hæc quidem multa attuli, ut planius percipiantur Hipparchi perpauca verba, ſed multi momenti. Is enim narrat Boſporum, etſi ſolum defluxum habeat, & non refluxum, tamen *μονὰς ποτὲ ποιεῖσθαι*, hoc eſt, *manſiones facere*, ſtare, ſubſiſtere.

Ex antedictis jam facile cognoſcimus Mæotim eſſe matrem Ponti, & Pontum Boſpori patrem, & Propontidis, & Helleſponti; contra Procopium, ſcribentem duo maria, Ægæum & Euxinum nominatum Pontum, coire inter ſe ad Byzantii partem Orientalem; contra etiam eos, qui aſſerere audent illorum originem eſſe a freto Gaditano. Per quod dicunt mare ingrediens nuſquam deſinere, quoad in Colchos pervenerit. Nam quod, ut ipſi etiam fatentur, effluxus Ponti velut fluvius deſcendat ad urbem Byzantium, dicunt nihil ad rem referre: omnibus enim fretis affectiones accidere ſolitas eſſe, quæ nulli rationi perſpicuæ videntur, quas nemo unquam explicare potuit, ne Ariſtoteles quidem ratiocinationis naturalis princeps: qui hujuſce rei cauſa ad Chalcidem Eubœæ profectus, Chalcidici freti, quod Euripum nominant, rationem naturalem exactiſſime ſcrutari volens, cum diu multumque hujus curſus inſtabiles & vagos conſideraſſet, miſere mortuus eſt. Maxima pars ſcriptorum tradit hunc Euripum ſeptem curſus in die definire, tot demque referre. *Quid*, Cicero inquit, *Chalcidico Euripo in motu identidem reciprocando putas fieri poſſe conſtantius*? Tit. Livius contradicit, ventosque affert, ab utriuſque terræ præaltis montibus ſubitos, ac procelloſos dejici, fretumque ipſum Chalcidici Euripi ciere, ejuſque motum non ſepties die (ſicut fama fert) temporibus ſtatis reciprocari; ſed temere in modum venti, nunc huc, nunc illuc verſo mari, velut monte præcipiti devolutum, torrentem rapi. Equidem in Chalcidem cum veniſſem, Livii ſententiam probare non poteram, cum nullo flante vento certis temporibus contemplarer modo ferri ab ortu Solis, modo ab occaſu, tanto impetu, ut ventos contrarios, & plena navigia contra navigantia ſecum aſportaret: molasque multas ab eo verſari vidi aliquot horas ab ortu ad occaſum Solis, aliquot ab occaſu ad Orientem. Cum autem ipſe a moletrinariis, qui ex molarum motu acceſſum, & receſſum omnium maxime animadvertere habent neceſſe, percunctatus eſſem, quoties, & quot horas nunc huc, nunc illuc converterentur molæ, reſponderunt communiter, intra viginti quatuor horas curſum quater mutari ſolitum eſſe; ſex horis ab una parte accedere, totidem ab altera recedere. Cum autem adjungere inciperent, eſſe quædam tempora, cum has certas vices non obſervaret: & ipſe nimium attento vultu, & animo excipiens illorum ſermonem, & rei veritatem ſcire cupiens, quænam eſſent illa tempora inquirere aggreſſus, deprehenſus a quibuſdam Coryceis, &

A repente correptus, ut explorator aliquandiu in cu-
ſtodia retentus ſum.
Jam in Freto dividente Italiam a Sicilia multa
præter rationem fieri ſolent. Videtur enim ex
mari Adriatico fluxus illuc accedere, & ex mari
Tyrrheno. ſed hoc repente crebros vortices a
nulla nobis perſpecta cauſa ciere, & naves per-
dere perſpicitur; propterea que a Poetis dicuntur
a Charybdi abſorberi. Qui vero dicunt in Freto
Siculo multa fieri præter rationem, iidem putant
plurima ejuſmodi præter rationem fieri in omni-
bus Fretis, ex proxima utrinque terra, cujus an-
B guſtiis ajunt curſum fluxus in quaſdam neceſſita-
tes cogi, rationem non habentes; quamobrem etſi
fluxus a Fano Jovis ad urbem Byzantium videtur
ferri: tamen nemo, inquiunt, recte aſſeret mare
Ægæum, & Pontum illuc deſinere: quorum opi-
nionem confirmare videntur piſcatores noſtræ æ-
tatis piſcari in Boſporo ſoliti. Hi enim teſtantur
Boſporum immenſos gurgites, & voragines habe-
re. Neque omnino totum Boſpori fluxum abire
Byzantium, ſed ejus quandam partem ſuperam, &
ſummam hominum oculis perſpicuam ex Ponto
deferri Byzantium verſus; alteram vero partem
inferam attingentem vadum, contra decurſum ſu-
C peri & ſummi fluctus procedere: id quod ipſi ſe
colligere dictitant ex eo, quod poſtquam retia de-
jecerunt in profundam altitudinem, ſemper ab
imo fluxu aſportata feruntur ſurſum ad Fanum
verſus. Vidi tempeſtatibus navigia demerſa nuſ-
quam extitiſſe, neque eorum vectores, quod ar-
gumento eſt fretum hoc quoſdam abyſſos & vora-
gines habere: in quarum altitudinem contrariis
fluctibus præcipitia agantur, eaque demergantur.
Sed de his ut quiſque volet, judicet: ego tamen
Pontum per Boſporum in Propontidem non mo-
do decurſus perpetuos medii alvei tenere, ſed et-
iam ad certos anfractus converſiones perpetuas
D ſempiternasque conficere cum ex antedictis per-
ſpicio, tum ex illis cauſis, quas ut probent Palu-
dem Mæotidem exſiccandam eſſe, & Pontum con-
verſum iri in paludem, quidam afferunt; nimirum
multitudinem fluminum exaggerantium, differen-
tiam vadorum: ex his enim cauſis Pontus mihi
potius aſſiduo decurſu defluxurus per Boſporum,
quam aut Mæotis in terram, aut Pontus in pa-
ludem convertendus eſſe videtur. Dicunt enim
permeantium in alveos fluminum multitudine cum
humor continenter augeatur, nec aliunde exitum
habeat, neceſſe fore, excreſcat, ut tandem efferri
E per oſtia cogatur: propterea que cœni, arenæque,
& reliquæ materiæ multitudine, quam continen-
ter innumeri amnes defluentes in Mæotidem, &
Pontum devehunt, adeo alveos Mæotidis, &
Ponti complendos eſſe, ut ſuperfluere humorem,
& per oſtia exire futurum ſit neceſſe, tandem-
que Mæotidem in terram, & Pontum in palu-
dem converſum iri. Nam quod ad Mæotidem per-
tinet, Ariſtoteles tradit ejus vadum exaggeratio-
ne eorum, quæ aſſidue deferuntur a fluminibus
excreviſſe, ut naves ſua ætate multo minores,
quam anno ante ſexageſimo quæſtus gratia in
Mæotidem ingrederentur. Mæotis enim, ut Po-
F lybius ait; jam repleta eſt, & altiſſima ejus pars
quinque, vel ad ſummum ſeptem ulnis altior non
eſt. Miror intra ſexageſimum annum majorem
exaggerationem factam eſſe, quam abhinc ætate
Ariſtotelis, & Polybii. Nam nautæ noſtræ æta-
tis teſtantur ſimiliter adhuc habere ſeptem ulnas.
Quid quod ratione, qua demonſtrare conantur
Pontum ex accumulatis fluviorum coacervatio-
nibus replendum eſſe, eadem probare poſſemus
mare internum ex Ponti perpetuo influxu exag-
gerandum eſſe. Nam quod dicunt vadum Ponti

A minus altum, quam maris Ægæi, idcirco tardius Pontum existima paludem fore, quam si magna altitudine esset. Nam ut fluminum lubrici congestus assidui Ponticum vadum sublimius reddiderint, sic Pontus in sublime elatus declivior delabitur in Ægæum; & quanto hinc, atque illinc fit pressior, atque angustior, tanto celerior in Bosporum devolvitur. Quod si in minorem altitudinem Ægæum mare deprimeretur, quam Pontus, eo putarem Pontum exaggeratiorem fore, repulsante Ægæi vado eminentiori. Adde, quod antequam Ponti os apertum esset, facilius exaggerari debuit Pontus, cum undique circumclusus esset montibus, at tum infinitis seculis exaggeratus non est. B Eo minus exaggerabitur, cum habet exitum, per quem continenter tantum possit efferri, quantum infertur; ac si vadum magis allevaretur, tamen palus non fieret. ut enim illud extolleretur, ita Pontus assurgeret, præsertim infinitis fluminibus auctus, & eminentibus montibus clausus. At maris natura est, ut sua via spirabili rejiciat ea, quæ ingerantur. Neque eadem maris ratio est, quæ fluminum, quantum pertinet ad exaggerationem. Illa enim in ostiis suam vim ostendunt, sed suos aggeres paulo ultra ostia promovent, vel sua imbecillitate, vel repellente vi Ponti. C Ac tantum abest, ut ostiorum exaggerati congestus Ponti vada efferant, ut Pontum, si fortasse paulo angustiorem reddere possunt, eo violentiorem facere debeant ad transmittendam fluminum materiam rejectam, atque vehementiorem ad vada excavanda in majorem altitudinem. Cur tot lacus immensa profunditate, undique influentibus, nullis manifesto effluentibus, paludes non efficiuntur? Cur Sinus Bospori, nuncupatus Cornu, tanta altitudine est? in quem cum duo flumina devehant assiduam terræ aggerationem, & purgamenta Constantinopolis utrimque projiciantur, non tot annis aggeratur: præsertim rapido cursu Bospori fluxum Sinus retardante & impediente: D quia tanta est Bospori rapiditas, ut sensim ea extrudat in Propontidem. Quare ut ex his rationibus Pontus obruendus esse non videtur: ita Pontus majori impetu effluere videtur per Bosporum. Quo enim magis Ponticum (mare) attolletur, eo facilius deferetur, quam si id in altam profunditatem deprimeretur, quam si abyssos haberet, per quas penetrans in tartarum Platonicum secum aquæ partem deportaret, quas si, ut Oceanus (unde recedunt & accedunt omnia flumina) haberet, profecto minus efflueret in Bosporum. Ex eo etiam colligitur Bosporum existere ex Ponti accessu, & E non Ægæi maris, quod illius aqua dulcis sit, ut Ponti, longe dulcioris mari Ægæo ob copiam fluminum Pontum subeuntium.

Dulcem pontum Arrianus probat ex eo, quod pecora circumvicina ejus aquam bibant: ipse Bosporum etiam percipio similiter dulcem esse, quod totus aliquando conglaciaverit tempore Copronymi tyranni. Anno enim a Christo concepto septingentesimo, & quinquagesimo sexto, hyems fuit perfrigida acerrimaque, & gelu maximum, ut Ponti Euxini ora maritima in latitudinem centum milliarium glacies rigore in lapidis duritiem conversa sit: glaciesque a summo mari ad profundum F crassa extiterit triginta cubita. Præter hæc cum ejusmodi glacies fuisset nive tecta, crevit viginti alia cubita ita mare, ut continenti assimilaretur, & pedibus calcaretur hominum, cæterorumque animalium mansuetorum & agrestium a Zicchia ad Danubium, & reliqua ora maritima usque ad Mesembriam; ut Bosporum Thracium ultro citroque transirent jumenta onusta, & boves plaustra onusta trahentes. Deinde Februario mense glacies in plurimas sectiones, collibus & insulis multorum jugerum similes, & pares disrupta, & ventorum vi Byzantium per Bosporum acta in Propontidem, & in Hellespontum, in quibus essent animalia mansueta & agrestia viva, & mortua gelu constricta. Ex his glaciei sectionibus quædam in Acropolim Byzantii impacta, contrivit gradus, quibus e mari in Urbem ascendebatur: alia glaciei sectio ingentis molis ad murum allisa, illum magno impulsu concussit; ut non modo muri, sed etiam domus vicinæ labefactarentur: atque alia pergrandis glaciei moles, a Manganis ad Bosporium portum, hoc est, primum collem, olim Byzantium, nunc Regis claustrum cinxit: cujus altitudo muros superabat. Equidem ipse unam, & alteram hyemem Byzantii frigidam sensi; semelque & iterum vidi Bospori Sinum, nominatum Cornu, ab ostiis fluminum ad Galatam conglaciasse, non quidem glacie, quæ sustineret homines, sed tamen tanta, ut scaphæ ultro citroque commeare non possent, nisi remis ante glacies frangeretur. Sed hæc hactenus generatim de Bosporo. Nunc per partes singula ejus loca tam antiqua, quam nova proferam, tum promontoriorum, & vallium situs, & fluviorum ortus, & perennitates, & portuum commoditates, & sinuum felicitatem: e quibus primum tractabo sinum Cornu appellatum, Bospori nobilissimam partem.

CAP. V.

De Bospori Sinu, Cornu *nuncupato*.

CUM ex Ponto Bosporus ad Byzantii accessit promontorium Bosporium appellatum, hujus promontorii rostro in duas partes scinditur: quarum major & violentior inter Chalcedonem & Byzantium per Fretum pergit ire ad meridiem; altera debilior cursum suum inflectit ad occasum, in sinum, quem efficit Bosporus intercedentem inter Constantinopolim & Galatam: hunc sinum Procopius scribit indigenas appellare *Cornu*, a Ceroessa matre Byzantis, qui Byzantium condidit. Dionysius Byzantius similiter *Cornu* nuncupat, & rationem hujus nominis affert a similitudine, quam habet, cum cornu. Strabo appellat *Cornu Byzantiacum*: & declarat, cui cornu similis sit, nempe cervino: nam in multos sinus perinde, quasi in ramos quosdam diffunditur. Plinius, ejusque simiolus Solinus, promontorium, in quo situm est Byzantium, vocant modo *Chrysoceras*, modo *Auri Cornu*: Marcianus Capella *Ceras Chryseon*. Arbitror Capellam, & Solinum secutos Pliniani Codicis erratum, aut Plinium ipsum errare, id quod vel ex Plinii verbis percipi potest, cum ait, ex ea causa Byzantii promontorium *Auri Cornu* appellatum esse, quod Thunni aspectu saxi albi in littore Asiæ siti repente territi semper præcipiti agmine promontorium Chrysoceras petant, cum ea de causa potius sinus appellandus sit Auri Cornu, præsertim civibus Byzantinis ita sinum suum appellantibus, e quorum numero est Dionysius Byzantius, cui potius, quam Plinio fidem adhibere debemus, & Straboni, quos vidisse constat Ceras Byzantiacum. At Plinium fortasse decipere potuit ambiguitas Polybii, scribentis *Bospori fluxum repulsum a loco Asiæ nominato Bove, ferri Byzantium: a quo*, inquit, *scissi Bospori parva pars in Sinum suum delata, definit Cornu nominatum, major vero fertur per meatum*. Aut si Plinius deceptus non est ex eo, quod fortasse Polybius sit in eadem sententia, poterimus utrumque appellare Cornu, cum permulta promontoria a Geographis Cornua appellentur, ut Cyprus Cerastis, a multitudine promontoriorum:

præsertim cum Byzantii promontorium multos A colles habeat, quibus curvata in tria cornua Constantinopolis tricornis rectius, quam triangula appellari possit.

Sed illi ferendi non sunt, qui tabulis etiam iterum & sæpius editis tradunt Cornu Byzantium esse promontorium Galatæ, situm contra Constantinopolim. Sinus initium faciunt duo promontoria: unum a Meridie appellatum Bosporium, alterum a Septentrionibus Metopum olim dictum. Tria enim promontoria triangulum efficientia inter se, distantia plus minusve milliare, supra Bosporum eminent. Duo quidem ab Europa in fauces sinus impendent, scilicet Bosporium & Meto- B picum, tertium ab Asia Damalicum appellatum: a quo Bosporus tendens ad occasum flectitur ad Meridiem. Ex quibus cognoscitur Procopius errare, tradens a Sycis nuncupatis fretum Cornu nominatum incipere. Ostia Cydari, & Barbysæ fluminum sinui Cornu finem constituunt: cujus longitudo ab ortu æstivo procedit circiter octo stadia ad occasum hyemalem, deinde ad occasum æstivum: inde flectitur ad Septentriones, quem jure *Ceras Chryseon* appellavit antiquitas: cum & piscosus, & portuosus maxime sit, uno ore multos intra se portus amplectens, universos usque ad C marginem littoris profundos montibus circumdatos, efficientibus octo flexus; quatuor quidem a latere dextro ingredientium, in quo est Galata. Primum flexum in longitudinem circiter bis mille passuum, collis Metopicus, & Galatinus leviter incurvant, ut nusquam hic flexus latior sit centum passibus. Secundus flexus fit a colle Galatino, ita eminenti in Sinum Ceratinum, ut ille ex tribus partibus eo alluatur, collisque Galatini latus vergens ad occasum hunc flexum efficiat longe intus recedentem, ut si ab intimo flexu rectam lineam duceres ad collem Metopicum, eminentem D supra ostium Sinus, intra lineam includeres totum oppidum Galatam, & maximam partem ædificiorum suburbanorum, partim eminentium supra Galatam, partim in collis jugo sitorum. Hujus flexus maxime portuosi recessus longior, quam Navale longissimum triremium regiarum, in circuitu ejusdem explicatum, altero tanto latiorem reddit Sinum Ceratinum, quam patet inter Constantinopolim, & Galatam. Terminatur mucrone vireti Regii, inchoante tertium fluxum minus curvum, sed eadem ferme circuitus longitudine. Postquam sinus inflexus ad septentriones, quarto flexu mediocri accepto, finitur ostiis Cydari, & E Barbysæ. Jam vero sinistrum Sinus latus, in quod eminent sex colles Constantinopoleos, similiter quatuor flexus admittit Urbis. Primus collis adeo eminet in Sinus ostium, ut totus ultra alios colles in altum projectus sit, & tanquam de industria immissum brachium protegat Sinum a ventis. Secundus, & tertius colles interius recedunt ad Meridiem versus. Reliqui sic eminent in Septentriones, ut duos recessus duorum arcuum similitudinem gerentes accipiant. Quorum primum exprimunt radices primi, & quinti collium eminentes: alterum quinti, & sexti in Sinum projectæ. Hos duos recessus tertius maximus flexus intra se inclu- F dit. Adeo enim extra cæteros sinistri lateris colles eminet primus collis, efficiens angulum Urbis ab ortu Solis, & sextus inflectens alterum Urbis angulum ab occasu, ut si lineam ab horum alterutro mucrone duceres ad alterum mucronem, intra lineam includeres Sinum Ceratinum, & Galatæ planitiem maritimam. Id quod divino munere tributum, tuetur Sinum, atque defendit a ventis. Quartum recessum extra urbem recipit sinistrum latus, ubi Sinus ipse, & colles circumsurgentes inflectuntur ad Septentrionem, magno naturæ beneficio, ne ab occasu venti incurrere directi possint in longitudinem Sinus. Unde fit, ut ex omnibus partibus (excipio fauces) circumdatus collibus perpetuo dorso conjunctis; quos inter etsi intercedunt crebræ valles, tamen dorsum non penetrant, & breves sunt. Aut si una aut altera oblonga est, in valliculas desinit flexuosas, inter quas interjectus aliquis collis in earum fauces eminet. Strabonis longitudo, quam sexaginta stadiorum attribuit Sinui Ceratino, congruit fere cum mea dimensione. Procopii longe dissentit a rei veritate, tradentis Sinus ambitum continere quadraginta stadia: longius vero aberrat Laonicus Chalcondylus, scribens Byzantii portum secundum urbem intus procedere ad stadia octoginta.

Sinus altitudo varia. Nam ab ostio ad medium Sinum nusquam minor dicitur viginti passibus, ubi multis locis excedit triginta, alicubi quadraginta, aut amplius. Cum autem ultra Byzantium processit, usque ad ostia fluminum, partim vadosus est, partim palustris; ut navicularum cursus dirigatur palis fixis, signantibus partem navigabilem. Primo enim syrtes, deinde paludes, & permulti Euripi circumdantes plusquam triginta Insululas.

Illius similiter latitudo varia est. In faucibus plus minus sex stadiis patet: deinde paulatim stringitur, usque ad mediam Galatam, ubi in stadia paulo plus tria coarctatur: quæ arctiori catena claudi possint, quam latior ejus alveus inter Acropolim & Galatam situs, contra hostium naves olim constringi catenis solitus. Neque modo tormentis bellicis saxa emittentibus ex utroque littore, sed etiam machinis ignem liquidum profundentibus, hostiles naves ab his aditu arceri, atque etiam exuri igne speculari posse, demonstravit Proclus, quem dicunt specula ignifera, quæ ipse fabricatus esset, ex muro Constantinopolis appendisse contra naves hostiles, quæ his speculis ignem ex solaribus radiis conceptum in se ipsas projectum conflagrarunt, atque victores. Quod olim Dion Archimedem excogitasse narrat, obsidentibus Syracusas Romanis. Denique Sinus ubi latissimus est, sex stadia non excedit. Nec dubium est, quin olim latior esset, pluresque recessus haberet, quam nunc habet, coarctatus emissitiis purgamentis assiduis, & substructionibus ædificiorum: ne quis miretur, si minus cornu cervino similis sit, minusque in multos sinus perinde, ut in ramos quosdam, ut Strabo ait, scindatur, in quos irruentes pelamides capiantur. Nam cum ex sublicis, quas crebras vidi, immitti & defigi in littore sinus in substructionem ædificiorum, atque ad oram maris efficiendam magis portuosam, tum ex Dionysio Byzantio percipio, alios recessus, aliamque oram olim fuisse, quam nunc est: tum ex Zosimo, qui ante mille annos scripsit, usque adeo urbem excrevisse hominum multitudine, ut etiam in foris anguste habitarent, ut non parva pars maris circum urbem in terram conversa esset, palis in circuitu defixis ædificia sustinentibus.

Verum ut ex his Sinus alicubi coarctatus fuerit, profecto non minus profundus factus est, atque adeo magis portuosus, ut navis appulsæ puppis mare intueatur, prora vero terræ assideat: velut utroque elemento inter se certante, utrum magis possit Urbi inservire. Hic Sinus omnes portus maris commoditate applicandi præstat: in cæteros enim omnes portus vi remorum aut ventorum applicatio fit: illam sine ventis, sine remis, naturalis & perennis Bospori cursus naves inducit, & reducit. Postquam enim naves ad hujus ostium aditumque accesserunt, deinde absque guberna-

tione eunt, & sua sponte ad portum appelluntur: totus enim Sinus portus est.

Et hæc quidem ab initio Bospori ad finem deorsum versus generatim dixi, nunc oram maritimam per partes describam, a fine littoris Europæi sursum versus ad initium, quod est ad Cya- A neas. Inde deorsum Chalcedonem usque; imitatus Anaplum Dionysii, quem potissimum sequor, Menippique & Arriani, aliorumque *Periplos* in declarandis nominibus locorum antiquis, quæ cum respublica Byzantiorum floreret, in usu erant, ante Severi ruinas.

PETRI GYLLII DE BOSPORO THRACIO LIBER II.

CAP. I.

De Bospori ora Europæa, ejusque locis intra Constantinopolim sitis.



BOSPORI latus Europæum in angulo definit, quo Urbis latus Orienti expositum flectitur ad occasum, & Propontis incipit efficere latus urbis Meridianum. Simul & ab eodem flexu urbis latus ad ortum Solis spectans incipit procedere ab occasu ferme brumali ad ortum solstitialem in longitudinem plus minus miliarii usque ad tigna in speculam sublata piscatorum regiorum. Deinde amplius quatuor stadiis pergit a Meridie ad Septentrionem ad promontorii Bosporii rostrum usque, quo Bosporus scinditur in duas partes: quarum major cingit Urbis latus vergens ad Orientem, id est, Urbis frontem, & primam peninsulani Promontorii partem: in qua olim fuerunt illustria loca nuncupata Mangana, & Arcadianæ Thermæ, & primæ regionis pars; quæ continebat domum Placidiæ Augustæ, domum Nobilissimæ Marinæ, porticus perpetuas duas, gradus quatuor.

In hac etiam Urbis fronte fuit pars Secundæ Regionis, quæ ab initio Theatri minoris post æqualitatem latenter molli sublevata clivo, mox ad mare præcipitiis abrupta descendebat. Continebat in se templum magnum, & antiquum, senatum, tribunal, thermas Zeusippi, porticus magnas quatuor; nunc continet claustri regii partem sitam in latere primi urbis collis pertinente ad Solis ortum: quem quidem collem circuit ultima pars Bospori, proprie a Dionysio Byzantio appellata *Promontorium Bosporium*, in quo situm fuit antiquum Byzantium. *De Promontorio*, inquit, *quod Bosporium appellamus, pervulgatur sermo, bovem œstro stimulatum ex Promontorio Bosporio transna-* C *tasse in Asiam*. Idem Dionysius alibi ait: *Parum abfuisse, quin Byzantium conderetur in loco nuncupato Semystra a nutrice Ceroessæ matris Byzantis, nisi corvus rapuisset ex media flamma partem victimæ, eamque in promontorium Bosporium tulisset: quod signum secuti coloniæ Megaricæ deductores, Byzantium condiderunt in Promontorio Bosporio*. Idem alio loco, dum loquitur de Metopo, loco ita appellato: *Ostreodem*, inquit, *locum excipit Metopon appellatum, ex eo quod Urbis aspectui objicitur*. Nam intuetur ipsum Promontorium Bosporium, quod Nicephorus historicus appellat Promontorium aquilonare. D *Prospiciebatur*, inquit, *classis Latinorum jam præternavigans Byzantii aquilonare Promontorium, ubi duæ turres constructæ existunt ex lapidibus albis, & expolitis, ubi etiam Demetrii martyris constitutum est templum*. Videbatur autem Latinis laboriosus flexus, ob maris vortices, & velut labyrinthos quosdam, qui illic semper fieri solent ad similitudinem Scyllæ, & Carybdis, quas Græci decantant in Freto Siculo esse.

In hoc Promontorio Dionysius ponit aram Minervæ Ecbasiæ, ex eo nominatæ, quod huc egressi primum coloniæ deductores statim tanquam pro patria terra pugnassent. Similiter Cyzici fuit E ara Apollinis Ecbasii: *Argonautæ* (inquit Apollonius) *cum navem extra urbem appulissent, Cyziceni illos interius navem appellere suaserunt in portum urbis; ubi Ecbasio Apollini in littore aram excitarunt, ex eo, quod navis Argo in Dolioniam egressa fuisset*. Deilochus templum esse dicit, non Ecbasii Apollinis, sed Jasonii Apollinis. Socrates dicit id templum appellari Cyziceni Apollinis. Quam Dionysius appellat Ecbasion Minervam, possemus etiam appellare Ecbateriam, ut Syphnei Dianam appellarunt.

CAP. II.

De ora Sinus Ceratini cingente Urbis latus vergens ad Septentriones, & de ejus antiquis locis.

MOENIA Urbis a Propontide usque ad mucronem Promontorii Bosporii alluuntur extremis faucibus Bospori, nullo spatio a mœnibus & mari intermisso, nisi paulo antequam perveniatur ad Bosporium mucronem ducentorum passuum in longitudinem: ubi navale exiguum regiorum lemborum, quibus enavigare Rex solet in agros suburbanos, & machinæ bellicæ. Inde a mucrone Promontorii Bosporii, unde incipit ora Sinus Ceratini claudens latus Urbis conversum ad Aquilonem usque ad finem Urbis, mœnia non attingunt mare: sed spatium relinquunt. Quod quale sit, & quantum, quibusve rebus occupetur, dicam per partes.

Id spatii, quod est in summo mucrone, patet in latitudinem alicubi circiter viginti passuum, sed latiorem mediam, nempe circiter octoginta passuum, ubi est porticus tecta plumbo, sustentata duodenis columnis marmoris ophitici, laqueata lacusculis auratis, & Persica arte pictis, exiguo vireto cincta præ se habet Bosporum: a tergo portam ferream, qua patet aditus in Claustrum Regium. Hæc aperta navigantibus retegit viam decumanam Regii horti molliter assurgentem ad Regis palatium. Ab hac porticu usque ad urbis portam Oriam appellatam, ora intermissa inter murum Regios hortos claudentem, & littus magnis saxis præmunitum inclusa tenetur a Rege, consita malis punicis, cæterisque plantis: in qua media est mediocris recessus maris opere abductus, in tectam stationem navigiorum, quibus cultores Regiorum hortorum utuntur ad vehenda Regi necessaria. Juxta est domus amœna, præ se habens mare, a tergo portam, qua patet aditus in Regios hortos. In hancdomum secedere solitus Regiis hortis Præfectus, negotiatur cum urbis incolis. Hæc ora priusquam esset conversa in Claustra Regia, continebat domos piscatorum, & forum piscarium; cum vero Byzantiorum respublica floreret, duos portus intra murum catenis clausos habuit, quorum brachia sustinebant turres valde eminentes. fuit etiam Portus Phosphorius ab Stephano commemoratus. Fuit Neorium, fuit scala Timasi, ut in tractatione Urbis plenius monstrabitur.

Pro porta quam vulgo vocant Oriam corrupte, quasi olim *Neorii portam*, spatium jacet vacuum ad exonerandas naves accommodatum: patet ducentos quadraginta passus in longitudinem; in latitudinem vero ante portam centum passus: paulo ultra portam in quinquaginta stringitur; unde trajectus est ad Chrysopolim, & Chalcedonem, ubi etiam oræ maritimæ præfectus tribunal habet, ubi item domus portorii Turcici, ut in contrario littore Galatino est altera domus constituta ad exigendum portorium Francorum.

Post hoc intervallum est Forum piscarium, ex quo magnus trajectus patet ad Galatam, quem antiqui appellabant trajectum Sycenum. A tergo est Urbis Porta Piscaria nuncupata, qua ascenditur ad Magnum Forum, quod Turci nominant *Bezesten*.

A Porta Piscaria ora maris frequens suburbanis, in longitudinem quadringentorum quinquaginta passuum continuatur ad Portam Fructuariam, quam Turci appellant *Germicapi*, ubi omne genus fructuum tam recentium, quam conditorum, & frugum esculentarum venalium, mercatus habetur: unde magnus trajectus existit ad Galatam.

A A Porta Fructuaria, ad Portam Lignariam (ab acervis lignorum venalium constructis in ampla area ante portam explicata appellatam) intercedunt ducenti passus juxta littus, pleni ædificiis, & variis tabernis, aliis obsoniorum, fructuum, aliis aliarum rerum. Inter ædificia & murum Urbis excurrit via lata silicibus strata; & juxta muri crepidines constituta sunt aquæ castella, quorum alia perenni fistula aquam largiuntur, alia operculis ad tempus reserantur.

A Porta Lignaria in longitudinem trecentorum passuum invenio domos perpetuas, exceptis viis intercurrentibus, alias ubi ligna materiaria ven-

B duntur, alias ubi capsæ fiunt. Deinde succedit spatium trecentorum passuum ab ædificiis vacuum, solam viam silicibus stratam, & *Escharidas* a Græcis dictas, in quas subducuntur navigia, & palos defixos, ad quos illa alligantur, continens; aquasque salientes extra muros ex aquæductibus urbis claras & liquidas, partim potabiles, partim resilientes in Euripos marmoreos, ad pannos lavandos: deinde brevi spatio exædificato succedit Porta Farinaria, a Turcis vocata *Uncapi*. Ante Portam est area lata, ubi frumenta & farinæ venduntur.

C Est etiam ædificium magnum, plenum saccis farinæ quadratis, laneis. Juxta stant frumentariæ naves permultæ, & scaphæ plurimæ, trajicientes in ulteriora suburbana. Est item ædes Mametana plumbo tecta, cum turri excelsa, unde exclamare preces presbyter, & evocare solet incolas viculi suburbani siti ante hanc Portam, ex qua ingressus patet in viam assurgentem per mediam vallem, tertio & quarto urbis collibus clausam.

Hæc quidem etsi pervulgata, tamen negligenda non censui, ut facilius perveniatur in notionem antiquorum locorum, quæ a promontorio Bosporio ad Portam Farinariam ponit Dionysius

D Byzantius. *Supra etiam*, inquit, ***Promontorium*** *Bosporium templum est Neptuni antiquum, apud quod fuit lapis in mare eminens, quem Byzantinis in locum ornatiorem supra Stadium transferre conantibus non permisit se transferri, sive amans locum mari vicinum; sive ostendens parvi momenti esse pietati divitias.* ***Sub*** *templo Neptuni intra Urbis murum, in locis in planitiem explicatis erant stadia & gymnasia.* ***At ex ma****ris parte erat navigatio in Sinum Ceras leniter fluens, primam Promontorii Bosporii conversionem, circumflexionem, quæ excipiebat tres portus, quorum medius satis profundus a cæteris ventis tegebatur, ab Africo tutus omnino non erat: deinde turris bene magna*

E *rotunda continenti jungebat Urbis mœnia.* ***Primus*** *post mœnia campus erat peninsulæ cervicis sensim descendentis ad littus, & ne Urbes esset Insula probibentis. Post erat templum Telluris super mare, cujus quidem fastigium tecto carens significabat antiquam terræ libertatem. Ejus parietes, quibus claudebatur, erant facti ex lapide expolito. Paulo supra Telluris ædem erant templa Cereris, & Proserpinæ paria, in quibus picturæ multæ priscæ felicitatis insignis reliquiæ, & statuæ exactæ artis, nihilo summa arte elaboratis inferiores erant. Item in abscessu maris duæ ædes Plutonis & Junonis, quarum solum nomen extat.* ***Illud*** *enim Persæ exusserunt in expeditione Cyri contra Scy-*

F *thas, ea ulciscentes, quæ Byzantina civitas commisisse contra Regem accusabatur. Plutonis templum Philippus Macedo inopia materiæ demolitus est; locorum vero nomina remanserunt. Hic enim Plutonis acra, ille Junonia acra dicitur, ubi quotannis victimam primo anni die mactat gens Megarica.* Hæc quidem Dionysius: qui cum ait Junonis & Plutonis ædes fuisse κατ' ἀπόβασιν τῆς θαλάσσης, videri potest acram significare oram maris, potius quam Promontorium, quod nullum sit in hac oræ parte,

te, niſi Dionyſii temporibus mare attingeret radices ſecundi collis. At nunc ab hujus radicibus, ſimulque a mari intermiſſa eſt planities. At ſi ætate Dionyſii non attingeret mare radices ſecundi collis, poſſumus interpretari κατ' ἀπόβασιν θαλάσσης, *ad receſſum abſcedentem a mari*. Nam Junonia acra mihi fuiſſe in clivis potius ſecundi collis, quam in ora maris, ſub ipſum ſubjecta videtur ex Coloniæ Byzantinæ deductoribus partim Megarenſibus, partim Corinthiis, qui magna religione colebant Junonem acræam appellatam ex eo, quod ſtatuta eſſet in acropoli Corinthi.

Fuit etiam non longe a Corintho altera Juno acræa in Promontorio ſita, cujus meminit T. Livius. *Promontorium*, inquit, *eſt adverſus Sicyonem Junonis, quam acræam vocant, in altum excurrens*. Poſt acram Plutonis & Junonis Dionyſius ponit Scyronias petras nuncupatas a Corinthiis participibus coloniæ deductæ Byzantium, qui his petris nomen impoſuerunt a ſimilitudine loci difficilis, qualem habebant Petræ Scyroniæ, ſitæ inter Megaram & Iſthmum Corinthiacum. Ex his Dionyſii verbis has petras, etſi nunc non extantes, olim exciſas ad molliendos urbis clivos, tamen extitiſſe ad imas collis tertii radices oſtendam in deſcriptione Urbis.

Nunc redeo ad continuandum ſpatium inter Sinum & mœnia ſitum, quod reliqueram ad portam *Uncapam*, ultra quam in longitudinem quadringentorum paſſuum ora Sinus procedit, occupata aut ædificiis, aut acervis coctorum laterum venalium, partim integrorum, partim in pulverem contritorum ad teſtacea & ſignina opera conficienda: inde domus piſcatorum uſque ad portam Blachernæam tenent oram ſinus patentem in longitudinem ter mille, & quadringentorum ſexaginta paſſuum, quorum primi octingenti finiuntur porta *Jubalica* nuncupata, contra quam eſt medius flexus navalis regii, ſiti in contrario littore. A porta Jubalica ad portam vulgo appellatam *Agiam*, a vicina æde divæ Theodoſiæ, trecenti ſexaginta paſſus: ab Agia porta ad ſecundam portam Phanarii, ſexcenti paſſus. Phanarium eſt pars Urbis oræ maritimæ, quam murus Urbis claudens duas portas habet, in quas eminens clivi quinti collis, quibus finitur flexus ſinus primus, inchoatus a Promontorio Boſporio; & incipit ſecundus flexus, finitus radicibus ſexti collis. Quicquid eſt muri inter portas Phanarias, caret turribus: ſed eſt duplex murus, alter in littore, alter in clivo collis quinti: uterque cingit locum nominatum Phanarium. A porta Phanarii, cujus e regione eſt finis navalis regii, proceſſi octingentos paſſus, uſque ad portam appellatam (*Balat* vel) Palatinam, contra quam in ulteriore littore eſt finis vireti regii, & initium frequentis vici, quem Agiam Paraſceven Græci vocant. Ultra portam Palatinam progreſſus circiter centum viginti paſſus, animadverti tres magnos arcus aſtructos urbis muro, & ſubſtructos, per quos olim Imperatores ſubducebant triremes in portum opere factum nunc exiccatum & converſum in hortos concavos, præ ſe gerentes ſpeciem portus obruti. Ab his arcubus diſcedens trecentos paſſus, offendi ſpatium in centenum paſſum longitudinem ab ædificiis vacuum; ubi attingit muros mare vadoſum, ut facile ſit ſuper id ædificare. Poſt octingentis paſſibus confectis, perveni ad portam Blachernam, qua finiuntur domus piſcatorum, ex media parte fundatæ in terra, ex altera parte ſubſtructæ ſublicis in mare vadoſum defixis. Inter ſublicas locum relinquunt portuoſum, quo navigia piſcatoria ſubducuntur in ſtationem ſub domos opiſcatorum.

Piſces velut in latibula & paſcua refugientes, capiuntur retibus appellatis *hypocis* ſuſpenſis ex tigno. Hoc genus piſcationis, tanquam domeſticum, exercent fœminæ. Viri autem procul piſcantur, neque ad hanc piſcationem opus eſt magnis inſtrumentis, ſed duntaxat uno tigno, ſive ſtipite; ſive arboris trunco, ſive navis exoleſcente malo, ſive antenna habente infimum caput intra domum piſcantis ſubnixum, alterum ſupremum extra domum eminens leniter pronum, ex cujus ſummo capite appenſam hypocam fune per trochleam trajecto demittunt in aquam fœminæ feneſtris inſiſtentes, & ſubtrahunt aliquanto poſt, cum fœminis licet eſſe otioſis a cæteris negotiis domeſticis: aut ſi nihil aliud negotii habent, ſedent in tabulatis prominentibus, vel mœnianis nentes aut ſarcientes, aut omnino animi cauſa otiantes, ſpeculantur piſces retia ſubeuntes, ad eoſque ſubtrahendos aſſurgunt, & remiſſis hypocis, ad officia domeſtica redeunt. Cum hanc piſcationem ſpectarem, videbar intueri tale quippiam, quale etiam fieri vidi in palude Praſiade, quam accolentes ſupra defixas ſublicas in media palude tabulata collocant ſuſtinentia caſas, uno ponticulo aditum habentes ex continenti; & fores inter tabulata compactas deorſum ad paludem verſus deferentes, in quibus degunt. Puerorum parvulorum pedes fune alligant, metuentes ne in paludem delabantur. Tanta eſt in hac palude piſcium copia, ut quoties quis januam reſeraverit, ex eaque calathum aut ſportam demiſerit vacuam, paulo poſt retrahat piſcium plenam.

Paulo ultra portam Blachernæam objicitur murus tranſverſus, a mœnibus Urbis Sinuque intermiſſum ſpatium ſecans, habens portam, ex qua ſexagenis paſſibus confectis, alter murus tranſverſus obducitur primo muro ſimilis. Abhinc centum paſſus Urbs finitur angulo uno, ex tribus grandibus Urbem triangulam efficientibus. Ab hoc angulo ad portam Neorii via lata patet, ſilicibus conſtrata, ſecans ſpatium, quod dixi ambire muros, contractum quidem, ſed variæ latitudinis. Nam ante Urbis portas pleraſque latius eſt quinquagenis paſſibus.

Id minutatim excutere volui, ut pateant loca facilius antiqua, quæ Dionyſius Byzantius deſcribit a tertio colle ad ſextum collem. *Poſt*, inquit, *Scyronides petras, quas ante dixi fuiſſe olim ad radices tertii collis, longum littus ad piſcatum, atque ad vadi altitudinem nullis littoribus etiam optimis deterius: nam ex paucis uſque ad marginem profundum eſt, & mare placidum & quietum, & littus aditu facile, nuncupatum Cycla, ex eo quod in hoc littore Græci barbaros circumcluſos deviciſſent. In eodem littore ara conſecrata eſt Minervæ diſſipatoriæ, deſignans ex circumcluſione multitudinis diſſipationem*. Hucuſque Dionyſius. Cycla & ara Minervæ diſſipatoriæ fuerunt in maritima planitie ſubjecta ſub vallem Urbis tertiam, quam efficiunt tertius & quartus colles: Cyclobium a poſteris appellatum arbitror ex Zonara, cum ait: Imperatore Conſtantino Pogonato Agarenos gravi claſſe urbem obſediſſe, quæ ſtationem habebat a promontorio Hebdomo ſito ad occaſum uſque ad Cyclobion. Similiter alii Hiſtorici tradunt ab Hebdomo promontorio, atque a domo Magnaura ad occaſum, pertinentibus uſque ad palatium Cyclobion, ſpectans ad Orientem, ſtetiſſe claſſem Agarenorum. Quid ſit Hebdomum promontorium, oſtendam in tractatione Urbis.

Deinde Dionyſius: *Cycla*, inquit, *Melias ſinus excipit, piſcoſus quidem, ſi quis alius: in omnibus enim omnes ſuperat promontoriis prominentibus, & cautibus ſub aqua deliteſcentibus utrinque concluſus. Hic ſinus a quodam Heroe indigena nuncupato Melia nomen adeptus, ut plurimum nunquam fallit piſcatorem.*

Cum ex his verbis Dionyſii, tum ex ejus Anapli ordine, ſinum Meliam exiſtimo alibi eſſe non potuiſſe, quam in tertia Urbis valle, cincta utrinque promontoriis tertii & quarti collis: quæ etſi jam intra muros Urbis clauſa eſt, tota exædificata & ſicca, tamen eam olim receſſum maris fuiſſe, poſteaque exiccatam, & terra aggeratam fuiſſe ad ſuſcipiendas domorum ſedes, vero proximum videtur, cum ex eo, quod ejus longa planities ad libellam fere æquata, ſupra mare parum eminet, tum ex illis cauſis, quas ſupra demonſtravi, cur Boſporus minus nunc ſit ſinuoſus.

Poſt Melianum ſinum Dionyſius ponit locum nominatum κῆπον, aitque nomen adeptum eſſe ex terra inter paucas, ad culturam hortorum idonea, maris vero lucrum adventitium acquiſiviſſe. Non enim mare olim ibi indagabatur, ſed otioſum manebat, cum tamen piſcibus diverſorium præbere ſoleat. Αψασιεῖον ab Arcadio nominatum in hoc loco ſitum eſt, & Jupiter Αψάσιος colitur, ita vocatus a Dionyſio, niſi Codicis erratum ſit: cum tamen a Callimacho in jambis *Apeſas* appellatus ſit, ſicut Stephanus ſcribit. Non Jovi Apeſanti ſacrificavit equas Arcadicas. Pauſanias: *Supra Nemeam*, inquit, *Apeſas mons, in quo Perſeum primum Jovi Apeſantio rem divinam feciſſe tradunt*. Statius Papinius de eo ſic dicit:

Mons erat audaci ſeductus in æthera dorſo,
Nomine Lernæi memorant Apeſanta coloni,
Gentibus Argolicis olim ſacer.

An Byzantius κῆπος ſit ex his, quos adeptus eſt avus Demoſthenis Gylon appellatus, aſſequi non poſſum ex Æſchine tradente Gylonem figulum, avum Demoſthenis, cum hoſtibus prodidiſſet Nymphæum Ponticum, quod tum Athenienſium erat, mortis condemnatum ab Athenienſibus, effugiſſe, & perveniſſe ad Boſporum, & illic accepiſſe donum a tyrannis, nominatos κήπους: neque declarat Æſchines, neque quiſquam alius, an apud Boſporum Thracium, an Cimmerium, hi horti fuerint, an tyranni illi eſſent Byzantii, qui tum ab Athenienſibus defecerant, & potentibus civibus tyrannice gubernabantur, an Nymphæum prope Heracliam Ponticam conſanguineam Byzantiorum, nempe coloniam Megaricam ſitum, Gylonis proditione adepti ſint.

Poſt Apſaſion Dionyſius ponit promontorium plurimum ſuper alia promontoria eminens, ventorum violentiam excipiens. *Hujus promontorii eminentia abrupta abit in mare, & haud firma præterit profundum mare. Nam promontorii pars inferna ſectione petræ in multam avulſionem abrumpens exigua, conjungitur continenti diſſolvendæ & quam mox ruinam edituræ ſimulis: unde ſimilitudo aſpectus illi nomen dedit nam Mellapocopſas nominatur*. Ex hac Dionyſii deſcriptione, & ordine narrandi, alibi eſſe non poteſt hic locus, quam ad radices quinti collis, ubi paulo ante dixi, nunc eſſe locum Phanarium nuncupatum. is etſi opere exciſus eſt jam ante tot ſecula, tamen adeo natura rupibus præruptis & præcipitibus exiſtit, ut nondum penitus exciſus ſit, quin adeo alicubi præciſus, ut ob directos clivos ædificia non habeat: & ſi qua pars habet, ea caſuris ſimilia videntur.

Inde Dionyſius: *Poſt locum*, inquit, *qui appellatur Mellapocopſas, duo loca ſunt, omnibus ann. temporibus piſcium captum largientia, a ſummiſſionibus promontoriorum, & remiſſione maris in hæc loca refuſi, alte ſinuoſi, placati & tranquilli. Horum locorum unus appellatur Ingenidas, alter dicitur Piræicus, ut multorum hominum habet ſermo, a Piræo Attico; ut quidam dicunt, a quodam antiquo Heroe indigena. Inter hæc duo loca eſt Citros, locus ita dictus a multitudine hederæ, ibi facile provenientis. Piræico ſuccedit continuo Camara, acclivis, & ventis expoſitum littus, quod multam maris refractionem excipit*. Ex his, quæ jam dixit Dionyſius, & poſtea dicet, Ingenidam & Piræicum, & Camaram fuiſſe exiſtimo partim in radicibus ſexti collis, partim in ima planitie vallis quartæ, clauſæ quinto & ſexto urbis collibus, ſinum efficientibus in mediam vallem inuſitatum: ſed temporibus Dionyſii longe penitus inſinuabatur, nunc minus in vallem recedit, tot ſeculis aggeratus ſubſtructionibus urbis. A radicibus ſexti collis ſinus incipit eſſe vadoſus ex parte urbis ob brevia, & ſyrtes, ex altera parte profundus, deinde utrinque vadorum frequentia navigatio palis defixis regitur, ut a flexu, quo incurvatur ad Septentrionem uſque ad oſtia fluminum, ſit paluſtris & lutulentus, ut vento agitatus turbidus fluat, frequentibuſque Inſulis ſit aggeratus, quas habet amplius quadraginta ſylvis cannarum tectas, infirmas, ut etſi in aliquarum parte ſiccis pedibus inſiſtere queas, tamen in alia cœnoſa nequeas. Prima Inſulula incipiens a radicibus collis ſiti inter flumina, dividens eorum oſtia, producitur in paſſuum longitudinem circiter ſexcentorum, reliquæ diviſæ exiguis Euripis parum altis & cœnoſis, qui dudum obruti eſſent cœno, delabente ex proximis oſtiis fluminum, niſi excreſcentes Inſulas ad fingendos lateres reſcinderent laterum figuli. Hi ubi palam in terram paluſtrem defixerunt, ſeſe totos demergunt, ne capitibus quidem ſupra aquam extantes, ut palam fruſto terræ exciſo onuſtam extrahere queant. Inſularum Euripi piſcoſi ſunt, latibula piſcibus præbentes: qui cum hyeme alii capiuntur, tum æſtate Mugilum copia ſupra ſtoreas exilientium ad id præparatas, ut Venetiis ſolent ſupra rates ad horum piſcatum accommodatas.

Nunc in his Inſulis cervi non ſunt, ut olim erant propter proximam vicinitatem Urbis, propterque propinquos utrinque colles antiquis nemoribus ſpoliatos, quibus olim veſtitos fuiſſe oſtendam ex Dionyſio Byzantio: nunc quam pulchre deſcribat hanc Boſpori partem paluſtrem, ſubjungam. *Locum*, inquit, *nuncupatum Camaram, quem ante dixi fuiſſe ad radices ſexti collis, excipit* σαπρὰ θάλασσα, id eſt, *marcidum mare, finis totius ſinus. Jacet enim in fundo ſinus nuncupati Cornu. Invenit hoc nomen, ſive a vicinis fluminibus in ſe exeuntibus, nativas aquas maris corrumpentibus, ſive ex eo nomen reperit, quia immobile ventis agitari non poteſt ob vadorum aggerationem, quem defuerunt oſtia fluminum continuam & mollem, paluſtre efficientes mare, in quo etiam piſces capiuntur. Primus hujuſce maris marcidi locus appellatur Polyrrhetius a viro Polyrrheto. Poſt hunc locus eſt nominatus* βαθεῖα σκοπιά, hoc eſt, *profunda ſpecula ab altitudine maris. Tertius vocatur Blachernas a quodam Rege ibi regnante*. Hæc quidem Dionyſius. De his paludibus intelligit Nicephorus hiſtoricus, cum ait: Adventante claſſe Latinorum Regis Conſtantinopolitani, triremes ſubductas fuiſſe circum fluminis oſtia, ubi & ſinus finis & fluminis, ubi exaggerata multa arena & materia utrinque ſtringens os, & vix anguſtum quendam aditu difficilem meatum intermittens, non modo magnis triremibus, ſed & dicrotis, & vacuis navigiolis ob brevia & vada. Ex Dionyſii verbis poſtremis percipitur, quæ fides adhibenda ſit recentibus ſcriptoribus Blachernas tradentibus ex eo appellatas fuiſſe, quod ibi ſinus paluſtris ſit, propterea que ob-

rutum fuisse dicunt illis temporibus, cum Marcianus & Pulcheria magnum templum Blachernarum ædificarunt. Verum etsi obrutus fuit, & Græci vulgo in hunc diem locum paluſtrem appellare soleant βλακὸν, unde illi putant Blachernas vocatas fuisse: tamen Dionysio antiquissimo scriptori potius credendum censeo. Is deinde subjungens: *Maris, inquit, marcidi ultimus locus appellatur Paludes, ex eo, quod in illo subsideat lutulenta fluminum secessio. Non enim illius vadum arena, sed cœno tectum est, neque navigiis, nisi perparvis navigabilis. Inde cœnum sublime usque ad exitus fluminum, quorum uterque fertur separatus ab altero: in exitu ambo conjunguntur, & velut per unum ostium exeunt in Sinum Cornu. In mediis Paludibus, boum nutricibus, sunt prata uberes pastiones largientia, etiam cervis: hos Deus designavit cum deductoribus coloniæ consilium petentibus, ubi conderent urbem, appellatam Byzantium, ita respondit:*

Ολβιο οἱ κείνω πόλιν ἀνέρες οἰκήσουσιν,
Ακτῆς Θρηϊκίης ὑγρὸν παρ' ἄκρον στόμα Πόντυ,
Ενθ' ἰχθῦς, ἔλαφός τε νομὸν βόσκουσι τ' αὐτόν.

Hæc quidem dicta sunt de re, quæ accidit. Cervi enim tempore hyberno ex sylvis descendentes depascunt paluſtrem arundinem: pisces vero maris, & fluminum participes in tranquillitate sinus Ceratini ditescunt pigri, in ubertate pabuli deglutiunt vadi radices. Hæc quidem Dionysius. Mihi vero potius oraculum videtur, hunc locum non intellexisse, sed promontorium Bosporium, ubi extremum os Bospori, ut postea admonuit Apollo, coloniæ deductores deceptos illo loco, qui cum ad has sinus extremas paludes pararent condere Byzantium corvus rapuit victimæ partem, eamque deferens ad promontorium Bosporium, declaravit oraculum præsignificare Bosporium promontorium, quod definit extremum os Bospori, ubi cum essent nemora, & oræ maris paluſtres compascuæ, iisdem pastionibus vescebantur cervi, & pisces. Verum ut ab initio litoris Europæi usque ad finem Urbis, quæ olim loca antiqua habuerit, quæve nunc nova habeat Bospori ora, declaravi: ita deinceps usque ad Cyaneas declarare ab Urbis fine constitui. A quo quidem fine in longitudinem bis mille passuum progressa ad flexum, quo sinus tendens ad occasum incurvatur ad Septentriones, maritima planities continuatur cum ima vallis planitie, in bis mille passuum longitudinem, & latitudinem quadringentorum patente, & paulo quidem amplius: qua vallis insinuatur in plures quam quindecim valliculas alias rectas, alias transversas, omnes in unum collium dorsum delinentes, natura favente quieti sinus. Hæc planities, sive maritima, sive in vallem insinuata, tota ædificiis fere occupata est, suburbanis vicum efficientibus, partim in planitie, partim in collibus positum quatuor millia passuum circuitu complexum. Non enim ubique ædificia inter se continentia, sed sparsa vagantur. Totus a Mechmetanis vicus habitatur. Itaque undecim ædes habet ceremoniæ Mechmetanæ. Earum cæteris præstant tres, ad quarum maximam Turcorum Rex sacrificium, quod *Corbanum* vocant, facere solet, cum quippiam arduum aggreditur, juxta ædis vestibulum, ornatum duodecim columnis marmoris Thebæi. Situm est sepulchrum hemisphærio cylindraceo clausum, nescio cujus hominis, quem Turci valde sanctum habent, & perpetui sodales Flamines custodiunt, circumlucentibus noctes diesque amplius septuaginta funalibus cereis, tectum purpura: hunc Turci vocant *Aibasarium*, a quo vicus nomen adeptus est. Sæpe ab his Flaminibus percunctatus sum, qui san-

A ctus esset Aibasarius: a quibus nihil aliud assequi potui, nisi Aibasarium appellari Mechmetanæ religionis unum ex assertoribus, inter quos numerant tanquam principem Arium. Græcus nescio quis mihi confirmabat esse sepulchrum reliquiarum Iob, sed nihil ex monumentis literarum proferebat, in quibus duntaxat legi Arcadium Imperatorem ossa Samuelis prophetæ a Judæa Constantinopolim transtulisse, tam hilariter obviam illis procedente populo, quam si Samuelem viventem cernerent. Quidam asserunt Aibasarium vicum appellatum ab
B Agio Basilio, sed nullum ex literis producunt testimonium: mihi potius locus hic sacer fuisse videtur divo Mamanti, ut literatis testimonium ostendam in descriptione Urbis. Ab hoc vico usque ad ostia fluminum ora Sinus in Septentriones flexa aliquantum spatium procedit, hortis frequens, & ædificiis paulo ultra castellum aquæ defluentis ex collis valde proni medio clivo, ubi sacer fons perennis fluit, quem circumdant fundamenta antiquæ ædis, quam vulgus Græcorum appellat Divam Photinem: cum tamen in hoc loco, aut non longe remoto fuisse videatur ædes Divi Cosmæ & Damiani, ex Procopio, cum ait ad finem Sinus in loco arduo, & vehemen-
C ter sublimi templum Divis Cosmæ & Damiano jam ab antiquis usque temporibus constitutum fuisse: quod statim videtur ab ingredientibus sinum Ceras. Justinianus Imperator, habitus medicis jam vicinus ad moriendum, Divorum precibus servatus, ut illis gratiam referret, templum illis sacrum immutata pristina forma, quæ ignobilis erat, & ornamenti expers, pulchre & magnifice instauravit, & luminum splendore illustravit id templum. Si forte accuratius exquirere velis, vide Anthymi martyris ædem, quam Procopius ponit e regione in littore ulteriore. Jam autem a fonte Divæ Photinæ ad o-
D stia fluminum, & promontorium Semystræ ambulavi circiter mille passus. Cur vero vocetur Semystra, & quibus nominibus appellentur flumina, Dionysius Byzantius docet.

CAP. III.

De flumine Cydari & Barbysa, ex Anaplo *Dionysii.*

FLUMEN, inquit, *Cydaris venit ab occasu æstivo, Barbyses vero a Borea vento. Barbysen alii dicunt educatorem Byzantis, alii navigationis*
E *ducem eorum, qui cum Iasone, & Minyis navigarunt ad Colchos, quidam Heroem indigenam fuisse. Ubi flumina delata ad obvium promontorium crassum inter se coeunt in mare exeuntia, ibi ara est Semystræ, a qua locus nomen invenit. Semystra nutrix fuit Ceroessæ matris Byzantis. Io enim cum Jovis arte in vaccam conversa, iraque Junonis œstro alato stimulata multas terras percurrisset, apud hunc locum parturiendi dolore affecta (nam erat divini seminis plena) infantem fœminam peperit. hanc tollens Semystra lactat, & nutrit gerentem insigne transformationis maternæ, cornuum enim typi ex fronte eminebant, unde appellatur Ceroessa. Ex hac & Neptuno genitus est By-*
F *zas, vir similiter ut Deus honoratus, a quo Byzantium conditum est. Semystra locus parum abfuit, quin urbs efficeretur, nam ibi duces coloniæ urbem condere constituerant, nisi ex media flamma corvus rapuisset partem victimæ, eamque in Bosporium promontorium tulisset. Hoc ab Apolline ostentum conjecerunt Græci a pastore edocti, qui ab specula intuitus erat, ubi corvus victimæ rapinam deposuisset, secutique signum condiderunt Byzantium in promontorio Bosporio.* Hucusque dicta sint ex Dionysio, quæ jam inde ab antiquissimis temporibus pervulgata, si quis me otiosior altius consideret,

non sine physica ratione inveniet, Io vaccam cornigeram peperisse Ceroessam juxta fluviorum ostia, hoc est, cornua, juxtaque sinum Cornu nuncupatum: e quibus aqua dulcis prodiens supra salsam sinus, & freti summam aquam, fertur velut altera Io, sinusque Ceratinus agnoscetur verus filius Ceroessæ & Neptuni, id est, aquæ dulcis & salsæ, veriorque quam quisquam Byzas deprehendetur conditor Byzantii.

Jam quale sit promontorium, ad quod dicit Dionysius flumina exire in mare, profecto obtusum, & ut ille ait, crassum in altitudinem editum amplius mille passuum, quorum septingenti inferiores sunt decliviores, quadringenti superiores minus proclives. Jugi cervix, qua promontorium adnectitur dorso montis, latior non est triginta passibus, angustata duabus vallibus, una a Meridie, in qua summa depressa est fossa conservatrix nivium, suis labris sustinens ligneum tugurium fastigiatum in mucronem metæ, cujusmodi plurimæ circa Urbem videntur: altera valle promontorii stringitur a Septentrione, in qua ima est sacer fons, quem Græci *Agiasma* appellare solent. Promontorii radices partim attingunt ripam Cydari, partim impendent in planitiem a ripa & promontorio intermissam; latitudinis trecentos, longitudinis plus minus quingentos septuaginta passus habentem, circuitu complectentem circiter mille & quingentos passus. Secundum hanc mediam est coitus Cydari & Barbysæ fluminum, quorum uterque paulo supra eandem planitiem fluit ab altero separatus promontorio longo & acuto: id existimo esse, quod Dionysius *Drepanum* vocat. *A tergo*, inquit, *Semystræ, paulo supra fluminum ostia initium circumflexus in alterum latus Sinus Ceratini efficit promontorium Drepanum inflexum, cujus cacumen acutum appellarunt Bucolon, hoc est, Bubulcum, grata memoria prosecuti indicem, ex hoc loco speculatum Urbis conditorem corvum*. Ex his Dionysii verbis adverte, quem is appellat *Barbysem*, Suidam, reliquosque recentes scriptores scribere *Barbyssum*. quam recte, fides sit penes emendatos codices. Barbyse nomen adeo jam ignotum est etiam accolis, ut aliter appellare Byzantini nesciant, quam *Chartarion* fluvium ab officina ostiis fluminum propinqua, ubi chartæ contusæ explanantur: rustici, qui accolunt ejus fontes, hunc nominant *Pectinacorion*, a vico ita nuncupato illius fontibus vicino. Longus est circiter quindecim milliaria: lenis adeo fluit, ut in neutram partem moveri videatur, adeoque profundus, ut pontibus etiam tota æstate transeatur. Eadem est ejus latitudo, spatio ferme decem milliariorum: in quo quidem spatio Euripi ab eo derivati omni anni tempore præcipites versant molas moletrinorum sexdecim. Fluit per mediam vallem planam & pratensem, ut a fontibus usque ad ostium sit perpetuum pratum, cujus maximam partem Rex possidet. Quæ quanta sit, conjectare etiam absens potes ex quadringentis agricolis Christianis, quos, cum illuc profectus essem, offendi uno ordine dispositos herbam secantes, quibus præerant Turci quinque equites, octo pedites, opus urgentes: totidem quadrigas fœno onustas inveni, singulas uno pare boum tractas, quatuor rotis sustentatas, posterioribus majoribus, excelsioribusque ad excipiendas priores. Incidi item in Genisarios, qui circiter trecenti emissi dicebantur ad colligendas fluminum & lacuum nymphæas, quibus Barbyses & Cydarus adundant, quibusque regiæ potiones fiunt Regi usitatæ, ut Christianis vinolentæ.

Sed redeo ad Barbysen. Primo a Septentrione ad Meridiem aliquot milliaria procedit, deinde varios flexus efficit, nunc ad ortum æquinoctialem, nun ad hybernum, nunc inter ortum & Meridiem, tandemque spatium quatuor milliariorum progrediens ab ortu solstitiali ad occasum hybernum, exit in Sinum Ceratinum. Illius vallis per anfractus normales, similiter ut Bosporus, pergit, quem habet parallelum: ita ut si is porrigeretur usque ad Pontum, ut quidam ipsius vallem porrigi dicunt, Insulam efficeret Barbyses & Bosporus. Qui ab illius ostio proficiscuntur ad ejusdem fontes, vident illum a ripa dextra duos fluvios accipere, utrosque venientes ab ortu Solis, tota æstate perennes: unum in medio cursu, alterum paulo infra suos fontes perlucidum, etiam totam æstatem molas versare valentem, quem scriptores vocant Hydralem: nunc ejus nomen ignorantes, alii appellant Belgradum, a vico prope ipsius ripas sito; alii flumen nominant Camerarum, a fornicibus, quibus ducebatur Constantinopolim. Hunc enim Andronicus Rex excelsis fornicibus, opereque subterraneo in Urbem perducere aggressus est, cum, ut cætera Urbs aqua abundaret, tum maxime hi, qui habitarent circa Blachernas, ubi cogitabat magnum nymphæum construere, ut ibi habitantes copiosiorem aquam haberent: at morte interceptus, opus reliquit imperfectum, quod posteri Reges absolvere neglexerunt, ut opus nimium sumptuosum; ut etiam Isacius Rex, qui Andronicum & regno, & vita privavit, turrem & palatium, quæ Andronicus ad secessum temporis æstivi prope fornices fluminum ædificaverat, demolitus fuerit, hoc pulcherrimum factum Andronico invidens. Hac ætate prope fornices, quos dixi transversos secare Barbysem, vicus est, quem Pyrgon vulgo appellant, etiamsi jampridem ibi nulla turris, nullum palatium sit, tamen olim fuisse Pyrgi incolæ dicunt, saxaque effossa ex fundamentis murorum se vidisse testantur incisum nomen Andronici habentia. Jam Hydralis influit in Barbysem fornicibus diruptis, quibus Constantinopolim ducebatur. Cydarus fluvius, quem vulgo *Machlenam* appellant, similiter, ut Barbyses fornicibus transversis secatur, Hydralem, & Barbysæ partem Constantinopolim ducentibus. Longior quidem est, quam Barbyses, sed minor, similiterque ferme, ut Barbyses per anfractus fertur, a quo velut fere parallelo curvo ipse curvus distat vario quidem intervallo, sed perpetuo collino inter fornices utriusque patente in latitudinem circiter quatuor milliariorum. Vario etiam cursu progreditur. Nam a fornicibus, ultra quas non progressus sum, vidi ipsum ab occasu ad ortum Solis tendere, deinde flecti ad Meridiem: postremo amplius duo milliaria a Septentrionibus ad Meridiem proficiscentem influere in Sinum Ceras. Quamobrem Dionysium, cum ait Cydarum venire ab occasu æstivo, intelligere non oportet, cum intervallo circiter duum milliariorum ostio propinquus accedit.

CAP. IV.

De locis appellatis Mandris, & Dryi, & de luco Apollinis, & ponte Philippi, & de cubis Canopi.

POST *Buculam*, inquit Dionysius, *sunt loca nuncupata Mandræ, & Drys: ille quidem a loco quieto & tecto, mari enim tranquillo alluitur. Drys vero habet locum Apollini sacrum. Post promontorium est longus sinus Auleon appellatus.* Id promontorium a Septentrione clauditur valle Barbysæ; a Meridie, valle efficiente sinum longum, quem Dionysius

A appellat Auleona, cujus ora lunata patet in longitudinem mille & septingentorum passuum, in qua media est Regis viretum insinuatum in imam planitiem vallis a Septentrionibus clausæ promontorio elato in passus circiter octingentos, quorum imi trecenti valde declives, reliqui leniores. Dionysii ætate puto imam vallem, in qua nunc est Regis viretum, fuisse palustrem, & partem sinus Auleonis, sive Aulonis, cujus e regione in ulteriore littore fuit locus nominatus Semystra.

Post Auleona Dionysius dicit esse pontem Philippi Macedonis opus, quo sinus Cornu trajiceretur B. Philippus enim in vadum saxa dejecit, eorumque multitudinem supra vadum accumulavit multis operibus, ut pontis commoditate uti posset abunde ad commeatum terrestrem. Nam classe Byzantiis par non fuit, multo mari imperantibus. Juxta hunc pontem fuit Nicei herois ara, & locus leniter circumflexus ad capiendos pisces receptaculum, & locus, qui dicitur *Neosbolos*, id est, *novus jactus*. Inter promontorium, quo sinus prius pergens ad occasum flectitur ad Septentriones, interque vicum Aibasarium supra aquam paulum extantia videntur æstate pilarum fundamenta C, quæ an sustinuerint pontem Philippi, an aliorum, judicare non possum. Hoc unum duntaxat possum ex Dionysii verbis elicere, vel in illarum loco, vel propinquo fuisse pontem Philippi. Ante trecentos annos fuisse pontem, vel in prædicto, vel propinquo, liquet ex Tzetze, ut alibi dicetur. Nam ante mille annos fuisse pontem sublicium ostendemus in antiqua descriptione Regionum Constantinopolitanarum: qui omnes bellis subsecutis eversi sunt. Mechmetes Rex, qui Constantinopolim cepit, ut Urbem strictius obsideret, pontem effecit a contrariæ continentis regione appellata τῶν κρομαρείων, ad Urbem ferentem doliis ligneis inter se apte colligatis D & firmiter, ut trajicere posset milites ab exercitu obsidente Sycas, ad Urbemque, ut eam undique obsideret. Jam vero in littore, quod modo descripsi a loco appellato Mandris usque ad aram Nicei herois, percipitur ex Procopio fuisse templum Anthymi martyris, cum ait, Justinianum in clivo arduo ad finem Sinus ædificasse ædem divorum Cosmæ & Damiani; in alteraque Sinus parte templum, ubi nullum prius fuerat, dicasse Anthymo marayri secundum Sinus oram, ubi maris fluxus templi crepidines alluit jam mitigatus. Non enim cum fremitu murmurantis maris E ad illius saxa frangitur, sed jam mollis & lenis, tacitusque accedit ad id templum, in magnam altitudinem editum, lapidum decore, auroque ornatum. Nunc nulla extant illius vestigia; neque quisquam reperitur, qui, in quo loco id fuerit, a majoribus audierit, aut legerit. quin potius omnes prorsus ignorant ullum templum in hoc littore fuisse. A promontorio, quo dixi Sinum incurvari ad Septentriones, incipit flexus longus, & molliter curvatus; finitur mucrone vireti regii ab Abrahamo Bassa consiti. Hujusce flexus ora ædificiis plena est, & figlinis laterculorum coctilium & crudorum, cum in multas insinuata F valliculas, tum penitius in vallem divæ Parascevæ longam duo miliaria, cujus ima planities attingens sinus oram, lata quadringentos passus, deinde statim stringitur in ducentos, sensimque angustata attollitur in clivos. Clauditur duobus collibus, uno exædificato ab occasu, treis tumulos emittente, qui in sinum eminentes efficiunt duas valliculas: ab ortu Solis includitur altero colle ex tribus lateribus, pleno ædificiorum, usque ad oram maris, ut mediæ ædificiorum partes sublicis sustineantur in Sinus vadum defixis.

In summa valle olim fuit templum Panteleemonis juxta fontes rivi perennis, olim in Sinum influentis: nunc partim derivatus est opere subterraneo in propinquum Regis viretum, partim in balneum, & hortos sub vallem subjectos consumitur. Ne quis miretur, si illum jam non videat supra terram fluere, qualem Dionysius informat, describens hæc loca: *Circa*, inquit, *locum re & nomine Actinen, sunt cubi Canopi, & fontes: valde enim locus irriguus est. Cubi autem sunt insignia Persicæ historiæ: huc enim nonnulli descendebant ad animorum remissionem, & ludos, ut amœnitate littoris perfruerentur. Canopi nomen invenit a similitudine delitiarum, quæ huic loco est cum Ægyptio Canopo. Cison fluvius, hanc oram secans sinui nomen dedit. Fluit perennis, sed haud navigabilis est.* Hæc quidem Dionysius: quem miror ex eo, quod ait, non esse navigabilem, cum jam tam exilis sit, ut ad irrigandos hortos totus consumatur. Itaque arbitror partim terræ motibus, quibus obnoxia est regio Constantinopolitana, partim subterraneis subductionibus in regium hortum attenuatum esse. Nunc in hoc loco vicus est longus, aquis abundans, quo Constantinopolitani frequentes secedere solent, ut maris & terræ delitiis fruantur. Recte appellatus hic locus Cubus Canopi, sive quia Ægyptiorum Plato κυβείαν inventum esse dicit; & Canopum mollioris remissionis Ægyptiis ludus erat; sive quia Byzantii coloni Attici mores sequebantur Atticorum, unde oriundi erant. Attici enim maximo studio κυβεία amplectebantur, ut etiam in ædes sacras congregati taxillis lusitarent. Hunc locum jam Græci appellant *Agian Parasceven*, quem Imperatore Justiniano divi Laurentii appellatum fuisse existimo, ab æde divi Laurentii in hoc suburbano constituta, quam Procopius antea ignobilem & obscuram, tradit Justinianum nobilem & præclaram reddidisse, in sinistra sinus parte sitam e regione divæ Mariæ in Blachernis. Nunc neutra extat: funditus enim utraque eversa est, exceptis fundamentorum exilibus vestigiis. Procopius obscure locutus videri potest, cum ait Laurentianam ædem in sinistra sinus parte sitam fuisse: neque addit, quorum ratione, ingredientiumne in sinum, an egredientium: ego illam appellavi dextram, habens rationem ingredientium, & naturalis sinus principii, quod nascitur a Bosporo, non ab ostiis fluminum, ubi sinus finitur. Ultra templum divi Laurentii Procopius scribit, Prisco & Nicolao divis ædem Justinianum ex integro construxisse, ubi Byzantii loci amore capti plurimum versantur, partim loci amœnitate ducti, partim venerantes divorum ædem decoram, quam longe in altum Rex vim impetui maris afferens constituit.

CAP. V.

De Regio Navali, & de locis antiquis, quæ olim fuerunt, ubi est nunc Navale.

Post vicum suburbanum Canopicum sequitur viretum regium: quod olim partem fuisse Canopi existimo, ex loci situ, & ex auditione senum, testantium, priusquam id consitum esset, Constantinopolitanos frequentes eo secedere solitos ob loci amœnitatem. Amplius decem stadia circuitu complectitur. Ejus media pars posita in maritima planitie, altera in colliculis & valliculis sylva cupressorum, arborumque fructiferarum adumbratur, ut regia domus arboribus circumsita a præternavigantibus non perspiciatur. Distinctum est viis, & herbis consitum, eo ordine, quo cætera vireta, quæ cupressos non obli-

A quis ordinibus in quincuncem dispositas, sed secundum vias habent directas in ordines rectos. Vireti ora maritima, parietibus clausa media, angulatum mucronem agit, procurrentem in sinum, velut linguam, cum natura, tum magis opere productum: ex quo extremo ædicula in Sinum eminet velut specula, sublicis sustentata, quibus velut clathris pisces subeunt in piscinam proximam. Hujuscemodi ædiculas undique fenestratas Turci *Sardaca* appellare solent, quæ vel in locis eminentibus, vel undique patentibus, ut in mediis domorum areis, aut in earum frontibus velut Mœniana construere solent, aut quadrata, aut hexagona, aut octogona, aut ligneis testudinibus, aut
B hemisphæriis præclare laqueatis, & Persica pictura collucentibus. Illa ædicula finitur flexus a nobis jam excursus; incipitque alter, finitus Sycarum Promontorio. Recessus intimus, abductus in hunc medium flexum, cuneatus est; deinde molliter dilatatur in longitudinem octo stadiorum, occupatam triremium regiarum sicco Navali loculato. Sic enim triremes centum & tredecim in aridum subductæ existunt, ut totidem ædificiis, velut loculamentis continuis separentur, clausis ab utroque latere parietibus, tectum imbricatum sustinentibus a fronte a tergo apertis, præ se habentibus Si-
C num, a tergo murum claudentem totum Navale. Is, cum venissem Byzantium, ex crudis factus erat laterculis, post ex lapidibus cœmentitiis; atque inter loculamenta & murum additæ sunt cellæ usibus triremium accomodatæ; etiam addita ædificia armamentaria, plumbo tecta. Supra Navalis partem, quæ pertinet ad occasum, eminent colliculi, valliculis distincti, tecti sepulchris Turcorum & Judæorum. A medio Sinus & Navalis flexu, vallis nascitur pergens a Meridie ad Septentriones; cujus ima planities ad libellam æquata angustior non est quadringentis passibus; neque ubi in valliculas insinuatur, latior sexcentis. Ejus
D maritima pars, attingens Navale, habitatur frequenti vico, quem vocant *Cassin Bassam*, a Satrapa, qui in eo loco amplas thermas construxit plumbo tectas, vario marmore constratas.

Reliqua vallis planities tota consita est hortis uberibus. Per hanc mediam fluvius, sed haud perennis, fluit. Olim perennem fuisse existimo; nunc partim permultis jugibus puteis usque fere ad labrum plenis, partim aquæductibus & terræmotibus exhaustus, cursum æstivum perpetuare nequit. Vallis latus, quod efficit collis Sycenus, editum in altitudinem septingentorum passuum, tegitur sepulchris Turcicis, quæ ornant stetæ la-
E pideæ, & virentes sylvæ cypressorum. Alterum vallis latus ad Solis ortum pertinens, proclivius quidem, sed non altius quadringentis passibus, continens sepulchra Judæorum, tecta aut mensis lapideis, aut carinatis operculis.

Hæc vallis cum processit quatuor stadia in longitudinem, objectu duorum collium, singulorum vicos singulos habentium, scinditur in treis valles, pratis, hortis, vineis cultas; quarum duæ extremæ majores, quæ in valliculas quatuordecim interciduntur, desinentes omnes in dorsum
F perpetuum, alias flexuosas, alias tortuosas; id quod efficit Navale tutius a ventis septentrionibus. Palustrem fuisse olim hanc vallem & nemorosam, conjicio ex Dionysio Byzantio. *Post*, inquit, *Cubos Canopi*, *est palus habens radices sub aqua latentes, claudens Sinum, ubi est receptaculum piscibus capiendis aptum, saxis concavis ad ipsos introitus obviam procedentibus, in quæ delabuntur pisces noctis tenebris errantes. Post paludem sunt Chæragia nuncupata, a rebus, quæ ibi fiunt, nominata; quoniam apri ex montibus descendentes, ad hæc loca abacti, a venatoribus fraude capiuntur. Omne enim Sinus latus vento Noto objectum, sylvis plenum erat.* Ex his Dionysii verbis percipio, vallem illam palustrem fuisse, nunc exsiccata est, vel exædificationibus, vel agriculturis, vel puteorum copia, vel aquæductibus, atque omne Sinus latus vento Noto expositum, ab arboribus nudum est, nisi manu satis.

CAP. VI.

De Isthmo Ceratini recessus: de sepulchro Hipposthenis: de Sycis, & delubro Amphiarai.

DEINDE Dionysius addit secundum locum, ad quem definit recessus Ceratini Sinus. Incipit Istmicum promontorium apertam jam & multam Propontidem prospiciens, in quo sepulchrum Hipposthenis extat, herois Megarensis, a quo locus nomen adeptus est, quod Isthmicum promontorium Dionysius dicit: id intellige esse collem, in quo nunc situm est oppidum, nuncupatum Galata. Nam si a primis faucibus Ceratini Sinus lineam duceres ad ejusdem recessum intimum, in quo ante dixi regium Navale esse, intra lineam includeres collem Galaticum: ex cujus jugo prospicientibus multa aperitur Propontis. *Post Hipposthenem*, inquit Dionysius, *locus est appellatus Sycodes, a multitudine & pulchritudine ficuum arborum: quidam curiosiores dicunt, primam ficum arborem ibidem natam esse.* Locum hunc cum declarabo, Sycenam Regionem Decimam tertiam Urbis, ostendam esse Galatam, quam olim primum appellarunt Sycas, post Justinianas, postremo Peram, sive Galatam. Inde Dionysius persequens suum Anaplum, ponit Amphiarai delubrum, quod Byzantii Megarensium coloni construxerunt, memoria & honore prosequentes Amphiaraum Oiclei filium. Amphiaraum cum cæteri Græci, tum Megarenses honorarunt, Deum ut haberent, atque ab ejus solo, in quo fuit humatus, oracula peterent.

CAP. VII.

De ædibus Dianæ Luciferæ, & Veneris Placidæ, & de loco Ostreode, & Metopo, & de ara Apollinis.

POST, inquit, *Amphiarai delubrum est Syaphas locus, Auletes nominatus. Is una cum aliis colonis Byzantium deductus fuerat, cui Apollinis ara reliquit nominis memoriam. Inde est Bolos, is est jactus, ad piscationem hybernam percommodus loci natura, in quo est templum Dianæ Luciferæ, & Veneris Placidæ: existimatur enim largiri ventorum commoditatem, eosque turbulentos placare. Deinde est locus Ostreodes, a rebus, quæ ibi fiunt, nominatus. Maris enim vadum ostrearum multitudine exalbescentium constratum fit perspicuum aspicientibus; maxime in tranquillitate & quiete ventorum. Hic autem locus semper alit, quod impendatur, & in commune conferatur. Est enim luxuriosis locus generationis ostrearum, contendentis cum earum piscatione. Ostreoda locum excipit nuncupatum Metopon. Hoc sub aspectum Urbis subjectum est: aspicit enim Bosporium Promontorium. Nomen invenit a figura. Nam ex continentis parte planum est terrenis tumulis; ex parte maris, declive & preceps: non tamen divini testimonii expers est; etenim apud ipsum colitur Apollo.* Ex his Dionysii verbis scimus Metopon esse frontem ante Urbis oculos positam, quam prius nisi cognitam habeamus, assequi nequimus, intra ne oppidum Galatam, an paulo,

an longe extra Galatam fuerint templa Amphiarai, Dianæ Luciferæ, & Veneris Placidæ, & locus Ostreodes. Cum igitur nulla pars Europæ posita sit ante oculos Byzantii, nullaque recte intuetur promontorium Bosporum, nisi collis nascens prope portam Galatæ, cum ejus frons tota subjecta sit sub aspectum promontorii Bosporii, patet illum esse, quem Dionysius appellat Metopon; Græci hujus ætatis appellant *Acram Spantoninam*, aut *Spandoninam*. quæ quam sit in conspectu Byzantii, Rex Soleimanus declaravit, cum nullam aliam ob causam id usurpavit longo vireto, quam ut in conspectu suo colles haberet sylva virenti vestitos, & ut excluderet oculos id incolentium despicientium in claustrum sui Palatii in Promontorio Bosporio siti. Quale illud jam, subjungam.

Ex duabus partibus mari alluitur, ab ortu Solis Bosporo, a Meridie Sinu Ceratino: interius ad Septentriones recedit, quam collis Galatinus, quem antiqui Sycenum appellabant: ut velut de industria cedere videatur colli Syceno. Ne illi aspectum Solis orientis tollat, duobus cornibus prominet; uno in Sinus ostium, altero in portam Sycenam. Triplici latere deprimitur, primo in vallem, qua clauditur ob occasu, quaque separatur a colle Syceno, vineis, hortis, ædificiis plena, desinenti in planitiem, quæ ante portam Sycenam explicatur, in qua jacent globorum marmoreorum magni acervi, simulatque magna multitudo machinarum bellicarum, unde porta nomen habet: ubi thermæ & officinæ fabriles fusilium machinarum bellicarum. Alterum Promontorii latus demittitur ad Meridiem, totum objectum oculis veteris Byzantii, valde proclive, ut ejus ascensus gradibus, aut anfractibus moliatur: usque ad mare pronum dejicitur, ut littus sit excelsum, præceps, præruptum. Lateris media pars intumescit duobus tumulis ab infera parte præcipitibus, a supera explicatis in planitiem leniter assurgentem ad promontorii fastigium, porrectum in longam planitiem. Ora maritima, sub hoc latus subjecta, producitur in longitudinem mille passuum: quorum quadringentæ Sycenæ portæ propinquiores, patent in latitudinem quinquaginta passuum, ubi communis ambulatio suburbana platanis adumbratur, in qua olim ædes Divi Constantini, cujus superficies nunc non extat: duntaxat gradibus lapideis in fornicem subterraneam Græci descendunt ad potionem aquæ fontanæ Constantino sacræ. Reliqua oræ maritimæ pars tota proclivis; excepta via humano opere explanata. Tertium Promontorii latus, similiter valde proclive & præceps usque ad littus, vergens ad Solis ortum, intuens promontorium Asiæ Damalicum, quo Bosporus contendens adOccasum flectitur ad Meridiem.

Ex antedictis apparet, Metopon esse, aut totum Promontorium, aut ejus partem eminentem in primas Sinus fauces, quam vulgo appellant Acram Spandoninam. Si totum Dionysius intelligit, existimare debemus Bolum, templa Dianæ & Veneris, locumque Ostreodem fuisse intra urbem Galatam; eamque urbis partem non comprehensam fuisse intra locum Sycodem, ut non videtur ex antiqua Regionum descriptione Urbis, ponente in latere Galatæ meridianæ Sycenam Regionem, quæ etiamnum cernitur in media Galata propriis muris clausa, opposita Constantinopoleos valli, in qua ima est trajectus Sycenus, Galatæque latus vergens ad Solis ortum post Sycodem fuisse, quod incipit ab angulo divæ Claræ, quo Sinus tendens ad occasum brumalem, flectitur ad occasum fere solstitialem, quoque finitur recessus, inchoatur a promontorio Spantonino, longus

A duo millia passuum, quorum octingenti intra urbem, jactus hybernæ piscationi aptus: videtur angulus soli expositus, a ventis septentrionibus tectus, in quo hodie spectantur duæ ædes sacræ, quarum unam Franci appellant *Divam Claram*: alteram Græci *Photinen*, quasi *Phosporum*, non sine antiqua ratione, quoniam hic esset ædes Dianæ Phosphori, & Veneris Placidæ, quæ etiam Phosphoros, ea est Lucifera, nominatur. Nam primi illi propagatores religionis Christianæ, quo facilius nationes a cultu antiquiorum deorum ad verum pietatis cultum paulatim abducerent, veB ramque religionem illos colere assuefacerent, sub antiquis deorum nominibus nova induxerunt Divorum nomina. Suidas scribit Constantinum Regem Romæorum, filium Leonis Isauri Iconomachi Venerem coluisse, eique humanas victimas mactasse in regione Urbis Peræa, ubi divæ Mauræ templum esset, quod is demolitus, locum effecit homicidiorum, quem Mauram nominavit, in quo nocte pueros sacrificabat. Existimo illam ædem primo appellatam Phosphoron a Diana Lucifera, deinde Photinam, post Mauram. Vide, an sit vitiatus Codex Suidæ,habens Sanctæ Mauræ pro Sancta Photina. Nam cum Iconomachus ConC stantinus imaginum cultum oppugnaret, verisimile videtur ædem Divæ Photinæ contumeliose appellasse Divæ Mauræ; nunc nemo est, qui audierit, aut legerit in regione urbis Peræa divæ Mauræ ædem fuisse, sed duntaxat Photinæ. Adde, quod littora contraria multa de paritate & similitudine inter se contendunt, ut duæ Cyaneæ, ut duo angustiarum fana, ut alia pleraque, ut littus Divæ Photinæ fortasse. ideo ædem Dianæ Phosphori habuit, quod sit e regione Phosphorii portus in contrario littoresiti, ex eo appellati, quia illic Diana Phosporos lucem Byzantiis attulerit contra Philippum Macedonem cuniculis ByD zantium oppugnantem. Venus vero Placida non commodius collocari potuit, quam in hoc littore, ubi Bosporus labitur placidus & silens: in qua parte regionis Peræ Constantinus Veneris cultor colere Venerem melius potuit, quam in antiquissima Veneris æde. Jam cognitis ædibus Dianæ Luciferæ, & Veneris Placidæ, & Metopo, judicare possumus Ostreodem locum fuisse inter ædem Divæ Photinæ, & primas radices promontorii Spandonini; præsertim si id totum intelligit Dionysius Metopon esse: quamvis ostrearum piscatio frequentius hodie exerceatur aSycarum porta ad fiE nem promontorii Metopici, & eo ulterius ob vadum maris purgatum & apertum, in quod sparguntur & disseminantur quotannis ostreæ integræ, non, ut olim falso acceperam, divisæ, atque disruptæ. Tamen antequam esset littus subjectum sub partem oppidi Galatæ objectum Orienti, ostrearum piscationem copiosam præbere potuit. Postea vero quam hujus littoris pars vadosa ædificata est, pars quotidie aut obruitur projectis oppidi purgationibus, aut frequentium navigiorum stationibus occupatur.

Piscatio ostrearum nunc minus exercetur in hoc suburbano littore, etiamnum exalbescente ostreis F sua sponte provenientibus, non autem seminatis,ut seminantur circa promontorium Metopicum quotannis in hunc modum. Posteaquam Græci a piscibus sanguine participibus suam longam abstinentiam sustentarunt ostreis luculentis quidem, sed sanguinis, ut ipsi putant, carentibus, ex locis paulo remotioribus ab Urbe naves ostreis plenas ad hæc loca maritima Urbi propinquiora adducunt, atque in mare palis abjiciunt ostreas integras, non dissectas, ut mendaces quidam monstruosarum narrationum fictores in

A Italiam sparserant & disseminaverant, ut me imprudentem deceperint, ut vix cum venissem Byzantium, prudens factus, a peritis piscatoribus dissuaderi potuerim imperitorum opinionem jamdudum confirmatam. Ex illa igitur sparsione & disseminatione fit, ut quotannis ostrearum genus renovetur, luxusque morum Græcorum redintegretur. Sin autem minus totum promontorium intelligit Metopon esse Dionysius, sed solam promontorii linguam eminentem supra primas Sinus fauces: tum conjectare possumus Ostreodem locum occupasse oram maritimam alluentem Urbis latus Orienti adversum, & radices promontorii Spantonini spectantes ad meridianam cœli regionem. B

CAP. VIII.

De Ajantio & Palinormico, & templo Ptolemæi, de Jasonio, & luco Apollinis, & de aliis antiquis locis.

SED redeo ad Dionysium, qui a Metopo deinceps ita Anaplum persequitur. *Post*, inquit, *Metopon, est Ajantion nomen adeptum ab Ajace Telamone, quem propter quandam vaticinationem colunt Megarenses, ex instituto eorum, qui deduxerunt coloniam.* C *Inde procidens præcipitium conversum in mare nominatum est Palinormicum a secunda applicatione. Postquam enim coloniæ deductore ad eum locum naves primo appulissent, ex eoque solvissent, rursus ad eundem locum reverterunt. Paulo supra præcipitium Palinormicon existit templum Ptolemæi Philadelphi, quem Byzantii æque ac Deum venerati sunt, quod ex ejus in urbem animi magnitudine fructum magnum accepissent. Etenim Byzantiis Ptolemæus in Asia regionem, frumentique multas myriades, & sagittas, & pecunias dederat. Deinde est locus dictus Delphinus, & Charandas.* D *causa nominum hæc est: Vir Chalcis nominatus, genere Byzantius, scientia citharœdus, nullis summis citharœdis inferior, cum Orthium carmen caneret, Delphinus ex pelago extitit, seque ad audiendum erexit cantilenæ impetum, maritimæ oræ insistens, extra mare eminens, aspectum sublimem gerens, ut vehementi cantu impleretur, ob audiendi studium nihil a vadi commotione læsus: cum autem Chalcis canere desinebat, Delphinus mare subibat, ad locumque consuetum redibat. Charandas pastor accola, sive invidia, atque odio Chalcidem, sive avaritia incitatus, Delphino insidiatus est sensim ad maris oram allabenti, eumque sublimem accedentem interfecit: non tamen* E *piscatione potitus est. Chalcis enim suum auditorem magnifica sepultura affecit, locisque nomina Delphinum & Charandam imposuit; illum donans honoris memoria, hunc ignominiæ. Postea est Acra in brevem recessum insinuata. Basis ipsius & radix Petra in fundo Thermastis appellatur. Post hanc ipsam littus Noto vento apertum nominatur Pentecontoricon a navibus quinquaginta remos habentibus ad littus id appulsis. Scytham enim dicunt nuncupatum Taurum ex suis sedibus migrantem huc appulsum fuisse, atque ad Cretam navigasse: Pasiphaen Minois filiam stuprasse: unde nata fabula amoris, & prolis, ex ipso procreatæ.* F *Deinde succedit Jasonium, ex eo nomen adeptum, quod Jason navigans ad Colchos, illuc appulsus fuerit, ubi est nemus profundæ laurus plenum, araque Apollinis: littus autem longum, omne ventis occiduis & meridianis expositum.* Ubi infra ostendero Jasonium esse vicum, quem Græci hodie vocant *Diplociona*, Turci *Bisicas*, facilius percipietur Ajantion, templum Ptolemæi, Delphinum & Charandam, petram Thermastin, Pentecontoricon loca sita fuisse inter Metopon & vicum Diplociona. Ea ut magis perspicua fiant, prius pergo exponere situm reliquæ oræ maritimæ, quam continuare intermiseram ad promontorii Metopici mucronem præcipitem & præcisum usque ad mare, via duntaxat intermissa humano opere explanata, jactis in mare vadosum & saxosum ædificiis, aut molis substructionibus, ubi finitur longus flexus a promontorio Clidio inchoatus. Ab illius igitur mucrone seu rostro passus trecentos progressus, incidi in vallem dividentem Metopicon promontorium a colle, in quo est suburbanum Ajatis Bassæ, cujus imæ radices maritimæ porriguntur in passuum longitudinem circiter octingentorum: quorum primi quadringenti maritimam habent planitiem patentem in passuum circiter quadringenta latitudinem. Supra impendent clivi, imi quidem præcipites, & fere directi in altitudinem, ferme centenum passuum: inde a medio colle ad summum verticem exigue proni: at reliqui quadringenti planitiem maritimam non habent, sed clivos a mari ad supercilium collis præcipites; excipio imam planitiem valliculæ mediæ inter clivos interjectæ, quæ medium Ajatis viretum, perennibus fontibus irriguum secans, cingitur duobus tumulis præcipitibus & præruptis, altero eminente supra Scalam commercii, ubi fundamenta videntur antiquæ molis, partim sub aqua delitescentia, partim supra mare extantia, quæ piscatores vocant *Caridata*: nescio an quasi fortasse Charandam a Dionysio nuncupatam. Altero tumulo præcingitur usque ad mare præcipiti atque imminente in vallem, qua a Septentrionibus clauditur, lata juxta littus ducentos octoginta passus. Ipsa a Septentrionibus clausa colle radices præcipites agente, & propagante ad mare usque latas centum passus. Ab earum initio ora maris, quæ tendebat a promontorio Metopico ad cœli partem mediam inter Ursam & Aquilonem, flectitur ad Ortum æstivum. Jam vallem & collem occupat regius hortus, circuitu quatuor millia passuum complexus, virens sylva cupressorum arborumque frugiferarum, *Carobolus* vocatus a Satrapa illius constructore: quem ajunt piscatores obruisse maris recessum insinuatum in imam horti vallem, cinctam a Septentrionibus colle, radices præruptas & saxeas usque ad mare spargente. Sub his radicibus Dionysius ponere videtur petram Thermastin. Nam, ut ipse ait, hæc Acra insinuabatur in brevem recessum, & post eam littus est Noto vento apertum: quæ aut excisa est; aut, si nunc extat, non agnoscitur. præsertim si Dionysius Acram non intelligit esse promontorium, sed simpliciter oram maris, quæ tota ab hoc loco ad collis Metopici promontorium alluitur mari vadoso, crebris petris supra aquam eminentibus inculcato. Earum quænam sit Thermastis, internoscere difficile est, jam tot seculis ora maritima immutata, aliis saxa littorea exscindentibus, aliis imos collium clivos explanantibus, aliis sinus vallium obruentibus. Hæc commutatio me impedit, quo minus judicare audeam, an Palinormicon fuerit juxta collis Metopici promontorium, an ad radices collis eminentis in Scalam commercii. Hoc unum arbitrari possum, Palinormicon fuisse secundum radices alterutrius horum collium. A vallicula Regii Horti, ad quam conjectavi fuisse Thermastin petram, ora maritima, quæ dirigebatur ad Septentriones, flectitur ad plagam cœli mediam, inter solstitialem & æquinoctialem ortum: in qua plaga longi latique horti Rostanni Bassæ, & Ænobarbi regiæ classi præfecti, ejusque sepulchrum juxta littus situm, circumclusum ædicula rotunda desinente in convexum, tegulis plumbeis tecta. Ædiculam ara quadrata circumsepta muris, platanis, & popu-

lis

lis adumbrat: & ne maris fluctus mortuum piratam submergant, quem vivum submergere non potuerunt, cum aliis saxis littus muniv···runt, tum duabus columnis marmoris Thebæi terræmotu collapsis, quibus stantibus vicinus vicus proximus appellatus est Diplocion, constitutus in maritima planitie, cujus plurima pars patet in latitudinem quadringentorum passuum, & amplius, cum insinuatur in duas valles, quarum una diffunditur in planitiem septingentis passibus longiorem, hortis collucentem, fontibusque perennibus utrimque collinis vineis, & agris frumentariis cinctam, in qua est vicus Diplocion, ubi olim fuisse Jasonium, aramque Apollinis, & lucum profundæ laurus conjicio cum ex eo, quod situs hic locus est in littore longo ventis meridianis, occiduisque exposito, ut ait Dionysius, tum ex ejus ordine narrandi ante dicta loca, & consequentia. Locum, ubi fuit ara Apollinis, & magnus lucus laurorum, vero proximum videtur eum fuisse, quem posteri appellarunt Daphnen, cujus meminit Stephanus. *Daphne*, inquit, *insana, portus est juxta os Ponti, in dextro littore constitutus navigantibus ad Pontum*: in sinistro vero ascendentibus ad Anaplum extat suburbium Daphne nuncupatum, quod etiam appellatur Sergium ex Procopio, aliisque scribentibus, Anaplum esse ad promontorium Estias, hoc duntaxat assequimur, Daphnen suburbium esse inter Byzantium, & promontorium Estias: nulliusque scriptoris traditione propius accedi potest ad cognitionem Daphnæ, quam ex his, quæ modo Stephani & Procopii attuli. At vero Dionysius ad ipsius notionem nos, aut quam proxime perducit.

Quispiam fortasse objiciet, in hoc sinistro latere fuisse item Daphnen Medeæ, quam postea ex Dionysio ostendam fuisse inter locum nuncupatum Senem marinum, & promontorium Estias, in valle, in qua etiam nunc visuntur rudera ædis Demetrianæ; dubiumque sibi atque controversum videri dicet, utra Daphne fuerit suburbium Byzantii. Mihi vero propius videtur, Byzantios Daphnen, aramque Apollinis coluisse & frequentasse, quam Daphnen Medeæ Pharmacidis. Cultus enim deorum loca incolis frequentia efficere solet. Ut enim Antiochia Daphnen suburbium frequentans effecit nobile & maximum, ob cultum Apollinis Daphnici; ita Byzantium Daphnen, aramque Apollinis frequenti cultu effecit suburbium in planitie Diplocionis ampla, culta, urbique vicina, mitibus & vitiferis collibus cincta, potius quam in vallicula Demetriana angusta, undique asperis collibus circumclusa, nondum exædificata, longe ab Urbe remotiori, quam Diplocionis planities, in qua potius credendum, quam in valle Demetriana, fuisse suburbium Daphnen. Præterea conjicio ex historia Evagrii, narrantis Mammianum insignem senatorem in Daphne suburbio construxisse Antipharon e regione balnei publici, in quo statuta esset Mammiani ænea statua. Antipharon appellatam arbitror, ex eo quod sita esset contra Pharum, quam Marcellinus dicit fuisse Byzantii in promontorio Chryscera nuncupato, quod Dionysius appellat Bosporium. Illa si fuisset constituta in valle Demetriana, non Urbi adversa fuisset, sed prorsus ab Urbe aversa, longe posita extra conspectum Urbis impeditum intermedio colle excelso Clidio appellato. Agathium Historicum suburbanum habuisse in vico Daphne, conjicere possumus ex ejus Epigrammate inscripto in hortum maritimum:

Εἰς κῆπον παράλιον.

Εἶξον ἐμοὶ Δάφνης ἱερὸν κλέτας, ἔκτοθι Πόντυ
  Κείμενον, ἀγραύλυ κάλλος ἐρημοσύνας·
Ἐνθάδε γὰρ νύμφαι δενδρίτιδες, αἵτ᾽ ἐνὶ Πόντῳ
  Νηρείδες, ξυνὴν θέντο συνηλυσίην.
Ἀμφ᾽ ἐμὲ γὰρ μάραντο· δίκασε δὲ κυανοχαίτης,
  Καί με παρ᾽ ἀμφοτέροις μέσον ἔθηκεν ὅρον.

Si Agathii poemata, quæ inscripsit Daphnica, nactus fuissem, scrutatus diligenter essem, num a suburbio Daphne Daphnica sua poemata appellaverit. Ex hoc Apollinis luco tripodem illum factum fuisse verisimile videtur, cujus Sozomenus meminit. *Cum tempore Valentis Imperatoris*, inquit, *Hellenes quosdam in Philosophia præstantes habitos, religionis Christianæ incrementa ægre ferentes, scire studentes, quis Valenti successurus esset, omnibus vaticinationibus exquisivisse: denique tripodem ligneum ex lauro confecisse, & nominibus, & verbis, quibus soliti erant, peregisse, ut comprehensione literarum secundum unumquodque elementum sub machinatione tripodis & vaticinationis significantium demonstrarent nomen Regis. Cum autem ipsi inhiarent Theodoro Hellenicæ religionis, viro in aula regia præclaro, in re militari eximio, Theodori nominis litterarum compositio accedens usque ad delta decepit Philosophos, ut quam mox Theodorum regnaturum sperarent. Etenim hoc facinore patefacto, adeo Valens exacerbatus est, ut jusserit comprehendi Theodorum & tripodis artifices; imperaritque illum quidem vivum exurendum, illos vero securi feriendos esse: adeoque Valens effreni ira exarsit, ut etiam in eos, qui Philosophi non essent, sed simili veste atque Philosophi uterentur, cædes processerit.*

CAP. IX.

De Rhodiorum portu, & de Archio loco.

Post Jasonium lucumque Apollinis, Dionysius Anaplum continuans, ponit Rhodiorum τὸ περίβολον, ad quem rudentibus naves alligabant Rhodii, metuentes maris tempestatem. Cujus, ut idem scribit, tria saxa ad suam ætatem servata extitisse dicit; reliqua permulta temporis vetustate cecidisse. Hunc Peribolon fuisse, ut existimem eo in loco, quem hac ætate piscatores nominant Rhodacinion, non modo nominis similitudo, sed etiam Dionysii ordo narrandi antecedentia & consequentia me adducit. Hoc enim proprium habet imperitum vulgus, ut nomina locorum, quæ non intelligit, immutatione literarum in alia nomina aliquid sibi notum præsertim ridiculum (significantia) derivet. Dicax enim vulgus & ridiculum esse solet, præsertim Græculum, quod omnia nomina finire gaudet hac terminatione *acion*, quam literati solent attenuare, & diminuere in *ion*, vel *arion*: ut ψωμὸς, ψώμιον, παῖς παιδίον, vel παιδάριον, vulgus ψωμάκιον, παιδάκιον: sic ῥοδίων νεῶν detorsit in ῥοδάκιον νεῶν. Hæc quidem nimium fortasse minutatim excussa, sed quæ indicent magnam depravationem antiquorum nominum. Jam vero quod Rhodacinion appellant, nihil aliud est, quam saxum supra aquam eminens, ad alia saxa adnitens, olim ad portuosæ molis substructionem in vadum dejecta. Distat quidem aliquot passus ab ora maris, at ab Ænobarbi sepulchro passus circiter sexcentos.

Post Rhodiorum Peribolon Dionysius ponit Archium nuncupatum locum campestrem, agri bonitate præditum, & vitium amantem, collibus cinctum circumsurgentibus, ad mare pro-

cedentibus per medium eorum fluvius descendit in maritimam oram m illem & profundam. Hunc incoluit Archias Th .sius Aristonymi filius: qui cum in hoc loco urbem condere pararet, a Chalcedonensibus prohibitus est, metuentibus exædificatum locum contra se fore. Archias illis, qui cum eo solum vertissent, Ænon dedit habitandum, locoque nomen reliquit Archium. Archias Thasius etsi locum hunc terra marique præstantem delegerat, tamen quod præterita sede Byzantii hunc locum elegisset, non minus cæcus fuit, quam Archias Megarensis, quem Pomponius Mela scribit condidisse Chalcedoniam. Archium locum, esse vicum, quem nunc Græci *Agion Phocam* appellant, situs præ se fert, constitutus in maritima planitie vallis, in valliculas amplius quinque divisæ, patentis in longitudinem plus minus duobus millibus passuum; in latitudinem juxta mare circiter sexcentorum: fertilis vitium & cerasorum, ab utroque latere collibus cinctæ procumbentibus ad mare: per quam mediam defluit rivus alveo prope oram maris profundo, utrinque ingentibus saxis munito: is æstate etsi perennis non fluit, tamen ejus gurgites perennes restant. Bonitate terræ incolæ dicunt hanc vallem præstantiorem & fertiliorem valle Diplocionica. Juxta vicum nominatum Agion Phocam, situm in illius vallis planitie, ora maris mediocriter sinuosa portum efficit assiduis navibus frequentem. Ora maritima inter Jasonium & Archium media passuum millibus amplius duobus in longitudinem patens explanata est, partim excisis imis clivis collium impendentium, non in magnam quidem altitudinem elatorum, sed præcipitem & pene directam; partim obruto oppressoque mari a servis Ænobarbi, qui brevi tempore eam totam exædificarunt, portuosamque effecerunt usque ad marginem maris magnarum navium capacem; perpetuaque ædificia, & continuos hortos substruxerunt in mari vadoso; marisque partem intra substructiones intermiserunt, quæ portus vicem præstat, & piscinæ crebræ piscium frequentia multorum quotidie subeuntium, exeuntiumque.

CAP. X.

De Sene marino, & Parabolo, & de Calamo & Bythia.

DIONYSIUS loca oræ Bosporicæ sinistræ prosequens: *Post Archium*, inquit, *promontorium eminet, in altitudinem præcipitem abrumpitur discedens ad mare, fluctus maris densos & violentos, quibus crebris verberatur, excipiens. In promontorii vertice Senex marinus statutus est, quem alii ajunt Nereum, alii Phorcyn, alii Proteum, quidam patrem Semystræ, nonnulli indicem navigationis, & demonstratorem Jasoni fuisse, ducemque angustiarum Bosporiarum. Quidam vates Latiades oraculum in somnio sibi visum dedit posteris colonis Megarensium, oportere sacrificare marino Seni: itaque in hoc loco publice colitur Senex marinus.* Hunc Senem marinum statutum fuisse in promontorio, quod nonnulli Historici, atque etiamnum vulgus Græcorum appellant *Clidion*, assequor cum ordine Dionysianæ narrationis antecedentium locorum & consequentium, tum situ oræ maritimæ, quæ ab Archio loco quadringentos passus usque ad Clidion progressa nullum promontorium, nullum littus habet, cui conveniat descriptio loci Senis marini, quam promontorium Clidion: quod ut melius noscatur, subjiciam, quale nunc existit. Id præceps & præruptum usque ad mare excipit suo mucrone fluctus, ictusque maris adeo vehementer,

A ut hi postremo ab ipso repulsi, deferantur juxta Asiam usque ad Byzantium: littusque Europæum non amplius excipiat fluctus Bospori descendentes per anfractus, sed a promontorio Clidio velut clave claudatur, & protegatur, nomen adepto ex eo, quod Byzantinis Bosporum claudere & finire videtur. Bospori enim aspectus ex urbe Byzantio sursum versus juxta littus Europæum navigantibus non patet ultra Clidion, cujus clivus medius in altitudinem ducentorum passuum adeo pronus est, ut scandi non possit, nisi anfractibus in latitudinem patens plus minus quadraginta passuum. Inde brevi cervice lata sex passus dilatatur,
B assurgens in altitudinem bis mille passuum. Ab Aquilone cingitur planitie insinuata in vallem Demetrianam: ab altera parte cingitur valle, in tantam edita altitudinem, in quantam ipsius promontorii jugum. Sed redeo ad Dionysii Anaplum. *Marino*, inquit, *Seni vicinus est* Παράβολος: *is est jactus temerarius, nuncupatus a piscatione temeraria, incertaque, ob maris asperitatem inæqualem. Fluctus enim descendens in littus asperum, piscationes efficit temerarias, parum voti compotes, & fere frustratorias. Deinde est Calamus, & Bythias: ille a Calamorum multitudine, hic ab alta protectione promontoriorum circumsurgentium nominatur. In ipso est*
C *laurus Medeæ Æetæ filiæ, planta, ut fama est. Huic parallelus est collis sensim supinus, declinans ad mare, nominatus Bacca Isidis matris deorum.* Ex his Dionysii verbis consequimur, Parabolon, Calamum, Bythiam loca esse inter Clidion promontorium, & promontorium claudens vallem Demetrianam ab Aquilone. Hæc duo promontoria sinum efficiunt leniter inflexum, in quo insulæ, seu scopuli, seu syrtes, quarum una est vadosa & sicca, arenosa, paulum eminens supra aquam, statio avium marinarum. In hunc sinum desinunt duæ valles, minor prima est, distans a mucrone Clidii
D quingentos passus, in quo intervallo olim fuit Parabolos, nunc exædificatus est. Ultra valliculam septingentis passibus confectis, incipit major vallicula, habens contra se turrim vireti regii, in littore Asiatico sitam, nominatam Phylacen: desinit in medium sinus flexum, Demetriana nominata ab æde divi Demetrii sita in clivo, ubi fons divo Demetrio sacer, exilis quidem, sed perennis, scaturit ex alto specu concamerato hominum opere. In valliculæ maritima planitie porrecta in passuum longitudinem circiter octingentorum, existunt etiam nunc pauci calami, olim multi, a
E quibus locus nominatus fuit: deinde Bythias, a quo arbitror Bytharia, quorum meminit Euagrius, cum ait Vitalianum usque ad nominatas Sycas incursionem fecisse: contra quem, in tentoriis versantem ad Sycas defixis, Rex misit marinum Syrum. Congressi igitur ambo exercitus (ille a prora habens Sycas, hic Constantinopolim) primo se continebant, deinde post leves pugnas, inter duos exercitus prælium navale commissum est circa Bytharia appellata. Fugit Vitalianus, læsa prora, & magna parte exercitus amissa, reliqui fugerunt, ut nulli hostes reperirentur neque in
F Anaplo, neque circa Urbem. Promontorium, quod ab Aquilone vallem Demetrianam claudit, saxeum eminet in mare, in quo olim Baccam Isidis fuisse puto. Id intus recedit, neque impedit mutuos aspectus promontoriorum Clidii, Estiarumque ultra hoc promontorium eminentium, flexum admittentium amplius tria millia passuum circuitu littoreo complectentem, intra se includentem duos sinus, Demetrianum & Michaelium, divisos promontorio Bacchico.

CAP. XI.

De vico Michaelio, & de promontorio appellato Estiis.

A Promontorio jam dicto progressus sexcentos passus, perveni ad vicum Michaelium, in maritima vallis planitie situm, lata juxta mare quingentos passus, longa sexcentos: inde supra maritimam planitiem vallis mille & quadringentos passus in altitudinem erigitur, tota valide angustia & proclivis circumsurgentibus collibus usque ad fluvii ripas valde pronis, excepta semita humano opere facta. Summa dilatatur in campestrem planitiem, ex qua nascitur fluvius æstate exilis, sed perennis, & qui omni anni tempore fistulæ quincunciali sufficere posset. Per mediam vallem delabitur ad vicum Michaelium, quem Græci hodie appellant *Asomaton*, ab æde olim nobili Michaelis Archangeli militis incorporei, quod Sozomenus Constantinum Magnum tradit extruxisse in Estiis aliquando nuncupatis, atque ex eo, quod ibi Michael Archangelus apparuisse creditur, locum dicit Michaelium appellatum esse juxta medium fretum Bospori, situm in dextro latere ex Ponto navigantibus Byzantium, distantem a Constantinopoli itinere marino stadia circiter triginta quinque, terrestri circuitu septuaginta. Ora maritima, ab ortu ad occasum procurrens, in qua dixi situm esse vicum Michaelium, circuit sinum intimum valde portuosum, usque ad marginem magnarum navium capacem, quem colles undique tuentur ab omnibus ventis, excepto meridiano, quem frangunt cursus rapide incitati contra meridiem præcipitantes. Locum quem Sozomenus appellat nunc Michaelium, nunc Estias, Procopius appellat Anaplum. *Duo*, inquit, *erant templa Michaeli Archangelo dicata, inter se opposita, Bospori freto divisa: unum in loco appellato Anaplo, in sinistro littore navigantibus ad Pontum Euxinum, alterum in contrario littore, quod antiqui* Πρόθεσις *nominarunt, ex eo, existimo, quia littus multum projiciatur ex hac ora, nunc autem nominatur* Βρόχοι, *temporis longitudine, accolarum inscitia depravante nomina. Hæc duo templa cum vetustate temporis sacerdotes prospicerent ruinas editura, & metuerent eorum casu oppressum iri, a Justiniano deprecabantur instaurationem amborum ea forma, qua olim fuerat. Non enim ulla ædes sacra ædificari nova, vel exolescens reædificari poterat, nisi ex pecunia regia, non modo Byzantii, sed ne usquam quidem locorum Romani Imperii. Rex his motus, utrumque a fundamentis demolitus est; quorum alterum in Anaplo reædificavit in hunc modum: Saxis injectis oram illam circumplexus ad tegendum portum, littus maris in Forum transformavit. In hoc loco mare quietum communicat applicationem navigiis, quæ mercatoris ad saxa injecta appellentis merces ex transtris navium in terram exponunt. Aula post maritimum Forum ante templum sita est. Qui illic spatiantur, marmorum decore lætantur, & aspectu maris fruuntur, communibus auris excitatis tum ab impetu undarum, tum ex collibus impendentibus. Porticus in orbem ambit templum, solum ab Oriente intermittens sacrum adytum. Templum mille coloribus variatur: tectum in tholo sublime effertur. Quis pro dignitate hujus operis enunciare posset elegantes columnas, & totius ædificii structuram? quis marmorum venustatem, quibus muri & sola vestita sunt? quis auri multitudinem immensam, circa omne templum velut ipsi innatam, fusam? Hoc igitur templum in Anaplo nuncupato in hunc modum Archangelo elaboratum est. In contrario littore paulum a mari distat locus natura quidem planus, compositio-* A *ne vero lapidum in altum effertur. Hic Archangelo constructum est templum decore quidem excellens, magnitudine vero primum.* Hæc ex Procopio addere volui, ex eo quod in editis codicibus Procopii non habentur, tum necessaria futura ad declarationem contrarii littoris. Horum templorum etiam fundamentorum substructiones effoderunt, ut nihil ex his jam supersit, nisi ut in oculis erutis fossæ & scrobes effossarum substructionum. Hoc loco Procopius restrictius definit Anaplum, quam Dionysius, qui scripsit Bospori Anaplum esse totam navigationem ab urbe Byzantio ad Pontum Euxinum. Similiter Stepha- B nus Anaplum ponit in dextro Bospori latere, cum ait Chrysopolim esse prope Chalcedonem in Bithynia, Anaplum naviganti in dextra. Idem tamen aliis locis (sive Stephani compendiarius Hermolaus Grammaticus) restringit Anaplum. *Portus*, inquit, *mulierum est circa Phidaliam inter Anaplum & Olosthenium*. Ubi intelligit, Anaplum esse aut ad promontorium Hermæum, aut apud Estias. Scholia in Dionysium scriptorem orbis incerta, tradunt fretum Bospori angustissimum inter Ciconium & Anaplum. Verum ubi Ciconium sit, suo loco explicabimus. Sed ne C quis decipiatur inscitia illius, qui in libros Sozomeni edidit Elenchos, dum Michaelium locum, quem Sozomenus dicit esse in locis quondam nominatis Estiis, enarrat esse Sosthenium, procul inde remotum amplius duodeviginti stadiis. At Estias alio loco esse non posse, statim monstrabo, quam ad promontorium, claudens ab Aquilone Michaelium sinum: ex Polybio. *A promontorio*, inquit, *Hermæo*, (quod infra ostendam nunc appellari Neon castrum,) *decursu Bospori convertitur in Asiæ oram, inde rursus in Europam ad promontorium Estias*. Qui norunt Bospori decursus deferri per anfractus alternos D Asiæ, Europæque, plane illi sciunt illos ex Neocastro deferri in promontorium Asiæ, ubi molæ versantur; inde rursus converti in Europam ad promontorium, quo excipitur nominatum a Græcis *Mega rheuma*, cingens ab Aquilone vicum Michaelium. Quale autem sit Mega rheuma, & promontorium Estiæ, Dionysius Byzantius apertius declarat. *Post collem sensim supinum*, inquit, *promontorium protenditur multum, portum insinuans, crasso præruptoque incursu boreales maris ictus propulsans. Ab occasu enim portum præbet sufficienti magnitudine, protectum a ventis: reliqua promontorii pars excipit fluctuum vim mul-* E *tam, audacemque, & similem statuæ virili: nunc enim mare miscet & convolvit in orbem, nunc impetus undarum in contrariam partem impellit. Multas naves vidi onustas secundo vento currentes, retrocessisse, fluctu oppugnante ventum. Rursus vero ad saxa promontorii revertitur impetus undarum, & ex refractione velut avulsus & separatus, a pelago contra pelagum ipse per se currens urgetur: unde fit, ut nautæ necesse habeant iter pedibus conficientes, funibus naves trahere, in quas fluxus multus incursans, nautas vi agit, & retrahit in contrariam partem; metusque & desperatio subit, tanquam non iterum tentandum sit:* F *nonnunquam fluctibus cedentibus ad ipsa saxa crepidinis littoreæ contendunt contra fluctus, firmantes remos ad cautes, & vim maris inhibent auxilio continentis. Postea vero quam coloniæ deductores promontorium Bosporium prætergressi, viderunt magnam multitudinem Barbarici exercitus tenere oram maritimam, in quam descendendum erat, occuparunt locum nuncupatum Estias, vacuum a custodibus, & Barbaris anteverterunt. Fuit enim illis compendiaria navigatio; at Barbaris longus terræ circuitus, ob sinus.*

Demonstrantur autem quædam semitæ, impressiones in saxis cancrorum marinorum pedestri itinere rapidissimum fluxum prætereuntium. Hæc quidem Dionysius recte narrat. Vidi ipse ibi saxa attrita longo cancrorum excursu; ac si non vidissem, a vero remotum non existimassem, cancrorum forcipibus duris posse atteri saxa, cum assiduo pedum attritu formicas excavare silices, viamque facere videamus. Quæ de cancrorum itinere terrestri Dionysius scribit, Ælianus confirmat; sed in qua Bospori parte id fiat, non explicat. *In Thracio*, inquit, *Bosporo fluctus rapidi ex Ponto deferuntur, & angustiis diffringuntur, ut cancros contra venientes facile evertere possint: quod ipsum cancri præsentientes, postquam eo pervenerunt, singuli in sinuoso quodam loco se tenent, simul & reliquos expectant, deinde in eundem locum congregati, adrepentes per præcipites crepidines, in siccum ascendunt, & fluctuum vim evadunt, iter pedibus conficientes. Cum autem hanc violentiam pedibus prætergressi sunt, rursus per crepidines in mare recurrunt.* Adverte non modo hoc promontorium Estias appellari, sed etiam magis proprie maritimam planitiem promontorio clausam, ubi vicus Michaelius, quem Sozomenus situm esse dicit in Estiis nuncupatis, cui consentit Polybius, cum antedictum promontorium appellat τὰ περὶ τὰς Εςίας ἄκρα καλέμενα, quæ Perottus vertit *promontorium Estiæ*: rectius vertisset *promontorium circa Estias*, aut *Estiam*, nisi hunc locum *Estias* in numero plurium appellarent Polybius, Sozomenus, Dionysius Byzantinus. Ex cujus causis, quas affert, cur appellentur Estiæ, verisimilius videtur coloniæ deductores prætergressos promontorium Bosporium, cum vidissent maximam multitudinem Barbarici exercitus tenere oram maritimam, ad quam descendere ipsi constituerant, classem appulisse in sinum subjectum sub planitiem vici Michaelici, quam applicuisse ad ipsum promontorium importuosum.

Ex antedictis jam manifestum est, promontorium Estias esse id, ad quod defertur fluctuum vehemens incursus, quem Græci hujus ætatis Μεγα ρεῦμα proprie appellant, a maximo fluctu totius oræ Europææ: qui etsi promontorio retringitur, longeque & valenter repellitur in contrariam partem, sæpe autem repulsus, sæpius rursus impellitur, urgeturque a contravenientibus fluctibus, ut eorundem a fronte, a tergo, a lateribus repulsorum colluctatio quædam vorticosa videatur, etiam nullis flantibus ventis, qui aliquo promontorio repercussi, atque in se volutati facere solent vortices non modo in terra, sed etiam in mari. Tamen hic tanta est vis decursus præcipitantis Bospori, ut rapido cursu semper deorsum secundum promontorium feratur, ut navigantibus sursum versus partim sit in terram descendendum, navisque funibus trahenda: partim remis adnitendum ad saxeam maris oram.

Neque modo Cancris iter pedibus suscipiendum, sed etiam vidi Hamiarum piscium impetu fluctuoso gaudentium celeritatem retardari: qui etsi hamos maxime internoscere solent, tamen nusquam minus hamorum insidias deprehendunt, quam hic, fluctibus impediti: itaque frequentissimi ibidem capiuntur, reliquorumque piscium greges fluxu retardati pigre ascendunt, ut interdum ex terra, lapide, aut bacillo, aut conto eos ex navi ferias, ac capias: ac si tot, & tantas molas versare posset, quot moletrina collocari possent juxta promontorii radices Orienti objectas, tamen non collocantur, ne impediatur navigatio. Nulla enim navis silentibus ventis sursum navigare potest, nisi ex terra funibus trahatur, aut valenti remigatione impellatur.

Quale autem & quantum sit Estiacum promontorium, quod tantos fluctus efficit, profecto non in magnam aut altitudinem editum, aut latitudinem protensum, sed humili, non latius quadringentis passibus, neque trecentis excelsius, neque circuitu octo stadiorum patentius, duos sinus claudens, alterum a Meridie, alterum a Septentrionibus: illud ipsum duplici valle clausum, altera Michaelica, quæ multo longior, quam promontorium ipsum; altera tam longa, quam id longum existit. Ab ejus radicibus Orienti objectis in longitudinem minus quingentorum passuum protensis clivi saxei attolluntur in altitudinem plus minus ducentorum octoginta passuum: inde jugum planum, non excedens quingentorum passuum longitudinem: in quo constituta sunt moletrina ventis versatilia. Reliquum promontorium totum undique proclivi est, excepta cervice plana quidem, sed quaternorum passuum latitudinem non excedente, qua assurgit in excelsum collem triplici clivo depressum, in passuum altitudinem elatum circiter duum millium, clausum duabus vallibus, una desinente in sinum Michaelium, altera in sinum, in quo postea Dionysius ponit τὰς Χηλάς. In collis summo vertice extat luculenta cisterna, lateritio opere facta, perennem optimamque etiam nunc aquam continens in mediis substructionibus antiqui ædificii dudum diruti, unde videtur tota fere Propontis, & Bosporus a Byzantio ad Daphnen insanam, non impediente excelso promontorio Hermæo, quo ille excelsior existit.

CAP. XII.

De locis nominatis Chelis.

DEINDE adjungit Dionysius: *A promontorio Estiaco fluxus jam navigationem quietam stabilemque efficit. Post Estias sunt* Χηλαὶ, *nuncupatæ a similitudine figuræ: harum quidem alteræ breviores, alteræ majores, ambæ vero portus existunt: apud ipsas templum est Dianæ Dictynnæ.* Hoc loco Dionysius Scalas, sive molis brachia appellat Chelas, a similitudine forcipum sive brachiorum, quibus portuum moles scalæque similes esse solent, sive sint rates in mare projectæ, sive saxa in vadum abjecta, ponticulorum vicem præstantia, quæ Hellenes a figuræ similitudine *Chelas* proprie appellarunt, posteri Græci *Bathra*, Latini *Scalas*, seu gradus nominarunt, ab usu potius quam a similitudine scalarum nauticarum. Hæ ab scandendo dictæ, nihil aliud sunt, quam trabes latæ inclinatæ, in gradusque exasperatæ; illæ vero planæ collocantur, & plano pede adeuntur. Sed tamen ex illis ad naves, quia velut gradus jacitur, ideo jamdudum inveterata consuetudine etiam scalæ nominantur, depravate quidem. Nam primum Χηλαὶ, deinde Χαλα a Græcis jam ignorantibus, quid significent Χαλαὶ, deinde vulgi consuetudine, quæ literas depravare solet, *Scalæ*: ut jam Græcorum vulgus ignoret, quid sibi velint Χηλαὶ, quid Βαθρα, sed duntaxat novit Scalas.

Quam autem celebres olim essent hæ Chelæ, declarant piscatores, qui ex tot oræ Bosporicæ nominibus vix paucula quædam retinentes, medium sinus fluxum Estiaco & Hermæo promontoriis clausum etiam nunc appellant Chalas, quasi Χηλάς, cum tamen in hoc sinu nulla portus brachia, nullæ scalæ sunt publicæ, nisi breves paucis trabibus compactæ, parum in altum projectæ, & quæ excipere duntaxat possunt parva navigia, quibus Rex, Regiique olitores descendere solent

in hortos proximos fontibus perennibus irriguos, virentes ſylvis cupreſſorum, plantiſque fructiferis, ſitos partim in ima vallis planitie deſinente in medium ſinus flexum, partim in ejus clivis eminentibus ſupra ſinum circuitu terreſtri ter mille & ſeptingentos paſſus complectentem, e quibus mille & quadringentos occupant regii horti, maritimam oram attingentes. Scalæ aut molis brachia hic conſtituta non fuerunt ad protegendam portam (templi) a ventis: nam utrimque excelſis montibus clauditur, emittentibus quidem ex ſeſe quinque vallículas in ſinum valde pronas, & minime montis dorſum penetrantes. Sed quod ſinus intimus vadoſus ſit, ideo Χηλαὶ aſtructæ ſunt, ut e navibus in alto ſtantibus pateret deſcenſus ad templum Dianæ Dictynnæ, ſitum in medio ſinus flexu: nam deſcendendi alia quæ cauſa fuiſſet?, niſi templum Dianæ Dictymæ, (Dictynæ, aut Dictynnæ) quod piſcoſi Boſpori permulti piſcatores frequentabant, hac quotidie ſurſum deorſumque tranſeuntes. Non enim, ut quidam exiſtimarunt, venatorum ſolis retibus, ſed etiam piſcatorum Diana præeſt. Non enim video, cur ſi ſolis venatoribus Dictyma faveret, Byzantii illi veteres non ignari, unde Diana Dictyma appellata eſſet, ejus templum ſecundum littus remotum a venatione poſuiſſent.

Cap. XIII.

De promontorio Hermæo, & rapido curſu Boſpori: de Pyrrbia Cyone: de Boſpori ſummis anguſtiis: de ponte Darii.

Mons dividens duos ſinus Chelarum & Phidaliæ clauſus non modo his ſinibus, ſed etiam duabus longis vallibus in hos ſinus deſinentibus, ſupra cæteros oræ Boſporicæ montes ex Europa in Aſiam longe prominens, promontorium velut mucronem procul in Boſporum projicit, ut Boſpori fretum cogat in ſummas anguſtias, ut radices maritimas uſque ad littus pronas propaget in longitudinem excedentem ter mille & quadringentos paſſus, cum ejus cervix interjecta inter ſummas valles, quibus ipſe cingitur, latior non ſit ſeptingentis paſſibus. Ejuſdem litus meridianum, claudens ſinum Chelium, mari quieto alluitur: orientale vero tertio anfractu ex ſeptem decurſibus fluctuum, quos ante dixi facere Boſporum, cum totum fere inquietum, tum maxime duobus locis, primo medium latus orientale tranſverſo impetu circumſonante percutitur: deinde ad ejuſdem lateris finem ſecundum arcem oppoſitam arci Aſiæ appellatam Neon caſtrum, in promontorii mucrone non amplius tranſverſus fertur, ſed rectus præcipitat rapido impetu, ut naves ſurſum navigantes juxta marginem oræ procedere cogat, & mordaciter urgeat, ut ruffus ille canis, a quo Byzantini locum hunc nominarunt Pyrrhiam Cyonem, quaſi malitioſum canem. Laus enim comæ apud antiquos erat ruffus color, ſed Comœdia poſtea hunc in malam partem vertit, ut jam apud Comicos Pyrrhiæ & Xanthiæ appellentur ſervi malitioſi. *Poſt*, inquit Dionyſius, *Dianæ Dictym e ædem turbulent a eſt, & vehementer contento fluxu commota navigatio. Locus autem dicitur* Pyrrhias Cyon, *ut mihi videtur, a ſimilitudine, quam habet mare hoc cum cane. Ut vero plurimorum obtinet ſermo, a cane paſtoritio littus hoc circumcurſante latranteque eos, qui violentia fluctus juxta marginem littoris navigare haberent neceſſe. Ibi quoque meatus freti arctiſſi nus, dirimens duas continentes. Ibidem etiam dicitur fuiſſe Darii tranſitus. Hinc enim Androcles Samius pontem junxit in Boſporo. Hic locus cum alia præbet Hiſtoriæ monumenta, tum ſellam in petra exciſam: in hac enim ajunt ſedentem Darium ſpectatorem fuiſſe pontis, & tranſeuntis exercitus;* quam Dionyſius Δίφρον, Herodotus Προεδρίαν appellat. Omne ſaxum moviſſem, quo Sellam Darii invenirem, niſi arcis cuſtodes non modo pedibus iter facientes, ſed etiam navigantes ſcrutarentur, perennique vigilia hoc littus circumcurſarent ſervi Pyrrhiæ, acerbiores non modo canibus Pyrrhiis, ſed etiam odioſiores Pyrrhæis hominibus, de quibus olim pervulgatum eſt proverbium, ſi quid mali contingeret, deprecabantur Pyrrhæis odio omnium vicinorum execrabilibus. Sella Darii jam non extat, exciſis ſaxis in ædificationes, aut oppreſſis, jacto fundamento arcis totum littus occupantis, quo Darii pons pertingebat. Herodotus non meminit Sellæ Darianæ in Boſporo exciſæ, ſed in Helleſponto ſcribit Xerxi præparatam fuiſſe: qui poſtquam in media Abydo fuit, videre voluit omnem exercitum. Erat enim illic in clivo ſolium prius factum ei aptum ex albo lapide. Id enim fecerant Abydeni Regio mandato, in quo Rex ſedens ſpectavit exercitum, & claſſem. Veriſimile eſt Darium ſedentem in ſolio, ſpectaſſe exercitum tranſeuntem, cum more Perſico reges Perſarum delectati ſint conſpectu exercitus ſui, ut Xerxes Darii filius pugnam etiam navalem commiſſam ad Salaminem ſpectaverit etiam ſedens. Ex Æſchylo, qui in Tragœdia nuncupata *Perſis*, ſic ait:

> Ξέρξης δ' ἀνώμωξεν κακῶν ὁρῶν βάθος.
> Εδραν γὰρ εἶχε παντὸς εὐαγῆ στρατοῦ,
> Υψηλὸν ὄχθον ἄγχι πελασγίας ἁλός.

Itemque hac in re veriſimile eſt, imitatum fuiſſe Xerxem patris Darii rationem, præſertim cum Darius Mandroclem haberet Darianæ gloriæ ſtudioſum, quem eſt vero proximum, in clivo eminente ſupra pontem excidiſſe ſolium, cum is ponte confecto a Dario magnis præmiis affectus, ad vivum depinxerit totum pontem Boſpori, & Regem Darium in regio ſolio ſedentem, ejuſque exercitum tranſeuntem: eaque depicta in Heræo, hoc eſt, templo Junonis, cum hac inſcriptione ſuſpenderit, & dicaverit:

> Βόσπορον ἰχθυόεντα γεφυρώσας ἀνέθηκε
> Μανδροκλέης Ηρῃ μνημόσυνον σχεδίης·
> Αὐτῷ μὲν στέφανον περιθεὶς, Σαμίοισι δὲ κῦδος,
> Δαρείου βασιλέος ἐκτελέσας κατὰ νοῦν.

In edito Herodoti Codice Μανδροκλέης legitur; in quodam manuſcripto Ανδροκλέης, quod nomen Græcis uſitatum eſt & nobile; illud ignobile, & prorſus paſtoritium. Quo loco fuerit Ηραῖον, cui hæc dicarit Androcles, non explicat Herodotus, an id eſſet juxta Boſporum, an illud, quod inter Chalcedonem, & promontorium nuncupatum Acritas ponit Menippus in *Periplo Bithyniæ*; an cum Samius eſſet Androcles, in loco Thraciæ appellato Ηραίῳ a Samiis habitato, an in templo Junonis Samiæ, quod illuſtre Samos Inſula habebat, eam picturam ſuſpenderit. Quod ſi Ηραῖον fuit in loco, ubi Darius pontem junxit, ut veriſimile videtur, miror Herodotum, cum ait: Locus Boſpori, quem ponte junxit Rex Darius, mihi, inquit, conjectanti videtur medius inter Byzantium & Fanum in ore Ponti ſitum, cur non locum nominaverit Ηραῖον. Neque Dionyſius Byzantius meminit, cum cæterorum templorum juxta Boſporum ſitorum meminerit: at neque Hermæi meminit, cum ex Polybio Hermæum alibi eſſe non poſſit, quam ubi eſt Pyrrhias Cyon. *Hermæum Europæ*, inquit Polybius, *in promontorii eminentia quadam, juxta os Ponti, inter Byzantium & Fanum ſitum, diſtat ab Aſia quinque ſtadia, ſecundum locum ſtrictiſſimum totius oris Pontici, qua ajunt*

Darium ponte Europam junxisse Asiæ, cum transiret contra Scythas. Censerem in Polybio legendum Ἡραῖον, potius quam Ἑρμαῖον, nisi omnes Codices Polybii, quos mihi videre contigit, haberent Ἑρμαῖον. Cur vero ita appellatum, nemo scribit, an a templo Mercurii, an a lapidum acervo in viis dubiis consecrato, an a lapidibus quadrangulis Hermæis nuncupatis, quales esse potuerunt stelæ, quas marmoris albi Darius in hoc loco posuit, in una incidens literas Assyrias, in altera Græcas. Itaque recte potuisset Herodotus Darii stelas appellare Hermas: ut Æschines nominat Hermas honoris causa excitatos cum inscripta laude alicujus. Sic enim ait Æschines *contra Ctesiphontem: Dedit populus Atheniensis eis honores magnos, tres lapideos Hermas statutos in porticu Hermorum, atque in singulis inscripsit laudem illorum:* deinde narrat, quid inscriptum in primo Hermarum, quid in secundo, quid in tertio. Denique omnes stelas lapideas, omnes cippos Hermas appellare possumus. Tzetzes nobilis Grammaticus, & qui exactius omnibus Historicis, Geographisque se Bosporum scire gloriatur, hunc locum non appellat Hermæum, sed Heræum: cum ait, *Mandrocles Samius architectus Bosporum Hellespontium navibus junxit, sive circa Damalim, sive circa Hermæum*, idque Herodotum scribere asserit. Equidem fateor Herodotum scribere, ut Androcles, quæ pinxisset de ponte, & Dario, ejusque exercitu, ea suspenderit ad Heræum: sed in quo loco id fuerit, Herodotum declarare nego. Verumtamen non absurde, ut Tzetzem puto conjectasse, Heræum fuisse circa locum, ubi Darius pontem junxit; ita absurdissime ambiguum ponit locum, ubi pons junctus est, esse sive circa Hermæum, sive circa Damalim. Qui si existimasset, ut existimare debebat, Herodotum verum, & diligentem Geographum fuisse, si Herodoti historiam, quam citat, perpendisset, nunquam Bosporum appellasset Hellespontium; non confudisset tria maria, quæ Herodotus tribus nominibus dividit in Bosporum, Propontidem, Hellespontum; nunquam scripsisset Darii pontem junctum fuisse circa Damalim. Damalis enim, sive Bos, locus ex his, quæ antea attuli, & postea afferam, fuit in promontorio Scutarico septem stadia distante ab urbe Byzantio, ubi si pons junctus fuisset, alterum pontis caput aut attigisset Byzantium, aut littus, ultra Peram situm, ubi Bosporus octo stadiis latior est. At ex multis scriptoribus scire poterat, Darii pontem fuisse in angustiis quinque stadiorum: Herodotumque animadvertere poterat, cum ait: *Locus, ubi Darius pontem junxit, mihi conjectanti videtur medius inter Byzantium & Fanum*. Ubi recte scribit Herodotus, qui non ut Tzetzes se scire gloriatur, sed simpliciter dicit se conjicere: ubi revera medius non est, si Herodotus μέσον intelligit in duas æquas partes divisum. Nam cum Bosporus sit longus centum viginti stadia, oporteret locum, ubi pons junctus est, distare Byzantio sexaginta stadia, cum non distet amplius quadraginta quinque stadiis, ut non mihi soli videtur, sed etiam Straboni, qui ab angustiis usque ad Byzantium numerat quadraginta quinque stadia: cui accedit Sozomenus, inquiens, Estias distare a Constantinopoli triginta quinque stadia. Ab Estiis ad promontorium Hermæum conjicio rectam navigationem plus minus esse decem stadiorum: sed Sozomenus non recte Estias dicit esse in medio Bospori freto. Jam ex antedictis deprehenduntur etiam illustres literarum monumentis, im periti fuisse Bospori: in quorum numerum redigere possem Eustathium cum aliis locis, tum eo quod nusquam locum, ubi pontem Darius junxit, nominare audet, cum illi opportunitas frequens data fuerit, præsertim ubi ait, Thracium Bosporum Darium junxisse περὶ πȣ τὸ ἱερὸν στόμα: qui si intelligit sacrum os, ut alii plerique, partem Bospori inter duo fana sitam, longe errat: sin Bosporum totum, profecto præ se fert ignorare nomen loci, ubi pons junctus fuit. Nam quid attinebat addere circa alicubi sacrum os, potius quam circa Hermæum promontorium, ut Polybius clare dicit? Prætereo alia ejus loca, ubi propemodum necessitas eum adducebat, ut nominaret Hermæum; præsertim ubi disputat, quæ pars Bospori existimanda sit strictissima: alios ait existimare, ubi sunt angustiæ circa Anaplum nuncupatum; neque declarat, in quo loco sit Anaplus, cum explicare debuisset se intelligere Anaplum circa Hermæum, aut Estias. Quod si illius sunt etiam Scholia in Dionysium, quæ vidi antiquis literis scripta, tradentia totius Bospori fretum angustissimum esse inter Anaplum & Ciconium, magno beneficio nos affecisset, si nobis explicuisset, ubi Ciconium, ubi Anaplus: quod utrumque cum sit aut ad Estias, aut ad Hermæum, cur abstinet ab eruditis antiquisque nominibus? Nam Jornandi homini Gottho ignosco, tolerabili scriptori rerum Gotthicarum, in quibus tradit Darium navibus a Chalcedonia ad Byzantium tabulatis petiisse Thraciam. Jornandes Bosporum non viderat, at Tzetzes & Eustathius totam fere vitam vixerunt apud Bosporum. Laonicus Chalcondylus in historia, quam scripsit *de bellis Ottomanorum regum*, arcem in Hermæo promontorio sitam, quæ nunc a Græcis appellatur Neon castrum, id est, nova arx, ut proprie nominat Λαιμοκάπιον, quasi Bospori fauces frangentem, ita non recte eam dicit sitam esse in Propontide, cum ex jam dictis constet, illam esse juxta medium Bosporum. Sed ut a quo, & quando hæc arx constructa sit, & qua ratione, ipsum Laonicum audiamus: *Ineunte*, inquit, *vere Mechmetes Amurati filius in Europa juxta Propontidem, ubi ex Asia angustissimus Bospori trajectus est in Europam, ædificavit oppidulum Læmocopien appellatum: hucque Asianis Europæisque coactis, & partibus hujus oppiduli tributim ædificandis datis, celeriter opus confecit. Id autem effecit, ut sibi tutus ultro citroque trajectus esset, & ut ne occidentales homines triremibus se a transitu prohibere possent, resque in Asia innovare: magno etiam usui hanc arcem fore sibi in obsidionem Byzantii prospiciebat. Ædificavit autem turres treis maximas omnium, quas vidimus: duas quidem versus continentem, tertiam versus mare, easque plumbo texit. Muri quidem latitudo crassa est viginti duos pedes: turrium vero crassior triginta pedibus. Post autem quam in hunc modum spatio trimestri hanc arcem ædificavit, statim excurrit solum hosticum. Ineunte hyeme Turachanem misit in Peloponnesum: iterumque ineunte vere Mechmetes exercitum duxit in obsidionem Byzantii, quem trajecit angustias freti, ubi prius in Propontide arcem ædificaverat Læmocopien, quam in hunc diem Turcicum præsidium vigilanter tuetur. A solis Turcis hæc incolitur*, &c.

Jam ex ante scriptis liquet, pontem Darii fuisse in angustiis Bospori juxta Pyrrhiam Cyonem, Hermæumque promontorium; sed in qua parte angustiarum, conjecturæ relinquitur ejus, qui cum judicio vidit Bosporum. Nam intervallum angustiarum ab Europa in Asiam obductum transversum patet circiter quinque stadia: at sursum versus secundum decursus Bospori in longitudinem circiter trium stadiorum directum. Diversus est defluxus Bospori: alicubi enim rapidior, alicubi sedatior: in primo stadio pertinente sur-

sum strictior est, & sedatior; at in aliis duobus stadiis rapidior & vorticosior. A porta enim Neocastri ad finientem latus orientale angulum, quo promontorium Hermæum abducitur in occasum ad sinum Cheleum, fluxus rapidus est & vorticosus, & minus angustus trajectus. Itaque Mandrocles nobilis architectus evitare debuit vortices,& rapidum fluxum. Ultra igitur Neocastri portam pons junctus fuit, non recta via a castro Hermæo procedens ad castrum Asiæ, sed obliqua paulo supra castrum ad locum, quem jam Græci appellant *Cormum*, corrupte quasi *Ciconium*, quod ex Anaplo Dionysii post ostendam, eo loco fuisse, quem nunc appellant Cormum. Darii pontem, quamvis Herodotus non aliter describit, quam duntaxat navibus junctum fuisse: tamen talem, qualem postea Xerxes Darii filius in faucibus Hellesponti junxit. Verisimile enim est, filium secutum patris architectos, tum ratio suadet melius fieri non potuisse a Dario, quam aut a Xerxe in Hellesponti angustiis, aut a Romanis in Rheno, Euphrateque & Tigri: fecerunt hunc ferme in modum. Naves planæ a littore ad littus contrarium, certum intervallum distantes, inter se disponuntur, quarum proræ contra decursum confluentis directæ stabiliuntur ancoris, aut acervis lapidum, virga aut ramo circumtorto circumclusis, in vadum dejectis, ex prora appensis. Supra naves trabes transversæ immittuntur, navigia colligantes & stabilientes, partim inter se, ne collidantur, partim ut axes fusti neant, transitum præbituras: præterea duo validi funes, aut ferreæ catenæ sublimes supra navigia ex utroque latere suspensæ, una paulo supra proram, altera infra puppim succulis contentæ in littore defixis stabiliunt naves, atque tuentur contra ventos: a tergo, a fronte, a lateribus trabes transversæ positæ defendunt.

His præscitis facilius intelligetur dubia & perplexa Herodoti descriptio, cum ait Xerxem, ubi primus pons, qui navibus junctus fuerat in Hellesponto,dissolutus fuit,indignatum trecenta verbera mari inflixisse, duoque vincula ferrearum pedicarum injecisse in mare, ut id tanquam servum constringeret, & pro uno ponte, duos pontes ex trecentis circiter navibus fieri jussisse, ancorisque firmari, ut immotæ manerent, atque a continenti ad contrariam continentem validissimos funes contendisse unguibus ligneis, hoc est, quasi succulis. Equidem ipse primum pontem puto non ancoris, sed lapidum acervis, non catenis, sed funibus stabilitum, tempestatibus dissolutum fuisse. Itaque Xerxem duos pontes postea fecisse trecentis circiter navibus, totidemque ancoris ferreis,duplicique catena ferrea stabiliisse. hocque Græcos poetas, Xerxis hostes, quibus Herodotus interdum seduci solet, designasse, cum tragice exaggerantes trajectum Xerxis, dicunt Xerxem,dissoluto primo ponte trecenta verbera Hellesponto inflixisse, hoc est projectione trecentarum ancorarum Hellespontum tanquam ictu percussisse, & duo vincula ferrearum pedicarum injecisse, id est duplicem catenam, ut apud oppidum nuncupatum Zeugma ex eo, quod navibus ibi pons junctus diuturnus permanserit, duplici catena corroboratus ferrea, quam ab ætate Alexandri ad suam ætatem Plinius tradit extitisse apud Euphratem in urbe appellata Zeugmate,qua Alexander Magnus ibi pontem vinxerat, cujus annulos, qui refecti fuissent, ait rubigine infestatos fuisse: carentibus ea prioribus.

Cum ex Media per Mesopotamiam iter faceremus ad Syriacam Beroam, quam nunc vocant Calep, in arce Byrana sita in Mesopotamia juxta Euphratem, inter Zeugma etiamnum appellatum, & Hierapolim, extabat ferrea catena: eam antiquissimam esse dicebant, quæ cum tot secula illæsa permansisset, paulo post, quam hac exercitus trajectus est,dissoluta est: alii dicebant, metu Persarum, alii avaritia, ferrique attriti vetustate (quo attritissimo, opera quæ dicuntur *Damascena* fieri solent) Turcorum Satrapas adductos, catenam hanc dissolvisse. Quæ, utrum esset illa, quam Plinius commemorat, scire non potui; pervetustam certe conjectavi ex annulo uno, quem vidi Beroæ, vetustissimum quidem, sed pene totum rubigine carentem. Miror Pomp. Melam exaggerantem mirum, atque ingens facinus, Xerxem ex Asia in Græciam peditem maria transgressum fuisse, Ciceronemque in immensum Xerxis trajectum extollentem: *Xerxes*, inquit, *maria ambulavit, terramque navigavit*: idem alio loco: *Maria pedibus peragravit,classibus montes*: cum mare Adriaticum tempestuosum, intercedens inter Hydruntem & Apolloniam, amplius sexagenis millibus passuum latius Hellesponto, pedestri continuari exercitu pontibus jactis primum Pyrrhus Epiri Rex cogitaverit, post eum M. Varro, cum classibus Pompeii piratico bello præesset: sed utrumque aliæ impedivere curæ. Rex Turcorum quoties exercitum trajicit in Asiam, paucis diebus posset Bosporum navibus consternere ponte superimposito, totumque exercitum brevi tempore trajicere, sed utriusque Continentis dominus multos dies consumere potest in exercitu transportando, quem paucis navibus triremium similitudinem gerentibus latis trajicit, ita accommodatis, ut plano pede in navem, velut in pontem ex littore ingrediantur equi.

Cap. XVI.

Περὶ τῦ κλύδωνος ῥοώδυς: *De petra Phidalia, & Portu mulierum, & de loco Cyparode.*

POst Pyrrham Cyonem Dionysius ponit *promontorii in directam altitudinem editi oram maritimam sursum navigantibus arduam & difficilem prætervectis ob violentum coitum utriusque Continentis repugnantem anguste præterfluenti Bosporo. Fluctus enim ebullit effervescitque continuis vorticibus non minus, quam lebes igne subdito effervescere, flammæque excessu ebullire, æstuosoque sonitu strepere solet. Itaque ora hæc a natura sua nominata est* ῥοώδης, hoc est, *fluctuosa*. Ex his Dionysii verbis,tum maxime ex locis antecedentibus, & consequentibus cognosco eam oram esse, quam Græci nunc vulgo appellant Φονῆα corrupte, quasi Φώνημα, a vociferante sono fluctuum, qui ex contrario littore Asiatico rejecti, magno impetu in medium incurrunt latus vergens ad Solis ortum promontorii Hermæi intumescentis in multos tumulos: quorum medio ex latere tumulus impendens in oram maritimam nuncupatam Φώνημα, præcipitibus & directis rupibus propendet usque ad littus, excepta via in rupe humano opere excavata, explanataque.

Locus dictus *Phonema* passus paulo amplius mille(totos fere exædificatos suburbanis ædificiis Læmocopiæ) distat a mucrone promontorii Hermæi: totidem abest a sinu Phidaliæ, & portu mulierum: quem ubi statim ostenderimus illum esse, nunc a Græcis appellatum *Sarantacopam*, sine ulla dubitatione assequemur promontorium ῥοῶδες aliud esse non posse, quam Phonema,cum inter Pyrrhiam Cyonem, & sinum Phidaliæ ad nullam maritimam oram tantopere effluctus resonent,quam ad medium Hermæi promontorii latus: quod etsi a medio usque ad finem sui mucronis decursu Bospori incitato alluitur, nulla tamen promontorii pars tam apertis oculis, quam media percipitur

circum sonare murmure circumfluenti. Ab hac enim parte fluctus refracti resonant, partimque revolvuntur, partim juxta littus deorsum rapidi præcipitant, ut nautæ sursum navigantes necesse habeant navem remorum contentione impellere, & ne deorsum retrocedant, contorum firmitudine ad littoris crepidinem adniti. Hunc fluxum, quem Dionysius tradit in medium promontorii latus effervescere, Polybius dicit in finem lateris ad frontem Hermæi promontorii incurrere: cum ait secundum alia loca decursum Bospori similem esse ob similitudinem locorum, utrinque Bosporum cingentium. Cum autem incurrit in Europæ Hermæum promontorium, ubi ostium Ponti angustissimum non patet amplius quinque stadiis, ubi Darius ponte navibus juncto Bosporum transivit, tum defluxus in angustias coactus, velut plaga accepta a promontorio Hermæo se vertit ad contraria Asiæ loca, at plagam non accipit ab ea promontorii parte, ad quam Darii pons junctus fuit, ubi duntaxat rapidus defertur secundum littus, sed longe amplius mille passibus a medio promontorii latere. At ferendus Polybius, ut communis historicus geographice res ipsas describens, communiter intelligit totum decursum Bospori a medio latere ad finem usque, quem Dionysius topographice & proprie distinguit in duos vehementes defluxus: unum appellat *ἄκρων ῥοώδη*: alterum Pyrrhiam Cyonem. *Deinde*, inquit Dionysius, *promontorium prætergresso occurrit Petra, a natura, non ab hominum manu facta, colore albo, alarum similitudinem aquilæ præ se gerens, & tanquam plantam pedis extendens, atque in alteram partem contrahens velut ludicrum quiddam naturæ omnia imitantis, nominatur Phidalia, quam nescias, dicere ne debeas Insulam, an Continentem: illam quidem ob naturam, hanc vero ob vicinitatem. Quidam ajunt appellatam esse Φαιδαλίαν, ex eo, quod primum in ea piscatio appareat: alii dicunt filiam Barbyssæ fuisse. Cum autem complexu venereo se miscuisset cum Byzante, commotam verecundia stupri, & metu patris, se in mare projecisse, atque periisse. Neptunum autem progenitorem cum misericordia adductum, tum benevolentia sui generis, Continentis magnam partem abrupisse, eamque in profundo defixisse, ac firmasse, posterisque Insulam habitam fuisse sepulchrum Phidaliæ. Sinus ab Oriente interius recedit profundus, & satis capax, brevi Continentis circuitu conclusus. In medium sinum descendit χειμάῤῥους. Is est rivus hybernus: nam summa æstate deficit. In hoc sinu est portus Mulierum nominatus, sive ex eo, quod nihil offenditur neque a mari, neque a continenti: non enim minus a fluctibus maris tutus est, quam a vehementibus ventis, terra protectus: sive ex eo ita appellatus est, quod absentibus viris magnam multitudinem piscium hunc portum ingressam mulieres ceperunt.* Hæc quidem Dionysius. Stephanus vero urbium scriptor aliam rationem adfert, cur Phidalia, & portus Mulierum appelletur. *Circa*, inquit, *nominatam Phidaliam, Mulierum portus est, inter Anaplum & Leosthenium, ubi dicunt Phidaliam uxorem Byzantis, una cum mulieribus usque ad hunc locum eos, qui cum Stræbo fratre Byzantis civibus viris absentibus urbem invasissent, insecutam fuisse, ac vicisse, indeque portum Mulierum nominatum fuisse.* Suidas scribit: *Cum in palatio Heraclius versaretur, appellato Heræo, præfectusque exercitum collegisset, & navigiis pontem in Freti angustiis junxisset, ad littora sinus Phidaliæ trajecit, & per pontem Barbyssæ ad Urbem accessit.* Præter hos nemo meminit Portus Mulierum, nisi Plinius. Sed ex tot portibus Bospori percipere ex Plinio non poteram, neque plane ex Stephano, quamvis tradente illum esse inter Leosthenium & Anaplum: qui cum non doceat, ubi Leosthenium, ubi Anaplus, dubium mihi relinquebatur, quis in tam portuoso, tam sinuoso Bosporo esset portus Mulierum: nisi tandem incidissem in Dionysii Anaplum, ex quo assecutus portum Mulierum esse inter Pyrrhiam Cyonem & Leosthenium (quem post ostendam eum esse, quem jam Græci appellant *Sosthenium*) sine ulla dubitatione assero sinum Phidaliæ, & portum Mulierum, illum esse, quem Græci nostræ ætatis appellant *Sarantacopam*, cum inter Pyrrhiam Cyonem & Leosthenium nullus sinus intercedat, in quem fluvius descendat, nisi Sarantacopeus, ita nuncupatus a ponte ligneo, quadraginta sublicis velut pilis sustentato, passus circiter trecentos longo, quo paludes transeuntur cannis plenæ. Hic sinus portuosior & profundior a Septentrione est, quam a Meridie: procedit ab ortu ad occasum: illius recessus interior paulo amplius octingentos passus circuitu littoreo complectitur. Definit in paludes cannis plenas, in quas medias descendit fluvius ex valle, quæ a medio sinus flexu pergit ad occasum. Utrinque continetur arduis collibus vitiferis, & pomiferis: paulo supra paludes in duas scinditur valles, rectam & obliquam, utramque in multas insinuatam vallículas, omnes refertas vitibus & cerasis. Ex recta valle rivus descendit perennis, spatio millium circiter trium & quingentorum passuum: deinde assumpto exiguo rivulo, sed perenni, defluente ex obliqua valle ad dextram manum sita, defluit in paludes, parvus quidem, sed tamen gurgites habet omni anni tempore piscosos, & fluit perennis etiam summa æstate, contra quam tradit Dionysius, qui profecto hunc perennem dixisset, si tam diligenter eum perscrutatus fuisset, quam alios non perenniores, neque majores, quos perennes esse tradit.

Inde addit idem Dionysius: *Portum Mulierum, continuo subsequitur locus κυπαρώδης, nuncupatus a cypresso arbore. Ad hunc usque diem piscatores nomen retinuerunt. Locum enim, quo finitur flexus cœptus a Pyrrhia Cyone, etsi in vallicula situm, cypressis quidem carenti, & tota consita vineis, Cyparisson tamen appellant, distantem a ponte, quo transiri dixi intimum sinum Phidaliæ, circiter septingentos passus.* Post Cyparodem Dionysius ponit templum Hecatæ super petram, quæ accessu ventorum fluctibus percussa valde resonat. Circum enim ipsam fluctus concitatus diffringitur: hæc vero quantum in se suscipit, tantum rejicit sub crepidinem oræ maritimæ. Piscatores hujus ætatis locum maritimum situm inter Cyparodem & Leosthenium sinum appellant *Triviam*, Latino nomine, ignorantes Hecaten Græcum nomen, longa Romani Imperii consuetudine aliquot Latina nomina usurpare assuefacti. A vallicula Cyparode quadringentos passus progressus sum ad alteram valliculam, ex qua usque ad portum Mulierum totum littus excelsum est, atque præruptum & saxeum, in quo fere toto videntur fundamenta antiquorum ædificiorum. Inde amplius octingentis passibus confectis per oram maritimam leniter pronam perveni ad imam tertiæ valliculæ planitiem, a qua circiter ducentos passus abest sinus Leosthenii initium.

CAP. XV.

De Sinu Leosthenio.

Sinus Leosthenius ab ortu Solis ad occasum porrigitur in passuum longitudinem circiter mille & quadringentorum. Ejus latitudo varia. Prima enim in ostio patet in latitudinem paulo minus quatuor stadiorum; media non patentior duobus

duobus ſtadiis : deinde ſenſim coarctatur in ducentos: poſtremo in ſinu intimo centum non attingit. Ex tribus partibus excelſis collibus cingitur: itaque undique ab omnibus ventis tutiſſimus eſt, etiam ab Oriente flantibus. nam ſolſtitiales repellit cornu lateris dextri eminens in ſinus aditum: reliquos Orientis ventos, ut debiliores, facile frangit ora Boſpori Aſiatica, quæ editis collibus continetur: ac ſi in medium ſinum vallis intimum penetrat, tamen ad portum non adſpirat ventorum vis, ob flexiones vallium objectuſque collium, quibus fit, ut etiam in medio ſinu navigantibus is ex parte vallis clauſus eſſe videatur. Valde portuoſus eſt, ut naves admittat uſque ad marginem littoris, ob profundam altitudinem, ejuſdem latus dextrum, quod ſitu differt a latere ſiniſtro: nam ſiniſtrum ab oſtio in longitudinem circiter mille paſſuum habet littus excelſum, præceps & præruptum, inde per longitudinem quadringentorum paſſuum planitiem intermittit anguſtam quidem, ſed hortis & ædificiis plenam. Dextrum latus planitiem maritimam habet, ædificia admittentem, hortoſque, quod a Græcis habitatur frequenti vico, tam ferme longo, quam ipſum latus longum eſt. Turci intimum receſſum accolunt frequentiori vico, ſito in maritima planitie vallis ab ortu Solis ad occaſum excurrentis, cujus ima planities in pratorum paſtiones diffuſa, cincta utrinque collibus vitium, aliarumque arborum fructiferarum feracibus: a ſinu progreditur librata paulo amplius bis mille & ducentos paſſus, nuſquam ſtrictior centum paſſibus, neque latior ducentis, in duas inde valles dividitur, utraſque tantundem fere longas, ex quibus rivi deſcendunt, qui ſimul conjuncti, omni anni tempore perennes per mediam vallis planitiem defluunt in medium ſinum intimum, emittentes profluentem in alveo anguſtiore, exiguum quidem, (ut qui ſumma æſtate circulum implere poſſit haud multo patentiorem circuitu ſeſquipedali,) verumtamen major eſſet, niſi ex ejus fontibus opere ſubterraneo ad hominum potiones & lavacra deduceretur in vicum Leoſthenium, per quem medium fluvius partim ſalſus delabitur, auctus ex receſſu ſinus octo paſſus in latitudinem patens ſcaphis tutam ſtationem præbens. Sed ut & ſinus & fluvius magis perſpicui & clari fiant, afferam ea, quæ de his Dionyſius ſcribit. *Poſt templum*, inquit, *Hecatæ ſequitur Laſthenes, appellatus a viro Megarenſi Laſthene, ſimilis ſinui nuncupato Cornu. Eſt intimo receſſu paluſtri, & promontoriorum eminentia, & profunda altitudine, quantum magna cum parvis licet conferre, ad introitum ſtrictus eſt, procedens autem valde dilatatur: tranquillus & tutus eſt, circumdatus montibus, quibus velut muris munitur contra ventos, in quem deſcendit quidam fluvius perennis quidem, ſed navibus inacceſſus. In hoc loco Amphiaraus ex oraculi divino præcepto colitur.* Dionyſius introitum ſinus appellat receſſum intimum, cum tamen introitus rectius appellaretur oſtium, adituſque, quo Boſporus ingreditur in ſinum, & quo navigantes introeunt in portum. Sed in hac re ille ſimilis videtur magnis ſcriptoribus, quos ante dixi introitum Boſpori appellare exitum, oſtiaque fluminum vocare capita. Quem Dionyſius appellat Laſthenem, Stephanus Leoſthenium nominat. Leoſthenes notum & nobile nomen: Laſthenes ignobilius eſt, & minus notum. Itaque mihi potius Leoſthenes, aut Laoſthenes legendus videretur, niſi etiam Laſthenem, hoc eſt, ſaxeo robore præditum, dici poſſe ex Plinii colligi poſſit codice, habente *Caſthenem*, pro *Laſthene*. Quidam Byzantini hodie appellant *Sthenion:* alii *Soſthenium*, utrique depravate: in eodem errore ſunt recentes ſcriptores, inter quos eſt Leontius Scholiaſticus, aut qui hanc inſcriptionem ſcripſit in Leontii verſus:

Λεοντίυ Σχολαςικȣ͂ εἰς εἰκόνα
ὀρχηςρίδος ἱςαμένης ἐν τῷ
Σωθενίῳ.

Εἰμὶ μὲν Ελλαδίη Βυζαντίας, ἐνθάδε δ᾽ ἔςἡν
Ηχι χοροςασίην εἴαςι δῆμος ἄγει.
Οππόθι πορθμῷ γαῖα μερίζεται ἀμφότεραι γὰρ
Αντυγες ὀρχιθμȣ̀ς ᾔνεσαν ἡμετέρȣς.

Quod autem Dionyſius Leoſthenium ſinum ſimilem eſſe dicit ſinui Cornu appellato; recte addit, qua re ſimilis ſit, nempe profunda altitudine, circumcluſione montium, receſſuque paluſtri: at figura diſſimilis videtur. Ille enim ſimilis cornu cervino, hic bubulo, quod non depravate a medio retorquetur paululum in lunatum mucronem, cujuſmodi nonnulla habentur, quibus pulverem machinæ bellicæ milites geſtare ſolent. Jure igitur Leoſthenium appellare alterum Boſpori cornu poſſumus. Nam poſt ſinum Chryſoceras maximus ſinus Leoſthenius, & tutiſſimus portus totius Boſpori maxime ſinuoſi & portuoſi cenſendus eſt. Solus Plinius meminit portus Senum, oram Boſpori Europæam perſequens hoc modo: *In Boſporo*, inquit, *ſinus Laſthenes, portus Senum, & alter Mulierum*. Qui ſi rectum ordinem ſervat, Laſthenes ſinus eſt portus Senum, cum inter Laſthenem, & portum Mulierum nullus portus ſit, præſertim ſi honorifice appellatus eſt ex eo, quod ſenili conſilio uti viderentur, qui ad eum undique tutum appellerent; ſive ridicule ita nominatus, quod debiles nautæ etiam navigia infirma eo applicare poſſint. Dicaces enim Boſporani nonnulli, nihil cedentes Leoni, aut Paſiadi Boſporianis, quos perfacetos habitos fuiſſe legimus. Sed hæc conjectura non minus incerta, quam Plinius incertus in perſequendo recto ordine locorum. Quod ſi portum Senum conjiciamus eſſe ſinum divi Demetrii, ex eo, quod claudatur promontorio nuncupato Sene marino: at hoc incertum. Quod ſi ea de cauſa eum putemus appellatum, qua Chii portus, cujus Ælianus meminit: (*In Chio*, inquit, *ad portum nominatum* Γερόντων, *magnus cicurum eſt piſcium numerus, quos Chii ad ſolatium ſenectutis exacta ætate affectos alunt;*) adhuc dubium erit, in quo Boſpori loco ille fuerit. Quamobrem cum ſententiam meam fluctuantem nullis ancoris retinere queat portus Senum, hunc non minus incertum, quam Plinium, qui illum introduxit, relinquo; meque ad Dionyſium, velut ad Helicem nautæ, dirigo, certiſſimum Boſpori circumnavigatorem omnium ſenum, qui Boſporum navigarunt jam inde a ruinis Severi, qui Byzantium & Boſporica loca evertit, longiſſima caligine circumfudit. A dextro cornu ſinus Laſthenici ſeptingentos paſſus progreſſus ſum, uſque ad rivum hyberno tempore fluentem, per vicum magnum, quem Neochorion appellant, ex eo quod recenter habitari cœptus ſit. Ex cujus rivo procedens mille & quingentos paſſus, inveni flexus angulum, quo littus pergens ad plagam Septentrionum vicinam ortui ſolſtitiali incurvatur ad occaſum ſolſtitialem. Hunc angulum piſcatores jam appellant *Commarum*, cum tamen jampridem hujuſcemodi arbor nulla ibi extitiſſe dicatur; ſed fuiſſe olim liquet ex Dionyſio.

CAP. XVI.

De Commarode, & Bacchiis petris, & Thermemeria: & de portu Pithеci, & sinu appellato Pharmacia.

POST *Lasthenium*, inquit, *Commarodes existit, a sylva Commarorum nominatum, mari fluctuoso verberatum. Post Commarodes consequitur littus editum, asperum, cautesque concavæ ex mari eminentes, quas antiqui Bacchias nominarunt, ex eo, quod circum ipsas concitato motu fluctus furere & bacchari videntur. Hic Demetrium Philippi ducem exercitus cum vicissent Byzantii,* Θερμημερίαν *nominarunt locum a re ipsa, quæ contigerat. pugnam enim navalem illius diei magna solertia, & summo ardore pugnaverant. Sub oram autem prominentem subit, & succedit sinus, in quo est portus Pithеci, quem ajunt Regem Barbarorum hunc locum accolentium a Steropeo una cum suis filiis ducem extitisse trajectionis in Asiam. Huic continens est ora prærupta & præceps, deinde consequitur littus inclinans in sinum nominatum* ἄδιον καλὸν, *quem circuit littus & mare exiguo spatio contractum, ut continens quidem natura existat; at aspectu Insula esse videtur. Inde statim succedit sinus nuncupatus Pharmacias, a Medea Colchide, quæ in hoc loco reposuit Pharmacorum arculas. Est autem pulcherrimus & commodissimus ad piscationes, & ad naves appellendas aptissimus. Etenim usque ad marginem littoris profundus, a ventisque maxime tutus habetur. Piscium multitudinem ad se allicit. Sylvæ autem densæ, & profunda nemora omnis generis, & prata impendent, velut arbitror, certante terra cum mari. Ejus circuitus adumbratur sylva imminente in mare, per quam mediam in sinum descendit fluvius sine strepitu fluens.* Pharmaciam locum illum esse, quem nunc Græci appellant *Therapiam*, paulo infra ostendam, quam declaraverim, quo jam nomine appellentur, & quo siti loco sint Pithеci portus, & sinus vocatus ἄδιος καλός. Hos cum esse constet inter Commarodes & Pharmaciam subjiciam, quale & quantum littus interjectum sit inter Commarodes & Pharmaciam: (hoc enim littore cognito percipiemus facile, in qua littoris parte illi politi fuerint ab angulo flexus, qui incipit a loco Commarode) Secundum oram Bospori præruptam & præcipitem mille & ducentorum passuum processus feci usque ad vallem, quam Græci *Libadion*, id est, *herbidum locum* appellant: nunc pratensis non est, sed totus vineis consitus: fuisse tamen antea dictitant, ignari λιμένα Πιθήκη traductum fuisse in Libadion, vulgi consuetudine, soliti ea quæ non intelligit, traducere ad similia sibi nota. Sed vocent Græci jam, ut libet, tamen alibi, etiamsi nomine careret, esse non posse, quam secundum vallem Libadicam, percipio ex eo, quod inter Commarodes, & Pharmaciam nullus sinus manifestus existit, nisi Libadicus, leniter curvatus, profundus, & portuosus usque fere ad marginem littoris, duobus promontoriis præruptis, & præcipitibus interclusus. Sinum intimum attingit ima vallis Libadicæ planities, lata passus circiter ducentos, in qua olim vicum fuisse apparet ex ruinis fundamentorum. Jam explorato perceptoque portu Pithеci, percipiuntur inter Libadicam vallem & Commorades extitisse saxa illa, & cautes, quas Bacchias appellavit antiquitas: quæ sit tot & tantæ nunc non extant, quantæ traduntur a Dionysio, id attribuendum vel avaritiæ, vel inopiæ hominum, qui ut exigua impensa servorum ædificent, saxa ex latomiis non eruunt, sed agrestes cautes, non modo cæmentitiis operibus ineptas, sed etiam abhorrentes a calce, ex omnium littorum crepidinibus & præcipitiis exscindunt ad structuram vilium ædificiorum. A Valle Libadica littus excelsum & abruptum paulo plus mille passus excurrit ad vallem, quam appellant *Linon*, sitam prope sinum Pharmaciam, cujus maritima planities ducentorum & sexaginta passuum latitudinem complet. Olim habitatam fuisse ostendunt permulta ædificiorum fundamenta.

Vallem subsequitur promontorium, dividens sinum vallis a sinu Pharmacia, quod in centenum passuum latitudinem suam radicem agit, sub qua existit Insula, seu potius scopulus in multa saxa divisus, in passuum longitudinem circiter centum sexaginta, ab ortu solstitiali ad occasum brumalem porrectus: distat a Continenti quadraginta passus, circumdatus mari vadoso, genu tenus alto: a Græcis appellatur *Caterго*, hoc est triremis, a similitudine, quam præ se gerit, triremis. Hoc scopulo & promontorio super scopulum impendente ab occasu solstitiali clausus sinus, sub vallem *Linon* subjectus, ab ortu brumali cinctus promontorio præcipiti, & pene directo ille ipse est, quem Dionysius nominat ἄδιον καλόν: id quod percipitur cum ordine Anapli Dionysiani, tum situ exiguæ insululæ, qua clauditur. Adeo enim exiguo maris spatio ea separatur a Continenti, ut cum natura sit insula, aspectu videatur Continens. Temporibus Dionysii insulam non fuisse, sed visam fuisse, patet ex ejus verbis, cum ait: *Littus id, quod claudit sinum* ἄδιον καλόν, *adeo contractum fuisse brevi maris spatio circumdatum, ut cum natura esset Continens, aspectu insula videretur:* nunc a Continenti abscissa est, vel temporis longa vetustate, vel potius hominum opere, omnia saxa, vel deformissima, in viles ædificationes exscindentium.

Atque ut clarius noscatur sinus Pharmacias esse, quem hodie appellant Therapim, subjiciam, qualis sit. Ab ortu æstivo ad occasum æstivum, in passuum longitudinem circiter septingentorum procedit, varia latitudine. Nam a faucibus ad medium in passus laxatur paulo plus trecentos: a medio ad intimum recessum astringitur in plus minus ducentos: ambitu littoreo amplius mille & quadringentos complectitur. Profundæ altitudinis est a latere pertinente ad Septentriones, & navium capax usque ad oram maris: littus Meridianum magna ex parte vadosum & præruptum, undique a ventis tutum est: a Meridie quidem excelsis collibus, quorum ultimus efficit promontorium, quo sinum ἄδιον καλὸν ante dixi sejungi a sinu Therapico: ab omnibus ventis septentrionibus atque solstitialibus illum protegit promontorium peninsulanum, ab una parte freto Bosporico ex altera clausum sinu: undique proclive, excepta cervice, & medioctri dorso, in quo statuta sunt moletrina vento versatilia. Ex eodem paulo ante eminebat turris, olim Pharus navigantibus, quam a Turcis everti vidi. Promontorii mucro in tria latera declivem radicem in passuum latitudinem agit sexaginta; editur in altitudinem centenum passuum: inde dorsum molliter assurgit. Ab Occidente, etsi sinus leniter aperitur valle, tamen hæc postquam ab intimo sinu in planitiem centenum pedum processit, in duas dividitur valles objectu collis, qui valles recurvat, ne directi venti deorsum descendant in sinum. Ex altera valle fluvius, omni anni tempore perennis, defluit in medium sinus recessum. Æstivo tempore existit ea magnitudine, qua fluvius Leosthenicus. Vide ejus fontem, ab ostio, & sinu distantem paulo amplius mille & quadringentos passus, ab æstivo occasu ad Solis ortum similiter æstivum per vallem decurrit angustam, ex qua nascitur, sed non ex summa:

nam ea ultra fontem altius assurgit. Jam etsi colles vallesque sinum Therapicum cingentes, nemorosi non sunt, ut tradit Dionysius eos esse, qui claudunt Pharmaciam, sed exculti vineis, & cerasis consiti, aut ubi hæ desunt, ericis tecti, tamen sinum Pharmaciam alium esse non posse, quam Therapicum, cum ex antedictis intelligi potest, tum ex consequentibus locis Anapli Dionysiani, a quibus ad Commarodes nullus sinus est, in quem descendat fluvius aliquis, neque in quem conveniant cætera, quæ tradit Dionysius: nimirum solus inter sinum Leosthenium, & Bathycolpon, paulo ultra sinum Therapiæ situm pulchritudine portus, & copia piscium excellit. Quod autem sylvæ densæ, & profunda nemora non circumsepiant sinum Therapicum, ut Dionysius scribit circumsepire Pharmaciam, id agricultura accidit, non natura loci. Nam olim cum eodem ex Dionysio noverimus, totum sinus Ceratini littus sylvis tectum fuisse, nunc a nemoribus nudum, videamusque oram Bospori Asiaticam, sinui Therapico oppositam, nemoribus vestitam, quis dubitat, quin littus Bospori Europæum fuerit nemorosum, similiter ut Asiaticum, non ob aliam causam sylvestre, quam quod abhinc centum annos agricultura vacat, conversum in saltus venationum regiarum.

Sinum Pharmaciam appellavi Therapicum, a vico sito in ejus littore, quem Græci jamdudum nominat *Therapiam:* ex eo, arbitror, quod vulgus Græcorum aliter venenum appellare nescit, quam Pharmacum, quod venenatum, & expiabile nomen mutarunt in expiatum & salutare, ne nautæ portum optimum detestarentur, execrarenturque ut venenum, ut *κάθαρμα*. Erat enim Pharmacum olim tale, si deorum indignatione fames, aut pestis, aut alia quæpiam calamitas urbem apprehenderet, hominem omnium deformissimum in urbis laborantis expiationem ad victimam ducebant, ipsique pro hostia statuto de manu dabant caseum, offam, ficus, quem tanquam Pharmacum ubi septies scillis, & ramis ficuum agrestium concidissent, igne ex agrestibus lignis facto, cremabant, ejusque cineres ad expiandam urbem laborantem projiciebant in mare. Itaque non sine causa commutatum nomen arbitror, etiam intercedente regis decreto, cujus maxime intererat nobilem portum vindicare ab infami nomine. Nam nisi regio jussu, difficile videtur pertinaciter dicacem nautarum nationem abstinere potuisse a tamdiu inveterato nomine mordaci, idque perniciosum acerbumque salutari nomine mitigasse, præsertim mulierum precibus male audientium, ob Medeæ cistam ibi depositam, ut male in hunc diem audiunt Thessalæ mulieres ob cistam Pharmacorum, quam fugiens Medea abjecit in Thessaliam: neque modo nomine Medeæ, sed etiam re ipsa in hunc diem male audiunt, ut Pharmacides. Equidem cum perlustrarem Thessaliam, incidissemque in panegyrim totius Græciæ maximam celebrari quotannis solitam mense Majo apud vicum nuncupatum *Moscolurum*, non longe distantem a Pharsalia, percontatus sum ab hospite, num essent in Thessalia Pharmacides: qui affirmabat nonnullas esse, quæ edere crederentur non minus mirabilia, quam illa, quæ de Thessalis mulieribus tradit Lucanus.

Cap. XVII.

De saxis, & cautibus littoris excelsi, prærupti, præcipitisque, & de clavibus Ponti: de petra nominata Dicæa.

PHARMACIAM, inquit Dionysius, *subsequuntur saxosa littora, & præcipitia in mare impen-* A *dentia, velut visionis flexamina: ex eo, quod oculis flexibilem aspectum objiciant. Aperitur enim Pontus, tectus eminentibus promontoriis, nullo amplius impediente verum aspectum. Quod enim crebro finis esse videtur, idque rursus invenitur principium, postea maris latentis visio conciliat fidem rei, quæ non credebatur. Illa autem saxa, & cautes littoris nominarunt* Κλεῖδας καὶ Κλεῖθρα τοῦ Πόντου, *hoc est, claves, & claustra Ponti. Jam prætergresso Claves aspectus magis quam Ponti adest petra in acutam verticem fastigiata, nucis pineæ similitudinem gerens, quæ Dicæa, id est, Justa nominatur, ex eo, quod triremibus navigantes in Pontum mercatores duo apud hanc* B *petram deposuissent aurum, pacti inter se, non prius alterum illud esse sublaturum, quam ambo simul ad petram convenirent. Altero pactionem prætergresso, sermo hominum habet, aurum delituisse, recusante petra impiam fidem socii perfidi, quousque simul ambo eo convenientes depositum acceperunt. Petræ autem præmium remansit, hujus justitiæ nomen.*

Quantopere res humanæ inter se differant felicitate memoriæ & posteritatis, cum ex urbibus & libris antea animadverteram, quorum non meliores, sed bonum genium sortiti pervenerunt ad æternam posteritatem, tum nuper consideravi ex petra Dicæa, cujus historia usque ad hanc diem reman- C sit in memoria & sermone Bosporanorum, cum memoria aliorum nominum longe nobiliorum funditus interierit. Nunquam cognovissem petram Dicæam, nisi forte incidissem in sermonem piscatorum de petra in littore sita narrantium historiam, quam narrat Dionysius de petra Dicæa, quæ ubi & qualis sit, postea dicam, quum ostendero, unde incipiunt aperiri Claustra Ponti. Supra littus saxosum, & rupibus crebrum, quas velut radices in mare projiciunt clivi prærupti & præcipites a Therapia progressus sum quingentos passus, usque ad vallem, quam Græci hodie appellant *Dialithra*, D corrupte, quasi τα Κλεῖθρα. Ab hac valle aperiri incipit Pontus, sensimque latius panditur ulterius pergentibus. Ima hujus vallis planities maritima, nunc est plena vineis, olim ædificiis: ut ostendunt rudera non modo parietum, sed etiam columnarum marmorearum. Hanc ipsam vallem mille passus prætergressus exigua semita vix unius hominis capace, transversa inter directos & præcipites clivos eminentes supra littus arduum & saxeum, perveni ad locum appellatum *Brologenem*, unde mihi rectus Bospori canalis usque ad Pontum perspiciebatur, & simul tota porta Ponti aperiebatur; atque Pontus ipse tantum patens, quantum E porta retegebat, longe prospiciebatur recta via petere locum, ubi juxta petram Dicæam subsidebam in clivo, quod in altitudinem circiter centenum passuum ex mari editum erat. Inde paululum recreatus surrexi ad considerandam petram, an esset illa Dicæa, quam describit Dionysius. Circumspexi eam passus circiter sexaginta ambitu complecti; ipsamque dimensus sum a latere supernos clivos suscipiente, erigi in altitudinem duodenum pedum: a contrario latere despiciente mare, dimidio altiorem esse. Cum ex mari suscipitur, similis est nuci pineæ, non F modo lateribus, sed etiam vertice in multos mucrones leniter fastigiato, pineorum nucleorum similitudinem gerentes. Quo enim longius remotam prospicis, eo propius accedere videtur ad similitudinem pineæ nucis: nam longo ex intervallo conspicitur: etiam ultra Cyaneas ex Ponto eam assequebar desinere in verticem acutum. In hanc petram cum ascendissem, ex ejus summo vertice vidi foramen in altitudinem concavam deprimi penitus abditam, penetrans latus petræ, despiciens ad mare, quod imum velut fundum pertusum

fuisse videtur ab hominibus longa auditione opinantibus ex superno foramine aurum penitus abditum fuisse.

Jam Bosporani hanc petram nonnulli dicunt esse illam, in quam aurum abditum fuit. Alii ajunt, sub hac ipsa fuisse alteram petram huic similem, sitam in littore, undique mari circumdatam, sed ante paucos annos, quam huc venissem, a servis Ænobarbi Turcicæ classi præfecti incitatis auri cupiditate, quam hauserant ex sermone hominum, aurum ibi delitescere, excisam in fragmentaque dissectam fuisse, quam piscatores soliti erant appellare *Brologenem*, adjunguntque unum ex ejus excisoribus oculum amisisse ex rejectione cæmentorum petræ, nomen justitiæ, usque, arbitror, ad interitum retinentis. Verum ut petram exciderint, semper versabitur sermo, illic thesaurum absconditum fuisse, ut longe antea versatum fuisse arbitror, quam a Dionysio petra hæc diceretur similitudinem gerere pineæ nucis. Nam, ut quidam scribunt, Lampsacum urbem Hellespontiam, prius *Pythyam* appellatam, ex eo, quod Phrixus thesauros hic posuerit (Thraces enim thesaurum πυθύλω dicunt) in petram Dicæam primum *Pythyam* nominatam fuisse, quam amissa antiqua cognitione Thracicæ linguæ posteri ignorantes *Pythyn* a thesauro nuncupatam fuisse, postea fortasse petram στροβιλοειδῆ dixerunt esse, ex eo, quod στρόβιλος sit ἡ πίτυς, καὶ ὁ καρπὸς αὐτῆς.

CAP. XVIII.

De sinu nuncupato profundo, de fluvio ejusdem nominis, & Saronis ara: de agro nominato Calo.

A DICÆA petra littus recedere in sinum incipit introrsus in profundum angulum, qui convertit, circumscribitque primum anfractum Bospori: hunc sinum Dionysius appellat Bathycolpon. *Prope*, inquit, *petram Dicæam nuncupatus* βαθύκολπος, *is est sinus profundus, non tam circumscriptione sui intimi recessus perpulchri, & in profundam latamque arenam porrecti, quam magna altitudine maris. Clivi enim ardui & præcipites vicini proximi sunt oræ maritimæ. Fluvius in sinum exit, cui idem, quod sinui nomen est. Hic existit Saronis herois Megarici ara, & jactus piscium sibi idoneo & maturo tempore conferta, & continenti natatione primo sursum, deinde deorsum Bosporum commeantium maris altitudine deceptorum.*

Hunc Megaricum heroem arbitror esse illum Saronem deum marinum, qui nauticarum rerum scientiæ præesse existimatur, a quo Megaræ vicinus sinus Saronicus appellatur: cujus ara facilius ut cognoscatur, ubi sita fuerit, & qualis sinus sit nuncupatus Bathycolpos, subjungam littus, quod sub petram Dicæam succedit: a qua quingentos passus discedens, imam vallis attigi planitiem, quæ panditur in passuum latitudinem quadraginta, ubi vestigia quædam ædis divæ Euphemiæ spectantur. In littore ultra vallem ducentos passus est fons Euphemiæ sacer, perenni rivulo scaturiens, lateritio opere concameratus. A fonte octingentos passus progressus sum ad petram mari circumdatam, paululum ex aqua extantem, quam piscatores *Trapezam* appellant, ex eo quod tanquam mensa plana supra aquam emineat. Ab hac Trapeza brevi decurso spatio est profundæ vallis ima planities, intimum Bathycolpi recessum claudens, montanam finiens oram maritimam, quæ a Commarode incipit pergere ab ortu brumali ad occasum solstitialem, saxea, montosa, in quam impendent ardui clivi, per quos transversos iter fit male tutum obliquis semitis exiguis,

A valde a littore altis, ex quibus permultis sine præcipiti casu ne transversum quidem pedem discedere licet. Bathycolpos ad similitudinem quandam anguli normalis accedit, quo Bosporus prius pergens, ad occasum ferme brumalem flectitur, ad ortum hyemalem normæ similitudinem gerens, non modo alveo, sed etiam utraque ora angulum normalem efficiens, inter Bathycolpon & promontorium in contrario littore situm, quod mucrone intus recurvato angulum Bospori interiorem agit. Bathycolpos in exteriorem anguli partem incurvatur. Hic sinus etiam olim appellari potuit Saronicus, sive ab ara Saronis in eo statuta, sive a B querno nemore, quo olim redimitus erat. Saronem enim antiqua Græcia quercum appellabat, unde Saronicus sinus & Saronidæ Philosophi Gallorum, alio nomine Druidæ appellati. Aram Saronis jam constat esse in littore Bathycolpi, sed in qua sinus parte, etiam ex verbis Dionysii consequentibus assequimur. *Paulo*, inquit, *sub promontorio Saronico situs est* καλὸς ἀγρός. Ob utramque commoditatem terræ & maris a natura nomen habet. Usque ad hanc ætatem nomen retinet: senes enim antiqui καλὸν ἀγρὸν, juvenes καλὸν ἀβρὸν appellant agrum, qui claudit Bathycolpon.

C Quo cognito, percipimus, aram Saronis fuisse in promontorio intercedente inter Trapezam & maritimam planitiem vallis claudentis intimum recessum Bathycolpi, in quem medium descendit fluvius Bathycolpus, a sinu nomen adeptus, per latam vallem, quam Turci appellant alii *Biutere*, quasi magnum nemus, alii *Biudere*, quasi magnum fluvium, quod olim a Græco nomine transtulisse videntur. Græci jam nesciunt ubi sit Bathycolpos, sed Turcico nomen appellant *Biudere*, aut καλὸν ἀγρόν. Is hodie qualis sit, quantusque fluvius Bathycolpus, ut facilius percipiatur, describam vallem continentem Boni agri maD ximam partem, per quam mediam fluvius Bathycolpos defluit in sinum sui nominis. Hæc ab ortu Solis æstivo ad occasum æstivum procedit: cujus ima planities librata patens septingentos passus in latitudinem, primum a mari pergit pratensis in passuum longitudinem circiter octonum millium, cincta utrinque collibus vitiferis, & frugiferis: inde insinuatur in multas valliculas nemorosas, ipsa tota nemorosa, circumsepta collibus sylvestribus, ubi vagantur greges cervorum & aprorum. In valle intima ac penitus abstrusa sunt regii horti, quos irrigant rivuli perennes E ex summa valle in unum alveum coeuntes, altis ripis coercitum, & densis arboribus circumvestitum, ut introrsus perspicere nequirem. Itaque fortasse primum Bathys appellatus nomen dedit sinui, sive a profundo alveo, sive a profunda valle, recedente in profundos saltus excelsis roboribus obscuros, ex valle Bathycolpo longe lateque porrectos ad Pontum usque, atque ad fontes Barbysæ, & Cydari agrestium animalium venationibus refertos. Fluvius Bathycolpus exiguam paludem prope ostium efficit, omni anni tempore perennem: etsi ipse summa æstate usque ad mare perennis non fluit, ex eo quod partim in F regis hortos, partim in prata consumitur, partim privatur rivo manante ex summa valle desinente in vallem Bathycolpon derivato, opere subterraneo ad usum vici Turcici juxta sinum siti, cui vicinus est alter vicus explicatus in passuum longitudinem circiter duum millium, maxima ex parte a Græcis habitatus. Totus tractus continens hos duos vicos, & vallem Bathycolpon, collesque impendentes, nunc vulgo καλὸς ἀγρος appellatur, idque recte: abundat enim ex terra frugibus fructibusque, ex mari piscium multitudine, ut nus-

quam in toto Bosporo piscatio luculentior exerceatur, densis piscium gregibus in hunc sinum aberrantium anniversariis transitionibus: quas quotannis bis factitare solent; primas sursum verno tempore, alteras deorsum ineunte hyeme.

CAP. XIX.

De promontorio Simæo, & sinu Scletrina: & de aris Apollinis, & Matris deorum.

A BATHYCOLPI valle trium millium & quadringentorum passuum ora maritima progressionem habet ad vicum, quem etiam nunc Græci nominant *Scletrinam*, situm in sinu, quem a Meridie claudit promontorium, sub quo piscatorum speculæ tres in littore defixæ sunt; singulæ duobus tignis constantes in excelsum excitatis, quæ intercipiunt & jungunt trabes crebræ immissæ ad facilem ascensum speculatoribus præstandum. Id promontorium Dionysius appellat Simam. *Post*, inquit, *καλὸν ἀγρὸν est Simas promontorium, & Veneris meretriciæ statua. Simam enim quandam habet hominum sermo valde pulchram & ingeniosam, & solertem hunc locum incoluisse, de prætranavigantibus merere solitam stipendia Veneris*. Hanc primum existimo appellatam Simætham: deinde, ut vulgus contrahere solet nomina, Simam a Simætha meretrice Megarica, nobilitata amore Alcibiadis, & versibus Aristophanis, cum inquit:

Πόρνην δὲ Σιμαίθαν, ἰόντες Μεγάραδε,
Νεανίαι κλέπτουσι μεθυσοκότταβοι.

Megarenses enim, qui Byzantium coloniam deduxerunt, cum alia Bospori loca nobilitarunt nominibus suorum nobilium civium, tum hoc promontorium illustrarunt sua nobili Simætha, a qua multas postea meretrices Byzantias, ut ab urbe Megara oriundas, appellatas fuisse Simæthas, vero proximum videtur.

Ad hæc Dionysius adjungit: *Promontorium nuncupatum Simam prætergressos excipit Scletrinas sinus, nescio utrum ex asperitate sylvestris terræ, an ne a flumine in seipsum descendente, atque etiam succedunt Aræ Apollinis, & Matris Deum: & brevi intervallo ad Pontum navigatio*. Promontorium Simæthicum a Meridie continens Scletrinam sinum, radices maritimas agit in passuum longitudinem quingentorum, a quibus imi clivi eriguntur in ascensum præcipitem trecentorum passuum: inde æquior ascensus existit ad verticem, quo vallis Bathycolpica dividitur a valle Scletrina. Hæc quidem a fluminis ostio, ab ortuque æstivo proficiscitur in passuum longitudinem circiter duum millium: inde flectitur ad Septentriones, intervallo duorum plus minus milliarium, cujus ima planities partim pratensis & vitifera, partim cerasis consita, quæ, quantum oculis æstimare potui, non minus patet, quam quadringentos latitudinis passus, in longitudinem mille passuum. Inde vallis coarctatur, circumsurgentibus montibus arduis, adeoque proclivibus, ut ejus latus meridianum ascendi solitum sit longis anfractibus, vestitum profundis sylvis, cervos, apros, aliasque feras adumbrantibus, continuatis cum nemore Biutericæ vallis. Latus claudens vallem a Septentrionibus præcipites quidem imos clivos habet, superos vero longe remissiores, præsertim ubi metallorum secturæ eminent. Flumen Scletrinas a summa valle oritur; post ex ejus lateribus augetur rivulis cum aliunde manantibus, tum maxime a lateris meridiani clivis, continentibus tria Monasteria solivagorum hominum, sustentata præcipuo vectigali, quod colligitur ex cerasis, inter se parvo intervallo distantia; e quorum fontibus tres rivuli, omni anni tempore perennes in Scletrinam delabuntur, singuli implentes fistulam ferme quincuncialem. Sed etsi multis rivulis perennibus augetur, summa tamen æstate ejus alveus exarescit, ex eo quod alicubi absorbetur terra arenosa & rara in longitudinem quatuor stadiorum: deinde in longitudinem octingentorum passuum existit usque ad ostium, & vicum Scletrinam secundum mare situm, ubi exiguam paludem cannis plenam efficiens, duobus ostiolis in mare exit, quæ ambo efficerent ea magnitudine fluvium, qua existit Pharmacicus.

CAP. XX.

De Amilto, seu Milto promontorio, & Fano Byzantiorum: de Serapio, & templo Phrygiæ deæ.

A VALLE Scletrina perrexi mille passus ad vallem nuncupatam Cerasiam, a cerasis, in hujus maritima planitie consitis, patente in ducentorum latitudinem passuum, totam vitiferam. Ab hac progressum feci sexcentorum passuum ad alteram vallem, quæ maritimam planitiem habet non latiorem ducentis passibus, vitium tamen feracem, arborumque fructiferarum. Huic valli succrescit promontorium, quod Dionysius appellat *Amilton*, jam Græci nominant *Tripition*, nescio an a Tripode Apollinis, cujus aras Dionysius in sinu Scletrina paulo ante posuit. Mons ipse, qui Tripition promontorium longe in Bosporum emittit, hinc clauditur valle posita contra fanum Jovis, illinc valle Scletrina, a qua sensim suas maritimas radices projicere & flectere ad Solis ortum incipit, ut ejus promontorii mucro, & Simæum promontorium efficiant latiorem sinum Scletrinam: inde paulatim ad Septentrionem flectitur in vallem Jovis fano oppositam, mille & septingentos passus circuitu maris arenosi, & vittis quibusdam in vado distincti complectuntur promontorii Amilti radices directæ, præruptæ, præcipites, ut via nulla pateat in littore, sed in clivis arduis semita duntaxat humano opere explanata, quæ non minori complexu maris circumeuntur, nec minus in Bosporum projiciuntur, quam radices promontorii Hermæi. Duas angustias illæ efficiunt, unas obliquas ad promontorium fani Asiatici, alteras rectas ad promontorium Argyronium in littore contrario situm, quas nonnulli piscatores dicunt proxime accedere ad angustias Fani, quod obliquum habet, ac si recta e regione oppositum esset Fano Jovis, angustiæ Fani tribus stadiis astrictiores, aut profecto non laxiores essent. Sub promontorium Amilton subit vallis opposita Fano Asiæ, dividens collum Fani Europæi ab ipso promontorio Amilto, quæ post breve longitudinis intervallum, quam suam imam planitiem mare attingentem explicuit in latitudinem plus minus quadringentorum passuum, coarctatur in duas valles angustas & nemorosas objectu collis intermedii, quarum altera claudit a Septentrionibus montem, ex quo projicitur promontorium Amilton: altera superiorem collis partem Fani Europæi: nam inferiorem hujus partem claudit planities vallis nondum in duas valles divisæ. Collis hic triplici declivitate propendet, una ad Solis Ortum, altera ad Meridiem, tertia ad Occasum. Siquidem ipsum a lateribus cingunt valles præcipites, & pene directæ, a fronte vero Bosporus, in quem ille ipse collis demittit dorsum in omnem partem proclive, eminens supra Bospori angustias sitas inter duo fana, inter se quidem opposita, & Bosporum in summas angustias cogentia, aliquantum differentia. Nam Fanum Asiaticum situm est in promontorio extra cæterum littus Asiæ projectum in Bospori fretum,

submittens dorsum ab Oriente ad Septentriones: at Europæum Fanum positum est in colle emittente dorsum a Septentrionibus ad Meridiem, impendente quidem in Bosporum, sed non projiciente suas radices extra oram maris antecedentem & consequentem. Nam antecedens longe altius projecta est a vicino promontorio Amilto: consequens vero attingens vallem, & radices collis Fani Asiatici, æqualis, & par longe cum subsequenti progreditur. In collis clivis vergentibus ad Solis ortum, & Meridiem, oppidulum situm fuit, quod Dionysius appellat πολίχνιον, Polybius, *Serapion*, Strabo, *Fanum Europæ Byzantiorum*, Græci hodie appellant ἱερὸν ῥωμελίας, ex eo, quia situm sit in ditione Europæa, quam nominant ῥωμελίαν. Illius muri amplius decem stadia circuitu complectuntur, ut patet ex ipsorum fundamentis, quæ anno, antequam hæc scriberem, fere tota extabant, humiliora quidem paulo supra terram, at excelsiora in altitudinem viginti pedum etiamnum eminebant: sed eorum maritimam partem adeo funditus everti vidi, ut ne substructiones quidem reliquerint. Muri per clivos sic excurrebant præcipites, ut totum ipsum oppidum valde propendebat, excepta Acropoli, sita partim in clivis, partim in collis cervice brevi & plana in xx. circiter passus coarctata, utrimque vallibus collem cingentibus. Inde cervix paulatim assurgit in excelsum verticem montis, unde Constantinopolis videtur; in quo quidem vertice veterem Pharum fuisse, postea ostendam ex Dionysio. Ut enim collis Fani emittit angulum quoquoversus declivem ad suas radices eminentes supra Bosporum, ita oppidum projiciebat mucronem undique proclivem, partim oblique eminentem supra vicum, quem nunc vocant Bostnicum a Bostnis eum incolentibus, partim recta impendentem supra angustiarum Bosporicarum portum, quem Græci appellant *Mauram molem*, hoc est, nigram, a Ponto Euxino proximo, quem Græci jam aliter appellare nesciunt, quam Mare Nigrum; contra Aristotelem, qui censet Pontum Euxinum albiorem esse Mari Ægæo, ob fluminum multitudinem Pontum ingredientium. Sed Græci nautæ magis perspexerunt cœli conditionem, quam colorem Ponti. Is enim frequenti caligine circumfundi solet, ut non modo littora vectores, sed ne gubernator quidem in puppi stans proram videre queat. de quo recte Valerius Flaccus:

Illic umbrosæ semper stant æquore nubes,
Et non certa dies.

Ita enim Cimmerii longe lateque tenebras spargunt in Pontum, ut Constantinopolis interdum caliginibus circumfundatur. Nostrates ex antiqua fama Pontum Euxinum recte vocant Mare Majus. Heroicis enim temporibus simpliciter Ponticum pelagus, ut quendam Oceanum arbitrati sunt. Qui illud usque adnavigabant, non aliter in exteriora ingredi maria credebantur, quam qui extra Columnas (Herculis) progrediebantur. Quamobrem proprie Pontum appellavere, sicut Poetam intelligimus Homerum.

Portus Mauræ molis subjectus erat sub Fanum Europæum, portu naturali carens, qualem habet Fanum Asiaticum. Idcirco Byzantii, cum nollent se invitis quenquam in Pontum navigare, oram sub Byzantiacum Fanum subjectam, portu carentem, quo astrictius obsiderent angustias, molibus munierunt, ut earum ex uno brachio in Bosporum amplius octoginta passus Romanos projecto, catena extenderetur usque ad littus Fani Asiatici, ut invitis Fanis nemo navigare posset in Pontum. Itaque adhuc *Commercii Scalas* appellant ruinosas moles etiam nunc extantes. Illic enim olim portorium persolvebatur. Catena etiam hac ætate asservari dicitur in arce Fani Asiatici. At moles jampridem diminuta erat, sed tamen paulo supra aquam extabat. At nuper avaritia quorundam Barbarorum infinita saxa inde asportata sunt in ædificationes suas, magno damno navigantium, qui jam non vident illius cæca fundamenta sub aqua delitescentia.

Sed quid sentiat Dionysius de promontorio Amilto, & de oppido Fani Europæi, ipsum loquentem audiamus. *Post*, inquit, *Scletrinam existunt Milton promontorium nominatum, a similitudine coloris, atque contigua domus cujusdam navarchi, & littus arduum directumque & præcipitium ad Solis ortum inclinatum. Circa autem ipsum est mare tæniis distinctum, & Fanum cunctum contra frontem Fani Asiatici situm. Ajunt hic Jasonem litasse duodecim diis. Hæc Fana sunt oppidula juxta Ponti ostium posita. Est etiam templum Deæ Phrygiæ sacrum, illustre & publice cultum.* Ex his Dionysii verbis cognoscimus, etiam tum Fana fuisse oppidula, ut ex vestigiis murorum usque ad hanc diem percipitur. Strabo Fanum Europæum appellat Fanum Byzantiorum; Asiaticum vero Fanum nominat Chalcedoniorum: amboque dicit pari intervallo distare a Cyaneis. Polybius scribit, cum rediret Jason a Colchis, sacrificasse duodecim diis in loco Fani Asiatici, siti contra Serapion Thraciæ: ex quo patet Serapion fuisse apud Fanum Europæum. Cujus non meminisse Dionysium, significare videtur, Polybium & Dionysium non eadem ætate vixisse. Dii duodecim hi habentur, Jupiter, Juno, Neptunus, Ceres, Mercurius, Vulcanus, Apollo, Diana, Vesta, Mars, Venus, Minerva. Templum Phrygiæ deæ, matris deorum, Rheæ nuncupatæ, in clivis debuit potius esse, quam in maritima planitie, ex eo, quod montibus gaudeat, ideoque ὀρεία appelletur, & turrita dea: quia olim arces, quibus Rhea patrocinatur, in montibus sitæ essent, ob loci robur. Rheam habentem caput turritum, mulieres Cilices, & Turcicæ, & Mysiæ imitantur, ferentes capitis tegmen, turris similitudinem gerens. Itaque illius templum mihi fuisse videtur in his locis, ubi hodie duæ ædes sacræ sunt, altera divi Nicolai, altera divæ Mariæ. Jasonem excitasse aras Rheæ verisimile est, cum duodecim diis in contrario littore excitaret, præsertim Argonautis Rheam maxime venerantibus, ut cujus statuam constituissent in Dindymo monte eminenti supra Cyzicum: item aliis locis, ut apud Phasim. Arrianus ait in sinistro latere Phasim ingredientibus statuam fuisse deæ Phasianæ, quam ipse Arrianus Rheam existimavit fuisse, ex figura. Nam manibus gestabat cymbala, & leones sub throno habebat, in quo Rhea sedebat, ut Athenis in æde Matris deorum, quam a Jasone similiter statutam fuisse colligo, ex eo quod Arrianus ait, in loco, in quo fuit Rheæ ara. Fuit etiam anchora lapidea Argous, qua Jason profectus est ad Colchos. Illam vero quam statuit apud Bosporum, similem conjicio Phasianæ Rheæ & Dindymenæ: nam Dindymena similiter leones habebat, quam Constantinum Magnum in forum Byzantinum, una cum leonibus, Zosimus tradit traduxisse.

CAP. XXI.

De Chrysorrhoa fluvio: de secturis metallorum: de Pharo antiqua.

A VALLE cingente Fani collem, amplius mille & sexcentorum passuum ora maritima processum facit ad vallem, in qua summa est ædicula Mariæ Virginis, quam vocant *Castaniotam* a sylva castanearum circumvigentium, in qua est

fons facer, perennem etiam summa æstate rivum emittens per vallem angustam, & juxta ripas maxima ex parte inaccessam. Hic rivus ille est, de quo Dionysius, postquam commemoravit Fanum deæ Phrygiæ, sic ait: *Post hæc Chrysorrhoas fluvius per angustam & aditu difficilem vallem a tergo positam delabitur leni fluxu, arenam auro similem deferens: circa hunc secturæ sunt, & terræ fossiones, & cuniculi acti ad scrutandas metallorum venas, antiquorum virorum opera, scrutantium divitis terræ facultates. Paulo ultra fluvium sunt nuncupata Chalcæa, locus vicinus mari fluctuoso quidem, sed tamen piscoso: nominatus est ab ære metallo. In summo vertice collis, secundum quem descendit Chrysorrhoas,* B *existit Timæa, turris admodum excelsa, circumspecta, & permulto mari illustris, ad salutem navigantium excitata. Utraque enim Ponti pars caret portubus naves excipientibus. Nam maris insedati & turbulenti littus longum in neutram continentem flexiones habet. Ex hac turre faces ardentes noctu sublatæ perferebantur, rectæ viæ ad Ponti ostium duces. At Barbari verarum facium fidem auferebant prætendentes ex Salmydessi littoribus fraudulentas faces, ut in errorem nautas inducerent, in naufragiaque subducerent. Ora enim maritima importuosa est, &* C *maris vadum ob excessum aquarum anchoris non firmum, & paratum his, qui aberrarunt a recta via, naufragium, signis veris confusis cum falsis significationibus. Jam vero lucernam extinxit tempus omnia consumens, & turrim magna ex parte dissolvit.* Ex his Dionysii verbis cum cetera Ponti littora assequimur, tum maxime Salmydessi esse importuosa; Thracesque naufragiorum deprædationibus maxime deditos esse. Dionysio consentit Xenophon, cum ait Græcorum exercitum, cujus ipse dux esset, accessisse ad Thraces, qui incolunt Delta regionem sitam supra Byzantium: deinde Salmydessum pervenisse ad ea littora e mari in brevia, & quasi æstuaria quædam impactas naves quamplurimas in Pon- D tum venientes frangi, easque Thraces prædari, divisis inter se littoribus, columnarum positione per intervalla erectarum. Nam antequam id fieret, inter eos de præda cædes plurimæ fiebant. Equidem a Bosporo obivi pedibus ad Salmydessum oram Ponti importuosam, longe lateque apertam septentrionibus ventis: in medio itinere vidi locum, quem Xenophon appellat *Delta*; cæteri scriptores *Delcon*, sive *Delconem*; hodie nominant *Dercon*: id oppidum est, quod ab urbe Byzantio abest iter pedestre unius diei. Ex tribus partibus clauditur lacu dulci, nisi cum tempestatibus mare incitatum E exiguo Euripo intromittit, a quo piscis *Delcon* appellatur ab Athenæo commemoratus: is qualis sit, in nostris Piscationibus informabitur. Inde rediens ad Cyaneas, vidi navem nigra caligine Ponti aberrantem ab ostio Bospori in littus importuosum, aquilonibus impulsam collidi, naufragosque omnes vectores incolumes enatare in littus; Thracesque accolas opem naufragis ferre, a prædaque se abstinere, sive olim longa Romani Imperii consuetudine mansuefactos, sive nunc coercitos acerba severitate dominantium.

Ex antedictis jam liquet, Pharum antiquam ostii Pontici non ibi fuisse, ubi nunc est juxta Cyaneas F petras, imo longe interius in summo montis emittentis collem Fani vertice eminente supra vallem, per quam defluit Chrysorrhoas fluvius, unde longe lateque patet Pontus, & Bosporus, & Propontis, & Constantinopolis. Locus enim nullus commodior & tutior fuisse videtur ad Pharum efferendam in altum, quam hic, omnibus verticibus Bosporanis excelsior, vicinus Fano Europæo sub ipsum subjecto, unde defendi poterat contra Barbaros hostes Phari, quam prope Fanum olim fuisse Philostratus significat, atque adeo ostendit expressa pictura, quam sub oculos postea subjiciemus, cum ad Fanum Jovis perveniemus: aut si Pharus non extitit in vertice collis eminente supra latus meridianum vallis Chrysorrhoæ, certe eminuit supra latus cingens eandem vallem a Septentrionibus; idque ex his, quæ postea affert Dionysius, conjectura assequimur. *His*, inquit, *ante commemoratis locis proximus succedit Phosphorus locus, qui vel a Diana, vel a vicina antiqua Pharo cognomen traxit. Huic adjunctum & continens longum littus, vocatum est Ephesiorum portus, a multis navibus Ephesiorum huc appulsis.*

CAP. XXII.

De portu Ephesiorum, & de Aphrodisio: de portu Lyciorum, & de Myrleanorum domicilio.

POST *Ephesiorum portum*, inquit Dionysius, *est Aphrodisium, formidabili tectum præcipitio. Hunc post, est portus Lyciorum: is subarenosum littus & sterile habet, in parvo ambitu valde bonus & firmus, tutusque est. Super hoc est Myrlæum, domicilium eorum, qui ob seditionem a Myrlæa in exilium projecti huc solum verterunt.* Cum ex Dionysii descriptione, tum ex his nominibus in hunc diem retentis, perspexi Ephesiorum portum esse, vel eum, quem Græci jam appellant *Magnum Aphosiatin*, vel eum, quem *Parvum* nominant *Aphosiatin*, vel utrumque angusto promontorio divisum. Græci usque ad hanc diem *Myrelium*, vel *Myrilejum* appellant, sinum quidem parvum, sed portuosum, ac primum totius Europæi littoris Bosporici, intrantibus ostium Ponti. Quo cognito, intelligo portum Ephesiorum alium esse non posse, quam eum, quem vulgo nuncupant Aphosiatin. Nam a promontorio, quod a Septentrionibus claudit vallem Chrysorrhoæ, usque ad portum Myrilejum, nulli portus sunt, nisi Aphosiatis magnus, & parvus: hi cujusmodi sint, jam designaturus sum. Littus ferme rectum procedens, quod intercedit inter vallem Chrysorrhoæ, & promontorium dividens magnum Aphosiatin a parvo Aphosiate, pedibus obire non potui, propter mare contingens imos montium clivos valde pronos: sed quatenus oculis assequebar, octo stadia superare non videbatur. Promontorium, quod a magno dividit parvum Aphosiatim, inter utrumque portum patet in latitudinem passuum circiter ducentorum. Totum saxeum existit, rupibus paululum sinuosis eminens in mare directis ad perpendiculum more muri, ex ea præsertim parte, quæ attingit parvum Aphosiatim directa præcisa in semicirculum, in conum velut turris in tectum fastigiata. Ab hoc promontorio paulo amplius mille passus usque ad promontorium ab Aquilone claudens magnum Aphosiatin, littus sabulosum procedit in formam arcuatam. In hunc valliculæ etsi desinunt, a ventis tamen non minus tutum ipsum præstant, quam colles: non enim dorsum montis penetrant, atque etiam commodiorem descensum in portum præbebant villis, quas olim fuisse in supercilio vallium apparet ex fundamentis ædificiorum, ubi fontes perennes.

Promontorium, quo dixi claudi hunc sinum ab aquilonibus, excelsum est, undique præceps, & præruptum, & quod pedibus juxta littus circuiri nequit, ter tanto projectius in mare, quam promontorium dividens magnum Aphosiatin a parvo Aphosiate. Inter portum magni Aphosiatis, & Myrilejum sinum, intercedunt plus minusve mille & quadringenti passus, quantum metiri potui, incedens in dorso montis per semi-

tas pastorum, densis dumetis implicatas. Nam clivi excelsi a supercilio ad littus præcipitibus rupibus abrupti subsident, ut nulla via pateat: a Meridie clauditur promontorio toto saxeo, quod ab exteriori parte habet cavernosas rupes alte sonantes, cum sunt tempestates, ut præternavigantes ignari putent tormentorum bellicorum sonitum esse: ab interiori parte sinum attingente admittit cavernas, e quibus una longa est plus triginta passus, utrinque præcisa ad perpendiculum, cujus ima depressio tantundem patet, quantum summa labra. In hoc promontorio etiamnum extant vestigia quædam antiquorum ædificiorum, reliquiæ domicilii Myreleii. In Dionysiano Codice legendum puto potius *Myrleium*, quam *Myreleium*: nusquam enim reperio Myrleiam, sed Myrlæam urbem Bithyniæ, postea appellatam Apameam. Myrleanus igitur sinus ab occasu insinuatur in vallem, per quam descendit fluvius in sinum ortus a vertice collis eminentis supra vallem Chrysorrhoæ, in quo dixi antiquam Pharum olim fuisse, & a fontibus pergit, a Meridie ad Septentriones in longitudinem circiter quatuor milliariorum: inde ad Orientem procedens circiter octo stadia ingreditur sinum Myrleanum. Omni anni tempore fluit liquidus, & clarus: quo factum est, ut sinus hic sæpe a diversis habitatus fuerit, primum a Thracibus Phineo Regi subditis, deinde a Lyciis, postremo a Myrleanis, unde sinus appellatus Lyciorum, deinde Myrleanorum. Profundus est, & magnarum navium capax, undique fere tutus: ab ortu Solis contra se habet sinum vulgo nominatum Dios sacra: ejus saxa sunt obscure cyanea, uti sunt totius Bospori viciniora Ponto.

Jam vero ubi fuerit Aphrodisium, quod ex Dionysio ante posui inter portus Ephesiorum & Lyciorum, id existimo fuisse propius portum Lyciorum, quam Ephesiorum. Ut enim Ephesii Dianam colentes verisimile est Dianam Phosphoron posuisse prope portum Bosporanum, Ephesiorum dictum; ita Lycios existimo statuisse prope portum sui nominis statuam Veneris, quam cultu eximio prosequebantur, ut Lyciorum Reginam versibus decantatam Procli Lycii Philosophi. Prope enim Myrelium formidabilia præcipitia, quorum ima pars subsidet, & subducitur, summa projicitur, ut domorum projecta tecta, quibus statua araque Veneris, ut ait Dionysius, tegebatur. Itaque rectius interpretandum putavi Dionysium, cum ait: Επ' αὐτῷ λιμένι Λυκίων Μυρίλειόν ἐστι: *Supra hunc portum Lyciorum est Myrelium*: quam si interpretati fuissemus: *Post hunc portum Lyciorum est Myrileium*: nam tum Lyciorum portus esset magnus Aphosiatis, & Aphrodisium fuisset in promontorio, quod parvum Aphosiatim a magno dividit: at ibi Aphrodisium non tectum fuisset formidabili præcipitio. Illud enim non ab imo subducitur, neque a summo projicitur, sed dirigitur ad perpendiculum.

CAP. XXIII.

De Gypopoli, & de aulis Phinei, & Amyci Bebrycis.

PROMONTORIUM, quod a Septentrionibus claudit sinum Myrleium, totum saxeum, & parum latum existit, ut quod in passuum longitudinem plus minusve, latitudinem passuum non excedat aliam ducentorum, aliam trecentorum. Ex tribus partibus mari, aut flumine circumdatur, a Meridie quidem sinu Myrlæano, & flumine. Illius mucro non latior ducentis passibus cingitur Bospori angusto canali: at ab Aqui- A lone jam latioribus primis faucibus Bospori clauditur. Ab hujus quidem promontorii mucrone progressus paulo amplius sexaginta passus, vides ejus latus vergens ad primas Bospori fauces, & Pontum rupibus excelsis, præruptis propendere directis a summo promontorii vertice ad imas radices mare attingentes, quæ recessus admittunt parvos, refertos ingentibus saxis, abruptis, ex antiqua ruina desinentes in speluncas prominentibus rupibus tectas, quarum una vergens ad Solis ortum in omnes partes patet XXV. passus: eam olim arbitror Thracum agrestium latronum domi- B cilium naturale fuisse, priusquam ædificia incolere assuefacti essent. Olim majores speluncas fuisse ostendunt crebra ingentiaque saxa ante speluncas projecta, ab impendentibus ruinosis rupibus abrupta longa temporis vetustate. Nam veteres Thraces ex latrocinio viventes externorum adeo crudeles hostes fuerunt, ut de suo in externos odio cognomen dederint Ponto non modo inhospitalitatis cujusdam, sed perpetui odii sine exceptione omnem peregrinationem præcidentis, ἄξεινον omnes appellarunt, Sophocles ἀπόξεινον, Lycophron κακόξεινον, cum ob ejus navigandi difficultatem, tum ob ejusdem accolas Barbaros, qui Bos- C porum sic clausum tenuerunt, ut Poetis materiam dederint fingendi, petras Cyaneas inter se concurrisse, easque ante Jasonem nunquam apertas fuisse. Hoc interpretari possumus utrinque latrones Bosporum totum olim Cyaneas appellatum accolentes intercepisse navigantes in Pontum, commodioremque juxta Bosporum sedem habere non potuisse ad obsidendas Ponti portas, quam hunc locum situm in primis faucibus Bospori habentem speluncas saxeas naturales, quales tempora illa postulabant, quæ alibi in toto Bospori littore Europæo nullæ aliæ sunt, quam hæ, habentes proximum fluvium perennem & potabilem, tantum- D que, quantus nullus longo intervallo reperitur: non Scletrineus, qui propinquior est, non cæteri omnes littoris Europæi majores defluunt in Bosporum. Quamobrem miror Dionysium hunc præterisse, cum alios minores, & toto anno minime perennes, haudquaquam præterierit. Hæ rupes suis radicibus ad mare adhærescentes eminent supra mare in longitudinem mille passuum præcisæ, directæ ubique inter se continentes, excepto exiguo sinu intermedio, ex quo ascenditur in jugum promontorii depressum inter rupes utrinque eminentes multis projectionibus, subsidentesque multis contractionibus in multos E vertices fastigiatas, ut castella quædam agrestia præternavigantibus esse videantur, turribus elata, aspectu horrido & plane Barbarico. Non uno lapide illæ constare videntur, sed multitudine lapidum inter se compactorum, terra cyanea conversa in saxa fragilia, vetustate inter se cohærentia, cyaneo quidem colore, sed aliquantum vario; alia enim obscuriora, alia dilutiora. Has rupes arces Phinei pulchre describit Dionysius. *Post*, inquit, *Myrileum*, *est Licnias*, *forsitan nominatus*, *sive ex eo*, *quod ad similitudinem cunarum concavus sit*, *sive ex eo*, *quia secundum imas suas partes undique suam projectam eminentiam di-* F *latat*. *Apud hunc locum est collis saxeus nuncupatus Gypopolis*, *cognomen adeptus*, *sive ab immanitate Thracica & Barbara*, *agrestique*: *ajunt enim hic habitasse Phineo Regi subjectos*, *crudelitate plurimum eminentes*: *sive etiam appellatus est Gypopolis*, *ex eo*, *quod Vultures frequentes apud hunc locum versari gaudeant*. Hæc quidem Dionysius. Posset item appellari Gypapolis per alpha ἀπὸ τῶ γύπων, ἤγουν τῶ αἰγυπιῶν. Num vero hæc, an alia quædam vicina fuerit aula illa, decantata quidem

dem ſcriptis multorum antiquorum, ſed recentium omnium ignoratione obſcurata, ad quam Phineus Jaſonem, cæteroſque Argonautas excepit ex his quæ quam mox ſubjungentur, conjicito.

Aſclepiades quidem & Didymus narrant Jaſonem navigantem ad Colchos, cum veniſſet ad regionem Bithynorum, exceptum fuiſſe a Phineo in ſuam aulam. Sed hæc an fuerit in Aſia, an in Europa, dubia videtur, ex auctoribus duplicem tradentibus Bithyniam, unam Europæam circa Salmydeſſum in Thracia conſtitutam, alteram Aſiaticam; Phineumque omnibus Thracibus, etiam Aſiatius nuncupatis Bithynis imperaſſe: nec dubium tollunt, ſcribentes Phineum habitaſſe circa Salmydeſſum, Phinopolimque fuiſſe inter Salmydeſſum & Cyaneas. Unde quibuſdam aula fuiſſe videtur, in qua Phineus excepit Jaſonem, ut mihi etiam videretur, niſi extra Boſporum ab omnibus Geographis conſtitueretur: niſi fortaſſe Plinio, qui eam interdum conſtituere videtur intra Boſporum, cum ait: *Inde fauces primæ, ubi Phinopolis oppidum fuit*. Sed alio loco ſecum diſſentit, cum oram Thraciam inceptam ab Iſtri oſtiis ad Boſporum perſequens narrat *Thynniam*, *Salmydeſſum*, *Develton*, *Phinopolin*: *Sed a Boſporo Laſthenes*: ex quo quidem ordine verborum excludit a Boſporo Phinopolin. Quamobrem Phinopolis extra Boſporum ſita non fuit aula Phinei, in qua excepit Jaſonem Phineus. Nam ſi uſque ad Phinopolim Jaſon navigaſſet, jam prætergreſſus Cyaneas, non neceſſe habuiſſet petere conſilium a Phineo, qua ratione Cyaneas præteriret. Verum aulam Phinei fuiſſe juxta Boſporum inter Cyaneas, interque aulam Amyci Bebrycum Regis, a nemine certius intelligere poſſumus, quam ab Orpheo antiquiſſimo, qui unus ex Argonautis fuit, a quo omnes didicerunt, ſi quid veri de aula Phinei ſcripſerunt: verum in qua parte Boſpori, intelligere non poſſumus, niſi prius cognoverimus, ubi fuerit aula Amyci. Utraſque juxta Boſporum, illam in Europa, hanc in Aſia fuiſſe, ex Orpheo & Apollonio aſſequi potuiſſet Plinius & Hermolaus, ſi diligenter utroſque perpendiſſet. Sic enim Orpheus ait, cum Argonautæ præternavigaſſent Cyzicum Rhyndacem, veniſſe ad Cion, locum ſitum juxta Propontidem, inde tum ſolviſe.

Αλλ᾽ ὅτε πρὸς μεσάτην ἠῶ φέρεν ὠκέας ἵππους
Ηέλιος, κραιπνὸς δ᾽ ἐξ ὄρεος ἔπνεεν οὖρος,
Εν δ᾽ ἔπεσ᾽ ἀργενναῖς ὀθόναις, Τῖφυς δ᾽ ἐγεγώνει
Νηὸς ἔσω περάαν, θινὸς δ᾽ ἐκ πείσματα λύειν.
Οἱ δὲ κυβερνητῆρος ἐφημοσύναις ἐπίθοντο.

Paulo poſt.

Αὐτὰρ ἐπ᾽ ἠῶοι λυγρὴν ἐπεράσσαμεν αἶαν,
Ενθ᾽ Αμυκος Βερβύκεσσιν ὑπερφιάλοισιν ἄνασσεν.
Οςε πανομφαίου Ζηνὸς θέμιν οὐκ ἀλεγίζων,
Αθλον ἐπὶ ξείνοισι περικτιόνων ἀνθρώπων,
Οςις ἐπὶ ςαθμοὺς, ἠδ᾽ ἀςεμφῆ δόμον ἵξῃ,
Θήκατο πυγμαχίης ὑπερόπλου πειρηθῆναι.
Τὸν μὲν ἄρ ἤϊςωσε βίῃ κρατερὸς Πολυδεύκης,
Τύψας ἀπροσφάτως κεφαλὴν σκληροῖσιν ἱμᾶσι.
Λαοὺς δ᾽ αὖ Βερρύκων Μινύαι χαλκῷ κατένηραν,
Ενθάδ᾽ ἀφορμιθέντες, ὑπ᾽ εἰρεσίῃ δὲ καμόντες,
Βιθυνῶν τὸ μέγα ἄςυ πλατείῃ κέλσαμεν ἀκτῇ,
Σπένδοντες προχοαῖς, ἠδ᾽ ἐν νιφάργεσιν ὕλαις,
Εσπεροι αὐλισθέντες ἐφοπλισσάμεθα δόρπον.
Ενθα τότ᾽ αἰνόγαμος Φινεὺς ὑπερήνορι θυμῷ
Δοιοὺς ἐξαλάωσε γόνους, προβλῆσι πέτραις
Θηρσὶν ἑλὼν πρoὔθηκε γυναίων εἵνεκα φίλτρον.

Deinde paulo infra ait:

Αὐτὰρ ἐπεὶ Φινῆος Αγηνορίδαο λιπόντες
Αὖλιν, ὑπὲρ μέγα λαῖτμα θαλάσσης ἐξικόμεσθα
Αγχοῦ Κυανέαις πέτραις, ἅς μοι ποτὲ μήτηρ, &c.

A Poſtea addit:

Αλλ᾽ ὅτε δὴ περθμοῖοι κατὰ ςόμα, καὶ διὰ πέτρας
Κυανέας ἤμειψε λάλος τρόπις, αὐτίκ᾽ ἄρ αἵ γε
Βυσσόθεν ἐρριζοῦντο, καὶ ἔμπεδον αἰὲν ἔμιμνον.
Οὕτω γὰρ μοῖραι τάδ᾽ ἐπεκλώσαντο βαρεῖαι.
Καὶ τότε δὴ προφυγόντες ἀδεύκεα πήματ᾽ ὀλέθρου,
Ρηβαντοῦ προχοαῖσι μέλαιν᾽ ἐξικόμεθ᾽ ἀκτῆ, &c.

Ex his quidem percipimus, aulam Phinei fuiſſe inter Cyaneas; interque aulam Amyci, ad quam Pollux vicit Amycum Regem Bebrycum. Sed utrum in Europa, an in Aſia fuerit urbs illa magna, quam dicit eſſe Bithynorum ſitam in lato littore, B Orpheus non declarat: nam ſi legatur.

Ενθὰ δ᾽ ἀφορμιθέντες, ὑπ᾽ εἰρεσίῃ δὲ κάμοντες
Βιθυνῶν τὸ μέγα ἄςυ πλατείῃ κέλσαμεν ἀκτῇ,

videtur oſtendere illam fuiſſe aulam Amyci, ex eo, quod Apollonius Poeta quidem *Argonauticorum*, ſed Orphei interpres, aulam Amyci ſcribit fuiſſe in lato littore, cum ait:

—— οἱ δὲ χθόνος εἰσανέχυσαν
Ακτὴν ἐν κόλποιο μάλ᾽ εὐρεῖαν γ᾽ ἐσιδέσθαι.

C At potius mihi legendum videtur in Orpheo, Ενθεν ἀφορμισθέντες: ex eo, quod ante Orpheus dixit, tranſiiſſe ad locum:

Ενθ᾽ Αμυκος Βεβρύκεσσιν ὑπερφιάλοισιν ἀνάσσεν.

Ubi Pollux Amycum devicit. Sed tamen etiamnum ex Orpheo dubium videtur, utrum illa magna urbs fuerit in Aſia, an Europa, itemque an aula Amyci in Europa, an Aſia, an juxta Boſporum, an in Propontide. Nam Dionyſius ſcriptor orbis, poſt Bithynos, poſtque oſtium Ponti ponit Bebrycas. Charon narrat Lampſacenorum regionem prius appellatam fuiſſe Bebryciam, unde Tzetzes auſus D eſt totum Helleſpontum appellare Bebrycium, & totam Propontidem Bebryciam, ſed & Bithynos accolentes Boſporum appellatos fuiſſe Bebrycas, cum ex Nymphe Heracleota colligitur, tradente Bithynos etiam appellatos fuiſſe Mygdones & Bebrycas: quos Strabo dicit ante Bithynos Myſiam incoluiſſe, oriundos a Bebrycibus Thraciæ, tum Bithynos Boſporanos nuncupatos fuiſſe Bebrycas, liquet ex aula Amyci Bebrycum Regis, quam juxta Boſporum in Aſia ſitam fuiſſe deprehendo ex Apollonio Orphei interprete, non minus egregio *Argonauticorum* Poeta, quam Geographo vero: qui ut narravit, quemadmodum præternavigarint E Cyzicum uſque ad Cion: Inde, inquit, ſolventes:

Ναῦν δὲ παννυχίην ἄνεμος φέρε, νυκτί τε πάσῃ
Λάβρος ἐπιπνείων· ἀτὰρ οὐδ᾽ ἐπὶ τυτθὸν ἄητο
Ηοῦς τελλομένης, οἱ δὲ χθονὸς εἰσωνέχυσαν
Ακτὴν ἐκ κόλποιο μάλ᾽ εὐρεῖαν γ᾽ ἐσιδέσθαι
Φρασσάμενοι κώπῃσιν ἅμ᾽ ἠελίῳ ἐπέκελσαν·
Ηὼς δ᾽ οὐ μετὰ δηρὸν ἐελδομένοις ἐφαάνθη·
Ενθα δ᾽ ἔσαν ςαθμοί τε βοῶν, αὖλις τ᾽ Αμύκοιο,
Βεβρύκων βασιλῆος.

Deinde poſtquam narravit, ut Pollux vicerit Amycum, ut lauro coronati Argonautæ cœnaſſent, adjungit:

F Ημος δ᾽ ἠέλιος δροσερὰς ἐπέλαμψε κολώνας,
Εκ περάτων ἀνιὼν, ἤγειρε δὲ μηλοβοτῆρας,
Δὴ τότε λυσσάμενοι νεάτης ἐκ πείσματα δάφνης, &c.

Poſt addit, ut toto illo die afflictati tempeſtatibus fuerint, poſtridieque pervenerint ad maritimam domum Phinei, utque Phineus dixerit Argonautis:

Πέτρας μὲν πάμπρωτον ἀφορμηθέντες ἐμοῖο,
Κυανέας ὄψεσθε δύω ἁλὸς ἐν ξυνοχῇσι.

Postea subjungit:

> Αὐτίκα Βιθυνῶν ἐπὶ δεξιὰ γαῖαν ἔχοντες.
> Πλώετε ῥηγμῖνας πεφυλαγμένοι, εἰσόκεν αὐτε
> Ῥήβαν ὠκυρόην ποταμὸν σκόπελόν τε Κολώνης.
> (alii, ἀκτήν τε μέλαιναν.)

Ex his patet aulam Phinei fuisse in Europa, juxta Bosporum, vicinam Cyaneis; aulamque Amyci fuisse in Bithynia Asiatica. sed an juxta Propontidem, an juxta Bosporum, conjicere licet ex eo, quod Orpheus dicit, Argonautas ex eo solvisse circa Meridiem vento secundo: similiter Apollonius ait, ex Cio solventes totum diem, & totam noctem secundo vento & copioso vectos fuisse; postridie mane vento cessante remorum vi appulisse navem ad eum locum, ubi esset aula Amyci, ubi Pollux ex provocatione vicit Amycum. Jam vero a Meridie ad posterum diem vento secundo usos conficere potuisse amplius centum miliaria, existimo ex mea navigatione, qua intra vigintiquatuor horas a monte Arganthonio, eminente supra sinum Cioticum, perveni ad Bosporum, distantem a Cio plus centum miliaria. Ex quibus etiam verisimile videri posset, aulam Amyci in Bosporo potius quam in Propontide, si nulla essent apertiora argumenta ad probandum aulam Amyci esse juxta Bosporum. At alia permulta certiora sunt, quorum nonnulla, cum alia ex Apollonio colligere possumus, tum juxta locum, ubi interfectus est Amycus, fuisse *νάπην δάφνην*, quam non Apollonium poetice finxisse, sed revera in hoc loco fuisse permagnam, ex Andræta Tenedio & Apollodoro infra ostendam: quam posteri appellarunt Laurum insanam, ubi Plinius dicit fuisse portum Amyci, quem Arrianus appellavit portum Laurus insanæ. Eumque tradit quadraginta stadia distare a Fano Jovis Urii, octoginta ab Urbe Byzantio.

Ex his manifestum est aulam Amyci fuisse in medio Bosporo; aulamque Phinei fuisse inter medium Bosporum & Cyaneas. Sed in quo loco nunc conjiciamus, vero proximum est. Cum Phineus haberet greges boum, & ovium, equorumque, Rexque esset Thraciæ, habitasse prope flumen. A medio Bosporo in Europa ad Cyaneas primus est Pharmacius fluvius, situs contra portum Amyci, in quo non fuisse Phineum, cum excepit Jasonem, Bospori latitudo ostendit, quæ haud excedens miliare, non tenuisset Argonautarum trajectum tantum temporis, quantum Orpheus & Apollonius tradunt consumpsisse ab aula Amyci ad aulam Phinei: deinceps sequitur Bathycolpus fluvius, ubi aula Phinei fuisse non videtur ex loci intervallo. Ille enim distat a portu Amyci circiter tria miliaria, non enim Argonautæ diem unum consumpsissent in tria miliaria conficienda. Restat ut Scletrinas aut Myrleanus habuerit domum Phinei: sed uter habuerit, ex his, quæ mox afferam, conjicias. Scletrinas habuisse videtur ex his Apollonii versibus, cum ex hospitio Phinei Argonautæ solvissent, ait:

> Ἐκ δὲ πόθεν μακάρεσσι δυώδεκα δωμήσαντες
> Βωμὸν ἁλὸς ῥηγμῖνι πέρην, καὶ ἐφ' ἱερὰ θέντες,
> Νῆα θοὴν εἴσβαινον, ἐρεσσέμεν

Hoc est, *in littore ulteriori aram erexerunt*, quod infra ostendam esse in eo loco, ubi est Fanum Jovis Urii, cui domum Phinei propinquam fuisse antedicti Apollonii versus designant. Inde adjungit, ut ex eo loco, ubi Fanum est, solventes navigarunt ad Cyaneas promontorium. Fanum est magis intra Bosporum, quam Myrleanus fluvius duobus miliaribus. Itaque si aula Phinei fuit ad Myrleanum, oportuit Argonautas retrocedere duo miliaria. Sed id ferri potest, nam vatis Phinei vaticinio illud templum excitarunt duodecim diis: verisimiliusque videtur aulam Phinei fuisse prope Myrleanum fluvium, ubi fuit Gypopolis, quam prope Scletrinam, ex Orpheo, cum ait, Argonautas postquam reliquissent aulam Phinei supra magnam undam maris, accessisse prope Cyaneas: sed clarius ex Apollonio, cum scribit Phineum dimittentem Argonautas. *A me*, inquit, *discedentes quam primum videbitis Cyaneas.* Ex quibus oportuit domum Phinei propinquam esse Cyaneis. Adde, quod aulam Phinei dicit Orpheus fuisse, ubi exæcavit filios, eosque in petras eminentes projecit. Ex quibus videtur aula Phinei propinquior Myrleano, quam Scletrinæ, quod circa Myrleanum rupes sunt eminentes & præcipites, frequentari solitæ vulturibus, & corvis, milvisque, hoc est, harpyis rapacibus.

In contrario littore est promontorium, quod Dionysius Byzantius appellat *Coracium*, in hanc diem nomen retinens: præterea quod nulla alia pars Bospori, quam circa Myrelium & Gypopolim ventos rapidiores habet. Venti enim Harpyiæ dicuntur. Homerus in synonymia ponit *θύελλας καὶ ἁρπυίας, αἰτὶ τοῦ καταιγιδώδεις πνοάς, τὸ μὲν ἀπὸ τοῦ ἁρπάζειν, τὸ δὲ ἀπὸ θύειν, ὅ ἐστι μετὰ βίας ἄγει.* atque ut solemus Harpyias *ἁρπακτικοὺς κύνας* appellare, ita latrones rapaces Thraces Harpyias vocare possumus. Nam quod Orpheus dicat aulam Phinei fuisse in sylvis, nunc nullæ sunt in Myrleano, sed neque item in sinu Pharmacia, cum olim fuisse densa & profunda nemora ante ex Dionysio acceperimus. Sed de his rebus tam antiquis, quas ne antiqui quidem permulti etiam literarum monimentis clari bene novisse videntur, cuivis curiosius relinquo judicium.

CAP. XXIV.

De Petra Dotina.

PAULO *ultra Gypopolim*, inquit Dionysius, *est petra Dotina nominata; non in magnam maris altitudinem abdita, neque supra aquam extans: naves in ipsam impinguntur. Petræ nomen ironia, dissimulantiaque ridet navigantium ignorantiam.* Δωτίνην *vocant Dorienses, ab aliis Græcis nominatam* Προῖκα. Byzantios colonos Megarensium lingua Dorica usos fuisse, cum ex his cognosco, tum magis ex psephismate, quod a Byzantiis decretum in gratiam Atheniensium Demosthenes citat *contra Æschinem*. *Dos*, inquit Varro, *erit pecunia, si nuptiarum causa data*; hæc Græce *δωτίνη*: ita enim hæc a Siculis nominatur. Jam vero ut ab Urbe Byzantio ad Pharum & Cyaneas pedibus profectus sum secundum littus, ita a Pharo similiter pedibus Byzantium reverti, quam proxime ad littus accedere potui. Sed primum a Pharo ad Myrelium non potui, quod littus præceps & præruptum sit, perpetuis rupibus editum in altitudinem plus minusve quadraginta passuum. Supra hoc littus existit planities campestris, colliculis, & valliculis distincta, longe lateque patens, sensim assurgens usque ad verticem collis, in quo ante dixi fuisse antiquam Pharum. Itaque a Pharo ad Chrysorrhoam iter feci per supercilia collium, per desertas pastiones plenas ericis, aliisque fruticibus, ubi nihil cultum apparet, præter exiguas arationes, non tam iniquitate terræ, quam inopia agricolarum: si qua descensus patet ad littus, ut patet ad Myrelium, & ad portum Ephesiorum, statim latæ rupes me impedierunt, ut ex altis littoris crepidinibus mihi sæpe ascendendum fuerit ad circumeundas rupes obvias, & per directos & præruptos clivos repere quadrupedis more habui necesse.

A Chryforrhoa juxta littus iter habere potui ad promontorium Smilton, quod præceps & abruptum non pervium eſt, niſi in excelſis clivis: inde ad Bathycolpon juxta Boſporum perrexi: a Bathycolpo ad Commarodes, exceptis vallibus, via non patet in ora maritima, ſed anguſtiſſima ſemita habetur in arduis clivis, confragoſis, & abruptis. A Commarode ad Leoſthenium iter confeci fere ſecundum littus. A Leoſthenio ad portum Phidaliæ (excipio valles) via duntaxat patet per altos clivos. A Phidalia ad oppidum nuncupatum Sycas, ſive Juſtinianas, via patet juxta Boſporum: a Sycis Byzantium trajectus eſt brevior quatuor ſtadiis, a quo quidem trajectu appellato Syceno ad finem Boſpori planities maritima (Conſtantinopoleos partem continens) acceſſum latum largitur etiam quam proxime ad Boſporum.

CAP. XXV.

De Panio promontorio Phari, & de Cyaneis petris.

POST *Dotinam petram*, inquit Dionyſius, *exiſtit promontorium nuncupatum Panium, parallelum Cyaneis, hoc eſt, quaſi par & æmulum contra Cyaneas ſitum, intercedente medio maris littore: in fine autem promontorii, parvæ Inſulæ termini Pontici maris a Continente diremptæ parvo maris ſpatio intermedio, quod perlevibus & perparvis navigiis permeari & tranſiri poteſt ob mare minime profundum.* Sublimes autem Cyaneæ, & ſupra mare elatæ, aſpectum gerentes ſimilem Cyano, ſive a terra multiformi, ſive ex refractione maris: ſupra Cyaneas ara exiſtit Apollinis a Romanis ſtatuta. Promontorium Panium totum ſaxeum, nihil aliud eſt, quam Iſthmus peninſulanus, ex tribus partibus mari circumdatus, ab Oriente quidem Boſporo, a Septentrionibus ſinu Ponti ſcopuloſo, importuoſo, patenti in longitudinem circiter mille & ducentorum paſſuum. Ab hujus intimo receſſu linea ſecans promontorii dorſum, hoc eſt, cervicem Iſthmi, ducta ad Boſporum extenditur in paſſus ſeptingentos. Clivi a ſummo mucrone ad cervicem in paſſuum altitudinem efferuntur circiter mille & ducentorum. Contra Cyaneas emittit duos mucrones totos ſaxeos. Primus quidem major eſt, & rectus aſſurgit in medium promontorium, ſub imas radices admittens brevem quendam receſſum diuturnis & vehementibus fluctibus excavatum, cavernis & foſſulis ſaxeis plenum, qui exareſcit, cum eſt mare tranquillum: cum vero eſt ventus, concitatum impletur fluctibus, ſed cavernæ ſemper aqua plenæ remanent. Alterum vero mucronem emittit minorem & obliquum, a dorſo demiſſum, velut pollicem porrectum in obliquam manus partem. Is mucro magis meridianus exiguum ſinum afficit, admittentem duntaxat ſcaphas. Littus autem contra Cyaneas ſitum, intercedens inter utroſque mucrones, longum circiter trecentos paſſus.

In Panii ſupercilio eminenti ſupra mucronem majorem exiſtit Pharus quaſi Φανός: unde a Græcis hujus ætatis, omnia fere nomina diminuere in άριον ſolitis, appellatur Φανάριον. id turris eſt octogona, in culmine habens lucernam omnibus noctibus lucentem navigantibus, undique clauſam vitreis feneſtellis, plumbo, non gypſo compactis, quod oſtendit non Turcorum, ſed Chriſtianorum opus eſſe. Ex vertice Panii promontorii quoquoverſum vides longe lateque Pontum Euxinum, tanquam ex Panio Alexandria olim videbatur: hac etiam ætate ſpectatur in media Alexandria Panium quoddam manufactum, faſtigiatum in acutum verticem, excelſum, colli ſimile, ex cujus culmine tota undique Alexandria, ſimulque hinc mare internum, illinc Mareoticus lacus videtur. Duobus promontoriis Panio & Ancyreo finitur Pontus, incipitque Boſporus. Juxta Ancyreum exiſtunt Cyaneæ Aſiaticæ; juxtaque Panium Cyaneæ Europeæ, diſtantes a Panio ſibi oppoſito ab occaſu paulo amplius ſeptuaginta paſſus Romanos. tantundem enim in latitudinem patet Euripus, Cyaneas a Continente ſeparans, quem vadoſum & ſaxeum nudus tranſire conatus, de medio curſu revocatus ſum. Itaque conſcenſa ſcapha, per hunc penetrans adverti Cyaneas ab occaſu quidem circumnavigari non poſſe, niſi navigiis perparvis ob vadoſum Euripum; a Septentrionibus Orienteque circuiri ab omnibus navibus poſſe.

Cyaneæ nihil aliud ſunt, quam ut dicuntur, petræ: eas enim nunquam Inſulas appellant Orpheus, Apollonius, Valerius Flaccus, Herodotus, Dionyſius Alexandrinus: ſed duntaxat petras nominant. Strabo vero & Dionyſius Byzantius vocant Inſulas minus proprie. Valerius Flaccus nunc ſcopulos, nunc cautes, nunc rupes nuncupat. Euripides Didymos petras, quæ profecto nihil aliud ſunt, quam duo ſcopuli: unus Aſiaticus, alter Europæus, diviſus in quinque petras una radice nitentes, ſed ab imo ad ſummum rimis diviſus: quarum primam Pharo viciniorem a petra dividit fiſſio, rimaque alta quinquaginta dodrantes, alicubi patens in latitudinem trium pedum: in qua quidem fiſſione conſiſtit ſaxum plauſtrici oneris magnitudine a prima petra gradum atque aditum jaciens ad ſecundam petram in fiſſionem projectam ex antiqua ruina, quam ſummam ſcopuli verticem ediddiſſe ſignificant circum ſcopulum permulta abjecta ſaxa. Primæ quidem petræ jugum in omnes partes patet ſexaginta ſeptem dodrantes: ſecundæ vero dorſum planum, in quo ſtatuta eſt columna, in dodrantum longitudinem panditur centum & quinquaginta: in latitudinem vero quinquaginta. Secundam a tertia dividens fiſſio paulo latior eſt ſexaginta dodrantibus. Tantundem patet fiſſura tertiam a quarta ſejungens. Altitudo totius ſcopuli, quem dixi diviſum in quatuor petras, non excedit octoginta dodrantes. Ambitus ſuperat duo millia dodrantum. Aſcenſus in hujus jugum non patet, niſi uno aditu, eoque perangusto, quo quadrupedis in modum irrepitur. Scopulus etſi totus ſaxeus, tamen ex ejus dorſo aliquot frutices enaſcuntur, ut caprifici, ut pruna agreſtia, ſed rariſſima. Cum ſunt maris tempeſtates, fluctibus obruitur uſque adeo, ut columna aſperſione fluctuum attingatur. Fuit aliquando ſcopulus integer, nullis rimis ſciſſus, ſed ſaxa circumprojecta oſtendunt ruinarum editione ſciſſum fuiſſe: unde factum eſt, ut ejus radices multas cavernas & latebras habeant, partim aridas, partim mare admittentes, ubi non modo piſces, ſed etiam multi homines deliteſcere poſſunt. Quinta petra longe humilior cæteris, faſtigiata in duos vertices, exiguo Euripo diviſos: illius quidem radices ſub aqua juxta vadum cum radicibus ſcopuli, quem jam dixi in quatuor petras diviſum, continuantur, conjunguntureque: ſed ab hoc ſcopulo quadrifido ſeparatur Euripo vadoſo, pleno ingentibus ſaxis ex aqua extantibus, quæ ab ipſis ſcopulis abrupta eſſe videntur.

Circum hos omnes ſcopulos ſimiliter ingentia ſaxa abrupta jacent, Euripique vadum intercedentis inter Panion, & Cyaneas ſaxeum, & cavernoſum, introſpexi; ut vero proximum videatur Cyaneas olim abruptas a Panio promontorio fuiſſe ſimiliter toto ſaxeo. Quare non ſine phyſica ratione, ubi animadvertiſſent Poetæ Cyaneas

terræ motu, aut temporis vetuſtate ruinas edidiſſe, & circumfractas eſſe, finxerunt inter ſe concurriſſe; in quo concurſu quid verius eſſe apparet, quam id, quod tradit Valerius Flaccus: *Cyaneæ juga præcipites illa remittunt*. Nam revera earum juga ruinis illiſa remiſſiora ſunt facta, earundemque moles illiſæ. Nam quod Apollonius ait petris Cyaneis, Κοῖλαι δὲ σπήλυγγες ὑπὸ σπιλάδας τρηχείας Κλυζούσης ἁλὸς ἔνδον ἐβόμβεον, ex ante jam dictis non fictum eſſe præſcimus. Quod autem Cyaneas Aſiaticas concurriſſe contra Europæas Cyaneas, quas modo clauſas, modo apertas videri tradiderint, ex eoque Synormadas, & Symplegadas, & Planctas appellaverint; non mendacium commenti ſunt, ſed phyſicam veritatem expreſſerunt ex antiquis duabus Cyaneis, hoc eſt, ex duobus littoribus Boſporum cingentibus, quæ utraque antiquiſſimis temporibus Symplegades, & Planctæ appellatæ ſunt, id eſt, ut Valerius ait, errantes per altum Cyaneæ: *Illæ redeunt, illæ æquore certant*; ex eo (ut ait Eratoſthenes) quod anguſtum fretum & flexuoſum multis anfractibus circumſeptum navigantibus videtur tum concurrere & congredi, occultari, claudi, tum rurſus digredi aperirique: proximo enim acceſſu aperiuntur, mox digreſſu rurſum deliteſcunt Cyaneæ. Dionyſius Byzantius ut Cyaneas conſtituat Inſulas eſſe, tamen omnes Boſpori anfractus ait Symplegadas dici poſſe. *Neque vero*, inquit, *Boſporus directus, ſed continuus, & parallelis promontoriis fractus: prævertunt enim, & tanquam ſe invicem ſupplantant, & propemodum ſe decipiunt promontoria, prohibentia navigantes ulterius progredi*. *Unde*, ut ipſe ait, *mihi videntur Symplegades nominaſſe petras, quoniam adnavigantibus modo aperiri, modo claudi videntur, fallente aſpectu opinionem: id enim quod videtur finis, ſtatim principium eſſe apparet*. Quamobrem magis propere Boſpori anfractibus convenit nomen Symplegadum & Planctarum, quam Cyaneis Inſulis, quæ traduntur inter ſe concurriſſe: *quia*, ut Plinius ait, *parvo inter ſe diſcretæ intervallo intrantibus geminæ cernerentur, paululumque deflexa acie, coeuntium ſpeciem præberent*: id quod non ſatis probabunt navigantes ex Ponto in Boſporum. Nam Cyaneæ Inſulæ adeo ſunt vicinæ Continenti, ut particulæ Continentis eſſe videantur, neque, niſi proxime acceſſeris, eas a Continenti diſtinxeris. At utrumque latus Boſpori intrare volentibus in Boſporum, modo clauſum, modo apertum Boſpori canalem oſtendit non modo procul ex agitatione navis, modo directa via ad os adnavigantis, modo obliqua, ſed etiam proxime, atque adeo intra Boſporum navigantibus crebro claudi & aperiri Boſporus videtur ex crebris promontoriorum flexibus. Recte igitur Frontinus Cyaneas vocat Boſporum. *Philippus*, inquit, *cum anguſtias maris, quæ Cyaneæ appellantur, tranſnavigare propter Athenienſium claſſem, quæ opportunitatem loci cuſtodiebat, non poſſet, ſcripſit Antipatro, Thraciam rebellare, præſidiis, quæ ibi reliquerat, interfectis, ut ſequerentur omiſſis omnibus, quæ epiſtolæ, ut interciperentur ab hoſte, curavit. Athenienſes arcana Macedonum accepiſſe viſi, claſſem abduxerunt. Philippus nullo prohibente anguſtias freti liberavit*. Sic Cyaneas intelligere videtur fœdus illud illuſtre, quod Athenienſes poſt pugnas navales percuſſerunt cum Rege Perſarum, quæ ſic abjecerunt Regis animum, Ὥστε συνθέσθαι τὴν περιβόητον εἰρήνην ἐκείνην, ἵππου μὲν δρόμον ἀεὶ τῆς Ἑλληνικῆς ἀπέχειν θαλάσσης· ἔνδον δὲ Κυανέων καὶ Χελιδονιῶν μακρᾷ νηὶ καὶ χαλκεμβόλῳ μὴ πλέειν.

Jam etſi ex his, quæ ante dixi de aulis Amyci & Phinei, liqueat Orpheum duas petras Cyaneas non intelligere totum Boſporum, aut multiplices anfractus parallelos Boſpori: tamen ex eo clare elicere non poſſumus, an duntaxat intelligat Cyaneas Inſulas, an etiam utrumque littus circumvicinum Cyaneis. At ex Apollonio non ſolum ejus æmulo, ſed etiam enarratore, aſſequimur, petras Cyaneas aut eſſe, quas Inſulas diximus, aut rupes & cautes utriuſque littoris a Myrleano ſinu uſque ad Cyaneas. Sic enim Apollonius ait, ubi Argonautæ duodecim diis aram poſuiſſent, in eo promontorio, quod etiamnum ἱερὸν Græci appellant.

Οἱ δ' ὅτε δὴ σκολιοῖο πόρου στείνωπον ἵκοντο,
Τρηχείῃς σπιλάδεσσιν ἐεργμένον ἀμφοτέρωθεν,
Δινήεις δ' ὑπένερθεν ἀνακλύζεσκεν ἰοῦσαν
Νῆα ῥόος, πολλὸν δὲ φόβῳ προτέρωσε νέοντο·
Ἤδη δὲ σφίσι δοῦπος ἀρασσομένων πετράων
Νωλεμὲς οὔατ' ἔβαλλε, βόων δ' ἁλιμυρέες ἀκταί.

Paulo poſt:

Ταὶ δ' (Cyaneæ) ἄμυδις πάλιν ἀντίαι ἀλλήλῃσι,
Ἀμφω ὁμοῦ ξυνιοῦσαι ἐπέκτυπον· ὦρτο δὲ πολλὴ
Ἅλμη ἀναβρασθεῖσα, νέφος ὥς· αὖε δὲ πόντος
Σμερδαλέον· πάντῃ δὲ περὶ μέγας ἔβρεμεν αἰθήρ.
Κοῖλαι δὲ σπήλυγγες ὑπὸ σπιλάδας τρηχείας
Κλυζούσης ἁλὸς ἔνδον ἐβόμβεον.

Ex quibus percipimus, Argonautas ſolventes ex Fano Jovis, aliquandiu navigaſſe per Boſpori flexuoſi anguſtias utrimque aſperis cautibus cinctas, jamque ſonitum petrarum conflictantium Argonautarum aures vexaſſe, marina littora muſice Cyaneas inter ſe concurrentes fremuiſſe, cavas ſpeluncas ſub cautibus mari intus fluctuante reſonaſſe: quæ omnia conveniunt non modo inſulis, ſed etiam cautibus & rupibus utriuſque littoris excurrentis a Cyaneis ad Myrleanum ſinum, & Coracium promontorium. Ibi enim utrimque excelſæ rupes fluctuum impetu alte reſonant, & concurriſſe inter ſe videntur, ex ingentibus ſaxis circum utrumque littus ſparſim in mari jacentibus.

Jam vero ex antedictis perſpicuum eſt Tzetzem nobilem Grammaticum, qui gloriatur ſe omnibus Geographis atque Hiſtoricis longe melius ſcire Boſporum Thracium, neſcire Cyaneas, non modo quas tradunt Geographi Hiſtoricique: ſed ne illas quidem quas Poetæ, quorum interpretem ſe profitetur, commemorant. Sic enim enarrat illos Lycophronis verſus:

Καὶ Πόντος Ἕλλης, καὶ πέτραι Συμπληγάδες,
Καὶ Σαλμυδισσός, καὶ κακόξεινος κλύδων Σκύθαισι γείτων.

Quas Homerus appellat Planctas, *Lycophron* Symplegadas petras, *Eratoſthenes* Synormadas, *quas dicit apud Pontum Euxinum eſſe, ſive circum anguſtias: Apollonius & Lycophron ipſas quidem dicunt eſſe* Symplegadas: *verum Lycophron videtur has ponere inter Chalcedonem & Byzantium, ut videantur eſſe id, quod ab idiotis dicitur* Rheuma: *Apollonius vero videtur apud Pontum Euxinum, ſive apud anguſtiarum locum nuncupatum Clavem, ipſas ſtatuere, eas ſimiliter ut Lycophron ſcribens Symplegadas* ἀξύνους, (vel ἀξείνους,) *quarum una eſt in Europa apud Byzantium, altera in Aſia apud Chalcedonem. Salmydeſſus vero eſt mare inter Byzantium & Damalim. Poſt anguſtias Boſpori & Fanum Jovis, eſt Scythia*. Hæc quidem Tzetzes. At verſus Lycophronis, cum nihil diſſideant ab Orpheo & cæteris ſcriptoribus, perverſe convertere conatur in ſenſum ab omnibus authoribus alieniſſimum.

Non enim his verſibus Lycophron dicit, Symplegadas eſſe inter Chalcedonem & Byzantium, ut ipſe teſtatur, neque Apollonius ponit ad Euxinum Pontum, ut Tzetzes ait, neque apud Clavem Ponti, ſive eam intelligit, quam hodie appellant Κλείδιον, locum vicinum Byzantio, nuncupatum Senem marinum, ſive illas Claves, quas Dionyſius appellat modo Κλεῖθρα, modo Κλείδας, quas ante demonſtravimus eſſe circiter medium Boſporum, prope ſinum appellatum Pharmaciam. Sed Apollonius ipſe Symplegadas ponit apud partem Boſpori, quam modo explicuimus, ſic inquiens: Δύω ἁλὸς ἐν ξυνόχῃσι Κυαναὶ πέτραι, hoc eſt, *in primis faucibus Ponti duæ Cyaneæ*. Neque ex Lycophrone colligi poteſt Salmydeſſum eſſe inter Byzantium & Damalim, ſed ad Pontum, eo in loco, quo omnes Geographi tradunt; neque poſt Fanum Jovis eſſe Scythiam Europæam ex Lycophrone conjectari poteſt; ſed eo in loco, quo cæteri tradunt. Non modo inſulæ Cyaneæ in hunc diem, ſed etiam omnes rupes claudentes Boſporum a Cyaneis uſque ad Fanum & littora circumvicina Cyaneis, ſpectantur colore cyaneo, aliæ obſcuriore, aliæ dilutiore. Planctas Thracicas Homerus velut quadam machina mirabili petras in monſtroſam longitudinem jaculante ex freto Thracico jaculatus eſt in fretum Siculum fictione architectrice; & quas poſt Jaſonis tranſitum Orpheus longe ante ſempiternis radicibus defixerat in freto Thracio, immobiles manſuras, in ſede Thracica ſemper manſuras, explantavit, elocavit, tranſtulit in Siciliam, eas effingens ad ſimilitudinem Symplegadum petrarum Cyanearum, prius ab Orpheo effictarum, aliquid de ſuo addens. Sed ut Thracicas Cyaneas a Siculis internoſcere queamus, ſubjungam Homericam Sicularum deſcriptionem;

Ἔνθεν μὲν γὰρ πέτραι ἐπηρεφέες, ποτὶ δ᾽ αὐτὰς
Κῦμα μέγα ῥοχθεῖ κυανώπιδος ἀμφιτρίτης:
Πλαγκτὰς δή τοι τάς γε θεοὶ μάκαρες καλέουσι.

Et paulo poſt;

Οἱ δὲ δύω σκόπελοι, ὁ μὲν οὐρανὸν εὐρὺν ἱκάνει
Ὀξείῃ κορυφῇ. νεφέλη δέ μιν ἀμφιβέβηκε
Κυανέη, τὸ μὲν οὔποτε ἐρωεῖ, οὐδέ ποτ᾽ αἴθρη
Κείνου ἔχει κορυφὴν οὔτ᾽ ἐν θέρει, οὔτ᾽ ἐν ὀπώρῃ·
Οὐδέ κεν ἀμβαίη βροτὸς ἀνὴρ, οὐ καταβαίη
Οὐδ᾽ εἴ οἱ χεῖρές γε ἐείκοσι καὶ πόδες εἶεν·
Πέτρη γὰρ λίς ἐστι περιξεστῇ εἰκυῖα.
Μέσσῳ δ᾽ ἐν σκοπέλῳ ἐστὶ σπέος ἠεροειδὲς,
Πρὸς ζόφον εἰς ἔρεβος τετραμμένον.

Deinde ut deſcripſit Scyllam eſſe in hoc ſcopulo, adjungit:

Τὸν δ᾽ ἕτερον σκόπελον χθαμαλώτερον ὄψει Ὀδυσσεῦ,
Πλησίον ἀλλήλων· καί κεν διοϊστεύσειας.
Τῷ δ᾽ ἐν ἐρινεός ἐστι μέγας φύλλοισι τεθηλώς.
Τῷ δ᾽ ὑπὸ δῖα Χάρυβδις ἀναῤῥοιβδεῖ μέλαν ὕδωρ.

Hæc omnia non conveniunt Thracii Boſpori Cyaneis. Nam Homerus Poetice alterum auget ſcopulorum illorum attingere cœlum acuto vertice adumbrato perenni urbe, illumque aſcendi non poſſe tradit. At Cyaneæ inſulæ Thracicæ aſcendi poſſunt; littora vero circumvicina, ſi Cyaneæ petræ ſunt exiſtimandæ, nullis pedibus, nulliſque manibus aſcendi poſſunt. Nam quod dicit in illo ſcopulo Siculo ſpeluncam eſſe ex parte Occidentis, in quam abduntur Scyllæ piſces; Boſpori Cyaneæ inſulæ ſpeluncas quidem habent, ſed ex parte Orientis & Meridiei, in quas ſubeunt piſces etiam Delphini: at canes Charcariæ, qui Lamiæ, & Scyllæ nominantur, illuc non ſubeunt, propterea quod Pontus Euxinus feris piſcibus frequentari non ſoleat, niſi Delphinis & Phocænis. Vidi tamen canem Charcariam, omnium maximum, quos unquam viderim, captum apud muros Byzantii; ſed is adeo rarus illic videtur, ut tanquam monſtrum ſpectaretur, a nulloque piſcatore cognoſceretur.

Veſtigia aræ Apollinis, quam Dionyſius tradit Romanos ſtatuiſſe ſupra Cyaneas, nulla jam extant, niſi ſcrobiculi, ſeu foſſulæ excavatæ in petræ ſecundæ vertice, ubi etiamnum extat columna marmorea, cujus baſis, in qua inſcriptio continens nomen C. Cæſaris, inciſa litteris Latinis, exeſa eſt temporis vetuſtate. Exiſtit marmoris candidiſſimi, alta circiter VI. dodrantes, & VI. digitos, cujus perimeter complectitur IX. pedes, & ſemiſſem. Mediam baſim cingit vitta laureata flexuoſa, modo ſurſum verſus, modo deorſum. Ex medio flexus quadruplicis vertice appenſum eſt caput bubulum. In medio aliorum quatuor flexuum inciſi ſunt circuli, in quorum uno eſt effigies quadrupedis; in altero Solis imago; in tertio radiorum decuſſis; in quarto vergente ad Aquilonem nihil expreſſum eſt. Columnæ ſcapus non reſpondet magnitudini ſpiræ, nempe illius perimeter ſex pedes circumplectitur: ſummus ſcapus habet apophygem, & aſtragalum partim exeſum: Capitulum tamen Corinthium integrum exiſtit. Baſim exiſtimo reliquias aræ Apollinis, cum ex vittis laureatis, tum ex candore marmoris. Aræ enim ſolitæ erant fieri ex marmore candido, quæ non facta videtur ad hanc columnam ſuſtinendam, ſed ex aræ everſæ reliquiis iterum hanc excitaſſe Barbaros in honorem Cæſaris. Similiter, ut Arrianus ſcribit, Trapezuntios Adriani ſtatuam ſtatuiſſe ex marmore aſpero factam, inſcriptionemque depravate inciſiſſe.

PETRI GYLLII DE BOSPORO THRACIO LIBER III.

CAP. I.

De scopulo nuncupato Colona, & de Rhebante flumine.



Huc usque de littore Bospori Europæo, & de Cyaneis Europæis, quas, priusquam nactus essem Anaplum Dionysii, præceperam ex Strabone, tradente Cyaneas petras esse duas insululas in Ponti ostio sitas, alteras vicinas Europæ Continenti, alteras Asiæ. Europæas facile deprehenderam, ex eo quod solæ sint in longissimo tractu littoris Thracici: at Asiaticas cognitu longe difficiliores expertus eram, ob multitudinem scopulorum: quos cum ex vertice Cyanearum Europæarum intuerer, discernere a Continenti non poteram, nisi duos Cyaneis Europæis oppositos, ab ortu æquinoctiali, distantes circiter sexaginta stadia. Eos igitur propius, ut explorarem, adnavigare aggressus, repentina maris tempestate ex medio cursu rejectus sum ad Fanum Jovis, unde pedibus per saltus desertos & male fidos accessi ad ipsos scopulos mihi ex vertice Cyanearum ante prospectos, quorum alterum situm ultra Rhebantem amnem circiter tria miliaria: Græci hujus ætatis nominant *Atroparion*: alterum situm inter Rhebantem & Bosporum appellant *Crommyon*: is mihi potius Cyanea Asiatica videbatur, ex Orpheo & Apollonio, tradentibus statim post Cyaneas Rhebantem fluere in Pontum: sed quod esset ultra promontorium, quod fauces Bospori stringere incipit, mihi nonnullam dubitationem afferebat: verum eam extenuabat Dionysius orbis conscriptor, cum ait:

Ῥήβας ἔνθ᾽ ἐρατεινὸν ἐπιπροΐσι ῥέεθρον,
Ῥήβας, ὃς Πόντοιο παρὰ στομάτεσσιν ὁδεύει,
Ῥήβας, οὗ κάλλιστον ἐπὶ χθονὶ σύρεται ὕδωρ.

quod παρὰ interpretarer *apud*, non autem *prope*, ut interpretandum esse postea cognovi. Quamobrem diligenter hunc scopulum sic considerare cœperam obrotundum esse & similem τῷ Κρομύῳ, cujus ex forma piscatores putant appellatum: ejus complexum ambire circiter quatuor stadia: fastigium planum habere sensim in clivos devexum, ejusdemque latera undique saxea ab Oriente quidem & Septentrionibus prærupta & directa, ut ascendi nequeant: at ex Meridie & Occasu mitiora, & quæ ascensui pateant. Denique totus saxeus est, etsi jugum herbas habet, in quo vestigia videntur antiquorum ædificiorum. Cum est magna maris tempestas, undique mari clauditur, & a Continenti separatur Euripo centum sexaginta passuum: cum est tranquillitas, Euripus exsiccatur, & velut cervix fit, qua adnectitur Continenti, tota sabulosa, lata octoginta passus, longa centum sexaginta: inde A ora maritima plana & sabulosa, apta panagris retibus, longa paulo amplius duobus milliaribus excurrit usque ad promontorium, quo littus tendens ad occasum ferme æquinoctialem, flectitur ad occasum brumalem.

Ubi hunc scopulum ita explorassem, profectus sum ad Rhebantem, ut viderem amnem nobilitatum a tot antiquis nobilibus scriptoribus. Is enim a Dionysio Alexandrino *Rhebas* nominatur, ab Orpheo *Rhebanus*, ab Apollonio Rhodio nunc *Rhebas*, nunc *Rhebeus* appellatur: jam a Græcis etiam agrestibus vocatur Ῥήβας, quem Arrianus tradit distare a Fano Jovis Urii nonaginta stadia. B Nonne aversus a Musis essem, si instituto nostro operi tam vicinum fluvium præterirem, quem prætermissis majoribus fluminibus tot illustres scriptores honorifice commemorarunt? Dionysius quidem scribit ejus aquam amabilem & pulcherrimam esse. Ejusdem nomen tribus versibus continuis ter repetit, velut esset amnis magno sermone dignus, cum sit parvus, cujus ostium parva duntaxat navigia in statione admittit. Non longe ab ejus fonte Rex Othomanus hortos diligenter cultos habet. Ille enim oritur in Bithynia inter Pontum Euxinum & Propontidem. Itaque fit, C ut nisi expertus essem in multis Eustathium nihil solere scribere de suo, sed ex alienis authoribus, valde mirer, unde acceperit Rhebantem manare ab Olympo Mysio, cum inter fontem Rhebantis, & Olympum duo Propontidis sinus intercedant, nimirum Astacenus & Cioticus; neque eos sinus circuire vidi. Nam ab intimo sinu Astaceno per planitiem utrinque montibus clausam profectus ad Sangarium, nullum inveni amnem ab Olympo ad Pontum penetrare, neque inter Cioticum sinum, & lacum Ascanium, quem hodie Nicænum appellant, altissimis intercedentibus montibus, nullis vallibus a Ponto ad Olympum penetrantibus, D præter eam, per quam delabitur Sangaris. Sed quid longinqua repeto, cum Rhebantis fons non multa milliaria distet a suo ostio. Jam Rhebante & scopulo Crommyo perlustratis, conjectabam Crommyon esse Cyaneam Asiaticam, cum nondum ullum alium ex Europa intuens scopulum Asiaticum deprehendissem mari circumdatum. Sed Apollonius, Argonauticæ profectionis verus explicator, meam conjecturam infirmavit, introducens Phineum alloquentem Argonautas. Ita enim inquit Phineus,

E Πέτρας μὲν πάμπρωτον ἀφορμηθέντες ἐμοῖο,
Κυανέας ὄψεσθε δύω ἁλὸς ἐν ξυνοχῇσι.

Ac paulo infra:

Αὐτίκα Βιθυνῶν ἐπὶ δεξιὰ γαῖαν ἔχοντες,
Πλώετε ῥηγμῖνας πεφυλαγμένοι, εἰσόκεν αὖτε
Ῥήβαν ὠκυρόην ποταμὸν, σκόπελόν τε Κολώνης.

Idem paulo infra narrans, ut Hercules superavit A Mygdones a Billæo flumine ad Rhebæum flumen, sic ait:

Ες' ἐπὶ Ῥηβαίῳ προχοὰς, σκόπελόν τε Κολώνης.

Ex quibus perspexi Colonem esse scopulum, quem corrupte vulgo appellant *Crommyon*, quasi Colonem scopulum vere κολωνοειδῆ. Præterea circa Lycum flumen est promontorium nuncupatum Κολώνη, sed a Rhebano longissimum, cujus meminit Nymphis in tractatu suo *de Heraclia Pontica*. Cum igitur ex Apollonio viderem a Bosporo navigantibus ad Rhebantem Colonem esse in aperto mari post Cyaneas, quas in angusto idem ostio ponit, conscendi lembum, paratus scrutari totum littus usque ad Fanum Jovis: sed iterum improvisæ tempestates sævire cœperunt, ut Harpyiæ immissæ viderentur, nescio quo fato nolentes Cyaneas mihi aperiri; at adeo furiose, ut aliquot remis amissis lembi, qui agebatur circiter viginti juvenibus, regiis servis, redeuntibus ex regio horto, quem ante dixi situm esse prope fontem Rhebantis, crebra & lamentabili voce Dei nomen exclamantibus, inundatus & omnia passus, quæ ad Cyaneas Argonautæ passi traduntur, vehementioreque metu affectus, ut qui carerem Typhi gubernatore, & Minerva directrice Argous, & Phineo vate: remiges enim peritiores erant plantandi olera, quam dirigendi navigium. Ego, a nullo Phineo præmonitus, illuc accesseram comite Turco, imperito non modo maris, sed etiam itineris redeundi eo unde veneramus, redire coactus sum ad Rhebantem, tumque præteriens scopulum Coloneum timide aspiciebam, undique fluctibus tempestatis circumdari, fluctusque usque ad verticem Colonei scopuli exilire. Itaque ad Rhebantem reversi, in littore frigido pernoctavimus madidi, non sine metu, non modo Barbarorum vicinorum, sed etiam servorum regiorum, quos præmiis adduxeram ad mare conscendendum, ne quid irati tentarent; sed pecunias quot habebam, dedi, ut oxygalam, quæ illic in littore agresti sola inveniebatur, emerent: qua permulsi placatique, iram continuerunt. Postridie mane cum nondum insanire desinerent tempestates, pedibus redii ad Fanum Jovis, inde Byzantium. Post vero aliquot dies, cum mare tranquillum esset, rursus navigavi ad Fanum: a quo usque ad Rhebantem totam oram maritimam perscrutatus, inter scopulum Coloneum & Fanum deprehendi scopulos mari circumdatos circiter quinque: quorum proximum promontorio (quo littus stringens latum pelagus, in angustum fretum Bosporí tendens ad Aquilonem, flectitur ad ortum fere æquinoctialem) jam priusquam incidissem in *Anaplum* Dionysii, judicaveram esse Cyaneam Asiaticam, sed falso, si recte scribit Dionysius hunc scopulum appellari Pyrgon Medeæ.

Hunc meum longum & laboriosum errorem, quo diu erraveram cum errantibus Cyaneis, profiteri volui, ne quis seducatur scopulo Coloneo mihi quidem molesto, sed fortasse futuro cuipiam jucundo ob Colonæ & Rhebantis cognitionem; quibus cognitis facilius Cyaneæ initiumque Bospori cognoscentur: comite tamen Dionysio Byzantio, sine quo difficilius cuivis est Bosporum aperire, quam Jasoni sine Phineo. Quare ad Dionysium redeo, quem reliqui apud Cyaneas Europæas

CAP. II.

De promontorio Ancyræo, & de anchora Jasonis.

A Cyaneis, inquit Dionysius, *ad Orientem multus Pontus patet in terminum aspectu incomprehenso, & non percepto oculis, vastum. Visionis nescio major ne voluptas, an admiratio. A Meridie autem est promontorium claudens pulchrum Ponti ostium, & magnum pelagus, & apertum astringens in fretum angustum. Ex Cyaneis Europæis trajicienti in Asiam primum quidem est promontorium nuncupatum Ancyræum: ab hoc enim ajunt lapideam anchoram accepisse navigantes cum Jasone, vatis admonitu, eidemque promontorio nomen dedisse Ancyræum.* Quam illustris fuerit Jasonis navigatio, tum permultis aliis nobilissimis orbis terrarum monumentis expressum attestatumque habetur, tum anchoris ad omnem posteritatem illustrissimis, quæ etsi lapideæ, sempiternam memoriam reliquerant, non modo iis locis, ubi vetustæ relictæ sunt, sed etiam illis, unde novæ acceptæ fuerant, cujusmodi hæc, quæ promontorio Ancyræo nomen imposuit, ex eo, quod hinc sumpta fuerit. Mihi quidem certe, veterem (quam ex Cyzico sumpserunt) in promontorio Ancyræo relictam fuisse, nomenque loco peperisse, verisimilius videtur, quam novam, quæ a Poetis duntaxat sumpta fuisse a Cyzico, relicta vero Cyzici, exesa temporis vetustate celebratur ab Apollonio, tradente anchoram lapideam propter vetustatem mari corrosam solventes ex portu Cyziceno Argonautas reliquisse in Artacio fonte, atque alteram sumpsisse, Milesiosque ex Attica in Cariam & Phrygiam coloniam deducentes ex fonte Artacio tollentes consecrasse, & dedicasse templo Cyziceno Jasoniæ Minervæ: de qua Plinius. *In oppido*, inquit, *Cyzici est lapis Fugitivus appellatus: Argonautæ eo pro anchora usi ibi reliquerant.* Hunc e Prytaneo (ita vocatur locus) sæpe profugum fixere plumbo. Hunc ipsum arbitror, aut huic similem, illum, quem tradit Dionysius fuisse Byzantii: *Paulo*, inquit, *supra mucronem promontorii Bospori, in quo Byzantium situm est, ara Minervæ Ecbasiæ existit, in loco, ad quem egressi coloniæ deductores confestim pugnarunt, tanquam pro patrio solo.* Idem Dionysius addit prope templum Minervæ Ecbasiæ lapidem in mare eminentem, quem Byzantinis in locum ornatiorem supra stadium transferre conantibus non permisisse se transferri, sive quod amaret locum mari vicinum, sive quia ostenderet parvi momenti esse pietati divitias. Hic lapis, ut fuit Byzantii prope aram Minervæ Ecbasiæ; ita ille Cyzici prope templum Apollinis Ecbasii. Cum enim Argonautæ extra urbem appulsi essent, Cyzicenorum invitatu navem appulerunt in portum urbis interiorem, ubi Argonautæ Apollini Ecbasio aram erexerunt a navis egressu in Dolioniam. Id templum Deilochus appellat non Ecbasii, sed Jasonii Apollinis.

Jam vero anchoram, quam tradit Argonautas accepisse a promontorio Bospori Ancyræo, existimo eam esse, quam Argonautæ reliquerant, ad Phasim, de quo Arrianus. *Phasim*, inquit, *ingredientibus in sinistra parte demonstratur anchora Argous navis ferrea, quæ non mihi videtur antiqua, etsi ejus magnitudo non est eadem, quæ nunc est anchorarum, & figura aliquo modo immutata est: tamen recentior esse videtur ætate Argonautarum. At lapideæ alterius anchoræ fragmenta antiqua monstrantur, quæ potius conjicio reliquias esse illius anchoræ Argonauticæ.* Hæc quidem Arrianus. Unde autem colligam reliquias

A anchoræ Phasianæ esse illius, quam sumpserunt a promontorio Ancyræo Bospori, profecto non aliunde, quam a nobilitate scriptorum: qui si inter promontorium Ancyræum, & Phasim commemorassent Jasonem anchoram, vel accepisse, vel reliquisse, non defuisset posteris locus celebratus nomine anchoræ Jasoniæ; ut non defuit quercui Marianæ, Poetæ ingenio satæ; quam (ut Cicero ait) cum tempestas, vetustasve consumpserit, tamen erit in his locis quercus, quam Marianam vocabunt. Anchoras Jasonis quamvis vetustas consumpsit, tamen literarum monumentis & locorum permanent.

B Jam sinum, quem claudit promontorium Ancyræum, vulgus Græcorum appellat *ἀγίȣ σιδήρȣ*, ex eo fortasse, quod ibi aliquando fuit ædes divi Sideri, quem nautæ venerantur, ut sacram anchoram, quam idem vulgus appellat *σίδηρον*. Antiquissimis heroicarum ætatum temporibus usos anchoris lapideis fuisse incredibile videri non debet, cum nostra ætate multæ nationes, non modo in ultimis terris nuper cognitis sitæ, sed etiam in recessu intimo Arsinoitico sinus Arabici, non modo anchoris lapideis Arabes Æthiopesque, sed etiam navibus omnis ferri expertibus navigent: C quas, cum essem in portu (quem Arabes nunc vocant *Tor*, Græci vero *Rhaithon*, coloniam Rhaithynorum populorum felicis Arabiæ, distantem a monte Sinæo iter circiter duum dierum) perspexi onustas divitiis Arabicis, nullis clavis ferreis compactas, sed tabularum conjunctissimis commissuris colligatas funiculis, resinaque imbutas odorata, quam ex arbore thurifera manare ajebant, totamque navem ex uno genere arboris factam esse, ex qua nascitur nux Indica, nimirum omnia membra navis, atque adeo armamenta, ut funes, ut vela, quæ ex illius foliis scite contexta dicebantur. Hæ naves valde capaces, nullis transtris tectisque im- D peditæ sunt, quibus prorsus carebant, ut carent *Carbæ* nuncupatæ, quibus Aphricani utuntur, qui accolunt Syrtes, circumdantes Lotophagiam Insulam, nunc vulgo nominatam *Gerbem*, ærumnosæ peregrinationis meæ diuturnæ clausulam tragicam; ubi graviora passus sum, quam socii Ulyssis apud Lotophagos. Illi enim voluptatibus Lotophagorum deliniti retinebantur, ego in lugubri scrobe funestorum piratarum diu retentus, nulla spe redemptionis proposita, neque vitæ liberari potui periculo, nisi dissidio Barbarorum, quo Insula capta, & pirata, qui me ceperat, in vincula conjecto, Dei optimi maximi benignitate hæc E nostra *de Bosporo Commentaria* resarcio, quæ piratæ a me ante longe accuratius elaborata me verberibus coegerunt, ut distraherem, in mareque projicerem, quamlibet diu prece & præmio proposito eos revocare conarer, ne me in mea viscera sævire cogerent.

Quale autem sit promontorium Ancyræum, & quo nomine appelletur, jam explicemus. Panio promontorio Europæo contrarium Asiaticum promontorium Græci nostræ ætatis appellant *Ψώμιον*. Totum saxum ab imo ad summum existit, arduum & directum, ut murus, exceptis duobus locis de- F pressis, in quorum altero est fons sacer virgini Panagiæ. Ad hoc quidem promontorium a Bosporo venientes, postquam accesserunt, repente vident se exire ex angustiis in mare apertum, in omnes partes interminati aspectus. Venientes vero a Rhebante flumine, hujus promontorii mucronem prætereuntes, vident latum mare redigi in angustum recessum, ab Occasu quidem Panio, ab Oriente vero *Ψωμίῳ*. Hæc enim duo promontoria primas Bospori fauces inchoant, similes sinui accedenti ad formam trianguli crassi, & inæqualis, cujus ex lateribus longis circiter viginti stadia, alterum directius efficit littus Asiaticum, pergens a vertice anguli occiduo ad basim aquilonarem: latus vero, quod efficit littus Europæum obliquius, pergit a Meridie ad cardinem Septentrionum, ex intimo sinu efficiente verticem trianguli. Os Ponti stringitur velut in collum latum plus minus sex stadia, in quo est Myrelium, velut in anguli vertice: basim vero efficientes duo anguli, seu potius duo cornua existunt promontoria Panion & Psomion: hoc ipso littus procurrens ad Aquilonem, flectitur ad Solis ortum fere æquinoctialem; illo a Meridie ad mundi cardinem arcticum procedens incurvatur ad Solis occasum.

Jam cum ex antedictis, tum ex eo, quod inter scopulum nuncupatum Colonem, & primas freti Bosporici fauces nullum intercedit promontorium, sed duntaxat littus rectum, planum, sabulosum, patet *Ψώμιον* esse Ancyræum promontorium, quod ab Oriente, ut ipse notavi, ut vero Dionysius ait, a Meridie claudit pulchrum os Ponti, & ex magno pelago & aperto cogit mare in fretum angustum. Inde Dionysius addit.

CAP. III.

De Pyrgo Medeæ, & de insulis Cyaneis Asiæ.

POST, inquit Dionysius, *promontorium Ancyræum est Pyrgos Medeæ Colchidis, petra rotunda, in directum tumulum elata. Ultra Pyrgon Medeæ, insula existit, quæ maris perturbati fluctibus obruitur: tranquillo mari manifesta apparet. Hujus extremas partes & cacumina, Cyaneas nominarunt, ne secundum Asiam natura expers esset Insularum, & fabula fide careret, tradente Cyaneas olim inter se concurrisse, Symplegadesque a re, quæ accidisset, nominatas esse: inde stationem firmam habere apud utramque continentem ad vadum maris suis radicibus adnitentes fato, in utramque partem separationis servantes fidem.* Hæc quidem Dionysius. Promontorio Ancyræo cingitur ab Aquilone sinus a Græcis nuncupatus divi Sideri, in quem medium influit rivus omni anni tempore perennis: qui exile ostium etsi ea magnitudine fluens habet, qua dixi Myrleanum fluere, tamen interius paulo supra ostium habet alveum magnum & plenum, ob planitiem leniter resupinam, per quam mediam delabitur in hujus sinus latere, quod efficit promontorium. Promontorium autem Ancyræum est scopulus in quatuor petras divisus supra aquam, quæ subter aquam radices conjunctas habent; separatæ quidem a Continenti brevi Euripo, saxis crebris referto, per quæ velut per gradus, cum est mare tranquillum, siccis pedibus Euripum intercidentem inter scopulum, & Continentem transitus patet: cum autem sunt maris tempestates, fluctibus circumdantur quatuor petræ, in quas dixi scopulum divisum: quarum tres humiles prorsus submerguntur, media vero excelsior Cyaneis Europæis, in acutum verticem fastigiata, subrotunda usque ad fastigium fluctibus quidem aspergitur, sed non obruitur, undique præceps, & directa. Ab Ortu & Meridie ejus fastigium sensim projicitur, ut consistentes juxta imam ipsius crepidinem projectione velut tecto protegantur a pluvia. Non patet in ejusdem undique præcisæ fastigium ascensus, nisi difficulter, cum quis a Septentrione expeditus, manibus, pedibusque nitens sursum irrepat. Non fuisse aliquando divisum hunc scopulum in quatuor petras, indicant ruinæ saxorum circumjacentium: ex quibus mihi (priusquam incidissem in Dionysii *Anaplum*) hæ videbantur Cyaneæ Asiaticæ. Sed ex Dionysiana descriptione nulla petra tam

tam prope accedit ad Pyrgon Medeæ, quam hujus ſcopuli petra Medea. In ſinus jam prædicti latere meridiano prope littus viſuntur ſpeluncæ ſaxeæ, bene penitus concavæ, multitudinis capaces.

Deinceps ſubſequitur ſinus jam a Græcis appellatus Ampelodes, a vitibus agreſtibus ibi ſua ſponte provenientibus, quem ab Aquilone cingit promontorium, cingens a Meridie ſinum divi Sideri. In ſinu Ampelode exiſtunt duo ſcopuli toti ſaxei, inter ſe aliquanto ſpatio diviſi: quorum magis aquilonaris, ac remotior a Continenti, excelſus non eſt, ut qui in magnis tempeſtatibus obruatur mari. Hic uſque adeo frequentatur laris, mergis, fulicis, ut totus ex illarum ſtercoribus albeſcat, ut procul cernens nive tectum ipſum putet. Alter ſcopulus ſimiliter totus ſaxeus, altior quidem, ſed littori propinquior, ut qui brevi Euripo a Continenti dividatur, cum eſt tranquillitas maris: at cum tempeſtatibus mare concitatur, fluctuum acceſſu obruitur, deinde vero receſſu aperitur. Poſt promontorium a Meridie cingens ſinum Ampelodem conſequitur ſcopulus, undique mari ſemper circumdatus, ſaxeus, quem nautæ appellant *Calogream*, a forma mulieris monachæ. Concavus exiſtit ex parte Occidentis. Inde non longe ſequuntur ſcopuli ſaxei, ſiti prope latus aquilonare promontorii claudentis ſinum, appellatum *Dios ſacra*.

Ex his quinque ſcopulis ante commemoratis, ſine ulla dubitatione unus eſt inſulula illa Cyanea Aſiatica, quam Strabo deſignat, cum inquit, duas inſululas eſſe in ore Ponti Euxini, Cyaneas appellatas: alteram adhærentem Europæ, alteram Aſiæ, Euripo viginti ſtadiorum inter ſe disjunctas. Dionyſius Byzantius, ut ante dixi, primum ſcopulum demonſtrat eſſe turrem Medeæ. Itaque ex Dionyſio unam ex reliquis quatuor ſcopulis oportet Cyaneam eſſe Aſiaticam. Equidem ipſe, niſi Dionyſii authoritas intercederet, etiam nunc relaberer in eundem errorem, in quo me fuiſſe ante profeſſus ſum, nempe Pyrgon Medeæ eſſe Cyaneas Aſiaticas, cum ex eo, quod ſcopulus Medeæ ſimilior longe eſt Inſulis Cyaneis Europæis, & e regione magis contrarius, tum maxime ex eo, quod Apollonius non minus verus locorum conſcriptor, quam egregius Argonautarum Poeta, Pontum latum videri ait utrinque apud Cyaneas. Sic enim Græce ſcribit,

Ηδη δ' ἔνθα καὶ ἔνθα διαπλατὺς εἴδετο Πόντος.

Similiter Dionyſius orbis conſcriptor, a Cyaneis, inquit:

Ἐκ δὲ τῶν οἰγόμενος παραπέπταται ἐγγύθι Πόντος,
Πολλὸς ἐὼν, καὶ πολλὸν ἐπ' ἀντολίης μύχον ἕρπων.

Idem conſentit Dionyſius Byzantius, latum mare cum dicit aperiri promontorio Ancyræo. Ante monſtravi turrim Medeæ eſſe juxta radicem promontorii Ancyræi. At ex reliquis ſcopulis, qui deinceps conſequuntur, non utrinque latum mare aperitur, etiamſi ex horum verticibus oculos in omnes partes intenderis. Littus enim Aſiaticum nondum curvatum ad Solis ortum, impeditur promontorio Ancyræo, quo minus ab his ſcopulis latum utrinque mare proſpiciatur. Adde, quod ratio Cyanearum, quam deſcribit Apollonius, cæterique ſcriptores, magis convenit Pyrgo Medeæ, quam reliquis ſcopulis. Fluctibus enim magis verberatur, ut magis Septentrionibus patens. Præterea in quatuor petras diviſus undique circumdatur ſaxis projectis ex ruinis, quas aliquando edidiſſe videtur vel terræ motu, vel temporis vetuſtate, vel, ut Poetæ ajunt, ex concurſu Symplegadum. Hunc enim in quatuor petras diviſum convenientius videtur appellare Cyaneas, ut omnes antiqui appellant in numero plurium, quam quemvis ex cæteris ſcopulis ſingulis una petra conſtantibus. Sed de his relinquo liberum judicium omnibus his, qui poſt me diligentius Cyaneas perveſtigare conabuntur.

CAP. IV.

De promontorio Coracio, & de Pantichio, & de ſcalis nuncupatis Chelis.

PROMONTORIUM, quod a Septentrionibus cingit ſinum, vulgo nuncupatum *Dios ſacra* (ex eo, arbitror, quod olim ibi aliqua Jovis, vel Neptuni alterius Jovis ara extiterit) undique præceps & ſaxeum eſt, longum circiter ſexcentos paſſus. Cujus dorſum anguſtum: in quo olim ara aliqua ſtatuta eſſe potuit vel Jovis, vel Mercurii (ut nunc in eo videmus cumulos lapidum, quos *Hermas* appellare poſſis) exaggerata ad indicandam viam nautis: quamvis in hoc medio ſinu (ex quo paucis ante annis effoſſa ſunt ædificiorum fundamenta) eſſe potuit ædes vel Jovis, vel Neptuni. Hic ſinus ſitus e regione ſinus Myrleani, cingitur a Meridie promontorio, etiam nunc appellato Coracio, toto ſaxeo; ex eo, ut dicunt Græci hujus ætatis, quod Corvi in ipſo nidificare ſolent: poſitum eſt contra promontorium Europæ, quod claudit portum Epheſiorum. Inter hæc duo promontoria, nonnulli piſcatores dicunt fretum Boſpori tam anguſtum fere eſſe, quam inter Fana.

Jam vero in ſinu, quem ab Aquilone claudit promontorium Coracium, locus eſt nominatus a Græcis *Mancipium*, affirmantibus ibi olim fuiſſe furnum, quem vulgus Græcorum nominare ſolet *Mancipium*, Μαγκίπειον, ignorantium locum hunc olim appellatum fuiſſe *Pantichium*, unde ipſi a vicinitate nominis detorſerunt in *Mancipium*, id quod ex Dionyſio oſtenditur, cum ait: *Poſt Cyaneas eſt promontorium Coracium, & latum littus, cui nomen παντείχιον ab extructione foſſarum, omnem hunc locum ambientium*. Duo Pantichia ſcriptorum monumentis celebrantur, ſita in ora maritima Chalcedonis, utraque Byzantii ſuburbana, utraque pari ſpatio diſtantia Byzantio: quorum alterum paulo ante commemoratum eſt juxta Boſporum ſitum inter Coracium promontorium & Fanum Jovis: alterum inter promontorium nuncupatum Acritas a Menippo in Periplo Bithyniæ & Chalcedonem poſitum juxta Propontidem, quod nunc frequentem vicum habet, etiam nunc a vulgo Græcorum *Pantichion* nominatum, in quo antiqui muri viſuntur valde craſſi, indicantes olim ibi caſtrum permunitum, recteque παντείχιον appellatum fuiſſe. Hujus meminit Antoninus Pius in ſuo *Itinere*. Sic enim inquit: *A Conſtantinopoli ad Chalcedonem trajectus in Bithyniam* M. P. IIII. *a Chalcedonia uſque ad Pantichion* M. P. XV. Utrum ex his duobus Pantichiis ſit illud, de quo Sozomenus ita ſcribit? *Hi, qui a Rege Valente juſſi erant Joannis Baptiſtæ caput ferre ex Cilicia Conſtantinopolim, cum ad Pantichium veniſſent locum Chalcedonis, non ulterius progredi poterant*. Ex quibus percipitur id Pantichium eſſe juxta Propontidem, quod ſit hoc ſitum in via eorum, qui a Cilicia veniunt Conſtantinopolim. Procopius ſcribit Beliſarium poſſediſſe fundum in Pantichio ſuburbano Byzantiorum. Id an alterum ex utroque prædictorum; & ſi alterum, utrum ex his, afferam illa, quæ ex libro tertio Procopii *de bello Gothorum* vertere omiſit Interpres, cum ad cognitionem locorum, tum maxime ad cognoſcendam neceſſaria fortunam Beliſarii, quam Tzetzes ignoraſſe videtur, ſecutus opinionem vulgi. Sic enim ſcribit

Procopius: *Cum Belisarius a Justiniano revocatus esset, substituto Narsete eunucho, rediit Byzantium, ubi reliquum vitæ egit, magna divitiarum facultate præditus, vir spectatus & mirabilis, ob secundas antea res gestas & felicitates, quas ipsi, priusquam in Libyam duxisset exercitum, signo non obscuro dæmonium præsignificaverat. Signum fuit hujusmodi. Belisario prædium quoddam erat in Byzantiorum suburbano, quod Pantichium nominatur. situm enim est in Continenti, Byzantinis transmarina. Paulo antequam exercitum Belisarius in Libyam duceret contra Gelimerem, evenit, ut vites illic ubertate uvarum redundarint, earumque vino dolia ministri Belisarii cum implevissent, eaque in cella vinaria reposuissent, & defodissent subter terram, diligenterque argilla obstruxissent, res mira accidit. Post enim octo menses vinum in doliis quibusdam ebulliens, argillam perrupit & distraxit, qua dolia obstructa erant, & superfluens adeo multum effluxit, & terram vicinam diluvio obruit, ut lacum magnum in cellæ solo effecerit: quem ministri Belisarii, ut viderunt, valde admirati, multas amphoras ex vino effuso impleverunt; iterumque cum illa dolia obstruxissent argilla, rem, quæ acciderat, primo siluerunt: deinde sub idem tempus, cum hoc sæpe factum animadvertissent, ad possessorem fundi retulerunt: is necessariis multis, quos accersiverat, monstravit ea, quæ accidissent. Illi ex illo signo conjecturam ducentes, prædixerunt magna in hanc domum bona ventura esse.* Ex quibus perspicitur falsum esse, & plane de fece plebis haustum, quod Tzetzes nobilior Grammaticus, quam certior Historicus, in suam retulit *Variam historiam*, cum narrat, Belisarium magnum exercituum ducem Justiniani temporibus extitisse; eumque, postquam ex triplicis orbis parte victorias reportavisset, invidia excæcatum fuisse, poculumque ligneum tenentem in foro clamavisse apud Miliarium aureum: *Belisario obolum date, exercitus duci: quem fortuna illustrem fecit, invidia excæcavit.* Procopius quidem in libro nuncupato περὶ τ͂ ἀνεκδότων, quem scripsit contra Justinianum Regem, & Theodoram Reginam, contraque Antoninam uxorem Belisarii, narrat, ut Belisarium Theodora spoliasset permulto auro, dissimulante Antonina, quam Belisarius oderat ob pervulgatum adulterium: professum postea se fore Antoninæ non virum, sed mancipium, iterum in Italiam exercitus ducem missum, sese iterum pecuniis explevisse, & φιλοχρήματον habitum fuisse: inde bene nummatum rediisse Byzantium, ubi, ut ante narravimus, reliquum vitæ vixit. Illud Belisarii prædium fuisse potius in Pantichio Propontico quam Bosporico, conjicio ex eo, quod Proponticum in agro amœno, ac vini feraci & cæterarum rerum; at Bosporicum est in littore confragoso præruptoque, & longe minus amœno, & vinetis inepto. Tum nonnihil conjecturæ illud affert, quod non longe a Pantichio Propontico aliud prædium Belisarius haberet, nuncupatum Rufinianas, quod fuisse in itinere proficiscentium Byzantio Nicomediam, colligo ex Procopio, cum ait Antoninam Belisarii uxorem proficiscentem ad Belisarium, bella contra Persas gerentem solvisse Byzantio, mansionemque primam fecisse in suburbano, quod appellaretur Rufinianæ, idque prædium fuisse Belisarii. Rufinianas aliquando appellatas fuisse Dryin, tradit historia incerti quidem authoris, sed antiquis literis exscripta.

Verum redeo ad Dionysii *Anaplum*, unde digressus sum. *Pantichium*, inquit, *Chelæ subsequuntur; quarum alteræ nominatæ a figura, alteræ ab aliis rebus appellantur.* Inter Pantichium & Fanum Jovis, quod Dionysius post Chelas ponit, nullæ nunc sunt Chelæ, hoc est, scalæ, neque moles, neque viæ frequentes, sed angustæ semitæ ob impendentem montem excelsum, ex quo descendendi in littus nulla causa videtur, cum illius radices oram maritimam attingant. At Chelas olim fuisse, patet ex Dionysio: quas non ob aliam causam ibi fuisse suspicari queo, quam ob Fanum proximum vel Jovis vel Neptuni, vel ob aliorum deorum aras, quas prope olim a Phryxo excitatas fuisse XII. diis, infra ostendemus.

CAP. V.

De Fano Jovis, & Neptuni; & de aris duodecim Deorum.

INDE subjungit Dionysii Anaplus: *Post Chelas esse nuncupatum Hieron, hoc est Fanum a Phryxo Nephelæ & Athamantis filio ædificatum, cum navigaret ad Colchos, a Byzantiis quidem possessum, sed commune receptaculum omnium navigantium. Supra templum est murus in orbem procedens. In hoc est arx munita, quam Galatæ populati sunt, ut alia pleraque Asiæ. Possessio autem Fani controversa fuit, multis ipsam sibi vendicantibus ad tempus mari imperantibus: sed maxime omnium Chalcedonii hunc locum sibi hæreditarium asserere conabantur: verumtamen possessio semper remansit Byzantiis, olim quidem ob principatum & domesticum robur: multis enim navibus mare possidebant; rursus vero cum emissent a Callimede Seleuci exercitus duce.* Hæc quidem Dionysius de Fano. Polybius vero ait Prusiam locum natura munitissimum, & supra ipsum Ponti ostium situm, Fanum nominatum, cepisse, quod Byzantii non multo ante ingenti pecunia mercati fuerant, opportunitate loci pellecti, ne quam commoditatem alicui relinquerent in Pontum, vel ex Ponto navigandi, nisi id cum Byzantiorum voluntate faceret. Verum Prusias postea Byzantiis Fanum reddidit, itemque ligna, tegulas, laquearia, quæ ex Fano exportaverat, restituit. Pomponius Mela non a Phryxo conditam, sed a Jasone tradit. Apollonius scribit, Argonautas cum Jasone navigantes ad Colchos, in littore Asiatico, quod etiam nunc appellant ἱερὸν, aram constituisse duodecim diis, in eaque sacrificasse. Polybius similiter tradit Jasonem in hoc loco litasse duodecim diis, sed cum rediret a Colchis. Hi enim sunt duodecim dii: Jupiter, Juno, Neptunus, Ceres, Mercurius, Vulcanus, Apollo, Diana, Vesta, Mars, Venus, & Minerva. Diodorus Siculus similiter dicit, Argonautas redeuntes ex Colchis, cum ad ostium Ponti pervenissent, ad terram appulisse, cui tum imperaret Byzas, a quo Byzantium est appellatum, ibique aras excitasse, & precibus & votis deos veneratos locum consecrasse, quem etiam nunc prænavigantes venerantur. Timosthenes quidem dicit navigantes cum Phryxo aras hic posuisse duodecim diis: Argonautas vero aram constituisse Neptuno. Herodotus in ara scribit sacrificasse Argonautas, in qua Argos Phryxus rediens ex Colchis prius sacrificaverat. Mihi quidem verisimilius videtur, a Phryxo prius aram duodecim diis excitatam fuisse, quam a Jasone. Nam cum ex aula Phinei Jason solvisset, sita in Europa, Apollonius dicit eum transiisse ad contrarium littus, ut ibi duodecim diis aram excitaret, cur in littore Asiatico potius quam Europæo? Non enim necesse erat ex Europa transire in Asiam, sed potius in littore Europæo, in quo erat, aram constitueret & sacrificaret duodecim diis, nisi admonitus fuisset in contrario littore Phryxum prius aram excitasse, in qua, ut ipsi quoque sacrificarent, Argonautæ fas esse putaverunt, cum in Colchos proficiscerentur ad recuperandam pellem auream arietis, quem una cum pelle aurea Phryxus apud Colchos dedicaverat Jovi Phryxio.

A Nec mihi ſatisfacit Timoſthenes, dum ait, Phryxum quidem excitaſſe aras duodecim diis, Argonautas vero Neptuno: cum Dionyſius Byzantius dicat, Jaſonem vatis juſſu ſacrificaſſe duodecim diis, vatis non nomen explicat: at explicant alii Glauci dei marini, Orpheique admonitis, alii juſſu Phinei, qui ubi ſacrificaſſet, & precatus eſſet Argonautis bonam navigationem, non eos admonet ad colendum Neptunum, ſed Jovem, quem Argonautis narrat cum omnium ventorum authorem, tum Eteſiarum: quibus flantibus Argonautæ retinebantur apud Phineum. Navigantibus enim in Pontum Eteſiæ venti contrarii exiſtunt; qui in Ponto ſunt, B Boreæ; in Græcia, Zephyri. Eteſiarum dies ſunt quadraginta, ut Apollonius ait, ut Timoſthenes, quinquaginta. Incipiunt flare, cum Sol eſt in fine Cancri. Flant autem per totum Leonem, & deſinunt in media Virgine. Eteſiis igitur interea, dum Argonautæ retinerentur, Phineus his explicat, ut Ariſteus Jovi *ἰκμαίῳ* cum cæterorum ventorum, tum Eteſiarum aram erexit in Coo Inſula, propterea quod Eteſiæ a Jove dantur ad refrigerandos calores: unde poſtea Cois lege ſancitum fuit quotannis cum armis obſervare exortum caniculæ, ipſique ſacrificare, a qua venti Eteſiæ incipiunt ad refrigerandam terræ ſiccitatem. Hæc narrantem Phineum cum audiiſſent Argonautæ, eos tradit C Apollonius tranſiiſſe ad littus contrarium, ubi aram duodecim diis conſtituerent, eisque ſacrificarent: ex quibus Jaſon videtur cum Neptuno, tum maxime Jovi Urio ſacrificaſſe, ut placeret Eteſias, ventosque ſecundos daret, unde poſteri Fanum Jovis Urii appellarunt, ut Arrianus, Menippus, Dionyſius Byzantius.

Sed an idem Fanum ſit Jovis, & Neptuni, & Dianæ: nam horum trium ponitur in Ponti introitu; ac ſi diverſa, an in eodem promontorio conſtituta fuerint, aſſequi poſſumus ex his, qui ſcribunt in hoc loco Argonautas aram excitaſſe, & D litaſſe duodecim diis, inter quos Jupiter & Neptunus, & Diana: tum ex Ptolemæo conjicio, qui Jovis Urii cum non meminit, neque Neptuni, ſed duntaxat promontorium Bithyniæ eſſe dicit juxta Boſporum, in quo Fanum Dianæ eſſe dicit. Arbitror aut in eodem templo fuiſſe Dianam & Jovem, ſubſecutisque bellis Jovem ex introitu Ponti ſublatum, nomen reliquiſſe Dianæ: aut ſi in eodem loco duæ ædes fuerunt, Jovis & Dianæ, tamen navigantes magis celebraſſe Jovem, ut ſecundorum ventorum datorem. Neptuni templum fuiſſe in eodem loco, quo Jovis, deſignat Plinius, cum non meminit E Fani Jovis; ſed ſolius Neptuni ponit in ora Boſpori. At clarius Ariſtides in oratione *Iſthmica: Omnes*, inquit, *illuſtriſſimæ & celeberrimæ partes terræ Neptuno dedicatæ ſunt. In Ponti enim introitu, ubi maris anguſtiæ ſtrictiſſimæ ex ſeſe aperiunt mare ingens, & petræ Cyaneæ hinc nominatæ ſunt, & portæ maris, quæ prius clauſæ exiſtimabantur, aræ ſunt Neptuni & templa*. Quod ſi quis ex his Ariſtidis verbis dicat aras, & templum Neptuni fuiſſe ad Cyaneas, idque confirmare nitatur ex Apollonio & Dionyſio orbis ſcriptore, tradentibus multum mare & latum aperiri ex Boſpori Thracii ore, ubi fama eſt Cyaneas petras inter ſe concurriſſe; ad quas a Græ- F cis Planctas nuncupatas profectus eſt Darius, ut Pontum apertum & latum videret, *ubi*, ut ait Herodotus, *in Fano ſedens contemplatus eſt Pontum mirabilem:* ac ſi præterea, quiſquis ille fuerit, adjungat ex his ſibi dubium videri, an Fanum Jovis & Neptuni fuerit apud Cyaneas inſulas: Illi reſpondeo, non modo ingentem Pontum aperiri ex inſulis Cyaneis, ſed etiam ex Fano Jovis, quod hodie *ἱερὸν* Græci nominant, atque adeo a loco Boſpori penitiore & longe interiori a Cyaneis plus quam quadraginta ſtadia diſtanti, quem Dionyſius Byzantius appellat Clavem Ponti, ubi dicit Pontum eminentibus promontoriis clauſum incipere aperiri, nullo promontorio amplius impediente verum aſpectum maris; Symplegadasque fuiſſe olim flexiones variorum & multiplicium promontoriorum: itaque Ariſtidem non intelligere Cyaneas inſulas, ſed rupes ingentes ex utroque latere cingentes Boſporum, atque radices promontorii, ubi ſpectatur arx nuncupata Fanum, cum ex antedictis colligere potes, tum ex eo, quod ait, aras & templum Neptuni eſſe, ubi maris anguſtiæ ſtrictiſſimæ ſunt: Longe enim ſtrictiores ſunt ad Fanum, quam inter Cyaneas inſulas, inter ſe diſtantes viginti ſtadia: at anguſtiæ apud Fanum latiores non ſunt quinque ſtadiis; Dariumque ex Fano Jovis Pontum longe lateque contemplari potuiſſe.

Sed fac fuiſſe aliquod templum in Cyaneis inſulis, in quo ſedens Darius mirabilem contemplatus fuerit Pontum: tamen cujus dei illud fuerit, non explicat Herodotus; neque Cyaneæ mihi capaces templi videntur, etſi Europæas Dionyſius tradat habuiſſe aram Apollinis. Sed ſi templum aliquando in Cyaneis fuiſſet, quædam veſtigia reſtarent, vel excavatorum fundamentorum, vel excisa via ad aſcenſum, ubi nulla apparent: quod etiam ſi illic fuiſſet Darii temporibus aliquod templum, tamen ex antedictis conſtat Jovis & Neptuni fuiſſe in loco nuncupato Fano, a Cyaneis diſtante quadraginta ſtadia, tum maxime in eodem loco fuiſſe templum Neptuni, in quo ſtatutæ fuerunt ædes & aræ duodecim diis, patet ex illis, quæ ſcripſi in primo libro, tum ex his, quæ ſcribit Nymphis Heracleota in ſexto libro *de patria ſua: Cum*, inquit, *Pauſanias viciſſet ad plateas Mardonium, ab Spartæ legibus deſciſcens, & ſuperbe ſeſe efferens, cum circa Byzantium ageret, æreum craterem ſtatuit duodecim diis in ore Ponti ſitis, in quo auſus eſt inſcribere hanc inſcriptionem, ſui oblitus ob delitias & ſuperbiam.*

Μνᾶμ' ἀρετῆς ἀνέθηκε Ποσειδάονι ἄνακτι
Παυσανίας ἄρχων Ἑλλάδος εὐρυχόρου,
Πόντου ἐπ' Εὐξείνου, Λακεδαιμόνιος γένος υἱὸς
Κλεομβρότου ἀρχαίας Ἡρακλέος γενεᾶς.

Herodotus meminit hujus crateris. *In Exampeo*, inquit, *loco ſito inter Boryſthenem & Hypanim jacet abenum ſexies tantum capiens, quantum ſemel crater, qui eſt in ore Ponti, a Pauſania Cleombroti filio dedicatus.* Quod ſi quis non inſpexit, hunc ei in modum declarabo. Illud ſitum in Exampeo ſexcentarum eſt amphorarum facile capax, craſſitudine ſex digitorum. Cur Neptuno potius, quam Jovi Pauſanias dedicarit craterem; aut ſecutum fuiſſe arbitror Fani nomen, quod tum fortaſſe frequentius appellabatur Neptuni, quam Jovis: aut quia in oppido Fano proprium eſſet Neptuno delubrum, in quo ſtatuit hunc craterem Pauſanias. Nam ſi eadem ædes fuit Jovis & Neptuni, haudquaquam video cauſam, cur non potuerit potius quam Neptuno dedicare Jovi Eleutherio, quod terra potius quam mari viciſſet Mardonium. Jovi enim Eleutherio craterem ſolebant antiqui ſtatuere pro libertate, qui hoſtes repuliſſent. Sed in hac re puto ſecutum Pauſaniam commune judicium Græcorum, qui Neptuno, ut *σωτῆρι* aram erexiſſent, quod Neptunum exiſtimarent Græciam liberaſſe a Perſarum ſervitute. Neptuni ſtatuam ſimiliter æream fuiſſe non aliunde colligere poſſumus, quam a conjectura illa. Veriſimile enim videtur, ſive fuerit illa a Chalcedoniis ſtatuta, ſive a Byzantiis, utriſque colonis Megarenſium & Corinthiorum, eos imitatos fuiſſe progenitores ſuos, qui in Iſthmo curarunt, ut Lyſippus efficeret Neptunum æneum.

Qualis autem fuerit statua Jovis Urii in ore Ponti constituti, neque Dionysius, neque quisquam explicat, nisi unus Cicero. *Tria*, inquit, *ferebantur in orbe terrarum signa Jovis Urii pulcherrime facta: unum illud Macedonicum, quod in Capitolio videmus: alterum in Ponti ore & angustiis: tertium quod Syracusis ante Verrem prætorem fuit. Illud Flaminius ita ex æde sustulit, ut in Capitolio, id est, in terrestri domicilio Jovis poneret.* Quod autem est ad introitum Ponti, id cum tam multa ex illo mari bella emerserint, tam multa porro in Pontum invecta sint, usque ad hanc diem integrum, inviolatumque servatum est.

Deinde Dionysius reliqua de Fano ita exequitur: *In Fano*, inquit, *statua ærea est antiquæ artis, ætatem puerilem præ se ferens, tendens manus.* Causæ multæ afferuntur, cur hæc statua sit in hanc figuram conformata. *Quidam*, inquit, *ajunt audaciæ signum esse navigantium, deterrens temeritatem navigationis periculis plenam, atque ostendens redeuntium salutis felicitatem & pietatem: non enim sine terrore utrumque est. Alii dicunt, puerum in littore errantem aliquanto post venisse, quam e portu navis soluta esset, salutisque desperatione affectum, manus ad cœlum tendere: pueri autem preces deum exaudientem reduxisse navem in portum. Alii ajunt in magna maris tranquillitate, omni vento silente, nave diu retardata, nautas inopia potus laborasse: navarcho autem visionem insedisse, jubentem, ut navarchus filium suum sacrificaret; non enim alio modo posse assequi commeatum & ventos. Navarcho necessitate coacto, & parato puerum sacrificare, manus quidem puerum tetendisse, Deum vero misericordia motum ob absurdum pueri supplicium, obque pueri ætatem, sustulisse puerum, & ventum secundum immisisse.* Hæc quidem & his contraria, ut cuique placuerit, credibilia existimantur. Hanc historiam Philostratus aliter interpretari videtur. *Mulierculæ*, inquit, *in littore acclamant, equos autem rogare videntur, ne pueros abjiciant, neve frena respuant, sed feras capiant & conculcent: quarum precibus commoveri equi videntur; pueros autem, ubi venati essent, & prædam cepissent, navis ex Europa in Asiam trajicit fretum latum quatuor stadia, tantum enim intervallum distant duo orbes, & remigum ipsi funguntur officio. Ecce autem rudentem jaciunt, excipit ipsos domus amœnissima, thalamos & andronas, fenestrarumque vestigia subostendens muro circumdata, pinnis & propugnaculis exornato, & quod domus est pulcherrimum, ejus porticus semicircula coloris cerei speciem gerens a lapidibus in ipsa constitutis circumstat mare. Hi lapides gignuntur ex fonte: aquam enim calidam montes Phrygiæ emittunt, & fluxus inductus in litomias madidas, efficit petrarum alias coloris aquei, & lapidum excrescentiam facit, ut ipsorum varii colores existant. Ubi enim aqua stagnat, turbidum colorem & cereum inducit: ubi vero aqua pura, colorem crystallinum efficit, multisque epota foraminibus lapides variat: sed littus excelsum est, & hujusmodi fabulæ fert symbolum. Puella ac puer ambo formosi, eundemque frequentantes præceptorem, ad mutuum amorem exarserunt, & nulla amplectendi data facultate, ex hoc saxo mortem appetiverunt; itaque hinc in primis & postremis amplexibus se præcipites egerunt. Cupido supra petram consistens, manum intendit ad mare: domus deinde vidua, colitur a muliercula ob juvenum molestiam ex urbe egressa: rapturi enim ipsam videntur, & petulantia quadam, lascivisque saltationibus, ac carminibus eam frequenter adibant, muneribusque solicitabant: at ipsa astu quodam, atque animi elatione in eos utens, vellicat adolescentulos, & huc egressa, munitam hanc habitat domum. Contemplare enim, quam munita sit. Præcipitium enim in mare eminet: quod ab ima parte mari alluitur, lubricum, a superiori parte projectum hanc maritimam sustinet domum, sub qua mare magis cæruleum videtur demittentibus oculos in ipsum. In hanc domum fortem etsi mulier se contulit, tamen non eam reliquerunt amantes pulchri & coronati. Sed hic quidem cæruleæ proræ, alter inauratæ, alius alterius coloris naviculam ingressus navigat: necnon Comus ipse, id est, ebrietatis Deus: & hic quidem tibia canit, alter vero plaudit, alius cantat, coronas, ut puto, atque oscula sursum jaciunt; nec remos agitant, sed inhibent, & applicant navigia ad præcipitium: muliercula vero ex domo, velut ex specula videt hæc, & ridet lascivientium more in amantes, eos non solum navigare, sed etiam natare cogens: ac procedens in spectanda pictura, incides in armenta, & mugientes boves audies, & fistularum vox te circumsonabit, & in venatores incides, & agricolas, & fluvios, & lacus, & fontes. Expressit enim pictura, & ea, quæ sunt, & quæ fiunt, & ut quædam fieri possent, non ob multitudinem segniter exprimens veritatem, sed perficiens singulorum propriam naturam. Ad Fanum pervenimus; & templum, quod illic est, puto, vides, & columnas, quæ circa ipsum sunt constitutæ, & in ore Ponti faces ex specula sublatæ ad ostendendum os Ponti navibus.* Hanc Philostrati picturam attuli, ex ea colligens, si vere Philostratus interpretatur, aliquando revera repræsentatam fuisse ab his, qui angustias Bospori accolunt, volentibus aut re ipsa, aut ficta æmulatione apud suas angustias similem amorem puellæ & pueri accidisse ei, qui accidit apud Hellespontias angustias, ad Sestum & Abydum: quanquam puer ille tendens manus videri possit ille, quem ante descripsit Dionysius Byzantius. Nam nullus author tradit, puerum & puellam, ex eo, quod ad mutuum amorem exarsissent, se ex Bospori angustiis præcipitasse. Philostratus enim hujus picturæ symbolum interpretatur positæ in domo quadam Neapolis Italicæ: qui tum si vidisset præsentem Bosporum, cum eam interpretabatur Neapoli, pueris non attulisset lapides illos domus cerei coloris esse: ex eo, quod montes Phrygiæ similes ferant. Illi enim illinc longissime absunt, quales, cum proficisceremur contra Regem Persarum, in Tephricen urbem Mediæ, vidi in Galatiæ (quæ magna Phrygia antea dicebatur) urbe nuncupata Bolo, antiquitatum plena, a qua non longe sunt balnea natura calida, ejusmodi lapides efficientia, quales describit Philostratus. At apud Bosporum non ex aqua tales fiunt, sed potius cyanei coloris: nisi fortasse ita Philostratus interpretari potuisset picturam illam, totamque attribuere sacerdotibus Magnæ Matris Deorum, quæ colebatur in Fano Europæo, supra quod erat Pharus antiqua, & juvenes illos navem trajecisse ex Asia in Europam ad repræsentandos quosdam actus Matris Deorum amoribus insanientis in Atyn, coloremque cereum videri in lapidibus ex illa ratione, qua Dionysius appellat Milton promontorium oppositum Fano Jovis.

Sed etiam hanc picturam Philostrati attuli, ut ex ea colligas Fani situm, & Bospori angustias apud Fanum esse quatuor stadiorum, Pharumque antiquam fuisse in conspectu Fani, contra quam sit recens Pharus posita extra aspectum angustiarum Fani, & ut circa Fanum essent columnæ, utque sub Fano præcipitia eminerent in mare, ut in radicibus promontorii Fani existeret domus bene munita, ut Fanum esset oppidum.

Sed ut planius intelligatur Fani situs, describam, ut nunc est: Ἱερὸν etiamnum a Græcis appellatum, a Latinis *Fanum*, parvum castellum natura & muro munitum, a solis Turcis habitatum, situm est in altum edito supercilio promontorii, cujus projectu Bosporus in maximas totius oris Pontici angustias coarctatur. Projicitur enim a Solis Ortu ad Occasum. At Europæum promontorium, in quo ante dixi etiam nunc restare vestigia antiqui Fani

Europæi, procurrens a Septentrionibus ad Meridiem, easdem angustias premit, stringitque. Illud Asiaticum Ptolemæus appellat Bithyniæ promontorium, quod triplici clivo subsidet. Unum valde pronum ad Meridiem claudit vallis nemorosa, divisa in multas valliculas. Nemorosus sinus & portuosus, quem efficit promontorii projectio, ab Oriente habet clausam utrimque vallibus cervicem angustam, qua molli & semiplana pervenitur in promontorii jugum planum. Secundus clivus deprimitur ad Septentriones præceps & pæne directus: cujus radices summas claudit vallis decurrens a summo promontorii jugo ad Bosporum; imas vero cingit idem Bosporus, retinentes vestigia antiqui ædificii, cujus fundamenta in littore jacta perspexi bene penitus effodi, & tympanis a Turcis efferri saxa quadrata ingentia. Ædificium Græci appellabant περιβολὴν, alii περιβολίτην, quasi hortum, ut ipsi putabant ibi olim fuisse. Ego altius ductum puto, quasi Ποσειδώνιον, hoc est, *templum Neptuni*: nam hortus qui esse potuit in littore confragoso rupibus præruptis? Adde, quod juxta mare templum Neptuni, quod juxta has angustias Aristides tradit situm fuisse, convenit, atque Jovis templum, non autem in arce, hoc est, in summo promontorio, sed in imo, cum ex antedictis Dionysii conjicio, tum ex Apollonio, tradente Argonautas in littore aram duodecim diis excitasse. At littus distat ab arce circiter quinque stadia: veroque proximum esse videtur, prope littus fuisse ob commoditatem navigantium, atque extra arcem, ut minus pateret externis accessus ad capiendam insidiis arcem. Tertius promontorii clivus velut dorsum excurrit a summo jugo in Occidentem, usque ad Bospori summas angustias. Primo quidem leniter se remittit ab arce usque ferme ad Bosporum, spatio quidem circiter quatuor stadiorum, quod adhuc utrimque mœnibus antiquis oppidi Fani cinctum spectatur jam penitus deserti & vineis consiti: deinde sub mœnibus antiquis valde propendet usque ad Bosporum clivus efficiens mucronem promontorii, altus circiter centum passus, latus plus minus trecentos, ubi in littore fundamenta videntur ædificata, partim in scopulo distanti a Continenti circiter triginta passus, respondentia moli substructæ in littore Europæo subjecto sub Fanum Europæum: inter quas quidem moles catena extendebatur, ne quis invitis Fanis Bospori angustias transiret. Sub imam vallem, a cardine meridiano claudentem Fani Asiatici promontorium, subjectus est portus optimus, & valde profundus, quem a Septentrionis & Orientis ventis tutum efficit promontorium Fani nunquam fere navibus carentem: quo simili portu caret Fanum Europæum; itaque hominum opere molibus jactis factus erat. Cujus reliquias nunc appellari *Mauromolem* antedictum est. Prope illum portum Asiaticum existit vallicula, laurorum sylva virens, per quam fluit fons perennem rivum emittens, etiam æstate implere valentem quinque digitorum fistulam.

CAP. VI.

De Argyronio loco, & Nymphæo, & lecto Herculis & de Moucaporide portu, & Lauro insana: & de portu Amyci.

A PORTU Fani ad Argyronium præcipites montes impendent in littus præruptum & peditibus invium. De Argyronio ita Dionysius, persequens suum institutum: *Anaplum sub Fani*, inquit, *promontorium subit, & succedit Argyronium nominatum; ex eo, quod multa pecunia*

A *emptum fuisset*. Promontorium Argyronium usque in hunc diem nomen retinet. Patet in latitudinem circiter nongentorum passuum: claudit quidem a Meridie sinum, quem vulgus appellat *Monocolon*; sed idem a Septentrionibus clauditur valle, per quam rivus perennis partim defluit in Bosporum, partim fontem efficit; quem juxta spectantur fundamenta antiqui monasterii. In promontorii Argyronii clivo, maritimam oram prædictæ vallis cingente, prærupto & præcipiti, sed aliquatenus explanato ad excipiendam ædificationem, extant parietes antiqui templi, & columnæ humi prostratæ, quarum unam marmoris Thebæi vidi exportari in

B structuram ædis Maomethanæ, quam nunc ædificat Rex Soleimanus. Quo vero nomine illud templum a Græcis appellaretur, a nemine Græcorum hujus ætatis percipere potui: sed Procopius solus mihi indicavit. *In Pontum*, inquit, *naviganti ad dextram promontorium quoddam abruptum in freti Bosporici littus eminet, in quo ædes martyris Panteleemonis constituta, temporis vetustate laborabat; quam demolitus Justinianus, extemplo persumptuose reædificavit. Ante hanc ædem, in loco nominato Argyronio, mendicorum fuit domicilium, his, qui morbo insanabili affecti essent, quod temporis longinquitate*

C *dirutum prompta ædificatione renovavit, requietis futurum diversorium insanitate laborantium*. Cur autem hic locus Argyronius magno argento emptus fuerit, exputare non possum aliam rationem quam angustiarum freti, quæ inter promontorium nuncupatum Tripite, interque Argyronium a nonnullis habentur ferme tam angustæ, quam Fani angustiæ ab æde Panteleemonis. Supra littoris invii clivos præruptos & præcipites, angusta semita passus circiter quadringentos progressus, incidi in vallem exiguam, sitam in media latitudine promontorii Argyronici, quæ fontem sacrum habet divæ Galatinæ, sinumque admittit Bospori non magnum, in quo piscatores testantur portum fuisse

D munitum mole, quam Turci paucis ante annis sunt demoliti. Argyronici promontorii mucro magis meridianus, quo Bosporus procedens ad Solis occasum flectitur ad Orientem, rupibus perpetuis præruptus confragosam semitam & exiguam vix penetrabilem admittens, atque inchoans magnum sinum, scelerato nomine appellatur *Monocolos* a lapide, ut ipsi dicunt nuper exciso. Quid si fortasse detorserunt antiquum nomen, & sinus is magnus sit ille, qui a Dionysio appellatur *Moucaporis*? sed de hoc paulo infra, quam persecutus fuero ordinem Anapli Dionysiani. *Post* (inquit Dionysius)

E *succedunt & subeunt loca nuncupata Herculis* κλινὴ, *hoc est lectus, & Nymphæum, inde nominata insana Laurus, apud quam ajunt Amycum Bebrycum Regem habitasse, pugillatus pugna omnibus suæ ætatis hominibus præstantem, nisi a Polluce victus fuisset Jovis & Ledæ filio. Ille enim in expeditione Colchica ex provocatione conflixit cum Polluce, ab eodemque Polluce periit, pœnasque dedit in externos crudelitatis; exortaque fuit planta, illius insaniæ insigne, divinius, quam humana mens assequi queat. Nam si quis hanc laurum intulerit in convivium, convivas simili insania afficiet, & contumelia implebit. Hoc sane expe-*

F *rientia didici, naturam immortali memoriæ Regis illius iniquitatem tradidisse ex ipsa lauro*. Arbitror erratum esse in exemplari Dionysiano, habente ἔνθα pro ἔνθεν. nam si ἔνθα legatur, vult dicere Nymphæum esse, ubi est Laurus insana. At Andrætas Tenedius in *Periplo Propontidis* tradit Amyci locum, ubi esset Laurus insana, distare a Nymphæo Chalcedonio quinque stadia. Nemo declarat, quale fuerit Nymphæum Chalcedonium, an specu Nymphis sacrum, an locus Topiario opere spectabilis, an locus sacer virentibus sylvis & pratis, an

balneum, an lacus, an simile Nymphæo Pontico, quod matris Demosthenis oratoris pater figulus, nominatus Glycon, hostibus prodidisse accusatus, & mortis condemnatus fugit ad Bosporum. Epicharmus & Pisander dicunt Pollucem loro ligasse Amycum. Deilochus in primo libro, quem scribit *de Cyzico*, pugillatu dicit Amycum a Polluce superatum. Orpheus ait Pollucem duris loris caput Amyci percussisse. Dura lora quid aliud, quam cæstus? Pollux enim (teste Arnobio) pugillator bonus, & crudo inexuperabilis cæstu, qui vicerit Amycum pugillatu omnium hominum suæ ætatis præstantissimum, quem Valerius Flaccus recte appellavit gigantem, Regem Bebrycum, quos Orpheus scribit ὑπερφιάλως: cum ob corporum magnitudinem, qua præstabant cæteris suæ ætatis hominibus, tum ob animi immanem perfidiam. Arrianus narrat Bebrycem Arantam fuisse magnitudine octo cubitorum, crassitudine vero respondente symmetriæ altitudinis. Eadem magnitudine Historici tradunt fuisse Nicephorum Imperatorem. Inde Dionysius: *Post*, inquit, *Laurum insanam sequitur sinus profundus valde, nominatus Moucaporis, a Rege quodam Bithyniæ. Portus in ipso perbonus, post quem est promontorium αἰετόρυγχον a figura nominatum: est autem petrosum totum & proximum babens mare profundum usque ad oram littoris. Inde sinus Amycus appellatus, & Gronychia campus supinus & planus, in ipso autem piscationes cetaceorum piscium: deinde paludes a simili exaggeratione paludum, quæ sunt in penitimo sinu nuncupato Cornu Byzantii*. Vide an littus, quod tempore Procopii appellabatur *Mochadion*, fuerit illud, quod attingeret sinum Moucaporidem. Sic enim Procopius confestim post descriptionem ædis Panteleemonis sacræ, in Argyronio sitæ, addit littus quoddam esse, cui nomen esset Mochadion, vicinum loco, quod sua ætate appellaretur ἱερὸν, hoc est, *fanum*, in quo quidem Mochadio dicit Justinianum templum Archangelo ædificasse, non inferius aliis duobus templis sacris Archangelo, quorum alterum ante dixi Justinianum construxisse juxta promontorium Estias, alterum in contrario littore: quanquam ex ordine Procopii Mochadion fuisse videtur inter Argyronium & Fanum. At ex Dionysii verbis intelligimus post Argyronium, & Lectum Herculis, & Nymphæum, & Laurum insanam fuisse sinum Moucaporidem. Præterea nescimus ex antedictis Dionysii, Laurum insanam, & sinum Amycum duo loca esse inter se separata: (nempe inter ipsa intercedunt Moucaporis sinus, & promontorium Ætorechon:) ubi vero fuerint, ex nominibus locorum hujus ætatis assequi non potui, quantumlibet iterum & sæpius hac de causa obierim totum littus Bospori Asiaticum, neque a quoquam nato ex indigenis antiquis quicquam intelligere potui. Nam omnes, qui jamdudum accolunt Bosporum, peregrini sunt: indigenæ vero capta Constantinopoli ex Bosporo aufugerunt, & vici aut exusti, aut diu deserti manserunt, & aliquot post annos a longinquis nationibus Barbaris bello subacti agricolæ abducti sunt ad Bosporum accolendum; ut omnes hujus ætatis accolæ Bospori, sint aut peregrini, aut peregrinorum filii.

Præter hæc incommoda huc accedit aliud incommodum, quod Bospori littus Asiaticum regiis viretis totum ferme occupatum est, extinctis & funditus deletis antiquis vicis, ut ne vicorum quidem quisquam jam teneat nomina. Itaque ad conjecturas convertere me oportuit. Primo conjiciebam Laurum insanam fuisse in vallicula divæ Galathinæ; idque colligebam, ut sinum Moucaporidem accommodarem sinui jam ante nominato

A Monocolo: quem cum perspicerem magnum, & longo littoris flexu incurvatum in formam falcis, legissemque apud incertum scriptorem sinum Moucaporidem, postea Drepanum appellatum fuisse, descendebam in eam opinionem, ut putarem hunc esse Monocolon, & promontorium Ætorechum esse jam vulgo nuncupatum Turcum. Sed Arrianus me retinuit; tradens in suo *Periplo Bithyniæ*, a Fano Jovis ad portum Laurus insanæ esse quadraginta stadia. At divæ Galathinæ vallis non distat a Fano viginti stadia. Quamobrem ex Arriano Laurum insanam convenit esse ultra Galathinam longe amplius viginti stadiis. Verum ut situs B locorum clarius fiat perspicuus, designabo littoris sinus & promontoria. A flexu promontorii Argyronii (vel Argyronici,) quo primus Asiæ angulus normalis oppositus angulo Europæo appellato Bathycolpo quadratur & perficitur, & quo Bosporus tendens ad Occasum, flectitur ad Orientem, littus Bospori Asiaticum quatuor sinus admittit, antequam rursus convertatur ad Occasum: quorum primus est Sycia, sive Monocolus appellatus, amplus littoreo circuitu molliter flexo, plus duo milliaria complectens: cujus supra medium flexum est fons perennis Sycia appellatus a proxima ficu. Cum ad hunc fontem accessissemus, & C Laurum vicinam decerpsissemus, eamque in navigium attulissemus, tot contentiones inter remiges & vectores exortæ sunt, ut putarem Syciam olim appellatam fuisse ψυχόνυν, id est, *Laurum insanam*, ut appellat Dionysius. Sed Arrianus iterum me retinuit, cum ait Laurum insanam distare a Fano quadraginta stadia: at Sycia longe minus distat. Alter sinus a sinu Sycia dividitur promontorio nominato Turco: in quem quidem sinum medium ingreditur perennis fluvius, versans molas, paludem efficiens cannarum sylva tectam, habens ostium, quod ponticulis trajicitur, dela- D psus per vallem amœnam, planam, in qua regii horti cum regia villa adumbrata sylvis cum aliarum arborum, tum maximarum platanorum. In hoc sinu, quem jam Græci appellant *Turcon*, existit scala lignea, qua Rex oram maris vadosam trajiciens descendit in hortos. Tertius sinus deinceps statim (interposito tamen promontorio vineis pleno, ab ima parte petroso) subsequitur, appellatus a Turcis *Becoussi*, id est, nux juglans, a Græcis *Amæa*, sive marmorea scala. Quartus positus est in angulo Soltaniæ, quo Bosporus tendens ad Orientem, convertitur ad Occasum, quoque angulus Asiæ normalis efficitur oppositus an- E gulo Europæo nuncupato Commarodi. Hunc quartum sinum esse paludes similes Byzantinis, quas Dionysius ponit post sinum Amycum, paulo infra ostendam: quo cognito facilius assequemur unum esse Amycum ex tribus reliquis sinibus.

Amycus sinus esse non potest ille ipse, quem dixi primum nominatum Monocolon. Nam inter Argyronium oportet esse Moucaporidem sinum profundum, portuosum. At inter Monocolon, & Argyronium nullus talis existit: Relinquitur, ut sinus Amycus sit, aut sinus secundus, in quem defluit rivus versans moletrina; aut tertius, quem F Græci appellant Amæam, a petra extra aquam eminenti, gerenti similitudinem mulieris τ῀ μαίας, sed altius, ut opinor, designante antiquum Amycum. Nam huic uni & soli convenit illud, quod tradit Dionysius, apud sinum Amycum pisces cetaceos capi. In hoc sinu duo vici sunt a solis Turcis habitati: quorum alterum Græci appellant *Amæam*; alterum vocant *Marmoream scalam*: Turci utrumque nominant *Becoussi (Beg Koussi*, Domini Nux) non sine causa fortasse, prius

appellatam Caryam, nomen insanæ Laurus effugientibus mutata arbore & nominatione, ut Pharmaciam in contrario littore accolæ mutaverunt in Therapiam. Inter Amæam & Marmoream scalam piscatores æstivo tempore tendunt retia ad capiendos ξιφίας pisces cetaceos, qui in nullo alio loco Bospori capiuntur, idque maris spatium appellant *Amiam*, sive *Lamiam*, nescio an ab Amyco. Hoc unum scio, hunc sinum esse portum, quem Arrianus appellat Laurus insanæ, ex eo, quod distat a Fano quadraginta stadia. Itaque oportet Dionysium errare, aut Arrianum. Nam Arrianus sinum Amycum, & portum Laurus insanæ, eundem facit; Dionysius a sinu Amyco separat Laurum insanam intervallo interposito sinus Moucaporidis, & promontorii Ætorechi: sed uter rectius scripserit, conjice ex his, quæ subjungam; & primum considera id, quod Dionysius tacet, cur appellatus fuerit sinus Amycus? profecto a loco vicino nuncupato Amyco. Præterea perspice, cur locus ille vicinus appellatus fuerit Amycus, nimirum ex eo, quod ibi vel Amycus aulam habuerit, vel pugnaverit cum Polluce, vel quod ejus sepulchrum fuerit, vel quia Laurus insana ibidem extiterit: nam hæc quatuor de eo traduntur, an in eodem loco eadem hæc omnia fuerint. Quod si in eodem loco, oportet esse apud sinum Amycum; aut nulla causa relinquitur, cur nominetur sinus Amycus. Apollonius illa in eodem loco ponere videtur, cum ait Argonautas ad littus, quod videbatur ex sinu extendi, eminenter navem appulisse, ubi essent stabula boum, aulaque Regis Amyci Bebrycum Regis: quem ubi Pollux devicisset, & ob hujus victoriam Argonautæ lauro coronati cœnassent, postridie rudentes solvisse, quibus navis alligata esset ad laurum vegetam. Andrætas Tenedius in *Periplo Propontidis* dicit, Orpheum non poetice finxisse laurum, sed revera fuisse in hoc loco arborem laurum bene magnam. Idemque præterea narrat hunc locum appellari Amycum; habuisseque sua ætate ædificia a Colonis excitata, & distare a Nymphæo Chalcedonio quinque stadia. Magni Etymologici Author ex antiquis scriptoribus tradit Amycum urbem esse; at in quo loco sit, non declarat. Plinius Nicopolim appellat. Stephanus Nicopolim quidem dicit esse in Bithynia, sed locum non definit. Apollodorus in primo *Ponticorum* dicit in loco nuncupato Amyco sepulchrum Amyci, & Laurum esse, ex qua si quis ramum cepisset, in convitia & contumelias concitaretur. Plinius etsi portum Amyci alias ponit apud Bosporum, alias in tractu Heracleæ Ponticæ, tamen id, quod excerpserat ex antiquis scriptoribus; tradit portum Amyci Bebrycum Rege interfecto clarum esse, ejusque tumulum a supremo die Lauro tegi, quam insanam vocant, quoniam si quid ex ea decerptum inferatur navibus, jurgia fiant, donec abjiciatur.

Sed quid plura inculcem? cum jam satis ex antedictis pateat, in eodem loco fuisse portum Amyci, portum Laurus insanæ, sepulchrum Amyci, & locum pugnæ inter Pollucem & Amycum, & locum Amycum, & sinum Amycum. Quare miror Dionysium separare Laurum insanam a sinu Amyco, interposito intervallo sinus Moucaporidis, & promontorii Ætorechi. Verum Dionysius, ut homo Byzantius, longe accuratius describens littus Bospori Byzantium, quam Chalcedonium, decipi potuit varia quadam opinione, quæ tum fortasse pervagabatur de Lauro insana. Sed quantumlibet fuerit pervagata, tamen ex antedictis constat sinum Amycum esse, quem Arrianus appellat portum Laurus insanæ, & Plinius portum Amyci: nuncque appellari Amiam & Marmoream scalam, apud quam est fons distans a Bosporo centum passus, emittens fluvium perfrigidum, etiam summa æstate versare valentem molas, si ejus alveus esset proclivis: & major erat antequam ejus pars derivata esset in vicum proximum appellatum *Becoussi*, ubi, ut hodie est accommodata regiæ Turcorum aulæ, sic longe commodior sedes fuit armentis Amyci, ejusdemque aulæ, quam apud Laurum insanam, quam Dionysius ponit inter Argyronium, & sinum Turcum, ubi dixi fluvii ostium efficere paludem cannis plenam, in quo spatio nullus est fluvius, qui necessarius erat aulæ Regis Amyci: ideoque etiam hac ætate caret ædificiis. Nec me movet, etiamsi hodie nulla spelunca appareat talis, qualem describit Valerius, cum ait:

Littore in extremo spelunca apparuit ingens
Arboribus super, & dorso contecta minanti.

Nam ea aut tot per secula ædificationibus obruta est, aut a Turcis inclusa tenetur intra ædificia, quæ ipse excutere non potui: aut fortasse poetice locutus est: quod non solent Physici Poetæ in descriptione locorum.

Ex antedictis Plinii perspicitur non modo error, ponentis Laurum insanam, & sepulchrum Amyci extra Bosporum in tractu Heracleæ Ponticæ, sed etiam ejusdem incerta commentatio modo ponentis portum Amyci extra Bosporum, modo intra Bosporum: cum tot ex autoribus, quos citat, apertissime declarare potuisset, Laurum insanam & sepulchrum Amyci, & portum Amyci esse intra Bosporum. Hermolao ignoscendum est, quatenus fortasse non viderat Arriani Periplum, neque Dionysii Anaplum; at viderat Apollonium, quem citat ad probandum, ubi esset Laurus insana, & portus Amyci, & sepulchrum Amyci: ex quo assequi poterat, illa esse juxta Bosporum, tum maxime ex Stephano, quem frequentissime affert, consequi facile poterat, portum Laurus insanæ esse in ore Ponti in dextra navigantibus ex Propontide in Pontum, nisi fortasse Codicem Stephani depravatum non animadvertit, in quo edita est δάφνη φαινομένη, pro μαινομένη. Quæ quidem paucula si Hermolaus (diligentior peregrinator librorum, quam regionum) expendisset, profecto in multiplicem errorem non incidisset: qui ut probet in Plinio posse legi, *portum Amyci*, tamen in Bosporo non vult intelligere illum esse, sed haud procul a Bosporo, nempe in tractu Heracleæ. In quo multipliciter decipitur: primum ignorans portum Amyci esse intra Bosporum: secundo Laurum insanam, & sepulchrum Amyci ponens extra Bosporum: tertio Azani portum, & Azamin urbem statuens juxta Bosporum: quorum nemo meminit, ne Dionysius quidem: cum Azanis sit extra Bosporum, teste Strabone; qui ait ex Azanitide Rhyndacem exoriri.

Jam cognitis Amyco loco, & Amyco sinu, cognoscimus Nymphæum Chalcedonium, teste Andræta Tenedio, distans quinque stadia a vico nuncupato Marmorea Scala esse, aut in regiis hortis nuncupatis *Becoussi*, aut ab eis non longe; portumque Moucaporidem esse inter Argyronium, & vicum Marmoream Scalam appellatum: nimirum esse aut Monocolon, aut proximum sinum, ubi fluvius versat molas; promontoriumque Ætorechum existere, alterum ex duobus promontoriis sitis in horto, quem Græci vocant *Turcon* corrupte, quasi *Ætorechon*. Paludes, quas post sinum Amycum ponit Dionysius, fuerunt in sinu, quem vulgo vocant *Soltaniam*, e Soltano Rege Soleimano, qui in eo *Sardacum* luculentum (sic enim Turci appellant tholum undique fenestratum) in

littore ædificavit cum hortis, & ſylvis, & ædibus regiis, ubi priuſquam hortos ille conſtruxiſſet, a ſenibus piſcatoribus accepi ibidem paludes a Soleimano obrutas, ædificiis hortiſque occupatas fuiſſe; atque ubi nunc Sardacum, & cætera ædificia exiſtunt, Inſulam prius extitiſſe circumdatam mari vadoſo jam obruto, areiſque projectis in hortos redacto.

CAP. VII.

De ſinu Catangio: de promontorio, quem Dionyſius appellat ὀξύῤῥουν, & portu Phryxi: de promontorio Lembo nuncupato, & de Inſula exigua.

POST (inquit Dionyſius) *paludes ſubſequitur ſinus nuncupatus* Καπάγγειον, *ad ſe maxime alliciens piſces, ſi quis alter, ac potius (ſi nihil decet ſupprimere eum, qui veritatem dicit) ſolus ex littore Chalcedoniorum eſt bene piſcoſus: verumtamen tantum differt ab Europæo, quantum differt mare a terra.* Επ' αὐτῷ ὀξύῤῥους ἄκρα: hoc eſt, *In ipſo, vel poſt ipſum eſt promontorium Oxyrrhoum. Poſt Oxyrrhoum ſuccedens littus planum, & multum appellatur Phryxi portus; poſt quem alter portus, & Phiela Chalcedoniorum valde potentum.* Επὶ δὲ αὐτῷ, id eſt, *in ipſo, vel poſt ipſum, Phiela eſt tumulus ſupinus & rotundus in circulo figuram circumſcribens baſim. Theatrum aliquis conjectaret ſe videre improviſum a natura conſtitutum. Prope autem eſt promontorium nominatum Lembus, a ſimilitudine lembi. Sub littus illi continuum eſt Inſula valde brevis, juxta quam maris vadum exalbeſcens cautibus ſub aqua jacentibus in Europam avertit piſcium curſum, cujus aſpectu exterriti fretum tranſeunt ſecundo Boſpori fluxu. Chalcedonii ipſam Inſulam appellant* βλάβλω, *apto nomine, & proprio experientiæ rei, quæ accidere ſolet. Inde eſt Potamonion: poſt Potamonion ſuccedit Nauſiclia, apud quam dicunt Chalcedonios bello navali ſuperaſſe adverſarios contra ſe navigantes: inde Echæa* περίῤῥουν *promontorium, & ſinus appellatus Lycadium ſatis profundus, illud quidem a viro Megarenſi Lycadium, ſive Cycladion a quodam indigena.* Catangium videtur is eſſe ſinus, quem hodie vocant *Caſtacium*, non modo nominis ſimilitudine, ſed etiam vera Dionyſii deſcriptione. Piſcoſus enim, ſi quis alius littoris Aſiatici. Verum ut ejus ſitus & conſequentis littoris intelligatur, ſcito ſinum Soltaniæ a Septentrione habere regis hortos; a Meridie vicum habitatum a Turcis, nuncupatum *Sycia*. Poſt vicum in littore eſt locus, quem piſcatores vocant *Bolaca*, a jactu retis. Hic ſinus jam Soltanicus, prius Cyclaminus appellatus, longo circuitu leniter flexo, quadratur in angulum normalem, piſcoſus habetur; a Meridie clauditur promontorio, nominato Stridio: ab oſtreis potius arbitror, quas vulgus Græcorum appellat *Stridia*, quam a ſtridore: nam ibi fluxus non ſtridet. Hoc promontorium ab Aquilone includit ſinum Caſtacium, valde piſcoſum, habitatum a piſcatoribus. In hunc perennis rivus per vallem delabitur, in qua ima & plana Regis horti ſylvis virentes. In ſinus parte extrema ad Meridiem pertinente videntur fundamenta illius antiqui magni monaſterii, quod appellabatur Ακοιμήτων, a monachis nunquam noctu dormientibus. Hujus ſolitarii domicilii moderatorem & gubernatorem tradit fuiſſe Cyrillum Euagrius in *ſua Chriſtianæ concionis hiſtoria*. Meminerunt & alii Hiſtorici aliorum monachorum, vel eruditione, vel ſanctitate illuſtrium hic ſolivagam vitam egiſſe.

Jam vero a Meridie Caſtacium ſinum cingit promontorium duo cornua præ ſe gerens, alterum ſinum Caſtacium claudens, quod vocant *magnum Glari*, quodque celeri acutoque fluxu circumſonat: alterum cornu claudens ſinum, quem Πλάκα Græci appellant, circumfluit Boſpori rapido curſu & ſimili prioris, quem dicunt *parvum Glari*. Vide horum alterum, an ſit Οξύῤῥουν, alterum vero Περίῤῥουν. Medium promontorium dividens Caſtacium a ſinu Placino, incurvatur in duo cornua, parvulum ſinum admittens, ſupra quem impendet concavus locus ſimilis magno theatro. Poſt promontorium parvi Glari ſtatim ſubſequitur ſinus mediocris, quem Græci appellant Πλάκα, a quadam, ut ipſi ajunt, menſa marmorea. Hunc ſinum a Meridie claudit promontorium, cujus ad radicem duo ſaxa ſupra aquam eminent, undoſo mari circundata. Itaque cum in toto littore Aſiatico nulla ſit Inſula, neque ſcopulus inter Fanum Jovis, & Chalcedonem, quam hic, & alter ſinus ſub promontorio Damalico; aut horum alterum oportet eſſe illam, quam Dionyſius commemorat, aut non extare. Jam vero ſcopulum poſitum ſub radicibus promontorii Damalici, non eſſe Inſulam traditam a Dionyſio, liquet ex his, quæ & ante dixit Dionyſius, & ex ipſis, quæ poſtea dicet. Quod ſi juxta illa duo ſaxa ſupra aquam extantia ſit maris vadum exalbeſcens cautibus, quibus ſub aqua jacentibus Dionyſius ſcribit, piſces averti in Europam, profecto hic ſive ſcopulus, ſive Inſula major eſſe debuit, adjacenteſque cautes erutas fuiſſe convenit: aut ſi alibi Inſula Dionyſii fuit, funditus everſa eſt a Chalcedonenſibus illam appellare ſolitis Βλάβλω. Strabo Inſulam eſſe tacet, ſed duntaxat petram eſſe dicit. *Pelamides*, inquit, *deſcendentes ex Ponto, cum prætererunt Cyaneas, ex Chalcedoniaco littore petra quædam alba ipſis objecta adeo exterret, ut ſtatim in contrarium littus convertantur*. Plinius ſaxum duntaxat eſſe dicit. *Eſt*, inquit, *in Euripo Thracii Boſpori, quo Propontis Euxino jungitur, in ipſis Europam Aſiamque ſeparantis freti anguſtiis ſaxum miri candoris, a vado ad ſummum perlucens juxta Chalcedonem in littore Aſiæ: hujus aſpectu repente territi Thunni ſemper adverſum Byzantii promontorium, ex ea cauſa appellatum Auricornu, præcipiti petunt agmine. Itaque omnis captura Byzantii eſt, magna Chalcedonis penuria M. P. medii interfluentis Euripi.* Quos Plinius appellat Thunnos, Strabo Pelamides, ſicut hodie piſcatores eas appellant aſcendentes in Pontum, eaſdem vero deſcendentes ex Ponto vocant *Lacerdas*. Sed an hæ ſint Thunni, an Pelamides, ſeparato volumine erit oſtendendum. Hermolaus dum Plinianum Codicem habentem M. P. corrigit, & cenſet legendum D. P. deſignare videtur ſaxum illud eſſe inter Hermæum promontorium, & Ciconium: at ex Dionyſio id verum non eſt, qui mula loca ponit inter Inſulam Βλάβλω & Ciconium. Nam Plinius ponens illud ſaxum juxta Chalcedonem, denotare videtur Damalicum ſcopulum, aut alterum propinquum nunc non extantem. Dionyſius vero procul a Chalcedone ponit. Cornel. Tacitus: *Byzantium*, ait, *fertili, fœcundoque mari; quia vis piſcium in Pontum erumpens, & obliquis ſubter vias ſaxis exterrita, omiſſo alterius littoris flexu, ad Byzantiorum portus defertur*: in quo Cornelius labitur. Non enim id fit, cum Pelamides erumpunt in Pontum, ſed cum ex Ponto per Boſporum erumpunt in Propontidem. Piſcatores noſtræ ætatis ignorant ſaxum illud, & negant id verum unquam fuiſſe: Pelamideſque affirmant, in curſu Delphinorum declinare & decedere de recto decurſu. Equidem ipſe petram candicantem nunquam puto fuiſſe cauſam, cur potius Byzantium, quam Chalcedonem: ſed quod ex illa petra loca Boſpori naturaliter apta ſint ad deflexum in Europam. Nam a promontorio Hermæo littus Europæum incurvatur, & recedit tribus magnis flexibus; quorum primus fit a

Neoca-

Neocastro ad promontorium Estias; secundus a promontorio Estiaco ad Clidium promontorium; tertius a Clidio, usque ad sinum Chrysoceras. Unde fit, ut cursus defluxionis Bosporicæ directus delatus juxta latus Asiæ rapidius, Pelamides avertat in littus Byzantiacum tranquillius. Id quod vel ex ipso Dionysio colligitur, qui ut id attribuat fieri cautibus exalbescentibus, tamen earum dicit aspectu exterritas fretum transire secundo Bospori fluxu. Tum Strabo interea dum profitetur id accidere occursu petræ albæ, concedit simul etiam idem fieri defluxu, & locis naturaliter aptis ad defluxum Byzantium versus, atque ad ipsum cornu sinum Byzantiacum.

Jam si a Meridie promontorium claudens sinum Placa sit Lembus, tum conjicere possemus, sinum Placa non magnum quidem, verumtamen profundum, esse portum Phryxi: & Potamonion esse, aut sinum nuncupatum Manolum, aut Enaretem fluvium: Nausicliamque opinaremur locum, quem vulgus appellat *Napli*, atque promontorium τὸ Πεῤῥὸν putaremus illud, quod hodie vulgo nominant *Moletrinam*, ex quo cursus celeris defluxionis Bosporicæ defertur ad promontorium Estias. Nam inter sinum Placa, & Moletrinum nullum existit promontorium Πεῤῥὸν: unde fieret, ut Ciconium non foret Neocastrum Asiaticum, sed locus jam appellatus *Cecri*, situs contra Estias promontorium: tumque Ἄκρας ῥοιζώσας existimare conveniret, esse rapidos illos fluxus, qui deferuntur ad promontoria Heliæ, & Stauri, & Hermoniani. At mihi potius Ἄκραι ῥοιζῶσαι videntur existere ad promontorium, ubi rapiditas confluentiæ Bospori versat molas, quam ulla alia promontoria ob fluctus rapidissimos totius Bospori, & maxime circumsonantis: Ciconiumque habendum esse Neocastrum Asiaticum. Sed ubi sit portus Phryxi, & Ciconium, ubi Ἄκραι ῥοιζῶσαι, non ex his, quæ ante dixi, judicato, sed per te expendito, quæ de illis Dionysius scribit.

CAP. VIII.

De Naumachio, & Ciconio: & de promontoriis nuncupatis ῥοιζώσαις: & de duobus Discis.

PROPE *Lycadium promontorium*, inquit Dionysius, *est Nausimachium, locus altera pugna navali illustris; inde Ciconium nominatum ab excessu malitiæ incolarum. Seditione enim violenta pressi ex loco exciderunt. A tergo autem Ciconii sunt partim* ῥοιζῶσαι Ἄκραι *(ex eo nominatæ, quod circa ipsas franguntur fluctus, & cursu murmurante feruntur) partim Disci: major quidem primus, multo minor secundus; ambo appellati a similitudine figuræ.* Hæc quidem loca ponit Dionysius media inter Lycadium, & Chrysopolim. Plinius ait: *Ultra Chalcedona, deinde Chrysopolis fuit, deinde Nicopolis, a quo nomen etiamnum sinus retinet, in quo portus Azari, deinde Naulochium.* Ex antedictis Dionysii existimo depravate legi in Plinio *Naulochium*, rectius legendum esse *Nausimachium*. Nam quod Hermolaus interdum censeat legi posse, non *Amyci*, sed *Azari*, citans Strabonem, scribentem, in ore Ponti esse Chrysopolim & Fanum Chalcedonium, & regionem, quæ habet paulo supra mare fontem *Azaritium* nominatum, qui Crocodilos parvos alit: id mihi ex flumine Neocastri influenti in Bosporum hodie nominato *Enarete*, sive *Arete*, atque ex loco vicino appellato *Napli*, interdum verisimile videbatur, existimanti fortasse *Naplen* corruptum, quasi *Nicopolim*. At illud idem dubium mihi videri cœpit, posteaquam profectus ad Propontidis sinum Astacenum, nostra ætate appellatum *Nicomedicum*,

A in ejus ora, non longe a vico hodie nuncupato *Diacybissa*, olim *Libyssa*, ubi fuit sepulchrum Annibalis, vidi oppidum nomine *Aricium*, cujus in fontibus cepi eos, quos Aricini appellant *Mauledones*, similes Crocodilis, quos describam in Periplo Propontidis; sed etiam inveniri dicuntur in fontibus vicinioribus Chalcedoni. Itaque non semel conatus sum proficisci ad fontes Aretæ fluminis, ut viderem, an Mauledones ibi sint, an alii: sed gentis immanis Barbaria bis me ex media via retraxit, & coegit deserere institutum iter.

Nunc autem, ut facilius intelligatur, ubi fuerit portus Phryxi, ubi Ciconium, ubi Ῥοιζῶσαι,
B describam littus a sinu Placæ usque ad Chrysopolim. Post sinum Placa sequitur sinus vulgo dictus Manolius, contra medium Hermæi promontorii latus appellatum ῥόδη situs, egregius portus & piscosus, quem de bonitate piscationis cedere ajunt piscatores nulli sinui littoris Asiatici. Hic valles luculentas habet, olim adeo pastionibus celebratas, simul & luculento Monasterio ornatas, ut copiosum lac & circumjacentium collium clivis Græci nimium inaniter nunc dictitent in Monasterium tubulis subterraneis ductum fuisse: quod idem proficiscens in Mediam, a Cappadocibus Neocæsa-
C riensibus audivi, suorum montium ubertatem pastionum usque adeo extollentibus, ut opere subterraneo in celebre illud Cœnobium Gregorii Thaumaturgi suburbanum Neocæsareæ deductum fuisse jactitare non desinant; viamque ostendant, quam in hunc diem sua lingua appellent Viam lactis. Post Manolium sinum deinceps sequitur locus situs juxta Neocastrum, quod piscatores appellant *Cormion*, ab arbore, ut ipsi putant, quæ ibi nulla talis est, ignorantes se depravasse *Ciconion:* quod cum ex ordine Anapli Dionysiani fuisse apud Neocastrum Asiaticum colligo, tum ex scholiis quibusdam perantiquis in Dionysium scriptorem
D orbis, tradentibus maximas Bospori angustias esse inter Anaplum & Ciconium. Ubi vero esset Anaplus, disserui, cum tractarem promontorium Estias. Flumen autem Aretæ, quod Turci vocant *Jocsou*, id est, aquam viridem, progrediens a Solis ortu ad Occasum, ingreditur Bosporum juxta Neocastrum, quod ab ostio sursum versus etiam summa æstate scaphis navigatur paulo amplius octo stadiis. Ejus ostium subeuntibus ad dextram spectatur amœnissimus & maximus Regis hortus, opacus densa sylva arborum fructiferarum: ad sinistram extat Neocastrum, ex Asia similiter coarctans Bospori angustias; ut easdem ex Europa cogit,
E stringitque arx, quam ante dixi appellari Læmocopiam. Omnium maximus fluvius est eorum, qui intra Chrysopolim & Pontum ingrediuntur Bosporum. Omni anni tempore molas versare potest, triaque moletrina exercet, unum distans ab ostio circiter octo stadia: alia interiora absunt plusquam tria miliaria. Fluit per vallem pulcherrimam, undique nemoribus virentem, refertis multitudine ferarum. Pisces fert, quos Græci accolæ *Lelingia* appellant, cujusmodi plurimos procreat palus Ascania, quos crudos Sole exsiccatos edere solent Byzantini. Producit etiam Cephalos, & in altis gurgitibus, glanes eti-
F am cetaceæ magnitudinis. Sinus Neocastri duo flumina admittit, unum quem jam dixi nominari Areten: alterum ego Napliticum appello, ex eo, quod effluit in Bosporum juxta locum, quem vulgus vocat *Naple*, nescio an e Nicopoli, an ab Anaplo, an a Nausiclia. Hic a Meridie cingit Regis hortos, quos Arete cingit a Septentrione. Utriusque ostium sylvas cannarum efficit, Napliticique confluens summa æstate, etiam in locis vadosis ea magnitudine fluere videtur, qua rivi

aquæductuum in gurgitibus, quos multos habet, eadem genera piſcium, quæ in Arete perſpiciuntur, Equidem ipſe non longius tribus miliaribus ſecundum ejus ripam progredi metu Barbarorum auſus, proſpexi duntaxat hunc fluere per longam vallem nemoroſam, venationi regiæ accommodatam. Ab hujus fluminis oſtio incipit promontorium, cujus mucro undique percutitur fluxu Boſpori, qui rapiditate, altitudine, ſtrepitu ſonoro ſuperat omnes fluxus totius Boſpori, multas molas quotidie verſare ſolitus. Hujus promontorii dorſum ab occaſu ſolſtitiali ad brumalem ortum ſurgit, ſitum contra ſinum τῶν Χηλῶν. Clauditur duabus vallibus, una a Septentrionibus, altera a cardine meridiano, utraque producta in longitudinem ſtadiorum circiter octo. Undique proclive & præceps promontorium, cujus a ſummo mucrone aſcendi quingentos paſſus primos præcipites & valde directos, reliquos ſemiplanos efficientes dorſum promontorii, quod valde ſtrictum ob valles utrimque coarctantes, & ſcrobes treis, quos velut theatra promontorium efficit, primum extantem ſupra mucronem promontorii, complectentem ambitu paſſus amplius trecentos, diſtantem a Boſporo circiter viginti paſſus; alterum ab altero diviſum tenui promontorii dorſo, non latiori tribus paſſibus. Promontorii radices a primo ſcrobe ad ſecundum excurrunt in longitudinem paſſuum circiter trecentorum. Secundus ſcrobs magnitudine ſuperat primum, & lapidicina olim fuiſſe videtur: paſſuum intervallum plus minus ducentorum. Intereſt inter ſecundum & tertium ſcrobem deſinentem in imam planitiem vallis prædictum promontorium claudens, ſita e regione promontorii Eſtiarum. In hanc vallem multi fontes rivulos emittunt irrigantes Regis hortos clauſos excelſis lauribus, poſitos in ima vallis planitie, quam Græci jam vocant *Cieri* a genere frumenti, ignorantes temporibus Juſtiniani appellatam *Crochon*, ſive *Brochon*; id quod perſpicietur ex Procopio. *Duo*, inquit, *erant templa Michaeli Archangelo dicata, inter ſe oppoſita, Boſpori freto diviſa: unum in loco appellato Anaplo, in ſiniſtro latere navigantibus ad Pontum Euxinum: alterum in contrario littore, quod antiqui* Προύχθους *nominarunt, ex eo exiſtimo, quia littus multum projiciatur ex hac ora: nunc autem nominatur* Βρόχοι, *temporis longitudine, accolarum inſcitia depravante nomina*. Hæc quidem Procopius, cujus in altero Codice leguntur *Crochi*, & in margine quidam literis antiquis eundem locum notat *Cronychion*, ſive *Bronychion*. Quid ſi fortaſſe olim appellabatur Πρῶτος δίσκος? nam littus ibi non prominet, ſed potius retrahitur in ſinum, quem efficiunt promontoria ex una parte Moletrinarium, ex altera Heliacum. Itaque temporis vetuſtate fieri potuit, ut Πρῶτον δίσκον depravarint in Προύχθους. Nam ſi promontorium moletrinarum ſit Ἄκρα ῥοιζοῦσα, ut eſſe videtur, in latere hujus vergente, potuit eſſe Protos diſcos, promontorium Heliæ: quod fluxu rapido verberatum, aliquando molas verſare ſolito, claudit ſinum nuncupatum τῆς Φυλακῆς: ubi regius hortus cum ſylva & turri, ex qua ſummæ aquæ ex altis collibus ſubductæ ſaliunt; inde brevi promontorio ſuperato, adeſt vicus dictus Chryſoceramus, ex eo, quod olim templum haberet tegulis inauratis tectum. Ex hoc vico effodi vidi ſaxa quadrata ingentia fundamentorum antiquorum ſub terra abdita in duodecim altitudinem pedum, indicantia ibi olim fuiſſe caſtellum munitiſſimum, cujuſmodi fuerunt regiæ Sophianæ nuncupatæ, aut his antiquiora palatia, quæ non longe ab æde Michaelis, extrema jam commemorata Procopius fuiſſe ſubſequentibus verbis deſignat. *Non multum*, inquit, *procul ab æde Michaelis templum Deiparæ Virgini ſacrum longa vetuſtate exoleſcens renovavit: cujus dignitatem longum eſſet excutere, & ſermone ſignificare. In hoc ſane littore dextro navigantibus in Pontum ſpectatu dignæ jam uſque ab antiquis temporibus ædes regiæ erant, quas Rex Juſtinianus omneis Deo conſecravit*. Deinde narrat, ut Byzantii eſſet magna multitudo meretricum, quibus pœnitentibus vitæ prioris, ædes regias in eodem littore ſitas convertit in Monaſterium magnificum. Chryſocerami fluvius æſtate exareſcit. Inde ſequitur vicus appellatus *Stauros*, ab occaſu cinctus promontorio, vulgo vocato *Nagalon*, quod rapido curſu fluxus verberatur, valente volvere molas continuato uſque ad moletrinum, a peritioribus quidem *Hermonianum* nuncupatum, a vulgo vero *Tamborlianum*. Inde fluxus littoreus remiſſior uſque ad Chryſopolim. Deinceps Dionyſius inſtitutum Anaplum continuat in hunc modum.

CAP. IX.

De Chryſopoli, & loco appellato Bove, ſive Damali.

POſt *Diſcos*, (inquit Dionyſius) *ſequitur portus magnitudine & tranquillitate pulcherrimus & optimus. Ipſius magnitudinem circumſcribit littus profundum & molle. Supra mare jacet campus acclivis in littus. Appellatur autem Chryſopolis, ut quidam dicunt, ex eo, quod Perſæ imperantes in hunc locum cogerent auri acervos exactos ab urbium tributis: ut vero multi tradunt, a Chryſe filio Chryſeidis & Agamemnonis ibi mortuo, & ſepulto. In hunc enim locum dicunt Chryſen fugientem metu Ægiſthi & Clytemneſtræ perveniſſe, cogitantem in Tauros tranſire ad ſororem Iphigeniam, ſacerdotem initiatam Dianæ: ſed illum morbo laborantem, hic ſepultura affectum fuiſſe, ſuoque ex nomine loco nomen reliquiſſe. Poſſet etiam ob portus commoditatem ita appellari, ab iis, qui mirabilia auro comparare ſolent.* Ex his Dionyſii verbis facile aſſequimur, Boſpori Anaplum eſſe Dionyſii illius Byzantii antiquiſſimi ſcriptoris, quem jam ſæpiſſime citavi. Nam Stephanus antiquus urbium ſcriptor, ſuperiora Dionyſii verba affert: *Chryſopolis*, inquit, *in Bithynia prope Chalcedonem Anaplum naviganti in dextra. Dionyſius autem Byzantius Anaplum Boſpori ſcribens, de nomine hujus hæc dicit: Appellata autem eſt Chryſopolis, ut aliqui dicunt, a Perſarum imperio huc acervos auri collecti ex vectigalibus redigente: alii vero plures dicunt, a Chryſe filio Chryſeidis, & Agamemnonis.* Neque ſolum ex his Stephani verbis cognoſcimus Dionyſii Anaplum eſſe Stephano antiquiorem; ſed etiam ex ipſius Anapli diſcurſu percipimus illum ſcripſiſſe Boſpori Anaplum, antequam Severus Byzantium evertiſſet. Chryſopolis emporion fuit Chalcedonis, ubi Xenophon tradit Græcos, qui meruiſſent ſtipendia in Cyri expeditione Perſica manſiſſe dies ſeptem, vendentes prædas, quas cepiſſent. Idem in *hiſtoria rerum Hellinicarum*. *Attici*, inquit, *duces Chryſopolim Chalcedoniæ profecti, muris eam munierunt, eandemque ad ſervandas decimarum pecunias conſtituerunt; in ipſaque decimam exegerunt ex navibus Ponti; præſidiumque triginta navium cum præfectis duobus, ibi reliquerunt*. Poſtea muris nudatam fuiſſe ex Strabone patet, dum ait Chryſopolim vicum eſſe. Similiter hodie urbs non eſt, ſed vicus laxe habitatus multis ædificiis non continuis, circuitu miliaria complectens circiter duo: ſitus partim in valle, partim in promontoriis vallem cingentibus, quorum unum Damalicum quam mox appellabimus, totum fere ejuſdem ædificiis occupatum. Portum profundum habet in ſinum mediocriter curvatum: ſed longe olim

majorem habuisse occupantem imam vallis planitiem, in qua sita est nunc Chrysopolis, oportet: cum Athenienses triginta triremes illic in præsidio tenerent, & navale esset Chalcedoniorum. Socrates enim inquit, Constantinum Magnum post multas pugnas terra marique pugnatas, Licinium Imperii consortem & generum ad Chrysopolim Bithynicam vicisse, quæ erat navale Chalcedonis. Ex quibus possem multis verbis differere hunc portum longe multo majorem extitisse; sed obrutum fuisse partim olim deleta Chalcedone, partim postea Barbarorum metu, partim nostra ætate. Vidi partem portus obrui ad excipiendam sedem ædis Maomethanæ & Xenodochiorum, quæ construxit Regis Soleimani filia, omniaque texit plumbo, & columnis marmoreis, & porticibus, & areis amplis, & fontibus exornavit. Denique Chrysopolis reædificata est a Turcis, quæ diu jacuerat deserta bellis Persarum & Turcorum, ut nullum vestigium restet eorum, quæ Georgius Cedrinus dicit, Philippum Regem condidisse Chrysopolim, ut monasterium τῆς παναχράντε Θεοτόκε, ut palatia ad excipiendum Regem, regiosque liberos, hortosque struxisse, & piscium vivarium: id quod in vallis planitie, ubi nunc sunt præcipua Chrysopolis ædificia, existimo lacum fuisse, nimirum reliquias portus antiqui. Chrysopolis quanquam est suburbana Byzantii, tamen omnes fere Byzantini ignorant, ubi hæc fuerit, ex eo, quod nomine antiquo exoleto, jamdudum vocatur *Scutaris*, nescio a Francis ne aliquandiu Byzantio imperantibus, Chryson appellantibus scutum, an potius a statione militum scutariorum; id quod designare videtur Marcellinus, cum ait: *Per Chalcedona & stationem transcurrit*, si apposite legeretur sine conjunctione, *Chrysopolim stationem*, brevitatis ergo, ut vulgo fieri solet, suppresso nomine scutariorum, quod Constantinopolitanos reges crebro usurpasse eorundem historia frequens testis est. Verum ex Codice Marcellini maxime depravato, fateor me conjecturis vagari potius, quam certo judicio sententiam dicere. At haudquaquam ferendi nonnulli, qui putant vicum, quem paulo ante dixi appellari Chrysoceramum, fuisse Chrysopolim, cum jam declararim hanc nominatam ex eo, quod templum haberet tectum inauratis tegulis: at ex vico Chrysoceramo, ultro citroque trajectus fieri non solet, sed ex portu Scutarico, ut loco accommodato ad trajiciendum: unde, ut nunc, trajectus olim fieri solebat. Est etiamnum Byzantii Scala omnium frequentissima prope portam Neorii, nominata Scutarica, quam olim eandem fuisse, quæ Chrysopoleos, & Chalcedonis, cum ex his, quæ afferam in descriptione Constantinopoleos, tum ex usu hodie quotidiano colligere possumus. Nam ex porta Neorii, quæ nunc appellatur *Oria*, quotidie jam videmus necessitate quadam fieri trajectum in portam Scutaricam; aut si quis trajicere velit Byzantio Chalcedonem, aut Chalcedone Byzantium, illum necesse habere sursum navigare usque ad Scutarim: id quod frequenter quotidie videtur multis navigiis ferentibus homines, & jumenta recta via non valentibus transire Chalcedonem: sed ob rapidi fluxus decursum ascendere coactis usque ad Scutarim: atque ex Chalcedone volentibus transire Byzantium, opus est ascendere ad promontorium Scutaricum, olim appellatum Bovem, sive Damalim, atque ad portum usque Chrysopoleos: id quod ut fit hodie, ita olim factitatum fuisse ab ætate Polybii, qui ait: *Ex urbe Chalcedone volentes transire Byzantium, non possunt recta navigare, ob intermedium rapidum defluxum Bospori, sed necesse habent iter deflectere prope Bovem, & Chrysopolim navigare*. Idem: *A promontorio*, inquit, *appellato Estiis fluxus Bospori impulsus prolabitur ad Bovem nuncupatum, qui est Asiæ locus, ad quem constitisse ajunt primum fabulæ Io, cum transivit hoc fretum: rursus fluxus impulsus a loco Bove nominato, fertur ad ipsum Byzantium*. A quo non dissentit Georgius Cedrinus, cum ait Leonem Phocam Chrysopolim occupasse, populumque in ulteriore ora in aciem struxisse apud locum, ubi in columna extat Damalis lapidea: itaque exterruisse eos, qui essent Byzantii.

Ex antedictis collegeram Scutarim esse Chrysopolim, & locum, quem Polybius appellat Bovem, Arrianus Damalim existere Promontorium Scutaricum, situm contra promontorium Bosporium, in quo positum fuit Byzantium. Verum postea multo planius novi, cum incidi in Dionysii *Anaplum*. *Post Chrysopolim*, inquit Dionysius, *promontorium maris ictibus expositum prominet: multa enim navigatio ad ipsum impulsa contra promontorium nominatum Bovem concertat. Est autem is locus tanquam e carceribus emittens trajicientes in Europam. In hoc promontorio existit columna lapidis albi, in qua extat Bos Charetis Imperatoris Atheniensium conjux, quam hic mortuam sepelivit. Inscriptio autem significat sermonis veritatem: at illi, qui vanam reddunt historiam, putant antiquæ Bovis statuam, aberrantes a veritate. Inscripti enim in columnæ basi hi versus sunt:*

Ιναχίης ἐκ εἰμὶ βοὸς τύπος, ἐδ᾽ ἀπ᾽ ἐμοῖο
  Κλήζεται ἄυτωπον Βοσπόριον πέλαγος.
Κείνην γὰρ τὸ πάροιθε βαρὺς χόλος ἤλασεν Ηρος
  Εἰς Φάρον. ἡ δ᾽ ἐγὼ Κεκροπὶς εἰμὶ νέκυς.
Εὐνέτις ἦν δὲ Χάρητος. ἔπλων δ᾽ ὅτε πλῶεν ἐκεῖνος
  Τῇδε, Φιλιππείων ἀντίπαλος σκαφέων.
Βοΐδιον δ᾽ ἤκεον ἐγὼ τότε, νῦν δὲ Χάρητος
  Εὐνέτις, ἠπείροις τέρπομαι ἀμφοτέραις.

Temporibus Phocionis, qui Hypotheses præcipuorum scriptorum velut indices antiquæ Bibliothecæ conscripsit, vixit Georgius Codinus. Is hæc fere omnia, quæ ante dixi, ex *Anaplo* Dionysii retulit in sua scripta. *Postquam*, inquit, *Leo excessit e vita, Atheniensium Imperator Chares, cum* XL. *navibus in auxilium Byzantiorum profectus ad bellum contra Philippum, occupavit promontorium Propontidis, quod inter Chalcedonem & Chrysopolim situm est, & in illo loco contra Philippum prælio feliciter decertavit, ubi conjugem comitem habens morbo laborantem amisit, eamque sepultura affecit eique excitavit aram, & columnam, in qua Damalis statuta spectatur ex lapide albo facta. Sic enim appellabatur illa Charetis uxor, quod etiam in ea incisis usque ad nostram ætatem versibus patet*. Deinde eosdem versus affert, quos supra scripsi. Prætereo jam non recte Codinum tradere, Charetem Atticæ classis ducem, quadraginta navibus auxiliatum fuisse Byzantinis; cum ex Demosthene constet, Athenienses succurrisse Byzantiis centum & viginti navigiis. Omitto etiam illud, quod dicat promontorium, in quo sita esset statua Damalis, esse Propontidis, cum sit Bospori. Hoc unum, quod recte scribit, accipio, nimirum hanc columnam, statuamque excitatas fuisse a Byzantiis in gratiam Imper. Atheniensium, cum ex antedictis percipi potest, tum ex Psephismate Byzantiorum, quod ingenue profitetur Byzantium a Philippo Macedone obsessum, liberatum fuisse auxilio Atheniensium, quod Demosthenis Codex editus sic habet lingua Dorica conscriptum, qua Byzantii utebantur, coloni Megarensium Doricorum; Επὶ ἱερομνάμονος βοσπορίχω δαμάπτο ἔντε ἀλία ἔλεξεν ἐκ τᾶς βολᾶς λαβὼν ῥήτραν. ἐπειδὴ ὁ δᾶμος ὁ ἀθηναίων ἔντε τοῖς προγενομένοις καιροῖς εὐνοέων διατελεῖ βυζαντίοις, καὶ τοῖς συμμάχοις, καὶ συγγενέσι περινθίοις, καὶ πολλὰς καὶ μεγάλας χρείας παρέχηθ᾽ ἔντε τῷ παρεστηκότι καιρῷ Φι-

λίππω τῶ μακεδόνος ἐπιστρατεύσαντος ἐπὶ τὰν χώραν, καὶ τὰν πόλιν ἐπ' ἀναστάσει βυζαντίων καὶ περινθίων τὰν χώραν δαίοντος καὶ δενδροκοπέοντος, βοηθήσας πλοίοισιν ἑκατὸν καὶ εἴκοσι, καὶ σίτῳ, καὶ βέλεσι, καὶ ὁπλίταις, ἐξείλετο ἁμὲ ἐκ τῶν μεγάλων κινδύνων, καὶ ἀποκατέστασε τὰν πατρίαν πολιτείαν, καὶ τὼς νόμως, καὶ τάφως· δεδόχθω τῷ δάμῳ τῶν βυζαντίων καὶ περινθίων ἀθηναίων δόμεν ἐπιγαμίαν, πολιτείαν, ἐκ τᾶς γᾶς, καὶ οἰκείαν προεδρίαν ἐν τοῖς ἀγῶσι ποτ' ὅλον ποτὶ τὰν βωλάν, καὶ κατοικεῖν ἐθέλοιτα τὰν πόλιν, ἀλειτουργήτως ἦμεν πᾶσαν πρὸς λειτουργίαν· στᾶσαι δὲ καὶ εἰκόνας τρεῖς ἑκκαίδεκα πήχεις ἐν τῷ βοσπορίχῳ. Prætereo cætera. Si hoc Pſephiſma vitiatum non eſſet, perſpiceremus has ſtatuas treis XVI. cubitorum ſtatutas fuiſſe apud locum Bovem nuncupatum, ubi Chares Athenienſium bello navali pugnavit contra Philippum, tumque legeremus non Βοσπορίχῳ, ſed Βοσπορίῳ χώρῳ: cujuſmodi fuit locus nuncupatus Bos, aut promontorium Boſporium nominatum, in quo ſitum erat Byzantium. Ex antiquo Codice emendavi nonnulla, ut ἔντε ἁλίᾳ, Codex antiquus habet ἐν τᾷ ἁλίᾳ, id eſt, *in concione*, ut Herodotus utitur: ἐκ τᾶς γᾶς, antiquum exemplar habet ἔκτασιν γᾶς. Ex Polybio, Arriano, Dionyſio Byzantio patet locum appellatum, ſive Bovem, ſive Damalim fuiſſe promontorium nunc nominatum Scutaricum, poſitum e regione promontorii Boſporii Byzantium continentis, ſententiaque Polybii ita appellatum, quod Io vacca illuc ex Europa fretum tranſiens appulſa fuerit. Dionyſius quidem Byzantius, promontorium appellari Bovem conſentit, ſed Bovis ſtatuam in eo excitatam ex antiquo epigrammate negat eſſe Ious Inachi filiæ, eamque huc non tranſiſſe, ſed in Pharon: quam autem Pharon epigramma intelligat, vide an Pharon antiquam, quam ſupra oſtendi fuiſſe prope anguſtias Fani: an illam, quam Marcellinus ſtatuit ſupra promontorium Chryſoceras, hoc eſt, in urbe Byzantio. At nemo Io tradit hac aut illac tranſiſſe. Mihi potius epigramma intelligere videtur Pharum Alexandrinam, negareque Boſporum appellatum ab Io Inachi filia. Nam etiam Arrianus ſcribit quorundam ſententia aliam vaccam fuiſſe, quæ nomen dederit freto Thracio, quam dicit Phrygibus hominibus eam urgentibus incolumem nullo metu fretum tranſiſſe, ſitum inter Chalcedonem & Byzantium, ducemque illis extitiſſe, quibus divinum oraculum datum erat, ut bucculam itineris ducem facerent. Cui obtemperantes, incolumes tranſierunt, & monumentum tradit hujus tranſitionis, Damalim æream excitatam a Chalcedonenſibus, locumque in regione Chalcedonia eſſe ait, qui forſitan eſſet is, qui uſque ad ſuam ætatem nominaretur Damalis. Dionyſius quidem fatetur columnam ex lapide albo fuiſſe, ſed non declarat, Damalis ne eſſet lapidea, an ærea. Georgius Codinus dicit ſtatuam Bovis uxoris Charetis fuiſſe ex lapide expolito. Itaque oportet illam antiquam, unde Boſporus appellatus fuit, quam Arrianus tradit æream, dejectam & ſublatam eſſe: deinde alteram lapideam poſitam fuiſſe tempore Leonis Phocæ, ut ante dixi. Damalis lapidea ſtabat in columna. Jam non repetam, quantopere erret Tzetzes, dum ſtatuit Cyaneas inter Damalim & Conſtantinopolim: id enim ſupra oſtendi, cum agerem de Cyaneis; quam item averſus a cognitione locorum labatur, cum circa locum Damalim teſtatur Darium pontem junxiſſe, declaravi, dum de Hermæo tractarem promontorio.

CAP. X.

De fonte nominato Hermagora, & templo Veneris: & de æde Synodi Chalcedonenſis: de Chalcedone.

Poſt, inquit Dionyſius, *locum appellatum Bovem, ſequitur fons nominatus Hermagora, & delubrum herois Euroſti: ſecundum id exiſtit littus ſupinum, & planum, leniſſimo fluvio irrigatum, in ipſoque Veneris templum, atque juxta ipſum parvus iſthmus multam circumſcribit Cherroneſum, in qua urbs Chalcedon, paulo ſupra fluvium appellatum Chalcedonem ſita, portus utrinque habens in flexibus in iſthmum recedentibus: unum quidem ad veſperam ſpectantem, alterum ad Solis ortum: ipſa quidem effertur colle quidem humilior, planitie vero aſperior. Multa in urbe hac admiratione digna, ob antiquitatem, & res geſtas, & fortunas, & in utramque partem mutationes: maxime autem admirabilia, Apollinis templum, & oraculum nullo ſummorum oraculorum inferius. Verum finis eſto meæ Boſpori hiſtoriæ.*

Hæc quidem Dionyſius; qui ut planius cognoſcatur, littus deſcribam a promontorio Damalico uſque ad Chalcedonem: de qua nonnulla addens, finem ipſe quoque faciam Boſpori, qui procedens ad Solis occaſum, flectitur promontorio Damalico ad meridianum cardinem. Jam vero inter duo promontoria, nimirum alterum Europæ, Boſporium nominatum, & alterum Aſiæ Damalim (vel Damalicum) appellatum, ſupra mare paululum eminet ſcopulus, ſeu parva Inſula, diſtans a promontorio Damalico circiter centum paſſus, tota ferme occupata ab arce, machinis bellicis munita ad arcendas naves hoſtiles, ſi quæ penitius in Boſporum ex Propontide erumpere conarentur. Atque ab ea arce ad promontorium Damalicum tranſverſus murus cæcus ſub aqua obductus erat, velut quædam moles, ictus Septentrionum excipiens navibus ob rapidum intermedium Boſpori fluxum aſcendere nequeuntibus, ventumque a puppi expectantibus in eo loco, quem Dionyſius tanquam e carceribus inquit emittere trajicientes, tutiorem ſtationem efficiebat. Tamen avaritia nationis dominantis paulo ante dirutus eſt, ejuſque ſaxa tranſlata in privatas ædificationes. A promontorio Damalico, diſtanti a Chalcedone paulo minus quam tria miliaria, littus eſt fere totum importuoſum & præruptum, mareque juxta littus vadoſum, cautibuſque ſub aqua latentibus confragoſum, ut vix tentans multis locis reperire potuerim applicationem ſcaphæ: littoriſque crepidines in pluſquam quinquaginta paſſus efferuntur præcipites, ut aſcenſus directus ſit, & præruptus a Damalico promontorio uſque ad valliculam, quæ ſinum efficit, ubi ora humilis, & littus demiſſum, & non præruptum, mareque portuoſum, in quo cernuntur ruinæ molis antiquæ, quæ olim muniebat portum, ſeu potius ſtationem, nunc gradum præſtat ad fontem in littore proximo fluentem perennem, a Dionyſio appellatum *Hermagora*: quem paulo ante ſubductum vidi in hortos, quos ſupra Hermagoram Rex Soleimanus longis muris circumſepſit: aliis eo etiam fontibus opere ſubterraneo derivatis, ut eorum redundantia hortis ſuperflua ſit, reſtituendus fluxus Hermagoræ longe copioſior.

A fonte Hermagora littus eſt fere ſaxoſum & præruptum uſque ad planitiem Chalcedonis ſuburbanam, ubi olim erat ædes Veneris, & poſtea fuit templum divæ Euphemiæ funditus jam everſæ ſupra terram, atque adeo ſubſtructiones erutæ, excepto cuniculo ſubterraneo, ex quo etiamnum ſcaturit fons. Prope eſt rivulus, cujus meminiſſe Dionyſium ante vidimus: qui ſi nunc longe minor fluit, id attribuendum fonti conſtructo in eadem planitie, juxta viam Chalcedone tendentem ad urbem Nicomediam, perennem fiſtulam quoquoverſus quatuor digitos patentem implente. Fons autem, quem jam dixi ſcaturire ex antiquo aquæductu divæ Euphemiæ, diſtat a ſcala Chalcedonenſi mille & centum paſſus.

Qualis autem fuerit ædes divæ Euphemiæ, in A qua celebrata fuit Synodus Chalcedonenſis, & qualis ejus ſitus, Evagrius Scholaſticus ample ſcribit, quæ ego breviter attingam, ſacrorum hominum cœtum habuiſſe concilium in Euphemiæ martyris æde, diſtanti a Boſporo non amplius duobus ſtadiis, ſita in ſuburbano agro Chalcedoniorum Bithynorum molliter acclivi, ut ambulantes in templum non ſentiant ſe in illud ſubiiſſe, repenteque velut ex ſublimi ſpecula undique campos ſub aſpectum ſubjectos contemplentur ſupinos & planos, herbis, frugibus, arboribus vireſcere, mareque partim tranquillum violaceo cæruleoque colore purpuraſcens, ad littora adludere, amœnumque quiddam exhibere, partim murmure ſonans, B fluctibus efferatum, lapillos, & conchas, & algas provolvere. Inde addit, Euphemiæ ædem vel hoc ipſo ornari, quod ſita ſit ante oculos Conſtantinopoleos, & quod conſtet tribus membris magnorum ædificiorum ornatis, amplitudine, & laxitate, & pulchritudine columnarum, & tectis elegantibus. Sed quid conor in lucem edere ſcripta Euagrii, vel hoc ipſo nobilia facta, quod nobilibus & plane regiis Pariſiorum characteribus jam dudum pervulgata etiam longe ultra Chalcedonem vagentur.

Chalcedon, quam Herodotus appellat Chalcedoniam, C a Dionyſio quidem conſtituitur paulo ſupra Chalcedonem fluvium. Sed tacet Dionyſius, id quod Arrianus & Menippus loquuntur, appellatam ab eodem flumine Chalcedone. Arrianus in ſua *hiſtoria Bithynica* dicit eam nominatam a filio Saturni nuncupato Chalcedone, a quo primum fluvius illic fluens nominatus eſt Chalcedon: deinde urbs Dorienſibus, illuc coloniam ubi deduxiſſent, nominata eſt eo nomine, quo flumen. Incertus quidam Hiſtoricus dicit vocatam a filio Chalcantis vatis. Alii ajunt a Chalcide urbe Eubœæ, quæ illuc Coloniam miſiſſet. His quidem Dionyſius orbis deſcriptor conſentire videtur, Chalcedonios D appellans Chalcides. Ille vero tradens a filio Chalcantis vatis, motus fuiſſe videtur nobilitate oraculorum Chalcedonicorum. Arrianus narrat, ut alter & viceſimus dies omnium menſium nefaſtus a Chalcedonenſibus inſtitutus eſt, ex eo, quod cum illo die alia haudquaquam proſpera paſſi ſint, tum Pharnabazus Perſa eorum pueros exciderit & penitus caſtrarit, & miſerit ad Darium. Idem ait, morbum in Chalcedonios ſæviſſe divina ira, eoſdemque ſua virilia abſcidiſſe, quod ſacrificia quædam neglexiſſent. Cæcos Chalcedonios oraculum dixit, ea de cauſa, quod Megarenſes huc primum navigantes eligere neſciſſent Byzantiorum ſolum E uberius. Herodotus ſimiliter ſcribit Megabyzum, cum intellexiſſet decem & ſeptem ante annis Chalcedonios, quam Byzantios urbem Chalcedonem condidiſſe, cæcos dixiſſe, quod præſente meliore loco elegiſſent pejorem. *Chalcedonii*, inquit Theopompus, *priuſquam rempublicam participaſſent, communicaſſentque cum populari gubernatione Byzantiorum, omnes quidem in officiis inſtitutiſque recte vivendi erant. Poſt vero quam democratiam Byzantiorum guſtaverunt, vitam quotidianam maxime frugalem & temperatam, luxu, delitiiſque corruperunt ac depravarunt, ſimulque evaſerunt ſumptuoſi, potandique amantes.* F Viros excellentes procreavit Chalcedonia, e quibus Thraſymachus Sophiſta, qui primus periodum, & colum demonſtravit, diſcipulus Platonis & Iſocratis. Recentes Hiſtorici, qui ante quadringentos annos ſcripſerunt, tradunt ſua ætate Chalcedonios non dare operam literis, ſed Thunnorum piſcationi, artique cæterorum piſcium retibus & lineis capiendorum, victumque manibus quærere, parumque aut nihil curare literas: at nunc ne piſcari quidem ſciunt, ac potius agros duntaxat colunt, piſcandi adeo ignari, ut Thunnos & Pelamidas ex foro Byzantiorum emere habeant neceſſe: cum olim conſtet notiores fuiſſe Pelamides Chalcedonias, quam Byzantias. Sic enim inquit Varro: *Pagur: Samii, Phrygia Attagena, Grues Melicæ, Hædus ex Ambracia, Pelamis Chalcedonia, Muræna Tarteſia, Aſelli Peſinuntii, Oſtrea Tarentina, Pectunculus Chius, Elops Rhodius, Scari Cilices.* Quod autem Dionyſius tradit, Chalcedone oraculum Apollinis fuiſſe non inferius Delphico, Lucianus id confirmat, antiquiſſimum qui aſſerit, cum Alexandrum ait pſeudomantem ſocietatem iniiſſe cum Byzantio quodam Chronographo ſcelerato, qui appellaretur Cocconas. Hi cum inter ſe cogitarent Delphos, Claron, Delum, Branchidas divites factos ex arte divinandi, conſtituerunt vaticinationis oraculum excitare, ac primum conſiderarunt de loco. Cocconas Chalcedonem probabat locum commodum eſſe mercatoribus frequentem: Alexander præferebat urbem Paphlagoniæ nominatam Aboni mœnia; cujus ſententia vicit. Itaque profectis ipſis Chalcedonem, utile quippiam urbs viſa eſt habere in Apollinis templo, quod illic antiquiſſimum eſt: tabulas æreas defodiunt, in quibus inſcriptum inciſumque erat, ut quam mox Aſclepius cum ipſo Apolline patre accederet in Pontum, ut occuparet Aboni mœnia. Harum tabularum de induſtria inventarum fama, ſtatim Bithyniam & Pontum pervagata pervenit Aboni mœnia, urbem ut dixi Paphlagoniæ, ejuſque incolas ita movit, ut templum ædificare cœperint, quo Alexander profectus eſt. At Cocconas Chalcedone remanſit, duplicia, planeque ambigua oracula quædam conſcribens. Ex Apollinis Chalcedonici tripode manaſſe arbitror oraculum, quod Socrates *ſacræ Hiſtoriæ* conſcriptor tradit, cum Valentis Imperatoris indignatione muri Chalcedonis everterentur, in fundamentis inventam fuiſſe tabulam lapideam, verſus continentem ſubſequentes:

Ἀλλ' ὁπόταν νύμφαι ἱερὸν (δροσερὴν) κατ' ἄστυ χορείην
Τερπόμεναι στήσονται ἐϋστεφέας κατ' ἀγυιάς,
Καὶ τεῖχος λουτροῖο πολύστονον ἔσσεται ἄλκαρ,
Δὴ τότε μύρια φῦλα πολυσπερέων ἀνθρώπων,
Ἄγρια, μαρμαίροντα, κακὴν ἐπιειμένα ἀλκήν:
Ἴστρου καλλιρόοιο πόρον διαβάντα σὺν αἰχμῇ:
Καὶ Σκυθικὴν ὀλέσει χώρην, καὶ Μυσίδα γαῖαν,
Θρηϊκίης δ' ἐπιβάντα σὺν ἐλπίσι μαινομένῃσιν,
Αὐτοῦ μὲν βιότοιο τέλος καὶ πότμον ἐπίσποι.

Hujus oraculi declarationem afferam, cum tractabo decimam Regionem Conſtantinopoleos.

E Sed ut planius perſpiciatur Dionyſii Chalcedonica deſcriptio, & quales ſint hodie portus, quos idem Dionyſius antea dixit Chalcedonem utrinque habere: atque ut internoſcatur, uter horum poſtea appellatus fuerit Eutropii portus, ſubjiciam nonnulla. Chalcedonia uſque ad hanc ætatem ſuum nomen retinet, olim magna & præclara urbs, nunc exiguus vicus: hæc enim iterum, & ſæpius vaſtata, primo a Perſis, iterum a Valente Imperatore muris ſpoliata, deinde a Gotthis everſa, quam poſt Cornelius Avitus aliqua ex parte reſtituit: poſtea a Saracenis, poſtremo a Turcis funditus deleta, ut duntaxat perparvus vicus ſuperſit. Nulla extant mœnium veſtigia ſupra terram, neque ſub terra, niſi raris locis fundamenta alta ingentibus ſaxis quadratis conſtructa, quæ penitus effodi nuper vidi in ædificationem ſubſtructionum, quas Rex Soleimanus molitur in tertio Conſtantinopoleos monte. Portuum aliquot ruinæ cernuntur, atque nonnulla ſcoria metallorum in ea regionis parte ubi moneta excudebatur: tum extat aquæductuum ſubterraneum opus lateritium, quo per urbem aqua ducebatur, ſicque

portu accommodabatur, ut supra molem longe excurreret ad usum navigantium. Chalcedon sita erat in promontorio peninsulam efficiente, ad medium intumescente, ex tribus partibus leniter acclivi, ex quarta parte paulo accliviore, & depressiore in vallem, per quam fluvius Chalcedon delabitur in Propontidem. Promontorii pars Solis occasum conspiciens, cingitur Bosporo: pars vero vergens ad Meridiem, ortumque hybernum, clauditur Propontide: at ad Orientem æstivum spectans, eminet in vallem, per quam Chalcedon rivus quidem parvus, sed ripis altis coercitus profundus delabitur, & salsus in longitudinem amplius mille passuum usque ad pontem lapideum transmittentem Chrysopoli viatores Nicomediam. Ab eo ponte usque ad Bosporum Isthmus patet in latitudinem circiter octo stadiorum. Hic fluviolus etsi exiguus, ut jam nomine careat, accolæque duntaxat appellent *Potamion*, prorsus ignorantes, olim nominatum fuisse Chalcedonem; tamen omnium fere scriptorum testimoniis nomen dedit urbi Chalcedoni: cujus etiam Xenophon meminit libro 1. *Hellenicorum*, cum Alcibiadem quidem ait universo exercitu Chalcedonem a mari ad mare cinxisse, & partem, quæ pertinebat ad flumen, muro ligneo sepsisse. Pharnabazum vero, cum is propter fluminis angustias, ac munitionum propinquitatem in urbem ingredi ad ferendum Chalcedoniis auxilium non posset, in Heraclium Chalcedoniorum discessisse. Littus, quod plusquam ex dimidia parte circuit promontorium, in quo jam dixi sitam Chalcedonem, excepta parte, quæ plana est, ubi portus est & vicus Chalcedon, abrumpitur in præcipitem proclivitatem, ut fere erectum sit in altitudinem amplius vigintiquinque passuum, non modo in terra saxeis crepidinibus invium: sed etiam in mari cautibus male tutum navigiis, nisi ubi portus fuerunt. Si ab extremo mucrone, seu angulo promontorii Chalcedonici dirigas lineam ad medium promontorii dorsum, in quo sita est Constantinopolis, perspicies lineam dirigi ab ortu hyemali ad occasum solstitialem, & dividere Bosporum a Propontide, & secare Hippodromum, & tendere ad ædes Paiasiti Regis positas in jugo tertii collis, inde procedere ad ædes Mamethi Regis sitas in quarto colle; totumque dorsum promontorii secare a fronte ad muros, partem urbis circuitu maris carentem claudentes. Si vero ex eodem extremo mucrone promontorii Chalcedonici lineam duceres ad angulum Scutaricum, videres eam progredi a Meridie ad Septentrionem, relicto flexu molliter curvato, ubi est portus Chalcedonis, & littus humile, & planum. Nunc portus obrutus, & moles quotidie exportantur: atque ubi olim portus magnis navibus patebat, nunc alicubi non patet scaphis, ob syrtes & brevia. Juxta Isthmum existit colliculus a Septentrionibus situs inter Isthmum & planitiem, in qua dixi ædem fuisse divæ Euphemiæ, humilis quidem ille, sed commemoratus ab Appiano, quem, cum Mithridates obsideret prætorem Cottam, intra Chalcedonem clausum, uterque exercitus occupare conabatur. Chalcedonem habuisse portum catena clausum, capientem amplius sexaginta naves, patet ex Appiano: is enim ait, classem Mithridatis in portum Chalcedoniorum vi irrupisse, catenasque, quibus ostium portus claudebatur, rupisse, & quatuor naves exussisse; sexagintaque ex portu captas secum abduxisse.

CAP. XI.

De portu Eutropii, & Heræo promontorio: & de antiquis regiis ædibus appellatis Heræis.

LATUS promontorii Chalcedonici vergens partim ad Meridiem, partim ad ortum hybernum, efficit sinum vulgo appellatum *Calamotum*, intus recedentem plus minusve octo stadia. In hoc medio latere videntur vestigia antiquæ molis portus, quem Episcopus Chalcedonensis mihi persuadere conabatur fuisse olim appellatum portum *Hirenæ*, corrupte quasi ἡραίȣ: mihi potius a Regina Hirene. Nam portus τȣ̃ ἡραίȣ est in contrario promontorio; potiusque appellatus ille olim fuit portus Eutropii, cujus meminit Zonaras. *Ad cædem*, inquit, *Mauritii Regis movetur Phocas, & in Eutropii portu primum ejus quatuor filios interficit, nihil aliud tum dicentis, quam hoc ipsum: Justus es Domine, & justum judicium tuum: denique ipsum Mauritium tollunt*. Idem alio loco dicit, Chalcedone esse portum Eutropii, sed non declarat, an in Bosporo, an in Propontide. Nam ex antedictis Dionysii scimus, Chalcedonem utrimque habuisse portus. Verum ex Procopio assequi possumus, fuisse non longe ab Heræo, cum ait Justinianum portum alium construxisse in ulteriore continente in locis Eutropii nominatis, non procul remotis ab Heræo. At ubi fuerit portus Eutropii, plane scire nequimus, nisi sciamus, ubi fuerit Heræum. Itaque id paulo altius investigandum est. Demosthenes in libris, quos scripsit *de rebus Bithynicis*, sic ait:

Εςι δὴ προπάροιθε κλυτῆς Χαλκήδονος ἄκρα
Ηραία τρήχȣσα πολυσπιλάς. ἔνδοθεν αὐτῆς
Λαίναιον περὶ τεῖχος ἰὼν κοιλαίνεται εἴσω
Κόλπος ἁλὸς· φαίηςκεν ἰδὼν βαθυδίνȣαν
Πάντη ἔμμεναι ἰαμμένη δὲ κὶ ȣ βαθείας
Εςι θαλάσσης, ἔνθα τε νῆας ἦγον οἰόμενοι σκέπος εἶναι
Αὐτοφυȣ̃ς ὅρμοιο· κακῷ δὲ ἐνέκυρσαν ἑτοίμῳ.

Ex quibus assequimur, Heræum promontorium esse contra Chalcedonem, habens multas cautes concavas circa mare, quod intus recedens sinum efficit, quem intuens putat profundum esse, cum revera sit prorsus fruticosus, & herbosus, & minime profundus: nam eo, qui naves adduxerunt, putantes protectionem naturalis portus, in præsens inciderunt periculum. Ex his Demosthenis versibus percipimus Ηραιον esse promontorium, quod hodie vocant *acram Johannis Calamoti*, & sinum, quum Demosthenes describit esse illum, quem ab Occidente claudit promontorium, in quo fuit Chalcedon: & promontorium Joannis Calamoti cingit ab Oriente, cujus ostium patet in latitudinem octo circiter stadiorum. Totus vero ejusdem ambitus complectitur plus minus quinque miliaria. Cannarum sylvis, herbisque frequens ejus ora cernitur: unde nomen templum proximum divi Johannis Chrysostomi Calamoti invenit. Hic sinus olim duos portus molibus munitos habuit, unum olim nominatum Eutropii, nunc *Hirenæ*, situm in littore sinus occiduo juxta Chalcedonem: alterum nominatum *Heræum*, positum contrario in littore ad Orientem pertinente. Hos ambos portus fuisse in sinu Johannis Calamoti, ex Procopio percipimus, cum ait ædes regias Justinianum construxisse in Heræo, quod Justiniani temporibus *Hierion*, sive *Hieriam* appellarent, ibidemque portum molibus sepsisse littus, quæ antea utrinque ventis, & undarum incursibus expositum, tutum a ventis effecisse innumerabilibus & maximis arcis saxorum plenis in vadum aliis supra alias usque injectis, quod utrimque brachia exaggerata supra aquam extiterunt, extrinsecusque circa moles saxis rudibus & duris projectis ad excipiendos impetus fluctuum, & ventorum hyemalium portum quietum perfecisse, unumque in portum aditum navibus reliquisse. Addit Procopius, ut juxta portum Justinianus ædes sacras

condiderit, & porticus, & vias, balnea publica & alia fere omnia ædificarit, nihilo inferiora regiis ædibus Urbis: deinde adjungit, portum alium conſtruxiſſe in contrario continente, in locis Eutropii nominatis, non longe remotis ab Heræo. Ex quibus patet portum Eutropii eſſe Chalcedonis portum, ſpectantem ad Solis ortum; portumque Heræum illum, quem nunc vocant molem Joannis Calamoti. Horum amborum portuum uſque ad hanc diem molium & brachiorum veſtigia extant magna quidem ex parte diruta, ſed quæ nonnullam ſtationem navibus accommodent: reliquorum vero ædificiorum veſtigia funditus deleta ſunt, exceptis parietibus ædis ſacræ, & ciſterna maxima, undique lateritiis parietibus cincta, ſed ſpoliata tecto teſtudinato, & columnis teſtudinem ſuſtinentibus, de qua Georgius Cedrinus ita ſcribit: *Macedonius Rex palatia in Heræis exornavit, & ciſternam expurgavit, quam Heraclius terra obruerat, in hortumque redegerat oleribus conſitam.* Idem paulo infra ait, *Rex Heraclius ubi ſui diei natalis rationem a Stephano Philoſopho didiciſſet, prædicente Heraclium ex aqua interiturum, cum alias ciſternas obruit, tum illam ſitam in Heræis, quam Macedonius perpurgavit, regiaſque ædes in antiquam formam reſtituit, & pro horto in ciſterna conſito Nymphæum aqua lucida abundans induxit.* Quam autem multorum ſcriptis celebretur palatium Heræum, e multis nonnullos, qui mihi jam veniunt in mentem, afferam. Sozomenus ſcribit Theodoſium Regem mandaſſe Demophilo præfecto Arrianis Conſtantinopolitanis, ut curaret ſtatuta in Concilio Nicæno ſervare, & populum in unum conſenſum reducere, aut ab ædibus ſacris cedere. Demophilus advocavit concionem populi, atque Regis ſententiam declaravit, & abſtinens ab ædibus Urbis, concionem indixit in ſuburbana Hieria nuncupata: *Quoniam*, inquit, *lex præcipit, ſi vos perſequuti fuerint ex una Urbe, fugite in aliam.* Alii Hiſtorici tradunt, Conſtantinum Iconomachum contra imaginum cultum Concilium iniquum triginta octo Epiſcoporum habuiſſe in palatio Hieriæ. Prætereo cæteros; unam duntaxat inſcriptionem ſubjungam, quæ erat inciſa in aditu Hieriæ:

Εἰς Εἴσοδον τῆς Ἱερείας.

Τοῦτον Ἰουστινιανὸς ἀγακλέα δείματο χῶρον,
Ὕδατι, καὶ γαίῃ κάλλος ἐπικρεμάσας.

Itemque aliam:

Κοίρανοι, ὑμετέρην ἀρετὴν κάρτος τε καὶ ἔργα
Αὐδήσει χρόνος αἰὲν, ἕως πόλος ἀστέρας ἕλκῃ.

Jam ut planius intelligatur ſitus promontorii Heræi, & an idem, quod aliqui exiſtimarunt, Heræum, & Eurion, & Yris, deſcribam oram maritimam, ab acra Joannis Calamoti uſque ad aliquem finem. Promontorium Calamoticum circuitu complectitur amplius octo ſtadia: ejus cervix efficiens Iſthmum, non excedit latitudinem ducentorum paſſuum. Urnæ ſimilitudinem gerit, ſeu ollæ: Nam ut olla eſt collo anguſto, ita illud cervicem habet anguſtiam, deinde dilatatur, intumeſcitque in ambitum circiter octo ſtadiorum: ſed ita, ut undique ſit crepidinibus præruptis & ſaxoſis, præterquam a cervice, quæ ita plana eſt, ut ex utroque littore aſpicientes mutuo aſpectu fruantur. Forſan ita Heræum promontorium appellatum eſt Εὖρον ab olla defoſſa. Sic enim Stephanus ait: *Promontorium Heræum, contra Chalcedonem ſitum, quod alii* Εὖρον, *ſive* Εὔρειον *appellarunt, hi qui ajunt ibi chytras, hoc eſt, ollas defoſſas inveniſſe, & oſſa.* Verum aliam eſſe acram Heræam, aliam Εὖρον, ſive Yrim, (vel Hyrim,) patet ex Artemidoro: is enim ſcribit ab Acrito promontorio naviganti cx. ſtadia ſitum eſſe promontorium Yrim, ſive Euron nuncupatum, cui objecta eſt Inſula Pityodes, & alia Inſula nomine Chalcites. Quæ ut explicatius perſpiciantur, deſcribam ſubſequens littus. Poſt promontorium Heræum pergenti ad ſinum Nicomediæ, ſuccedit aliud promontorium, quod vulgus vocat *Zarritrion*, neſcio, an quaſi Χυτρίδιον: nam accolæ in hunc diem jactitant inveniſſe ollam (Zaram, aut Jarram) auro plenam in hujus loci vicinia. Ex Inſula Pityode navigavi recta via in Continentem ad villam ſitam in ora maritima, quam Græci vocant Obriam, ſive Abriam, Turci appellant eam *Maltepet*, ſitam ad radices extremas promontorii poſiti contra Chalcitim. Vide, an hoc ſit Euron, ſive Yris promontorium, an illud quod jam dixi appellari Zarritrion. Verum ut melius intelligatur ſitus Chalcedonis, & ubi fuerit Ἡραῖον, paulo extra Boſporum vagabor, ſed in conſpectu Chalcedonis & Byzantii, quod paulo poſt deſcripturus ſum.

CAP. XII.

De Inſulis ſuburbanis Byzantii & Chalcedonis, & primum de Inſula Prota, & de Oxia & Platy.

ARTEMIDORUS in undecimo libro *Geographiæ* ait: *Ab Acritico promontorio præternaviganti Euron ſtadia centum & decem promontorium ſitum eſt, appellatum Hyris; & Inſula huic objicitur Pityodes; & altera Inſula nominata Chalcitis; aliaque Prota dicta, a qua ad urbem Chalcedonem ſtadia quadraginta.* Protam appellatam exiſtimo, quod prima occurrat venientibus Byzantio & Chalcedone: a Græcis uſque ad hanc diem nominatur Πρώτη. Diſtat ab urbe Byzantio paulo amplius ſexaginta ſtadia. Ejus longitudo a Septentrionibus procedit ad Meridiem. Juxta ejus littus vergens ad Orientem vicus eſt ſub ſe habens portum ſubjectum. Supra vicum duæ ciſternæ rotundæ; quarum major laxatur in amplitudinem magni hemiſphærii Thermarum magnarum Byzantiarum. Inſula duobus verticibus prominet, altero vergente ad Septentriones, altero ad cardinem meridianum. Dicitur circuitu complecti circiter tria miliaria. A Meridie habet Inſulam Antigonon, a qua abeſt octo circiter ſtadia. Inter Meridiem & occaſum brumalem, intuetur duas Inſulas: quarum altera Platys, altera Oxya appellatur in acutum verticem faſtigiata, undique præceps & prærupta: altitudine ad perpendiculum dimenſa, ſuperat omnes colles Byzantii. Ex aliquibus partibus aſcenſus in ipſam non patet ob directos clivos. Multa etiam nunc veſtigia retinet ciſternarum, aliorumque ædificiorum. Ajunt ibi regiam arcem, & velut receſſum Capreenſem aliquorum Regum extitiſſe: quod a rei veritate omnino alienum non videtur, propterea quia naturali munitione tuta videtur. Habet portum ſubjectum Orienti, cujus moles diſtractæ cernuntur. Lauro abundat, & multis generibus florum. Sed nuſquam circa Byzantium tanta cibi bonitate Oſtreæ capiuntur, quam circum hanc Inſulam. Ab hac non longe eſt Platys Inſula, humilis & fere plana.

CAP. XIII.

De Inſula Antigono, & de Inſula Pityode.

QUam Græci noſtræ ætatis appellant Antigonon, Zonaras ait olim vocatam Panormum, Inſulam nunc Antigoni nominari. Plinius inter Inſulas Proponticas numerat Antiochiam: vide num aliquis Codex Plinii antiquus habeat *Antigoniam.* Inſula ab Aquilone efficit littus excelſum & præruptum. Ejus quædam pars intuens Meridiem, eminet rupibus abruptis, uſque ad ſummum ferme verticem. Ab occaſu ſunt littora rupibus præruptis aſpera, ſed longe demiſſiora. In omnes partes exiſtit declivis. Undique ejus aſcenſus eſt ſtadiorum circiter quatuor, in multo ex-

celsiorem altitudinem effertur quam Prota. In summo vertice ædes sacra etiamnum extat, & juxta ædem cisterna Signino opere munita, concamerata lateritio tecto. Sunt ibidem etiam putei jugis aquæ. Ab Oriente habet vicum in littore situm: circa vicum sunt aliquot vineæ: reliquæ partes sunt tectæ erica, arbuto, rore marino, ilice, ladano. Tota Insula lapidosa scatet minutis lapillis. Contra vicum est Insula exigua, cujus circuitus non excedit quatuor stadia, altitudo non superat quinquaginta passus (intellige quos conficere soleo in ambulando, ut intelligi oportet in omnibus passibus ante jam a me commemoratis) quæ vulgo appellatur Pitys. Hæc Pityodes dicitur ab Artemidoro, quam tradit sitam contra Continentis oram nuncupatam Εὔρειν. Equidem cum Artemidorus ordinatim ponat Pityodem, & Chalcitim, & Protam, existimo Pityodem Artemidorum intelligere esse aut Antigoniam, aut eam, quam jam Græci appellant *Insulam Principem*. Nam cur commemoraret tam exiguam Insulam, & proximam magnam præteriret?

C A P. XIV.

De Chalcitide Insula.

CHALCITIS Insula a Græcis nostræ ætatis nominatur Chalcis: distat ab Antigonia quatuor stadia. Menippus in *Periplo Bithyniæ* Chalcitidem Insulam constituit contra Chalcedonem: eamque dicit habere æris metalla. Chalcitidem eandem esse, quam Stephanus appellat Demonesum, assequor ex eo, quod dicit Demonesum Insulam sitam circa Chalcedonem, habere Cyani metalla, & Chrysocollam, & aurum preciosum, & coronarium, quod oculis ægrotantibus medicinam afferat. Nulla alia Insula circa Chalcedonem metalla haber, nisi Chalcitis. Aristoteles similiter scribit. *Demonesus*, inquit, *Insula Chalcedoniorum* (sic enim legendum est, non ut habet Codex Χαρκηδονίων) *a Demoneso homine appellata est, habetque Cyani metalla, & Chrysocollam, & aurum eximium in ea invenitur, quod sit oculis remedium*; atque æs, quod Aristoteles appellat χαλκὸν κολυμβητὴν, ex eo opinor, quod (ut ipse addit) ex mari profundo duos passus urinatores illud extrahant, ex quo factam idem adjungit statuam in urbe Sicyone, statutam in antiquo templo Apollinis.

Ex antedictis liquet, quam erret Plinius, qui dum enumerat Insulas Propontidis, dicit Demonesum Insulam sitam esse ante Nicomediam, cum nulla Insula existat in sinu Nicomediæ, olim appellato Astuceno. Verum ut clarius perspiciatur Demonesus eadem Insula esse, quæ Chalcitis, ut nunc sunt, ostendam vestigia metallorum, & situm Insulæ, quæ tribus verticibus, seu collibus intumescit: unus vergit ad Aquilonem, alter ad Occasum, tertius ad Orientem, Insulæ latus meridianum est præceps, & abruptum in rupes, excepto sinu, admittente recessum maris portuosum, quoquoversus patentem paulo plus stadio, tutum ab omni vento, excipio Austrum. Circa hunc sinum existunt aggeres scrobium, pleni ruderibus cæruleis, rejectis ex effossione æris, & Chrysocollæ, & cærulei, atque inter ipsa rudera collegi eximium cæruleum, & absolutam Chrysocollam. Quod si vadum maris ibi effoderetur, sine dubitatione inveniretur aurum illud ab Aristotele laudatum. Aggeres scrobium sunt in radicibus vallis supra sinum jam dictum eminentis, & secantis Insulam a mari meridiano ad mare septentrionale, cujus quidem vallis in parte media elata in jugum Insulæ est domicilium solitariorum sodalium Græcanicæ religionis, ubi Nymphæa magna Signino opere elaborata, plena jugi aqua manante, ex vertice pertinente ad Orientem. Littus intuens Solis ortum habet vicum nuncupatum a nomine Insulæ. Sub vico statio navigiorum.

C A P. XV.

De Insula Principis.

INSULA Principis, distans a Chalcite circiter quinque stadia, nominata est a frequenti habitatione filiarum Principum, virginitatem solitariam profitentium. Georgius Cedrinus ait, Justinum nepotem Justiniani ædificasse solitariam vitam agentium domicilium, nominatum Principis, suburbanum Constantinopoleos. Zonaras scribit Nicephorum Hirenem exulem ejecisse in Insulam Principis appellatam, in qua monasterium ipsa ædificaverat, unde fortasse Insula appellata fuit Principis. Longe dimidio major existit, quam Chalcitis: omneis antedictas Insulas altitudine superat aut æquat. Ab Oriente æstivo vicum habet nominatum Principis, situm in planitie littorea. In ejus littore vergenti ad ortum æquinoctialem spectantur fundamenta sumptuosa antiqui monasterii, ubi amplius quingentæ solitariæ fœminæ vivere solebant. Contra monasterium sita est Insula exigua, parvo intervallo distans, nominata Anterovitos. Inde in eodem littore sequitur vicus nominatus Carya. Supra vicum modice eminet jugum contractum in vallem, cinctam duobus verticibus, quæ secat mediam Insulam ab ortu ad occasum. Insulæ littus intuens Meridiem, rupibus circumvallatur; littus vero spectans ad Solis occasum, minoribus rupibus cingitur. Denique Insulæ circuitus non excedit sexaginta stadia. Habet a Meridie vicinam Insulam, quam vocant Andron: ab oriente æquinoctiali habet alteram Insulam, nominatam Divi Andreæ, distantem plus minus decem miliaria, undique excelsis rupibus & præruptis munitam, excepto latere conspicienti Solis ortum, ubi domicilium sodalium sectæ solitariæ.

Dividitur hæc Insula a Continenti mari lato quatuor stadia. Paulo ultra hanc Insulam pergenti ad sinum Astacenum eminet promontorium, quod usque ad hanc ætatem appellatur Acrita, ut vocatur a Ptolemæo, quod Menippus dicit distare ab urbe Chalcedone stadia sexaginta. Omnes antedictæ Insulæ abruptæ a Continente videntur: quarum quatuor, nimirum Prota, Antigonos, Chalcitis, & Princeps faciunt sinum suo latere vergente ad Aquilonem; ut Prota, & Princeps sint sinus cornua. Antigonos & Chalcitis efficiunt intimum sinus recessum. Cum aspicis ex Protæ latere, vergente ad Solis ortum, advertis sinum factum ex quatuor Insulis, nec vides Euripos intercedentes inter Insulas: ut rei ignarus quatuor Insulas, unam eandemque Insulam existimaret quatuor collibus intumescentem; primumque collem numerat Protam, secundum Antigoniam, tertium Chalcitim, quartum Principem. Euripus separans Insulas a Continenti, patet in latitudinem paulo amplius sexaginta stadiorum.

Hæc adjungere volui de Insulis suburbanis Byzantii, velut præparationem ad clarius percipiendum situm Byzantii, quem e vestigio subjungere cogito: reliquas Propontidis Insulas longe ab Urbe remotiores, ut Proconnesum, Ophiusam, Acanthum, Phœben, Scopelon, Porphyrionem, Halonem, Delphaciam, Polydoram, Elæam, & duas Rhodiussas, & contra fauces Rhyndaci Besbycon (cujus meminit Dioscorides,) rejicio in meum Periplum Propontidis & Hellesponti.

F I N I S.

PETRI GYLLII

DE

TOPOGRAPHIA

CONSTANTINOPOLEOS,

ET

De illius Antiquitatibus,

LIBRI QUATUOR.

PETRI GYLLII
IN
DESCRIPTIONEM CONSTANTINOPOLEOS
PRÆFATIO:
UBI SITUM ILLIUS, & COMMODITATES OSTENDIT.



CONSTANTINOPOLIS ſic in peninſula ſita eſt, ut totum Iſthmum occupet peninſulanum. Ex tribus enim partibus mari alluitur. Neque ſolum ex ſe ſe munita eſt, ſed etiam ſuos ſuburbanos longos agros, iter duorum dierum latos, amplius viginti miliaria munitos habet peninſula quam efficiunt Pontus, Boſporus, Propontis, olim ab Anaſtaſio muro clauſam. Ita fit, ut ſitus Urbis duplici peninſula munitus, arcem ſe declaret totius Europæ, atque adeo principatum totius orbis præ ſe ferat, eminens in fauces Europæ, atque Aſiæ. Nam præter alias fœlicitates immenſas, hanc habet ſummam, quod mari portuoſo ex tribus partibus cingitur; a Meridie quidem Propontide, ab Oriente Boſpori freto, ab Aquilone ſinu maxime portuoſo, qui non modo claudi catena poteſt, ſed etiam ſine catena hoſtibus infeſtus eſt, Conſtantinopolis & Galatæ muris ſtringentibus ejus latitudinem in ſtadia paulo minus quatuor, ut & machinis, & igne liquido hoſtium naves ſæpe perierint. Adde quod nihil munitius fieri poſſet, ſi accederet ars muniendi noſtra ætate uſitata; ſi quatuor portus, quos olim intra muros clauſos habebat catenis, reſtituerentur: quorum duobus antiquum Byzantium ornatum, triennium Severi obſidionem ſuſtinuit; nec niſi fame totius orbis viribus capi potuit. Nam præter commoditates, quas habet Propontidis, & Ægæi maris, ſic totius Ponti Euxini imperium habet, ut uno oſtio id clauſum teneat, ſcilicet Boſporo, quem tranſire nemo poteſt invita Conſtantinopoli: quo fit ut totius Ponti divitiæ ſint in ejus poteſtate, ſive importatæ, ſive exportatæ. Exportatur autem tanta copia pellium cujusvis generis, mellis, ceræ, ſervorum, aliarumque rerum, ut ſufficiant magnæ parti, Europæ, Aſiæ, Aphricæ: importantur vina, olea, frumenta, aliaque infinita Aſiæ, Aphricæ, Europæ, ut copiam ſentiat Myſia, Dacia, Pannonia, Sarmatia, Mæotis, Colchis, Iberia, Albania, Cappadocia, Armenia, Media, Parthia, utraque Scythia. Itaque non modo omnes barbaræ nationes coguntur amicitiam hujus urbis amplecti, ſed etiam oræ omnes maritimæ, & inſulanæ, ſi Ponti divitiis frui velint. Adde, quod nemo ultro, citroque trajectiones Aſiæ, Europæque facere poteſt invito Byzantio, cum ſit velut pons, & porta utriuſque orbis; dicerem ſolum, niſi Helleſpontus eſſet. Sed is infinitis partibus inferior cenſetur, nimirum longe amplior, & ſinum non habens Byzantinum, quo urbs peninſula fiat portuoſa; ac ſi haberet, tamen Euxino Ponto non uteretur invitis Byzantiis: id quod ſi ratione non capimus, exemplo aſſequi poſſumus. Conſtantinus in Sigæo promontorio eminenti in fauces Helleſponti Conſtantinopolim

ædificare cœperat, ſed ea relicta, in promontorio Byzantino eam ædificavit. Troia quidem inſignis urbs, ſed cæcorum, qui non præviderint ſitum Byzantii; cæci omnes, qui ante Byzantium urbes ædificarunt in ora Helleſponti, aut Propontidis: quæ etſi aliquandiu floruerunt, funditus tamen, aut everſæ ſunt, aut in vicos redactæ; ac ſi reſtituerentur, Conſtantinopolis, ut præſtantior, eis dominaretur. Quamobrem jure dicere poſſumus, eam non modo Ponti, ſed etiam Propontidis, & maris Ægæi clavem eſſe. Laudatur Cyzicus, quod duobus pontibus conjungeret Inſulam Continenti, & duos ſinus contrarios inter ſe copularet, quam Ariſtides ſcribit eſſe vinculum Ponti, & Ægei, ſed quis non videt, quam laxum? Inter Cyzicum, & Europam Propontis lata intercedit: qua ut invitis Cyzicenis tranſitiones in utrunque mare fieri poterant, ita Cyziceni invitis Helleſpontiis, & Byzantiis habere utriuſque maris commoditates non potuerunt. Prætereo Heracleam, Selymbriam, Chalcedonem, in Propontidis ora ſitas, olim quidem nobiles hominum induſtria, & loci natura; ſed principibus commoditatibus privabantur portuum ſimilium Byzantino portui, qui nullis viribus hoſtium obrui poteſt. Illarum jampridem portus obruti ſunt: atque adeo carebant poteſtate Boſpori, & Helleſponti, quibus uti non poterant ſine voluntate Boſporanorum, & Helleſpontiorum; At Byzantini iis omnibus invitis uti poterant Ponto. Itaque ei accidere non poteſt, quod accidit ſuis vicinis, aliiſque quam plurimis maximis urbibus, quæ tot annos jacentes in ruinis, aut excitatæ non ſunt, aut ſi reſtitutæ, non tamen in priſtina ſede: deletæ ſunt vicinæ, & nondum reſtitutæ; deleta eſt Memphis, ſed adhuc jacet, cum Cairica Babylonia ex caſtello magna urbs evaſerit in ejus vicinia ſita; utraque carens opportunitatibus Byzantii. Prætereo Aſſyriam Babylonem, quæ etiam cum floreret, vidit vicinam urbem ædificari, ſibi non cedentem de magnitudine. Cur Alexandria non reædificatur, niſi quia hominum induſtria magis, quam natura conſiſteret. Romam antiquam reſtituit Petri ſanctitas, & Romani nominis authoritas, potius quam naturalis ſitus, mari carens portuoſo. Sileo Athenas, & Lacedæmonem, quæ magis pertinaci hominum virtute, quam ſitus commoditate excelluerunt. Omitto duos illos oræ maritimæ oculos, Corinthum, & Carthaginem, quos eodem ferme temporum effoſſos, primum Julius Cæſar reſtituit, deinde rurſus funditus erutos nemo inſtauravit, quamvis Carthago ſita in peninſula portuoſa quidem, ſed duo maria non conjungens. Quamvis Corinthus bimaris, arx Peloponneſi, clavis, & compes Græciæ nominata ſit, tamen duo maria ne duos quidem ſinus proximos, quos circuitus peninſulæ conjungit, unquam conjungere non modo ipſa potuit, ſed ne vires quidem Imperii Macedonici atque Romani, id quod artificio potuit Cyzicus, & natura Chalcis Euboica, altera Græciæ clavis exiſtimata, quarum omnium circuitus fieri brevi declinatione poterant. At Conſtantinopolis clavis duplicis orbis, & maris Ægæi, & Euxini, quæ nulla navigatione, nulla circuitione ne totius quidem orbis jungere poſſis, niſi ore Byzantio. Prætermitto Venetias, quæ magis clauduntur mari, quam claudant maria, magiſque laborant maria ſejungere, & repellere, quam conjungere. Sileo totius orbis omnes ſitus,

qui urbes habuerunt, habent, aut habituri ſunt; nullus unquam invenietur, qui tot, & tantas commoditates habeat non modo ad imperandum, ſed ne ad private quidem vivendum. Caritatem annonæ nunquam, aut rariſſime ſentit; cui continuus campus Thracius frumentarius amplus quoquoverſus plus minus ſeptem dierum iter, alicubi viginti dierum, & eo amplius. Prætero Aſiam vicinam proximam, ubertate agrorum frumentariorum, & paſtionibus redundantem. Sileo ex utroque mari facilem vecturam: jam vini copiam, præterquam quod ipſa fert, habet oram Boſpori, Propontidis, Helleſponti vinetis conſitam, & facili navigatione infinita genera hbere poteſt, cæteraſque delitias. Ut Theopompus ſcribat, ex eo, quod Byzantium eſſet nobile emporium, populum omnem in foro, & portis, & cauponis verſari ſolitum, dantem operam Baccho. Menander in Comœdia nominata *Aulitride*, ait omnes mercatores temulentos facere Byzantium. *Totam*, inquit, *noctem bibo*, *ſurgo habens quatuor capita*. Exagitant Comici Byzantios, quod cum urbs obſidione premeretur, non alia ratione eos exercitus Imperator in mœnibus continere potuit, quam cum prope muros cauponas collocaſſet; quod ut fuit popularis gubernationis vitium, ita loci virtutem, & copiam oſtentat omnium rerum. Carnium quanta ſit copia, norunt, qui viderunt; atque ſi venatores eſſent, nuſquam copioſiores venationes, & aucupia. Fructibus autem omnis generis, omnis temporis fora abundant. Quod ſi noſtrates negent, dicam conſiderent, quantum natio Mametana conficere poſſit, leniens vini deſiderium pomis, pyris, reliquiſque omnibus fructibus. Lignorum vero abundantiam habet tantam, ut nullis ſeculis abundatura non ſit, cum ex Europa, tum ex Aſia. Sylvæ enim immenſæ, perennes, longæ, iter pluſquam quadraginta dierum, continuatæ a Propontide ad Colchos, & longe ulterius: ut non modo ſibi ac vicinis, verum etiam longinquis, atque adeo ipſi Ægypto, & ſinui Arabico, atque Aphricæ materiam ſuppeditet in ædium, naviumque ædificationem: ſolaque ex maximis urbibus eſt, quæ nunquam incidet in lignorum penuriam, non modo ad ignem faciendum, ſed ne ad ædificia quidem & naves; in quam noſtra ætate videmus incidiſſe maximas Europæ, Aſiæque urbes. Piſcium vero redundantia excellit Maſſilia, Venetia, Tarentum: ſed omnia ſuperat Conſtantinopolis, qua velut per portam piſces duplicis maris tranſeunt: neque modo per Boſporum tranſeunt, ſed ad Byzantium feruntur relicta Chalcedone, ut uno reti viginti navigia impleas, atque ſine retibus ſæpe manibus ex Continenti capias; atque adeo cum verno tempore in Pontum aſcendunt denſi greges, jactu lapidis velut aves ferias; ex feneſtris quoque urbis calathis ex corda appenſis mulieres piſcentur; hamiſque piſcatores ſine eſca pelamides capiant tot, & tantas, ut ſufficiant toti Græciæ & magnæ parti Aſiæ Europæque. Et ne numerem piſcium genera, optimarum oſtrearum tantam multitudinem capiunt, ut ſufficiant, ut tot dierum jejuniis, quibus Græci piſcibus ſanguinis participibus non veſcuntur, quotidie videas in piſcariis foris multa navigia oſtrearum plena. Quod ſi Byzantii non tanta eſſet carnis copia, ſi piſcibus delectarentur, piſcatoreſque eſſent ea induſtria, qua Veneti, & Maſſilienſes, libereque piſcari poſſent, non tantum mediam partem

piſcationis Regi Turcorum tribuerent: profecto omnes angiportus quotidie implerentur piſcibus. Jam novæ Romæ cœlum quiſpiam damnabit, ut Ponticum: ego expertus ſum ſalubrius quam antiquæ Romæ, atque ex multis annis vix unius, aut alterius anni hyemem perfrigidam, calores autem æſtivos temperatos eſſe anniverſariis ſeptentrionibus, quibus aſſidue fere tota æſtate aer ſerenus eſt: hyeme tepeſcit auſtris, quibus aer ſerenus fit; ſeptentrionibus pluvius, contra quam in Italia & Gallia fieri ſolet. Peſte vero minus acerba, minusque mortifera, nec frequentiori quam magnæ urbes laborare ſolent: rariusque laboraret, niſi plebis multitudine, & ſervis ſordide paſtis impleretur.

Et ne videar laudare Rhetorum more, quæ vix Sophiſtarum acerbitate reprehendi poteſt, hoc uno malo laborat, quod barbaris frequentius, quam excultis humanitate habitetur; non quin ſit apta ad molliendos homines etiam barbariſſimos; ſed quod ob copiam humanarum rerum ejus habitatores remolleſcant ad reſiſtendum Barbaris, quibus longe lateque circundata eſt: unde fiet, ut etſi ad imperandum natura ſit comparata, tamen educatione, & diſciplina nequaquam utentur illius incolæ, copiaque rerum negligentes fient, & ſuperbia loci rationem conſuetudinis, & familiaritatis cum hominibus habendæ negligent: unde ob inſolentiam odio hominum extrudentur, aut in diſſenſiones incident, quibus Chriſtiani cives laborantes amiſerunt urbem, & imperium. Sed diſſentiant quantumlibet, urbemque, ut ſæpe fecerunt, inflamment, & funditus evertant, tamen nunquam deerit, qui eam reſtituat, ob loci opportunitatem, ſine qua Pontus Euxinus, rurſus Axinus efficeretur, ob copiam Barbarorum Pontum cingentium. Quis enim, niſi longo hujus urbis imperio caſtigati eſſent, ſive mari, ſive pedibus proficiſceretur ad oras Ponticas latronibus plenas? quis Boſporum, quem utrinque accolunt Barbaræ gentes, penetraret? ac ſi quis penetraret, tamen Thracibus accolis Ponti rediens aberraret ab oſtio Boſpori falſa, ut olim facere ſolebant, lumina pro pharo prætendentibus. Non igitur modo navigationem Ponti, Byzantium impedire poteſt, ſed nemo ſine ejus ſubſidio navigare illuc poteſt. Quare cum totius Europæ Conſtantinopolis ſit arx contra Ponticos, & Aſiæ Barbaros, etiam ſi ſæpe deleatur, ſemper non deerit aliquis, qui eam reſtituat, invitatus loci opportunitate. Quis unquam hoſtis acerbius urbem aliquam evertit, quam Severus? attamen cum reſipuit ab iracundia contra Byzantios, animadvertit ſe ab antiquis temporibus urbem habitam communem quandam benefactricem omnium, Romani Imperii magnum propugnaculum deleviſſe contra Barbaros Ponti & Aſiæ. Itaque reſtituere conatus eſt, nomineque filii Antoninam appellari voluit. Cæteræ igitur urbes, ut ſint mortales, hæc ſane quandiu erunt homines, futura mihi videtur immortalis.

INDEX CAPITUM.

LIBER PRIMUS.

LIBER SECUNDUS.

LIBER TERTIUS.

LIBER QUARTUS.

PETRI GYLLII

DE

TOPOGRAPHIA CONSTANTINOPOLEOS,


ET

DE ILLIUS ANTIQUITATIBUS,

LIBER I.

CAP. I.

De Byzantii conditoribus, & de ejus varia fortuna.



YZANTIUM conditum fuisse Stephanus atque Eustathius memoriæ prodiderunt a Byzante, Ceroessæ & Neptuni filio; vel ab eo, qui classis Megarensium coloniam deducentium dux fuit, nominatus Βυζής. Ego hunc etiam Byzanta appellatum arbitror: nam a Byze, Byzeum, potius quam Byzantium diceremus. Philostratus in *Vita Marci Sophistæ Byzantini*, Ducem illum classis Megaricæ nominat Byzanta, cum scribit Marcum, quod referret originem sui generis ad antiquum Byzanta, profectum Megaram, charum habitum fuisse Megarensibus coloniæ Byzantinæ deductoribus: quibus Pythium Apollinem consulentibus, ubi conderent urbem, redditum oraculum est: quærerent sedem Cæcorum terris adversam. Ea ambage Chalcedones monstrabantur, quod priores advecti illuc, prævisa locorum utilitate pejora legissent. Quod autem apud Justinum scriptum est, a Pausania Spartano Byzantium conditum, ita intelligendum existimo, ut qui Sycam, quam hodie vocant Galatam a Genuensibus conditam esse affirmant, & Constantinopolim a Constantino, qui, aut reædificarunt, aut amplificarunt, non autem primi ædificarunt: nam cum ex Herodoto intelligam Dario invadente Thraciam Byzantios, & Chalcedonios ne expectasse quidem adventum Phœniciæ classis, relictis suis urbibus in interiora Euxini Ponti discessisse, ibique Mesembriam condidisse; Phœnices autem Byzantium, A Chalcedonem combussisse; arbitror Lacedæmonios Pausania duce coloniam illuc deduxisse, & Byzantium, sive coloniam prius Megarensium, sive sedem civium a Byzante Neptuni filio conditam restituisse. Eustathius dicit Antoninam appellatam fuisse ab Antonino Bassiano Severi Cæsaris filio: sed quandiu pater vixit, id nomen obtinuisse, deinde multis post annis nominata est Nova Roma, & Constantinopolis, & Anthusa quasi Florentia, sive Flora a magno Constantino, unde Priscianus appellat Novam Romam Constantinopolitanam. Apollo fælices quidem prædixerat, qui eam incolerent; sed utramque B fortunam sæpe experta est. Primo magnis laboribus emersit, impedientibus Thracibus, Bithynis, & Gallo-Græcis: in singulos enim annos octoginta talenta Gallis in Asia dominantibus diu pensitavit. Majoribus crevit: nec solum externis, sed etiam domesticis frequenter vexata, nunc optimatium gubernabatur statu, nunc populari, variasque partes secuta est: sed diu floruit in republica, lateque in Europa, atque Asia dominata, præsertim Bithynis, ut Philarchus tradat in sexto libro *Historiarum*, Byzantios sic dominos fuisse Bithynorum, ut Lacedæmonii fuerunt εἱλώτων, C quorum fortuna media erat inter servorum & liberorum conditionem.

Hæc Respublica Ptolemæorum Ægypti regum nomen coluit, ut Philadelpho honores divinos tribuerit, templumque illi excitarit in conspectu suæ urbis: nomen Imperii Romani fovit, primo adversus Regem Macedonum, cui ut degeneri impositum Pseudophilippi nomen. Sileo missas copias in Antiochum, Perseum, Aristonicum, & piratico bello adjutum Antonium: Mithridatis impetum ægre repulsum, & cervicibus interclusum suis sustinuit: & simul Syllæ, Lucullo, Pompejo valde auxiliata est, quando ea loca insideret, quæ transmean-

meantibus terra, marique ducibus, exercitibusque, simul vehendo commeatui opportuna forent. Tandem Nigri partes secuta, contra Severum, omni dignitate principatus spoliata est, & Perinthiis subjecta, & balneis, & theatris, muris, quibus validis excelsisque munita erat, lapide quadrato, & molari constructis, potius quam Milesio, ut placet Politiano: nam neque ex illo antiquo Milesio, neque Miletopoli excisus fuit, cum Miletum remotissimum, & Miletopolis posita juxta Rhyndacum fluvium nullas nobiles lapidicinas habeat, quam quidem vidi funditus eversam lacui Apolloniati propinquam adhuc nomen retinentem. Muri adeo tenui junctura fuerunt, ut Herodianus testetur, nemini compositum opus, sed ex uno, perpetuoque lapide visum fuisse: ruinas ipsorum, reliquiasque Herodiani temporibus, qui videbant, mirabantur eos, vel qui construxissent, vel qui delevissent. Dion, quem Zonaras citat, muros tradit munitissimos habuisse Byzantium, quorum lorica lapidibus tres pedes crassis, & qui regulis æreis comprehenderentur constructa erat: interioraque ipsorum sic erant compacta, ut unus murus crassus omnis structura esse videretur. Turres crebræ & magnæ, portas circum habentes alias aliis superpositas. Muri ex parte Continentis valde excelsi, maritimi humiliores erant. Duos portus intra murum habebat, catenis clausos, quorum brachia sustinebant turres multum eminentes. Ipse cum Græco Codice Xenophontis carerem, arbitrabar Xenophontem de alterutro horum portuum intelligere ex Latina traductione, quæ ita habebat: *Cum ex Chrysopoli Byzantium trajecissent, cumque ex Byzantio exclusi essent milites Xenophontei, repagula perfringere conabantur, portasque se effracturos minabantur, nisi eas Byzantini voluntate aperirent, atque accurrerunt ad mare, & intra oppidum desiliere muris superatis, juxta ipsius portus latera, quæ, quod curvatis utrinque molibus prominent, Chelas*, id est, *acceptabula* Græci vocant: at postea incidens in Græcum Codicem, vidi nullam ibi mentionem portus esse, sed duntaxat *τὴν χηλὴν τοῦ τείχους*, hoc est, *ad crepidines muri, sive ad projecturas fulcientes murum:* ac si *χηλὴ τοῦ λιμένος* legeretur, *brachium* potius, aut *crus* vertendum fuisset. Dionysius Byzantius tradit Bospori primam circuitionem excipere tres portus. Byzantii quingenta habebant navigia, quorum quædam erant dicrota, quibusdam erant gubernacula ex prora, & ex puppi, & gubernatores, & nautæ duplices, ut sive invaderent, sive retrocederent, necesse non esset eas convertere: hostesque fallerent in accessu, & recessu. Byzantii Nigro vivente, & mortuo multa mirabilia ediderunt triennium obsessi: neque modo capiebant hostium naves præternavigantes, sed etiam triremes ex statione hostili abstrahebant: anchoras enim urinatores sub aqua natantes abscindebant, & funiculis ad clavos pedum plantis affixos alligatis trahebant sua sponte adnare visas. Nec primi Byzantii hoc egerunt: nam Tyrii assueti conchas, aliaque ejusmodi sub aquis legere, profundo mari nantes, ex improviso anchoras hostium præcidebant. Quod Alexander ubi animadvertisset, ferreas catenas pro funibus alligari ad anchoras jussit. Byzantii, cum omnia consumpsissent, tamen resistebant lignis, quæ ex ædificiis detrahebant, & funibus ad naves utebantur, quos ex capillis fœminarum suarum conficiebant: interdumque statuas, & equos projiciebant in suos hostes. Ut vero omnibus esculentis destituti sunt, pelles aqua mollitas edebant: pellibusque consumptis, alii in alios efferari cœperunt, humanis carnibus vescentes: denique fame oppressi, inviti urbem dederunt. Romani interfecerunt milites, omnesque principes cives: Urbs tota funditus eversa, muri diruti, quorum ostentatione gloriabantur: simulque theatris, thermis, omnique cultu, atque honore detractis in vici formam redacta, Perinthiis adjudicata est. Ea capta Severus valde lætatus est, eique libertatem abstulit, & dignitatem reipubl. tributo imposito, civium bonis publicatis Perinthiis Byzantium, ejusque regionem largitus est. Severus postea Byzantium profectus, ut vidit cives sibi obviam egressos cum ramis olivarum supplices, deprecantes salutem, & excusationem afferentes, cur illi obstitissent, abstinuit quidem a cæde, sed Perinthiis subjectos reliquit: theatrum tamen illis dedit, *Κυνηγίων* porticus, & Hippodromum ædificandum curavit, eidemque adjunxit thermas, quas ædificavit in templo Jovis, qui appellabatur Zeuxippus: renovavit etiam Strategium. Quæ omnia Severus inchoaverat, Antoninus filius perfecit.

CAP. II.

De magnitudine Byzantii.

CONSTANTINOPOLITANI cives hujus ætatis dictitant, Byzantium comprehensum fuisse primo colle, hoc est, septo regio: sed amplius fuisse, liquebit ex his, quæ modo dicam. Recentes scriptores ita describunt: Byzantium incepisse, a muro arcis, & pertinuisse ad Eugenii turrim: ascendisse usque ad Strategium, & Achillis balneum, & portam Urbicion terrestrem Byzantii, inde in chalcopratia & miliarium, ubi altera porta terrestris Byzantiorum: hinc ad columnas Zonarii: ex his descendisse, & flexum fuisse in Acropolim per manganas, & thermas Arcadianas. Quibus ut nonnullam fidem habeam, non tantum facit eorum in aliis permultis mihi cognita fides, quam Eustathius, scribens Athenienses usos Byzantio *τῷ πολιχνίῳ*, id est, *parva urbe*, ad servandas pecunias. Sed longe antiquior Zosimus Historicus, Byzantium ita describit: *In colle*, inquit, *situm fuit, occupans partem Isthmi, quem efficiunt sinus nuncupatus Cornu, & Propontis. Habuit portam in fine porticuum, quas Severus Imperator ædificavit, cum iratus esse desiisset Byzantiis, quod Nigrum tutati fuissent hostem, Byzantii murus per collem procedebat a parte occidentali usque ad Veneris templum, & ad mare oppositum Chrysopoli; a Boreali vero parte simili modo descendens usque ad portum, quem vocant Neorium, & ulterius usque ad mare, quod e regione jacet oris Pontici, per quod ad pontum Euxinum navigatur. Hæc igitur*, inquit ille, *antiqua urbis magnitudo*. Sed Dionysius Byzantius, Zosimo multo antiquior, ut ex ejus scriptis cognoscatur ante Severi ruinam scripsisse, ait ambitum Byzantii circiter quadraginta stadia complexum fuisse, quæ longe majus spatium complectuntur, quam illi tradiderunt. Herodianus Byzantium tempore Severi urbem maximam omnium Thraciæ fuisse dicit.

CAP. III.

De Constantinopolis instauratione, ejusque magnitudine.

ZONARAS Constantinum Magnum scribit cupientem urbem sui nominis condere, primo Sardicum Asiæ agrum delegisse, deinde Sigæum promontorium, post Chalcedonem & Byzantium. Georgius Cedrinus dicit Constantin. primo Thessalonicam delegisse, ibique biennium agentem loco delectatum, admirabilia templa, balnea, aquæductus ædificantem, peste interpellatum, locum hunc reliquisse, & profectum Chalcedonem Bithynorum, a Persis eversam restituere incipien-

tem, admodum fuiſſe, ubi Conſtantinopolis condenda eſſet, ab aquilis lapillos architectorum iterum, & ſæpius rapientibus, & Byzantium tranſportantibus. Zonaras idem ſcribit: lapillos non vocat, ſed funiculos: quod commentitium videtur, ſurreptum ex Dionyſio Byzantio, tradente parum abfuiſſe, quin Byzas conderet Byzantium in loco Semyſtra nuncupato, ſito ad oſtia Cydari, & Barbyſæ fluminum, niſi corvus rapiens ex media flamma partem victimæ, & deportans in promontorium Boſporium Byzantem admonuiſſet ibi condendum eſſe Byzantium.

At mihi tam cæcus Conſtantinus non videtur fuiſſe, quam Chalcedonii antiqui: quorum cæcitate omnibus literarum monumentis decantata edoctus proſpicere potuit Byzantium, potius quam Chalcedonem commodius Romani imperii domicilium eſſe: Quanto melius ſentiunt longe antiquiores, e quorum numero eſt Sozomenus Salaminius, & Zoſimus, qui ſcripſerunt *ſuam Hiſtoriam* tempore Theodoſii minoris. Hi omiſſa mentione Sardicæ, & Theſſalonicæ, & Chalcedonis, tradunt Conſtantinum cogitantem urbem condere ſui nominis, æqualis conditionis, pariſque honoris Romæ, deprehendiſſe locum inter antiquum Ilium & Helleſpontum commodum ad urbem condendam; fundamentaque jeciſſe, & muri partem in altitudinem excitaſſe, quæ in hunc diem videtur in promontorio Sigæo, quod Plinius appellat Ajantium, ex eo, quod ibi Ajacis ſepulchrum eſſet eminens in extremas Helleſponti fauces, ubi dicunt ſtationem navium fuiſſe, & tentoria habuiſſe Achæos militantes contra Trojam: Poſt Conſtantino commodiorem ſedem viſam eſſe Byzantium, quod trecenteſimo ſexageſimo ſecundo anno ab imperio Auguſti Conſtantinus reſtituit, auxit, maximis muris circumdedit, nunc upa rique novam Romam Conſtantinopolitanam lege ſancivit, quæ inciſa in columna lapidea, & publica in Strategio prope Conſtantini ſtatuam equeſtrem propoſita erat. Cum autem indigenas cives exiſtimaret non ſufficere magnitudini urbis, juxta fora ſparſim ædificavit domos, quas dedit habitandas Senatoribus, atque illuſtribus viris, quos ſecum duxerat ex urbe Roma, atque ex aliis gentibus. Fora conſtituit alia ad urbis ornamentum, alia ad uſum civium, Hippodromon ſacris ædibus, fontibus, porticibus inſtruxit, & Senatu, quem habere voluit eundem honorem, quem Senatores Romæ habere ſolebant. Regias ædes condidit non multo inferiores Romæ regiis ædibus. Denique in omni ornatu ſimilem, æqualemque Romæ Italiæ efficere ſtudens, in eam magnitudinem perduxit, ut Sozomenus tradat, hominum multitudine & divitiis majorem Conſtantinopolim eſſe, quam Romam. Eunapius Sardianus,non ignobilis ſcriptor, quamvis Conſtantino infeſtus, tamen Conſtantinopoleos magnitudinem maximam deſignat, his verbis: *Conſtantinopolis*, inquit, *antiquum Byzantium, temporibus quidem antiquis præbuit Athenienſibus tranſmiſſionem frumenti, quod illinc copioſum efferri ſolebat: ſed temporibus noſtris, neque ab Ægypto multitudo onerariarum navium, neque ex omni Aſia, & Syria, & Phœnicia, & ex aliis gentibus importata, multitudo frumenti Conſtantinopolim implere & ſatiare poteſt populum, quem Conſtantinus in urbem Byzantium tranſtulit ex aliis urbibus, quas hominibus ſpoliavit*. Similiter Zoſimus, etſi Conſtantino non æquus, ob religionem, tamen fatetur eam auxiſſe in magnitudinem maximæ urbis; atque ultra Byzantii muros quindecim ſtadia urbem circumplexum eſſe muris intercipientibus Iſthmum ex mari in mare. Quam Conſtantinus quamvis maximam effecit, tamen Imperatores, qui poſt Conſtantinum imperarunt, majorem effecerunt: & propter multitudinem undique confluentium in Urbem, militiæ, vel mercaturæ, vel aliarum rerum cauſa, aliis muris multo majoribus, quam Conſtantiniani eſſent, eam circumdederunt; & habitationes ita anguſtas permiſerunt, ut etiam habitantes in foris anguſte habitarent, ut viatores cum periculo incederent propter hominum, animaliumque multitudinem. Unde factum fuit, ut maris non parva pars circuentis Urbem exſiccata fuerit, & palis in circuitu defixis, & domibus ſupra palos impoſitis urbs magna facta ſit ad capiendam populi maximam multitudinem. Et hæc quidem Zoſimus ait de magnitudine, qua erat temporibus vel Arcadii, vel Theodoſii. Agathius ſcribit temporibus Juſtiniani adeo continentia, & perpetua fuiſſe Urbis ædificia, & conjuncta inter ſe, ut rariſſimum videret quiſpiam locum ſub dio apertum, & undique liberum, ut rectis oculis cælum ſuſpicere poſſet. Quam etiam magna fuerit urbs ante Juſtiniani tempora, colligere poſſumus ex antiqua Urbis deſcriptione incerti autoris, ſed antiqui, & fidei pleni. Is dicit Urbis longitudinem fuiſſe a porta Aurea uſque ad littus maris directa linea pedum quatuordecim millia ſeptuaginta quinque; latitudinem autem pedum ſex millia centum quinquaginta. Neque tamen Juſtiniani temporibus intra Urbem Blachernas fuiſſe, colligere licet ex Procopio; etiamſi ante Juſtiniani Imperium Urbs aucta fuiſſet a Theodoſio minore; qui, ut tradunt Zonaras atque alii, id negotii dedit Cyro urbis Præfecto. Is magno & prompto ſtudio excitavit terreſtrem murum a mari ad mare ſexaginta diebus. Urbis populus hoc opere delectatur, & celeritatem admiratus, exclamavit Cyrum, & publica voce in theatro coram Imperatore Theodoſio pronunciavit: *Urbem Conſtantinus condidit, Cyrus renovavit: hinc invidia Cyro conflata eſt, & ſuſpicio.* Itaque Theodoſii juſſu invitus tonſus, deinde Smyrnæ Epiſcopus conſtitutus eſt. Hunc nominant Epigrammata Conſtantino inſcripta, in portis Xyloceri & Rhegii nuncupatis, his verbis;

Εἰς τὴν πύλην Ξυλοκέρου
(Ξυλοκέρκου, ἢ Ξυλοκρίκου)
ἐν Βυζαντίῳ.

Θευδόσιος τόδε τεῖχος ἄναξ, καὶ ὕπαρχος ἑῴας
Κωνσαντῖνος ἔτευξαν ἐν ἤμασιν ἑξήκοντα.

Εἰς τὴν πύλην τοῦ Ρηγίου
ἐν Βυζαντίῳ.

Ημασιν ἑξήκοντα φιλοσκήπτρῳ βασιλῆϊ
Κωνσαντῖνος ὕπαρχος ἐδείματο τείχεϊ τεῖχος.

Quæ autem cauſa moverit Conſtantinum, ut Byzantium, novam Romam, Reginam Imperii Romani conſtituerit, Sozomenus atque alii tradunt, Deum noctu Conſtantino viſum oraculum dediſſe, ut ad Byzantium conderet Urbem dignam ſuo nomine. Alii tradunt, ut Julius Cæſar evitare volens inſidias, cogitavit migrare Alexandriam,vel Ilium, tranſlatis ſimul opibus Imperii, exhauſtaque Italia delectibus, & procuratione amicis permiſſa: ſic Conſtantinus ſentiens ſe veniſſe in odium Senatus Populique Romani, exhauſta Roma migravit primo Ilium, deinde Byzantium. Zoſimus nomini Chriſtiano infeſtus, cauſam affert maxime impiam. *Conſtantinus*, inquit, *cum ſuſtuliſſet Criſpum, atque alia ſcelera commiſiſſet, a ſacerdotibuſque expiationem eorum peteret, reſponſum ab eis accepit ſe tantam ſcelerum impietatem purgare non poſſe; ſed hanc Ægyptium quendam poſſe, qui ex Iberia Romam profectus allocutus Conſtantinum affirmavit omnium ſcelerum*

ipsum purgationem adepturum, si Christianorum confirmaret opinionem, quæ hoc constitutum profiteretur, impie, & scelerate contaminatos, statim pœnitentes veniam assequi omnium malefactorum suorum. Constantinus facile sermonem excipiens, reliquit religiones patrias, & particeps factus est eorum, quæ sibi communicaverat Ægyptius; impietatisque principium fecit manticam habere suspectam. Instante autem festo, in quo necesse erat in Capitolium ascendere exercitum, & ritus religionis suæ implere, metuens Constantinus interesse festo, ex visione ab Ægyptio sibi missa, improbante ascensum in Capitolium, a sancto sacrificio patrio desciscens, Senatum, Populumque Romanum excitavit in odium sui. Qui non ferens omnium execrationes, & convitia, Urbem similiter præstantem, ut Romam, quærebat, ubi Palatia regia constitueret, & sedem Imperii: cum locum inter Troadem, & antiquum Ilium invenisset aptum ad Urbis ædificationem. & Palatia regia constituenda, fundamenta jecit, & muri partem excitavit. Ubi vero hujus loci Constantinum pœnituisset, opus reliquit imperfectum, & Byzantium accessit, admiratus Urbis situm, judicavit hanc aptam maxime esse ad Regis domicilium excipiendum. Hæc quidem Zosimus, Juliani studiosus, Constantino ob religionem infestus: a cujus sensibus, ut penitus abhorreo, ut ei non assentio de sceleribus impiis, quæ falso impingit Constantino, quæ alienissima a mente Constantini, maxime pii, humanissimique copiose monstrare conarer, nisi hoc præsens institutum tantam digressionem non pateretur, nisi etiam satis Sozomenus & Evagrius ea redarguissent, & confutassent. Ita in describenda magnitudine incrementi Urbis ei assentire cogor, cum ex eo, quod etiamsi Constantino infestus, tamen tantam, tam magnam, tam pulchram cogitur fateri Constantinum ædificasse: tum etiam magis ex eo ipso, quod is vicinior multis seculis esset temporum Constantini, quam recentes monachi, qui incertis libellis, quos ipsi inscripserunt de patria Constantinopolitana, Constantinopolim ita designant; Constantinum posuisse murum a turre Eugenii, quæ finis erat antiqui Byzantii, usque ad Divum Antonium, a topis nuncupatis, ad Sanctam Deiparam nuncupatam Rabdon, & ascendisse usque ad Exacionion, a milliario penetrasse ad portas antiquas Joannis Præcursoris, & transisse usque ad cisternam nuncupatam ab Homine bono, inde transisse ad Armation, atque usque ad Divum Antonium. Hanc descriptionem excuterem, nisi eorum autores ita mendaces in permultis expertus essem, ut prætereundos putem. Hoc ferre non possum, quod ponunt Joannis Præcursoris templum intra muros Constantinianos fuisse, cum etiam multis annis post Constantinum extra Urbem fuisset, atque alia sim infra demonstraturus.

CAP. IV.

De forma, ambitu, latitudine, & longitudine, qua nunc est Constantinopolis.

CONSTANTINOPOLIS ex tribus partibus alluitur mari: ex Aquilone sinu Cornu nuncupato, quem in Europam insinuat Bosporus; ab Oriente cingitur Bospori extremis faucibus; a Meridie Propontide, ab Occidente terra Thracia. Forma illius est triangula: cujus basis est pars vergens ad Occasum, vertex autem pars pertinens ad Ortum, id est, ad initium peninsulæ; sed lateribus disparibus: latus enim spectans ad Occasum, ab angulo sinus lunatam curvaturam admittit; deinde postquam longo spatio processit, ex Aquilone flectitur ad Meridiem: latus vero vergens ad Meridiem, admittit flexum ea latitudine, ut si ab angulo ad angulum linea recta extenderetur, sinum maris interciperet in medio largum plus minus duobus stadiis: latus vero pertinens ad Septentriones, & sinum Cornu nuncupatum, si ab angulo uno ad alterum angulum linea duceretur, totum sinum Cornu, & partem urbis Galatæ interciperet: sic enim curvatur latus, ut ejus duo extrema cornua arcum efficiant, duos arculos in medio flexu habentem, sed sic introrsus recedentes, ut duo extrema cornua arcus se includentis, non impediant, quominus quis ex alterutro cornu cernens videat utrunque cornu. Magis igitur proprie Constantinopolis tricornis, quam triangula. Nam recti anguli non prominent extra latus, neque recedunt; cornua vero prominent & recedunt, & incurvantur. Itaque si hæc tria cornua quatenus eminent extra truncum Urbis, abscinderentur, Urbs remaneret quadrata, oblonga, aliquanto plus miliari lata, ter tanto fere longior, quam latior: ac si cornu, quo scinditur Bosporus, non flecteretur ad Ortum solstitialem, sed ad æquinoctialem dirigeretur, Urbs trianguli formam tenere posset: nam Urbis latus vergens ad sinum fere esset rectum, & Proponticum latus magis dirigeretur, & pari prope anguli essent latitudine; sed tamen anguli absoluti figuram nondum obtineret: nempe alii hebetiores, alii acutiores, & latera nondum rectis lineis dirigerentur. Nos tamen, ut omnes existimant, triquetram dicere possumus, tribus grandibus angulis constantem; quorum unum spectans Propontidem, alterum pertinens ad continentem Thraciam, eadem sunt longitudine; tertium sinui adjacens, brevius est uno circiter miliario.

Ambitus urbis non attingit tredecim miliaria: quamvis Laonicus Chalcondylus in *Historia*, quam scripsit *de Othomanis*, tradit Constantinopolim circuitu complecti centum & undecim stadia. Ejus longitudo discurrens per dorsum promontorii sex colles efficientis, non longior est triginta stadiis: at si Urbs esset trianguli recti, non longe excederet novem miliaria. Sed si ejus situs collinus in planitiem explicaretur, in ampliorem dilataretur latitudinem: attamen nondum ad magnitudinem, quam vulgo Byzantini ei attribuunt, videlicet duodeviginti miliariorum: neque tamen plura ædificia contineret, quod sita in collibus, quam si esset posita in librata planitie, propterea quod ædificia non in solo inclinato, sed ad libellam plano ædificantur. Non enim eadem ratio domorum, & hominum: nam plures homines ambitus Constantinopoleos continere posset in collibus sita, quam si esset plana, non item plures domos. Sedes enim hominum in clivo consistere potest, non item domorum, quarum solum explanatum esse oportet. Ejus latitudo varia: ab Oriente ad mediam fere Urbem nusquam strictior miliario, neque latior duodecim stadiis: deinde sensim dilatatur in duo cornua; ubi tam larga est, quam tota fere urbs longa: nec admodum dissimilis est aquilæ pandenti alas, oblique intuenti sinistrorsum: in cujus rostro positus est collis primus, ubi Regis Palatium, in oculo templum Sophiæ, in capitis vertice posteriori fere est Hippodromus, in collo sunt duo colles, secundus & tertius: Reliqua Urbis pars alas, & cæterum corpus occupat.

CAP. V.

Constantinopolis generalis descriptio.

CONSTANTINOPOLIS occupat peninsulam septem colles complectentem: quorum unum efficit urbis angulus orientalis, inchoans Promontorium, quod Plinius appellat Chryso-

ceras, Dionysius Byzantius Bosporium. Hic collis primus est divisus a secundo colle, valle lata: reliquos sex colles efficit idem Promontorium Bosporium, ita ab exordio peninsulæ orientali ad Occidentem pergens perpetuo dorso leniterque convexo, ut sex colles ex suo latere dextro in sinum eminentes porrigat, & valles quinque emittat; sed nullas penetrantes dorsum, excepta tertia, & quinta. Sed ita, ut suis jugis paululum depressis dorsum Promontorii fere æquum continuent; sinistro autem latere feratur perpetuo clivo, ut colles non habeat, sed tumulos, & vallículas exigue depressas, procliviores tumulis ipsis: & ita dorsum Promontorii tendit aliquantum dispari planitie, & altitudine, ac curvatur duos flexus recipiens, primum prodiens ex jugo primi collis. Unde leniter assurgit usque fere ad alterum flexum, qui fit in jugo tertii collis, ubi exiliter deprimitur, dum vallis jugum intercedentis inter tertium, & quartum collem admittit. Inde mediocri intervallo clivoso assurgit; deinde æquale fertur ad Occasum usque, fere ad murum terrestrem, ubi paululum eminet. Promontorii hujus, quod dico efficere sex colles, planities varia: nam alia in dorso, alia in radicibus, utraque inæqualis, in primi collis jugo librata, larga ducentos circiter passus, longa septingentos. Deinde prodiens ex hujus collis fastigio, leviter pervenit ad jugum secundi collis, ubi larga quingentos passus, sed tota fere leniter devexa, in jugo unde nascitur secunda vallis angusta, & exigue prona, in tertio colle latior sexcentis passibus, sed æqualior eo loco, unde oritur tertia vallis ampla sexcentos passus. Ex qua ascenditur brevi clivo in quarti collis jugalem planitiem non ampliorem ducentis passibus: in quinto dilatatur in passus circiter septingentos: in jugo, ex quo nascitur quinta vallis, restrictior; in sexto molliter attollitur. Jam vero ima planities inter mare & radices Promontorii procurrens, etsi totum promontorium perpetua fere cingit, tamen varia est: nam minor est ad radices collium, dimidio latior ad valles: ita enim ab initio promontorium ambit, ut in valles tres insinuata pateat in latitudinem mille passuum, juxta colles nusquam angustior jugere; excipio tertii collis radices & quinti, ubi est angustissima, in quartam vallem longe lateque spatiatur. Ad radices sexti collis contrahitur, exceptis radicibus duorum tumulorum positorum a tergo primi & secundi collis, quorum alter eminet usque ad littus, alter prope accedit.

Sed Urbis ut situs facilius explicetur; per partes describam valles & colles, quorum jucundus prospectus est: ex eodem enim promontorii dorso sex colles nascentes, eminentes in Sinum, ut fratres dicere possis, ita per ordinem locati sunt, ut alteri alterorum aspectum non auferant, ut per Sinum navigans, omnes videat ita eminentes in Sinum, ex tribus lateribus ut singuli duo ostendant latera. Primus eminet in Ortum solstitialem, ad claudendum Sinum, secundus tertiusque interius recedunt, versus Meridiem; reliqui eminent in Septentriones tam sensim, ut uno aspectu videre eorum omnium possis duo latera: neque unius altitudo alterius altitudinem privat aspectu navigantium per Sinum. Primus est secundo humilior, secundus, tertio, quartus, quintus, sextus aut paulo editiores tertio, aut paululum cedunt; id quod Aquæductus libella deprehendere licet. Primus enim collis inferior tertio & quarto deprehenditur ex turre librante Aquæductum, per quam amplius quinquaginta pedes aqua in altum exprimitur.

Atque clarius ut res intelligatur, divisione utar non quidem in longitudinem urbis a Bospori extremis faucibus ad mœnia circuitu maris carentia pergentem, sed in latitudinem tendentem a Propontide ad Sinum Ceras nuncupatum. Quod autem latitudinem in sex partes dividam, naturalis situs Promontorii me informat, qui divisionem in sex colles vallibus distinctos in Sinum eminentes informavit: verum non absolvit, non enim dorsum Promontorii transeunt. Romanos colles facile est secernere, quos Natura secrevit vallibus: at Byzantini adeo dorso inter se cohærent, & Promontorii eos procreantis pars, sita a tergo collium, non similiter ut a fronte intumescat, ut aliter eos describere non possum, quam hos sex colles esse unius Promontorii dorsum perpetuum, prominens inter valles alternas. Itaque non aliter definiam, quam primo describam partem Promontorii dextram, hoc est, collem, aut vallem; postea partem sinistram, positam a tergo collium, aut vallium.

CAP. VI.

Singularum partium situs.

PRIMA latitudinis pars est fons peninsulani Promontorii, amplius mille passibus patens, vergens ad Orientem, adjacens extremi Bospori faucibus. Is enim ita secundum frontem Promontorii discurrit, littore curvato leniter in arcum, ut ab angulo, quo Bosporus scinditur in sinum Ceras, & fretum extremarum faucium Bosporanarum, intervallo circiter quatuor stadiorum pertineat a Septentrione ad Meridiem; deinde spatio quatuor stadiorum ab Ortu solstitiali se convertat ad Occasum brumalem, usque ad initium Propontidis, cujus cum Bosporo conjunctio finit. Promontorii frontem, & flexum Urbis incurvat ad Occidentem æstivum intervallo duorum miliariorum: ipsa autem frons planitiem maritimam habet patentem in latitudinem ducentorum passuum, tam longam, quam ipsa longa est, supra planitiem eminentes clivi omnes fere molles, non excedentes altitudinem quadringentorum passuum: clivorum pars sinistra exposita Orienti brumali, habet in jugo Hippodromum: pars dextra respiciens ad Orientem æstivum, efficit latus primi collis, in cujus summo est Regis Palatium. Possem frontem totam, cum planicie & clivo æqualiter procurrentibus continuata sit, & cohærens cum colle primo, dicere partem primi collis. Verum ut distinctius intelligatur, tractabo separatim.

CAP. VII.

De primo Colle, & Regis Palatio, æde Sophiæ, & de Hippodromo.

PRIMUS collis ab Ortu solstitiali ad Occasum brumalem proferens suam longitudinem, primo patet in latitudinem triginta passuum, sed subito fit latior; deinde paulo minus in latitudinem porrigitur, quam in longitudinem. Nascitur ex peninsulani Isthmi angulo, efficiente verticem triangulæ Urbis. Projicit velut mucronem, seu linguam molliter in planum devexam, seu rostrum, quo Bosporus in Fretum sui canalis, & Sinum Ceras nuncupatum scinditur. Eminet ultra cæteros colles totus fere in Sinus

oſtium, aditumque projectus, & tanquam brachium immiſſum claudit Sinum: ut lineam ab ejus mucrone ſi duceres ad angulum Urbis occiduum, intra lineam totum Sinum, maritimamque Galatæ oppidi planiciem includeres: id quod magno naturæ munere, Sinum protegens, a ventis tutiorem, & portuoſiorem efficit. Undique proclivis prominet, excepta cervice, qua plana adnectitur reliquo dorſo Promontorii ſimiliter plano. Illius clivi, ſpectantes ad Ortum ſolſtitialem, & Septentrionem, mediocriter ſupini, & molles; reliqui proniores, ut alicubi gradibus aſcendantur; ſed omnes, ubi elatiores, nuſquam quadringentos paſſus excedunt. Planicies maritima imos collis clivos ambiens, varia eſt. Eam quæ ad Orientem pertinet, latiorem facit littus intumeſcens in curvaturam lunatam; illius vero, quæ ad Septentriones, & Solis Occaſum contuetur, latitudinem auget vallis dividens primum collem, a ſecundo colle. Jugi planities librata eſt in paſſuum longitudinem circiter ſeptingentorum. Collem totum non ſolum natura munivit, quæ ab Oriente ipſum Boſporo, a Septentrione ſinu Cornu nuncupato, ab Occaſu ſolſtitiali valle circumcluſit: verum etiam Regii Clauſtri muris undique clauſus eſt; quibus frequentia pinnarum, & turrium diſtinctis, nihilque a murorum urbanorum forma differentibus, a reliqua Urbe ſeparatur. Maritimam planiciem, & clivos imos occupant Regii Horti. Ex collis ſupercilio longe lateque maria, camposque deſpicit Regis Palatium, in ſummis clivis partim ſitum, partim in jugi planicie; in qua duæ Palatinæ areæ undique clauſæ: prima patet in paſſuum longitudinem circiter ſeptingentorum; in latitudinem vero ducentorum: quam ſubſequitur altera interior, a prima muris & foribus diviſa, quadrata, longitudinis ducentos paſſus habens, undique ambitur porticu, multis & variis columnis marmoreis ſuſtentata. In media area aliquot Platani, & Cupreſſi litigantium turbam adumbrant. In angulo Septentriones conſpicienti Forum Judiciale eſt; quod Turci DIVANUM appellant. In areæ latere vergente ad Solis Ortum æſtivum collucet Regia Domus. In latere brumali conſiſtunt Thermæ, & Culinæ Regiæ, octo hemiſphæriis caminatis conſtantes. Earum enim unumquodque hemiſphærium concameratum, parvæ ædiculæ ſimilitudinem gerens, nihil aliud eſt, quam luculentus caminus in ſummo vertice faſtigiatus in figuram laternæ. Fores primæ areæ ſitæ in media cervice, in qua collis jugum jungitur ad libellam plano dorſo Promontorii ferreæ duplices, & bivalves inter ſe diſtant viginti paſſus; inter quas ſtant janitores. Ex utroque veſtibuli latere fulgent arma ſuſpenſa. Portarum limina & paraſtades marmoribus nitent. Supra fores exiſtit ædificium quadratum, tegulis plumbeis tectum, ut cætera omnia Palatii ædificia. Ex prima area patet aditus ad ſecundam interiorem aream, per portas binas, & duplices: inter quas mediaſtinorum janitorum ſtatio, & arma appenſa lucent. Harum portarum pars exterior præ ſe veſtibulum non habet, ſed interior habet velut quoddam veſtibulum egredientes excipiens. Decem columnis varii marmoris ſuſtinetur: cujus lacunaria auro, & ditiſſimis coloribus opere Perſico elaboratis elate ſuperbiunt. Ad tertiam portam, qua patet intimus aditus ad Ædes Regias, ſtant intimi janitores, & præfectus janitoribus, & Regio cubiculo. Hac nulli libere ingrediuntur, niſi ſervi miniſtri Regiæ Domus: cæteri ingredi non poſſunt, niſi Regio permiſſu, niſi Rege ſedente intus prope fores, ut regii Satrapæ, cum Regem ſalutare habent neceſſe; aut Legati oſculo Regis manum venerantur ſedentis in lectica quidem humili, ſed ſuperbe ſtrata intra ædiculam marmoream, auro, argentoque, & gemmis fulgentem, circumdatam porticu ſuſtentata columnis egregii marmoris, ſpiras & capitula inaurata habentibus. Præter quas commemoravi portas, Regium Clauſtrum multas alias habet, ſoli Regi, regiisque intimis miniſtris patentes. Equidem memini me duodecim numeraſſe, ferreas omnes; ex parte Urbis ſeptem, quarum duæ mari propinquiores, vehem fœni tranſmitterent, ex parte maritima quinque; prima ad Septentrionem, & Sinum vergit; ſecunda in collis mucrone ſita, ampla, præ ſe veſtibulum habens laqueatum, auro, & pictura Perſica illuſtratum, ſuſtentatum columnis marmoris Ophitici; intuetur medium Boſporum venientem. Ab hac non procul tertia conſpicit Chalcedonem, & Solis Ortum, ante quam naviculæ in clauſa ſtatione manent, quibus Rex ad venationes hortosque navigare ſolet. Quarta Solis exortum ſpectat hibernum, non longe a ruderibus ædis Chriſto ſacræ, cujus veſtigia in muro incluſa apparentia Græci frequenti aditu venerari ſolent. Ultra hanc quinta videtur, apud quam tigna recta ſtant, ad ſpeculandum piſces retia ſubeuntes. Ex hac regii piſcatores prodire ſoliti ſunt. Amœniſſimum (ut id obiter interponam) proſpectum cum omnes Byzantii colles habent, tum longe amœniores, Collis Primus, in quo laxiſſime habitat Rex. Is ſive in hortis ambulet, ſive domi jaceat, a fronte proſpicit Boſporum: ejuſque utraque littora virentia ſylvis ſuburbanorum prædiorum, a dextera campum Chalcedonenſem ſuis hortis conſitum, Propontidem, inſulas frequentes, nemoroſos montes Aſiæ, & longe retro reſpicit Olympum Aſiæ, perenni nive tectum, & prope nobilem Urbis partem, ædem Sophiæ, & Hippodromum. A ſiniſtra intuetur ſex Urbis colles, & Thraciæ campos longe lateque patentes circumſpicit undique; & quoquo verſus navigantes hos a Ponto, vel ab Helleſponto; alios, eosque diverſos, ab omnibus Propontidis oris venientes; alios ſinum Ceras ſurſum deorſum navigantes. Proſpicit omni temporis momento infinitam multitudinem ſcapharum ultro citroque trajicientium. Deſpicit ſub oculos ſubjecta tria collis latera veſtita omni genere florum, arborum, herbarum. Neque enim modo hic amœniſſimus proſpectus eſt Regiis Ædibus, ſed etiam omnibus hortorum clivis, in quibus permultæ ſpeculæ, ac potius collis triplex latus totum ſpecula exiſtit. Ac ſi propius mare contueri vult, in medio littore faſtigiato in mucronem, quo Boſporum in duas partes dividi diximus, Porticus Regia fulget marmoribus & columnis, habens aſpectum pulcherrimum amœniſſimumque; cui omni æſtatis tempore afflant molles auræ; in qua undique virgeis cancellis minutis, & velut reticulatis clauſa Regem ſedentem nemo introſpicere poteſt. Itaque ille a nemine viſus, alter Gyges, videt omnes circumnavigantes adeo prope, ut qua quiſque facie ſit, internoſcere queat: &, ſi forte ſervorum domeſticorum frequentem uſum faſtidit, externorum liberorum excitari poteſt ridicula dicacitate, non ſolum remis, ſed etiam contis ad crepidines littoris firmatis contendentium ſuperare rapiditatem Boſpori, Rhodano longe celeriorem. Extra Regium Clauſtrum excellit Ædes divinæ Sophiæ, a valvis clauſtri Regii diſtans paſſus circiter ſeptuaginta, ſita in primi collis cervice, atque adeo in ſupercilio clivi eminentis ſupra hortum pri-

mæ vallis, ex qua gradibus lapideis ascenditur ad portam Claustri Regii, in ædemque Sophiæ, quæ ab ortu Solis hyberno habet clivos adeo molles, ut sensim, & latenter desinant in supernam, & infernam planiciem. Denique omnes clivi a Septo Regio ad Hippodromum leniter proni sunt: Ab æde Sophiana pergit planicies inter Meridiem & Occasum, ad finem Hippodromi patens in passuum longitudinem amplius septingentorum. Hippodromi longitudo duo stadia excedit, latitudo stadium æquat: ejus planities ad libellam æquata est, sed hominum opere potius quam natura. Ejus media pars, pertinens ad Propontidem, ex triplici latere clivis cingitur: lenibus quidem ab Oriente, ab Occidente vero pronis, & in magnam altitudinem depressis; a Propontide vero non modo proclivibus & præcipitibus, sed etiam ad perpendiculum directis, altis plus minus quinquaginta pedes. Tota enim Hippodromi frons substructis fornicibus constructa, Hippodromum planum præstat, & pulcherrimum prospectum exhibet Propontidis; ut ex Hippodromo non modo navigantes, sed etiam Delphini saltantes videantur. Ejus gradus, paucis ante annis ex latere vergente ad Septentrionem extantes, ab Abramo Bassa, dum suas ædes ædificaret, sublati sunt. Inter Hippodromum & Propontidem procurrit planities in passuum latitudinem quadringentorum explicata; in qua postea describemus templum Bacchi & Sergii. Sub Hippodromo versus Meridiem est porta Leonis marmorei, extra urbem siti, in ruderibus Palatii Leonis Macelli; cujus fenestræ antiquo opere laboratæ extant in muro inclusæ. Palatium positum erat in tumulo mare attingenti, in altitudinem circiter centum passuum edito.

CAP. VIII.

De prima Valle.

EX prima Promontorii planitie, in qua dixi Sophiæ templum, & Hippodromum esse, molle dorsum secundi collis mille passibus leniter ascenditur usque ad Columnam Purpuream, positam in summo vertice secundi collis, quem ab Oriente claudit prima vallis, quæ primum collem dividit a secundo colle. Nascitur a planitie Sophiæ, procedens a Meridie ad Septentriones. Similitudinem gerit circini diducti in crura rigentia: alterum quidem crus ad Ortum solstitialem, alterum ad Septentriones porrigit. Per hanc mediam incedit murus Claustri Regii, a reliqua urbe segregans claustrum Turcicum. Promontorii ima planities longe lateque ita in hanc vallem insinuatur, ut a sinu ad ædem Sophianam mille passus ambules plano fere pede: primo maritima librata patens in quingentos passus, deinde in vallem insinuata trecentos passus molliter assurgit; ut etsi leniter devexa est, tamen lubrico lapsu aquæ declivitatem sentis potius, quam pedibus: primum laxa, & paululum prona, deinde pressior, post in duas valliculas stringitur; quarum vicina Sophiæ, etsi longa est quadringentos passus, tamen molliter acclivis est, & perangusta, ut ejus imam planitiem via publica occupet.

CAP. IX.

De secundo Colle.

PROMONTORII dorsum leniter intumescens, & duæ valles secundum collem efficiunt. Prima a Solis Ortu primum collem dividit a se-

A cundo; altera ab Occasu secundum sejungit a tertio: a Septentrionibus maritima planitie clauditur; a Meridie dorsum ad Septentriones porrigit leniter devexum in longitudinem mille passuum, in latitudinem vero quadringentorum. Totius autem collis latitudinem variam efficit varia vallium latitudo; valles enim, quibus intercluditur a summo, perangustæ ipsum ampliant, ab imo late patentes astringunt. Ejus longitudinem producunt sui tumuli, quibus duobus prominet in Sinum. Triplici clivo deprimitur in variam altitudinem: nam clivus spectans ad Ortum Solis hybernum, a
B summa valle ad summum collis verticem, ascensu circiter mille passuum æquabiliter & leniter prono effertur: deinde minuitur, ut vallis augetur, & laxatur; procliviorque fit duabus valliculis, (quas emittit ipsa vallis,) pronis quidem, sed centum passus non excedentibus. Clivorum ad Sinum vergentium altitudo quam varia sit, quinque viæ demonstrant, ab imis radicibus ad summum jugum pertinentes. Prima in passuum altitudinem quingentorum assurgit: quorum ducenti exorientes a primis radicibus, valde proni, trecenti supini. Secunda via sexcentos passus alta, e quibus centeni per imam valliculam leniter surgunt, deinde cen-
C tum maxime propendent, ut gradibus ascendantur: post quadringenti paulatim collis dorsum fastigiant, usque ad verticem latum sexaginta passus. A vertice dorsum prominet ad Meridiem centum quinquaginta passus, ad viam usque procedentem ab Æde Sophiæ ad Columnam Porphyreticam. Reliquarum trium viarum existunt a radicibus collis centum passus exigue proni, ducenti multum proclives, ut anfractibus molliantur: quingenti leniter jugum collis ad culmen perducunt.

Præterea ex clivorum latere, quos dixi vergere ad Sinum, duo tumuli eminent, unus in Septentrionem, alter ad Orientem: uterque in alterum
D inclinatus, valliculam efficit ab Oriente cinctam clivo prono, alto octoginta passus placide devexos: unde fit, ut maxima pars clivorum hujus collis contueatur Orientem; latus collis spectans ad Solis Occasum variam acclivitatem habeat. Nam ejus clivi attingentes imam vallis planitiem in longitudinem trecentorum passuum ab imo ad medium præcipites, & pene directi sunt, a medio ad summum leniter devexi: qui vero eminent in summam vallem, non excedunt ducentos passus; sed varie declives: ut enim vallis assurgit, ita clivi molliuntur: Duplici acclivitate deprimuntur clivi omnes collis; una in longitudinem, altera in la-
E titudinem: qui enim desident in Orientem & Occasum, ita desident, ut etiam desideant in Septentrionem.

Denique universa ejus latera quantumlibet alta sint, tamen eorum pars valde proclivis stadium non superat, reliquæ partes molli clivo subsident, radices sensim deducuntur in planitiem, summi clivi dorsum efficiunt semiplanum, planities maritima inter sinum & collem intercedens ad radicem tumuli vergentis ad Aquilonem (ubi strictissima est) patet in latitudinem trecentorum passuum, sed subito dilatatur ex utroque tumuli latere in qua-
F dringentos passus, eoque magis quo longius insinuatur in valles. Venio nunc ad Promontorii latus sinistrum. A tergo secundi & tertii collis duo colliculi eminent in Propontidem, inter quos decurrit vallis ex tribus proclivis imbrici similis, non supino quidem (ut esse solet in tectis) sed valde prono, a qua media uterque colliculus intumescit; orientalis quidem in passus amplius ducentos, occiduus vero in tantundem. Vallicula inter hos colliculos depressa exigue concava, sub se habet portum manu factum intra murum clausum, positum

in maritima planitie, quæ excurrit usque ad frontem Hippodromi, patens trecentos passus in latitudinem. A sinu Cornu nuncupato ad Propontidem latitudo secans collem laxatur in duo circiter millia passuum.

CAP. X.

De secunda Valle, dividente secundum Collem a tertio.

VALLIS quæ secundum Collem dividit a tertio, nascitur a dorso Promontorii, definitque in maritimam planitiem, excipientem Piscatorium forum, & Trajectum Sycenum: a quo ad vallis primas fauces planities in passuum latitudinem panditur quadringentorum, ita æquatam, ut aquæ delabi possint in sinum a primis faucibus: ubi laxatur in passuum latitudinem ducentorum, sensim incipit astringi usque ad mediam vallem; ubi premitur in quinquaginta passus: deinde coarctatur, ut duntaxat admittat viam: vallis est similis imbrici molliter resupino, & ita inclinato, ut solet inclinari in ædium tectis. Ejus longitudo sexcentos passus excedit, quorum trecenti ferme plano pede subeuntur, reliqui proniores: sed tamen paulatim assurgentes in jugum, quo secundi collis dorsum jungitur dorso tertii collis. Per imam vallis planitiem via lata contra oppidum Galatam posita, utrinque cincta tabernis mercatoriis, tecta scandulis, sed interlucentibus, exiguas fenestellas admittentibus. Galatini mercatores ascendunt ad Forum, quod Turci vocant *Bezesten*: id partim situm est in jugo vallis, partim in clivo tertii collis, quod anno Natalis Christi millesimo quingentesimo quadragesimo sexto totum fortuito incendio deflagravit, exceptis duabus Basilicis concameratis lateritio opere, quæ nocte claudi solent ferreis portis, & fenestris. Post incendium mihi licuit intueri aream Fori viis distinctam rectis & transversis: adverti sic esse planam, ut tamen exigue devexa sit ab occasu ad ortum, a meridie in Septentriones. Vidi Fori circuitum combusti amplius quinque stadia complecti, in quo summo ad occasum pertinente Nymphæum inspexi quadraginta quinque columnis marmoreis ornatum, sustinentibus lateritiam cameram. Basilicam veterem, quam antea non potueram perspicere ob tabernarum, officinarumque frequentiam, circumspexi spoliatam circumvicinis tabernis; atque animadverti circa Basilicam esse appendices velut alas Basilicæ adnexas, divisas in sexaginta fornices, tectos plumbeis tegulis, quibus pro tabernis & officinis utuntur, in quibus intimis sunt conclavia, quæ clauduntur porta ferrea. His appendicibus Basilica circumsepta constat octo pilis, quatuor portis, quindecim hemisphæriis concameratis lateritio opere tectis plumbo. Nova Basilica duodecim pilis sustinetur, lapide quadrato constructis: ad pilas singulas adnituntur quatuor arcus, sustinentes hemisphæria viginti, tecta plumbo. Hanc ambiunt appendices alariæ sexaginta fornicatæ & concameratæ, tabernas mercatorum continentes. Intra Basilicam ducentæ & viginti tabernæ includuntur in hunc modum affabre factæ: circum parietes, & pilas fornicum discurrunt suggestus lati, ubi sedentes mercatores exponunt merces, quas producunt ex loculatis armariis ligneis, quæ a tergo mercatorum sedentium disposita sunt juxta parietes per se extantia, neque muris affixa, sed exemptilia, valvulis clausa.

A B C D E F

CAP. XI.

De tertio Colle.

TERTIUM Collem duæ valles efficiunt. Una ad Solis ortum pertinens, illum dividit a secundo colle; altera, quæ ad occasum attinet, sejungit a quarto. Dorsum illius porrigitur in longitudinem mille amplius passuum. Procedit a Promontorii jugo, ex Meridie ad Sinum in Septentriones æquali fere altitudine, contra quam secundi collis dorsum, quod a summo Promontorii jugo ad imam maritimam planitiem demittitur in Septentriones. Illius dorsum extra jugum Promontorii planum, multum procedit; ejusdemque radices trecentis passibus in Septentriones amplius eminent, quam secundi collis intumescentis in dorsum Promontorii. Planities dorsi variatur. Summa quidem pertinens ad jugum Promontorii patet quoquoversus passus circiter octingentos, quorum partem occupant Gynæconitidum claustra. Partem vergentem ad Solis ortum, Mercatorium Forum, & Xenodochium, sepulchrumque Pajaziti Regis; partem meridianam area vacua, & circum aream tabernæ librariæ; reliquam dorsi planitiem, vergentem ad Septentriones, non modo naturalem, verum etiam artificiosis substructionibus dilatatam occupant ædificia, quæ Rex Soleimanus præparat ad suum sepulchrum, & Xenodochium, ædemque Mametanæ religionis sumptuosam. Hic collis desidet tribus lateribus in treis tumulos extumescentibus: nam ex lateris ad Solis ortum spectantis parte, in qua est turris Hirenæ, prominet tumulus in secundam vallem. Longa dorsi porrectio longe projiciens mucronem ad Sinum versus, efficit tumulum conspicientem Septentriones: a latere autem ad Solis occasum pertinente, intumescit in tertiam vallem tumulus, in quo ædes est Divi Theodori, a medio collis dorso ad maritimam planitiem. Duo enim latera duplici proclivitate deprimuntur, una recta, altera transversa, latus Solis ortum contuens, cum extendatur in passuum longitudinem circiter mille & trecentorum, acclivitatem transversam paulatim remittit, a summo quidem latere remissiorem facit, at contentiorem & decliviorem, quo propius deducitur in planitiem. Clivi autem a summo collis dorso directi ad vallem varii sunt: nam eminentes in depressiorem vallem efferuntur in altitudinem quingentorum passuum, quorum imi trecenti valde proclives, summi ducenti dimidio remissiores, nimirum tectis imbricatis haud procliviores. Cæteri clivi recta via dejecti ad vallem paulatim, pariterque minuuntur, ut vallis assurgit. Latus, quod attinet ad Solis occasum, ferme simile & par existit lateri vergenti ad Orientem: illud vero, quod subducitur a Septentrionibus, clivorum altitudines varias habet: tumulus enim a dorsi mucrone projectus demittitur in passuum altitudinem quingentorum, e quibus imi trecenti aguntur præcipites, ut ædificia substructionibus nitantur. Summi ducenti acclives quidem, sed leniter, & sensim velut ab equi posteris clunibus ad dorsum consurgunt. Reliqui hujus lateris clivi, quo magis contrahuntur a maritima planitie, hoc longius producuntur a residente in seipsos transversa declivitate, emissa a collis latere ad Solis ortum pertinente. Planities maritima, a collis radicibus, & Sinu intermissa, qua parte attingit tumulum, quem jam dixi demissum a mucrone collis, ducentos passus non excedit; qua vero alias collis radices contingit, sensim laxatur in vallium fauces. Claustrum Gynæconitidum

regiarum, situm in collis dorso, cum primum venissem Byzantium, paulo minus sex millia passuum circuitu complectebatur: at nunc id coarctant Regis Soleimani Xenodochia, & Mausoleum septi muliebris plus quam mediam partem occupantia. Jam vero latus Promontorii sinistrum, a tergo tertii collis situm, respiciens Meridiem & Propontidem, duobus tumulis turgescit: ab horum altero, qui Solis ortui propior est, latus Promontorii sensim flectitur in occasum, usque ad secundum tumulum, paulo supra Promontorii radices editum; a quo tumulo sexicollis Promontorii latus statim admittit posticam depressionem vallis tertiæ, incipitque vergere ad Septentriones. Duplicem igitur clivum habet sinistra pars collis tertii: unum ad meridianum cardinem, editum in altitudinem sexcentorum passuum; alterum ad occidentem brumalem, altum septingentos passus, tum ad æquinoctialem longe breviorem. Planities interposita inter posticas tertii collis partes meridianas, & littus Proponticum, nusquam angustior trecentis passibus, neque longior septingentis: occiduas vero radices claudit planities vallis, quæ collem septimum separat a Promontorio sexicolli, pertinens a planitie Propontici littoris ad murum urbis circuitu maris vacantem fere librata, ubique patens quingentos passus in latitudinem. Tres jam commemorati colles proprie Bosporium promontorium appellari possunt; sic prominentes in mare, ut sive ex Ponto, seu ex Propontide naviges Byzantium, eos procul videas projectos in fauces Bospori. Vallis tertia reliquos treis colles a mare in continentem recedentes, a primis tribus collibus separare videtur: nos tamen, quia dorso & clivis conjuncti, & juxta Sinum ex ordine dispositi, sex colles in Promontorio Bosporio posuimus. Planities explicata in tertii collis dorso leniter demittitur in planitiem, quæ eminet in tertiam vallem, ampla ad longitudinem sexcentorum & viginti passuum; in latitudinem tantundem.

CAP. XII.

De Valle tertia.

VALLIS tertia inter tertium & quartum collem interjecta gemina esse videtur. nam hæc media in altum editur, ut dubium videatur num sit vallis pars, an promontorii. Jugum esse vallis particulam, ostendit altitudo fornicum procurrens ex uno vallis latere ad alterum latus. Ut vero dorsum Promontorii videatur, præ se ferunt extremæ vallis partes, valde a media valle demissæ in contraria latera; una ad dextram, altera ad sinistram. Dextra habet imam planitiem, latam in faucibus trecentos passus, deinde sensim astrictam in ducentos ad libellam ferme æquatam in longitudinem quingentorum passuum, quæ etsi in æqualem altitudinem deprimitur, tamen ejus latera non æqualiter in altum efferuntur: ubi enim ipsa maxime concava est, ejus alterum latus in magnam altitudinem attollitur, alterum ter tanto summittitur. Ex hac depressa planitie ascenditur brevi clivo in jugum mediæ vallis, seu dorsum Promontorii, quod planum leniter depressum inter tertium & quartum colles, patet quoquoversus sexcentos passus. Excipio particulam, per quam vallis media penetrare videtur, ubi latior non est quadringentis passibus. Per hoc vallis seu Promontorii jugum fornices aquæductus a quarto colle recta via pergunt ad tertium collem, quorum fastigium æquat libella fornicum; qua deprehenditur quantopere deprimitur Promontorii dorsum: ut enim fornices sint æquali fastigio, tamen inæquali altitudine existunt: nam bene excelsi sunt in plano jugo vallis; at in clivis collium longe minus alti: spatio enim octingentorum passuum fere in æqualem altitudinem eriguntur: reliqui fornices, quo altius clivi extolluntur utriusque collis, eo breviores sunt. Ex jugo, sive id velis esse vallis, sive Promontorii sinistra vallis pars leniter concava molliter propendet in septingentos passus, usque ad planitiem, quæ sexicolle Promontorium a septimo colle secernit, pergens ad Propontidem. Urbis latitudo a sinu ad Propontidem, secans tertiam vallem, patet amplius decem stadia.

CAP. XIII.

De quarto Colle.

QUARTUS Collis, in cujus dorso Mameti Regis, qui Constantinopolim cepit, Mausoleum spectatur, una cum ampla Æde Mametanæ religionis, & simul cum Xenodochiis, & Thermis, circundatur duabus vallibus, Promontorii dorso, & maritima sinus planitie. Ejus ambitus circumplectitur amplius ter mille & sexcentos passus: longitudo a summo dorso ad Sinum Aquilonemque porrigitur ultra mille passus; latitudo ab ortu Solis ad occasum explicatur in passus circiter octingentos: a jugo ad Sinum collis procedens prope quadratus desinere perspicitur, in duo cornua, sed imparia, quorum alterum vergens ad Septentriones perpetuo dorso fertur, utrinque declivi; alterum spectans ad Solis ortum, ita demittitur, ut ex hoc in alterum quasi gradus quidam jactus esse videatur: nimirum ex hujus superiori parte planities excurrit, ex qua veluti gradu patet ascensus in alterum. Ab inferiori parte, in occasum dejicitur, ut valliculam efficiat. Collis ab Oriente clauditur valle, qua ipse separatur a tertio colle, ab aquilone maritima planitie, Sinum contingente, ab Occidente partim valle, qua is sejungitur a quinto colle, partim circuitur Promontorii dorso perpetuo, quod adeo paulatim & placide ex quarti collis jugo assurgit ad jugum quinti, ut acribus oculis, potius quam tardis passibus utriusque collis dorsum inæquale esse percipiatur. Ita enim continenti jugo hi duo colles inter se conjuncti sunt, ut nullus sentiatur clivus: sed perpetua planities, quæ fastigians quarti collis dorsum octingentis passibus longior non est, neque latior ducentis, deinde in quinto in septingentos dilatatur. Quartus collis etsi nulli ex sex collibus perpetuo dorso conjunctis cedit de altitudine, tamen ascensus tam rectos, quam transversos molliores habet, ob longum tractum leniter devexum, triplici declivitate depressum. Prima declivitas per collis longitudinem a regione cœli inter Meridiem & Occasum media, ad Septentriones decurrit amplius mille passus: quorum ducenti surgentes a maritima planitie mediocriter proni; reliqui adeo molliter supini, ut semiplano pede subeantur: e quibus centum ultimi attingentes jugi planitiem, decliviores cæteris prominent. Declivitas transversa collis latitudinem intercipiens duplex est: una dejicitur ad Solis occasum; altera ad ortum depressa varia quidem existit, sed tamen tota nascitur a valle, quæ quartum collem dividit a tertio. Ab hujus quidem vallis jugo clivus ducentis passibus ascenditur. Paulo infra summam vallem ascensus est quingentorum passuum, quorum centum ab imis radicibus exurgentes clivo prono eriguntur, reliquorum leniter devexorum altitudinem ostendit libella aquæductus. Ab ima ejusdẽ vallis planitie clivi allevantur in altitudinem quadringentorum passuum, sed ita ut primum centum octoginta prono clivo ascendas, deinde du-

cen-

A centos ambules leniter devexos, & fere planos, Post transeas lateris mediam partem eminentiorem, centum passus latam, ab imo colle ad summum in octingentos passus erectam. Ex hac descendis ducentos passus in occasum ad imam vallem, quæ quarti collis, & quinti divortium facit: tota angusta est, sed longa plus minusve mille & quadringentos passus; primi ducenti attingentes oram sinus plani quidem, sed dubii sint ne vallis an planæ oræ maritimæ. Sic enim hæc vallis cingitur duobus collibus, quarto quidem habente sub se planitiem maritimam, ducentos passus patentem in latitudinem, quinto vero ferme attingente litus. B Consequentes octingenti similiter plani, sed leniter devexi: reliqui quadringenti attingentes jugum Promontorii proclives. Maritima planities ad libellam fere æquata inter Sinum & quartum collem intercedens, variam latitudinem habet: nam quæ pertingit collis cornu, spectans ad ortum solstitialem, est quadringentorum passuum. Illa vero, quæ attingit cornu, vergens ad Septentriones, in passus ducentos panditur. In summa, situs quarti collis talis est, ut in Sinu navigantibus hic esse videatur pars erectior tertiæ vallis. Nam hujus collis jugum longe recidit in Meridiem, ejusdemque C clivi in longam summissionem abjecti, valde supini jacent: at jugum quinti collis æquali excelsitate longe ultra quartum procedit ad Septentriones. A tergo tertii collis vergentes clivi ad horam primam postmeridianam placidi, lenesque usque ad planitiem vallis, quæ sexicolle Promontorium dividit a septimo colle. Itaque postica collis pars intumescit in Meridiem, atque ex utroque latere separatur a valle tertia, ut latus a tergo positum ejus partem meridianam dicere possimus, quæ post tumulum eminentem in latus vallis tertiæ aliquantum contrahitur sub Xenodochio Regis Mameti: at enim a tergo quinti collis sub Columna Virginea D magis subducitur.

C A P. XIV.

De quinto colle.

QUINTI Collis, in cujus fastigio extat Selimi Regis Mausoleum, imæ radices contingentes partim Sinum, partim duas valles ipsum claudentes, altera ab ortu Solis, altera ab occasu passuum millia complectuntur circiter quatuor. Ejus dorsum ita in sinum ad Septentriones prominet, & quarti collis latus ad Aquilonem summittitur, E ut collis quartus videatur esse vallis quædam inter tertium collem & quintum interjecta. Non enim ut aliorum collium quinti collis jugum urget, & premit summum Promontorii dorsum, sed totum extra Promontorii fastigium æquali altitudine longe procedit, ac non minus ferme in Septentriones promovetur, quam radices quarti collis. Triplici latere deprimitur: uno ad Septentriones; quod quam valde præceps, & directum sit, colligitur ex eo, quod etsi tam alte effertur ferme, quam summum quarti collis jugum, descensum habentis lon- F gum plus mille passus; tamen illius summus clivus minime omnium collium recedens a perpendiculo ejusdem infimi clivi, non amplius trecentis passibus ascenditur per valliculam, quam efficiunt duo tumuli attingentes Sinus oram, quam ut trecentis passibus subieris, offendis gradus lapideos astructos ad substructiones aream æquantes, quibus ascendis ad Xenodochium Selimi. Hoc quidem latus, quod Septentriones intuetur, quatuor tumulis turget, tres valliculas deprimentibus a collis jugo exorientibus, adeo exiguam littoris planitiem intermittentibus, ut eorum duo murum urbis situm in littore contingant; reliqui duo planitiem centenum passuum relinquant. Nusquam enim littorea planities angustior est, quam ad radices hujus collis: nam in longitudinem mille passuum ejus latitudo centum passus non excedit; alicubi non attingit quinquaginta. Ex his quatuor tumulis sunt prærupti, & præcipites, ut ædificia casuris similia substructionibus nitantur; ut jam videre liceat rupes præcisas fuisse ad molliendos viarum anfractus: reliqui duo minus abrupti minusque præcipites dejiciuntur; eorumque valliculæ minus etiam proclives. Collis vero latus, conspiciens Solis ortum, patet in mille & quadringentorum passuum longitudinem, in altitudinem directam ducentorum. Lateris ad occasum vergentis acclivitas in variam altitudinem abjicitur, ut vallis deprimitur; quæ ubi in planitiem libratam depressissima est, erigit latus in passuum altitudinem aliam quingentorum proclivium, aliam trecentorum placide acclivium, ut non differant a semiplanis. Latus Promontorii contuens Meridiem, a tergo quinti collis positum, desinit in planitiem vallis sexicolle Promontorium dividentis a septimo colle: propendet alias contractius, alias remissius extumescens, in tumulum crassum eminentem in vallem quintam, atque in vallem, quæ sexicolle Promontorium sejungit a septimo colle. Hæc postica pars quinti collis etiam incurvatur in valliculam exorientem a Promontorii supercilio, ubi paulo ante extabat Columna Virginea, a qua Promontorii fastigium leniter eminens in summam quinti collis planitiem molliter devexam ad Septentriones nusquam angustiorem sexcentis, alicubi septingentis latiorem passibus. Sed extra hujus collis dorsum longe lateque laxatur, ac continuatur cum planitie quarti collis, & reliqua Promontorii planitie usque ad murum urbis vacantem circuitu maris procedens, interjecta duntaxat brevi submissione jugi in quintam vallem eminentis, producitur duo millia passuum in longitudinem.

C A P. XV.

De quinta Valle.

VALLIS quinta, quæ quintum collem dividit a sexto, proficiscitur a Sinu & Septentrionibus, ad primam, aut alteram horam postmeridianam, longa quantum Promontorium latum est, nempe circiter mille & ducentos passus: quorum primi octingenti procedentes a littore Sinus, nihil expressionis, nihil eminentiæ habent. Primæ vallis fauces in passuum latitudinem laxantur quadringentorum, deinde sensim in ducentos astringuntur. Sed ita, ut per longitudinem sexcentorum passuum nusquam ducentis passibus minus lata sit: post in quingentorum passuum altitudinem erigitur. Inde insequitur jugum vallis, seu dorsum Promontorii patens in planam latitudinem ducentos passus. Ex hoc dorso latus sinistrum Promontorii, seu vallis quingentos passus leniter deprimitur in vallem, qui sexicolle Promontorium secernit a septimo colle. Vallis enim quinta penetrare videtur dorsum Promontorii: id quod percipitur ex inclinatione dextra & sinistra amborum laterum utriusque collis circumsurgentis. Nam ex vallis jugo ascensus exiguus patet in jugum utriusque collis.

C A P. XVI.

De sexto Colle.

SEXTUS Collis, cujus per & dorsum, & latus vergens ad Aquilonem, muri urbis usque ad litus discurrunt, tam longus est, quam Promontorium latum, quod in hoc colle dilatatur in passus circiter bis mille & quadringentos: cujus jugum

intra urbem in clivos exprimitur. Extra plano pede continuatur cum continente suburbano campo. Latitudo ejus, ubi maxima, octingentos passus non superat; ubi minima, quadringentos. Triplici declivitate deprimitur: una ad sinistram Promontorii partem, inter Meridiem atque Occidentem molliter prona; ad dexteram altera, versus Sinum & Aquilonem, in longitudinem mille & quingentorum passuum summittitur, quoad ex se duos exprimit tumulos vallicula intermedia disjunctos, ubi existit aquæductus in radice tumuli propius accedentis ad urbis murum circuitu maris vacantem. Inter hunc tumulum & Sinum olim fuit ædes illa sacra, nobilitata multorum scriptis, Blachernea nuncupata, cujus fundamenta etiam tunc extabant cum primum venissem Byzantium. Ex imo clivo tumuli eminenti supra ædem Blachernam subterraneis cuniculis concameratis prodit aqua extrinsecus in urbem ducta, quæ jugi fluxu salit in labrum marmoreum. Collis latus Orienti expositum tam longum est, quam collis ipse longus, sed declivitate eadem non est: eam enim variat vallis varia dejectio; ubi depressa in libratam planitiem effertur in sexcentos passus, ubi minus demissa in quingentos, ubi minime dejecta in quadringentos attollitur: neque modo hoc latus inclinatur ad Solis ortum, sed etiam interea dum dejicitur ad Orientem, sensim demittitur a parte dextra ad Septentriones, sinistra ad cæli regionem mediam inter Meridiem & Occasum. Maritima planities interveniens inter imas radices collis & Sinum, strictissima explicatur in passuum latitudinem plus minus octoginta, nempe ubi fuit templum illud nobile & triclinium Blacherneum. Deinde dilatatur in vallem quintam sensim insinuata.

CAP. XVII.

De Valle, quæ dividit sexcolle promontorium a septimo colle.

VALLIS, qua septimus collis dividitur ab aliis sex collibus, leniter cava existit: producitur in millia passuum circiter quatuor, si planitiem maritimam simul adnumeres, sin vero ipsam excludas, & numerare incipias a flexu septimi collis, extenditur in longitudinem trium millium & trecentorum passuum. Ejus planities alicubi laxatur in latitudinem sexcentorum, alibi astringitur in amplitudinem quingentorum passuum. Nihil illa quidem ima expressum, nihil eminens habere sentitur pedibus, sed oculis acribus paulatim & sensim tam in longitudinem quam latitudinem pandi deprehenditur: sic enim leniter assurgit, ut nisi ab eo, qui diligenter advertit, vallis imbrici valde supino similis assurrectio non percipiatur: in eam desinunt latera tertiæ & quintæ vallis, tum imi clivi quinti & sexti collis. In ea continentur horti & prata, ubi milites ludricas pugnas exercere solent. Per hanc mediam fluit rivulus, qui æstivo tempore exarescere solet.

CAP. XVIII.

De septimo Colle.

COLLIS septimus nuncupatus Xerolophos, in cujus dorso est columna Arcadii, plus minusve duodecim millia passuum circuitu complectitur, ac plus quam tertiam partem urbis continet: reliquas duas partes sustinet Promontorium sexicolle, quod ambitu circumplectitur amplius viginti millia passuum: intellige eos, quos conficere soleo in ambulando, ut intelligere oportet in omnibus ante scriptis passibus, quos in passus Romanos redigere ausus non sum, ob flexiones viarum, & varietatem passuum, qui inter se differunt in ascensu & decensu infatigato, atque integro: adde interpellatos insolentis nationis occursu, proterviori taurorum incursu. Septimus collis efficiens tertium urbis angulum, quo Constantinopolis existimatur triangula, duplici declivitate pendet utraque mollissima, una ad vallem septimum collem dividentem a Promontorio sexicolli pertinet, tam longa, quam vallis ipsa. Cujus clivus lenis, sed altus circiter quingentos passus, altera declivitas dejicitur ad Propontidem, respiciens partim ortum brumalem, partim Meridiem molli clivo, & vario, primo alto quingentos passus, deinde stricto, nunc centum, nunc quinquaginta, quoad pervenit ad angulum Urbis tertium, ubi planities excurrit usque ad mare, inter quod & antedictos clivos perpetua procurrit littoralis planities, sed variæ latitudinis: quæ incipiens ab angulo Urbis strictissima est, deinde dilatatur in lateris curvitatem, velut vallem planam, ubi a mari ad clivum excurrit, lata quadringentos passus, rursus stringitur in quinquaginta, postea dilatatur in centum: postrema per longitudinem mille passuum latior est quadringentis passibus: collis dorsum in longam & latam planitiem porrigitur, & ab occasu clauditur muro terrestri, in cujus jugo patet cisterna nuncupata *Mocisia*, & spoliata columnis & cameris, cujus muri e lapide quadrato ædificati adhuc extant, cisternam ambientes, quorum circuitus complectitur noningentos & septuaginta passus: ejus solum cultum est hortis in eo consitis.

Hucusque de Topographia Constantinopoleos, quasi tanquam hypotyposi illam sub oculos subjicere conatus sum, ut in quo loco sint quatuordecim regiones urbis, facilius percipiatur, longior quam necesse est, censeri non debet, præsertim cum nullius Urbis descriptio brevior esse possit, quam ea, quæ informatur oculorum sensu, quo nihil acrius, nihil volucrius: nam etsi Constantinopolis in altum sublata veluti specula undique circumspicitur: tamen hanc singularum Urbis partium descriptionem multo celerius perlegeris, quam volucribus oculis totam urbem perlustraveris, aut pedibus eam concursaveris.

CAP. XIX.

De muris Urbis.

MŒNIORUM Constantinopolitanorum partes, aliæ lapidibus quadratis, aliæ cæmentitiis, nonnullæ interpositorum laterum ordinibus constructæ sunt. Muri circuitu maris vacantes duplices sunt, fossa cincti larga vigintiquinque passus, cum ex utroque latere parietibus munita, tum interiori ex latere: alter paries effertur aliquanto supra fossam, pinnis crebris distinctus. Spatium intercurrens inter duplicem murum, latum est duodeviginti pedes. Interior murus excelsus quidem, & latus plus viginti pedes, in quo ex continenti sunt plus ducentæ quinquaginta turres, in quas gradibus lapideis ascenditur usque ad summum. Exterior murus dimidio minor, sed totidem turribus creber. Quod autem ad munitionem attinet, spatium inter fossam & murum exteriorem altius est altero fossæ latere. Item spatium inter duplices muros altius est jam dicto spatio. Regio vero exterior muris vicina, nuda a tectis, partim plana, partim collina: sed ita plana, ut campi longe pateant: ex summisque muris longe quoquoversum panditur prospectus: neque dubium est, quin munitissima Constantinopolis fieri queat. Muri ma-

ritimi humiliores sunt terrestribus; simplices quidem, sed bene crassi, & turriti: ex parte Sinus absunt a littore plus minus quinquaginta passus ambulatorios, ut ante scripsi in tractu Bosporí. Ex parte Faucium Bosporicarum & Propontidis, muri quidem non absunt a littore, sed siti sunt supra littoris crepidines, nisi ubi scalæ portuosæ sunt, ubi admittunt spatium inter scalas & murum. Zonaras tradit Theophilum Regem maritimos muros Urbis, vetustate, & fluctibus maris, aliisque casibus labefactatos renovasse, & altiores erexisse, quam prius fuissent. Quos hodie extantes maritimos ab hoc Theophilo renovatos fuisse, indicat in multis murorum partibus nomen Theophili Regis incisum, atque inscriptum magnis literis. Nicephorus Rex gravis Byzantiis, quod onus imposuit ex muris conscenescentibus, ut exigeretur tributum appellatum *Diceraton*. Novos muros & antiquos tempore Justiniani fuisse colligere possumus ex ejus novis constitutionibus, cum majorem mercedem statuit feretri bajulis, & funeri operam dantibus, qui efferunt funus extra novos urbis muros, aut trajectum Justinianarum, sive alios trajectus; ex quo colligere possumus Justiniani temporibus adhuc extitisse muros antiquos, quos Constantinus Magnus posuerat, & novos, quos Theodosius Minor construxerat, quales muri fuerint, cum antiqui Byzantii respublica floreret, in principio demonstravi, & ex Herodiano intelligere possumus, qui tradit Byzantium prævalido & maximo muro circumdatum fuisse, facto ex ingentibus saxis, in quadrum redactis tanta commissura, ut nexo existimasset opus compositum, sed unius lapidis totum esse. Atque ex Pausania colligere licet, qui *libro quarto* inquit, *muros Babylonios, aut Memnonios non vidi, neque quenquam audivi, qui ipsos vidisset*. Muri Byzantii, & Rhodi existimantur munitissimi, at his munitiores, qui Messenem Peloponnesiacam claudunt. In Thracio Byzantio historiæ proditum est divitias servasse Athenienses, ex eo quod urbs munitissima esset. Qui autem sint muri, quos Constantinopolis duplices tradit antiqua descriptio regionum, hi ne, qui hodie extant, an vero qui a Theodosio fuerunt conditi, relinquo considerandum: hoc duntaxat dicam, mihi interim non videri totos esse, quos describit antiqua descriptio: nam templum Apostolorum ponit in regione urbis vicina muris urbis; atque extra muros ponit decimamquartam regionem, quæ hodie intra muros, aut tota est, aut maxima pars. Adde, quod Theodosius minor, qui ante Justinianum fuit, ne Blachernas quidem intra muros ponit; quas extra urbem tempore Justiniani fuisse ex Procopio assequor: nunc vero intra urbem sunt: neque septem Turres, neque turribus longe interius situm templum, quod Stadius (aut Studius) ille illustris construxit.

CAP. XX.

De Constantinopolis portis, & septem Turribus antiqui Byzantii.

MARIS circuitu vacantes muri sex portas habent, unam infra Palatium Constantini nuncupatum, alteram Adrianopolitanam, tertiam supra supercilium septimi collis: præter eas habet portam Auream, & Selymbriæ, sive Rhegii, & portam septem Turrium. Ex parte Sinus prima est porta Blacherna, quam hodie appellant Xiloportam, sitam prope tertium urbis angulum, deinde subsequitur Cynigos, sive Palatina, inde Phanaria, Agia, porta Jubalica, Farinaria, Lignaria, Seminaria, Piscaria, Neorii porta, inde Demetrii porta in mucrone primi collis sita. Ex parte Propontidis sunt circiter quinque, singulæ habentes scalam projectam in mare, qua portus pateat navigiis, præter portas Septi Regii. Prima est Stercoraria, secunda Leonina, tertia Condescala; duæ sunt sub septimo colle. Apud scriptores celebrantur hæ portæ Cynegos, tum Regii, & Eugenii portæ, & Xyloceri & Porta Aurea, Mysiandros, Condescala, Carsiana. In antiquo Byzantio fuit Porta Thracia. Apud Dionem scriptum est, ut septem Turres a portis Thracicis nuncupatis pertinerent ad mare: Georgius Cedrinus declarat ad mare pertinuisse septentrionale, hoc est, ad sinum Cornu appellatum: Harum si quis in primam vocem immisisset, aut lapidem projecisset, ipsa similem vocem resonabat quadam machinatione, & secundæ dabat repetendam: itaque per omnes vox procedebat, neque alia aliam turbabat, sed singulæ vocem explicatam excipiebant. Plinius hoc ipsum attribuit Cyzico: *Eadem*, inquit, *in urbe*, *juxta portam quæ Thracia vocatur*, *Turres septem acceptas voces numerosiore repercussu multiplicant*; *nomenque huic miraculo Echo est a Græcis datum*. Apud neminem, præter Plinium, legi Cyzici porta Thracias, quanquam fuisse Cyzici existimo ex portu Cyzici nuncupato Thracio, cujus meminit Apollonius libro primo *Argonauticorum*, cum ait:

Δυσάμενοι ἱερῆς ἐκπείσματα πέτρης
Ηρεσαν ἐς λιμένα Θρήκειον.

Fuisse etiam prope Cyzicum vicum nuncupatum Θρᾴκειον, liquet ex Plutarcho in *Vita Luculli*. At Byzantii non modo recentiores, sed etiam Dion & Xenophon, hic quidem scribit Alcibiadem Byzantinos intromisisse apertis portis, quæ Thraciæ appellantur.

CAP. XXI.

De Muris Longis.

SUBURBANA prædia Constantinopoleos muris longis claudebantur iter duorum dierum, quos a Ponto Euxino ad Selymbriam, sitam in littore Propontidis, distantes ab urbe quadraginta millia passuum, latos viginti pedes Romanos, Anastasius Imperator condidit contra impetum Bulgarorum & Scytharum. Eos muros a Barbaris sæpe captos & multis locis eversos Justinianus restituit, & ut facilius milites præsidiarii muros tueri possent, exitus turrium patentes in alias turres obstruxit, singulisque ascensum a solo reliquit patentem unicum, quem solum singularum turrium milites contra hostes etiam inter muros versantes tueri possent. Evagrius *Sacræ Historiæ* conscriptor Murum Longum nuncupatum tradit excitasse Anastasium, qui distaret a Constantinopoli ducenta & octingenta stadia, utrumque mare attingens, longus quadringenta & viginti stadia, velut fretum quoddam efficiens, & Constantinopolim parvam Insulam pro peninsula reddens, volentes transire ex Ponto in Propontidem tutos præstans, & prohibens excurrentes Barbaros ex Euxino Ponto, & Colchis & Mæotide, & Caucaso effusos in Europam.

PETRI GYLLII
DE
TOPOGRAPHIA CONSTANTINOPOLEOS,
ET
DE ILLIUS ANTIQUITATIBUS,
LIBER SECUNDUS.

CAP. I

De ædificiis & monumentis antiqui Byzantii, & Novæ Romæ Constantinopolitanæ.



FORMA Urbis expressa, & magnitudine explicata, naturalique situ septem collium patefacto, relinquitur, ut declarem quæ ædificia, quæve alia monumenta olim habuerit, & nunc habeat Constantinopolis, & in quot regiones cum appellaretur Nova Roma, divideretur: in totidem enim quot antiqua Roma dividebatur. Equidem cum in hujus divisionem regionum ante mille annos a nobili magis, quam noto Authore scriptam incidissem: sperabam me facile assecuturum antiquam urbem, sed barbari homines antiqua illa, & plane heroica Urbis ornamenta, quibus viles casas exornarent, sic labefactarunt, & barbaricis oppressere ædificiis, ut veterum fundamentorum paucis in locis restent vestigia: adde incendia, & ruinas, quas cum alii barbari, tum postremam Turci ediderunt, qui jam centum annos non cessant funditus antiquæ Urbis vestigia delere. Ita enim ab imis fundamentis ædificia prisca demoliuntur, atque in aliam formam immutant, ut ne illi quidem, qui ea viderint, agnoscere queant. Adde Græcorum inertem inscitiam, qui videntur totum oblivionis flumen ebibisse. Illorum enim nemo jam reperitur, qui ubinam essent vestigia antiquorum monumentorum sciat, aut scire curet, ut ne sacerdotes quidem ulli recognoscant loca, ubi paucis ante annis ædes sacræ deletæ sunt, & valde mirentur siquis talia inquirat. Ipse tamen, ne otio conficerer, dum a Rege constitutos nummos in veterum Codicum conquisitionem expectabam, quibus potui indiciis, deprehendere conatus sum per multa antiquitatis monumenta, quod ille cognoscet, qui similia invenire nitetur. In describendis monumentis eo ordine partium utar collium, quo usus sum in eorum situ explicando, partim regionum, quibus quatuordecim olim dividebatur.

CAP. II.

De monumentis primi collis, & de prima regione urbis.

PRIMUM collem, quem Plinius appellat modo Chrysoceras, modo Auri cornu, (sed haud recte, ut declaravi in libris, quos scripsi *de Bosporo Thracio*) Dionysius Byzantius nominat Promontorium Bosporium: *De Promontorio,* inquit, *quod Bosporium nominamus, duplex vulgatur sermo: alii dicunt Bovem œstro stimulatam, ad ipsum illatam transisse meatum medium: alii fabulosius commemorant, Io Inachi filiam illinc in Asiam trajecisse.* Idem cum loquitur de Semystra, loco ita nuncupato, ait Semystram locum parum abfuisse, cum Byzantium ibi conderetur a coloniæ peductoribus, nisi corvus rapuisset ex media flamma partem victimæ, eamque in Promontorium Bosporium tulisset, quod signum illi secuti, Byzantium condiderunt in Promontorium Bosporium. Idem alio loco loquens de Promontorio Metopo nuncupato, opposito primo colli Constantinopoleos, excipit Ostreodem locum appellatum Metopum: hoc enim, inquit, jacet contra Urbis faciem: spectat enim ipsum Promontorium Bosporium. Deinde idem Dionysius addit paulo supra Promontorium Bosporium fuisse aram Minervæ Ecbasiæ, id est, Egressoriæ appellatæ, ex eo, quod illinc egressi coloniæ ductores statim tanquam pro patria terra pugnassent, quam hic appellat Ecbasim; possemus etiam Ecbateriam appellare, ut Dianam in Siphno appellatam fuisse, & cultam tradit Hesychius l. Deinde adjungit Dionysius supra Promontorium Bosporium fuisse templum Neptuni antiquum, atque sub templo Neptuni fuisse stadia, gymnasia, curricula juvenum in planitie. Post mucronem Promontorii Bosporii sinum Ceras appellatum immisisse tres portus turribus, & molibus munitos, in quo fuit etiam Acropolis Byzantii, cujus Xenophon meminit, cum scribit Byzantium vi ingressis militibus, quorum dux ipse erat, cives, quasi capta urbe extrema omnia metuentes alios in Promontorium proximum, alios ad mare confugisse, ac piscatorio navigio nonnullos circumvectos in arcem ascendisse, atque inde ex Chalcedone auxiliarios accersisse. Neque modo antiquorum Byzantiorum Acropolis fuit in primo colle, sed etiam regnum Constantinopolitanorum, quos scriptores tradunt ad hostes ab ingressu portus arcendos catenam ab Acropoli ad castellum Galaticum obtendisse: atque etiam hac ætate reges Turcorum in hoc Promontorio arcem habent circumdatam magnis muris, longos latosque Regis hortos claudentibus. In veteri Byzantio fuit campus Thracius appellatus, ad aciem instruendam totius urbis maxime idoneus, ut qui planus, & domibus vacuus esset, in quo exercitum Græcorum Xenophon redegit in ordinem militarem. Hunc locum fuisse prope Portam Thraciam, ex Xenophonte percipitur, cum ait lib. I. *Hellinicorum,* ἀνοίξαντες τὰς πύλας τὰς ἐπὶ τὸ Θράκιον καλούμενον. Idem lib. VII. *de expeditione Cyri,* loquens de loco intra Byzantium sito, ubi milites redegit in aciem: Τὸ δὲ χωρίον οἷον κάλλιστον ἐκταξάσθαι ἐστὶ τὸ Θράκιον καλούμενον, ἔρημον οἰκιῶν, καὶ πεδίον. Antea diximus apud Dionem scriptum esse ut Byzantii septem turres a Portis Thraciis pertinerent ad mare. Georgius Cedrinus declarat ad mare pertinuisse septentrionale, hoc est, ad Sinum nuncupatum Cornu. Aram Dianæ Orthosiæ, & templum Bacchi fuisse in antiquo Byzantio, Herodotus scribit: *Darius,* inquit, *ubi contemplatus fuit Pontum, ad pontem redit, & super Bosporum duos Cippos erexit e candido lapide, in uno quidem incidens literas Assyrias, in altero Græcas: Byzantii postea in Urbem suam transtulerunt, ad aram Dianæ Orthosiæ, quibus usi sunt, excepto uno lapide, qui juxta Bacchi delubrum Byzantii relictus est literis Assyriis plenus.* Orthosiam Laurentius vertit *Erectam:* rectius vertisset *Erectoriam,* vel *Erectricem* dictam, παρὰ τοῦ ἐπορθοῦν τὰς τικτούσας· μαιεύτεια γὰρ ἡ θεός, *ab erigendo,* & *sublevando,* quod non modo parientibus opem fert, sed etiam profugis. Id quod cum ex aliis, tum ex Plutarcho *de Fluminibus* assequor. *Theutras,* inquit, *Rex Mysorum persequebatur aprum*

cum suis stipatoribus hastatis: caper ut supplex fugit in templum Dianæ Orthosiæ. Vi irrumpentibus omnibus in templum, aper humanam vocem exaudibilem vociferatus est: Parce Rex alumno deæ. Elatus Teuthras interfecit animal: Diana ægre ferens factum, aprum in vitam restituit; Regem, qui eum occiderat, impetigine, & insania affecit. Is non ferens morbum in montibus versabatur. Lysippa ejus mater cum factum rescivisset, ad sylvam accurrit, comite vate Polyido: a quo omnem veritatem edocta, sacrificiis bovum deam placavit: & cum filium ad sanam mentem rediisse vidisset, aram excitavit Dianæ Orthosiæ; atque aprum fabricata est aureum, habentem humanum caput. Hæc quidem, antequam Byzantium Severus evertisset, erant in primo colle & valle prima: postquam Constantinus reædificavit, & Novam Romam Constantinopolitanam vocavit, divisaque est in quatuordecim regiones, primus collis obtinuit primam regionem, continentem Placidiæ domum Augustæ, domum nobilissimæ Marinæ, thermas Arcadianas. Antiqua quidem divisio tradit hæc, sed non docet a qua Urbis parte incipiat prima regio, neque nunc ex vestigiis ædificiorum in ea comprehensis, quæ nulla restant, cognosci potest: sed ex Procopio colligere possumus, tradente, navigantibus ex Propontide ad partem Urbis vergentem ad Solis ortum, thermas esse publicas, quæ Arcadianæ nominarentur, ubi ait Justinianum aulam construxisse Urbi prætensam, marique quieto circumfusam, ut in hac inambulantes cum navigantibus colloqui possent ob maris propinquitatem: Aulam aspectum pulcherrimum habuisse, amœnissimumque, cui afflarent molles auræ, ornamentoque essent columnæ, & marmora elegantissima, quibus omne solum aulæ tegeretur, quorum splendor candidissimus æque, ut Sol fulgeret. Præterea eam ornasse permultis statuis æneis, atque marmoreis polite elaboratis, spectaculum præbentibus plenum maximæ dignitatis. Existimasses esse opus Phidiæ Atheniensis, aut Lysippi Sicyonii, aut Praxitelis. Ibidem etiam Theodoram Reginam in columna excelsa & purpurea fuisse positam ab Urbe, ut pro beneficio aulæ gratiam illi referret. Formosam quidem columnam, sed formosiorem Reginam, cujus venustatem oratione declarare, aut imagine exprimere in nullius mortalis facultate positum fuisse. Ex quibus Procopii verbis, cum assequor columnam, quæ etiam nunc extat in clivo regii septi vergente ad ortum æstivum, non esse illam, qua Theodora excitabatur, ut quidam putant: nam hæc neque purpurea, & ab aula remotior est; tum ex antedictis Procopii intellige, primam regionem Urbis complexam fuisse mucronem primi collis, quem mare circumfluit ex tribus partibus. Apud plerosque non modo Historicos, sed etiam apud Grammaticum Suidam, invenio Arcadiæ secundæ uxoris Zenonis statuam fuisse in thermis Arcadianis prope loca nominata Bathra a gradibus: item Verinæ uxoris Magni Leonis duas statuas, unam in Urbis parte maxime boreali ad Divum Agathonicum post ascensum graduum thermis Arcadianis vicinorum; alteram ex parte divæ Barbaræ: illam quidem positam fuisse vivente Leone; hanc vero eodem defuncto Leone, quando Basiliscum fratrem suum coronavit, fugiente Zenone genero suo. Secundæ regionis partem inclusam Claustro Regio colligo, cum ex ordine regionum, tum ex ejus situ, quam antiqua descriptio tradit post æqualitatem sui latenter molli sublevatam clivo, mox ad mare præcipitiis descendisse. Præcipitia fuisse arbitror, ubi nunc Regis Culinæ, & Thermæ regiæ, aut

A si alibi fuerunt, præcipitia illa hominum manu molita fuerunt intra Regium Septum, hodie templum antiquum, quod vulgo appellant parvam Sophiam. Senes quidam affirmant esse ædes Hirenem, quam Constantinum Magnum condidisse scribit Socrates. Hanc existimo, quam secunda regio appellat Ecclesiam Antiquam. Partem alteram secundæ regionis extra Septum Regium assequor ex ædibus sacris, & thermis Zeuxippi, quas secunda regio complectitur, & Zonaras, aliique Historici declarant Magnam Ecclesiam appellatam, postea nominatam fuisse Sophiam Ædem; quam extra Regium Septum esse nemo B nescit. In Septo item Regio olim fuisse domum Maximini, nobilitatam Poetarum versibus, conjicio ex Epigrammate Cyri viri consularis & patritii:

Δείματο Μαξιμῖνος νεοπήγεος ἔνδοθι Ῥώμης,
Αὐταῖς ἠϊόνεσσι θεμείλια καρτερὰ πήξας:
Ἀγλαΐη δέ μοι ἀμφοῖς ἀπειρεσίη πεπάνυσται.
Τῇ καὶ τῇ καὶ ὄπισθεν ἔχω πτόλιν· ἀλλὰ καὶ αὐτὴν
Πάνθ' ὁρόω γαίης Βιθυνίδος ἀγλαὰ ἔργα.
Ἡμετέροις δ' ὑπένερθεν ἐρισθενέεσσι θεμέθλοις
Πόντος ἁλὸς προχοῇσι κυλίνδεται εἰς ἅλα δῖαν,
Τόσσον ἐπιψαύων, ὁπόσον χθονὸς ἄκρα δίηναι.
Πολλάκι δ' ἐξ ἐμέθεν τὶς ἑὸν μέγα θυμὸν ἰάνθη
C Βαιὸν ὑπερκύψας, ἐπεὶ εἰσίδεν ἄλλοθεν ἄλλα,
Δένδρεα, δώματα, νῆας, ἅλα, πτόλιν, ἠέρα, γαῖαν.

CAP. III.

De Templo Sophiæ.

RECENTES scriptores Græcorum Templum divæ Sophiæ primo conditum ab Imperatore Constantio filio Constantini Magni tradunt, non quidem lateritio opere, sed ligneo concameratum: tempore Magni Theodosii, cum secunda Synodus haberetur, ab Arrianis exustum ad seditionem excitatis, quod Magnus Theodosius D postea texit cameris cylindricis. Deinde idem scriptores addunt iterum conflagrasse tempore Justiniani. At Sozomenus, certus & antiquus scriptor, tradit tempore Theodosii minoris, cum orta esset seditio in Magno Templo, de expellendo Chrysostomo, repente templum undique deflagrasse, igne injecto ab iis, qui Chrysostomi fautores in Templo inclusos comburere una cum Templo cupiebant. Procopius tradit etiam deflagrasse cum Justinianus imperaret; qui in eam formam, quam nunc videmus, ipsum reædificavit: sed eo ne loco sit, in quo erat ante Justinianum, non explicat Procopius. Itaque dubium videtur, ex incerto scriptoE re, commemorante nomina eorum, a quibus domos emerit Justinianus ad solum ejus constituendum. Antiqua Urbis descriptio, ante Justiniani Imperium facta, alio loco ponere videtur: nam Ecclesiam Magnam, & Ecclesiam Antiquam ponit in secunda regione; in quarta Augusteum forum; quod infra monstrabo fuisse juxta Ædem Sophiæ. Zonaras tradit Justinianum multo majorem a fundamentis innovasse. Sed Justinianum suspicari possumus domos proximas emisse ad augendum Templum: quod autem in diversis regionibus ponantur Magnum Templum, & Forum Augusteum, id non impeF dire quin vicina esse potuerint. Cum igitur Justinianus Ædem Sophiæ pristina magnitudine præstantiorem effecisset, & formæ decore, & metallorum varietate ornasset, parietesque & cameras cocto latere, & calce construxisset, atque plerisque in locis ferro colligasset, nullaque tigna interposuisset, ne in posterum incendiis pateret. Tamen ut in hunc diem evaserit incolumis ab igne, sæpe experta est varietatem casuum, idque statim a principio: cum arcus ad Orientem spectans nondum esset perfectus, sua magnitudine onerabat pilas, quæ non

A ſuſtinentes arcus magnitudinem, ſubitas ruinas egerunt, & quam mox caſuræ videbantur, niſi architecti acceleraſſent abſolvere arcum; qui in ſuam curvaturam perfectam incumbens, minus gravis pilis fuit, ſeipſum ſuſtinentibus. Arcus vero duo, quorum alter ad Meridiem, alter ad Boream ſpectat, pilas ſuas, & ſtructuram inferiorem ſic premebant, ut columnæ ſtructuram contingentem imam arcuum curvaturam, lapillos quoſdam exiguos veluti ramenta quædam jacularentur, & ruinas edituræ viderentur, niſi architectorum ingenio ſummæ partes mole laborantes, quæ attingebant arcus pro tempore demoliri ſtuduiſſent, & paulo poſt reſtituiſſent, cum ſtructuræ humor exiccatus eſſe.
B Denique templum hoc Juſtinianus cum ingenti ſumptu, & labore perfeciſſet, aliquotque annos incolume permanſiſſet, terræmotu concuſſum eſt etiam tunc vivente Juſtiniano. Quo quidem terræmotu ſcribit Agathius labefactatam partem tecti mediam eminentem ſupra omne faſtigium; rurſus Regem inſtauraſſe, firmioremque effeciſse, & in majorem altitudinem erexiſse; quanquam Anthemius, qui Ædem Sophiæ architectatus erat jampridem, mortuus eſset: tamen Iſodorum juvenem, alioſque architectos, ubi conſideraſsent priorem formam, ubi vitium deprehendiſsent, orientalem quidem, & occidentalem arcum in ſuo loco conſiſtere ſiviſse.
C Septentrionalis vero, & occidentalis arcus ſtructuram, quæ efficeret arcus curvaturam, ad interiora ſubduxiſſe, ſenſimque ita amplificaſse, ut reliquo ædificio plurimum congrueret: ut faterentur ſpectatores æquabilem habere dimenſionem latera in hemiſphærium deſinentia, vacuique vaſtitatem illam architectos in anguſtum contraxiſse, puſillamque oblongi portionem ſubduxiſse eatenus, quoad undique congrueret forma. Supra arcus ſic diſpoſitos rurſus collocarunt in medio ſupereminentem circulum, ſive hemiſphærium, undique congruens,
D ſed anguſtius, & in acutum porrectius, & tutius contra omnes impetus. Zonaras: *Magna, inquit, ædes ſacra perfecta, & dedicata, evenit ut terræmotu caderet magna ſphæra pertinens ad Orientem, frangeretque ſacram menſam, & pulpitum quam Juſtinianus vigintiquinque pedibus excelſiorem, quam prius eſſet, excitavit*. Georgius Cedrinus tradit Juſtiniani tempore, laborante hemiſphærio Magni Templi, & rimas agente, ex crebris terræmotibus cecidiſse partem orientalem, & contriviſse ciborium & ſacram menſam, & pulpitum. Juſtinianus excitavit alias pilas, quæ exciperent hemiſphærium ſublimius viginti pedibus quam antea fuiſset, ex-
E traque Templum contra pilas quatuor interiores erexit cochlias, ſeu muros velut alas, per quas anfractibus multis graduum aſcenditur in ſupernam partem templi, quæ ab imo ſolo ſurgentes uſque ad hemiſphærium fulciunt arcus & pilas. Alii authores, ſed obſcuriores, tradunt ſuperiori terræmotu cecidiſse hemiſphærium Sophiæ, quatuor arcus non cecidiſse, ſed incolumes permanſiſse, hemiſphærium Regem reſtituiſſe, ſed humilius, quam prius fuiſſet vigintiquinque pedibus. Quos ferrem, ſi aliis terræ motibus traderent rurſus concuſſum fuiſſe, & ita humilius reſtitutum fuiſſe. Nam cum
F Evagrius tradat Juſtinianum in tantam altitudinem excitaſſe, ut interne ex ſolo ſuſpicientes aſſequi vix poſſent ſummum hemiſphærii tholum, & ex ejus culmine nemo auderet deſpicere, ſolum veriſimile videtur in priſtinam altitudinem reſtituiſſe. Baſilius Rex, ejuſdem Sophiæ arcum magnum vergentem ad occaſum, ex terræmotu multas ruinas agentem, & caſum minitantem, peritia architectorum conſtringens, firmum & ſtabilem reddidit, teſte Georgio Cedrino. Nicephorus in Reginam

A Annam, quæ tempore tyranni Catacoſmi theſauros Sophiæ expilabat, acerbe invehitur; atque exclamat propter tyrannides & varias religionis ſectas, Ædem Sophiæ ruinam edidiſſe ſine ullo terræmotu. Nam, ut ipſe adjungit, cum ad veſperam cœlum ſerenum eſſet, circiter mediam noctem unum ex quatuor arcubus ad ortum Solis ſpectantem cecidiſſe, ſecumque traxiſſe hemiſphærium, quod ſuſtineret, & contriviſſe tribunal templi, & imaginum ornatum, & ſacras columnas, & medias aulas. Poſt hæc Nicephorus adjungit a multis tum dictum fuiſſe quod niſi crepidines, & fulcimenta ad Orientem pertinentia diligenter pri-
B us conſtructa extitiſſent ab Andronico Rege, multo major fuiſſet caſus, & quidem unus ex inſanabilibus. Evagrius ſcribit ædis Sophianæ longitudinem hanc eſſe: nempe a concha, ubi incruentum ſacrificium litatur, ad portam conchæ adverſam, eſſe centum nonaginta pedes; latitudinem vero a borea ad notum centum & quindecim: altitudinem a pavimento ad centrum hemiſphærii, pedum centum octoginta: longitudinem vero ab Oriente ad Occaſum eam ipſe metiri auſus non ſum, ſed metiendam curavi per hominem Turcum; qui mihi retulit, latitudinem templi eſſe
C ducentorum & tredecim pedum; longitudinem vero ducentorum & quadraginta pedum; altitudinem a ſumma curvatura arcuum uſque ad pavimentum centum quadraginta duorum pedum. Hemiſphærium non menſus eſt. Qui ſi recte menſus eſt altitudinem, parum diſcreparet ab altitudine, quam tradit Evagrius. Qualis olim fuerit Ædes Sophiæ, vide Procopium, Agathium, Paulum Florum, Evagrium: qualis autem hodie ſit, adjungam huc, quatenus cognoſcere mihi licuit.

D

CAP. IV.

Deſcriptio Templi Sophiæ, quale hodie viſitur.

EJUS parietes, & cameræ coctis lateribus conſtructi ſunt. Parietum interior pars cruſtis marmoreis veſtita excellentibus, & variis fulgurat, & permiſcet cum ſummas naturæ vires, tum mentes ſpectantium. Cameræ calculis, & teſſellis vitreis inauratis fulgent etiam ad oculos Barbarorum, ſumma arte elaboratis. Concameratio octo pilis ſuſtinetur. Quarum quatuor majores, & excelſiores in ordinem qua-
E drum diſpoſitæ, ſuſtinent ingentes quatuor arcus, fulcientes hemiſphærium: quorum quidem duo, Septentrionalis & Meridianus, curvaturam ſuam imam ſubſtructam habent tenui pariete feneſtellis vitreis pleno ſuſtentato, columnarum duplici ordine, inferiore & ſuperiore. Inferior habet octo columnas ad ſolum nitentes, ſuperior ſex, ſuſtinentes parietem ſubtilem, & ſubjectam imæ arcus curvaturæ. Reliqui duo arcus, Orientalis & Occidentalis, intra curvaturam ſuam nihil ſuſtructum habent, ſed apertum & vacuum a parietibus & columnis, ut
F horum vacuitate Templum efficiatur capacius. Nam ad eorum imam curvaturam committuntur extremæ partes ultra pilas projectæ in ſphæræ quartam partem recedentes, quæ nituntur quatuor arcubus, qui ſuſtentantur duabus pilis minoribus, & duabus majoribus. Quatuor enim pilæ majores non ſolum ſuſtinent quatuor arcus majores, ſed etiam earum ſingulæ duos arcus minores, unum pergentem in longitudinem, alterum in latitudinem, quibus Templum longe porrigitur, & late dilatatur: ſic enim ab Oriente &

Occidente quarta pars sphæræ applicatur hemisphærio, ut intus una, & eadem concameratio esse videatur, foris vero separata, apparet ornatius efficiens hemisphærium alte eminens supra duas quartas sphæræ partes. Latitudo vero dilatatur ultra pilas arcubus & columnis, & parietibus ex utroque latere, Septentrionali scilicet, & Meridionali, sex velut aulas capiens; tres inferiores, & totidem superiores, vario marmore vestitas, concameratas calculis inauratis, & figuratis ornatas: ita enim ex singulis pilis duplices arcus nascuntur in Templi latitudinem porrecti, ut eorum alterum cornu conquiescat in muro extrinsecus obnitente majoribus pilis; a quibus quatuor arcus in utrumque parietis latus emittuntur; duo quidem inferiorum trium aularum concamerationem sustinentes; reliqui duo superiorum totidem aularum testudines, quarum latera singularum partim adnituntur ad arcus, partim ad parietes, partim ad columnas. Unde fit, ut pars Ædis interior, & media illa ingens vacua, si sola consideretur, comprehensa intra pilas & columnas, sit forma ovata; si vero tota tam intra, quam extra pilas perspiciatur, sit quadrata. Ita enim ex utroque latere velut alæ appensæ sunt tres aulæ inferiores, & totidem superiores, ut ab imo pavimento procedat quadrata usque ad curvaturam superiorum aularum, deinde intra octo pilas in ovatam formam contrahatur usque ad curvaturam quatuor arcuum sustinentium hemisphærium. Forma aularum, seu cellarum, quas dixi cingere utrumque latus, talis est. Ex tribus lateribus aulæ quadratæ sunt: ex quarto latere, quod intuetur interiorem Ædis partem, figuram Templi sequitur, quam obrotundam efficit pilarum, & columnarum dispositio. Sustinetur arcubus & columnis concameratio aularum; quarum describam duntaxat treis: quibus cognitis cæteræ omnes simili forma esse cognoscentur.

Incipiam a tribus superioribus, sitis in latere Templi Septentrionali; quarum prima est in angulo intuenti Septentrionem & Orientem: ejus duo latera exteriora surgunt a muro, & desinunt in arcum: in laterum medio columnæ tres sunt quadratæ, loco parietis, nempe fenestrarum parastades, quarum scapus habet perimetrum quinque pedum, & unius dodrantis. Supra easdem eminent aliæ tres quadratæ. Hæ omnes sunt marmoris albi, in colorem glaucum vergentis. Latus pertinens ad interiorem Ædis partem, habet sex columnas virides, subjectas arcui sustinenti quartam partem sphæræ Orientalis, quarum imus scapus ambitum habet septem pedum, & octo digitorum. Earum intercolumnia, diastyli dispositione distincta, lata septem pedes & undecim digitos, pluteis muniuntur marmoreis, altis quatuor pedes, quibus incumbentes vident interiorem Ædis partem tam infernam, quam supernam. Latus interjectum inter primam aulam & secundam a pariete exteriori vergente ad Septenrtionem, usque ad pilam magnam, sustinentem arcum hemisphærii, largum est quadraginta quatuor pedes, quorum partem possident pilæ, partem arcus surgens a tergo pilæ, sustinens hemisphærium, quo toto patente lato juxta pavimentum viginti pedes transitur a prima aula ad secundam aulam. Reliquam lateris inter primam & secundam aulam intermedii partem, latam viginti quatuor pedes, occupant pilæ arcus, & murus surgens velut ala usque ad concamerationem hemisphærii.

Secundæ aulæ concameratio extrema sustinetur arcubus & parietibus: media vero nititur quatuor columnis albis, ad glaucum colorem accedentibus: quarum scapus in ambitu circumplectitur septem pedes. Secunda sive media aula, quadrata est: cujus duo latera sustinentur partim muris, partim arcubus, quorum alterum cornu nascitur a tergo duarum magnarum pilarum sustinentium magnum hemisphærium; alterum sustinetur pilis orientibus ex interiori parte murorum ala[illegible]rum fulcientium pilas majores. Hujus secundæ sive mediæ aulæ latus exterius loco parietis habet octo columnas quadratas, quarum perimeter est sex pedum. In earum medio est magna pila. Inter columnas eas parastadum vicem præstantes sunt fenestræ. Præterea supra easdem columnas existunt pilæ parastadum vicem præbentes superioribus fenestris, quæ tam superiores, quam inferiores numero sexdecim aulam hanc mediam illustrant; cujus latus vergens in templum interius, sex viridibus columnis ornatur. Harum intercolumnia habent pluteos similes pluteis primæ aulæ. Camera media sustinetur columnis colorem medium inter album & glaucum præ se ferentibus, in quadratum ordinem dispositis: quarum duæ stant non longe a latere exteriori; reliquæ duæ parum absunt ab interiori latere ornato sex columnis. Ex hac media aula exitus patet in tertiam, per arcum tam late patentem, quam alterum, per quem aditus est a prima aula in secundam.

Tertia aula similis est primæ aulæ, longitudine, fenestris, parastadibus, columnis; quibus quatuor sustinetur ejus camera, & latus interius sex viridibus. Jam vero inter pilas duas, quibus sustinetur quarta pars sphæræ occidentalis, extant quatuor columnæ virides, eædemque binæ inter se conjunctæ: inter has intercedunt sex columellæ virides, Ionicæ. Templi vero valvæ occidentales loco vestibuli duas porticus habent: inferiorem, qua aditur Templum plano pede; superiorem, qua Gynæconitides Aulæ adeuntur; ambas tam longas, quam templum latum, largas viginti octo pedes. Porticus superior supra porticum inferiorem sita est inter pilas sustinentes quartam partem sphæræ occidentalem, & fenestras. Nam a parte interiori octo pilis, ab exteriori totidem sustinetur, inter quas fenestræ tam inferiores, quam superiores illucent, cinctæ columnis quadratis. Inter hanc porticum & Aulas fœminarum, nihil interest, nisi pilæ sustinentes porticus cameram interiorem: pavimentum enim porticus æquale est Aularum pavimento. Porticus inferior est duplex: interior clauditur utrinque muris marmorum jucundissima varietate vestitis: tegitur cameris figuratis ornamento tessellato calculorum inauratorum. Ex hujus porticus latere orientali novem portis patet aditus in Templum, ex latere occidentali quinque portis æneis, duplicibus patet exitus ex interiori porticu in exteriorem porticum, ex qua proditur in aream, ubi perennes saliunt aquæ, ad quas ex area descenditur multis gradibus. Per capita harum porticuum aditus patet unus a Septentrione, alter a Meridie sex valvis, olim æneis omnibus, jam duntaxat tribus æneis, egregio opere elaboratis. Ædes Sophiana ex parte Orientis habet duas portas, easque duplices: in lateribus sunt aliquot clausæ, quæ nunc non aperiuntur. Ædis interiora fulgent clarissima luce, ob multitudinem luminum. Summus murus, qui in orbem fertur inter quatuor summos arcus & hemisphærium, quadraginta fenestris lucem intromittit: muruli arcubus subjecti illuminantur viginti sex fenestris; aulæ intermediæ triginta duabus in singulis extremis aulis orientalibus lucent plus viginti. Prætereo duas occidentales, & quatuor inferiores aulas, tum duas quartas partes sphæræ, tum sacram Ædis partem solis sacerdotibus olim patentem; sileo superiorem porticum, etiam

in medium templum clarum lumen emittentem: quorum omnium lumina ob multitudinem numerare omisi. Maximus Sophiani Templi aditus est ab occasu, plano pede: non enim, ut Panteon Romanum gradibus, ut olim ascenditur, aut ut nunc descenditur, nisi ab ortu, unde quinque gradibus descensus patet in Ædem, sed in superam Ædis partem ascensus existit quatuor cochleis, quas ante dixi oppositas ad fulciendas quatuor majores pilas. Georgius Cedrinus cochleas appellat, sed non satis proprie, cum magis in anfractuum normalium, quam cochlearum modum gradus surgant: quinque enim anfractibus ab imo ascenditur, non exasperatis in gradus, sed in mollem clivum substructis ex amplis mensis marmoreis: Horum quinque anfractuum singuli alti undeviginti pedes & sesquipedem, lati quinque pedes. His anfractibus succedunt alii anfractus, usque ad Templi tectum, non clivis molliti, sed in gradus fracti, quibus adeuntur aulæ, & porticus superiores, & summæ Templi partes.

Si quis ea, quæ ante dixi de Templo Sophiæ, conferat cum descriptione Procopii & Agathii, cognoscet, de illo, quod Justinianus condidit non tantam diminutionem factam esse, quantam cives Constantinopolitani prædicant, jactantes longe majus extitisse, multaque illius membra a Barbaris diruta esse, decimamque partem vix hodie extare: quarum opinionem ferendam putarem, si intelligant domos regum, sacerdotum, senatorum circum ædes constructas a Barbaris, & incendiis deletas esse. Sin membra ædis Sophianæ a Justiniano conditæ, longe errant, omniaque ejus fere constare video tradita a Procopio, præter porticum alteram. Nam cum, teste Procopio, utrinque porticus haberet, nunc duntaxat ex una parte, eaque occidentali habet; orientalis non extat, sed cecidisse aliquo terræmotu verisimile est, ipsiusque in locum excitatam fuisse molem illam, quæ hodie extat lapide quadrato constructa velut crepido clivosa, objecta ad fulciendam partem Ædis orientalem. Verum jam tam excelsam, ob terræmotus, non arbitror, quam primo fuit; sed tamen tanta altitudine nunc attollitur, quanta fere traditur ab Evagrio: atque adeo post terræmotus, ad fulciendas pilas laborantes, vel terræmotu, vel pondere hemisphærii, aucta est quatuor muris longis plus viginti pedes, latis plus octo, in altitudinem majorum pilarum assurgentibus, quos alares appellare possumus a similitudine alarum architectonicarum, vel potius ἐρείσματα, id est, *obnitentia firmamenta*, quibus latus Ædis pertinens ad Septentrionem & latus austrinum præfulciuntur, atque præmuniuntur. Extant Templi extremitates ultra octo pilas projectæ in sphæræ quartam partem recedentes ex supera parte quiddam Lunæ curvatæ in cornua simile præ se gerentes: extant cellæ, sive aulæ inferiores quidem Andronitides: superiores Gynæconitides extant, infinita varietate marmorum præstantissimorum vestiti parietes & pilæ, & tota concameratio tecta tessellis inauratis, & non modo Mosaeci operis ratione jam pervulgata, sed antiqua illa recondita amussi dimensis egregie in hunc diem eminentibus, nisi qua offensiones intercedunt, quas intulerunt imaginum oppugnatores. Denique ut corpus & membra Sophiæ Æd s fere omnia extant, sic nihil exemptile, nisi exiguum quiddam ex infinitate metallorum. Extat Templi pars pura olim, & sacra, solis sacerdotibus attributa, sed nihil gemmarum hodie apparet, omnium nationum bellica direptione spoliata, non modo mensa illa, quam nemo imitari poterat, a Justiniano refecta, ex auro, argento, omnique genere lignorum, gemmarum, quæ producit mare & cunctus orbis, sed etiam donis aliis infinitis denudata, quibus reges Constantinopolitani & pontifices & principes eam ornarant: atque etiam mulieres cum aliæ permultæ, tum Pulcheriam Arcadii filiam, Theodosii minoris sororem. Scribit Sozomenus ex auro & lapidibus pretiosis pulcherrimum & mirabile quoddam spectaculum mensam dedisse sacræ Ædi Constantinopoleos. Neque dum vectigalibus, quibus erat immensis locupletata, privantur Maumetani sacerdotes, neque mille & centum tabernis, sive officinis, quas vectigales, & liberas possident, sitas in pulcherrimis foris Constantinopoleos.

CAP. V.

De statuis inventis in latere Ædis Sophianæ.

EX latere Templi Sophiæ Suidas (quem scito velut receptum in primam classem Grammaticorum) refert, statuas repertas fuisse deorum Græcorum plusquam septuaginta, & duodecim signorum Zodiaci, & regum Christianorum octoginta: quas Justinianus urbi cum distribuisset, magnum Templum ædificavit. Possem huc adjungere nomina harum statuarum ex incerto scriptore, qui scripsit de patria Constantinopolitana, nisi in aliis permultis mendacem deprehendissem.

CAP. VI.

De Pharo Promontorii, & Mangana.

AMMIANUS Marcellinus scribit Promontorium Ceras prælucentem navibus vehere constructam celsius turrim, quæ Pharus appellaretur. Hæc alibi rectius esse non potuit, quam prope Templum Sophiæ. Undenam commodius, & latius illucescere potuisset navigantibus ex Bosporo & Propontide, Promontorium Ceras Dionysius Bosporium appellat, & dicit ex eo Inachi filiam Io, ira Junonis stimulatam trajecisse in Asiam. Mangana locus ita appellatus, ubi machinæ bellicæ servabantur, erat in claustro regio, aut prope claustrum, juxta Bospori fauces extremas. Rex Constantinus Monomachus splendidum, & amplum a fundamentis monasterium condidit in nomen magni martyris Georgii, quod Mangana appellant. Alexius Comnenus cum podagra laboraret, in Magnum Palatium, quod ad Solis ortum est, gestabatur; ac cum Palatii hujus aer Medicis non satis commodus videretur, in Palatium Manganorum transferebatur.

CAP. VII.

De Thermis Zeuxippi, & de ejus statuis.

THERMAS, Zeuxippi (Balneum) nuncupatas, a Jove Zeuxippo, ait Cedrinus in ejus Templo ædificatas. Quod Eusebius confirmare videtur: *Ex Zeuxis*, inquit, *pictoris imaginibus, quas plurimas fecit, lavacrum Byzantiorum quidam appellatum arbitrantur fuisse, vicinum Sophiæ Ædi*: assequor non modo ex antiqua descriptione, quæ ponit in eadem regione Templum Sophiæ & ThermasZeuxippi,sed etiam ex incendio facto tempore Justiniani, quo deflagrasse Templum Sophiæ, & vicina ædificia, ut Balneum Zeuxippum appellatum, & regiæ vestibulum, quod Chalca appellatur, testatur Procopius, & Zonaras, qui Severum Imperatorem scribit id Hippodromo conjunxisse, & ædificasse in templo Jovis. Leontius, antiquior & gravior testis, non conjungit Hippodromo, sed vicinum facit suis versibus, inscriptis in do mum-

mum ſitam inter Zeuxippum & Hippodromum:

Λεοντίȣ εἰς οἶκον μέσον τȣ̃ Ζεύξίππȣ, ϗ τȣ̃ Ιππικȣ̃.

Εν μὲν τῇ, Ζεύξιππον ἔχω πέλας ἡδὺ λοετρόν
Εκ δὲ ἑτέρης, ἵππων χῶρον ἀεθλοφόρων.
Τȣ̀ς ῥᾶ θεησάμενος, ϗ τῷ δ᾽ ἔνι χρῶτα λοέσσας,
Δεῦρο ϗ ἀμπνεύσσον δαιτὶ παρ᾽ ἡμετέρῃ.
Καίκε πάλιν σαδίȣς ποτὶ δείελον ὥριος ἔλθοις,
Εγτύθεν ἐγτὺς ἰὼν γείτονος ἐκ θανάτȣ.

Cedrinus inquit, variam in hoc Balneo contemplationem, & ſplendorem fuiſſe artium, marmorum, calculorum, ſtatuarum ex ære factarum, hominum antiquorum, quibus nihil deerat præter animas, ad vere repræſentandum eos, quos imitantur: inter quos erat Homerus, mentum contrahens & contendens, & manus ſub imum pectus conjungens: barba ejus ſimpliciter demiſſa erat, capillus ſimilis ex utraque parte calvariæ rarus: facies tetrica, ob ſenectutem & commentationem: naſus per omnia mediocris: oculi conciliati palpebris, velut de ipſo fama eſt, cæcum præ ſe ferunt: ſupra tunicam geſtabat pallium: lorum quoddam æreum pedibus ſubjiciebatur. Erant prætera ſtatuæ ex ære factæ omnium ſapientum ſublimium, & Poetarum, & Rhetorum, & Heroum fortitudine celebrium, tum ex marmore permultæ, adeo antiquo opere elaboratæ, ut ſpirare viderentur, quas omneis conſumpſit incendium: inter quas fuerunt ſtatuæ Deiphobi, Æſchinis, Demoſthenis, Ariſtotelis, Euripidis, Heſiodi, Theocriti, Simonidis, Anaximenis, Calchantis, Pyrrhi, Amymones, Sapphous, Apollinis, Veneris, Chryſæ, Julii Cæſaris, Platonis, Hermaphroditi, Herinnæ, Terpandri, Periclis, Pythagoræ, Steſichori, Democriti, Herculis, Auroræ, Æneæ, Creuſæ, Heleni, Andromachi, Menelai, Helenæ, Ulyſſis, Hecubæ, Caſſandræ, Polyxenæ, Ajacis, Paridis, Oenoæ, Milonis, Daretis, Entelli, Charidemi, Melampi, Panthoi, Demogerontis, Iſocratis, Amphiarai, Sarpedonis, Achillis, Mercurii, Apuleii, Dianæ, Pherecydis, Heracliti, Cratini, Menandri, Amphitryonis, Thucydidis, Herodoti, Pindari, Xenophontis, Alcmæonis, Pompeii, Virgilii: aliæque plures ſtatuæ verſibus deſcriptæ a Chriſtodoro Poeta Thebæo, ſive, ut alii tradunt, nato ex urbe Copto Ægyptiaca; cujus verſus explicarem, niſi id longum eſſet, & ſatis ſit digitos intendere ad fontes. Fuit prope Thermas Zeuxippi balneum parvum celebratum verſibus Leontii:

Μὴ νεμέσα Ζεύξιππε παρ᾽ ἀντέλλοντι λοετρῷ.
Καὶ μεγάλλω παρ᾽ ἅμαξαν ἐρωτύλος ὑδὺ φαείνει.

Nunc nulla Zeuxippi veſtigia reſtant, neque aliorum permultorum balneorum, etſi de illis ſcripta Epigrammata extant; ut illud celebratum ab Agathio, in quo Venus erat; item alterum Didymum, in quo mulieres, & viri lavabantur, decantatum verſibus Pauli Silentiarii, & aliud illuſtratum Epigrammate Leontii Scholaſtici; atque illud nuncupatum Cupido, deſcriptum a Mariano Scholaſtico: quæ vel perierunt, vel a Mametanis ita immutata ſunt, ut non agnoſcantur.

CAP. VIII.

De Xenodochiis Sampſonis & Eubuli.

ERAT *quoddam*, ut Procopius inquit, *Xenodochium hominibus attributum inopibus & ægrotantibus. Hoc quidam vir pius, nomine Sampſon, ſuperioribus temporibus ædificaverat. Sed non manſit intactum ab incendio, quod excitavit ſeditioſa plebs, quo illud una cum Templo deflagravit. Hoc reædificavit Julianus, pulchritudine quidem ſtructuræ dignius, & multitudine domuncularum amplius reddidit, vectigalique annuorum nummorum magno dotavit, ut pluribus ſubveniret affectibus: ac nondum hac erga Deum obſervantia ſatiatus, duo præterea Xenodochia e regione illius adjunxit, ea excitans in domibus, quæ Iſodori & Arcadii nominantur, adjutus, a regina Theodora.* Hæc quidem Procopius. Ex quo colligitur, Xenodochium Sampſonis, quod perierit eodem incendio quo magnum Templum, non longe a Sophia fuiſſe, hoc hiſtoria incerti authoris docet fuiſſe e regione Ædis Sophianæ; cui ut credam, me adducit Zonaras, ſimiliter tradens a ſeditioſa plebe immiſſum fuiſſe incendium, quo magnum Templum, & Sancta Hirene, & Eubuli Xenodochium, & Chalca, & Severi Balneum, appellatum Zeuxippus, aliaque permulta deflagrarunt. Cui conſentit Georgius Cedrinus, loquens de eodem incendio; *Magna*, inquit, *pars urbis, magnumque Templum, & Sancta Hirene, & Xenodochia Sampſonis, & Eubuli, una cum ægrotis exuſta ſunt, atque etiam veſtibulum Baſilicæ Auguſteum, Chalca, duæ porticus uſque ad Forum & Octogonum, & balneum appellatum Zeuxippus.* Poſtquam ſuperiora ex Procopio edito ſcripſiſſem, incidi in Procopii manuſcriptum Codicem declarantem Xenodochium Sampſonis fuiſſe medium inter Ædes Sophiæ & Hirenæ.

CAP. IX.

De ſtatua Eudoxiæ Auguſtæ, ob quam Chryſoſtomus ejectus in exilium.

SOcrates & Sozomenus *Sacræ Hiſtoriæ* ſcriptores tradunt Eudoxiæ Auguſtæ ſtatuam argenteam ſupra columnam purpuream ſecundum latus meridianum Ædis Sophianæ, via duntaxat lata intercedente, excitatam fuiſſe, ante domum magnæ Curiæ, cui a populo plauſus dari, & ludi publici ſaltatorum, & mimorum edi ſolebant de more, qui jamdudum invaluerat colendi regias imagines: quod Joannes Chryſoſtomus contra religionem Chriſtianam fieri exiſtimans, pro concione reprehendit eos, qui tale quippiam factitarent. Quibus Eudoxia ſe perſtrictam putans, in exilium projecit Chryſoſtomum. Huc adderem Miliarium, & Baſilicam, ut vicina Templo Sophiæ, niſi nunc mallem regionum ordinem ſequi, quam ædificiorum vicinitatem.

CAP. X.

Quam Urbis partem complexa fuerit tertia Regio.

UBI Hippodromus eſt, & domus Abrami Baſſæ, & porta Leonis, & portus, quem vulgo Byzantii appellant *Caterga limena*, quaſi triremium portum, dorſumque ſecundi collis, uſque ad Forum Conſtantini, olim tertia regio fuiſſe deprehenditur, non modo ex ordine ſuo, ſed etiam ex ſua deſcriptione, quæ declarat hanc planam in ſuperiori parte in ea Circi ſpatio longius explicato, ſed ab ejus extrema parte nimis prono clivo ad mare uſque deſcendere, complectentem tribunal fori Conſtantini, Circum maximum, domum Pulcheriæ Auguſtæ, Portum novum, Porticum ſemirotundam, quæ ex ſimilitudine fabricæ *Sigma* Græco vocabulo nuncupatur.

CAP. XI.

De Hippodromo, & de ejus obelisco & columnis & statuis.

SEVERUM reconciliatum Byzantiis, recentes Historici, ut Zonaras & alii plerique, tradunt Hippodromum ædificasse: Zosimus antiquus Historicus scribit Constantinum Magnum, Hippodromum elaborasse; omnique cultu pulcherrimo adornasse, partemque ejus fecisse templum Castoris, & Pollucis, quorum simulacra usque in suam ætatem, hoc est, Theodosii minoris, in Hippodromi porticibus extantes videre liceret. In medio circo, quem Græci Hippodromum appellant, obeliscus ex Thebaico lapide factus extat, cujus cum non meminerit antiqua Regionum descriptio, & meminerit obelisci Thebæi quadrati, quem ponit in quinta regione, arbitrarer hunc terræmotu eversum translatum fuisse in Hippodromum a Theodosio post editam descriptionem regionum, nisi hæc Theodosiacorum multorum meminisset operum, nisi præteriret nonnulla in commemoratione Regionum, quorum postea meminit in generali descriptione Urbis. Habere igitur plures obeliscos Constantinopolis potuit, ex quibus non superest ille Thebæus, quem in quinta regione ponit antiqua regionum descriptio. Duos adhuc extantes vidi cum primum venissem Byzantium: unum in Circo Maximo, alterum intra Claustrum Regium, in latere primi collis, vergente ad Septentriones, quadratum, ex lapide Thebaico factum, erectum juxta domum vitreariarum officinarum regiarum: sed paulo post eversum, & extra Claustrum elatum vidi jacentem, longum triginta quinque pedes: cujus singula latera (si bene memini) senos pedes lata, perimetrum illius efficiebant viginti quatuor pedum. Hunc Antonius Priolus, nobilis Venetus emit, Venetias exportaturus, in Foro divi Stephani locaturus. Alter vero in medio Hippodromo, pro meta in hunc diem extat, supra quatuor tesseras æneas latas quoquoversus sesquipedem altas, tantundem sustentatas basi & stylobate. A solo duos gradus habet stylobates: quorum inferior a terra altus est pedem unum, cujus latitudo pedalis, superior gradus altus duos pedes, projectus extra stylobatem quatuor pedes, & totidem digitos: gradus subjecti non sunt stylobatæ, sed adjecti, & adstructi velut suggestus, ut apparet ex commissura, supra quos latus quoquoversus duodecim pedes stylobates eminet in altitudinem quatuor pedum, & octo digitorum, & extra basim projicitur sesquipedem. Prætes hos quatuor pedes, & sex digitos, stylobates pedalem altitudinem excedit non extra basim eminentem: nam ex summo stylobatæ eminet striatura alta pedem & tredecim digitos, quadrilatera: nempe ex perpetuo uno eodemque lapide constans, quo stylobates. Nam stylobates emittit suam supremam partem, non solum sesquipede strictiorem, quam infimam, sed etiam angulis mutilatam, locoque quatuor angulorum diminutorum existunt quatuor lapides quadrati marmoris Thebæi rubentis, singuli alti sesquipedem, nempe quantum striatura stylobatæ, his quatuor angularibus lapidibus interclusa, qui cum intermedia parte suprema stylobatæ sustinent basim altam pedes septem, & tredecim digitos projectam extra imum scapum obelisci sesquipedem, quoquoversus patentem novem pedes, totidemque digitos, quæ tota insculpta est, ut stylobates, qui statuis emittentibus omnia latera incisa habet: ex Septentrionali quidem latere expressæ sunt statuæ, duobus ordinibus scalptæ, quorum inferior continet duodeviginti statuas & duas ergatas, earum singulas quaterni homines versant vectibus, quibus funes ductarii circum ergatas volvuntur, obeliscum jacentem trahentes. Tum in eodem ordine scalptus est obeliscus rectus, ut nunc est, tum statuæ tres, quarum Constantinopolitani prædicant unam esse magistri, alteram discipuli, quem magister, nisi interposita tertia persona retentus fuisset, castigare conatur, quod se absente obeliscum erexisset, in superiori ordine binæ ergatæ connituntur cum ergatis inferioribus obeliscum jacentem trahere, versatæ singulæ a quaternis hominibus circumvolventibus validos funes bene eminentibus toris expressos. Quod si stylobatæ amplitudo capere rationem potuisset, qua erectus est, non dubito, quin talem sculpsisset, qualem describit Marcellinus. Sola, inquit, restabat obelisci erectio, quæ vix, aut ne vix quidem sperabatur posse compleri, id est, usque ad periculum altis trabibus, ut machinarum cerneres nemus: innectuntur vasti funes, & longi ad speciem multiplicium liciorum cœlum densitate nimia subtegentes: quibus colligatus obeliscus paulatimque per arduum inane protentus, diuque pensilis millibus multis tanquam molendinarias metas rotantibus cavea locatus in media. Hunc obeliscum posse etiam Byzantios machinatores in alium locum tr nsferre incolumem, adverti ex columna sita in dorso quinti collis Constantinopolitani, quæ parum cedebat obelisco. Hanc a suis sedibus dejici in terram vidi in hunc fere modum, circum columnam (aliquo tamen interposito spatio) trabes ingentes crebras in quadrum dispositas in solo defixas columna ipsa excelsiores erexerunt paribus intervallis inter se distantes: supra trabes imposuerunt transversa tigna, omnia inter se firmissime revincta, ex quibus trochleas creberrimas appenderunt, per quas trajecerunt validos funes, ab imo columnæ scapo ad summum surgentes ad columnam strictissime alligatos densis funibus, ut se contingerent, & transversis rectos velut tramis stamina secantibus formam textilis operis repræsentantibus, extra quadraturam trabium similitudinem turris quadratæ gerentium. Ergatæ utrinque multæ in terram defixæ erant, versatæ a multitudine robustissimorum juvenum, funes illos validos (quibus columna cingebatur) trahentes tamdiu, quoad columnam a sedibus subtraxerunt: deinde sensim detrahentes in terram dejecerunt, & curribus impositam firmissimis, quos rotæ crassissimis ferris cinctæ sustinebant, traduxerunt incolumem in collem tertium, ad Soleimani Regis Ædem ornandam. Jam vero in latere stylobatæ occidentali Obelisci incisum est hoc Epigramma:

Κίονα τετράπλευρον ἀεὶ χθονὶ κείμενον ἄχθος,
Μοῦνος ἀναστῆσαι Θευδόσιος βασιλεὺς
Τολμήσας, Πρόκλῳ ἐπεκέκλετο. καὶ τόσος ἔστη
Κίων ἠελίοις ἐν τριάκοντα δύο.

In latere orientali inscriptum est hoc Epigramma, incisione literarum Latinarum, sed paululum exesa: sed ut legere potui, sic habet,

Difficilis quondam dominis parere serenis
Jussus, & extinctis palmam portare tyrannis,
Omnia Theodosio cedunt, sobolique perenni:
Terdenis sic victus, duobusque diebus
Judice sub Proclo sublime elatus ad auras.

In meridiano latere duplex ordo statuarum exprimitur: inferior quatuor currus partim bijuges, partim quadrijuges habet, quorum unumquemque unus regit auriga. Superior ordo continet duos

equites, tres pedites, togatos tres, obeliſcos duos, quatuor columnas in quadrum diſpoſitas epiſtylia ſuſtinentes. Jam vero ex boreali baſis latere ſcalpti ſunnt quatuor ordines, continentes triginta quinque ſtatuas togatas. Ex latere occidentali eminent duo ordines, quorum inferior habet novem ſtatuas ſupplices, offerentes munera Regi, qui ſtat in ſuperiori ordine cum ſtatuis decem & ſex. Latus meridianum duobus ordinibus diſtinguitur, inferiore decem ſtatuas togatas exprimente, ſuperiore viginti, togatas omnes, exceptis quatuor clypeatis. Latus orientale habet in parte inferiori tres ordines: infimus continet decem & ſex perſonas, alias viriles, alias muliebres, ſaltantes, alias organa pulſantes; ſupra quas eminent duo ordines capite tenus: puto ſpectatores. Superior ordo reddit viginti ſtatuas, harum ſex ab aliis diſtinguuntur columnis, media coronam tenet manu, ſupra baſim extant quatuor teſſeræ æneæ, quibus in quadrum diſpoſitis totus Obeliſcus ſuſtinetur, cujus quidem quadrati ſingula latera ima lata ſunt circiter ſex pedes, ab imo ad ſummum ſcalpta notis Ægyptiacis.

CAP. XII.

De Coloſſo ſtructili.

IN medio Hippodromo etiamnum extat ſtructilis Coloſſus ex lapidibus quadratis factus, olim (ut quidam imperitus in lucem prodidit) marmoreis cruſtis; ut vero Epigramma in ejus baſi inciſum teſtatur, æreis tabulis veſtitus, ferro colligatis, ut apparet ex foraminibus, non modo in ſcapo, ſed etiam in baſi remanentibus, in quæ quidem foramina regulæ ferreæ inſitæ erant, plumbo confirmatæ: nunc ſpoliatus reſtat ſtructuram interiorem lapideam prodens, Barbarorum avaritiam expertus, qualem prius periclitatus eſt Rhodius, quem regnante Conſtante nepote Heraclii Agareni diſtraxerunt poſt mille & trecentos annos ex eo tempore, quo erectus fuerat. Quem Judæus quidam Emeſenus emit, & ejus æs diſtractum noningentis camelis exportavit. In illius Conſtantinopolitani baſi inciſi ſunt verſus ſubſequentes:

Τὸν τετράπλευρον θαῦμα τῶν μεταρσίων
Χρόνῳ φθαρὲν νῦν Κωνσταντῖνος δεσπότης,
Ὁ Ῥωμανοῦ παῖς δόξα τῆς σκηπτουχίας
Κρεῖττον νεουργεῖ τῆς πάλαι θεωρίας.
Ὁ γὰρ Κόλοσσος θάμβος ἦν ἐν τῇ Ῥόδῳ,
Καὶ χαλκὸς οὗτος θάμβος ἐστὶν ἐνθάδε.

Tres gradus imæ hujus baſi adjuncti ſunt. Primus a terra altus eſt duos pedes, ſecundus pedem & duos digitos, tertius tantumdem. Baſis eſt marmor quadratum, altum ſeptem pedes & tres digitos, cujus latera ſingula lata decem pedes & dodrantem. Hic Coloſſus excelſior eſt obeliſco. In cujus cacumen feſto quodam die (qui celebrabatur ob cicumciſionem Principis Boldaniæ) aſcendere vidi circulatorem quendam bene peritum, & deſcendere incolumem: quem ſubſecutus alter imperitior aſcendit quidem ſimiliter in cacumem, ſed excelſitas ita præſtrinxit ejus oculos, ut deſperans deſcenſum, ſe, quantum contendere potuit, longe a Coloſſo projecerit, ne decideret in Coloſſi crepidines. Itaque rectus cadens, pedibus alte defixis in terram, ſtatim mortuus ſpectatus eſt.

A

CAP. XIII.

De Columnis Hippodromi.

IN ordine obeliſcorum directo in mediam longitudinem Hippodromi ſeptem columnæ extant, quarum una ex marmore Arabico facta, perimetrum habet decem & ſeptem pedum, & octo digitorum, in qua Abramus Baſſa Herculem ex ære factum de Ungaricis manubiis ſtatuerat, ſed illo B extincto, Hercules, qui non modo vivus in domandis monſtris orbem peragraverat, ſed etiam mortuus huc illuc geſtatus fuerat, tot clades evaſerat, tandem everſus, & diſtractus eſt a Turcis (acerrimis hoſtibus ſtatuarum, & totius artis Vitruvianæ) Hercule præſtantioribus: qui tertiodecimo propoſito certamine Herculem vicerunt, fortius quam qui primi vicerunt, longis ante temporibus, ex eo, quod Herculem ligneum ſumma arte factum combuſſiſſent; ut Diagoras impius in publicum diverſorium profectus, cum lignis egeret ad lentem coquendam, inveniſſetque Herculem ligneum pulcherrime & ſumma arte laboratum, eum in fruſta C diſſectum in ignem congeſſit, addens hæc verba: *O Hercule, qui duodecim certamina ſubiiſti, age & tertiumdecimum certamen ſubeas: & lentem nunc coquas.* Extat etiam in eodem ordine altera columna ænea, ſtriata non quidem canaliculis, rugas matronalium ſtolarum referentibus, ſed ſpiris trium ſerpentum, inter ſe circumplicatarum, non ſurſum verſus directis, ſed tortis in modum tororum, (quos valde eminentes exprimunt magni funes) & deſinentibus in caput triceps trium ſerpentum, quarum capita in triquetram formam diſpoſita longe eminent ſupra columnæ toroſum ſcapum. Quamobrem D fuerit hæc columna poſita, Conſtantinopolitani multa fingunt, ſed nugatoria omnia, ignorantes majorum ſuorum hiſtorias. Inter quos Zoſimus ſcribit Conſtantinum Magnum in Hippodromo ſtatuiſſe Apollinis Delphici tripodem, in ſeipſo habentem ipſius Apollinis ſtatuam. Sozomenus Salaminius adjungit, Conſtantinum non modo tripodes Delphicos in Hippodromo poſuiſſe, ſed etiam celebratiſſimum tripodem, quem Pauſanias Lacedæmonius, atque urbes Græcæ poſt bellum Medicum Apollini Delphico conſecrarunt. Euſebius clarius tradit Conſtantinum in quadam Conſtantinopolis parte Sminthium Apollinem ſtatuiſſe, in E Hippodromo autem conſtituiſſe Pythium tripodem, circa quem ſerpens in ſpiras volveretur, ex quibus veriſimile videtur, tripodem illum ſtatutum fuiſſe ſupra hanc columnam æream tricipitem, ut erat apud Delphos, ex Herodoto; qui tradit ex decimis manubiarum Perſicarum tripodem aureum factum in Delphis collocatum fuiſſe ſupra ſerpentem tricipitem æream: atque idem affert, Perſis ad Plateas victis tripodem aureum ibi repertum, redditum fuiſſe deo Delphico, inſiſtentem ſupra triplicem ex ære colubrum proxime aram. Similiter errant, qui putant hanc columnam nunc æream olim inauratam, ſpoliatam auro fuiſſe a Tur- F cis: cum multis ſeculis ante Turcos aurum detractum fuerit, ut liquet ex Pauſania. *Commune*, inquit, *fuit Græcorum de Plateenſi prælio donum, aureus tripus, ſuſtentatus æneo dracone*, æſque Pauſaniæ ætate manſit ex eo donario integrum; auri quod fuit, duces Phocenſium amoverunt. Deinceps quinque columnæ inſequuntur, tenentes eundem ordinem, quem tenent Obeliſcus, Coloſſus, & ænea columna, procedentem recta via per mediam Hippodromi longitudinem. In fronte Hippodromi, ſpectante ad Propontidem, decem & ſeptem

A columnæ marmoris albi etiam tum extabant, cum veni Byzantium, cum spiris, & capitulis, & epistyliis, digestæ in ordinem ambientem Hippodromi partem sitam inter Meridiem & Occasum, quarum stylobatæ alti duos pedes, & decem digitos sustentati substructionibus fornicatis, æquatisque ex interiori parte cum Hippodromi planitie, ex parte exteriori plus minus altis quinquaginta pedes, positi singuli sunt supra murulum projicientem duos gradus, vel plinthos quadratos, inferiorem quidem non ex uno lapide factum, altum pedem & digitum, superiorem vero altum pedem & digitos sex, projectum extra stylobatem octo digitos, quorum singula latera lata pedes octo, & B dodrantem. Stylobatæ lati quinque pedes & septem digitos, quoquoversus: eorum eminentiæ imæ positæ pro toris, reliquisque modulis, sunt alti sex digitos & semidigitum: superiores eminentiæ positæ pro coronidibus tantundem: spiræ plinthus crassus undecim digitos, torus inferior septem digitos & dimidium digitum, scotia quatuor digitos, torus superior sex digitos: calcaneum scapi altum quinque digitos: diameter scaporum est trium pedum, & quinque digitorum. Eorum altitudo viginti octo pedum. Nunc scapi prostrati jacent, cum capitulis & basibus nuper eversi, ad C ædificandum Xenodochium Regis Soleimani. Dolui eorum casum, non tam ex eo, quod projecti humi jacerent, quam quod eorum nonnulli secarentur in tabulas solum constraturas balneorum, quodque capitula ex antiqua artis ratione commutarentur in barbaricos modulos, aut in pilas excavarentur pistrinarias; epistyliaque & spiræ exscinderentur in murorum ædificationem. Intercolumnia inter scapos lata erant undecim pedes, diastyli compositione lubrica; ex qua adverti propter intervallum magnum epistylia fracta esse. Capitula omneis modulos habebant operis Corinthii, & trabeatio egregie expressa, præter echinos, qui D sculpti non erant. Annuli ferrei ex epistyliis pendebant: unde vela suspendebantur. Supra harum ordinem columnarum extabat alter ordo columnarum, etiam aliquanto post, quam Othomani ceperunt urbem. Antequam Galli & Veneti cepissent Constantinopolim, extabant in Hippodromo cum alii permulti equi lapidei & ærei, tum quatuor inaurati, mira arte elaborati, quales hodie extant supra vestibulum ædis Marcianæ Veneticæ; quos deportatos ajunt ex Constantinopoli.

Prætereo non modo permultorum regum, & principum statuas in Circo statutas, inter quas Ju- E stiniani Regis statua celebratur pervulgatis versibus, sed etiam Eunuchorum maxime valere solitorum apud Imperatores Constantinopolitanos. Inter quos fuit statua Platonis Eunuchi, cubicularii regii, qui imperante Basilisco exustus est. In cujus quidem statuæ pectore etsi inscriptum Suidas testatur fuisse, qui hanc statuam in alium locum transtulerit, laqueo suffocetur, tamen ex templo Procopii, in quo prius erat, cum id reficeretur, traducta est in Hippodromum. Jam vero quid commemorem infinitas statuas pugilum, luctatorum, aurigarum, in Hippodromo sitas, quæ et- F si dudum perierunt, tamen recens eorum memoria non perit, retenta plusquam trecentis versibus etiamnum extantibus, quibus nonnulli aurigæ decantantur, sed permultorum memoria extincta est, ut Thomæ aurigæ præstantissimi; quæ ne funditus pereat me admonet lapidis fragmentum, quod vidi Byzantii cum hac inscriptione, Θωμᾶ ἡνιόχου. qui fortasse ille est, de quo ad Faustum Romæ præpositum Theodoricus Rex scribit: *Dudum Thomati aurigæ ex Orientis partibus advenienti annonas rationabiles consideratio nostra largita est, donec ejus artem probaremus, & animum. Sed quoniam in hoc agone primatum dicitur obtinere, ejusque voluntas, patria derelicta, nostri sedes fovere delegit Imperii, menstrua eum duximus largitate solidandum, ne adhuc redderemus, quem Italiæ dominatum elegisse cognovimus: is enim frequenter victor per diversorum ora volitavit, plus vectus favore, quam curribus, suscepit partem populi protinus inclinatam, & quos ipse fecerat tristes, laboravit iterum facere lætiores, modo agitatores arte superans, modo equorum velocitatem transcendens. Frequentia palmarum eum dici faciebat maleficum, inter quos magnum præconium videtur esse ad talia crimina pervenire. Necesse est enim ad perversitatem magicam referre, quorum meritis non potest applicari, spectaculum expellens gravissimos mores, invitans levissimas contentiones, evacuatio honestatis, fons irriguus jurgiorum, quod vetustas habuit sacrum, sed contentiosa posteritas fecit esse lubricum.* Ex quibus Theodorici verbis assequi possumus hunc Thomatem, qui forte Byzantium reliquerat, ob factiones partium, periclitatum fuisse Romæ ob partes diversis coloribus in diversa studia distractas, quæ non modo Romam, sed etiam Constantinopolim gravissime afflixerunt, quibus non modo cives, sed etiam Imperatores magni in gravissimum discrimen Imperii inciderunt. Nunc vero Circus Constantinopolitanus friget, omnibus ornamentis spoliatus, nuperque exædificari cœptus est: quod me spectantem dolore affecit: quem augebat Belisarii primum de Rege Vandalorum in Hippodromo triumphantis, deinde ob virtutem summam maxime periclitantis, recordatio, quam mihi dabat numisma, quod tum forte habebam in manibus, in cujus uno latere scalptus erat Justinianus, Belisarium excipiens triumphantem; in altero Belisarii imago cum hoc elogio: GLORIA ROMANORUM BELISARIUS. Procopius scribit in Hippodromo fuisse Portam appellatam Cochliam, ob descensum in orbem procedentem. Itemque aditum fuisse quendam qui appellaretur mortuus. Idem etiam dicit in Hippodromo fuisse Porticum appellatam Venetiam a Veneta parte ibi sedere solita: ex qua colligere licet fuisse etiam Porticum Prasinam, aliasque Porticus aliorum colorum: Partesque non promiscue, sed porticibus distinctas spectavisse.

CAP. XIV.

De Templo Bacchi, & de Aula Hormisdæ, & de Justiniani Domo.

Regis aulam, & domum Justiniani, antequam imperaret, fuisse inter Hippodromum, & Propontidem, percipitur ex Templo Bacchi, & Sergii, quod etiam nunc extat in planitie inter Propontidem & Hippodromum explicata: de quo Procopius hæc scribit: Petro & Paulo Justinianus ædificavit Templum juxta Regis aulam, quæ Hormisdæ olim nominabatur. Hanc enim domum suam propriam effecerat, ut Palatium structuræ decore sumptuosum videretur. Post vero quam Imperator factus est, eam aliis regiis adjunxit: ubi sane etiam Templum aliud construxit illustribus divis Sergio & Baccho. Horum templorum neutrum alteri cedit de pulchritudine, neque de magnitudine, neque ulla alia de re; simpliciter utrunque splendore lapidum fulgorem Solis superat; similiter auri copia undique satiatur, & donis ornatur: una duntaxat re differunt: nam uni longitudo in rectum procedit, alteri columnæ in semicirculum ex maxima parte dispositæ stant. Ita enim ambo admirabilia videntur, cum ut toti Ur-

A bi, tum maxime Regiis ædibus præclara sint ornamenta. Procopius paulo infra adjungit Justinianum domum appellatam Hormisdæ, quæ sita erat proxime Regias, in illustriorem formam commutasse, Palatioque adjunxisse. Hormisdam hunc, quem vocat regalem, arbitror Persarum Regis filium, quem Marcellinus scribit Constanti filio Constantini, per giganteos contextus, cum Romam venisset circumferenti mentem, omni spe talia conficiendi ablata, Trajani equum solum, locatum in foro Trajani imitari se velle profitenti, respondisse, stabulum prius B tale condas, oportet. Georgius Cedrinus explicatius ostendit, quam prope templum Bacchi fuerit domus Justiniani. *Ædem*, inquit, *Sergii, & Bacchi vicinam palatio ex parte maris, & propinquum huic Templum ædificavit Justinianus, quod ante fuerat propria domus Justiniani; omnemque suam priorem facultatem his duobus Templis largitus est, & Monasterium addidit, quod illustribus viris implevit*. Templum Petri & Pauli non extat, sed Sergii & Bacchi adhuc superest: cujus nomen duntaxat Græci etiam nunc retinent, usum vero & fructum Turci habent. Ejus fi- C gura rotunda, hæmisphærio lateritio tecta, octo pilis nitens. Inter pilas columnæ Jonicæ dispositæ sunt, duplici ordine: inferior ordo decem & sex columnas habet, pavimenti solo sustentatas; quarum sex virides, decem albæ, maculis rubris distinctæ: superior duodeviginti complectitur, quarum octo virides; decem albæ, maculis rubris variæ. Capitula inferiorum echinos habent circumdantes imam partem; reliqua pars est tota vestita foliis: superiorum volutæ ex quatuor angulis capitulorum eminent, echini vero ex latere prominent. Reliqua pars folia egregie expressa con- D tinet. Supra inferiorum capitula existunt epistylia affabre scalpta. Et Zoophorus grandibus literis versuum Græcorum scalptus ambientium totius ædis circulum. Pilarum summæ partes adumbrantur foliis vitium, interpositis racemis, designantibus ædem Baccho sacram esse.

C A P. XV.

De Portu Juliani, & Sophiæ, & de Porticu nominata Sigma, & de Regiis Sophianis.

POrtum Juliani fuisse prope Ædem Bacchi, incendium declarat excitatum regnante magno E Leone, quod Evagrius in latere urbis vergente ad Aquilonem scribit grassatum esse a portu nuncupato Bosporio usque ad antiquum Apollinis templum; in latere autem meridiano a Portu Juliani, usque ad domos vicinas templo Concordiæ. Zonaras explicat Portum Juliani fuisse prope templum Sergii & Bacchi, describens idem incendium, quod tradit ex Aquilone extitisse a Bosporio usque ad ædem Divi Joannis Calybitæ, ex Austro ab æde Divi Thomæ, usque ad ædem magnorum martyrum Sergii & Bacchi. Templum Thomæ fuit prope templum Concordiæ. Zonaras latus incendii australe incipit narrare ab Occidente ad Orien- F tem; contra Evagrius ab Ortu ad Occasum. Cedrinus dicit idem incendium a mari pertinente ad Septentriones ad templum Sergii & Bacchi vicinum mari Austrino urbem cinxisse. Portum Juliani Anastasius Rex munitione & mole lapidum tutiorem effecit. Hunc postea appellatum Sophiæ, demonstrat Georgius Cedrinus. *In Juliani*, inquit, *Portu Justinus Justiniani nepos ædificavit Palatium, Portumque purgavit: in quo medio duas statuas excitavit, suam, & uxoris suæ, Sophiæ nominatæ; & commutato nomine appellavit Portum Sophiæ*. Epigramma in statuam Justini positam in portu:

Τοῦτο παρ' αἰγιαλοῖσιν ἐγὼ Θεόδωρος ὕπαρχος
Στῆσα φαεινὸν ἄγαλμα Ἰουστίνῳ βασιλῆϊ,
Ὄφρα καὶ ἐν λιμένεσσιν ἑὴν πετάσειε γαλήνην.

Procopius tradit Theclæ martyris ædem fuisse apud Urbis Portum, nominatum Juliani. Quidam recentes scriprores tradunt, ex hoc Portu Belisarium solvisse ad bellum Vandalicum: quod nescio unde assequantur, nisi fortasse ex verbis Procopii, scribentis Justinianum navem prætoriam ad littus juxta ædes Imperatorias deduci jussisse: tum Epiphanium Urbis Episcopum classi de more bene precatum fuisse; sicque Belisarium cum uxore Antonina solvisse. Fuerunt quidem Ædes Regiæ vicinæ huic portui, sed & aliæ Regiæ fuerunt juxta Sinum portuosum, a quo longe non fuit domus Belisarii. Suidas dicit Anastasium Regem, Juliani Portui molem apposuisse, eumque munivisse. Zonaras huc adjungit, Justinum Regias construxisse, Sophianasque nominasse, a nomine uxoris Sophiæ; quam vehementer amabat. Plerique putant has Regias fuisse juxta portum Sophiæ: quibus ne assentiar non modo ratio dissuadet, sed etiam eruditorum hominum autoritas; inter quos Zonaras, tradens illum Regias contra Urbem ædificasse Sophianas: eoque longe antiquior Agathius Scholasticus, qui vixit ea ætate, qua regiæ Sophianæ conditæ sunt, in hisque inscripsit Epigramma: quo percipitur illas non fuisse secundum Propontidem (juxta quam erat Portus Sophiæ,) sed contra Urbem, apud Bosporum, ubi terra dividitur in duas partes:

Ἀγαθίου σχολαστικοῦ, εἰς Παλάτια Σοφιανῶν.

Ὀππόθι τεμνομένης χθονὸς ἄνδιχα πόντον ἀνοίγει
Πλαγγὸς ἀλικλύστων πορθμὸς ἐπ' ἠϊόνων,
Χρυσέα συλλέκτρῳ τάδε ἀνάκτορα θῆκεν ἀνάσσῃ
Τῇ πολυκυδίστῃ θεῖος ἄναξ Σοφίῃ·
Ἄξιον ὦ Ῥώμη μεγαλοκρατὲς ἀντία σεῖο
Κάλλος ἀπ' Εὐρώπης δέρκεαι εἰς Ἀσίην.

Codex Zonaræ habet δέρκεται. Ex his versibus Palatium Sophianum intelligitur non modo juxta Bosporum, sed etiam extra urbem fuisse: quod historiæ confirmant non modo Cedrini, sed aliorum, describentium acerrimam frigoris vim sub Leone (Constantino) Copronymo factam, qua conglaciavit tam vehementer Bosporus, ut quicunque vellet a Regiis Sophianis ad Urbem, & a Chrysopoli ad Divum Mamantem, & Galatam in Bosporo, tanquam in sicco ambularet sine ulla offensa. Cum ex his tum ex aliis colligo Sophianas Regias fuisse trans Bosporum, contra Urbem. Jam vero Portus Sophiæ, priusquam appellaretur Juliani, videtur esse ille, quem Novum Portum antiqua regionum descriptio ponit in regione Hippodromi: sed sive ille Novus, sive Juliani, sive postremo Sophiæ appellaretur, hodie exaggeratus est, seu sit ille, quem ædes Bacchi habet ab Occidente, jam magna ex parte obrutum intra muros clausum, cujus pars duntaxat restat, velut lacus, quo mulieres pannos lavare solent. Dicuntur videri triremes in illum demersæ: Byzantii hujus ætatis vulgo appellant *Caterga limena*, quasi Portum triremium, sive fuerit ab Oriente Bacchianæ ædis, juxta portam urbis, quam vocant Leonis, vel a Leone lapideo, qui etiam nunc prope extat, vel a Leone Imperatore, quem habuisse ibi Palatium ajunt Constantinopolitani. Nicephorus, recens Historicus, ait Regem Constantinopolitanum obsessum a Latinis congregasse

multitudinem fabrorum in Morion, quod erat circum Hippodromum. Ubi fuerit Constantinopoleos locus appellatus *Pyctacia*, nondum intellexi. Hoc tamen addam ex Cedrino, atque aliis recentibus historicis tradentibus, in loco, quem vocant Pyctacia columnam fuisse sustinentem Leonis statuam Regis, Verinæ mariti, quam quidam scribunt ejus sororem Euphemiam excitasse prope domum suam, quo Leo omnibus hebdomadibus proficiscebatur, ad sororem sapientem & castam: omnes injuria affecti illic in gradibus columnæ sua supplicatoria Pyctacia ponebant, quæ apparitores custodiebant, regique illuc profecto dabant: qui B statim responsum singulis dabat. Budæus Pyctacia, sive, ut ipse ait, Pyttacia, dicit esse Brevia, a Gallis *Borderelos* vulgo appellatos, sed etiam supplices libellos appellare possumus. Nam Pyctium liber, Pyctacion libellus, Pyctacium. Hodie vulgo Græci epistolas appellant *Pyctacia*. Historia ignoti authoris ait Eudoxiam suam statuam totam argenteam posuisse supra excelsam columnam in loco appellato Pyctacio: qui si recte scribit, fuit hæc statua prope Templum Sophiæ, juxta quod fuisse Eudoxiæ statuam ante monstravimus. Ædem Divæ Euphemiæ tradit libellus *de patria Constantinopolitana*, Constantinum Magnum exitasse C apud Hippodromum, eamque postea Constantinum Copronymum Iconomachum fecisse armamentarium; reliquiasque divæ Euphemiæ in profundum mare projecisse. Suidas scribit Euphemiæ (quæ uxor Justini Thracis erat) statuam fuisse statutam in æde Divæ Euphemiæ ab ipsa condita. Scriptores recentes patriæ Constantinopolitanæ, tradunt tempore Basilii Imperatoris terræmotum magnum fuisse, quo Divi Polycleti cecidit templum, & oppressit omnes, qui intus essent; ex eoque tempore appellatum fuisse Sigma. Ego potius ita appellatum fuisse existimarem a porticu, quam ante hunc terræmotum multis seculis Sigma a si- D militudine literæ appellatam antiqua descriptio ponit in regione Hippodromi. Georgius Cedrinus meminit loci, quem appellat Sigma. *Michaelem*, inquit, *Imperatorem monachi vestitu indutum ex monasterio appellato Studio correptum per forum pedibus traxerunt, & supra monasterium Periblepton nancupatum ipsum ducentes in loco appellato Sigma excæcarunt*. Idem Cedrinus ait, Basilium Macedonium ædem Virginis Mariæ restituisse a fundamentis, nominatam Sigma. Eunuchus Chrysaphius Zomas excitavit statuam Theodosii minoris in loco nominato Sigma. Ædem Divi Stephani positam prope E locum nuncupatum Sigma, Constantinum Magnum excitasse scribunt nonnulli. Itaque hoc Sigma alio loco fuisse in Urbe, quam illud, quod dixi in tertia regione fuisse, & scribendum esse per *e* literam, *Segma*, ex eo quod dicunt ideo sic appellatum fuisse, quod ædes Polycleti in eo situ terræmotu concussa oppresserit omnes, qui in eo essent.

CAP. XVI.

De quarta Regione.

EX antiqua regionum descriptione, quæ declarat quartam regionem urbis a Miliario aureo, F collibus læva, dextraque surgentibus, ad planitiem usque valle ducente perductam fuisse, facile ipsa perciperetur fuisse in valle prima, & dorsi jugo eminente supra vallem, si Miliarium aureum maneret, aut ejus memoriam Constantinopolitani retinerent. Ex quibus edoceri possemus, ubi fuisset, aut si ulla extarent vestigia Augustæi, Basilicæ, Nymphæi, & reliquorum ædificiorum, quæ A traduntur fuisse in hac regione. Sed cum nulla hodie appareat, primum dubitabam, an vallis, quam continet quarta regio, esset illa prima a me ante descripta: non quin hæc collibus læva dextraque surgentibus ad planitiem usque ducatur, sed quod & aliis vallibus hæc conveniant: deinde postquam ex aliorum scriptis percepissem, loca ubi fuerunt monumenta, quæ traduntur fuisse in hac regione, facile cognovi regionem quartam fuisse in prima valle, ejusque lateribus, & jugo vicino Ædi Sophianæ, ut cognosces legens, quæ subjiciam.

CAP. XVII.

De Foro Augustæo, & columna Theodosii, & Justiniani; & de Senatu.

PROCOPIUS Forum, quod Constantinopolitani Augustæum nominant, declarat ante Regias situm fuisse, columnis circumdatum. Nunc nomen non modo amisit, sed ne Forum quidem extat, totum fere exædificatum. Regiæ dudum deletæ sunt. Fuisse tamen Augustæum, ubi nunc cernitur aqua saliens non longe a Sophiæ angulo ad Occasum vergente, assequor ex stylobata paulo ante extante columnæ Justiniani a Turcis sublatæ, quam Procopius tradit Justinianum in Augustæo Foro, Zonaras in aula ante Ædem Sophiæ excitasse. Suidas addit Justinianum, cum Sophiæ Templum condidisset, purgasse aulam, & marmore stravisse, appellatam prius Augustæum Forum: ibique columnam suam statuisse. Procopius tradit *Forum quoddam ante Senatum fuisse, a Byzantiis appellatum Augustæum, ubi commissi lapides non minus quam septem in quadrangulum dispositi in basi siti omnes, quorum quisque eo usque contrahitur, & subducitur extra inferiorem, ut lapidum unusquisque projectus, vel contractus efficiatur gradus, & sedes hominibus*. Hanc Procopii descriptionem stylobatæ eo libentius adjunxi, quod ea in editis codicibus non habetur. Deinde addit Procopius, supra septem jam dictorum lapidum supremam partem extare ingentem columnam, non ex uno lapide, sed ex lapidibus permultis ingentibus compositam, quos undique æneæ tabulæ & coronæ circumvestiebant, ipsosque firmitate colligabant, & ornatu contegebant: ejus quidem æris color debilior auro puro, sed æstimatio non multum cedebat argento. In summa columna extabat ingens equus æneus, Orientemque intuens, dignum spectaculum præbebat: similis enim erat gradienti, & ultra procedere cupienti. Pedum anteriorum sinistrum erigebat, ut terram ante jacentem calcaturus: alterum ad lapidem adnitebatur, ut iter ingressurus: posteriores ita contrahebat, ut prompti essent ad gressum. Equo insistebat ænea Regis statua Colosso similis, vestita more Achillis, calceata arbylis, thorace heroico induta. Galea illius caput tegebat, fulgore corruscans. Spectabat Orientem; iter (arbitror) contra Persas suscipiens. Ferebat manu sinistra globum: quo designabat fictor, universum orbem illi obedire. Ensem non habebat, neque hastam; sed crux ex vertice ejus eminebat, qua imperium adeptus est, & bellorum secundas pugnas. Prætendebat manum dextram ad Orientem, digitisque porrectis jubebat Orientis Barbaros domi se continere, & non ultra progredi. Qualis autem fuerit Justiniani galea, declarat Tzetzes in *Varia Historia*: *Tiara*, inquit, *apud Persas tegmen capitis fuit; postea ex victoriis coronam adeptorum capitibus Romæi imposuerunt tiaras, sive tiphas, cujusmodi fert equestris statua Justiniani supra columnam statuta*. Procopio addit Cedrinus argentea manu

A globum continuisse Justinianum. Zonaras decimo septimo anno sui imperii eam columnam excitasse, eo loco, ubi antea stabat altera columna Theodosii Magni, gestans statuam ex argento factam ab ejus filio Arcadio, ponderans septies mille & quadringentas libras, quam simul cum columna Justinianus, ubi demolitus esset, argentumque detraxisset, columnam suam cum sua statua erexit. Præterea maximo plumbi pondere, quod ex illa detraxit, aquam in Urbem induxit. Utinam ut injuriam, quam intulit Justinianus Theodosio, Barbari ulti sunt; ita humaniter eruditi libris Jurisconsultorum, quos mutilavit, repertis,
B everterent indigesta Commentaria male digestarum legum. Barbari enim omni æreo vestitu, & equo, & statua columnam Justiniani spoliarunt; aliquotque annos nuda remansit. Tandem ante triginta annos eversa est tota, usque ad stylobatem; quem anno superiore funditus vidi exscindi, ex cujus crepidinibus aqua saliebat fistulis in magnum labrum. Nunc stylobatæ loco, castellum aquæ latius constructum est, & fistulæ auctæ, equestrem Justiniani statuam, quam modo dixi supra hanc columnam fuisse collocatam, servatam diu in Claustro regii Palatii, deportari nuper vidi in caminos, quibus metalla funduntur in machinas bellicas: in-
C ter quæ erat Justiniani crus, proceritate meam staturam superans, & nasus dodrante longior. Crura equi ad terram projecta metiri non potui. Pedis ungulam mensus sum occulte; & deprehendi dodrantalis esse altitudinis. Augustæum Forum appellatum fuisse recentes Historici, atque etiam Grammaticus Suidas, docent ex eo, quod decimoquinto die Octobris Regionum curatores, & Sebastophori in Augustæo velut in Foro rerum venalium saltarent in honorem Augusti. Vel ex eo, quod in fornice cameræ hujus fori, statuæ magni Constantini, & Helenæ matris statutæ essent. Zo-
D simus, antiquior Procopio, tradit Constantinum in loco, ad quem erat quondam Byzantii porta terrestris, Forum condidisse rotundum, idque porticibus duplicibus, nempe unis supra alias impositis, circumplexum arcus duos marmoris Proconnesii inter se contrarios fabricatum fuisse, per quos licet ingredi in Severi porticus, & ex antiqua urbe exire. Incertus scriptor designat id esse Augustæum, cum ait Constantinum construxisse forum ad Oceani similitudinem circulare. Idem Zosimus alio loco dicit, cum esset Byzantii, Forum maximum quatuor porticibus circumdatum, ad quarum unius, in quam sursum ducunt non pauci gradus, extremas partes duas statuas Constantinum collocavisse:
E in altera quidem parte unam Matris Deorum Rheæ, quam cum Jasone navigantes collocarunt in monte Dindymo, eminenti supra urbem Cyzicum. Ajunt autem, ut hæc ob negligentiam circa cultum divinum mutilata fuit, sublatis utrinque leonibus, & forma manuum immutata fuerit. Nam olim leones continere visa, nunc in formam precantis translata est, Urbem intuens & ornans. In altera Porticus parte Fortunam Romæ collocavit Constantinus. Suidas dicit Fortunam Urbis fuisse in fornice Miliarii. Quæ si vere a Constantino posita fuit, utrumque Forum a Zosimo descriptum, unum
F & idem est: sed mihi diversum videtur, ex eo, quod primum Zosimus dicit Constantinum condidisse duabus porticibus circumpositis, alterum post paulo infra dicit fuisse quatuor porticuum; nisi fortasse ibi adnumeret porticus Severi & Constantini, ex quarum utrisque licebat exire in alteras. Ad Augustæi Fori plagam orientalem Procopius Justinianum ait condidisse Curiam, in quam conveniens Romæorum Senatus anniversarium ineuntis anni festum celebrabat. Ante Curiam stant columnæ sex, quarum duæ murum Curiæ, qui ad occasum Solis vergit, in medio sustinent; quatuor vero paulo exterius pertinent. Omnes hæ columnæ albæ sunt. Magnitudine eas primas puto totius orbis. Porticum autem faciunt hæ columnæ, quæ quidem porticus tectum in Tholo circumvolvit. Partes Porticus superioris omnis venustate marmorum columnis æqualium ornatæ sunt, statuarumque multitudine. Ego arbitror Justinianum non hanc Curiam condidisse, sed refecisse antiquum Senatum, qui deflagravit incendio, quo Sophia, & Thermæ Zeuxippi deflagrarunt. Nam Sozomenus tradit Consilium, quod Senatum vocant, Constantinum Magnum ædificasse, quem eundem honorem & ordinem, & festum Calendarum habere voluit, quos antiquæ Romæ Senatus habere solebat. Idem declarat, ubi fuerit illa Curia, cum ait statuam argenteam Eudoxiæ Augustæ in columna purpurea statutam fuisse ad Meridiem Templi Sophiani, supra excelsum suggestum ante domum Magnæ Curiæ. Socrates addit, neque prope, neque longe a Sophia statutam fuisse, sed ultra latam viam intermediam, inter utramque, cujus Suidas meminit. *In Tribunali*, inquit, *Palatii columna fuit Eudoxiæ uxoris Theodosii*. Antiqua regionum descriptio in eadem regione ponit Senatum & Tribunal purpureis gradibus extructum, & Basilicam. Præterea Sozomenus clarius declarat, in qua parte Senatus fuerit, inquiens: Cum seditio orta esset de expellendo Joanne Chrysostomo, ignem repente injectum undique Templum Magnum conbussisse, & omnem ambulationem, & huic adjacentem ex parte Meridiei maximam domum Senatus. Adhuc extant muri Senatus, ab angulo Sophiæ intuenti Meridiem; sed interposita via, quæ pergit a porta Claustri Regii ad Forum Constantini.

CAP. XVIII.

De Regia & Basilica, & Palatio Constantini, & domo nuncupata Chalca.

NON longe ab Augustæo Foro Procopius scribit Regiam domum esse; cujus vim ita, ut ajunt, ex unguibus leonem cognoscimus, percipient hæc lecturi. *Hoc vestibulum*, inquit, *quod vocant Chalcam, tale est: Quatuor directi muri in ordinem quadrangulum dispositi in sublime feruntur. Circum horum angulum cujusque projicitur prætenditurque excitatio quædam lapidum exacte elaboratorum, quæ simul cum muro assurgit a solo ad summum, non intersecans loci pulchritudinem, sed addens quiddam harmoniæ. Supra hos efferuntur octo arcus, sustinentes tectum medium in globatam excelsitatem incurvatum, præclare laqueatum; totum enim lacunar non picturis cera compactis, sed tenuibus calculis omni genere colorum ornatis fulget, cum aliorum, tum hominum effigies exprimentibus*. Quæ depicta essent declarat Procopius, bellum, & pugnas, urbes permultas captas Italiæ, Africæ: vincit Justinianus Rex, Duce Belisario: redit Dux ad Regem, habens exercitum alacrem, qui Regi tribuit spolia, reges & regna, & cætera, quæ sunt mortalibus pretiosa. In medio stant Rex, & Regina Theodora, ambo similes lætis: festum agunt victoriæ de Rege Vandalorum, & Gotthorum, & de captivis ad se perductis. Circumstat ipsos Senatus cunctus, festum agens. Hoc enim calculi demonstrant, qui exprimunt facies, ex quibus hilaritas, atque lætitia efflorescit. Omnes igitur cum Rege gloriantur, & rident, divinis honoribus fruentes. Ut enim Papinius in *Sylvis* Basilicam Pauli appellat Regiam Pauli, sic domum, quam Procopius appellat Βασιλεῖον, etiam

appellatam fuisse Basilicam, & Palatium, colligo ex Cedrino, describente incendium excitatum temporibus Justiniani, quo combustum dicit vestibulum Basilicæ, & Augustæum, & tectum æreum Palatii Constantini Magni, quod ex eo tempore usque in hunc diem Chalca appellatur, quod tectum esset tegulis æreis inauratis. Quam Cedrinus vocat Basilicam, Procopius *de Ædificiis Justiniani* appellat τὰ βασιλεῖα, cum eodem incendio scribens ait combusta fuisse vestibula τῶν βασιλείων, & appellatam Chalcam. Idem *de bello Persico* tunc Templum Sophiam, & balneum Zeuxippum, καὶ τῆς βασιλείου αὐλῆς, τὰ ἐκ τῶν προπυλαίων, usque ad domum Martis. Idem paulo infra, *Jussit Rex*, inquit, *Belisarium ad nuncupatam Chalcam, & ad vestibula illic sita ire*. Ex quibus videtur Procopius distinguere Regiarum vestibulum a Chalca, cum tamen prius appellaverit Chalcam vestibulum Regiæ. Equidem arbitror primo Regis domum appellatam fuisse Basilicam: postea cum etiam magnæ domus, ubi negotiatores versabantur, Basilicæ vocarentur, Βασίλειον appellatam fuisse Regis domum, deinde Palatium. Quod si Basilica distinguebatur a regia domo, tamen illa, aut pars fuit Regiarum, aut vicina Regiis, ut percipitur ex antiqua descriptione, quæ in eadem regione Augustæum, & Basilicam ponit. Hæc cum in commemoratione locorum hujus Regionis non meminit neque Palatii, neque Regiarum, sed duntaxat Basilicæ, declarare videtur Basilicam fuisse Palatium ipsum. Sed sive Basilica in Palatio, sive extra Palatium fuit, vicinam fuisse Palatio, incendia ostenderunt, cum ambo ob vicinitatem deflagrarint: & propinquam esse debuisse Foro, cui vicinas dixi Regias, ratio docet architectonica, præcipiens Basilicarum loc adjuncta Foris, quam calidissimis partibus oportere constitui, ut per hyemem sine molestia tempestatum se conferre in eas negotiatores possint. A qua non dissentit Julius Pollux, prope Theatrum tradens Hippodromum, Stadia, Curiam, Forum, Regiam aulam, Regiam porticum, Regium Tribunal, debere esse. Georgius Cedrinus tradit Chalcæ splendidam domum ædificasse Ætherium architectum, consilio sapientis Anastasii; cui consentit Epigramma olim in ea inscriptum, quod Græcum addam, ut clarius intelligatur;

Εἰς οἶκον τὸν ἐπιλεγόμενον χαλκῆ,
ἐν τῷ παλατίῳ.

Οἶκος Ἀναστασίοιο τυραννοφόνου βασιλῆος,
Μοῦνος ὑπεργέλλω πανυπείροχος ἄστεσι γαίης,
Θαῦμα φέρων πάντεσσιν ἐπεὶ κοσμήτορες ἔργων
Ὕψος ὁμοῦ, μῆκός τε, καὶ ἄπλετον εὖρος ἰδόντες,
Ἀσκεπὲς ἐφράσσαντο πελώριον ἔργον ἐᾶσαι.
Ἀλλὰ πολυμήτοιο λαχὼν πρεσβήϊα τέχνης
Αἰθέριος πολύϊδρις ἐμὴν τεχνήσατο μορφὴν,
Ἀχράντῳ βασιλῆϊ φέρων προτάγεια μόχθων.
Ἔνθεν ἀπειρέσιον μέγεθος περὶ παντὶ τιταίνων
Αὐσονίων νίκησα βοώμενα θαύματα γαίης,
Εἶξον ἀριστεροῖσι χάρις Καπετωλίδος αὐλῆς.
Εἰ καὶ χαλκείων ὀρόφων μαρμάρυγμα πέμπεις,
Κρύψον ἀμετρήτων μεγάρων στεινούμενον αὐλαῖς
Πέργαμε, φαιδρὸν ἄγαλμα τεὸν Ῥουφίνιον ἄλσος,
Μηδὲ πανυπλεύροισιν ἀρητότατα Κύζικε πέτροις,
Ἀδριανοῦ βασιλῆος ἀμεμφέα νηὸν ἀείσῃς.
Οὐ μοὶ Πυραμίδων ἰκέλη κρίσις, οὐδὲ Κολοσσοῦ,
Οὐδὲ Φάρου· μεγάλην μοῦνος δ' ὑπέδραμον αἴγλην,
Αὐτὸς ἐμὸς σκηπτοῦχος ἰσαιρομόνου μετὰ νίκην,
Χρυσοφαές μ' ἐτέλεσσεν ἐέδεθλιον ἠελιγρυείης,
Πάντη τετραπόρων ἀνέμων πεπετασμένον αὔραις.

A Historici quidem, sed recentes, tradunt Constantinum Magnum primum ædificasse Palatium Chalcæ. Quibus non crederem, nisi moverer verisimilitudine illa, qua existimo Constantinum ad ornandam suam Novam Romam conatum fuisse æmulari tegulas illas æreas inauratas Capitolinas antiquæ Romæ, habentis etiam Forum tectum ære. Quis vero, nisi incendio perierint, illas Palatii Byzantini tegulas abstulerit, nondum legi. Capitolii Romani, scribit Procopius, tegularum ærearum, auratarumque partem dimidiam Gensericum diripuisse: ut Constantinus tertius Heraclii nepos, laminas argenteas, quibus Pantheon tege-
B batur, sustulit. Prope latus Ædis Sophiæ vergens ad regionem cœli mediam inter Meridiem & Occidentem, exiguo intervallo distantes a fistulis aquæductus prodeuntis ex castello posito in loco, ubi antea fuisse columnam Justiniani in Foro Augustæo diximus, adhuc extant septem columnæ Corinthiæ, in quarum unius scapo nomen incisum est Constantini Magni, & ejus signum visum in cœlo cum inscriptione, ἐν τούτῳ νίκα. Earum basis, & imus scapus terra obruti sunt in altitudinem sex pedum: quod deprehendi, cum fortuito incidissem in fundamenta parietum, quæ tum poneban-
C tur inter has columnas. Basis plinthum videre non potui terra obrutum, sed tamen vidi torum inferiorem, octo digitos crassum, septem altum. Basis præter plinthum alta est duos pedes, & dodrantem. Imi scapi calcaneum latum dodrantem. Unaquæque columna est alta triginta pedes, & sex digitos. Denique tota columna cum spira & capitulo, alta circiter quadraginta sex pedes & semipedem. Imi scapi, quem mensus sum supra calcaneum, perimiter est undeviginti pedum. Intercolumnia lata viginti pedes & decem digitos. Constantinopolitani ajunt has columnas fuisse intra Palatium Constantini; alii dicunt sustinuisse pon-
D tem, quo ex Palatio iretur ad Ædem Sophiam: quod utrumque falsum est, cum ex antedictis liqueat fuisse in Foro Augustæo. Itaque mihi potius videntur sustinuisse fornices porticuum, in quibus statuæ Constantini Magni, & ejus matris Helenæ, aliorumque statuæ fuerunt statutæ. Cum ex antedictis Ædium Regiarum excellentiam cognoscere possumus, tum ex Zosimo, qui tradit Constantinum Regias Ædes Byzantii condidisse, non multo inferiores Romanis Palatiis; tum ex Eusebio, qui eum testatur, non modo cæteris ornamentis illustrasse Novam Romam &
E Palatium: sed etiam in Ædium Regiarum locis excellentibus, & in medio lacunarium inauratorum symbolum crucis ex variis & pretiosis compositum lapidibus, & multo auro ornatum inferendum curasse Constantinum, id existimantem fui regni tutelam esse. Tum etiam ex Divo Hieronymo cognoscere possumus quantopere ornarit Novam Romam Palatiis: *Omnes illum*, inquit, *pene urbes nudasse, ut suam Novam Romam exornaret*. Addit Eusebius, Constantinum Musas Heliconides posuisse in Palatio. Sozomenus scribit Constantini jussu omnia antiquorum templa & statuas, quæ essent sub imperio suo ablatas esse, li-
F gneas quidem crematas fuisse, æreas egregie elaboratas undique Constantinopolim transtulisse ad Urbis ornamentum: quas sua ætate etiam extitisse dicit in viis, in Hippodromo, in Palatio. Neque solus Magnus Constantinus, sed plerique reges Constantinopolitani orbem spoliarunt, ad Novam Romam ornandam: ex quibus unus fuit Constantinus tertius Heraclii nepos, qui ex antiqua Roma omnes statuas ex ære & marmore factas, omniaque templorum ornamenta præstantiora sustulit, navibusque ad id præparatis imposita aspor-

portavit: plusque septem dierum spatio unus Urbi detraxit, quam Barbari ducentorum quinquaginta annorum spatio: tot enim anni fuerunt a prima inclinatione Imperii ad fœdam illam deprædationem. Jornandes, non omnino malus author *Historiæ Geticæ*, tradit Theodoricum Byzantium Præfectum, adoptatum, Consulemque factum fuisse ab Imperatore Zenone, atque equestri statua ornatum ante* Palatium collocata. Tzetzes *Variæ Historiæ* conscriptor tradit etiamnum sua ætate caput Apollinis, quem similem Soli Phidias fecit, in ipso Palatio extitisse. Suidas scribit Pulcheriæ Arcadii filiæ statuam positam esse in Chalca, prope ambulationem Ariadnes primæ uxoris Zenonis; simulque ipsius Zenonis statuas positas fuisse in regia porta Chalcæ, itemque duas pedestres in brevi columna extitisse cum elegiis Secundi Philosophi. Historia ignobilis, sed nota Constantinopolitanis, addit in sinistra parte Chalcæ Justinianum cognatorum suorum statuas septem locasse, alias ex ære, alias ex marmore, duos equos excitasse in fornice ante Chalcam, & capita inaurata mulierum Gorgonæ speciem gerentium: aliasque addit, quas prætereo, propter historiæ ignobilitatem. Suidas tradit in Tribunali Palatii statuas fuisse Eudoxiæ, & Theodosii mariti, & Marciani, & Constantini, ubi saltationes duarum partium exerceri solebant, usque ad tempora Heraclii.

CAP. XIX.

De Basilica, & regia ambulatione.

BASILICAM, quam ante dixi vicinam fuisse Foro Augustæo, quatuor arcus habuisse Epigrammata designant in eis olim inscripta:

Εἰς τὴν ἀψῖδα ἐν τῇ Βασιλικῇ
ἐν Βυζαντίῳ.

Τετραπόροις ἀψῖσι πόλιν Θεόδωρος ἐγείρας
Ἄξιος ἐστὶ πόλιν καὶ τέτρατον ἡνιοχεύειν.

Εἰς ἕτερον μέρος τῆς αὐτῆς
ἀψῖδος.

Ἔπρεπέ σοι Θεόδωρε τύχης εὐκίονα νηὸν
Ἔργου κοσμῆσαι θαύμασι τοσσατίου,
Δῶρά τε κυδήεντα πορεῖν χρυσάσπιδι Ῥώμῃ,
Ἣ ὕπατον τεῦξεν, καὶ τελσέπαρχον ὁρᾷ.

Calliades Byzantini exercitus Imperator statuas Byzantis, & Phidaliæ in Basilica posuit, cum hac inscriptione:

Τὸν κρατερὸν Βύζαντα καὶ ἱμέρτην Φιδάλειαν
Εἰν ἑνὶ κοσμήσας ἄνθετο Καλλιάδης.

Εἰς Φιδάλειαν.

Ἱμέρτη Φιδάλεια, δάμαρ Βύζαντος ἐτύχθη.
Εἰμὶ δὲ Βουπάλεως δῶρον ἀεθλοσύνης.

Plinius inter artifices imaginum commemorat Anthermum Chium, ejusque filios Biopalum, & Anthermum. Dionysius Byzantius scribit Byzantem, a quo Byzantium nomen habet, fuisse maritum Phidaliæ, a qua Portus Bospori appellatur Phidaliæ, de quo plenius scripsi in *tractatione Bospori*. Recentes scriptores, & Suidas Grammaticus dicunt in Basilica a tergo Miliarii aurei fuisse statuam inauratam viro similem, ubi etiam fuit exanimon Heraclii Regis & Gonyclines Justini tyranni; illic Terbelis concionatus est: in his etiam elephantus stabat maximus a Severo factus, ob hanc causam, quod ibi cum maneret elephantus cum multis custodibus, atque prope argentarius artem factitaret staterarum: cujus domus cum esset direpta, mortem argentarius minitabatur custodi elephanti, nisi elephantum contineret: quem minas suas contemnentem interfecit, proque pabulo ipsum elephanto objecit: quo facinore elephantus exacerbatus, interfecit argentarium. Severus id factum intelligens, elephanto sacrificavit, ibique elephantum, ejusque rectorem ex ære factos locavit, ubi etiam Suidas tradit fuisse Herculis statuam, quæ colebatur, eique multa sacrificia fiebant; eamque postea in Hippodromum traductam Juliano Consule, ab antiqua Roma Byzantium una cum decem statuis deportatam partim vehiculo, partim navi: qui si ille est, quem ex Ungaria Abramus Bassa Byzantium vexerat, & collocaverat in Hippodromo, non minus mortuus, quam vivus orbem peragravit. Suidas item tradit in Peripato regia equestres statuas fuisse positas Trajani, Theodosii, Valentiniani, Gibbi, Firmiliani ridiculi.

Prætereo alias permultas non modo regum, sed etiam eunuchorum, inter quos excellebat statua Eutropii, qui Arcadii cubiculo præfectus fuit. Cujus potentia ex statuis aureis ubique illi positis, & domibus totius urbis splendidioribus ab eodem constructis illustrata incitavit eunuchorum nationem, eousque, ut quidam etiam prima lanugine vestiti ultro eunuchi fierent, sperantes se fore similes Eutropio. Adeo vicina Basilica fuit Miliario & Augustæo, ut Horologium quod Justinus fecit, Georgius Cedrinus ponat in Miliario, alii in Foro Augustæo, alii in Basilica, id quod declarat Epigramma:

Εἰς τὴν βάσιν τοῦ ὡρολογίου τοῦ εἰς
τὴν ἀψῖδα τὴν εἰς
βασιλικήν.

Δῶρον Ἰουστίνοιο τυραννοφόνου βασιλῆος,
Καὶ Σοφίης ἀλόχου, φέγγος ἐλευθερίης,
Ὡράων σκοπίαζε σοφὸν σημάντορα χαλκόν,
Αὐτῆς ἐκ μονάδος μέχρι δυωδεκάδος.
Ὅντινα συληθέντα δίκης θρόνον ἡνιοχεύων
Εὗρεν Ἰουλιανὸς χερσὶν ἀδωροδόκοις.

CAP. XX.

De Bibliotheca Basilica, & de regia porticu, & de Basilica cisterna.

DOMUS regia, inquit Zonaras, fuit in nuncupata Basilica prope ærarias officinas. In qua libri externæ sapientiæ, & generosioris doctrinæ diviniorisque multi servabantur. Fuerat autem hæc domus superioribus temporibus, disciplinis præstantis præceptoris, quem Oeconomicum vocabant, domicilium. Is duodecim secum habebat (discipulos, aut hypodidascalos) habitantes, ratiocinationis eruditione summa præditos, quibus victus ex publico præbebatur. Hos adibant studiosi ratiocinatricis sapientiæ; atque etiam reges in rebus agendis consiliarios adhibebant. Regnante Basilisco Constantinopolim incendium maximum afflixit, ex officinis ærariis incipiens, quod devoravit officinas ipsas, earumque vicinitatem, in cineremque redegit platearum ædificia cum alia, tum Basilicam nuncupatam, in qua erat Bibliotheca sexies centena millia voluminum continens: inter illa erat draconis intestinum, longum centum & viginti pedes, habens inscripta literis aureis Homeri poemata, *Iliadem* & *Odysseam*. Malchus Byzantius Sophista scripsit historiam ab imperio Constantini us-

que ad Anastasium, in qua incendium Bibliothecæ publicæ, & statuarum Augustæi fori vehementer, & tragice deplorat. De eadem Bibliotheca Georgius Cedrinus: *Ad nuncupatam*, inquit, *Basilicam cisternam, Palatium dignitatis plenum fuit, in quo ex instituto antiquo Oeconomicus præceptor habitabat, habens duodecim discipulos, sermone, & vita graves, omnis ratiocinatricis disciplinæ scientes, cum celeritate & magnitudine naturæ præditos, tum maxime participes divinæ Philosophiæ: quorum sine sententia quidquam agere nefas videbatur etiam Regibus ipsis.* Incendium accidit Constantinopoli imperante Basilisco, quod florentissimam urbis partem consumpsit, ex mediis ærariis officinis prodiens, ambas ipsas Porticus consumpsit, & omnem viciniam appellatam Basilicam, in qua erat Bibliotheca habens voluminum sexies centena millia. inter quæ erat intestinum draconis pedum centum & viginti, in quo erant scripta Homeri poemata, *Ilias* & *Odyssea* literis aureis. Inerant etiam in hac Bibliotheca historiæ heroum res gestas continentes, multis post seculis quam deflagravit hæc Bibliotheca sub Basilisco, cum Leo Conon Rex Basilicæ eruditos in sententiam suæ hæresis trahere non potuit, combussit illos una cum Basilicæ Palatio, & Bibliotheca, quæ pulchris libris post incendium iterum ornata fuerat.

Basilicæ Romæ judiciis, consiliis, negotiationibus attributæ erant; Constantinopoli etiam Bibliothecis, & literarum Gymnasiis: id quod cum ex antedictis, tum ex Epigrammate insequenti liquet:

Εἰς τὴν βασιλικὴν τῶν παιδευτηρίων ἐν Βυζαντίῳ, ἀδέσποτον.

Χῶρος ἐγὼ θεσμοῖσιν ἀνειμένος ἐνθάδε πηγὴ
Ἄφθονος Αὐσονίων ἐκκέχυται νομίμων
Ἣ πᾶσι πέπταται μὲν ἀέναος ἠιθέοις δὲ
Ἐνθάδ' ἀγειρομένοις πάντα δίδωσι ῥόον.

Qualis fuerit locus ubi Bibliotheca continebatur, scriptores recentes tradunt Octogonum fuisse, ubi essent porticus concameratæ, & locus, ubi Oeconomicus præceptor cum suis assessoribus versaretur. Georgius Cedrinus, incendio, quod editum est tempore Justiniani, affirmat ædem magnam, & Xenodochium Sampsonis, vestibulum Basilicæ, Augustæum, Chalcam, porticus utrasque, usque ad forum Constantini, & Octogonum, & Thermas Zeuxippi deflagrasse: ex quo colligo oportuisse esse duo Octogona inter se propinqua. Si enim Octogonum, quod tradit Cedrinus, fuisset illud continens Bibliothecam, non præteriisset Bibliothecam illam etiam deflagrasse tempore Justiniani. Ego potius existimo locum illum, ubi Bibliotheca fuit, tetragonum fuisse, aulamque illam esse, quam columnis in quadrum dispositis circumdatam esse tradit Procopius. Quænam fuerit Basilica continens Bibliothecam, Zonaras non explicat, sed duntaxat proximam dicit esse Chalcopratiis, hoc est, officinis ærariis. Cedrinus Basilicam vocat Cisternam, quam a magno Constantino conditam quosdam falso tradere arbitror ex Procopio scribente ad regiam porticum, ubi oratores, & qui actiones informare solent, aulam esse maximam longitudine, & latitudine amplam, columnis in quadrum dispositis circundatam, non in terreno solo, sed saxeo ædificatam, eamque Justinianum Regem in magnam altitudinem effodisse ad conservandas aquas in æstatis tempus, quæ tubulis subterraneis ex aquæductibus hyeme impleta copiam aquarum indigentibus suppeditaret. Menander cognomine *Protector* ait, primum sibi non placuisse subire certamen judiciorum, neque in regia porticu versari, orationisque vehementia conciliare hominum mentes. Uranium natione Syrum Agathius ridet, artem medicam profitentem, sed Aristotelicæ disciplinæ prorsus ignarum, vociferantem tamen, & insolenter permulta se callere jactantem cum in aliis plerisque locis, tum maxime in Porticu Regia. Idem Agathius semetipsum profitetur in Porticibus Regiis libellos multos forensium causarum, & negotiorum plenos a matutino tempore ad occasum Solis contemplari. Ex quibus intelligere possumus Regiam Porticum, & Basilicam cisternam in eodem loco fuisse. Porticus regia non extat; cisterna incolumis permanet: quæ cum negligentia civium ignoraretur, a me peregrino diligenter quæsita venit in cognitionem multorum. Cisternæ ignorationem auxerant superædificatæ domus, quarum nonnullos incolas deprehendi ignorare cisternam infra ædes suas positam; cum tamen quotidie aquam hujus haustam puteis potarent intra ædes suas sitis in cisternam penetrantibus. Denique incidi in domum, qua in hanc descensus patebat, scapham conscendi, quam agens dominus domus funalibus accensis huc illuc per medios ordines, velut per sylvam columnarum maxima ex parte demersarum aqua, ubi omnia perlustravi; ille ad capiendos pisces (quibus cisterna abundat) se convertit, nonnullosque tridente cepit ad lucem funalium: lux enim exigua apparet intromissa per ora puteorum, velut per spiracula, quo pisces etiam congregantur. Cisternæ longitudo est trecentorum & triginta sex pedum, latitudo centum octoginta duorum pedum, ejus ambitus ducentorum & viginti quatuor passuum Romanorum: cameræ & fornices lateritio opere, similiter parietes constant tectorio ligneo nihil vetustate offenso bene vestiti. Concameratio sustinetur trecentis triginta sex columnis marmoreis, inter se distantibus duodecim pedes, singulis altitudinem quadraginta dodrantem superantibus, in longitudinem dispositis per duodecim ordines; in latitudinem vero per viginti octo ordines. Capitula earum partim opere Corinthio laborata, partim illaborata. Supra singulorum capitulorum abacum lapis magnus, velut major alter abacus positus est, ad quem adnituntur quatuor arcus. Multi in eam penetrant putei, per quos ex cisterna hauritur aqua. Hyberno tempore impletur aquæductus. Vidi cum media hyeme impleretur, rivum ex magno tubo salire in cisternam magno murmure, non cessantem eatenus, dum columnas omnes & media capitula obruisset. Hæc a templo Sophiæ versus occidentem æstivum distat circiter octoginta passus Romanos.

CAP. XXI.

De Chalcopratiis.

CHALCOPRATIA, quæ Latine vertere possumus *Loca ubi æraria opera exercentur*, fuisse prope Basilicam, ex antedictis manifestum est. Georgius quidem Cedrinus ait, Theodosium parvum ædificasse templum Chalcopratiorum, & dedicasse Virgini Mariæ: alii adjungunt, Judæos (qui a tempore Constantini Magni habuerant domicilium in Chalcopratiis) illinc expulisse parvum Theodosium; templumque Deiparæ Virgini ibi ædificasse: terræmotuque postea labefactatum Justinum Curopalatan reædificasse, a quo dissentire videtur Zonaras: *Theodosio*, inquit, *Magno peregre profecto in Occidentis regiones, Judæos Honoratū Constantinopoli præfectum, sibi conciliasse: sibique ab eo potestatem permissam construendi synagogam sumptuosam in Chalcopratiis:* eoque facto Urbis populum

indignatum, synagogam combussisse. Theodosium hujus incendii certiorem factum, mulctam irrogasse his, qui talia patrassent; facultatemque Judæis dedisse reædificandi synagogam: Ambrosium episcopum Mediolani id intelligentem, Theodosio demonstrasse, iniquum esse Judæos in media Urbe regina urbium synagogam excitasse: Theodosium Ambrosii admonitu Byzantiis remisisse mulctam; synagogamque Judæos intra reginam urbium habere interdixisse. Nunc ærariæ officinæ illic non sunt, translatæ in aliam Urbis partem, quas nonnulli mihi dixerunt aliquot ante annis fuisse prope ea loca, in qua diximus fuisse olim Chalcopratia. Ignotus scriptor, informans veteris Byzantii circumscriptionem, designat non procul a Miliario fuisse Chalcopratia. *Muri*, inquit, *Byzantii ascendebant in Chalcopratia usque ad Miliarium*. Alii scribunt prope Sophiam illa fuisse.

Ex antedictis vidimus Hippodromum, Curiam, Aulam, Regiam, Porticum Regiam, Basilicam fuisse vicina; eaque, ut ante dixi, ratione architectonica. Strabo Regiæ Alexandrinæ partem inquit fuisse Musæum, quod porticum haberet, & Exedram, & maximam domum, in qua domicilium esset hominum in disciplinis versantium.

CAP. XXII.

De porticibus sitis inter Palatium, & forum Constantini, & de domo appellata Lampterum.

PRÆTER Regiam Porticum, prope quam fuit Bibliotheca, alias Porticus fuisse parum remotas a Porticu Regia, pertinentes a Palatio usque ad Forum Constantini, incendia declarant. Primum, factum tempore Justiniani, Procopius scribit Palatium ædem Sophiam combussisse, & utrasque Porticus Magnas, usque ad Forum Constantini. Cedrinus idem incendium tradit consumpsisse Chalcam, Sophiam, Augustæum, & Porticus duas, usque ad Forum Constantini. Deinde Basilisco imperante incendium exortum a Chalcopratiis consumsisse ambas porticus, & omnia ædificia vicina, & Basilicam, in qua erat Bibliotheca, & utrasque porticus medias inter Palatia: tum Lausi pulcherrima ornamenta. Hæ Porticus sæpe combustæ, sæpe restitutæ sunt, primum a Justiniano, deinde ab aliis; postremo refectas puto a Domnino, ex recenti Historico tradente, cum Urbs capta esset a Gallis & Venetis, Domnini Porticus tectas, viam utrinque cingentes a Miliario ad Forum Constantini pertinentes, deflagrasse. Quidam tradunt tempore Constantini Magni Eubulum quatuor Porticus duplices singulas condidisse a Palatio ad murum urbis terrestrem pertinentes testudinatas: unas quidem perrexisse usque ad ædem Divi Antonii sitam in fine urbis; alteras vero a Daphne, & portu Sophiæ, usque ad templum nominatum *Rabdon*; alias duas a Chalca, & Miliario usque ad Forum Constantini, & Taurum, & Bovem æreum; stratas omnes marmoreis mensis, ornatas infinitis statuis. Hæc etsi ab ignotis scriptoribus traduntur, (quos in permultis rebus aliis mendaces deprehendi) tamen verisimilia videntur, cum ex gravibus scriptoribus constet, omnes urbes spoliasse Constantinum, ut suam Novam Romam ornaret, cum ex antiqua regionum urbis descriptione manifestum fit, Constantinopolim habuisse publicas Porticus quinquaginta duas, quarum quinque ponit in Regione quarta, in qua diximus fuisse Basilicam, & Porticum regiam, & nuncupatam Fannionis: præterea Porticus magnas quatuor in Regione sexta, Porticum magnam; unam a parte dextera Constantini usque ad Forum Theodosii.

A Addit Regionem septimam continuis extensam porticibus: Octavam vero Porticum sinistram habuisse Taurum usque; præter hanc habuisse Porticus majores quinque: Nonam Porticus majores duas: Decimam Porticus majores sex: Undecimam Porticus majores quatuor. Ex quibus verisimile est a Palatio Chalce ad murum terrestrem Porticus frequentes fuisse: at continuas asserere nequeo, nisi Taurum usque.

CAP. XXIII.

B *De Miliario aureo, & ejus statuis; de Fortuna Urbis, ejusque statua.*

MILIARIUM aureum fuit columna aurea, ex qua principium itineris ad omnes portas erat. Plinius in capite Romani Fori statutam fuisse ait: an vero Miliarium Constantinopolitanum simile fuerit Miliario Romano, nullus Græcorum scriptorum non modo non declarat; sed ne nomen quidem novit, nisi mutilatum Million, in cujus testudine statuarum positarum nonnulli meminerunt; verisimile tamen mihi videtur Romano (simile,) in similique loco situm fuisse novæ
C Romæ, quæ, quantum potuit, Romam antiquam æmulabatur; & autoritate probare possumus in Foro fuisse, aut prope Forum. Antiqua enim regionum descriptio id ponit in regione Fori Augustæi, & Basilicæ, quibus vicinum fuisse colligitur ex incendio, quod regnante Justiniano excitasse seditiosam plebem Zonaras tradit apud Miliarium, quo incendio Procopius ostendit Sophiæ ædem, & balneum Zeuxippum, & regiæ ædis vestibulum, & porticus magnas usque ad Forum Constantini (fuisse tactas absumtasve.) Qui scribunt res gestas ab Alexio Comneno, ajunt ex magno Palatio, illucescente jam die, Alexii milites duce Sabatio
D profectos ingressos fuisse templum Joannis Theologi; atque cum ascendissent in partem superam templi, effudisse voces contumeliæ plenas; prælium circa tertiam horam inchoatum fuisse, populumque in Foro frequentem læsisse, qui pugnabant ex fornice Miliarii, & ex æde divi Joannis Theologi, quam Constantinopolitani dicunt eam esse, ubi jam leones Regis stabulantur, vicinam Hippodromo, & Foro Cupidinis, sito prope Sophiam, olim Augustæo appellato. Ex quibus apparet Miliarium proxime Forum (fuisse.) Sed quid remotiora repeto? cum propius Suidas explicet: *In Basili-*
E *ca*, inquit, *a tergo Miliarii statuam viri similitudinem gerentem auro illitam, elephantique, & ejus curatoris statuas fuisse statutas*. Alii clarius dicunt has statuas positas a tergo Basilicæ, prope Miliarium. Tum Suidas addit, in Miliario statuam Theodosii fuisse; quam cum erigeret Theodosius, multa frumenta largitus est. In statuam Theodosii equestrem, nunc non extantem, hi versus extant;

Ἔκθορες ἀντολίηθε φαεσφόρος ἥλιος ἄλλος
Θεοδόσιε θνητοῖσι πόλῳ μέσον, ἠπιόθυμε
Ὠκεανὸν παρὰ ποσσὶν ἔχων μετ᾽ ἀπείρονα γαῖαν,
Πάντοθεν αἰγλήεις κεκορυθμένος, ἀγλαὸν ἵππον
F Ῥηϊδίως μεγάθυμε, καὶ ἐσσύμενον κατερύκων.

Tum Suidas adjungit in Miliario fuisse statuas Sophiæ uxoris Justini Thracis, & Arabiæ filiæ hujus, & Helenæ neptis ejusdem, tum Arcadii, & Theodosii ejus filii equestres statuas prope Theodosii majoris statuam positas. Cedrinus scribit supra fornicem Miliarii stetisse duas statuas, unam Magni Constantini, alteram Helenæ matris, habentes Crucem intermediam: pone ipsas fuisse Trajanum equestrem, eique propinquum Ælium Adrianum similiter equestrem Suidas dicit in fornice si-

militer statuas Constantini & Helenæ, & Crucem inter eas mediam fuisse, hanc inscriptionem habentem: UNA SANCTA, ET DUO CELERES CURSORES. Idem ponit in fornice Fori Augustæi easdem statuas Constantini, & Helenæ, & crucem, eandem inscriptionem gerentes: ex quo intelligitur adeo vicina fuisse Forum, & Miliarium, & Basilicam, ut non modo a diversis eadem ponantur in diversis locis, sed etiam ab uno eodemque. Item in Miliario Suidas ponit currum quatuor equis fulvis ductum ab antiquis temporibus, duabus stelis sustentatum in eo loco, ubi faustis exercitus acclamationibus exceptus est Constantinus, postquam vicit Azotium: quoniam etiam ibidem laudatus fuerat Byzas fundator Byzantii. Deportatum autem currum a Sole vectum in Hippodromum, ferentem statuam parvam a Constantino confectam.

Hæc erat Fortuna Urbis, quæ maximis festis, & in Natali die Urbis ponebatur in Senatu, quoniam in capite suo Crucem gereret, quam Constantinus scalpendam curaverat. Julianus Christianæ religionis desertor ipsam fossa obruit in eo loco, ubi periit Arius, non longe a Senatu. Ubi etiam pius Theodosius Arii, Macedonii, Sabellii, Eunomii statuas marmoreas scalpendas curavit humi desidentes, ad notandam eorum perfidiam, ut a prætereuntibus stercore, & lotio, execratione contaminarentur. Alii tradunt Urbis Fortunæ statuam ex Roma a Magno Constantino vectam, & statutam fuisse in fornice Palatii. Zosimus tradit Constantinum Fortunam Romæ constituisse in parte unius porticus ex quatuor porticibus circumdantibus maximum Forum. Verisimile videtur Constantinopolitanos eam celebrasse festo die, ut in antiqua Roma celebrabatur, tam ab indigenis, quam externis in eodem die, & templo, in quibus olim Parilia nuncupata celebrari solebant. Socrates narrat, ut Julianus cum sacrificaret publice Fortunæ Constantinopoleos in Basilica, ubi Fortunæ collocata erat statua, Mares Chalcedonis Episcopus manu eo ductus (nam ob senectutem oculis laborabat) multis contumeliis Regem affecit, eum impium religionis Christianæ desertorem appellans. Julianus contumelias verbis ulciscebatur, cæcum ipsum appellans. Dicebat, *Num Galilæus Deus tuus te curabit?* Galilæum solebat Christum appellare. At Mares, liberius Juliano respondit, *Deo*, inquit, *qui me excæcavit, gratias ago, ne videam faciem tuam prolapsam in tantam impietatem*. Ad hæc nihil respondit Julianus. Zonaras, eoque antiquiores, historiis suis mandarunt, temporibus Anastasii Regis statuam Fortunæ, quæ ex ære facta, muliebri specie alterum pedem intra navem similiter ex ære factam ante se stantem haberet, statutam fuisse in aliqua parte Urbis: cum autem hujus navis æreæ simulacrum temporis vetustate laborasset, vel insidiis illius membra quædam fracta, sublataque essent, accidisse, ut naves onerariæ Byzantium non appellerentur, sed ubi prope Urbem accessissent, ventorum violentia ingredi portum prohiberentur, ac si naves longæ multis remis actæ onera illarum in Urbem adveherent, tamen cito ob penuriam consumebantur. Hoc cum aliquandiu viguisset, curatoribus reipublicæ maximæ curæ fuit inquirere causam. Denique cum venisset in suspicionem causa hujus facinoris, & nunciata esset iis, qui curam Urbis gererent, tum hi fragmenta illius æreæ navis diligenter inquisita invenerunt, illique restituerunt & accommodarunt, navigatioque aperta fuit & libera, & mare plenum navium in Urbem adnavigantium: atque ut exacte noscerent, an causa fuisset navis Fortunæ fragmentum, cur naves non ap-

A plicarentur, sustulerunt rursus partes illas navis æreæ, tum quæcunque naves in urbem adnavigarent, ventorum vi iterum retrocesserunt. Inde pro re firma habuerunt, ex eo, quod navis hæc ærea fracta esset, naves onerarias prohibitas fuisse adnavigare in Urbem. Itaque navem illam curæ habuisse, eamque renovasse. Eunapius Sardianus in volumine, quod scripsit *de Vitis Philosophorum & Sophistarum*, tradit populum Byzantinum imperante Constantino aliter interpretatum fuisse difficultatem navigandi Byzantium. *Contigit*, inquit, *situi Byzantii adnavigationem in urbem Byzantium incommodam esse, nisi ventus notus solidus* B *spiret. Hoc cum sæpe accidisset, populus fame pressus convenit in Theatrum incitatus in Constantinum. Præfecti aulæ regiæ invidentes Sopatro Philosopho detulerunt Constantino. Sopatrus, quem in honore habes, ventos alligavit excessu Sophiæ, quam etiam ipse laudas, & in regiis thronis sedere facis. His auditis Constantinus persuasus, Sopatrum securi feriri jussit.*

CAP. XXIV.

De templo Neptuni, & de æde Minæ, & de stadiis & scala Timasi.

C COGNITIO templi Minæ ideo mihi videtur prætereunda non esse, quoniam ostendit in qua parte Urbis Regio quarta fuerit, continens Basilicam, Augustæum, ædem divi Minæ. Historia incerti authoris tradit in Acropoli olim templum Neptuni prope mare Byzantem excitasse, ubi ait suo tempore fuisse templum Minæ martyris: alio loco idem inconstanter dicit templum Minæ fuisse olim Jovis, ex eoque habuisse marmoreos fornices sustentatos duabus magnis columnis. Itaque ex hujus inconstantia nihil aliud assequi possum, nisi mihi verisimilius videtur templum Minæ in his par- D tibus Acropoleos, in quibus olim fuit templum Neptuni, cum ex Dionysio Byzantio antiquissimo scriptore tradente paulo supra promontorium Bosporium fuisse egressoriæ Minervæ aram, & templum Neptuni; & sub templo Neptuni, intra muros fuisse Stadia & Gymnasia, ut planius demonstravi in *Bosporo*; tum assequor ex hominum memoria viventium; asserentium intra claustra regia, olim Acropolim appellata, fuisse nobile templum divi Minæ; Antiqua descriptio regionum Urbis in regione Minæ prodit fuisse scalam Timasi & stadia. Procopius: *Ad locum*, inquit, *mari vicinum Stadium nuncupatum, ex eo, quod ibi olim certamina* E *quædam exercerentur, Justinianus Rex & Theodora Regina hospitia maxima ædificarunt.*

CAP. XXV.

De Lauso nuncupato, & de ejus statuis; Veneris Cnidiæ, Junonis Samiæ, Minervæ Lindiæ, Cupidinis alati, Jovis Olympii, Saturni, Monocerotum, Tigridum, Vulturum, Camelopardalium: & de Xenodochii cisterna, nuncupata Philoxeno, de Chrysotriclinio.


LAUSUS celebris est locus Urbis scriptis permul- F torum: quorum aliqui scribunt domum fuisse Patricii Lausi appellati, qui multos magistratus gessit regnante Arcadio filio Theodosii Magni, domumque insignibus monumentis ornasse. Heraclidæ Episcopi Cappadociæ ad Lausum præpositum liber extat, inscriptus *Lausiacus*. In qua autem parte urbis Lausus fuerit, non hi declarant: sed fuisse inter Palatium & Constantini Forum assequi possumus ex incendio, quo Zonaras & Cedrinus dicunt temporibus Leonis Imperatoris deflagrasse ædificia ex latere Urbis vergente ad

Septentrionem, a Bosporio portu usque ad templum divi Joannis Calybitæ, ex latere meridiano a templo divi Thomæ Apostoli ad ædem Sergii & Bacchi. In medio vero Urbis, a Lauso usque ad Taurum, Evagrius describens idem incendium, eo loco, quo alii dicunt in media urbe illud incendium extitisse a Lauso usque ad Taurum, ipse dicit a Foro Constantini ad Taurum: quo percipitur Lausus vicinus fuisse Foro Constantini. Sed versus Orientem, & inter Palatium, & Forum Constantini, patet ex incendio, quo Cedrinus regnante Basilisco testatur deflagrasse florentissimam partem Urbis Chalcopratia, utrasque Porticus, & continentia omnia ædificia, & nuncupatam Basilicam, in qua Bibliothecam illam insignem ante dixi, & pulcherrima Lausi ornamenta usque ad Forum Constantini: multæ enim statuæ in Lauso erant, inter quas Cedrinus excelluisse tradit statuam Lindiæ Minervæ, longam quatuor cubitos, ex lapide smaragdo factam, opus Scyllidis, & Dipœni statuariorum, quam olim Sesostris Ægypti Rex dono misit sapienti Cleobulo Lindio tyranno, a qua fortasse Lausus locus appellatus est. Nam nomen Minervæ Laossos Theophrastus tradit Ægyptiorum Commentariis reperiri, Regi eorum a Rege Babylonio missum smaragdum munere quatuor cubitorum longitudine, & trium latitudine. Si Sesostris Rex & Dipœnus & Scyllis eodem tempore fuissent, existimarem legendum in Codice Pliniano smaragdum Minervæ: at Dipœnus, & Scyllis in marmore sculpendo primi omnium claruerunt, geniti in Creta Insula, etiamnum Medis imperantibus, priusquam Cyrus in Persis regnare inciperet, hoc est, Olympiade circiter quinquagesima. Simulachra perfecerunt Apollinis, Dianæ, Herculis, Minervæ, quod ex cœlo postea tactum est. Dipœni quidem Ambratiam, Argon, Cleonem, operibus refertas fuisse tradit Plinius, at non meminit Minervæ Lindiæ. Præterea adjungit Cedrinus in Lauso statutam fuisse Venerem Cnidiam, omnium mortalium scriptis celebratam, ex marmore albo factam, nudam, manu tegentem solam corporis verecundam illam partem, Praxitelis opus; & Samiam Junonem opus Lysippi, & Bupali Chii, & Cupidinem alatum, sagittas habentem ex Myndo allatum, & Phidiæ elephantinum Jovem, quem Pericles posuit in templo Olympio; & Saturni existimatam statuam capitis posticam partem calvam habentem, anticam vero comatam opus Lysippi; & Monocerotes, & Tigrides, & Camelopardales, & Taurelephantos, & Vultures. In Codice Cedrini legitur *Taurelephas*; rectius legeretur *Taurelaphos*; id quod colligo ex Cosma Indopleute antiquo & nobili scriptore, qui ponit *Taurelaphos*, id est, tauros cervinos. Historia patria nuncupata incerti authoris ait etiam in Lauso fuisse suo tempore Aquilas lapideas, cui eatenus credo, qua dicit sua etiam ætate fuisse; sed qua aquilas, dubitare potius possum, sint ne illæ Aquilæ, quos Vultures appellat Cedrinus, quam pleraque ab eo tradita longe minus convenientia. Cedrinus scribit in partibus Lausi fuisse ædificia varia, & Xenodochia quædam, ubi esset illa celebrata Philoxenos, quæ hospitaliter suppeditabat aquam: quidam declarant Philoxenam cisternam fuisse conditam a Philoxeno: eam ipse existimo, quam Heraclium terra obruisse, positam inter Triclinium & Lausiacum, scribit Menander nominatus Protector, tradens Macedonium Regem plerasque cisternas purgasse, quas terra obruerat Heraclius Rex: quod si etiam purgavit illam positam inter Lausiacum & Triclinium, illa esse videtur, quæ in Abrami domus parte subterranea vergente ad Septentrionem visitur, cujus concameratio quadringentis & viginti quatuor columnis marmoreis sustinetur duplicatis, nempe ducentis & duodecim, supra se ducentas & duodecim columnas habentibus, quarum unam mensus sum, cui reliquas similes puto, & deprehendi perimetrum sex pedum & dodrantis esse. Altera cisterna est juxta latus ejusdem domus vergens ad Occasum, cujus fornices sustinentur triginta duabus columnis Corinthiis, in quatuor ordines dispositis, singulos constantes octo columnis, quarum scapi in ambitu continent duodecim dodrantes. Jam vero Triclinium, inter quod & Lausum diximus sitam esse Philoxenon cisternam, arbitror esse, quod Zonaras scribit Justinianum tertium ædificasse in regiis ædibus, idque a suo nomine Justinianæum appellasse. Tiberium Regem Cedrinus addit Chrysotriclinium a Justiniano tertio conditum ornatius reddidisse. Chrysotriclinii porta occidentalis illa fuit, cujus meminit Leo quintus, cum prædixit Andronico tyrannidem meditanti per portam Chrysotriclinii occidentalem Andronici caput in Hippodromo abscindendum ad se allatum iri. Chrysotriclinii crebra est mentio etiam apud scriptores, qui scripserunt paulo ante, quam Constantinopolis caperetur, tumque omnes cives Chrysotriclinii noverant nomen & locum, nunc nemo est, qui sciat, aut scire curet: ac potius negligat, & contemnat, ut cætera omnia, quæ pertinent ad disciplinas.

PETRI GYLLII
DE
TOPOGRAPHIA CONSTANTINOPOLEOS,
ET
DE ILLIUS ANTIQUITATIBUS,
LIBER TERTIUS.

CAP. I.

De locis Regionis quintæ, & secundi collis, de Navali, & portu nuncupato Bosporio, & de Strategio, & Foro Theodosiaco.



REGIONEM quintam fuisse in collis secundi latere vergente ad Septentriones, & in planitie attingente ejus radices, a dorso Promontorii, pariter, & conjuncte cum quarta Regione descendentem ad sinum Cornu nuncupatum, non percepissem ex antiqua Regionum Urbis descriptione, quamvis tradente non modicam partem suam in obliquioribus positam locis planitie excipiente productam fuisse. Nam ea descriptio aliis etiam Regionibus Urbis convenit, neque ex ejus ædificiis cognovissem, quæ traduntur in ipsa contenta fuisse, quorum nulla neque vestigia extant, neque hominum memoria. Sed ex portu Phosphorio, sive Bosporio nuncupato, atque ex scala Chalcedonensi mihi aliqua lux affulsit, quæ nomen non habet, ex eo, quod sita sit in ea Urbis parte, quæ vergit ad Chalcedonem & ortum Solis: non enim eo vergit, sed ad Septentriones. Sic Bosporius portus non a Bosporo freto, sed a consuetudine depravata Byzantiorum ipsum Bosporium vocantium immutatione literæ, cum debuissent eum appellare Phosphorium, Stephani & Eustathii testimonio, qui tradunt Phosphorium fuisse portum Byzantii, ex eo nomen adeptum, quod Philippo Macedone Byzantium obsidente, occultum ingressum cum milites effodissent, unde occulte ingressuri erant in urbem, Hecate Phosphoros præsens lumen nocte civibus attulerit, insidiasque detexerit. Itaque obsidione liberati Phosphorium locum illum nominarunt; sed ut lucem afferunt, cur Bosporius & Phosphorius idem portus vocetur, ita non declarant, situsne hic esset in parte Urbis vergente ad Meridiem, an ad Septentriones, an ad Orientem: sed ex scala Chalcedonensi, quam Regionum descriptio ponit in regione Bosporiani portus, existimare possumus fuisse in Septentrionalibus Urbis, non Orientalibus portubus, quamvis sitis contra Chalcedonem. Nam fluxus rapidus Bospori Freti navigationem a Chalcedone ad partes Constantinopoleos Orientales & Meridianas difficilem præbet, ad Septentrionales vero perfacilem, ut plane intelligunt, qui rapiditatem Bospori noverunt, & viderunt eos, qui exercent navigationem inter Chalcedonem & Byzantium, applicare naves ad Septentrionales Urbis partes, vel ab illis solvere. Adde huc antiquam Regionum descriptionem, quæ contra Chalcedonem nullam scalam ponit, ac si poneret, ejus mentionem faceret in prima, aut secunda Regionibus adversis Chalcedoni & Orienti, aut in tertia Regione exposita Meridiei, in

A qua Portum Novum positum ante diximus. Sed quid longa ratiocinatione opus est, cum nominatim, & breviter testimonia ex scriptorum monumentis proferre possumus, ex quibus plane perspicitur, portum Bosporium & scalam Chalcedonensem esse non modo in parte Urbis septentrionali, sed etiam in quo Septentrionis loco: e quibus primum profero Dionysium Byzantium, qui statim extra murum Byzantii antiqui ponit templum Telluris supra Sinum Bospori, & paulo supra ipsum templa paria Cereris & Proserpinæ, quam etsi Phosphoron non nominat, sed duntaxat κόρην, id est, *virginem* (sic enim Proserpina interdum nominatur) tamen illam intelligere possumus ex loci

B situ Hecaten fuisse, cujus tripodem Cedrinus ponit in Strategio, ubi verisimile videtur ex Dionysii Byzantii descriptione templum fuisse Proserpinæ, aut non longe ab Strategio. Sed clarius scribit Evagrius, cum ait regnante Leone in parte Urbis vergente ad Boream, in qua essent Neoria urbis, incendium extitisse, quod a Bosporio portu grassatum est usque ad antiquum Apollinis templum; in parte vero meridiana a portu Juliani ad templum Omonoæ, id est, Concordiæ; in parte Urbis media a Foro Constantini usque ad Taurum. Zonaras hoc incendium ait a mare septentrionali

C ad mare meridianum Urbem intercepisse, in longitudinem quidem a Bosporio ad templum divi Joannis Calybitæ; ex Meridie a templo divi Thomæ Apostoli, ad templum Sergii & Bacchi, in media Urbe a Lauso ad Taurum. Georgius Cedrinus tradit id incendium ortum a Neorio, hoc est, a Navali, perrexisse usque ad ædem Joannis Calybitæ; ex quibus cognosco Neorium & Bosporium vicina fuisse, quanquam ab antiqua Regionum descriptione Bosporius portus in quinta Regione, & Neorium in sexta ponantur. Nam cum hæc utraque Regio simul conjuncta a collis dorso ad mare

D descendat, nihil impedit, quin vicinus fuerit portus Bosporius Neorio; quod in qua Byzantii parte fuerit, aperte designat Zosimus jam Historicus antiquus, describens antiquum Byzantium, quod dicit fuisse in colle situm, occupans partem Isthmi, quem efficit Propontis, & sinus Ceras nuncupatus, Byzantiique murum addit per collem demissum fuisse a parte occidentali usque ad templum Veneris, & maris positi contra Chrysopolim; a parte boreali pari modo descendisse usque ad portum, quem vocant Neorion, quod prope portam, quam Græci appellant Oreiam, corrupte quasi Neorii portam, aut non longe ab ea fuisse existimo.

E Hodie inter mare & portam Oriam, quam Turci appellant *Siphont*, (*Tsiphout*,) id est, Judæorum eam accolentium, spatium latum velut Forum maritimum, cui adjunctam videre licet Scalam Chalcedonensem, sive Scutaricam, qua quotidie trajectus fit in Scutarieum, aut Scutaricum, olim Chrysopolim nuncupatam Emporium, & portum Chalcedonensium. Scalæ Chalcedonensi vicinus est trajectus in Galatam, olim Sycenus appellatus, quem antiqua descriptio vicinum ponit Neorio &

Boſporio, quorum ſitus paulululum immutatus eſt, ut horreorum ibi olim ſitorum, nunc in alium locum traductorum, ſive ob Regis clauſtrum longius promotum, ſive quia primum Neorium manufactum eſſet: deinde terra obrutum fuerit. Non enim eo tempore cum Philippus cuniculos egit veriſimile eſt portum fuiſſe, quem poſtea Byzantii Phoſphorion appellarunt: nam impeditus fuiſſet ſcaturigine aquarum, ſed deinde locum appellatum Phoſporium portum manufactum fuiſſe, ut quidam tradunt de Neorio, quod dicunt clauſum a Conſtante, in eoque fuiſſe forum rerum maritimarum, deinde regnante Juſtino translatum fuiſſe in portum Juliani; alii ſcribunt Leontium Imperatorem, qui regnavit poſt Juſtinum, purgaſſe portum Neorium: alii addunt in lacu Neorii Bovem æreum ſtatutum fuiſſe ingentem, Bovi æreo in undecima Regione ſito ſimilem, quem recentes ſcriptores tradunt ſemel in anno mugire, tumque Urbi accidere detrimenta: quod commentitium puto & ſubreptum ex Callimacho & Pindaro, ſcribentibus Rhodium montem eſſe nomine Atabyrium, habentem æreos boves, qui mugitum emittere ſolebant impendente Rhodo calamitate. Ex quibus liquet Neorium fuiſſe manufactum, quod nunc non extat. Jam igitur Boſporiano Portu, & Scala Chalcedonenſi cognitis, cognoſcimus quintam Regionem fuiſſe in collis ſecundi latere, atque in ſubjecta ſub ipſum planitie, ibidemque fuiſſe thermas Honorianas, Prytaneum, thermas Eudoxianas, horrea Valentiniana, horrea Conſtantiaca, Thebæum Obeliſcum, portum Boſporianum, Scalam Chalcedonenſem, ciſternam Theodoſiacam, Strategium, in quo fuit Forum Theodoſiacum. Qui deſcribunt antiqui Byzantii ambitum, dicunt ejus muros incepiſſe ab Acropoli, & perrexiſſe ad Eugenii turrim, inde aſcendiſſe uſque ad Strategium, & Achillis balneum, cujus meminit Juſtinianus in ſuis Conſtitutionibus de aquæductibus, cum inquit: Plumbeas fiſtulas ducentes aquam ad thermas, quæ Achilleæ nominantur, quas providentiæ tuæ magnificentia factas fuiſſe cognovimus, eandem formam ſervare cenſemus, quam Theodoſius & Valentinianus conſtituerunt, item memoratas fiſtulas thermis tantum, & Nymphæis, quibus eminentia tua deputaverit, volumus inſervire facultate præbenda tuæ ſublimitatis apparitoribus circumeundi ſine formidine domos, & ſuburbana balnea, ad inquirendum ne qua deceptio, vel ſuppreſſio ſit contra publicam utilitatem. Initio dixi ex Socratis *Hiſtoria*, Conſtantinum Magnum Conſtantinopolim ſecundam Romam habendam eſſe lege ſanxiſſe, quæ in columna inciſa publica eſt, quam in nuncupato Strategio ſtatuit prope ſuam ſtatuam equeſtrem. Ex antiqua Regionum deſcriptione Urbis triplex Forum a Theodoſio nominatum reperio; primum in Quinta Regione Theodoſiacum nominatum, quod fuiſſe in Strategio dixi; alterum in ſexta Regione, quod Theodoſii appellat; tertium in duodecima, quod Theodoſiacum nominat. Duo hæc poſtrema rerum venalium fuiſſe infra monſtrabo, primum Prætorium Forum conjicere poſſumus ex ipſa Regionum deſcriptione, tradente id fuiſſe in Strategio, quod Latini Prætorium appellant, quod poſtea etiam a Græcis appellatum eſt Prætorium, ob diverſa Fora. Mihi veriſimilius videtur, quam certo ſciam, an hoc Theodoſiacum Forum ſit illud magnum Prætorium, quod pulchrius effectum a Juſtino Rege & Domnini opera intelligitur ex verſibus Pauli Silentiarii, quos ſubjungam, ut clarius liqueat Prætorium Græcis uſitatum fuiſſe, ut alia pleraque Latina:

Παύλυ Σιλεντιαρίυ εἰς τὸ μέγα
Πραιτώϱιον καλλοπιϑέν.
Κόσμον Ιυςῖνος βασιλεὺς ῥυπόωντα καϑήρας,
Καὶ τὰ μέγιςα Δίκης ἠγλάϊσεν τεμένη.
Σοῖς δὲ πόνοις Δομνῖνε κατηφέα νήκτα διώκεις
Εκ Θέμιδος μεγάρων, ἐκ βιοτῆς μερόπων.

CAP. II.

De Regione ſexta, & de reliquis ædificiis antiquis ſecundi collis.

REGIONEM ſextam fuiſſe in parte Urbis ſeptentrionali, potius quam meridiana, non noviſſem ex columna Conſtantini in hunc diem extante, neque ex Conſtantini Foro, neque ex antiqua deſcriptione, quamvis tradente Columnam Purpuream Conſtantini, quamvis deſcribente Regionem ſextam brevi peractam planitie, reliquam in devexo conſtitiſſe: niſi addidiſſet a Foro Conſtantini Scalam uſque, ſive Trajectum uſque Sycenum porrectam fuiſſe. Sycenus Trajectus appellatus fuit a Syca olim nominata, quæ nunc Galata, ſive Pera appellatur, ut plenius declarabo in Regione decimatertia. Sextam Regionem conjunctam fuiſſe cum Quinta paulo ante ſignificavi ex vicinitate Neorii, Scalæque Chalcedonenſis, & trajectus Syceni, & Boſporiani portus. Cognita igitur Syca, aſſequor juxta planitiem maritimam ſubjectam ſub ſecundi collis radices fuiſſe Neorium, trajectumque Sycenum ſitum fuiſſe, ubi hodie trajectus eſt Galatinus, columnamque purpuream nunc extantem eſſe illam, quam antiqua deſcriptio in ſexta Regione tradit fuiſſe: ſed quam prope columnam, & Forum Conſtantini Senatus fuerit, ex ſextæ Regionis deſcriptione, quamvis Senatum continente, intelligere non poſſum. Verum paulo infra ex aliis ſcriptoribus Senatum oſtendam fuiſſe in Fori Conſtantiniani parte vergente ad Boream. Denique Regionem hanc partim fuiſſe in ſecundi collis dorſo, in quo Columna Purpurea hodie viſitur & Forum Gallinarium, quod nunc Turci appellant *Taubaſar*, *(Taouch baſar)* officinæque telas tingentium, & domus Ænobarbi præfecti Claſſi Turcicæ, & templum Ali Baſſæ, partim in ſecunda valle, ejuſque latere dextro, partim in planitie littorali ſubjecta ſub hanc vallem, & radices ſecundi collis, quæ a frequentiſſimis habitatur Judæis.

CAP. III.

De Columna Purpurea, & Foro Conſtantini, & Palladio.

QUI a Magno Conſtantino res geſtas conſcripſerunt, tradunt illum Columnam Porphyreticam cycloterem, hoc eſt, teretem, & circulis laureatis cinctam (quam Regionum Urbis deſcriptio appellat Purpuream) ab Urbe Roma, ut fama eſt, advectam, ſtatuiſſe in Foro nuncupato Placoto, ex eo, quod planis & latis lapidibus, quos Græci *placas* appellant, conſtratum eſſet, & ſimul ſupra hanc Columnam collocaſſe ſtatuam ex ære factam admirabilem, ſive propter artem, ſive ob prægrandem magnitudinem. Antiquo enim opere, ſummoque artificio perfecta erat, ut ſpirare videretur, quam dicunt olim, Apollinis Iliaci fuiſſe imaginem, eamque divinum Imperatorem ſuo nomini dedicaſſe, ejuſque capiti nonnullos clavos eorum impoſuiſſe, qui corpus Domini affixiſſent ſalutari Cruci, atque in hac ſtatua ſcalpenda curaſſe hæc verba:

Σὺ Κύριε, κόσμου κοίρανος καὶ δεσπότης,
Σοὶ νῦν προσῆξα τήν δε συνδούλην πόλιν,
Καὶ σκῆπτρα τάδε, καὶ τὸ τῆς Ῥώμης κράτος.
Φύλαττε ταύτην, σῶζέ τε ἐκ πάσης βλάβης.

Cedrinus adjungit ſub Columnam duodecim cophinos illos literis ſacris illuſtres ſubjeciſſe. Hæc Columna Porphyretica non gradibus pervia eſt, ſed ſolida. Itaque falſo tradit Fulvius antiquarius cochlidem eſſe. Zonaras ſcribit etiamnum in ſuam ætatem ſtatuam Conſtantini extitiſſe ſupra columnam, regnanteque Alexio Comneno verno tempore, cum alia permulta cecidiſſe vento vehementiſſimo perflante, tum Conſtantini Magni ſtatuam ſupra Columnam Porphyreticam collocatam detractam, & peſſundatam, diffractamque in multa fruſta multos obvios intereniſſe. Scriptor rerum geſtarum ab Alexio Comneno addit fulmine non modo ſtatuam dirutam, ſed etiam tres zonas columnæ dejectas fuiſſe, quænam hæ zonæ fuerint, intelligitur ex his, quæ mox adjungam. Hæc quidem Columna etiam nunc extat in culmine ſecundi collis, aliquantum quidem diminuta, non tam vetuſtate, quæ vetuſtiſſima eſt, quam incendiis & terræmotibus ventorum turbinibus: non enim jam habet ullam ſtatuam, imo etiam tribus zonis, ſive ſpondylis ſupremis, ſive circulis (ob quos Hiſtorici cycloterem columnam hanc dicunt quaſi circulis diſtinctam) privata fuit turbine ventorum temporibus Alexii Comneni; locoque ſpondylorum aucta fuit acceſſione ſtructuræ ſuperædificatæ teretis, ejuſdem craſſitudinis, & æqualis reliquo ſcapo, cujus ſupra excelſum ſtylobatem marmoreum quadratum quoquoverſus latum undecim pedes & dodrantem, altum duodeviginti pedes ſtatuta eſt ſpira Dorica marmoris porphyretici conſtans plintho, toro inferiore & ſuperiore, & intermedia ſcotia: ſupra ſpiram ſcapus Columnæ, perimetrum habens pedum circiter triginta trium ſtructilis: non enim ex uno lapide ſcapus conſtat, ſed ex octo lapidibus velut ſpondylis, quorum ſinguli una corona, ſeu zona, ſeu toro, ſeu nodo laureato cinguntur juxta commiſſuram lapidum, quæ nulla apparebat cum integra erat, tecta nodis eminentibus: ita enim nodi intertexti laurinis foliis & baccis ſinguli ſcalpti in ſumma parte ſingulorum lapidum, ſeu ſpondylorum eminenter expreſſi ſunt, ut commiſſura videri nequiret: ac ſi nulla ex parte læſa eſſet, uno ex lapide facta videretur non modo vulgo, ſed etiam quibuſdam Hiſtoricis, qui falſo prodiderunt eam Columnam ex uno lapide factam eſſe, atque adeo irrident eos, qui non credunt eſſe unius lapidis, ut idiotas deceptos zonis æreis, quibus tum cingebatur & ſpondylis ornatus cauſa, ut ipſi ajunt, additis. Nunc zonas æreas non habet, ſed aliquot ferreos circulos aſtringentes Columnam partim incendiis corruptam. Loco zonarum dejectarum turbine ventorum ſuperædificatus eſt ſpondylus ex multis lapidibus, in quo ſummo eſt Græca inſcriptio nomen Regis illius continens, qui poſt caſum ſtatuæ Conſtantinianæ ſupremum ſpondylum ſtructilem ſuperimpoſuit. Hujus Columnæ ſimilitudinem gerebant columnæ, quas deſcribit Athenæus in hanc ſententiam: In Ægypto excitatas fuiſſe columnas teretes, & rotundas, variis ſpondylis conſtantes, aliis nigris, aliis albis, alternatim ſitis, earumque capitula ſimiliter rotunda extitiſſe, quæ ambiret ſcalptura univerſa ſimilis roſis paululum apertis: calathum nuncupatum non elices (quemadmodum in Græcanicis operibus) neque folia aſpera circumdant, ſed lotorum, & palmarum recenter natarum fructus, atque interdum plurimorum florum genera ſcalpta ſunt: hoc vero ſub radice ciborium, quod eminet ſupra ſpondylum ad commiſ-

A ſuram capituli floribus & foliis diſtinctum ſimilem diſpoſitionem habet. Ita Ægyptii columnas conficiunt, parieteſque albis, & nigris lateribus alternatim ſitis conſtruunt. Hanc Athenæi rationem adhuc Ægyptios, Syros, Perſas ſervare vidi, parietes alternis ordinibus colorum conſtruentes, divites quidem, lapidibus, aut laterculis naturaliter variis; mediocres arte & pictura variatis. Has zonas dicunt quidam ſcalptas fuiſſe ad præſagiendam bonam præſignificationem annorum Conſtantini, ſeu victoriarum multitudinem. Equidem ipſe potius arbitror eſſe deſignatrices coronarum laurearum, quibus Apollo delectatur; hancque columnam antiquam Coloſſæi Apollinis ſuſti-
B nuiſſe ſtatuam, quam Conſtantinus, Apolliniſque ſtatuam ſibi attribuit, ſive ſemper victori, ſive quod Apolline delectaretur, ut cum cæterorum ſtatuas deorum everteret, Delphici Apollinis ſtatuam, & tripodem in Hippodromo ſtatuerit: id quod ſignificat Rhetor ille Belga, qui dixit Panegyricum Conſtantino, cum inquit, *ubi Conſtantine deflexiſſes ad Apollinis templum toto orbe pulcherrimum, vidiſti, credo, Apollinem tuum coronas tibi offerentem, quæ tricenum ſingulæ ferunt omen annorum: hic eſt humanarum numerus ætatum, quæ tibi utique debent ultra Pyliam ſenectutem, & imo, quod*
C *credo, vidiſti, teque in illius ſpecie recognoviſti, cui totius mundi regnum deberi vatum carmina cecinerunt. Quod ego nunc demum arbitror contigiſſe, cum tu ſis, ut ille juvenis & lætus, & ſalutifer, & pulcherrimus Imperator.* Si Turcus, quem appoſueram, ut conſcenſa baſi metiretur, quæ ipſe deſignaveram, & præſens diſſimulanter reſpiciebam, recte perticam tenuit, qua metiebatur, ſpondylum imum deprehendi ex nota perticæ, quam ille inciderat, ſpondylum altum eſſe novem pedes & quatuor digitos, tori vero latitudinem ſeſquipedalem, ejuſque expreſſionem extra ſpondylum projectam eſſe ſex digitos: torum voco ejus calcaneum. Itaque ſinguli lapides, quos ſpondylos nominavi, alti decem pedes & dodrantem. Eſt igitur altitudo octo ſpondylorum circiter octoginta ſex pedum & dodrantis: adde ſuperſtructum ſpondylum cum Abaco; adde ſpiram, & ſtylobatem, & gradus quatuor ſub ſtylobatem ſubjectos marmoreos, quorum imus altus a terra pedem & ſex digitos, ſecundus tantundem, tertius ſeſquipedem, quartus tantundem. Hujus Columnæ, ſeu potius Coloſſi, cum ſuſtineret ingentem illam ſtatuam Conſtantini, locus, quo nomine appellaretur olim, ex ante ſcriptis nondum plane cognoſci poteſt:
E nam Placotum Forum, in quo Zonaras & alii recentes Hiſtorici docent ſitam illam fuiſſe, cum non meminerit Procopius, neque quiſquam illorum temporum, dubitabam primum num eſſet Forum Conſtantini, etſi mihi veriſimile videbatur Conſtantinum ſuam Columnam ſtatuiſſe in ſuo Foro, ut Trajanus ſuam Cochlidem ſtatuerat in Foro ſui nominis. Sed quam mox Socrates diſſenſionum Chriſtianarum hiſtoricus me admonuit Forum Placotum eſſe Forum Conſtantini, tradens Arium cum prope Forum Conſtantini, in quo Columna purpurea locata eſſet, acceſſiſſet, vehementi alvi
F dejectione periiſſe: ſed clarius liquet Placotum fuiſſe, quod olim appellaretur Forum Conſtantini, ex Palladio Minervæ, quod Zonaras tradit a Troja Conſtantinum tranſtuliſſe in Forum Lacotum (Placotum;) Procopius in Forum Conſtantini: *Maleventi*, inquit, *ferunt Diomedem conveniſſe Æneam ex Ilio venientem, eique ex divino reſponſo dediſſe ſimulacrum Minervæ, quod ipſe quondam Ulyſſe auxiliante ab Troja abſtuliſſet, cum ambo ab explorandum eo profecti fuiſſent, quam a Græcis Ilium caperetur.* Præterea huc adjungunt, Diomedi ægrotanti, & ſci-

scitanti de ægritudinis eventu, prædictum fuisse ex oraculo, non prius illum a morbo liberatum iri, quam viro Trojano id simulacrum tradidisset. Ubi tamen illud esset, Romani se scire negant, imaginem duntaxat ex lapide scalptam monstrant, quæ in hoc tempus in templo Fortunæ ante Minervæ statuam collocata est, in ea quidem templi parte, quæ spectat ad Orientem. Illa quidem imago, quam dixi ex lapide scalptam, gerit præliantis similitudinem, vibrantisque velut in acie hastam, habens vestem oblongam, cujus facies non similis est simulacro Minervæ, quale insculpitur a Græcis, sed ab Ægyptiis. Byzantini asserunt Constantinum in Foro sui nominis hanc statuam posuisse sub terra defossam: ex quibus Zonaræ & Procopii verbis patet Forum Placotum & Constantinianum Forum idem esse. Cujus quidem cognitio non negligenda, sine qua Urbis Regiones quatuor, Urbisque incendia perspicue cognosci non possunt: nam Tertia continet Tribunal Fori Constantini: Sexta a Foro Constantini usque ad Scalam Sycenam porrigitur, continens Columnam Constantini: Septima a parte dextra Columnæ Constantini usque ad Forum Theodosii continuis extenditur porticibus: Octava continet partem Fori Constantini. Incendia excitata sub Justiniano & Basilisco, usque ad Forum Constantini grassata sunt; sub Leone a Foro Constantini usque ad Taurum incendio ædificia conflagrarunt.

Jam vero memor quorundam curiosorum, quibus a me aliquando percontantibus, unde Constantinus Palladium illud adeptus fuisset, respondi mihi dubium videri. Nam quod Zonaras tradit a Troja, quomodo potuit tot ante seculis deleto Ilio, ut etiam Strabo ipse sedem multis cartis investigare conetur? Quid quod sublatum a Diomede & Ulysse? nam ab antiqua Roma tollere qui potuit toties incensa? præsertim Romanis ipsis ignorantibus, ut ait Procopius, ubi illud esset. Scriptores tamen Latini tradunt a Diomede datum Æneæ, servatum fuisse Lavinii, postea translatum Romam asservatum fuisse in æde Vestæ. At Græci aliter tradunt, inter quos Pausanias tempore Adriani scribit in arce Minervæ illud fuisse Athenis omnium sanctissimum, quod jam inde ab initio de communi omnium curiarum consilio dedicatum esset in Acripoli delapsum de cœlo. Quale autem id fuerit, ligneum ne, an æneum, signum an scutum, controversum est. Quidam scribunt fuisse scutum, ut Romæ ancilia: aliter sentiunt Dion & Diodorus, qui scribunt fuisse signum ligneum & tricubitale, cœlo lapsum in Pessinunte urbe Phrygiæ, dextra tenens hastam, læva colum & fusum: verisimilius est fuisse simulacrum ex nomine Palladis, cujus statua ubicunque fuerit, appellatur Palladium. Procopius testatur statuam Minervæ, quam Romani demonstrant in æde Minervæ, non esse qualem Græci scalpunt: illam enim dicit lapidem esse gerentem imaginem præliantis, & hastam vibrantis: sed & etiam Græci dicunt ejus statuam hastam tenere, ob robur similiter & clypeum; ex eo, quod sapientia omnes insidias repellit: galeatam esse, propterea quod sapientiæ fastigium est invisibile: oleam gerere, quæ est materia lucis: & Gorgonem in pectore habere, ob mentis celeritatem. Minerva in sua Ægide habuit ad pectus pictam Noctuam, & Gorgonem, Noctuam quidem profunditatem indicans consiliorum: omne enim tenebrosum prudentia intelligit, & absconditum.

Sed plura de Palladio quam necesse sit præsenti instituto dixi, idque fortasse ut Palladii notas velut tesseram darem, admoneremque eos, qui post me inter Barbaros peregrinari volent, primum accedant Constantinopolim, Palladiumque a Constantino sub terra defossum effodiant, ut eo armati insidias, ærumnas, incredibilia discrimina repellere queant. Quod ipse oblitus effodere, mecumque ferre, incidi in omnia pericula: quo si munitus fuissem, ut cæteras insidias evitassem, ita admissus fuissem in arcem Minervæ, a qua me Turci rejecerunt, cum versatus essem Athenis, cupiens propius spectare templum Minervæ, etiam nunc extans Dorico opere confectum, peristylio circumdatum quadraginta octo columnarum. Sed extra jocum, Minerva illa divinitus de cœlo delapsa, quæ existimatur Sapientia Patris, prorsus non carui, quæ me non modo in sua æde Sophia nuncupata semel periclitantem, sed sæpissime procul apud barbaras gentes abjectum, funditus perditum excitavit, erexit, recreavit.

CAP. IV.

De Senatu & Nymphæo, statuis Fori Constantiniani, Philadelphio, Musæo, de Labaro & Suparis, de morte Arii, & de Templis Telluris, Cereris, Persephonæ, Junonis, Plutonis.

ANTIQUA descriptio in eadem Regione ponit Columnam purpuream, Senatum, atque in Quinta Nymphæum. Quam autem hæc ipsa propinqua inter se sita essent, non explicat: sed proxima inter se illa fuisse non aliunde cognoscere potui, quam ex incendio excitato regnante Leone Verinæ marito, quo deflagrasse Zonaras & Cedrinus narrant, in Fori Constantiniani parte ad Boream vergente domum maximam nuncupatam Senatum, æneis statuis, & lapidibus porphyreticis ornatam, in qua fuit porta Dianæ Ephesiæ, Trajani donum, de manubiis Scytharum continens Gigantum pugnas, Jovis fulmina, Neptunum cum tridente, Apollinem cum sagittis, in parte portæ infera Gigantes in dracones impetum facientes, manibus glebas jactantes, oculis truculentis suspicientes. In hanc domum Senatus, principesque cives convenientes consilia capiebant, dabantque; atque eandem Rex ipse adibat, cum vestem consularem capiebat. Opus præclarum & persplendidum. Tum eodem incendio iidem illi testantur consumptam fuisse alteram domum sitam e regione Senatus, appellatam Nymphæum, ex eo, quod in ea domo nuptias hi celebrarent, qui domos non haberent capaces multitudinis. Iidem dicunt etiam in hujus Fori parte occidentali statuam fuisse Minervæ Lindiæ, quæ gerebat galeam, habebatque Gorgonium monstrum, & collum circumplicatum serpentibus: sic enim Minervæ simulacrum Antiqui consignant. Fuisse etiam in parte Fori orientali Cedrinus tradit Amphitriten, unam ex Sirenibus, habentem forcipes cancri in capitis temporibus. Ignotus scriptor asserit in eadem parte Fori Sirenas fuisse, quas quidam appellarent equos marinos: earum treis etiam sua ætate extitisse ad divi Mamantis locum suburbanum. In Fori Constantiniani parte vergente ad Boream fuisse Crucem illam pergrandem a Constantino excitatam supra columnam excelsam, quam viderat in cœlo, cum omnes testantur, tum Eusebius, etsi nominatim non dicit in Foro, tamen in media Urbe regia cum illum excitasse testatur (in) Roma antiqua, par est eum eam etiam in media nova Roma eandem constituisse, cum idem testetur in omnibus regiis ædibus, atque aliis insignibus locis Constantinopoleos ipsam statuisse, qualem viderat in cœlo: in cujus symbolum Sozomenus Salaminius scribit

Constantinum transmutasse nuncupatum a Romanis Labarum insigne bellicum omnium honoratissimum, quod Regem antecedere, & a militibus adorandum esse lege sancitum erat: quod Romani imperii signum nobilissimum Constantinum arbitror præcipue in Christi signum commutasse, ut consueto aspectu & cultu dessuescerent a ritibus patriis subditi, de quo Prudentius:

Christus purpureum, gemmanti textus in auro,
Signabat Labarum, clypeorum insignia Christus
Scripserat: ardebat summis Crux addita cristis.

Quod Eusebius æqualis temporum Constantini testatur se suis oculis vidisse in hanc formam confectum: *Procera*, inquit, *hasta cornu habebat transversum in crucis formam facta, in cujus suprema parte corona ex lapidibus pretiosis, auroque affabre facta erat, in qua salutaris nominis nota Christi nomen duabus primis literis designabat, quas coronæ circulus complectebatur, in quo medio* P. *littera designabat figuram illam, quæ* Chiasmos *Græce appellatur: ex cornu transverso quod secabat hastam, velum appensum erat.* Ex qua quidem Eusebii descriptione quid sit Labarum intelligere licet: quid Syparum (quod Labari partem esse, quam Eusebius dicit velum appensum ex cornu Crucis transverso) ex Tertulliano colligere licet, qui longe ante Eusebium & Constantinum Labarum expressit Crucis similitudinem gerere in hanc sententiam: *Qui Crucis nos religiosos putat, consacraneus noster erit, cum lignum aliquod propitiatur, viderit habitus, cum materiæ qualitas sit eadem, viderit forma, dum ipsum Dei corpus sit, & tamen quanto distinguitur a Crucis stipite Pallas Attica, & Ceres farrea, quæ sine effigie rudi palo, & informi ligno præstat. Pars Crucis est omne robur, quod erecta statione defigitur. Nos sic forte integrum, & totum Deo colimus. Sed & Victorias adoratis, cum in trophæis Crucis intestina sint trophæorum. Religio Romanorum tota castrensis, signa veneratur, signa jurat, omnibus diis præponit: omnes illi imaginum suggestus insignes, monilia crucium sunt, Sypara illa vexillorum, & Labarorum, stolæ Crucium sunt. Laudo diligentiam, noluistis nudas & incultas Cruces consecrare.* Arnobius sive Minutius Felix eadem tradit: *Cruces*, inquit, *nec colimus, nec optamus: vos plane, qui ligneos deos consecratis, Cruces ligneas, ut deorum vestrorum partes forsitan adoratis: nam & signa ipsa & Labara vexilla castrorum, quid aliud, quam inauratæ Cruces sunt, & ornatæ? Trophæa vestra victricia non tantum simplicis Crucis faciem, verum & affixi hominis imitantur.* Ex quibus patet Sypara esse vela, quæ appensa erant ex Labaris, hoc est, ex insignibus militaribus & trophæis, quæ insculpta Romæ in fornicibus Imperatorum etiam Labara appellare possumus, & vexilla insculpta cum alibi, tum in Cochlide Trajani quadrata, ut navium vela, Sypara appellare possumus. Denique omnia insignia Romanæ militiæ, omniaque trophæa, quæ sculpta Romæ videntur, Crucis similitudinem gerunt. Seneca significat Sypara, sive Supara esse velum insigne navium Alexandrinarum, quibus solis licebat Suparum intendere, quod in alto non omnes naves habent. Lucanus Supara velorum dixit, alias Suparum, sive Syparum vestimentum puellarum est lineum, de quo Affranius:

Puella non sum, si Suparo inducta non sum.

Prætereo quod ad hoc institutum non pertinet Festum & Donatum scribentes Syparium scenicum esse velum, quo Mimi Scenicique artifices utebantur ad scenam velandam, quod populo obsistebat, & hæc Syparia post aulæis ætas posterior usurpavit, de quo intellexit Satyricus Poeta:

Consumptis opibus, vocem Damasippe locasti
Sypario.

Apulejus ait, Aulæo subducto, & complicitis Sypariis scena disponitur. Seneca nuncupat verba, & cothurno, & Sypariis fortiora, quæ grandia sunt, & supra sublimitatem tragicam extolluntur. Unde nos etiam appellare possumus Sypara crucium & velorum ob eorum excelsam sublimitatem.

Jure quispiam me jam dicet egredi paulo longius extra institutum; fateor. Sed quid faciam, nisi paululum respirem, coactus in tantas angustias ruinarum novæ Romæ? Ex qua etiam cum floreret, cives liberi cœlum suspicere non poterant ob illius angustias. Ego vero peregrinus quid videre possum, ubi nemo indigena quicquam mihi monstrare potuit. Itaque vel argumenti exilitate augenda, vel respirandi causa respondebo his, qui Crucem in cœlo visam a Constantino, putant a Monachis introductam. Nullum miraculum extare mihi videtur in monumentis literarum pluribus testimoniis probatum oculatis, quod Eusebius illorum temporum æqualis tradit non modo visum a Constantino, sed etiam a toto exercitu in ipsa die media: quod non modo Christiani homines illius ætatis, sed etiam dubii (quamvis Crucem detestarentur) professi sunt. Tanta fuit hujus rei fama, ut Romani testentur in arcu triumphali (quem Constantino dedicarunt) instinctu divinitatis vicisse Maxentium, etsi modo Maxentiani, & parum religioni Christianæ conciliati; adeo ut in arcu Constantini non immutarint in eam Crucis figuram, in quam immutaverat Constantinus: sed talia insculpenda curarint, qualia Trajanus, Severus, reliquique Imperatores gestasse videntur ex antiquis monumentis etiamnum Romæ extantibus. Nazarium Christianum fuisse, ex ejus filia Euphemia, virgine Christiana, suspicor magis, quam ex *Panegyrico* perspicio, quem dixit Constantino, ubi ait: *In ore omnium Galliarum visos esse, qui se divinitus missos præ se ferrent, & quamvis cœlestia sub oculis hominum venire non soleant, quod crassam & caligantem aciem simplex, & inconcreta substantia naturæ tenuis eludat: illi tamen*, inquit, *auxiliatores tui, aspici, viderique patientes, ubi meritum tuum testificati sunt, mortalis visus contagium refugerunt. Sed quænam illa fuisse dicitur species? qui vigor corporis, quæ amplitudo membrorum? quæ alacritas voluntatum? flagrabant verendum nescio quid, umbone corusci, & cœlestium armorum lux terribilis ardebat: tales enim venerant, ut tui crederentur. Hæc ipsorum sermocinatio, hoc inter audientes ferebant: Constantinum petimus, Constantino imus auxilio. Habent profecto & divina jactantiam, & cœlestia quoque tangit ambitio: illi cœlo lapsi, illi divinitus missi, gloriabantur, quod tibi militabant.* Omitto cætera pleraque. Quidam scribunt locum, in quo erexit hanc grandem Crucem supra columnam auratam fuisse in Philadelphio, collegio eorum, qui Musis studerent, quod fuisse prope Columnam purpuream, ostendit Epigramma id inscriptum:

Ἐν τῷ πορφυρῷ Κίονι εἰς
τὸ Φιλαδέλφιον.

Εὔνυς μὲν βασιλεῖ Μυσήλιος, ἔργα βοῶσι
Δημόσια· θεναρὴν πράγματα πίστιν ἔχει.
Μυσεῖον Ῥώμῃ δ' ἐχαρίσατο, καὶ βασιλῆος
Εἰκόνα θεσπεσίην ἐντὸς ἔγραψε δόμων.

Et Aliud:

Τιμὴν μυσοπόλοις πόλεος χάειν ἐλπιδα κυειῶν,

Οπλα δὲ ταῖς ἀρεταῖς, χρήματα τοῖς ἀγαθοῖς.

Et Aliud:

Ταῦτα λόγοις ἀνέθηκεν ἑκὼν Μυσήλιος ἔργα.
Πισδίων καθαρῶς ὡς θεός ἐςι λόγος.

Julianus præfectus Urbis ante Muſarum domum Anaſtaſii ſtatuam auream poſuit, nobilitatam verſibus geminis, quibus etſi ingenioſis, & cultis, tamen in qua parte Urbis illa domus fuerit, non intelligitur. Cum Manueli Regi denuntiatum eſſet in Fori Conſtantiniani parte occidentali ſupra fornicem, jam inde ab antiquis temporibus ſtare muliebres ſtatuas ex ære factas, unam Romæam, alteram Ungaram, ac Romanam a ſua baſe excedentem propendere, Ungaram ſtare rectam in ſua ſede: Regem ea denuntiatione permotum, miſiſſe fabros, qui erigerent Romæam, & demolirentur Ungaram: exiſtimantem ſtatuarum mutatione Romæas res mutari, extollique. In eodem foro cum aliorum inſignium virorum ſtatuæ erant, tum Longini Præfecti urbis, in quem Arabius Scolaſticus inſcripſit hos verſus:

Νεῖλος, Περσὶς, Ιβηρ, Σόλυμοι, Εὔσις, Αρμενὶς, Ινδοι,
Καὶ Κόλχοι, σκοπέλων ἐγγύθι Καυκασίων,
Καὶ πεδία ζείοντα πολυασπερέων Αγαρηνῶν
Λογγίνυ ταχινῶν μάρτυρες εἰσὶ πόνων.
Ως δὲ ταχὺς βασιλῆι διάκτορος ἦεν ὁδοίων,
Καὶ ταχὺς εἰρήνην ὤπασε κλθομένην.

Prætereo Themiſtium Philoſophum (quem Conſtantinopoli præfecerat Valentinianus & Valens ſuis ſcriptis nobiliorem, quam ſtatua ulla, Urbiſque præfectura) prope forum Conſtantini. Socrates narrat Arium illum Arianæ ſectæ principem periiſse. *Arius*, inquit, *cum eſſet Conſtantinum Magnum allocutus, ex aula regia egreſſus, ſtipatus Euſebii ſatellitibus, per mediam urbem circumſpectatus incedebat: poſtquam prope Forum Conſtantini veniſſet, ubi purpurea Columna extat, metu quodam conſcientiæ animi ſui ſic perterrefactus eſt, ut valde alvi dejectione commoveretur: ac cum percuntatus eſſet, ubinam prope ſeceſſus eſſet, didiciſſetque pone Forum Conſtantini ſeceſſum, eo acceſſit: animi defectio hominem urget, ac ſimul cum vehementi alvi dejectione inteſtinum excidit, & ſanguinis copia ſequitur, & ſimul cum ſanguine tenuia inteſtina, & jecur, & lien: ibique ſubita morte periit.* Socrates adjungit hunc ſeceſſum ſua ætate monſtrari pone Forum Conſtantini, & macelli in porticu: jam vero eorum, quæ traduntur fuiſſe in Foro Conſtantini, excepta porphyretica Columna nihil extat; ne Forum quidem, nempe totum exædificatum, adeo ut Columnæ porphyreticæ aſtructum ſit Xenodochium, & prope ædes Religionis Mametanæ ab Ali Baſſa ædificata. Cujus veſtibulum bene amplum marmoreum ſex columnis luculentis ornatum eſt, quatuor quidem marmoris albi, duabus vero Thebaici, quarum imus ſcapus habet perimetrum ſeptem pedum & quatuor digitorum: quæ etſi bene proceræ ſunt, tamen habent binas baſes, inferiorem marmoream, ſuperiorem æream, ut habere ſolent pleræque Turcorum, qui hoc didicerunt (ut pleraque) a Græcis ſolitis columnas augere ſpiris æreis. Prope hanc ædem via duntaxat intermedia Schola eſt profitentium Mametanam theologiam, ubi eſt atrium quadratum circumdatum porticu ſuſtentata duodeviginti columnis, partim viridibus, partim albis. Paulo infra Ali Baſſæ ædem eſt altera ædes religionis Turcicæ, poſita in ſupercilio vallis ſecundæ, quæ veſtibulum marmoreum habet ſex columnis nitens, quarum duo ſunt marmoris pyropœcili, duæ albi, undis glaucis varii, duæ mar-

A moris miſti obſcure virentis, & maculis albis diſtincti.

Ex his, quæ ante ſcripſi fuiſſe in ſecundo colle, explorata eſt pars Regionis tertiæ, in qua Tribunal Fori Conſtantini conſiſtebat, & tota fere Regio quinta & ſexta. Præterea in ſecundi collis partim clivis, partim in planitie littorali ſub ipſum ſubjecta, Dionyſius Byzantius ponit ædes Telluris, Cereris, Proſerpinæ, Junonis, Plutonis. Telluris quidem ſupra ſinum extra mœnia antiqui Byzantii templum non tectum (deſignans antiquæ Telluris vim liberam) clauſum parietibus lapide expolito conſtructis. Supra Telluris templum
B ait fuiſſe Cereris, & Proſerpinæ templa paria, in eiſque picturas copioſas, prioris ſeculi inſignes reliquias, ſtatuaſque exactæ artis non inferiores, ſumma arte elaboratas: ad exitum ſive abſceſſum maris fuiſſe duo templa Junonis, & Plutonis; eorumque nihil ſuperfuiſſe ſua ætate, niſi nomina, Junonis quidem Perſas combuſſiſſe in expeditione Darii contra Scythas, ulciſcentis ea, quæ Byzantini accuſabantur in Regem moliti eſſe; Philippum vero Macedonem cum Byzantium obſideret, materiaque egeret, Plutonis templum evertiſſe: ſed hominum memoriam cognomina illorum retinuiſſe.
C Hoc enim Plutonis Acram, illud Heræam Acram, id eſt, Junoniam appellatam eſſe; ibique juvenes quotannis hoſtias mactaſſe anno deſinente & incipiente. Has Acras fuiſſe in clivis ſecundi collis potius, quam in planitie littorali ſub ipſum ſubjecta, veriſimilius videtur ei, qui vidit hanc maritimam planitiem, in qua nulla Acra eſt: itaque cum Dionyſius ait Plutonis & Junonis Acras eſſe κατ᾽ ἀπόβασιν τ῀ θαλάττης, has Acras fuiſſe in parte collis attingente mare, cum forte tum portus clauſi, & navalia manufacta in planitie maritima attingerent collis radices, portuſque cornua efficerent Acras. Aut ſi aliter res habet, Acræ interpretandæ ſunt
D oræ maritimæ. Sed de his copioſius in *tractatione Boſpori*.

CAP. V.

De ſeptima Regione.

ANTEQUAM veniſſem in rem præſentem, facile exiſtimabam me percepturum ſitum ſeptimæ Regionis ex antiqua Regionum deſcriptione, quæ dicit eam in comparatione ſuperioris planiorem, quamvis & ipſam circa lateris ſui extremitatem abire in mare decliviorem. Quis ex his eam
E agnoſceret, cum aliæ Regiones Urbis abeant in mare decliviores circa ſui lateris extremitatem? Nam quod addit hanc a parte dextra Columnæ Conſtantini uſque ad Forum Theodoſii continuis extenſam porticibus, & de latere alio quoque pari ratione porrectis uſque ad mare velut ſeipſam inclinare, & ita deduci, habere autem Eccleſias tres: Hirenem, Anaſtaſiam, & ſancti Pauli, Columnam Theodoſii intrinſecus uſque ad ſummitatem gradibus perviam, partemque ejuſdem fori: quod cum neque extet, neque ejus memoriam retineant noſtræ ætatis homines, in quo loco fuerit, neque ul-
F la, quæ tradantur fuiſſe in hac Regione, ſuperſint; mihi primum videbatur dubium, quæ pars Columnæ eſſet dextra: a quo quidem dubio non me liberabat Titus Livius, ſcribens Romulum Regiones ab Oriente ad Occaſum determinaſſe dextras; ad Meridiem, parteſque ad Septentrionem, lævas: nam eo modo vergeret hæc Regio ad Meridiem, cum tamen poſtea ſim demonſtraturus vergere ad Septentrionem. Neque Geographi me expediebant, qui ſeptentrionalem plagam reſpicientes, ubi altitudinem poli

quærunt, orientalem partem habent dextram. Varro Astrologorum Orizontem distinguentium rationem secutus nonnihil lucis mihi afferebat, cum definit partes cœli quatuor: sinistram ab Oriente, dextram ab Occasu, anticam ad Meridiem, posticam ad Septentrionem. Hac Varronis divisione judicabam septimam Regionem esse ad occasum Columnæ, sed certus non eram, an Romuli cœli divisionem, an Astrologorum sequeretur antiqua descriptio. Itaque adhuc hæsitabam, quoad tandem magna inquisitione deprehendi ubi fuisset Theodosii columna, & vestigia quædam templorum Anastasiæ & Hirenæ: ex quibus cognovi septimam Regionem vergere a summo dorso promontorii ad Sinum; clariusque antiquam descriptionem potuisse loqui, si ita descripsisset ab Oriente ad Occasum pergenti a parte dextra, septimam Regionem a Columna Constantini usque ad Forum Theodosii continuis extensam esse porticibus. Hæc Regio continebat loca ubi hodie maximum totius urbis Forum, quod Turci *Bezesten* appellant, ubi omnia pretiosa a mercatoribus vendi solita asservantur, ut temporibus Regum Christianorum in domo Lampterum. Hanc alibi, quam ubi hodie est Forum Turcorum, conjicio ex incendio incitato ex Miliario aureo sub Rege Justiniano, quo Cedrinus tradit conflagrasse magnam partem urbis, & magnam sacram ædem, ejusque Carthophylacium, & duas porticus usque ad Forum Constantini, atque Octogonon, & Severi balneum appellatum Zeuxippum, simulque insignem domum appellatam Lampterum, a luminibus vespertino tempore lucere solitis, tectum ligneum habentem, in qua mercatorum facultates asservabantur, ut serica, & auro contexta, aliaque pretiosa: denique omnia pulchra urbis ornamenta eo incendio exarserunt, quæ reliqua superfuerant ex priore illo magno incendio. Potuissem reddere Lampteras, Latine Lucernas, nisi nomina propria traduci non debere existimarem, nisi Titus Livius Lamptera usurpasset. *In sinu*, inquit, *maris intimo posita Urbs Phocæa est, oblonga forma duum millium & quingentorum passuum spatium, murus amplectitur totidem ex utraque parte in arctiorem velut cuneum, Lamptera ipsi appellant: mille & ducentos passus ibi latitudo patet; inde in altum lingua mille passuum excurrens medium fere sinum velut nota distinguit; Urbs cohæret faucibus angustis, duos in utramque regionem versos portus tutissimos habet, qui in Meridiem vergit Nausthathmos ab re appellatus, quia ingentem vim navium capit, alter prope ipsum Lamptera est.* Unde vero mihi proximum videtur Massilienses Phocensium colonos appellasse Lamptera stagnum in ora Provinciæ Narbonensis situm, quod *Laternam* vocat Plinianus Codex in lucem editus.

CAP. VI.

De Tauro, & Foro Theodosii, & Columna Cochlide Theodosii, & de Tetrapylo, & Pyramide ventorum, de statuis Arcadii & Honorii, de templis Hirenæ & Anastasiæ, & de Scironiis petris.

CUm existimarem me non plane assequi posse septimam Regionem, neque Taurum, (qui ut cognosci non potest, nisi cognita Theodosii Cochlide Columna, ita sine Tauro non cognoscitur octava Regio) magno studio investigavi illorum vestigia: cumque diu ubi Columna fuisset Theodosii, intrinsecus usque ad summitatem pervia, investigassem, tandem a paucis accepi, iisque senibus, sitam fuisse in supercilio dorsi continentis planitiem jugalem tertii collis, vergente ad occasum hyber-

A num, prope balneum novum, quod ædificavit Pajazitus Rex; qui eam Columnam, ut commodius Balneum construeret, ante quadraginta annos, quam ego Byzantium venissem, everterat. Supra id Balneum, versus boream, est via lata, habens tabernas librarias, & cisternam antiquam; a borea autem claustrum regiarum Gynæconitidum: quæ quidem via lata dilatatur in aream magnam versus Orientem, in qua extrema orientali est sepulchrum Regis Pajaziti, cum templo & Xenodochio. Hanc Theodosii Columnam Cedrinus inquit, ex omnibus partibus fuisse similem illi, quam Arcadius erexit, in hunc diem in Xerolo-
B pho colle extantem: eam nos suo loco describemus. Zonaras ait Columnam Tauri a Magno Theodosio excitatam, trophæa & pugnas Theodosii habentem, bene pugnatas contra Scythas & Barbaros, tum viam intus sursum ferentem, tum Theodosii statuam in summo fastigio statutam, quæ cecidit terræmotu eo anno, quo Roma antiqua capta est. Anastasius Rex multa opera ex ære facta, inter quæ erat Magni Constantini statua, fudit, effecitque sui nominis, ac tituli statuam æneam equestrem inauratam, eamque supra columnam Tauri, in qua prius fuerat Theodosii Magni
C statua, collocavit. Ex his cognoscimus Taurum fuisse, ubi Columna Theodosii fuit. Quibus cognitis, cognoscimus in tertii collis dorso, & clivis ejusdem septimam Regionem fuisse, habentem porticus continuas a Columna Constantini ad Forum Theodosii, quod etsi septima Regio continet, (etsi non addit, quam prope Columnam Theodosii id fuerit,) tamen proxime fuisse colligere licet, non modo ex æmulatione Fori Trajani Hispani, qui Romæ in medio Foro sui nominis habuit similem columnam ei, quam Theodosius Hispanus in nova Roma postea erexit: sed etiam ex Evagrio assequimur, tradente incendium
D sub Leone ædificia combussisse a Foro Constantini usque ad Forum Tauri. Constantinopolitanus senex mihi narrabat etiam sua ætate Forum Tauri extitisse ubi Columnam Theodosii dixi, non minus Hippodromo plenum innatis arboribus: & quoniam ibi latrocinia fierent, Mametem Regem, qui Urbem cepit, exædificandum dedisse volentibus ædificare. Jam vero partem Fori Theodosii occupasse Forum Pistorium, aut vicinum illi fuisse, conjicio ex Zonara, tradente Nicephorum Phocam Regem ex Palatio ad Fontem Aureum, & prope Portam Auream sito redeuntem a populo conviciis exceptum fuisse apud Forum τῶν ἀρτο-
E πωλίων, usque ad Columnam Constantini. Ignotus Scriptor tradit Taurum fuisse in columna prope Forum ἀρτοπωλίων, in aula lapidibus strata, atque illic etiam fuisse portas quatuor in structura quadrilatera, & quatuor porticus in circuitu, quod appellat Tetrapylum, idque dicit prius Quatrivium nominatum. Georgius Cedrinus ponit Tetrapylum non procul a Tauri Foro, cum inquit incendium regnante Leone exussisse in Tauro duas sacras ædes maximas, omni genere lapidum ornatas; unam quidem non longe a Tetrapylo, alteram incumbentem Foro Tauri. Idem loquens de incendio altero, excitato sub Leone, id dicit obvia
F quæque consumpsisse ab æreo Tetrapylo usque ad templum quod non nominat. Antiqua Regionum descriptio Urbis tradit, Constantinopolim habuisse unum Tetrapylum aureum, sed non scribit in qua Regione fuerit: nescio an urbs duo Tetrapyla habuerit, unum aureum, alterum æreum, an duntaxat unum, quod fuerit primo aureum, deinde auro sublato æreum remanserit. Joannes Rhetor (sicut citatur ab Evagrio) narrat temporibus Zenonis Regis Mamianum insignem senatorem Constantinopoli

fecisse regias porticus structura decoras, illustrique splendore ornatas, atque inter duas porticus tanquam quoddam confinium excitasse Tetrapylum, columnisque & ærea materia ornasse: ac sua quidem ætate porticus regium nomen obtinuisse prioris ornamenti reliquias marmorum Proconnessiorum humi stratorum gestantes, sed structuram insignem non retinentes: at Tetrapyli ne tenue quidem vestigium remansisse. Ignotus author dicit in Tetrapylo fuisse cubiculum supra columnas, ubi defuncti Regis consanguinei, & Regina exodion exciperent, & flerent mortuum, intro abditi velis, usque ad sextam diei horam: tum defunctum prætereuntem exciperent, & comitarentur usque ad templum Apostolorum; ubi mos erat sepelire reges. Tetrapylum mihi videtur fuisse templum olim quadrifrontis Jani non longe à Capitolio Constantinopolitano, ut olim fuit Romæ quatuor portis ornatum, quatuor anni tempora designans. Janus enim appellatur ab eundo; ideoque transitiones perviæ Jano sacræ, & fores ædium Januæ nominantur. Quidam scribunt in Foro Pistorio fuisse Tetrasceles pyramidatum. Georgius Cedrinus ait Tetrasceles esse machinam quadricrurem, quam dicit ventorum ἔριν, hoc est, *pugnam* appellatam Magnum Theodosium excitasse pyramidis figuram gerentem, animalibus scalptis ornatam, & plantis, & fructibus, & corymbis aureis punicorum malorum similitudinem gerentibus, & nudis Cupidinibus, quorum alii inter se arridebant, & superiores inferioribus illudebant, alii saltabant, juvenes tubis æneis ventos inspirabant: in summa pyramide simulacrum æreum volucre situm, flatus ventorum indicabat. Statuæ Arcadii & Honorii erant prope Columnam Theodosii patris, Arcadii quidem in fornice orientali, Honorii vero in fornice occidentali. Socrates populi Christiani Historiæ concionalis scriptor, tradit ex aquæductu, quem Valens in Urbem induxerat, & construxerat ex ruinis Chalcedonis, Clearchum Urbi præfectum ὑδρεῖον maximum construxisse in Foro, sua ætate appellato Theodosii, quod vulgari sermone dictum est *Aqua liberalis*, & *abundans*, propter quam populus hilarem festum egit; quod Socrates appellat ὑδρεῖον, hoc est, *Cisternam*, sive *Lacum*. Zonaras & Cedrinus appellant Nymphæum, quod similiter dicunt præfectum urbis ex aquæductu Valentis construxisse in Tauro, festumque maximum celebrasse; omnemque populum convivio excepisse. Ex quibus assequimur, quod Socrates Forum Theodosii appellat, Zonaram & Cedrinum appellare Taurum; idemque esse Forum Tauri, & Forum Theodosii: Nymphæumque Tauri aliud esse, & diversum a Nymphæo, quod prope Forum Constantini situm e regione Senatus, ante vidimus domum magnam fuisse, ex eo sic appellatam, quod in ea nuptias hi celebrarent, qui domos non haberent capaces multitudinis. At illud Tauri Nymphæum fuisse, sive lacum, sive piscinam, sive cisternam, quam fuisse intra claustrum Gynæconitidum regiarum, occupans partem Fori Theodosii, verisimile est: in quas penetrat aquæductus Valentis, ex quo multa castella aquæ sita, cum in lateribus tertii collis, tum maxima in claustro mulierum regiarum. Thermas Carosianas a Carosa filia Valentis Regis nominatas fuisse in tertio colle liquet ex antiqua Regionum Urbis descriptione; sed in qua parte, non explicatur, neque ipse definire possum an funditus perierint, an in earum fundamentis sint ædificatæ thermæ, quas maximas a Turcis ædificatas videmus, partim in dorso tertii collis, partim in lateribus. Antiqua

A descriptio Regionum ponit in hac septima Regione ædes Hirenæ, & Anastasiæ; sed in qua parte fuerint, non declarat, neque nunc ex vestigiis cognosci potest: sed ex historia deprehendi potest ædes Hirenæ in qua parte collis tertii fuerit, quæ tradit cum Urbs caperetur a Francis & Venetis, incendium exortum fuisse a Synagogio Saracenorum in parte inclinata ad mare, & vergente ad boream, proxima templo divæ Hirenæ. Id fuisse intra septum regiarum mulierum primo intellexi a senibus nescio quibus, deinde adverti turrim excelsam extra claustrum mulierum, sitam in latere tertii collis vergente
B ad ortum æstivum, quadratam, Hirenem etiamnum vulgo appellatam, nescio an ab æde divæ Hirenæ, an a Regina Hirene. Tria Hirenæ templa Constantinopoli fuisse reperio ex literarum monumentis: primum antiquæ Hirenæ nuncupatum, quod Socrates tradit Magnum Constantinum ædificasse: id prope Sophiam fuisse, ante demonstravimus: secundum, quod jam dico positum in tertio colle, quod antiqua Urbis Regionum descriptio tradit fuisse in septima Regione: tertium ponit Procopius, tradens Justinianum ædificasse ad ostium sinus Cornu nuncupati templum Hirenæ martyris. Jam vero templum A-
C nastasiæ dicunt alii fuisse eo loco, ubi est *Bezestanum* novum, hoc est, Basilica nova: alii ubi visitur hodie cisterna multis columnis marmoreis sustentata, sita inter Fori Basilicas, & sepulcrum, & Xenodochium Pajaziti Regis. Sozomenus ait Gregorium cum ex Nazianzo migrasset Constantinopolim, conciones habuisse in ædicula a studiosis suarum concionum structa, quam postea reges perillustrem structura & amplitudine maximam effecerunt, Anastasiamque nominarunt: sive ex eo, quod illa ipsa, quæ in Concilio Nycæno constituta fuissent, & jamdudum Constantinopoli inter-
D mortua jacerent, in hac æde iterum emerserint, & revixerint, Gregorii Nazianzeni concionibus; *Sive*, inquit, *cum esset in hanc ædem multitudo populi congregata, mulierque gravida ex superiori portu cecidisset, eoque casu interiisset, communi facta omnium prece revixit, ex eoque ædes appellata est Anastasia*. Ex his Sozomeni verbis patet errare recentes hanc ædem divæ Anastasiæ Romanæ attribuentes. Descriptio Regionum Urbis duntaxat appellat Ecclesiam Anastasiam (quam ego arbitror esse) unam fuisse ex his duabus, quas maximas & ornatas omni genere lapidum Cedrinus scribit incendio excitato regnante Leone conflagrasse, u-
E nam non procul a Tetrapylo, alteram incumbentem Foro Tauri. Cum *de Bosporo Thracio* scripsi, demonstravi, ut in clivis infimis tertii collis vergentibus ad Septentrionem sitæ essent Petræ Scironides, a Megarensibus & Corinthiis deductoribus coloniæ Byzantinæ ita nominatæ, ob similitudinem difficilis loci, quam habent cum Petris Scironiis sitis inter Isthmum Corinthiacum, & Megaram.

Jam vero quid tertius collis præcipuum contineat, dicam. Est in ejus dorso sepulchrum Pajaziti Regis, cum Xenodochio, & ampla æde Ma-
F metana ab eo excitata ad similitudinem Sophiæ ædificata, quæ concamerata opere lateritio & tecta plumbo vestibulum habet amplum, stratum marmore albo, circumdatum quatuor porticibus, quas sustinent insignes columnæ exquisitissimi marmoris, in quo medio exilit aqua in sublime, deinde decidit in magnum craterem emittentem aquam salientem multis siphunculis. Ædes cum vestibulo circumdata ex tribus partibus magna area, clausa partim muris, partim Xenodochio, ex quarta parte contiguo horto, in quo medio est sepul-

chrum Pajaziti Regis, ædicula Cylindri medii similitudinem gerenti circumdatum. Præterea in tertii collis dorso sunt Palatia Gynæconitidum regiarum, clausa excelso muro, qui cum venissem Byzantium ambibat plusquam duo miliaria. Nuper Soltanus Soleimanus occupavit mediam partem ingentibus substructionibus sui futuri sepulchri & Xenodochii, quæ nunc excitantur luculentis marmoribus conquisitis ex multis regionibus imperii Turcici, ut videas humi jacentia infinita genera marmorum, non quidem nuper excisa ex lapidicina, sed infinitis ante seculis vagantia per diversa regnantium ædificia non modo Byzantii, sed totius Græciæ, atque adeo Ægypti.

In Regione septima tres vidi cisternas antiquas, quarum non meminit antiqua Urbis descriptio: unam in Foro Tauri, alteram inter Regis Pajaziti sepulchrum, & Forum Bezestanum; utrasque columnis marmoreis sustentatas: tertiam in tertii collis clivo vergente ad Septentrionem, ad quam adhuc extant sex columnæ Corinthiæ marmoris Arabici affabre factæ, bene proceræ & crassæ. Sub columnarum stylobatis est tubus aquæ testaceus, ex quo aqua defluebat in cisternam lateritiam, cujus concamerationem similiter lateritiam sustinent viginti pilæ lateritiæ. Supra cisternam olim erat area ædis religionis Christianæ, quam reges Turcorum demoliti sunt, ejusque redivivis lapidibus ædificia sua adornarunt. In latere ejusdem collis pertinente ad occasum, templum Mametanum extat, quod habet vestibulum sustentatum duodecim columnis, quarum sex Arabici marmoris. Paulo supra hoc templum est aliud templum, olim dicatum divo Theodoro, ornatum columnis. Id non illud quidem est, quod Procopius tradit Justinianum ædificasse ante mœnia Urbis in loco nuncupato Rhessio. Alia ædes olim Christiana, nunc Mametana, extat inter Septum Mulierum & sepulchrum, quod excitavit Rex Soleimanus filio suo Mametho, vestita crustis varii marmoris.

CAP. VII.

De octava Regione, & de postera parte tertii collis.

OCTAVAM Regionem fuisse a tergo tertii collis vergente ad Meridiem, non assequor ex antiqua Regionum Urbis descriptione, quæ tradit octavam Regionem ex parte Tauri nulla maris vicinitate conterminam, angustiorem quam latiorem, spatia sua in latitudinem compensare: (ex hac enim descriptione nescio vergat ne ad Meridiem, an ad Septentrionem) sed ex eo octavam Regionem agnosco, quod tradit eam continuisse partem Fori Constantini, & porticum sinistram Taurum usque, jam edoctus septimam Regionem continuisse Porticum dextram a Columna purpurea ad Forum Theodosii. Ex quibus intelligo partem Promontorii, a mari pertinentem ad mare, sitam inter Columnam Porphyreticam, & Taurum, dorso dividi in septentrionale latus, & meridionale porticibus dextris, & sinistris perpetuis a Columna purpurea ad Taurum usque porrectis, dividentibus septimam Regionem ab octava; illam continere porticus dextras, hanc sinistras. Harum porticuum nulla hodie vestigia extant, sed duntaxat via lata, quæ per medium Promontorii dorsum a Sophia ad muros terrestres discurrit. Hæc Regio continebat etiam Capitolium, & Basilicam Theodosianam, quæ ambo verisimile est fuisse prope Theodosii Forum, ejusque Columnam: atque etiam ex Zonara & Georgio Cedrino colligere possumus, tradentibus incendium illud imperante

A Leone excitatum consumpsisse in Tauro domum maximam, & maxime illustrem accommodatam consiliariis, & regi: illis quidem ad simul conveniendum, & consultandum de rebus agendis; huic vero cum esset Consul ad præsidendum consilio. quam iidem addunt habuisse duodecim columnas varias ex marmore Troico factas, altas viginti quinque pedes, cujus tectum sustineretur quatuor arcubus: hujusque domus longitudinem adjungunt fuisse plus minus ducentorum & quadraginta, latitudinem vero centum quadraginta pedum. Hanc domum fuisse Basilicam Theodosianam, aut Capitolium, ex his quæ jam ante dixi existimare licet.
B Quæ quidem ipsa post incendium, quoquo modo fuerint refecta, nomen amisisse colligo ex recentioribus scriptoribus, tradentibus in Tauro fuisse Palatium & Xenodochium: a quibus non dissentiunt quidam senes Constantinopolitani, qui testantur etiam sua memoria circa domum, ubi hodie cuditur moneta, vicinam Foro Theodosii fuisse Palatium magnum, quod aliqui dicunt Mamethem Regem, qui cepit Constantinopolim, prius incoluisse, quam construxisset ingens illud Claustrum Palatii siti in primo colle; ex illiusque ruinis reges Turcorum sua ædificia ornasse. Xenodochium
C seu potius templum, quod erat ad occasum æstivum Tauri, vidi dirui; ipsiusque columnas transferri in ædificationem Xenodochii, quod Rex Soleimanus in monumentum chari filii construxit. Videant sacerdotes Græci, an hoc templum fuerit divi Pauli, quod septima Regio continebat: ipse nunquam eorum quenquam invenire potui, a quo id intelligere potuerim.

CAP. VIII.

De nona Regione, & de templo Concordiæ, & de horreis Alexandriæ, & Theodosii, & Thermis Anastasianis, & de domo Crateri, & Modio, & de templo Solis & Lunæ.
D

REGIONEM nonam fuisse a tergo tertii collis, partim in clivis subjectis sub dorsum, in quo Taurum dixi, partim subditis jugo, in quo videmus partem aquæductus orientalem, & templum, quod filio dedicasse Regem Soleimanum ante dixi, partim in planitie littoris Propontici extensi usque ad Blanchæ hortos, ubi olim Portus Theodosiacus, cum ex aliis scriptoribus colligo, tum maxime non modo ex antiqua descriptione, quæ tradit Regionem nonam pronam omnem,
E & in Notum deflexam, extensi maris littoribus terminari: sed etiam ex octava Regione, quæ cum ex parte Tauri nulla maris vicinitate terminetur, assequor octavam Regionem occupasse planitiem dorsi, in qua dixi Taurum fuisse, non autem sub hanc planitiem subjectos clivos, nonamque Regionem sub octava partim subjectam fuisse ex ea parte, quæ tendit a Tauro ad Notum, & littus Proponticum, partim positam fuisse in clivis duplici inclinatione devexis, una a Tauro ad occasum hybernum, altera ab ædibus Genisarorum ad Meridiem. Tum etiam ex æde Concordiæ
F percipitur, ubi nona Regio fuerit: sed in qua parte hujus Regionis templum Concordiæ, Horreaque Alexandrina, & Theodosiana fuerint, nona Regio, quæ illa continet, non declarat: sed vel ratione, vel aliorum scriptorum testimonio consequi possumus. Euagrius ubi templum Concordiæ fuerit (quam Regionum descriptio ὁμονοίαν vocat) designat, describens incendium imperante Leone excitatum in parte Urbis ad boream vergenti sævisse a Bosporio portu usque ad Apollinis templum antiquum; in parte vero Urbis meridiana a

portu Juliani uſque ad domos non longe ſitas ab æde Concordiæ. In media autem Urbe a Foro Conſtantini uſque ad Taurum: idque incendium per longitudinem urbis extenſum fuiſſe in quinque ſtadia. Ex quibus percipiemus id fuiſſe in ea parte Regionis nonæ ſuppoſita lineæ porrectæ a foro Tauri ad littus Proponticum: id quod clarius liqueret, ſi quis a Foro Conſtantini ad Forum Tauri quinque ſtadia ambularet, ibique ſignum figeret: deinde ex Portu Juliani per maritimam planitiem quinque ſtadia verſus Occidentem pergeret, ibique alterum ſignum poneret, & cum altero ad Taurum fixo conferret; non longe aberraret a veſtigiis ædis Concordiæ; quæ hodie non extat, neque templum Thomæ Apoſtoli, quod fuiſſe prope ædem Concordiæ noſcitur ex iis, quæ antea ſcripſi de Portu Juliani. Horreum Theodoſianum non longe a Portu Theodoſiaco poſito olim in hortis, qui nunc *Blanchæ* appellantur, veriſimile videtur non modo ratione architectonica, quæ præcipit horrea eſſe facienda juxta portus, qui nulli ſunt, neque in octava, neque nona Regionibus, ſed in duodecima Regione vicina nonæ Regioni ex ea parte, ubi fuit Portus Theodoſiacus. Sed etiam vero proximum apparet, Theodoſium adornaſſe Portum Theodoſiacum Horreo & Foro a ſuo nomine appellatis. Sed de Portu Theodoſiaco plenius loquemur infra.

Supra (locum) hortorum *Blanchæ* nuncupatorum, olim Portum Theodoſiacum continentium extremam partem ad ortum Solis pertinentem clivus a Septentrione eminet, in quo eſt templum vulgo nominatum *Myreleos*, habens intra ſe ciſternam, cujus camera lateritia ſuſtinetur columnis marmoreis circiter ſexaginta, ubi Horreum olim fuit, quod depravate Suidas appellat *Horeium*: *Statua*, inquit, *Maimi, qui duxit exercitum contra Scythas, ſtabat in nuncupato Horeio, ante domum Crateri, quæ nunc eſt Myrelei, & prope manus æreas, propeque Modium æreum*. Modium autem fuiſſe juſtam menſuram, quo pleno frumentum emeretur & venderetur, Valentinianum Regem lege ſanxiſſe, ut numiſmate duodecim modii venderentur, nemine contradicente, quendam nautam hoc non facientem dextra manu mulctatum fuiſſe. Hinc Manus æreas ibi ſtatutas eſſe, Modium æreum poſitum fuiſſe in fornice Amaſtriani inter duas Manus æreas a Valentiniano: alii tradunt ex eo, quod Valentinianus ſanxiſſet, ut modius non ad regulam, ſed ad cumulum venderetur, cuidam contrafacienti manus præciſas fuiſſe. Georgius Cedrinus loca Amaſtriani fuiſſe inquit: appellata a quodam vili homine, cujus patria eſſet Amaſtrum, ob paupertatem Conſtantinopolim profecto, ſive ab infamia, quod omnes malefici & homicidæ ibi perſolverent pœnas, nomen turpiſſimum adeptum fuiſſe execrandorum cauſa Paphlagonum. Idemque ſcribit ibidem templum fuiſſe maximum Solis & Lunæ, Solis quidem in curru albo, Lunæ vero ut ſponſæ ductæ in quadriga mariti, Phidaliæ opus: infra autem juxta fundamenta ſediſſe in throno ſceptrigerum populis præcipientem regnantibus obediendum eſſe: ibidemque juxta ſolum fuiſſe Jovis ſtatuam ex marmore albo, ſimilem jacenti in lecto, opus Phidiæ. Quod ſi Crateri ante nominata domus fuit Crateri Sophiſtæ, in ea fuit ejus ſuggeſtus verſibus Juliani Ægyptii celebratus. Præterea nona Regio continebat Thermas Anaſtaſianas, quas Marcellinus ait appellatas ab Anaſtaſia ſorore Conſtantini. Sozomenus narrat Marcianum Grammaticum docuiſſe filias Regis Valentis, Anaſtaſiam & Caroſam, ab earumque nominibus appellata balnea, uſque ad ſuam ætatem Conſtantinopoli fuiſſe.

CAP. IX.

De tertia Valle, & decima Regione, de domo Placidiæ, & Regia Placidiana, de aquæductu Valentiniano, & Thermis Conſtantianis, & de Nymphæo.

DECIMAM Regionem vergere ad Septentrionem, & ſitam fuiſſe in Valle tertia, ejuſque latere orientali, & in Promontorii ſupra tertiam Vallem eminenti dorſo, per quod ab Occidente ad Ortum aquæductus, tam fornicati ſupra terram, quam concamerati ſubterranei feruntur, ex Regionum Urbis deſcriptione liquet, tradente nonam Regionem pronam omnem, & in Notum deflexam, extenſi maris littoribus terminari: decimamque in aliud civitatis latus a nona Regione platea magna velut fluvio interveniente dividi, eſſeque tractu planiorem, nec uſquam præter maritima loca, inæqualem longitudini ejus, latitudine non cedente contineri templa Sancti Acacii, Thermas Conſtantinianas, domum Auguſtæ Placidiæ, Nymphæum majus, aliaque plura, quorum nulla nunc extant, neque quantumlibet diu & diligenter veſtigarim, a nemine viventium intelligere potui, in qua parte Regionis decimæ fuerint, duntaxat nonnulla excerpſi ex mortuorum ſcriptis. Ex quibus deprehendi erratum eſſe in libello antiquæ deſcriptionis Regionum tradente decimam continere Thermas Conſtantinianas, quas nullas fuiſſe Conſtantinopoli invenio, ſed duntaxat Conſtantianas, quarum meminit Sozomenus Salaminius loquens de his, qui quod Joanni Chryſoſtomo faviſſent ex Conſtantinopoli effugiebant: *Sentientes*, inquit, *populi impetum, po:ridie Templum Magnum reliquerunt, & Paſcha celebrarunt in publico Balneo multæ multitudinis valde capaci, nominato a Conſtantii Regis nomine*. Suidas dicit Elladium Alexandrinum tempore Theodoſii Parvi ſcripſiſſe Ecphraſin Thermarum Conſtantianarum. Socrates tradit Valentem Regem muros Chalcedonis juſſiſſe everti, & lapides ad Conſtantinopolis publicum Balneum ædificandum tranſportari, cui nomen eſſet Conſtantianæ. Additque in uno lapide, ex his, qui tranſportati eſſent, inciſum fuiſſe oraculum, quod jam inde ab antiquis temporibus in occulto fuerat, tunc manifeſtum factum eſſe, ſignificans cum in Urbe foret abundans aqua, tunc quidem murum Balneo fore uſui. Sed infinitas gentes barbarorum in terram Romæorum excurſuras, multa mala patraturas, tandemque & ipſas perituras eſſe. Socrates addit oraculum quale fuerit:

Ἀλλ' ὅτε δὴ νύμφαι δροσερὴν κατὰ ἄστυ χορείην
Τερπόμεναι στήσονται ἐϋστεφέας κατ' ἀγυιὰς,
Καὶ τεῖχος λυτροῖο πολύστονον ἔσσεται ἄλκαρ,
Δὴ τότε μυρία φῦλα πολυσπερέων ἀνθρώπων.
Ἄγρια, μαρμαίροντα, κακὴν ἐπιειμένα ἀλκὴν,
Ἴστρου καλλιρόοιο πόρον διαβάντα σὺν ἀγχμῇ.
Καὶ Σκυθικὴν ὀλέσει χώρην καὶ Μυσίδα γαῖαν,
Θρηϊκίης δ' ἐπιβάντα σὺν ἐλπίσι μαινομένῃσιν.
Αὐτοῦ κεν βιότοιο τέλος, καὶ πότμον ἐπίσποι.

Zonaras & Cedrinus ſimiliter hoc vaticinium ponunt: ſed eo loco, quo Socrates dicit *δροσερὴν*, ſcribunt *ἱερὴν*, aliaſque voces ponunt differentes, nempe pro *λυτροῖο*, *λυτροῖσι*; pro *ἄγρια μαρμαίροντα*, *ἄγρια μαργαίνοντα*: pro *καλλιρόοιο*, *κιμμερίοιο*. Socrates ſic interpretatur oraculi verſus: *Hoc vaticinium*, inquit, *contigit poſtea, cum Valens aquæductum conſtruxiſſet, aquamque copioſam urbi præbuiſſet, tum Barbaræ gentes invaſerunt agros Romæorum.* Hoc vaticinium alio modo poteſt interpretari. Poſtea enim quam Valens Aquæductum in Urbem induxiſſet, Clearchus Urbis præfectus ex Aquæductu

derivatum maximum ὑδρεῖον construxit in Foro nunc nuncupato Theodosii, quod voce populari decantatum est aqua abundans, in quo festum hilarem Urbs egit. Hocque esse prædictum a vaticinio, τὸ χορείῃ τερπόμεναι στήσονται δυστεφέας κατ' ἀγυιάς. At quædam secundum vaticinium paulo post facta sunt, cum murus Chalcedonis everteretur Byzantii, & Nicomedenses, & Nicenses, & Bithynenses obsecrabant Valentem Regem, ut desisteret evertere muros. Rex iratus vix suscepit eorum preces: itaque ut se a juramento exsolveret, quo se obstrinxerat demoliturum, muros Chalcedonis simul demoliri jubebat, & simul implere demolita alteris lapidibus longis: & nunc licet videre in quibusdam muri partibus, ut maximis & admirabilibus saxis structura vilis superædificata fuerit a Valente. Similiter Zonaras & Cedrinus dicunt Valentem mulctantem Chalcedonios, quod tutati fuissent Procopium suum hostem, ex ruinis murorum Chalcedoniæ saxa traduxisse ad structuram Aquæductus, quem Zonaras appellat Valentem, Cedrinus modo Valentem, modo Valentinianum: quo copiosam aquam in urbem induxit, tum ad usum alium, tum ad balnea: ex quo Urbis præfectus effecit in Tauro Nymphæum Urbis magnitudine dignum, solennique festo indicto omnem populum convivio excepit: ac multo post (ut prædictum fuerat) barbaræ gentes in Thraciam incursarunt, quæ postea deletæ sunt. Aquæductus Valentinianus adhuc extat excelsis fornicibus, a clivis quarti collis ad clivos tertii collis, pergens per decimam Regionem: cujus non meminisse antiquam Urbis Regionum descriptionem mirarer, cum meminerit Horreorum Valentinianorum, nisi etiam permultorum sua ætate extantium monimentorum non meminisse scirem. Regnante Constantino Leonis filio Iconomacho anno a Christi humano Natali die septingentesimo quinquagesimo nono tanta fuit siccitas, ut ne ros quidem de cœlo caderet, exaruerintque Constantinopoli cisternæ & balnea, & fontes, qui prius juges fluebant: quod intuens Constantinus Imperator, aggressus est renovare aquæductum Valentinianum: quem, cum usque ad Heraclium incolumis is permansisset, ab Avaribus dirutum, restituit accersitis fabris ex diversis locis: ab Asia quidem, & Ponto mille ædificatores, & ducentos albatores; a Græcia quingentos figulos laterculorum; ex Thracia quinque millia operariorum, & bajulum, & ducentos fabros tegularum: quibus omnibus præfecit principes, executoresque operum, ac patricium unum. Itaque opere perfecto, aqua introivit in urbem, discurrens per confinia nonæ Regionis, & Decimæ. Multi enim Aquæductus per dorsum sex collium discurrunt subterranei, & unus supra terram Valentinianus, quem qui scripserunt de rebus gestis Andronici tradunt per magnum Forum euntem, & ferentem aquam dulcem, & puram Andronicum Regem renovavisse, & auxisse; addidisseque ei fluvium, quem nominant Hydralem: ad cujus fontem turrim & Palatium construxit, quo æstate recrearetur, ex eodemque fluvio aquam duxit in Urbis locum, quem vocant Blachernam: sed turrim Andronici odio Isacius successor evertit. Procopius dicit Justinianum Acacii ædem exolescentem restituisse, & columnis undique albis illam circumdedisse, similibusque marmoribus ædis solum constravisse, ædemque lapidum candore vestiisse, ut omne templum nivibus tectum videretur. Porticus autem ædi adjectæ sunt duæ, quarum altera vergens ad Forum columnis circumdata est. Jam antedicta verba Procopii desunt Co-

A dici edito, itaque eo studiosius addidi. Acacii templum Georgius Cedrinus ait fuisse in loco appellato Heptascalo: alii scriptores dicunt divi Acacii ædem appellatam in Scala, quam jam nulli ubi fuerit, cognoscunt: sed qui diligentius inquirere volet, dabo ei hanc notulam. Investiget domum maximam, quam Caryam historiæ appellant, ex eo, quod nux esset in area illius: unde ajunt Acacium martyrem suspensum interiisse, & delubrum inde ei consecratum fuisse, quod aliqui putant in Neorio situm fuisse, ex eo, quod legerint apud plerosque scriptores Acacii imaginem ex calculis vitreis inauratis factam, positam in templo ad Ne-
B orium sito fuisse. Sed hic Acacius alius est, quem non modo Historici, sed etiam Grammaticus Suidas tradunt, Episcopum Constantinopoleos fuisse regnante Leone Macello adeo ambitiosum, ut multi Acacii imagines ponerent in templis etiamnum viventis. Inde existimatum Doxomanem. Jam vero Placidiæ domum vidimus in prima Regione: itaque vide an recte legatur in hac decima Regione *Domus Placidiæ*, an potius legendum sit *Placillæ*, an *Placidæ*: nam Agathius meminit regiarum Placidæ, sive Placidi his versibus, quos cum inscriptione mox addam:

C

Ἀγαθίου σχολαστικοῦ, εἰς εἰκόνα ἀνατεθεῖσαν ἐν τοῖς Πλακίδου, ὑπὸ τῶν τοῦ νέου σκρινίου.

Θωμᾶν παμβασιλῆος ἀμεμφέα κηδεμονῆα,
Ἄνθεσαν οἱ τὸ νέον τάγμα μετερχόμενοι,
Θεσπεσίης ἄγχιστα συνωρίδος, ὄφρα καὶ αὐτῇ
Εἰκόνι χῶρον ἔχῃ γείτονα κοιρανίης.
Αὐτὸς γὰρ ζαθέοιο θρόνους ὕψωσε μελάθρου,
Πλοῦτον ἀεξήσας, ἀλλὰ μετ' εὐσεβίης.
Ζύγνωμον τὸ πόνημα· τί γὰρ γραφὶς οὐδὲν ὀπάσσαι,
D *Εἰ μὴ τοῖς ἀγαθοῖς μνῆστιν ὀφειλομένην;*

Post Scironides petras (quas ante dixi fuisse in latere septentrionali collis tertii) Dionysius Byzantius in planitie maritima tertiæ vallis, & quarti collis, dicit esse littus longum, non deterius ullo optimorum ad capturam piscium: nam maxime profundum est etiam juxta oram maris, & quietum, ubi olim locus Cycla nominatus, ex eo, quod Græci barbaros ibi interclusissent: ubi etiam est ara Minervæ dissipatoriæ, designans dissipationem barbarorum interclusorum. Cycla locum sequitur Melias sinus piscationi aptus si quis alter, elatis pro-
E montorii lingulis, atque utrinque saxis occultis conclusus. Nunc in hac valle sinus non est, vetustate obrutus, & exædificatus, quod non modo ex sinu Melia, sed etiam ex Strabone conjicere liceat, cum ait Sinum Ceras ideo appellari, quod multis recessibus velut cornu cervinum ramosus sit: nunc recessus illi non sunt, nisi perpauci. Zosimus, qui scripsit historiam temporibus Arcadii & Honorii, testatur sua ætate tantam fuisse Constantinopoli multitudinem incolarum, ut non modo Imperatores muros Urbis longius Constantinianis muris promoverint, sed etiam non parvam partem maris ambientis urbem obruerint palis circumfixis,
F & ædificiis supra palos impositis: Quid ex tempore Arcadii & Honorii, & quantum obrui potuit, ex tot & tantis ruinis Urbis projectis in mare? Meliam sinum, inquit Dionysius, excipit locus appellatus κῆπος, a terra inter paucas apta ad hortensem culturam. Post Hortum sequitur locus Apsasius appellatus, ex ea re quam diximus in *Bosporo*.

PE-

PETRI GYLLII
DE
TOPOGRAPHIA CONSTANTINOPOLEOS,
ET
DE ILLIUS ANTIQUITATIBUS,
LIBER QUARTUS.

CAP. I.

De undecima Regione, & de quarto & quinto collibus.



NDECIMAM Regionem vix agnoviſſem ex Urbis Regionum deſcriptione, quæ eam dicit ſpatio diffuſam liberiore, nulla parte mari ſociatam eſſe: Verum ejus extenſionem tam planam, quam etiam collibus inæqualem: niſi addidiſſet illam continere in ſe martyrium Apoſtolorum. Quod etſi hodie non extat, tamen ex memoria ſenum Conſtantinopolitanorum inveſtigavi fuiſſe in dorſo quarti collis devexo in jugum tertiæ vallis prope officinas Ephippiorum & ſepulchrum Mamethi Regis: quo cognito, aſſequor Regionem undecimam in quarti collis fuiſſe dorſo, ejuſque lateribus tam vergentibus ad boream, quam ſitis in ejus tergo: hancque Regionem attigiſſe Urbis muros terreſtres undecimam Regionem dividentes a decimaquarta Regione, quæ ſpatio interjecto diviſa ab Urbe, muro proprio vallata quam in ſexto colle extra Conſtantiniana mœnia infra oſtendam, incluſamque poſtea fuiſſe a Minore Theodoſio. Conſtantiniani muri traduntur ab Eugenii turri perrexiſſe uſque ad templum divi Antonii, & ædis Marianæ, quæ nuncupabatur Rabdos, inde aſſurrexiſſe uſque ad Exacionion, terreſtrem murum, quod dicunt appellatum fuiſſe ex eo, quod extra muros terreſtres eſſet columna ſuſtinens Conſtantini Magni ſtatuam. Recentes ſcriptores tradunt Conſtantinum excitaſſe ædem divinæ Trinitatis in loco nuncupato Exacionio, nunc nominatum ædem divorum Apoſtolorum; quin, ſi recte exiſtimo, Conſtantini muros fuiſſe conſtructos in confinio quarti collis & quinti, prope Exacionion. Georgius Cedrinus ait terræmotu horribili cecidiſſe partes Urbis ad Exacionion ſitas, ut muros Urbis, ut templa decora, ut ſplendidas domos. Iidem authores recentes, non ſibi conſtantes alio loco dicunt, porticus a miliario pertinuiſſe ad Taurum uſque & Bovem æreum, & portas Joannis Hippodromi, quæ diſtant a templo Apoſtolorum plus mille paſſibus Romanis, tantundemque fere a muris a Conſtantino poſitis: id quod conjici fortaſſe poteſt ex Sozomeno: *Theodoſius*, inquit, *contra Eugenium educens exercitum, egreſſus unum miliare extra Conſtantinopolim in æde divi Joannis Baptiſtæ, quam ipſe conſtruxerat in Hebdomo ſuburbio, adeo precatus eſt, ut ſibi exercituique feliciter exitus belli eveniret*: ita enim Græcus habet Codex Sozomeni, *Θεοδόσιος τῆς Κωνσταντινουπόλεος ἐκδημῶν πρὸς τῷ Ἑβδόμῳ μηλίῳ γενόμενος προσεύξασθαι τῷ Θεῷ ἐν τῇ ἐνθάδε ἐκκλησίᾳ, ἣ ἐπὶ τιμῇ Ἰωάννου τοῦ Βαπτιστοῦ ἐδείματο, αἰτῆσαί τε αἰσίαν αὐτῷ τε καὶ τῇ στρατιᾷ, καὶ Ῥωμαίοις γενέσθαι τὴν ἔκβασιν τοῦ πολέμου*. Qui neſciunt Hebdomum eſſe ſuburbanum Conſtantinopolitanum,

A interpretarentur ſeptimum miliare Theodoſium extra Urbem egreſſum: at Hebdomum ſuburbium eſſe ex eodem Sozomeno liquet, cum alibi dicit Theodoſium caput Joannis Baptiſtæ ex vico Coſlao nuncupato, qui Pantichio Chalcedonis vicinus erat, tranſtuliſſe, & poſuiſſe ante Conſtantinopolim in loco Hebdomo nuncupato, quem nos ſuburbium olim fuiſſe, nunc vero intra muros Urbis eſſe in ſexto colle declarabo: infra quod ſi columna, a qua dicunt appellatum locum Exacionion fuit, illa, quæ in dorſo quinti collis bene excelſa undique procul longe eminere ſupra omnes domos paulo ante videbatur, facile intelligeremus B muros, quos poſuit Conſtantinus non proceſſiſſe ultra hanc columnam diſtantem a templo Apoſtolorum circiter quatuor ſtadia. Hanc columnam transferri vidi in ædificationem ædis, quam Rex Soleimanus conſtruere aggreſſus eſt. Cujus ſcapus eſt marmoris Pyrrhopœcili, altus circiter ſexaginta pedes: ejus perimeter eſt tredecim pedum & dodrantis: capitulum Corinthium quidem, ſed marmoris albi. Ejus ſtereoma & ſtylobates, & baſis ſunt etiam marmoris albi: ſtereoma altum, ut id ſcalis aſcendere habuerim neceſſe: ſtylobates altus quatuor pedes & novem digitos; plinthus pedem & ſex digitos. Græci & Turci utrique ſua lingua C hanc appellabant columnam Virginis, quam puto fuiſſe illam celebratam recentiorum ſcriptis ſupra collem poſitam, ſuſtinentem Veneris ſtatuam lapideam, quæ virgines ſuſpectas de ſtupro diſcernebat ab integris: nam ſi integræ & puræ ad eam prope acceſſiſſent, incolumes diſcedebant; ſin corruptæ, invitæ, & nolentes ſe denudantes ſua pudenda oſtendebant. Cum Regionum Urbis deſcriptio ait undecimam Regionem nulla parte mari ſociatam fuiſſe, exiſtimare oportet planitiem ſitam inter Sinum Ceratinum, & radices collis quarti extra Urbem fuiſſe, cum etiam eadem deſcriptio Regio- D num dicat Urbis latitudinem continuiſſe pedum ſex millia centum quinquaginta, hoc eſt, unum miliare, & ducentos triginta paſſus: latitudo autem Iſthmi pergens per collem quartum & ſeptimum, per quos antiquus murus pergebat, excedit præſcriptam latitudinem. At Zoſimus antiquus hiſtoricus tradit Conſtantinum Magnum muris urbem cinxiſſe, qui omnem Iſthmum a mari ad mare interciperent. Itaque oportet in decima Regione ponere planitiem ſitam inter Sinum & radices quarti collis

CAP. II.

E *De templo Apoſtolorum, & ſepulchro Conſtantini Magni, de ciſterna Arcadiaca & Modeſtiaca, de Palatio Placilliano, & Bove æreo.*

EUSEBIUS ſcribit Conſtant. Magnum templum Apoſtolorum ædificaſſe in altitudinem immenſam, idque veſtiviſſe omni genere marmorum variorum, & fulgentium ab imo ſolo ad tectum, quod totum tenuibus lacunaribus auratis ornavit, tegulisque æreis texit multo auro perlitis, ſplendorem ejaculantibus etiam in eos, qui vel procul illas

intuerentur. Structura templi superior ex ære & auro eminenti expressione eleborata cancellos & fenestras habens, templum circumdabat. Circa templum aula illustris erat in aerem purum & apertum patens, cujus porticus dispositæ in quadrum circumdabant aream sub dio expositam. Juxta porticus distendebantur regiæ ædes, & balnea, & ἀνακαμπτήρια, aliaque permulta domicilia æditimorum, aliorumque ministrorum templi commode ædificata. Hæc omnia pius Rex in memoriam Apostolorum Servatoris nostri posteritati tradidit, duodecimque ibi loculos velut stellas sacras memoriæ Apostolorum consecravit, atque arcam, in quam ipse post mortem includeretur, in medio Apostolorum posuit, utrinque stipatam sex Apostolis. Socrates adjungit; *Corpus Constantini aureæ arcæ impositum, in Urbem Constantinopolim tulerunt ejus necessarii, & sepeliverunt in templo Apostolorum.* Zonaras Eusebium videtur non legisse, cum ait id sepultum in æde Apostolorum in porticu, quam ad sepeliendum patrem Constantius condidisse traditur. Secundum viam latam, quæ tendit per dorsum Promontorii ab Æde Sophiæ ad portam Adrianopolitanam, prope locum, ubi fuisse templum Apostolorum ante dixi, hodie monstratur solium ex Porphyretico marmore factum, sed vacuum, & carens operculo, longum decem pedes, altum quinque pedes & semissem, quod Græci & Turci dicunt esse Magni Constantini: sed quam vere, ipsi viderint. Mihi vero dubium videtur ex Eusebio & Socrate, tradentibus in arca aurea situm fuisse, nisi fortasse arcam auream in solium illud Porphyreticum incluserint. Zonaras dicit Theodoram uxorem Justiniani ædem nuncupatam Apostolorum construxisse. *Fuerat*, inquit, *ibi ante Apostolorum templum a Constantino ædificatum, non quale nunc est, sed minus pulchrum, & multo inferius.* Procopius jam inde ab antiquis temporibus ait fuisse Constantinopoli templum omnibus Apostolis sacrum, vetustate jam dirutum, ac casui obnoxium: quod Justinianus totum demolitus non modo renovare, sed & pulchrius, & majus efficere studuit in figuram crucis: cujus pars recta ad Orientem & Occidentem Solem existit; transversa vero altera ad ursam & ventum austrum: muris quidem utraque extrinsecus septa, intrinsecus vero circumornata columnis supra, infraque stantibus. Evagrius videtur ignorare a Magno Constantino id constructum fuisse, cum ait id a Justiniano conditum fuisse; qui profecto, ut pleraque alia non primus condidit, sicut afferit Procopius, adulans rhetorum more: sed renovavit vetera, aut collapsa restituit, aut incensa reædificavit. Hujus ædis nulla restant vestigia, jam ne fundamentorum quidem: nisi fundamenta quædam Cisternæ, quæ aquam suppeditabant ædi Apostolicæ, in cujus quidem Cisternæ solo sunt officinæ, & tabernæ Ephippiorum circiter ducentæ, ubi fiunt & venduntur non modo Ephippia, cæteraque equorum ornamenta Turcica, sed etiam vasa ex corio ad hauriendam aquam scite facta, tum pharetræ, arcæ corio tectæ. Supra hanc Cisternam ædes Mametana cum Xenodochio sita est in planitie, quam Mamethes, qui Urbem cepit ex ruinis cum aliarum ædium Christianismo sacrarum, tum ædis Apostolorum vicinæ ædificavit ad similitudinem Ædis Sophianæ, ex lapide quadrato: testudineque semicircula texit lateritio opere facta, plumbo tecta, ut sunt omnia Turcica ædificia publica: vestibuloque ornatissimo eam illustravit quadrato, tam lato, quam ædes ipsa, marmoreis pavimentis nitenti, & porticibus in quadrum dispositis: quarum arcus sustinentes concamerationem earundem columnæ ingentes exquisitissimi marmoris sustinent. In medio vestibulo, seu atrio est Enneacrunos, desiliens in magnum craterem marmoreum. Circa ædem, ingens area partim parietibus, partim longis ædificiis cincta, quorum partem possident sacerdotes, & literarum doctores, partem orientalem hortus muris clausus, in quo medio est sepulchrum Mamethi Regis, quod constructum est in figuram cylindri, velut delubrum hemisphæricum ex marmore candidissimo, tectum plumbo, fenestris cancellatis, & porta cum vestibulo ornatum. In hujus medio solo est solium Mamethi holoserico tectum: solum stratum stragulis Attalicis, in quibus desident perpetui flamines sodales, illud noctes & dies servantes. Extra aream, via duntaxat intermedia, Xenodochia ingentia sunt, lapide quadrato similiter ædificata, areas in medio habentia, & porticus columnis marmoreis circumdatas. Xenodochiis adnexi horti magni, muris clausi.

Denique ædes hæc cum circumvicinis ædificiis claudentibus aream, & cum Xenodochiis, continet in ambitu circiter sex stadia. Sub horum ædificiorum claustro idem Mamethes Thermas construxit totius Urbis maximas in solo Cisternæ antiquæ, quam arbitror aut Arcadiacam, aut Modestiacam, quas Regionum Urbis descriptio ponit in undecima Regione. Hæ Thermæ duplices & geminæ sunt, nempe viriles & fœmineæ, inter se quidem conjunctæ, sed portis divisæ contrariis, quibus ingressus non patet ex Thermis alteris in alteras Thermas. Describam duntaxat viriles, cui similes sunt fœmineæ. In primo aditu habent Apodyterium, ex quo patet introitus in Tepidarium, ex Tepidario in Caldarium, quibus tribus membris thermæ constant inter se aditu conjunctis, sed tecto & pariete divisis in rectum ordinem dispositis. Apodyterium est ædificium quadratum lapide quadrato constructum usque ad concamerationem rotundam opere lateritio factam, cujus ambitus interior continens ducentos & quadraginta pedes, & octo digitos, circumdatur suggestu lapideo lato plus sex pedes, alto tres pedes. Paries Apodyterii a pavimento ad imas radices concamerationis altus triginta septem pedes. In medio Apodyterii solo marmoribus strato Crater magnus marmoreus in ambitu continens triginta septem pedes, altus tres pedes, plenus aquis salientibus. Ex Apodyterio duabus portis patet aditus in Tepidarium, ædificium in ambitu interiori continens centum pedes, constans quatuor arcubus sustinentibus tectum hemisphæricum efficientibus octo cellas; quarum una dimidio cæteris minor, habens a tergo latrinas, in quas totius balnei aquæ confluunt ad eas purgandas. In hujus pariete fistula aquæ defluit, qua Turci, ut solent, ab excrementis redditis lavantur. Ex his octo cellis sunt sex, singulæ habentes labrum, sed ita dispositæ, ut ex duobus arcubus singuli in medio habeant unam cellam, ex qua ad dextram, & sinistram ingressus patet in aliam cellam. Alii duo arcus sic cellas habent, ut is, qui est versus portas, ex quibus dixi aditum Apodyterio in Tepidarium, habeat cellam tam magnam, quam ipse amplus est, in quo labra sunt ubi in pavimento marmoreo pannos Turci lavant. Quartus arcus substructo muro dividit Tepidarium a Caldario. In medio Tepidarii est Crater cum Siphonibus salientibus. A Tepidario una porta aditum præstat in Caldarium. Tertium membrum, quod constat octo arcubus sustinentibus hemisphærium, efficientibus octo cellas extra magnum hemisphærium recedentes circumdantibus Caldarium in ambitu continens circiter nonaginta pedes, habens solum marmore stratum, quod medium effi-

cit velut suggestum octogonum in circuitu continentem quinquaginta septem pedes & dodrantem altum duos pedes & quatuor digitos, quem circumdat alveus discurrens inter octogonum & pavimentum, quo aditur in cellas, tam altum, quam octogonum. Cellæ quatuor interiores, positæ in quatuor angulis, quoquoversus sunt latæ undecim pedes & tres digitos, usum præstantes Laconicorum, quorum sicco calore sudor elicitur. Eadem est mensura duarum cellarum extra duos arcus recedentium. Aliæ sex cellæ semicirculæ, quas efficiunt sex arcus, sitæ sunt in ambitu hemisphærici Tepidarii, largæ inter imas pilas arcuum undecim pedes, latæ quinque & dodrantem. Singulæ cellæ habent labrum marmoreum: præterea in una est solium marmoreum magnum. In parietibus Caldarii & Tepidarii, & cellarum, nullæ fenestræ sunt, sed duntaxat in tectis hemisphæricis, quæ tota fere plena sunt foraminibus, quæ clauduntur vitreis supra tectum eminentibus, lampadis inversæ similitudinem gerentibus. Extra Thermas est hypocausti præfurnium, largum duos pedes & semissem, totidem altum, perenni igne miliarium æreum inversum calefacientis, & flammarum vaporem ejaculantis in cuniculos rectos, & transversos subterraneos calefacientes pavimentum Thermarum superimpositum. Rivus ductus ab agro suburbano non longe a præfurnio, canalem efficit largum sex pedes. Ex hoc derivantur cuniculi sive tubuli discurrentes per medios parietes circum Thermas: quorum unus transiens supra patinam miliariam, calidam aquam intromittit salientem in labra epistomiis clausa: alter supra concamerationem primi canalis transiens, frigidam in eadem labra ministrat altioribus fistulis, quas epistomiis clausas referant, quoties lavantes calidam temperare volunt. Sed de usu lavandi Turcorum, & de ratione ædificandi balnea separato loco tractandum est. Nunc redeo ad institutam Regionem undecimam, quæ Palatium Placillianum continebat, cujus Procopius meminit: *Cum*, inquit, *Regem Justinianum Theodora Regina consolabatur his verbis: Habemus regias alias, quæ Helenæ appellantur, & Placillianæ a Placilla uxore magni Theodosii, quem ut Justinus Sophiam conjugem illustravit regiis Sophianis nuncupatis, ita verisimile videtur Placillam nobilitasse Palatio Placilliano, quam vehementer amasse Theodosium toti orbi patefecit Theodosii ira, qua ille exarsit in Antiochenos, quos in Laodicensium tradidit potestatem, quod Placillæ statuas in foro suo positas evertissent ob novum vectigal impositum*. Non addam jam cur Chrysostomus Andriantes scripserit. Potest etiam legi Palatium Flacillanum, a Flacilla, de qua Claudianus:

Sola novum Latiis vectigal Hiberia rebus
Contulit, Augustos. Fruges, æraria, miles
Undique conveniunt, totoque ex orbe leguntur:
Hæc generat, qui cuncta regant. Nec laude virorum
Censeri contenta fuit, nisi matribus æque
Vinceret, & gemino certatim splendida sexu
Flaccillam Mariamque daret, pulchramque Serenam.

Bos æreus in undecima Regione fuit: sed in qua parte, conjicere possemus ex magna Cisterna, quam recentes Historici tradunt conditam fuisse prope Bovem æreum a Niceta Eunucho temporibus Theohili Regis, si hæc extaret; aut si extat, ejus nomen retineretur: aut si Forum extaret, quod nonnulli scriptores appellant Bovis Forum. Joannes Tzetzes in *sua historia* idem esse dicit Forum Bovis & Bovem locum ex æreo Bove sic appel-

A latum. Is qualis fuerit, intelligitur ex Zonara: *Phocæ*, inquit, *tyranni corpus infelix combustum fuisse ad locum nuncupatum Bovem, ubi caminus fuit ex ære factus, figuram Bovis maximi gerens, ex Pergamo advectus*. Cedrinus scribit in hunc Bovem inclusum martyrem Antipam exustum fuisse. Quanta autem crudelitate laborarint aliquot tyranni Constantinopolitani, qui maleficos hoc tormento excruciarent, ex Tauro Agrigentinorum ostenditur, quem Phalaridi tyranno fecit *Perillus* a Plinio vocatus, ab aliis rectius *Perilaus*, Atticus faber ærarius, mugitus hominis pollicitus igne subjecto, primus illum expertus cruciatum justiorem
B sævitia artificis: *cujus opus*, ut Plinius ait, *nemo laudat*; & diu olim servatum est, ut quisque illud viderit, odio persequeretur artificis manus. Quæ causa artificem incitare potuerit, ut caminum effingeret in formam Bovis, non aliam veriorem reperio, quam usum linguæ Græcæ, quæ Caminos appellare solet Boves bonis lateribus, & robore præstantes. Ut enim Camini habent præfurnium in latere velut portam, ita Perilaus portam in latere Tauri effecit. Bovem hunc æreum traductum Constantinopolim fuisse ex Sicilia, aut Italia, potius quam ex Pergamo, conjicio ex direptionibus
C regum Constantinopolitanorum, qui totum orbem spoliarunt ut suam novam Romam ornarent. Jam vero ubi hic Bos æreus fuerit, a permultis civibus percunctatus sum, sed a nemine intelligere potui: quamvis non ignorent Bovem quendam fuisse Constantinopoli æreum; quamvis a majoribus suis, quasi per manus oraculum de hoc Bove æreo traditum jactitare soleant: quamvis ejus interpretationem suis temporibus attribuant rectius, quam Joannes Tzetzes vir quidem eruditus, quin in *sua varia historia* ante trecentos & septuaginta annos scripta ita id interpretatur. *Oraculum*, inquit, *Constantinopoli jactabatur ejusmodi*, βοῦς βοήσει τε, ϗ
D ταῦρος δὲ θρηνήσει; *Bos mugiet, taurus lugebit*. Ex hoc Constantinopolitani imaginati sunt fore calamitates, & metus, ut innumerabiles exercitus Alemanorum, atque aliarum gentium contra Constantinopolim venturi essent; omnesque, quod expectarent Urbis eversionem, direptionemque obstupefacti erant, atque insomniis perturbabantur. Tum uxor Megaletæriarchi perterrefacta prænuntiatione exercituum illorum innumerabilium, & pervulgatis versibus fabulose compositis, effingente animo ea, quæ metuebantur, existimavit se videre per insomnium illa, quæ in sermonem hominum venerant: Constantinopolim primo quidem
E habere murum lateritium; circa vero Bovis Forum, sive ad Bovem locum visa est videre exercitum, atque copias armatas; circa Taurum hominem mœstum percussu manuum & lugubri voce dolorem testantem. Hoc insomnium mulier conspicata præsignificare extremam calamitatem impendere Urbi arbitrata, indicavit Tzetzæ, qui interpretatus est murum lateritium prædicere frugis abundantiam, atque annonæ copiam Constantinopoli. *Scitis*, inquit, *qui adestis, ubertatem annonæ, quæ tum fuit: illud vero exercitum, & multas copias armatas circa Bovem esse, atque mœstum hominem ad Taurum sedere, dixit finem esse oraculi pervulgati: illius dico,*
F *quod prænuntiat Bovem clamaturum, & Taurum ejulaturum, sed non ut imaginati sunt ii, qui metus cogitant, sed finem esse ad utilitatem omnibus nobis civibus. Itaque audi Augusta, & doce etiam alios, & dic, Tzetzes ita me docet: Bovem nos Græci fœminam Bovem nuncupamus, quanquam interdum Taurum, & Vitulum Bovem appellamus; Taurum autem proprie Bovem marem nominamus, Taurum autem hunc Italum vocant Latini. Bos igitur nostra, nempe Urbs Constantini ex Tauris Italis Romanis condita omni genere*

morum plena, & commeatibus, & exercitibus classicum canet contra hostes: Taurus vero Italus exercitus Latinorum expallescet multo metu, & lugebit, si Rex non seducatur potentis sermonibus. Arguta quidem hæc Tzetzis interpretatio, ut hominis adulantis Reginæ, & sibi facile persuadentis, quæ cupiebat: ut est ingeniosa hominum imbecillitas ad se circumscribendum. Sed longe verior erat illa, quam redarguere Tzetzes conatur, pervulgata oraculi interpretatio, quæ tum per animos Constantinopolitanorum pervaserat, exercitum Latinorum expugnaturum esse Constantinopolim, ut revera paulo post expugnavit, diripuit, incendit, Urbisque tyrannos alios ex Tauri summa columna Theodosii præcipitavit, alios ad Bovem æreum combussit. Similiter idem Tzetzes argutulus videri cupit conjector alterius oraculi, quod ipse narrat & interpretatur, sed frigide & ridicule: ut postea docuit exitus, ὐαὶ σοὶ ὦ ἑπτάλοφε, ὅτι ἐ χιλιάσεις, id est, *Væ tibi* Constantinopoli, *septem colles incolenti, mille annos non ages.* Id oraculum fuit alterum Constantinopolitanis, ut illud quod ante dixi, *Bos clamabit, & Taurus ejulabit. Postquam,* inquit, *illud ipsum pulchre & commode dissolvissem, meæ interpretationi alterum objectum est: scilicet, O Constantinopolis, quæ septem colles incolis, non mille annos ages.* Sic interpretatus sum, non esse intelligendum, ut vulgo intelligunt, ὐαὶ adverbium luctuosum non esse unam partem, sed duas partes orationis, nempe ἐ negationem, at αἰ significare *sive*: & ita aptandas esse. *Sive o Constantinopolis mille annos non ages: sed intra mille annos etsi evertaris, tamen non væ, & luctus tibi, sed gaudium erit, ut major extruaris, ut amplius splendeas. Dissolveris enim ad bonum eorum, qui te dissolvent.* Occulte adulatur principibus civibus factionum de imperio contendentium: nam si de hostibus externis intelligeret urbem dissoluturis, delira esset illius interpretatio. Sed quoquo modo intelligat, delirat. Nam sive a civibus, sive ab externis dissoluta est, non gaudium fuit Constantinopoli, neque modo divinis oraculorum prænuntiationibus prædictum est Constantinopolim mille annos non duraturam, sed etiam Astronomorum præscientia. Quidam (sicut ait Suidas) historiarum monumentis prodiderunt Constantinum Magnum postquam Urbem absolvisset, vocasse Astronomum nuncupatum Valentem, illius temporis hominum qui Astronomiæ darent operam præstantissimum; eique præcepisse, ut Urbis sydus natalitium & horoscopum observaret, ut nosceret quot annos esset permansura. Valens in sexcentos & nonaginta annos ipsam duraturam esse vaticinatus est: at hi jam multo ante præterierunt. Itaque, inquit Zonaras, oportet Valentis prædictionem mendacem esse; artemque Astronomiæ aberrare ab horoscopo, aut illos annos Valentem dicere convenit, in quibus politici mores observabantur, & tranquillitas, & Senatus honorabatur, & Constantinopolitani cives florebant, & legitima erat regii principatus administratio, non tyrannis dominantium, communia existimantium propria sua bona, hisque ad suas libidines explendas abutentium. Jam vero ut absolvam oracula, quæ a magnis viris tradita sunt de hac Urbe, venio ad Zosimum antiquum authorem, sic cum Joanne Tzetze & Zonara conferas: *Ille enim*, inquit, *Constantinopolim in tantam magnitudinem crevisse, ut nulla Urbs alia esset cum ipsa conferenda, neque magnitudine, neque fœlicitate: sed tamen ait, cum diu multumque considerassem nullam ex deis prædictionem majoribus nostris datam esse de Constantinopolis incremento in meliorem fortunam, multos Historicos, multaque oracula perlegi, ac cum in his dubitationibus longum tempus consumpsissem, incidi tandem in oraculum Sibyllæ nuncupatæ Heritreæ, sive Phaellis, sive Paennus Epirotidis: nam & hæc divino afflatu percita oracula edidisse dicitur, cui obtemperantem Nicomedem filium Prusiæ, & ad ea accommodantem, quæ sibi utilia viderentur bellum suscepisse contra patrem Prusiam Attalo obtemperantem. Oraculum autem Sibyllæ habet se.*

Ω βασιλεῦ Θρηκῶν, λείψεις πόλιν ἐν προβάτοισιν,
Αὐξήσεις δὲ λέοντα μέγαν γαμψώνυχα δεινὸν,
Ὅς ποτε κινήσει πατρίας κειμήλια χώρας,
Γαῖαν δ᾽ αἱρήσει μόχθων ἄτερ. οὐδέ σέ φημι
Σκηπτούχοις τιμαῖσιν ἐπαγάλλεσθαι μάλα δηρὸν,
Ἐκ δὲ θρόνων πεσέειν οἷοι κύνες ἀμφὶς ἔχουσιν·
Κινήσεις δὲ εὕδοντα λύκον γαμψώνυχα δεινόν.
Οὐδ᾽ ἐθέλων γάρ σοι ὑπὸ ζυγὸν αὐχένα θήσει.
Τότε Βιθυνῶν γαῖαν λύκοι οἰκήσουσι
Ζηνὸς ἐπιφροσύναισι ταχὺ δ᾽ ἐπιβήσεται ἀρχή
Ἀνδράσιν οἳ Βύζαντος ἕδος καταναιεζάουσι,
Τρισμάκαρ ἐφετμαῖς ἔνθ᾽ λύκος αἰνόλυκος πτήξη κρατερῆς.
Ὑπ᾽ ἀνάγκης οἵ με γὰρ εἴσασίν τι ἐμὸν ναίοντες ἐθέλον
Οὐκ ἔτισι γῆς οἱ πατρὸς νόον, ἀλλὰ ἀναδείξω
Ἀθανάτων λογίων θνητοῖς δύσδαίμονα οἶδειν.
Θρῇσσα κύει μέγα πῆμα. τόκος δέ οἱ οὐκ ἔτι τηλοῦ.
Πεῖραι παῖδα κακὸν καὶ τῇδε φέρουσαι
Τρηχὺ παρ᾽ ἤπειρον πλευρὰς ἐπεναίσεται ἕλκος:
Καὶ μέγαν οἰδήσει ταχὺ δὲ ῥαγὲν αἱμορροήσει.

Hoc oraculum, inquit Zosimus, ut ita dicam, revera ostendit, & ænigmatice dicit omnia futura Bithynis mala ob tributorum postea ex ipsis exactorum gravitatem: & præsignificat, ut principatus celeriter perveniet ad viros, qui Byzantis sedem incolunt: ac si longo post tempore hæc prænuntiata non acciderint, ne quisquam putet excessisse: omne enim tempus breve Deo semper consistenti, & futuro. *Et hæc quidem*, inquit, *ex oraculi verbis, & rerum eventu conjectavi: sin alia sententia oraculi cuipiam videatur, eam sequatur.* Deinde ut confirmet suam opinionem de hoc oraculo, scribit ut Constantinus Magnus ejusque filii summis tributis Bithyniam, & totum orbem oppresserint, ut urbes desertæ manserint. Joannes Tzetzes nobilis Grammaticus, & Historicus, multis seculis post Zosimum oraculum aliter interpretatur, edoctus tempore rerum inventore. *Quidam*, inquit, *hoc oraculum dicunt esse Sibyllæ, alii vero Epirotidis Phaenus. Epirotis*, inquit, *Phaeno tot ante seculis prædixit facta paulo ante nostram ætatem, quomodo Regem Romanum vincent Persæ, supraque collum ejus calcabunt velut servituti addicti, & suus populus & Proceres quomodo hunc ab imperio dejicient; & quomodo Persæ obtinebunt omnem Bythiniam, & Scythæ quomodo bellum conflabunt, & suscipient contra genus Romanorum:* καὶ ἔπος λέγουσα ταύτῃ στόματι διειρμένῳ *supradictum oraculum, quod de Turcis vaticinatur. Cæteros ejus*, inquit, *versus prætereo, dicam paucos.*

Δὴ τότε Βιθυνῶν γαῖαν λύκοι οἰκήσουσι
Ζηνὸς ἐπιφροσύνῃσι, κακὸν δ᾽ ἐπιβήσεται ἄνδρας
Ἄνδρας οἳ Βύζαντος ἕδος καταναιεζάουσι.

Oraculum hoc etsi antiquissimum, tamen in tot Urbis ruinis nunquam adeo liquide patuit, quam nunc sub imperio Turcorum. In supercilio quarti collis vergente ad Solis ortum visitur templum Pantocratoris illustre memoria recentium scriptorum, cujus parietes interiores vestiti crustis marmoris varii, quod duplices porticus habet, & plura tecta hemisphærica, tecta plumbo, quorum maximum sustentatur quatuor columnis Pyrrhopœcilis, quarum perimeter habet septem

pedes: alterum Hemisphærium sustentatur quatuor arcubus, quos fulciunt quatuor columnæ marmoris Thebaici. Est item in quarti collis latere meridionali, columna par, & similis ei, quam dixi in Exocionio paulo ante stantem, nuper traductam in Basilicam Regis Soleimani. Habet in basi circulum illum laureatum, radiatum, similitudinem crucis labaricæ gerentem, qualis in Xerolophi columna cochlide Arcadii videtur. Ad radices quinti collis est duplex murus intra se claudens vicum domorum, quem nunc vulgo appellant Phanarium, ex eo, quod una nocte ad lucernam constructus fuerit instante obsidione. Ubi ex Dionysio arbitror fuisse locum, qui Mellacopsas appellabatur: cur ita appellaretur ostendi in *Bosporo*. In dorso quinti collis est Ædes Regis Selimi cum Xenodochio, ejusque sepulchro: ibi etiam prope est Cisterna ingens, in pratum conversa, spoliata columnis & cameris.

CAP. III.

De sexto Colle, & decimaquarta Regione.

URBIS descriptio Regionum tradit, decimamquartam Regionem, licet in Urbis parte numeretur, tamen quia spatio interjecto divisa esset, muro proprio vallatam, alterius quodam modo speciem civitatis ostendere. Esse vero progressis a porta modicum situ planam; dextro autem latere in clivum surgente usque ad murum fere plateæ spatium nimis pronam. Continere in se Ecclesiam, Palatium, Nymphæum, Thermas, Theatrum, Pontem sublicium, sive ligneum. Quispiam fortasse, qui Constantinopolim non vidit, ex hac descriptione facile putaverit sciri posse, in qua parte sit decimaquarta Regio, præsertim jam undecim cognitis, & tertiadecima, & duodecima, quam mox cognoscendis: at cum nulla extent, quæ traduntur in ea fuisse, ne pons quidem sublicius, neque aqua, quæ hoc ponte trajiceretur facile cognoscatur, disceptatio relinquitur inquirendi, in quo loco fuerit: nam nescio, quæ illa porta fuerit, a qua dicit progressis modicum planam. Quod vero ait dextro latere in clivum surgente, facile intelligeretur, si scirem quid appellet dextrum latus. Jam vero in quinto colle fuisse hæc non videtur, ex eo, quod dicit interjecto spatio divisam, quo exiguo divisa fuisset, inconsultumque fuisset, jam muro proprio distinguere a propinquis Urbis muris. Huc accedit, quod nullus pons fingi potest fuisse in quinto colle, neque in sexto aut septimo collibus Urbis, neque extra Urbem ullus pons extat, neque vallis intercedens intra quintum & tertium collem pontem ullum habet, neque aquam, nisi cogitemus sinum aliquem, qui nunc obrutus sit habuisse, qui ponte transiretur. Jam si existimamus ultra sextum collem, ubi vicus hodie Aivasarius nuncupatus, facilius quidem constabit illic pontem fuisse, quo trajiceretur sinus Ceratinus. Ubi prope fundamenta pilarum pontis videntur, at verisimilius videtur collem sextum vicinum habitatum fuisse propter commoditatem viarum a Thracia, priusque vicinum, quam longinquum censendum inter Regiones Urbis: præsertim cum plerique scripserint sextum collem habitatum fuisse suburbio Hebdomo appellato, quod aliaque suburbana ædificia, ut intra urbem includeret, propinquitas loci invitavit Theodosium minorem ad promovenda urbis mœnia.

CAP. IV.

De Hebdomo suburbio Constantinopoleos, & triclinio Magnauræ, & Cyclobio, & de statua Mauritii, ejusque armamentario, de loco nuncupato Cynegio.

SUBURBIUM Hebdomum appellatum in sexto colle fuisse, qui nunc est intra urbem, ostendit ædes divi Joannis Baptistæ, quam etiam nunc Græci vulgo vocant Prodromi. Ea in latere ad Solis ortum pertinente sita est, a Turcis maxima ex parte diruta, ubi aliquot columnæ marmoreæ extremam rapinam metuentes supersunt, sed paucæ ex multis ablatis. Quam autem illa sumptuosa fuisset, cum alia vestigia indicant, tum Cisterna Boni nuncupata (ex eo, quod eam Patritius appellatus Bonus condiderit) paulo supra eam ipsam sita, longa trecentos passus, columnis & concameratione spoliata, in qua nunc horti virent. Sozomenus ait Regem Theodosium majorem caput Joannis Baptistæ ex vico nuncupato Coslao, qui vicinus erat Pantichio loco Chalcedonis, traduxisse & posuisse ante Urbem Constantini in Hebdomo nominato; maximumque & pulcherrimum Deo ibidem excitasse templum. Idem tradit Theodosium cum educeret exercitum contra Eugenium, ex Urbe Constantini egressum, ut sibi exercituique bene & feliciter exitus belli eveniret, a Deo precatum fuisse in æde, quam in honorem Joannis Baptistæ in Hebdomo ædificaverat. Procopius nimium rhetorice adulatur Justiniano, quem instauratorem hujus ædis tradit ædificasse eam in suburbio appellato Hebdomo. Zonaras ait regnante Constantino Pogonato Agarenos gravi classe Urbem obsedisse, quæ stationem habebat a promontorio Hebdomo sito ad Occasum usque ad Cyclobion. Similiter historiæ aliæ tradunt a promontorio nuncupato Hebdomo ad Occasum pertinente, sive a domo Magnaura usque ad Palatium Cyclobion spectans ad Orientem stetisse classem Agarenorum. Ex quibus obiter colligo Magnauram fuisse in Hebdomo. Cedrinus Magnauræ solarium rotundum scribit condidisse Philippicum Regem, illicque in atrio suam statuam armamentariumque collocasse. Alii scribunt Mauritium Imperatorem Magnauræ triclinium ædificasse, in ejusque atrio posuisse suam statuam, armamentariumque ibidem constituisse. In triclinium Magnauræ hi versus extant incerti Poetæ:

Εἰς τὸ Τρίκλινον τῆς Μαγναύρας.

Οτραλέως τολύπευσαν τόνδε δόμον βασιλῆες,
Αἰχμὴν ὀλβοδότειραν ἀπὸ σαυροῖο λαχόντες,
Αὐτὸς ἄναξ Ηρακλῆς σὺν Κωνσαντίνῳ υἱεῖ.

Cisternam Magnauræ, quæ erat in Palatio, Heraclius obruit, quam, ut ait Cedrinus, Macedonius Rex purgavit, in pristinumque statum restituit. Quidam si minus vere, tamen apte tradunt Triclinium Magnauræ nominatum ex eo, quod Anastasius Rex cum ibidem ob horrendam tempestatem ventorum & tonitruum, & fulminum extingueretur, clara voce dixerit: *Magna perimus aura*. Pulcheria Theodosii minoris soror ab administratione Imperii remota secessit, & apud se vixit in Hebdomo. Nicephorum Phocam, Zonaras inquit, appropinquantem Urbi a populi factione Prasina appellata exceptum magno applausu, eumque in Hebdomo coronatum a Patriarcha Constantinopolitano. Cur vero id suburbium nominetur Hebdomum, existimo a septenario numero

suburbiorum, quæ nomina retinuerunt etiam inclusa in Urbem. Procopius tradit Justinianum in Regione urbis, quæ appellaretur secunda, ædem divæ Annæ ædificasse. Ignotus Scriptor patriæ Constantinopolitanæ rationem affert, cur appelletur secunda: *In loco*, inquit, *appellato Secundo, stabat Justiniani Rhinotmeti statua: hanc demolitus est Bardas Cæsar Michael avus Theophili, & confregit*. Appellatus est *Secundus* locus ex eo, quod Justinianus in exilium projectus in Chersonem a patritio Leone rerum potiente, ubi cum decem annos exul mansisset, profectus est ad Terbelum Regem Bulgarorum, cujus filiam nomine Theodoram duxit: eique exercitus datus est, quem duxit contra Constantinopolim ad repetendum suum principatum. Quem cives cum noluissent recipere, ingressus est per cuniculos Aquæductus in Urbem, ad locum ubi restabant fundamenta columnæ suæ, quam adversarius everterat: & secundo regnum adeptus. Secundam columnam ibidem restituit, ædemque ibidem divæ Annæ ædificavit; ex eoque locus appellatus *Secundus*. At, ut jam dixi, Procopius tradit, magnum Justinianum eam condidisse in Regione secunda, quam ante Theodosium minorem (qui muros Urbis promovit) existimo suburbium fuisse septimi collis, hoc est, duodecimæ Regionis ex Cedrino, & aliis. Fuerunt, inquiunt, terræmotus horribiles, qui murum Urbis in Exacionio everterunt, & templa magnifica, & domos splendidas in Porta Urbis Aurea Victoriæ signum prostraverunt, & in secunda Regione ad divam Annam loca tremuerunt. Hæc pluribus dixi, ne quis δεύτερον χώριον putet esse in numero Regionum, quas antiqua descriptio tradit quatuordecim fuisse Urbis. Procopium miror in tot ædificiis Urbis describendis nunquam earum meminisse, cum Justinianus in suis *Constitutionibus* meminerit. Inter Palatium Constantini, & Portam Urbis Adrianopolitanam, extat ædes in septimo colle, quæ etsi jam tot secula sit intra Urbem, tamen etiamnum χερσὸς χώρας appellatur, ex eo, quod olim esset extra Urbem ex tribus partibus, ut mos est Græcarum ædium sacrarum: porticu cingitur, parietes ejus intrinsecus vestiti crustis marmoris varii quadratis, ita inter se conjunctis, ut distinguantur ab imo sursum versus modulis astragalorum, aliorum baccatorum, aliorum teretium sine baccis. Supra quadratas crustas discurrunt tres fasciæ, & tres velut astragali, quorum duo teretes supremus quadratus velut regula, supra fasciam denticuli, supra denticulos folia Corinthia, denique marmor sic mensulis distinguitur, ut in commissuris eluceat labor Corinthius: sed is plenior apparet in Æde Sophiæ. Jam vero ex his, quæ post addam, cognoscetur Hebdomum suburbium fuisse in decimaquarta Regionum Urbis continente in se Palatium. Nunc ex tot antiquis Palatiis nullius nomen extat, nisi Palatii in septimo colle siti, quod etiamnum appellant Constantini, ex cujus ædificiis restat unum cum aliquot columnis, & cisterna, in qua elephanti stabulantur. In planitie littorali posita ad radices sexti collis vergentis ad ortum solstitii æstivi, est porta Palatina, sive Cynegion appellata, ubi Platani extra portam. Prope portam extant intra murum tres arcus magni, nunc substructi, olim patentes, per quos ingrediebantur triremes in Portum Manufactum intra muros clausum, ad commoditatem propinqui Palatii, nunc obrutum, & conversum in horti culturam. Cynegion celebre est scriptis recentium, ut etiam Suidas non alienum putarit in suum *Lexicon* hanc historiam inserere. *In Cynegio*, inquit, *appellato projiciebantur mortis condemnati. Erant quædam illic statuæ.*

A *Theodorus Anagnostes eo profectus cum Imerio Chartophylace, vidit illic statuam parvam quidem longitudine, sed crassitudine magnam. Me autem contemplante inquit Imerius, Contemplare, quis condidit Cynegion. Cui respondi, Maximinus condidit, Aristides dimensus est statim cecidisse columnam, & afflixisse Imerium, ut evestigio moreretur. Ego metu perculsus ad templum fugi, & quod acciderat denuntiavi. Id autem hominibus minime credentibus, jurejurando asserui. Domestici defuncti, & quidam Regis ministri, ad locum mecum profecti sunt. Qui cum admirarentur casum viri, & columnæ, Joannes quidam Philosophus dixit, se invenisse ab animalculo* B *præclarum virum interiturum, a quo persuasus Philippus Rex, hoc animalculum in eodem loco terra obrui jussit. Justinus tertius Tiberium & Leontium, qui triennium imperaverant e vinculis eductos per Forum & Theatrum simul junctos rapi ab equis, atque ad ejus pedes detractos, cum eorum cervices calcasset, in Cynegio spectante populo interfici jussit*. Id Theatrum, per quod dicit simul junctos raptos, existimo fuisse Theatrum Venatorium: nam, ut Romæ fuit θέατρον κυνηγιτικόν, ita fuit Byzantii, ex Procopio, qui tradit Justiniani avaritia Theatra, Hippodromos, Cynegesia maxima ex parte omissa fuisse.

C

CAP. V.

De Blachernis, & de Triclinio Blachernæo, & Palatio, Aquæductu, & de multis locis antiquissimis.

ANTIQUA Regionum descriptio dicit quidem decimamquartam ædem sacram continere, sed non nominat, neque meminit Blachernarum, quamvis ita nominarentur, antequam Severus Byzantium evertisset, ut post declarabo, quæ extra Urbem essent non modo eo tempore, quo D scripta est illa Regionum descriptio, sed etiam vivente Justiniano: quem Procopius scribit ædificasse templum Virginis Mariæ ante mœnia Urbis, in loco appellato Blachernis. *Miretur hoc templum*, inquit, *ingressus, ingentem quidem molem citra ullum periculum constitutam, cernens ipsam magnificentiam ab omni insolentia alienam*. Puto Justinianum hoc templum refecisse: nam Zonaras tradit, Pulcheriam Marciani uxorem templum in Blachernis ædificasse, & Mariæ Virgini dedicasse. Pomponius Lætus hoc a Theodosio conditum tradit. Cedrinus testatur Justinum nepotem Justiniani templo Blachernarum duos arcus addidisse. Cum ex antedictis Procopii E constat Blachernas extra Urbem esse, tum ex Agathio. *Instantibus*, inquit, *Barbaris permissu Justiniani omnia templa extra Urbem sita, quæ a Blachernis initium sumunt, usque ad Pontum Euxinum, spoliabantur armamentis, & intra Urbem servanda traducebantur*. Hodie prope Xylo portam & angulum Urbis occidentalem, inter radices sexti collis, & sinum ædis sacræ intra Urbem sitæ, quam Virgini Mariæ sacram dicunt fuisse, eique fontem sacrum adhuc scaturientem ostendunt Græci, Blachernamque locum nominant, vestigia extabant, cum venissem Byzantium, quæ funditus nunc fere effossa sunt, & deleta. Ex imo clivo sexti collis emi- F nenti supra templum Blachernæum prodiit Aquæductus duabus fistulis, ejus aqua salit, quarum altera clauditur epistomio, altera perennis fluit, hunc ex Hydrale fluvio ante dixi Andronicum Regem conduxisse in regionem Blachernam, ubi antea aqua fluviatilis nulla erat. Anastasius Rex magnum Triclinium ædificavit in Blachernis, quod etiamnũ ætate Suidæ dicebatur Anastasiacum. Tiberium Regem construxisse publicum Blachernarum Balneum, Zonaras, & alii scribunt. In Blachernis

regium Palatium fuisse etiam nunc ætate Zonaræ, atque multo infra, usque ad Manuelem Regem ex historia liquet recentiorum. Unde vero locus Blachernas appelletur, in suo *Anaplo Bosporio* docet Dionysius Byzantius, a quo loca descripta a quinti collis radicibus, ad extremum angulum Urbis, & collis sexti, paucis repetam. *Post locum*, inquit, *qui nominatur Mellacopsas* (hunc ante dixi fuisse sub radicibus quinti collis) *duo loca sunt omni tempore anni piscationem, ad depressiones extremas, quas efficiunt lingulæ collium, & ad sinus profundos quietos a ventis, largientia: quorum alter Ingenidas dicitur ab heroe Indigena, alter Piræicus, a Piræo Atheniensi, vel, ut alii dicunt, ab antiquo quodam incola: in quorum medio locus est nominatus Cittos a copia hederæ ibi facile provenientis*. Piræico loco continuus est Camara locus proclivis, & ventis obnoxium littus, itaque multum a mari percutitur. Inde supra Thalassa, finis totius sinus Ceratini, ubi est initium influentium in sinum fluminum: nominata enim sive ob illorum vicinitatem corrumpentium naturalem maris aquam, sive quod immobilis, & minus affecta ventis, ac potius ab influxu fluminum, assiduam, mollemque materiam afferentium efficiente mare cœnosum, ubi tamen est copia piscium. Hujus maris marcidi primus locus appellatur Polyrrhetius, a viro Polyrrheto. Post hunc Vateiascopia, a mari profundo: tertius Blachernas, nomen barbaricum, a quodam ibi regnante adeptus: ultimus Paludes.

CAP. VI.

De ponte, qui est ad divum Mamantem, & de ejus Hippodromo, & Leone æreo, de Mauritii Regis sepulchro.

NON Historici modo, sed etiam Grammaticus Suidas, tradunt ad divum Mamantem pontem fuisse duodecim fornicibus constantem: Multæ enim aquæ eo defluebant. Ubi etiam Draco æreus statutus erat, propterea quod illic serpens aliquando habitasse existimaretur, ubi multæ virgines prægnantes fiebant. Basiliscus enim quidam, qui amavit hunc locum, quique ex cohorte Numeriani Cæsaris fuit, illic habitavit, & templum excitavit, quod postea Zeno evertit. Constantinus Iconomachus Andream Calybitem memorabilem virum apud Blachernas in Hippodromo divi Mamantis flagris interfecit. Zonaras narrat Mauritium Regem sepultum fuisse in templo divi Mamantis prope murum, quem ædificavit Pharasmanes eunuchus, Justiniani cubicularius. Cedrinus dicit templum Mamantis esse prope portam nuncupatam Xylocercon. Alii tradunt Crunnam Bulgarorum Regem Constantinopolim circuisse a Blachernis ad Auream portam. Quam cum capere se posse diffidisset, cucurrit ad divum Mamantem: Palatium illic situm incendit, & Leonem æreum positum in Hippodromo simul & Ursum, & Draconem, & electa marmora, cum reverteretur, exportasse. Sozomenus loquens de his, qui expulsi sunt propter Chrysostomum, ex Urbe egressos scribit convenisse in locum situm ante Urbem, quem Constantinus Rex in Hippodromi spectaculum purgaverat, & muris ligneis circumdederat, quem arbitror postea appellatum Hippodromum divi Mamantis. Zonaras addit Leonem Regem metu incendii, quo Urbs conflagrabat exivisse ex Urbe, & plurimum mansisse ad divum Mamantem. Cedrinus Theophilum Regem dicit certamina equestria exercuisse ad templum martyris Mamantis, in Steno situm. Ex ante acervatim collectis patet divum Mamantem fuisse ad Blachernam; pontemque illic fuisse, id quod confirmat Joannes Tzetzes in sua *Varia Historia*, cum ait ex Abydi angustiis usque ad pontem Blachernarum Hellespontum appellari. Ex quo liquet pontem illum fuisse ubi pilæ cernuntur lapideæ antiqui pontis, sed non extra aquam eminentes, nisi aliquando æstate, sitæ inter angulum urbis Blachernæum, & suburbium, quod Turci appellant *Aibasarium*. Hunc illum jam pronuntiare possumus esse, quem antiqua descriptio Regionum Urbis appellat ligneum, & ponit in decimaquarta Regione, in qua diximus fuisse suburbium Hebdomum. Hoc unum adverte ex Suida, Pontem divi Mamantis habuisse duodecim fornices, itaque lapideum tum fuisse, aut Suidam loqui de alio templo Mamantis alibi sito.

CAP. VII.

De septimo Colle, & duodecima Regione; & de Columna Arcadii.

EX columna Arcadii, quæ etiamnum extat in septimo colle, nuncupato Xerolopho, diviso a sex collibus valle lata, colligo fuisse duodecimam Regionem, quæ Portam Auream a civitate petentibus in longum plana omnis consistit, sed latere sinistro mollioribus clivis deducta maris confinio finiebatur. Continebat in se Portam Auream, Porticus Troadeas, forum Theodosiacum, Portum Theodosiacum, & Columnam intra se gradibus perviam, quam Arcadius Imperator excitavit in Xerolopho, etiam nunc in nostram ætatem nomen retinente, & supra ipsam collocavit statuam suam, quæ cecidit regnante Leone Conone terræmotu, quo vehementer concussum est Byzantium, & quo multa templa, & domus ceciderunt, multitudoque hominum oppressa est. Cedrinus declarat hanc Columnam Arcadii ex omnibus partibus similem Columnæ Theodosii in Tauro positæ. Habet stylobatem, basim, & capitulum. Ejus scapus cum spira & capitulo constat lapidibus viginti & uno. Præterea supra capitulum duo lapides existunt. Stylobates constat quinque lapidibus, omnibus adeo conjuncte inter se commissis, ut si vel terræmotu, vel vetustate nunquam concussa fuisset, ex uno, eodemque lapide tota Columna constare videretur. Hi lapides alii supra alios impositi, & conjuncti tanquam spondyli intus excavati, totum Columnæ ambitum unum & perpetuum præstant, fenestellis illustrem, & gradus efficiunt. Unus enim quisque lapis partem graduum efficit. Et ambitum scapi velut murum, incœpi numerare, a lapide supremo fastigiante Columnam usque ad imum gradum. Supremus igitur lapis continens portam, qua scanditur supra capituli abacum, altus circiter tredecim pedes, & dodrantem, concameratus, & convexus tegit totam Columnam. Porta alta sex pedes & duos digitos, larga pedes tres & dodrantem. Secundus lapis, sex pedes altus, continet supremum gradum positum supra abacum capituli. Tertius, altus quinque pedes & quatuor digitos, continet abacum, & totum capitulum. Quartus, altus quinque pedes, exceptis duobus digitis. Quintus altitudinem habet quinque pedum minus duobus digitis. Sextus quatuor pedum & dodrantis. Septimus quinque pedum & digitorum duorum. Octavus quatuor pedum, & quatuor digitorum. Nonus sex pedum. Decimus quinque pedum. Undecimus quatuor pedum, & quatuordecim digitorum. Duodecimus quatuor pedum, & dodrantis. Decimustertius quinque pedum. Decimusquartus

quinque pedum, & digitorum duorum. Decimusquintus quinque pedum & semipedis. Decimussextus quinque pedum & semissis. Decimusseptimus quinque pedum, & decem digitorum. Decimusoctavus sex pedum & semissis. Decimusnonus quinque pedum, & digitorum quatuor. Vigesimus sex pedum & semipedis. Vigesimus primus, qui initium scapi facit, sex pedum, & digitorum quatuor. Infra scapum lapides continentes spiram stylobatem, sunt sex: quorum summus altus quaternos pedes & dodrantem, secundus totidem, tertius quatuor pedes, quartus pedes quatuor, & semissem, quintus totidem, sextus & infimus quatuor pedes. Singuli supradicti lapides ex se gradus faciunt, & ambitum velut murum distinctum fenestris quinquaginta sex. Gradus autem circiter ducenti triginta tres sunt, duorum generum; alii enim per anfractus, alii cochleæ in modum: Stylobates ascenditur quinque anfractibus normatim assurgentibus: unusquisque anfractus areolam unam habet, qua ascenditur ex uno anfractu in alterum. Primus anfractus habet gradus sex, secundus totidem, tertius octo, quartus novem, quintus totidem, omnium infimus vicinus limini infero januæ, altus digitos decem, largus pedem unum, longus pedes duos, & novem digitos. Similes sunt totius quinti anfractus, cujus area quadrata quoquoversus lata duos pedes & novem digitos. Post quinque anfractus est initium scapi, cujus gradus primi alti decem digitos, largi juxta murulum scapi pedem, in medio pedem & dodrantem, longi pedes duos & novem digitos: ultimi alti novem digitos. Scapus Columnæ interior habet ambitum viginti octo pedum. Crassitudo muri, quo velut thorace gradus clauduntur, est duorum pedum & trium digitorum, in ima columna, at in summa pedis & dodrantis. Jam si quis me curiosum dicet, quod singulos lapides mensus sim; curiosiorem dicet illum, quem Thucydides probat, quod muri hostilis lateres numerasset, ut altitudinem deprehenderet. Ipse exteriorem ambitum metiri non sum ausus, ne demissum perpendiculum Barbari deprehenderent. Altitudinem necesse habui intus latens dimetiri (metiendo) interiores singulos lapides, ex quibus in numerum subductis deprehenditur Columnæ Cochlidis altitudo. Id quod videtur primum extare supra terram, sunt duo gradus compositi ex multis lapidibus. Deinde sequitur tertius gradus: is est lapis altus tres pedes & quatuor digitos, latus quoquoversum triginta tres pedes & semipedem. Supra lapidem, qui efficit tertium gradum, Stylobates consistit, constans quinque lapidibus: quorum (primus) incipiens a limine portæ, est altus quinque pedes & semissem: in quo quidem lapide est plinthus planus, altus tres pedes, quinque digitos, torulus quinque digitos, apophygis cum regula dodrantem, altera regula superior duos digitos, corona scalpta alta dodrantem: Sophorus egregie scalptus trophæis ex triplici latere: nam latus ad Septentriones pertinens, continens portam, non est insculptum. Coronis stylobatica inclinatur velut tectum, in qua ima est primum regula, deinde astragalus baccatus, tertio loco echinus, quarto astragalus intortus ut funis. Reliqua pars, usque ad summam curvaturam, folia ligata in modum manipulorum, recta quidem, & in se curvata voluta. Stylobates emittit velut abacum, in quo fasces coronario opere laureati bini in singulis lateribus, quorum major incurvatur usque ad imam partem abaci. Item in lateribus ejusdem coronati abaci summi existunt septem pueri nudi, tenentes fascem laureum. Ex unoquoque abaci angulo eminet aquila. Supra Stylobatis abacum coronarium existit plinthus columnæ minus projectus foliis adumbratis, supra plinthum torus laureatus, alligatus vittis flexuosis. Toro superest apophygis. Deinde incipit scapus Columnæ, scalptus pugnis variis. Scalptura procedit in modum Columnæ, quæ Romæ Trajano sacra est, inter elices binas cochleæ more surgentes. Summus scapus, nempe Trachelium, est striis rectis distinctus; capituli ima pars apophygis, deinde echinus, tertio loco abacus projectus extra scapum duos pedes, & digitos quatuordecim. Abacus quoquoversus patet in latitudinem decem & septem pedum, & dodrantis. Supra abacum existit porta, & velut conus Columnæ altus, portam continens, altior decem pedibus. Hanc Tuscanam columnam dicere possumus, cum basis & capitulum sint elaborata opere Tuscanico.

CAP. VIII.

De statuis, & antiquissimo tripode Apollinis in Xerolopho statutis.

SUIDAS scribit, Xerolophon primo quosdam Thema appellasse, ex eo, quod in eo essent quindecim Cochleæ, & Dianæ statua, & Severi conditoris, & Themation, tripus ubi hostias immolabat Severus, ubi multa oracula aliquando edebantur, & puella virgo immolabatur. Priscianus, quem mihi in memoriam revocavit Benedictus Ægius, antiquitatis acer investigator, tradit Æoles solitos fuisse interponere F digamma, quod ostendunt Epigrammata, quæ egomet legi in tripode vetustissimo Apollinis, qui extat in Xerolopho Byzantii, sic scripta, δημοφάFων, λαFονάFων. Item alio loco Æoles solent inter duas vocales ejusdem dictionis digamma ponere, quos nos in multis sequimur, ὄFις, ovis: ὤFος, ὠFὸν, ovum: & quod hoc verum est, ostendunt Epigrammata vetustissima, quæ literis antiquissimis scripta in multis tripodibus legi, & maxime in tripode Apollinis, qui est Constantinopoli, in loco quem Ξηρόλοφον vocant: sunt autem scripta sic, ΔημόFων, pro Δημοφόων: ΛαFοκόFων, pro Λαοκόων. Addunt alii, fuisse etiam in Xerolopho juxta basim Columnæ Arcadii Columnam Theodosii minoris, & Valentiniani, & Marciani, quæ terræmotu ceciderunt. Zonaras dicit Symeonem Bulgarorum principem crudelem, & nunquam quietum contra nationem Chrobatorum exercitum duxisse: a quibus cum victus esset, exercitumque amisisset locorum difficultate, interea quidam Regi Constantinopolitano significavit statuam supra fornicem in Xerolopho collocatam, spectantem ad Solis occasum, designare Symeonem Bulgarum; ac si quis Columnæ caput abscinderet, secuturum Symeonis interitum. Itaque Regis jussu caput Columnæ abscissum est, & interitus Symeonis ex violento stomachi dolore cognitus est Regi Constantinopolitano diligenter observanti illius tempus interitus. Jam vero portus Theodosiacus fuit in Hortis, quos hodie appellant Blancham, muro undique clausis, & sitis in maritima Propontidis planitie, subjecta sub radices septimi collis, cujus ostium vergebat ad Solis ortum æstivum, a quo moles extendebatur ad occasum æstivum: supra quam nunc muri adstructi existunt. Urbis moles adhuc extat larga duodecim pedes, longa sexcentos passus meos, quos conficere soleo in ambulando. Portus obrutus est, latissimos hortos habens oleribus consitos, & paucis arboribus: ex quibus, ut Fabius ait, non pendent vela, sed poma. Horti irrigui sunt ex lacubus, quos habent intra

tra ſe perennes, veſtigia nimirum antiqui Portus. Cujus circuitum exceſſiſſe milliarium, ex mole & ſitu loci deprehendo. In faucibus Portus adhuc navium capacibus extra murum Urbis etiamnum videtur turris undique mari circumdata & ſaxa, reliquiæ ruinarum. Scriptor ignotus Patriæ Conſtantinopolitanæ tradit, primo nuncupatum Thema, ubi Cochleas quindecim diximus fuiſſe, deinde Forum Theodoſiacum appellatum: mihi potius videtur fuiſſe Arcadiacum, a proxima Arcadii Columna: nam Forum Theodoſiacum vero propius videtur fuiſſe prope Portum Theodoſiacum, cum ex architectonica ratione, quæ præcipit Forum faciendum eſſe juxta Portum: tum ex nomine conditoris Theodoſii, qui Forum ſuum commodius efficere non potuit, quam juxta ſui nominis Portum: quem arbitror etiam Portum Eleutherii prius appellatum fuiſſe, ſi vera tradunt, qui dicunt Conſtantinum Magnum ſaxa fluctibus objeciſſe a mucrone primi collis uſque ad Portum Sophiæ, & Portum Eleutherii, conditum a Magno Conſtantino, præſidente operi Eleutherio Patritio, ſtatuamque Eleutherii ſtatutam fuiſſe marmoream in eo Portu, marmoreum calathum ferentem humeris, & palam etiam marmoream tenentem manu, Palatiumque Eleutherii ædificaſſe Hirenam, ejuſque filium Conſtantinum, atque ab hoc Palatio uſque ad Amaſtrianum Hippodromum fuiſſe a M. Theodoſio conditum, quem evertit Hirena. Zonaras ſcribit Hirenam, cum ab adminiſtratione Imperii remota fuiſſet a filio Conſtantino, in domo ſua, quam ædificaverat in Eleutherii partibus, vixiſſe. Porticus, quas Regionum Urbis deſcriptio appellat Troadeas, alii vocant Troadeſias, qui dicunt Conſtantinum Magnum muros promoviſſe uſque ad Porticus Troadeſias, & Portam Auream, quam continebat duodecima Regio. Troadeas appellatas arbitror, quod continerent quippiam ejuſmodi quale Plutarchus tradit continuiſſe Porticum Variam nuncupatam. *Ajunt*, inquit, *Porticu olim appellata Piſianactia, nunc vero Pœcila, Polygnotum pictorem Troadeas pingentem Laodicæ faciem in imagine Elpinicæ feciſſe*. Nunc ex nomine, quod mutatum eſt, non agnoviſſem, niſi ex fonte Portæ vicino collegiſſem, quem etiamnum appellant Χρυσοπήγλω, a Porta Aurea nomen retinentem. Is adhuc perennis ſcaturit, & religioſe bibitur a Græcis, qui omnes fontes juxta templa ſitos ſacros habent, & nominant. Jam templum non extat, quod Procopius deſcribit: *Duo templa*, inquit, *Deiparæ Juſtinianus conſtruxit ante muros Urbis: unum in regione appellata Blachernis, alterum in loco nominato* Πηγὴ, *ubi eſt ſylva magna cupreſſorum, & pratum floridum, hortuſque tempeſtivos & formoſos fructus producens, & fons ſine ſtrepitu emittens aquam quietam & potabilem. Hæc quidem templa ante muros Urbis fecit: illud quidem ad littus maris, alterum prope Portas Aureas nuncupatas. Quæ quidem templa*, addit Procopius, *circa finem murorum eſſe, ut ambo ſint inexpugnabilia Urbis præſidia*. Ex quibus conjicio tempore Juſtiniani angulum Urbis, quem vocant Septem turrium, non fuiſſe intra Urbem: ſed murum terreſtrem a Porta Aurea, angulum feciſſe Urbis longe interiorem, ut ex Studio monaſterio colligere licet ſuburbano olim, quod nunc intra Urbem eſt, penitius quam angulus Septem turrium. Idem Procopius ait, Juſtinianum ingredienti Portam Auream a dextra parte templum divæ Iræ vetuſtate collapſum ingenti ſumptu reſtituiſſe Jam non modo ex antedictis Portam Auream aſſequor vicinam fuiſſe ſeptimo colli nuncupato Xerolopho, verum etiam ex Zonara, qui tradit regnan te Leone multa templa, multaſque domos terræmotu cecidiſſe, Arcadiique ſtatuam in Columna Xerolophi poſitam, & in Porta Aurea Theodoſii majoris ſtatuam, & muros Urbis pertinentes ad continentem campeſtrem. Cedrinus ait eodem terræmotu ad Portam Auream cecidiſſe Victoriæ ſtatuam: alii addunt eodem terræmotu quinto Kalendas Novembris facto ædificia ſacra profanaque permulta cecidiſſe, populumque multum extinctum fuiſſe, & ſimulacrum, quod ſtabat ſupra Attali Portam Magni Conſtantini una cum ipſo Attalo. Longe igitur errant, qui putant Portam Auream eſſe, quam nunc Oriam vocant, ſitam in parte Urbis ſeptentrionali, quam ante dixi Portam Neorii, cum ex ante ſcriptis liqueat eſſe in parte Urbis vergente ad Solis occaſum æſtivum Portam Auream, tum ex antiqua Urbis deſcriptione Regionum, quæ tradit Urbis longitudinem a Porta Aurea uſque ad littus maris directa linea pedum quatuordecim millia ſeptuaginta quinque continere. Cedrinus tradit, elephantos collocatos in Porta Aurea ſimiles eſſe illis, in quibus olim Theodoſius ſedens Urbem ingreſſus eſt. Quibus adjungunt horum elephantorum ſtatuas in Aurea Porta ſtatutas ex æde Martis Athenienſis deportaſſe Theodoſium Parvum, qui conſtruxit urbis muros uſque ad Blachernas. Cedrinus dicit, Regem Macedonium ædificaſſe magnum templum Mocii martyris, & ædem divæ Annæ in loco appellato Secundo. Procopius ſcribit, hoc utrunque templum Juſtinianum ædificaſſe. Vidi reliquias templi Mociani prope ciſternam ſitam in dorſo ſeptimi collis, amplam, non minorem, quam ante ſcripſi, conſtruxiſſe Juſtinianum, neque paucioribus columnis ſuſtentatam, quibus nunc ſpoliata ſpectatur, ſolum nomen retinens. Mocia enim nominatur: quam non modo Hiſtorici, ſed etiam Grammaticus Suidas dicit Anaſtaſium Dicorum condidiſſe. Vide an Moneta, quam in hac Regione ponit antiqua Regionum Urbis deſcriptio, ſit ædes Junonis Monetæ, an Ærarium: nam reges etiam hodie in Regione ſeptimi collis dicuntur caſtello Septem turrium uti pro Ærario. Suidas affert ſtatuam Junonis ſuſtinuiſſe æreum fornicem, ad ſimilitudinem forficis capillos tondentis; ſed in quo loco, non explicat: itaque ea, quæ adduxi de Moneta, ſint obiter dicta.

CAP. IX.

De columnis, quæ nunc extant in Colle ſeptimo.

ÆDES ſacra Studios appellata eſt, ab Studio principe cive Conſtantinopolitano. Is, ut ait Suidas, hanc condidit cum illuſtri monaſterio. Studii meminit Juſtinianus in *Novis Conſtitutionibus*, cum ait duas lecticas, quibus mortui efferuntur, in ſacro theſauro ſitas Studii præclaræ memoriæ, & Stephani magnificæ memoriæ. Studium intelligit monaſterium ita nuncupatum, quod nunc non extat: ædes extat, tranſlata in religionem Mametanam: in cujus veſtibulo ſunt quatuor columnæ cum trabeatione egregie elaborata: in interiori parte ædium utrinque columnæ ſunt ſeptem virides, nigris maculis elut fragmentis alterius generis lapidum inſeris diſtinctæ, quarum perimeter eſt ſex pedum & ſex digitorum. Denique earum ratio capitulorum, epiſtyliorum opere Corinthio elaborata, adem eſt, quæ columnarum veſtibuli. Supra illas ſex exiſtunt totidem columnæ in parte ædis ſuperiore. In area ædis Studianæ eſt ciſterna, cujus lateritias cameras ſuſtinent viginti tres columnæ excelſæ Corinthiæ.

Extra Urbem fuit monaſterium Studianum o-

lim, nunc est intra urbem, juxta viam, qua itur A ex Columna Arcadii ad Portam Septem turrium, quas claudit murus Urbis habens Portam nunc obstructam, olim patentem, cujus Parastades sunt duæ columnæ Corinthiæ marmoris maculosi, venis viridibus distincti, sustinentes octo columellas efficientes tres arcus. In latere Portæ sinistro existunt sex tabulæ marmoreæ, singulæ habentes latera clausa columellis aliis teretibus, aliis quadratis, continentes statuas eminenter expressas affabre scalptas, nudas, clavis pugnantes, quarum superiores habent supra se Cupidines velut præcipites ad volandum: in latere dextro sunt item sex tabulæ cinctæ similiter columellis. B In prima tabula inferiori juvenis tenens organum musicum jacet supinus, tibiis implexis: supra ipsum impendet imaguncula velut Cupido; supra Cupidinem mulier; in tabula superiore est statua nuda tenens clavam erectam, pelle leonis brachio involuto, canes ducens manu sinistra. Supra ipsam eminet Leæna, turgens uberibus. Alia tabula continet duos agricolas, ferentes calathos uvis plenos. In alia tabula est eques alatus: equi frenum retinet mulier, a tergo sunt mulieres duæ. In summa parte tabulæ, alia mulier recubat. E regione hujus jacet juvenis. Hæc addidi, ob tabularum antiquum C opus summo artificio factum.

Præterea vidi in septimo colle cum alias Mameticas ædes, tum quatuor præcipuas, habentes vestibula marmorea, columnis marmoreis ornata: duas quidem in latere orientali, quarum duæ habent sex columnas in vestibulo bene proceras & crassas; duas quidem marmoris Thebæi, quatuor vero obscure virentes marmoris miscellanei. Altera est prope columnam Arcadii, nuper facta ab uxore Soleimani Regis, cum Xenodochio luculento, & Gymnasio profitentium literas Turcicas, & Arabicas: in quibus numeravi plusquam sexaginta columnas varias. In dorso collis D spectantur aliæ duæ ædes; quarum una habet balnea adjuncta, & Gymnasia literaria. In ædis vestibulo sunt sex columnæ Thebaici marmoris, quarum ambitus est septem pedum, & velut calcaneum æreum: bases quidem, & capitula Turcico labore exculpta, sed scapi antiquissimi, præsertim duarum cingentium aditum ædis, habentium Hypotrachelium subtilius reliquo scapo. Hypotrachelii ima pars æqualis scapo habet annulum teretem. Supra annulum est alter annulus, latus depressus: deinde superest Hypotrachelium depressius reliquo scapo, ut est hominis collum subtilius inter caput & thoracem: E nullamque vidi aliam Byzantii habentem Hypotrachelium, tantopere accedens ad rationem Vitruvii, tradentis Hypotrachelium columnæ Doricæ contrahendum, ita ut in tertio libro de Ionicis est scriptum. Alia ædes Mametana est in eodem colle, in cujus vestibulo sunt sex columnæ bene excelsæ: in Gymnasii atrio sunt quatuordecim, totidem in porticu vicina.

CAP. X.

De Regione tertiadecima Urbis, Sycena appellata; & de oppido Galata, sive Pera.

F

GALATAM oppidum fuisse partem Constantinopolis, ostendit antiqua descriptio Regionum: *Novæ*, inquit, *Romæ tertiadecima Regio est Sycena: quæ sinu maris angusto divisa, societatem Urbis navigiis frequentibus promeretur; tota lateri montis affixa, præter unius plateæ tractum*. Stephanus ait, urbem Sycas contra novam Romam esse sitas, appellatas sua ætate Justinianas: cur autem ita appellarentur, non explicat; sed si ex eo, quod Justinianus eas ædificiis ornarit, aut colla psas restituerit, his enim de causis urbes solent mutare nomina Miror Procopium non meminisse horum ædificiorum, cum totius sinus Cornu nuncupati ædificia a Justiniano ædificata, vel restituta exacte describat; nisi fortasse erratum sit in Procopio scribente *Jucundianas* pro *Justinianis*: cum ait, regias suburbanas Justinianum renovasse in æreo loco, & loco, quem Jucundianas vocant; aut si in Procopio mendum non est, erratum videri potest in Stephani Codice habente *Justinianas* pro *Jucundianis*: at Stephanus longe ante Justinianum scripsit. Itaque, si vitium est, Stephani non est, sed Hermolai Grammatici Constantinopoleos, qui Commentaria Stephani redegit in Epitomen, quam Justiniano dedicavit. At vero Justinianeæ potius, quam Jucundianæ nominandæ videntur Sycæ, ex collatione multorum Codicum non modo Procopii, sed etiam Justiniani editorum, & manuscriptorum. Justinianus in suis *Novis Constitutionibus; Illud*, inquit, *manifestum est, si majus intervallum sit, & plures sint Decani feretro inservientes, & plures scholæ, propter feretri pondus pauxillum quiddam ipsis dandum esse.* Deinde paulo infra addit, sibi similiter videri, si funus effertur intra novos urbis muros, & trajectum τ̃ Ἰυςινιανῶν ἤτοι Συκῶν, hoc est, *Sycarum, sive Justinianarum*, quoniam non longe distant. neque opus est majore tempore, aut labore ad illuc proficiscendum. Sin autem extra muros hujus fœlicis Urbis funus ducitur, sive ultra alios trajectus, quam trajectum Sycenum funus effertur; prætereo cætera. Ubi adverte πέρασμα Latine vertendum esse *trajectum*, non autem *terminum*, ut habet Latina interpretatio. Ex antedictis patet oppidum Sycas nominatas esse trans Sinum, & contra Constantinopolim: sed contra quam Constantinopolis partem non declarat Stephanus: at ex antiqua Regionum Urbis descriptione assequor, tradente Regionem sextam a Foro Constantini usque ad trajectum Sycenum porrigi, hoc est, Peræum, sive Galatinum nunc appellatum. Et ne videar contemnere recentes, afferam ex his nonnullos, qui tradunt Absimarum Ducem hostium obsidentium Constantinopolim, se recepisse in Portum Sycæ, sitæ e regione Constantinopolis. Evagrius scribit capita Longini, & Theodori a Joanne Scytha Constantinopolim missa, ex contis appensa, ad nuncupatas Sycas in ulteriore littore opposito Constantinopoli sitas, Regis jussu erecta fuisse, jucundum spectaculum Byzantinis. Idem addit, Vitalianum usque ad nuncupatas Sycas incursiones fecisse. Contra quem, habentem in Sycis stationem, mittitur a Rege Anastasio Marinus Syrus pugnaturus. Ambæ igitur classes se præparant; una ad puppim Sycas, altera Constantinopolim habens: primum remos inhibebant; deinde post excursiones, & leves pugnas utrinque factas, prælium navale commissum est circa loca appellata Vitharia. In fugam se conjecit Vitalianus magna ex parte virium suarum amissa, ut nemo hostium deinde in Bosporo inveniretur. Nec me movet Strabo, qui videtur extra Sinum Sycam ponere: *Ex Promontorio*, inquit, *Fretum Bosporium in quinque stadia stringente, usque ad portum sub Syca positum esse triginta stadia; ex Syca ad Byzantiorum cornu quinque stadia*: Quæ non discreparent ab his, quæ ante dixi, si intelligeret Byzantiorum cornu, ut Plinius intelligit, Promontorium ipsum Bosporium, in quo Byzantium situm est. At Strabo declarat statim subdens Cornu esse Sinum longum sexaginta stadia. Itaque aut erratum esse Codicis Straboniani arbitror, aut ipsum Stra-

A bonem errare, cum ex ante scriptis, tum maxime ex Dionysio Byzantio antiquiore, & suæ patriæ scriptore, tradente Sycodem locum esse juxta Sinum Cornu appellatum, in eo loco ubi hodie extat Galata, ut planius declaravi in *Bospori circumnavigatione*. Longe etiam errant Perotini, qui dictitare solent, Januenses primos conditores esse Peræ oppidi, cum multis ante seculis condita fuerit, quam Januenses Peram emissent, vel navatæ in bello operæ loco mercedis accepissent ab Imperatore Constantinopolitano: cum Justinianus ponat Sycas intra Urbis muros, & Agathius muris clausas tradat, cum ait adventu hostium tantum terrorem injectum fuisse civibus Constantinopolitanis, ut Justiniani Regis milites armati insisterent muris Sycarum, ut prompte obsistere hostibus possent. Quid quod Stephanus Sycas appellat Urbem, quam postea recentes scriptores, sed antiquiores, quam Januenses Galatam accepissent, castellum Galaticum vocant, tradentes classem Saracenorum stationem a Magnaura ad Cyclobion habuisse. Post autem duos dies, cum vehemens ventus flaret, ad castellum Galatam usque ad Clidion appulsam partem classis, exustam fuisse igne, quem Imperator ex Acropoli jacularetur. Zonaras narrat Michaelem Imperatorem, cum terra & mari obsideretur, in hanc desperationem venisse, ut catenam contenderet ab Acropoli ad oppidulum in contrario littore positum. Adhuc Galatæ porta est, quæ appellatur *Catena*, ex eo, quod ab Acropoli usque ad eam portam catena extenderetur. Auctam vero a Januensibus non semel, sed iterum, ostendunt muri sæpius promoti, adhuc extantes ab Oriente duplices, ab Occasu triplices, designantes varia urbis incrementa. Jam videre licet antiquas Sycas in media Galata muris clausas, sitas contra Regionem sextam, & trajectum Sycenum, totas affixas lateri montis, quales describit Regionum Urbis libellus, præter unius plateæ tractum, quem subjacentium sub eundem montem littorum tantum præstat æqualitas. Oportuit hanc plateam latam fuisse centum passus Romanos. Nam tanta hodie superest inter montem & sinum planities, & major fortasse: quoniam tot post annos dilatata fuerit, ut quotidie videmus excrescere ex projectione purgamentorum, quæ, ut desideant in profundum, retinentur sublicis arcas ligneas stabilientibus, quas fistucis defigunt incolæ studio augendæ planitiei littoralis, & oræ maritimæ efficiendæ propius portuosæ. Verum ut planius intelligatur ubi olim Sycena regio fuerit, Galatæ situm, ut nunc est, describam.

CAP. XI.

Descriptio Galatæ: de templis Amphiarai, & Dianæ, & Veneris, & theatro Syceno, & foro Honoriano.

SYCENA regio, jam vulgo nominata Galata, sive Pera, rectius nominanda Peræa, ut Josephus Judæam trans Jordanem nominat Peræam, & trans Euphratem Strabo regionem appellat Peræam. Cur autem appelletur Galata, Constantinopolitani omnes jam prædicant, ex eo, quod illic olim lac venderetur, aut mulgeretur, decepti nominis allusione: nec dubito si scirent Galatam appellatam olim Sycam: quin etiam auderent eam dicere a ficuum lacte ita appellatam esse; suamque tum aberrationem a vero tueri possent autoritate Dionysii Byzantii, scribentis Sycam appellatam a multitudine, & pulchritudine arborum ficuum ibi provenientium. Quanto rectius conjectassent, si a Galatis populis eam Galatam nominatam fuisse arbitrati essent, adducti Joannis Tzetzæ civis Constantinopolitani, & diligentis Grammatici *Varia Historia*, abhinc fere quadringentos annos conscripta: quæ tradit Brennum Gallum, Ducem Gallorum, quos Græci Galatas appellant, profectum Byzantium, illinc trajecisse: indeque Byzantii locum appellatum fuisse Peram, ex trajectione Galatarum; a quibus postea arbitror etiam Galatam appellatam. Hæc autem sita est partim in colle; partim in planitie subjecta sub ipsum collem, quem duæ valles efficiunt, una ab Oriente, altera ab Occidente, utraque longa circiter unum miliare. Collis dorsum procedit a Septentrione ad Meridiem, latum ubique non minus ducentis passibus; tam longum, quam valles, quibus utrinque clauditur: deinde conjungitur cum reliqua continentis planitie. Collis meridianum latus, & planitiem sub ipsum subjectam, continentes Galatam, circumscribit sinus Ceratinus, Isthmumque, & peninsulam fere semicirculam efficit: ut si lineam duceres ab ore & faucibus Sinus ad medium recessum, quem Sinus Ceratinus insinuat in vallem, quæ collem Galatinum ad Occasu claudit, inclusam videres intra semicirculum, quem designaret ducta linea, Galatam, accedentem ad figuram arcus intenti, nisi ejus Cornu vergens ad Occasum dimidio largius quam orientale esset, & minus longum. Galatæ circuitus muro circumdatus patet quater mille & quadringentos passus: latitudo varia: nam media est sexcentorum passuum, quorum viginti intercedunt inter Sinum & muros. Jam vero planities procurrens inter Sinum & collem, dilatatur in centum octoginta passus; clivus vero in quadringentos. Latus Galatæ orientale patet in latitudinem primo quadringentorum passuum, deinde contrahitur in ducentos sexaginta passus. Latus pertinens ad Occasum, extra veterem Galatam, situm habet mollem clivum, & fere totum ad Meridiem, tendentem præter exiguam proclivitatem subsidentem ad Solis occasum, juxta muros veteris Galatæ sitam. Clivi enim collis Galatini duplici devexitate inclinantur; una in valles, altera in Sinum. Unde fit, ut urbs sit prona triplici proclivitate; una a Septentrionibus ad Meridiem, altera ad Ortum Solis, tertia ad Occasum. Declivitas per mediam Galatæ latitudinem decurrens, tendit a Septentrionibus ad Meridiem, ita prona, ut in multis locis clivi gradibus molliantur, ut domus ex parte infera scalis ascendantur, ex supera adeantur plano pede usque ad primam contignationem: latus vero tam vergens ad Solis ortum, quam ad occasum, duplicem devexitatem habet; unam a Septentrionibus ad Meridianum cardinem, alteram ad Orientem, aut Occidentem: ut non modo viæ rectæ, sed etiam transversæ proclivitatem habeant: sed orientale latus proclivius in utramque devexitatem, occidentale molles clivos habet tam rectos, quam transversos. Denique Galata sic prona est, ut si eadem altitudine omnes domus essent, superiores contignationes aspectu maris fruerentur, ex eisque velut ex theatris naves ultra citraque trajicientes spectarentur. Neque modo Galata, sed tota fere Constantinopolis maris aspectu frueretur, si lex a Zenone constituta, & Justiniano sancita servaretur, jubens intra centum passus neminem posse Constantinopoli impedire maris aspectum, neque rectum, neque obliquum. Plana urbis pars discurrens inter imos collis clivos & Sinum, nusquam minus stricta ducentis passibus; in cornibus largior est: & quidem alicubi patet in longitudinem quadringentorum passuum.

Oppidum triplo longius, quam latius. Latitudo tendit a Septentrionibus ad Meridiem; longitudo ab Oriente ad Occasum. Latus occidentale latius quam orientale, & fere eadem latitudine qua media urbs: nam per longitudinem quingentorum passuum nusquam minus lata quingentis passibus. Orientale latus contrahitur molliter, quoad ejus extremitas in formam cunei reducitur, ubi lata est ducentos sexaginta passus. Totum littus, quod circuit Galatam, portuosum est, naves admittens usque dum contingant oram maritimam. Inter mœnia & Sinum intermissum est spatium, ubi tabernæ & officinæ mercatorum & cauponæ frequentes, & vacua intervalla ad exonerandas naves. Portas habet maritimas sex: quarum tres trajectum frequentem habent ad Constantinopolim. Ita enim contra Constantinopolim jacet Galata a Septentrionibus, ut primo, secundo, tertio collibus, & valli primæ & secundæ Constantinopolitanis sit adversa, præ se habens Sinum & Constantinopolim, a tergo suburbana ædificia. Nam supra Galatam multæ domus suburbanæ partim in collis Galatini dorso, partim in ejus lateribus triplicibus: nec Galata attingit summum verticem collis, imo ex summa urbe, ubi est excelsissima turris, adhuc restat extra urbem ascensus trecentorum circiter passuum, plenum ædificiis, inde jugum planum tendens a Meridie ad Aquilonem, largum circiter ducentos passus, longum duo millia passuum, per quod medium discurrit via lata utrimque ædificiis cincta hortorum & vinetorum; neque est ulla pars amœnior: ex qua ejusque lateribus videtur Sinus Ceratinus, & Bosporus, & Propontis, & septem colles Constantinopolis, & Bithynia, & semper nivosus Olympus. Denique ædificia non modo in colle Galatino, sed etiam in collibus & vallibus circumvicinis sitis in littore Galatino posito contra Constantinopolim, tot colles & valles habent, quot Constantinopolis, ut jam longe dimidio majorem, quam sit Galata, urbem efficere possent, ac si centum annos fœlicitas Imperii Byzantini duraverit, altera Constantinopolis futura est Galata.

Qui scribunt, Byzantem conditorem Byzantii templum Amphiarai ædificasse in Syca, aberrant quidem a rei veritate, sed non procul. Nam Dionysius Byzantius tradit, post locum Sycenum fuisse templum Amphiarai, ædificatum a Coloniæ deductoribus, quorum princeps erat Byzas. Amphiaraum cum cæteri Græci, tum Megarenses honorabant, Deum ut haberent. Sed Amphiarai templum, etsi non esset in loco, quem Dionysius appellat Sycenum, tamen ejus appellatio dilatata fuit, postquam Sycena urbs condita fuit, ut etiam intra Sycas Amphiarai, & Dianæ Luciferæ, & Veneris Placidæ templa inclusa fuerint, ut plane demonstravi in *Tractatione Bospori*. Sed horum jam nulla restant vestigia, neque illorum, quæ tradit antiqua Regionum Urbis descriptio in regione Sycena fuisse; neque hominum ullorum memoria viventium recordatur vestigiorum, ubi illa fuerint: imo non modo eorum memoriam, sed ne nomen quidem Sycenæ regionis quisquam jam, qui vel audierit, vel legerit, reperitur. Theatrum tamen & Forum Honorianum duntaxat ex architectonica ratione conjicere licet, fuisse illud quidem in imis clivis, ut solent esse omnia Theatra, quorum vestigia vidi in Græcia. Forum vero in planitie vicina Portui, ubi nunc Xenodochium ædificatum est in fundamentis templi divi Michaelis, quod integrum extabat, cum venissem Byzantium; eoque aquæ uberiores adductæ sunt inventis cuniculis antiqui aquæductus subterranei. Denique nihil antiquæ Sycenæ jam apparet. Nam columnæ, quæ antiquæ visuntur in aliquot templis Galatinis, a Januensibus foris exportatæ dicuntur, quorum nonnullæ antiquo opere elaboratæ sunt. Cisterna divi Benedicti spoliata cameris, & columnis circiter trecentis concamerationem sustinentibus, conversa in hortorum culturam jam alentium templi æditimum, indicat opus fuisse antiquæ opulentiæ.

Ex ante scriptis cognoscere potes, quæ monumenta Constantinopolis olim habuerit, quæ vero ædificia publica nunc habeat a Turcis, & qua ratione sint nonnulla a Turcis ædificata, separato volumine essent tractanda. Nunc summatim pauca exponam: Ædes Mametanas continet plus trecentas, quarum sumptuosissimæ a regibus, & regum purpuratis ædificatæ; sed omnes tectæ plumbeis tegulis, marmoribus, & columnis marmoreis ornatæ ex spoliis Christanarum ædium; ut hæ prius ornatæ fuerant ex veterum deorum spoliis. Balnea & Thermas habet publicas supra centum: quarum quinquaginta magnæ & geminæ, & fere tales quales descripsi a Mametho Rege ædificatas. Xenodochia & publica hospitia longe supra centum habet, quorum illustria aquas salientes in medio atrio habent ex agris suburbanis ductas. Sed præcipue excellunt reges Turcorum in aquis ducendis intra Urbem. Eusebius quidem laudat Constantinum: *In mediis*, inquit, *Foris videas fontes boni pastoris insignia habentes, his qui sacras literas norunt explorata, Danielem scilicet, & leones ex ære factos laminis aureis fulgentes.* Valens & Andronicus magnis sumptibus flumina procul ab Urbe perduxerunt, partim arcubus adhuc extantibus supra terram, partim opere subterraneo: cæterique reges ingentes piscinas, & lacus subterraneos, quos cisternas posteritas appellavit, permultas in omni urbis regione ingentibus sumptibus ædificarunt, metuentes obsidionem a vicinis hostibus. At Turcica Constantinopolis jam adeo longinquos habet hostes, ut cisternas, aut diruat, aut in alios usus convertat quam aquarum, atque copia aquarum salientium fruitur perductis ex omni agro suburbano etiam longe remoto: nullum enim est celebre templum, nullum Xenodochium, nullum publicum hospitium, nullæ thermæ nobiles, quæ non habeant aquas salientes in media area. Prætereo Bassarum, cæterorumque purpuratorum domos. Omitto Regem ipsum, cujus claustrum, occupans vetus Byzantium, passim perennes fluvios habet longe extra Urbem adductos. Prætereo lacus, & castella ubique in Foris, in viis creberrima, non modo largos potus largientia, sed etiam ex usibus hominum exeuntia, immunditias urbis in mare everrunt, & impuriorem spiritum & causas gravioris cœli auferunt, quibus urbes haberi solent infames. Prætereo nunc narrare, ut omnia ædificia Constantinopolitana sint facta ex ruinis incendiorum & terræmotuum humilia, ut non multa habeant duas contignationes, lapide cæmentitio, aut latere non modo cocto, sed etiam crudo refecta. Excipio domos Galatæ a Januensibus conditas, & domos aliquot purpuratorum regiorum. Christiani Græci suas sexcentas ædes sacras amiserunt: ex quibus nullam retinent nobilem præter ædem Monasterii, ubi habitat Patriarcha; reliquæ aut funditus eversæ, aut in usus religionis Mametanæ conversæ sunt: nam quas habent ædes jam sacras circiter septuaginta, obscuræ sunt. Franci circiter decem habent; Armenii septem; Judæorum vero synagogæ plusquam triginta, vix capientes multitudinem maximæ nationis.

Ex ante scriptis facilius fortasse cognosces absens, monumenta antiqua, quæ tradit antiqua Regionum Urbis descriptio, quam sine his præsens videas Constantinopolim: quod experitur, qui similia investigare post me conabitur. Quod ut quivis promtius possit, adjungam statim *de Regionibus novæ Romæ Constantinopolitanæ* (incerto Authore, sed illo tamen antiquo) libellum scriptum ante Justiniani tempora.

REGIO PRIMA.

PRIMA *Regio continet domum Placidiæ August. domum nobilissimæ Marinæ, Thermas Arcadianas, vicos sive angiportus viginti novem, domos centum decem & octo, porticus perpetuas duas, balneas privatas quindecim, pistrina publica quatuor, (pistrina privata quindecim,) gradus quatuor, Curatorem unum, qui totius regionis solicitudinem gerat. Vernaculum unum, velut servum in omnibus, & internuntium regionis. Collegiatos vigintiquinque, qui e diversis Corporibus ordinati, incendiorum solent casibus subvenire. Vicomagistros quinque, quibus per noctem tuendæ Urbis cura mandata est.* Hactenus Auctor: subdit Gyllius quæ sequuntur.

Quos P. Victor, sive Sextus Ruffus Vernaculos vocatos, fuisse (ait) in Antiqua Roma, hic in Mova Roma appellat *Denunciatores*; Collegiatorum non meminit neque Ruffus, neque Victor; omnes meminerunt Vicomagistrorum; quos distinxisse videtur Constantinopolitana descriptio in Collegiatos & Vicomagistros. Latinius quidem Vicorum magistri appellarentur, ex inscriptione adhuc exstante in Capitolio Antiquæ Romæ.

IMP. CÆSARI DIVI.
TRAIANI PARTHICI FIL.
DIVI NERVÆ NEPOTI.
TRAIANO HADRIANO.
AVG. PONTIF. MAXIMO.
TRIBVNIC. POTESTAT. XX.
IMP. II. CON. III. P.
MAGISTRI VICORUM XIII.

Pergit Autor libelli.

REGIO SECUNDA.

SECUNDA *Regio ab initio Theatri minoris, post æqualitatem sui latenter molli sublevata clivo, mox ad mare præcipitiis abrupta descendit, continet in se Ecclesiam magnam, Ecclesiam antiquam, Senatum, Tribunal purpureis gradibus extructum, thermas Zeuxippi, Theatrum, Amphitheatrum, vicos sive angiportus triginta quatuor, domos nonaginta & octo, porticus magnas quatuor, balneas privatas tredecim, pistrina privata quatuor, gradus quatuor, Curatorem unum, Collegiatos triginta quinque, Vicomagistros quinque.*

REGIO TERTIA.

TERTIA *Regio plana quidem in superiori parte, utpote eo Circi spatio longius explicato, sed ab ejus extrema parte nimis prono clivo, mare usque descendit. Continet in se eundem Circum Maximum, domum Pulcheriæ Augustæ, portum novum, porticum semirotundam, quæ ex similitudine fabricæ Sigma Græco vocabulo nuncupatur, tribunal Fori Constantini, vicos septem, domos nonaginta quatuor, porticus magnas quinque, balneas privatas undecim, pistrina privata novem, Curatorem unum, Vernaculum unum, Collegiatos viginti & unum, Vicomagistros quinque.*

REGIO QUARTA.

REGIO *Quarta a Miliario aureo collibus dextra lævaque surgentibus ad planitiem usque valle* A *ducente perducitur. Continet in se idem Miliarium aureum, Augustæum, Basilicam, Nymphæum, porticum Fanionis, liburnam marmoream, navalis Victoriæ monumentum, ecclesiam sive Martyrium sancti Mennæ, stadia, scalam Timasii, vicos triginta quinque, porticus magnas quatuor, balneas privatas septem, pistrina privata quinque, gradus septem, Curatorem unum, Vernaculum unum, Collegiatos quadraginta, Vicomagistros quinque.*

REGIO QUINTA.

REGIONIS *Quintæ non modica pars in obliquioribus posita locis, planitie excipiente producitur: in qua necessaria civitati ædificia continentur.* B *Continet in se Thermas Honorianas, Cisternam Theodosiacam, Prytaneum, Thermas Eudocianas, Strategium, in quo est Forum Theodosiacum, & obeliscus Thebæus quadratus, horrea olearia, Nymphæum, horrea Croadentia, (Troadentia) horrea Valentiniana, horrea Constantiaca. Portum habet Prosphorianum, scalam Chalcedonensem, vicos viginti tres, domos centum octuaginta quatuor, porticus magnas quatuor, balneas privatas undecim, pistrina publica septem, pistrina privata duo, gradus novem, macellos duos, Curatorem unum, (Vernaculum unum,)* C *Collegiatos quadraginta, Vicomagistros quinque.*

REGIO SEXTA.

REGIO *Sexta brevi peracta planitie, reliqua in devexo consistit; a Foroque Constantini Scalam usque sive Trajectum Sycænum porrigitur spatiis suis. Continet in se columnam purpuream Constantini, Senatum ejusdem loci. Neorium portum, scalam Sycænam, vicos viginti duos, domos quadringentas octuaginta quatuor, porticum magnam unam, balneas privatas novem, pistrinum publicum unum, pistrina privata decem & septem (gradus decem & septem,) Curatorem unum, Vernaculum unum, Collegiatos* D *quadraginta novem, Vicomagistros quinque.*

REGIO SEPTIMA.

REGIO *Septima in comparatione superioris planior, quamvis & ipsa circa lateris sui extremitatem habeat (abeat) in mare declivior. Hæc a parte dextra Columnæ Constantini usque ad Forum Theodosii continuis extensa porticibus, & de latere aliis quoque pari ratione porrectis, usque ad mare, velut seipsam inclinat, & ita deducitur. Habet autem in se Ecclesias tres, hoc est, Hirenem, Anastasianam, & Sancti Pauli, columnam Theodosii, intrinsecus usque ad summitatem gradibus perviam; equites ma-* E *gnos duos partem ejusdem fori, thermas Carosianas, vicos octoginta quinque, domos septingentas undecim, porticus magnas sex, balneas privatas undecim, pistrina privata duodecim, gradus sexdecim, Curatorem unum, Collegiatos octoginta, Vicomagistros quinque.*

REGIO OCTAVA.

OCTAVA *Regio ex parte Tauri, nulla maris vicinitate contermina, angustior magis quam lata, spatia sua in latitudinem (longitudinem) producta compensat. Continet in se partem Fori Con-* F *stantini porticum sinistram Taurum usque, Basilicam Theodosianam, Capitolium, vicos viginti unum, domos centum octo, porticus majores quinque, balneas privatas decem, pistrina privata quinque, gradus quinque, macellos duos, Curatorem unum, Vernaculum unum, Collegiatos decem septem, Vicomagistros quinque.*

REGIO NONA.

REGIO *Nona prona omnis, & in totum deflexa, extensi maris littoribus terminatur. Continet in*

se ecclesias duas, Cenopolim & Omonœam, horrea Alexandrina, domum Nobilissimæ Arcadiæ, thermas Anastasianas, horreum Theodosianum, vicos sexdecim, domos centum & sexdecim, porticus majores duas, balneas privatas quindecim, pistrina privata quindecim, pistrina publica quatuor, gradus quatuor, Curatorem unum, Vernaculum unum, Collegiatos triginta octo, Vicomagistros quinque.

REGIO DECIMA.

REGIO *Decima in aliud civitatis latus a Nona Regione platea magna, velut fluvio interveniente dividitur. Est vero tractu planior; nec usquam præter maritima loca inæqualis, longitudini ejus latitudine non cedente, contines in se Ecclesiam, sive Martyrium Sancti Acacii, thermas Constantinianas, domum Augustæ Placidiæ, domum Augustæ Eudoxiæ, domum Nobilissimæ Arcadiæ, Nymphæum majus, vicos viginti, domos sexcentas triginta sex, porticus majores sex, balneas privatas viginti duas, pistrina publica duo, pistrina privata sexdecim, gradus duodecim, Curatorem unum, Vernaculum unum, Collegiatos nonaginta, Vicomagistros quinque.*

REGIO UNDECIMA.

REGIO *Undecima spatio diffusa liberiore, nulla parte mari sociata est: verum ejus extensio tam plana, quam etiam collibus inæqualis, continet in se Martyrium Apostolorum, palatium Flaccilianum, domum Augustæ Pulcheriæ, Bovem æreum, cisternam Arcadiacam, cisternam Modestiacam, vicos octo, domos quingentas tres, porticus majores quatuor, balneas privatas quatuordecim, pistrinum publicum unum, pistrina privata tria, gradus septem, Curatorem unum, Vernaculum unum, Collegiatos triginta septem, Vicomagistros quinque.*

REGIO DUODECIMA.

REGIO *Duodecima Portam (Portum) a civitate petentibus in longum plana omnis consistit: sed latere sinistro, mollioribus clivis deducta, maris confinio terminatur, quam mœnium sublimior decorat ornatus. Continet in se Portam Auream, porticus Troadeas, Forum Theodosiacum, columnam itidem intra se gradibus perviam, Monetam, portumTheodosiacum, vicos undecim, domos trecentas sexaginta tres, porticus majores tres, balneas privatas quinque, pistrina privata quinque, gradus novem, Curatorem unum, Collegiatos decem & septem, Vicomagistros quinque.*

REGIO DECIMATERTIA.

TERTIADECIMA *Regio, Sycæna est, quæ sinu maris angusto divisa, societatem Urbis navigiis frequentibus promeretur: tota lateri montis affixa, præter unius plateæ tractum, quam subjacentium eidem monti littorum tantum præstat æqualitas. Continet in se Ecclesiam, Thermas Honorianas, Forum Honorianum, theatrum, navalia, domos quadringentas triginta unam, porticum majorem unam, balneas privatas quinque, pistrinum publicum unum, pistrina privata quatuor, gradus octo, Curatorem unum, Vernaculum unum, Collegiatos triginta quatuor, Vicomagistros quinque.*

REGIO DECIMAQUARTA.

REGIO *sane Quartadecima licet in Urbis quartadecima numeretur parte, tamen quia spatio interjecto divisa est, muro proprio vallata, alterius quodammodo speciem civitatis ostendit. Est vero progressus a porta modicum situ plana, dextro autem latere in clivum surgente usque ad medium fere plateæ spatium nimis prona, unde mare usque mediocris hæc, quæ civitatis continet partem, explicatur æqualitas. Continet in se Ecclesiam, palatium, Nymphæum, Thermas, Theatrum, Lusorium, pontem sublicium, sive ligneum, vicos undecim, domos centum sexaginta septem, porticus majores duas, balneas privatas quinque, pistrinum publicum unum, privatum unum, gradus quinque.*

COLLECTIO CIVITATIS.

COGNITA *Urbe per partes, fas est etiam situm occlusæ jam universitatis aperire, ut magnificentiæ unicum decus, non solum videatur opere & manu confectum, sed etiam conspirantibus elementis, naturæ fœlicitate munitum. Providentia ergo divina tot futurorum hominum domiciliis consulente, longo tractu in Promontorii qualitatem spatiosior terra, faucibus Pontici maris opposita, sinuosis portuosa lateribus, angustior latitudine circumflui maris tutela vallatur. Hoc quoque spatium, quod solum apertum maris circulus derelinquit, duplici muro acies turrium extensa custodit. Intra quas septa Civitas continet in se omnia sigillatim memorata. Quæ nunc ad infirmioris memoriæ qualitatem summatim collecta referemus. Habet ergo UrbsConstantinopolitana palatia quinque, ecclesias quatuordecim, domos divinas Augustarum sex, domos Nobilissimas tres, thermas octo, Basilicas duas, fora quatuor, Senatus duos, horrea quinque, Theatra duo, Lusoria duo, portus quatuor, Circum unum, cisternas quatuor, Nymphæa quatuor, vicos trecentos viginti duos, domos quatuor millia trecentas octoginta octo, porticus quinquaginta duas, balneas privatas centum quinquaginta tres, pistrina publica viginti, pistrina privata centum viginti, gradus decem & septem, macellos quinque, Curatores tredecim, Vernaculos quatuordecim, Collegiatos quingentos sexaginta, Vicomagistros sexaginta quinque, columnam purpuream, columnas intra se pervias duas, Colossum unum, Tetrapylum aureum unum, Augustæum, Capitolium, Monetam, scalas maritimas tres. Habet sane longitudo Urbis, a Porta Aurea usque ad littus maris directa linea, pedum quatuordecim millia septuaginta quinque: latitudo autem pedum sex millia centum quinquaginta.* Hactenus Auctor libelli. Subjungit Gyllius.

QUOD autem quatuordecim Regiones non continerent nisi quatuor mille & trecentas octuoginta octo domos, intelligere oportet domos principum civium majores, ut Sex. Ruff. & P. Victor tradentes, quatuordecim Regiones Romæ domos continere circiter mille & septingentas quinquaginta quinque, interpretari necesse est illustres & capaces: cum utraque Roma vetus, & nova maxima esset, & frequentissime habitaretur. Nam, ut præteream veterem Romam, profecto Nova Roma Constantinopolitana adeo frequens erat eo tempore, quo hæc Regionum Urbis descriptio conscripta est, ut etiam, qui habitarent apud vias latas & fora, anguste habitarent: adeoque connexa fuerunt ædificia, ut vix locus sub dio apertus inveniretur, ut cœlum quis aspicere posset, suburbanaque ædificia latissime usque ad Silymbriam, & mare Ponticum continuarentur; marisque non exigua pars ambientis Urbem obrueretur defixis sublicis ædificia sustinentibus. Hæc autem monumenta, & longe plura, olim fuerunt Constantinopoli, quæ nunc nulla extant, præter columnam purpuream, & Arcadianam, & Ædem Sophiæ, & Hippodromum spoliatum, & cisternas aliquot. Nam quæ fuerint Byzantii antiqui, antequam eversum fuisset a Severo, monumenta, nemo scribit, quamvis plurima conjicere licet, florentis diu heroicis temporibus cum ingenia omnium artium erant in pretio, cum Rhodus tria millia signorum habebat non præstantior Byzantio; ex cujus muris tanta arte constructis, quantopere interiora niterent existimare possumus. Hoc duntaxat sci-

mus, Darium, Philippum, Severum, Byzantii monumenta vaſtaſſe, & Byzantios ipſos cum omnia conſumpſiſſent, tamen Severi militibus reſtitiſſe lignis, quæ ex ædificiis detrahebant, & ſtatuis, quas in hoſtes projiciebant. Qui autem a Conſtantino reædificati Byzantii tot monumenta perdiderunt, partim ante attigi, partim ſummatim perſtringam. Primum Imperatores diſſentientes, deinde incendia creberrima non modo fortuita, ſed etiam ab hoſtibus tam externis, quam diſſidientibus variarum factionum partibus jacta (quorum nonnulla tres, alia quatuor dies exurere non ceſſarunt) non modo apta ad comburendum, ſed etiam ex marmore ſtatuas & ſigna, atque omnem ſtructuram ex quavis materia conſtructam, velut quippiam accomodatum ad exurendum acervos ruderum exaggerantia inſtar collium ex omni genere materiæ accumulatorum, priorem aſpectum confundentia, ut ne illi quidem, qui ipſa conſtruxiſſent agnoſcere poſſent, quid, vel ubi ea ipſa prius fuiſſent. Neque modo ab hoſtibus antiqua monumenta everſa ſunt, ſed etiam ab Imperatoribus etetiam Conſtantinopoli amiciſſimis, inter quos primus Conſtantinus Magnus, quem Euſebius ſcribit templa Deorum diruiſſe, veſtibula vaſtaſſe, tecta detraxiſſe, eorum ſtatuas æreas ſuſtuliſſe, quibus tot ſeculis gloriabantur, eaſque in omnibus foris Conſtantinopoleos propoſuiſse non ad honorem, ſed ad ludibrium; totamque Urbem ſui nominis impleviſſe æreis operibus ſumma & antiquiſſima arte elaboratis, ut eas ſpectatores ludibrio haberent: aureas autem Deorum ſtatuas, argenteaſque e modio ſuſtuliſſe, reliquaſque ex pretioſa materia factas ſpoliaſſe, ſtatuas vero ex ære factas reliquiſſe abjectas. Deinde auget Euſebius, quam infeſtus Conſtantinus fuerit Gentilium monumentis, ut ex toto Imperio ea deleri curarit, ut lege edixerit Gentilium templa evertenda eſſe. Quam etiam ipſe Euſebius iis infeſtus fuerit, quam etiam reliqui ſcriptores Chriſtianæ religionis, percipitur ex eorum ſcriptis: nempe tam acerbos fuiſſe in Deorum monumenta, quam Mametani nunc ſunt in noſtrates ſtatuas. Nec modo mediocres, ſed etiam illi Coryphæi, Baſilius, Gregorius, non modo in monumenta lapidea deorum ſævierunt, ſed etiam in eorum libros, qui de eis laſcive ſcripſiſſent. Quid alios commemorem Imperatores Conſtantini ſucceſſores omnibus notos, qui adeo infenſi imaginibus fuerunt etiam Chriſtianæ religionis, ut non ſolum ipſas everterint, ſed etiam earum pictores, ſcalptores, fictores inſectati ſint, ut earum inſectatione, velut alii Parthici ex Parthia devicta, ſic hi *Iconomachi* nominati fuerint. Sileo terræmotus non modo illos ſcriptis celebratos, quibus ſub Zenone, Juſtiniano, Leone Conone, Alexio Comneno Urbis non modo præclara ædificia funditus everſa ſunt, ſed etiam tota fere Urbs, ejuſque mœnia corruerint, ut ea in antiqua ſede conſiſtere vix perciperetur, niſi Boſporus & Propontis (antiquæ Conſtantinopolis limites æterni) locum, in quo olim fuerit, circumſcripſiſſent. Præterea vaſtas Urbis Regiones poſt longa incendia, & bella diu jacuiſſe deſertas inopia civium, deinde promiſcue ædificari cœptas, nulla cura habita vicos dirigendi, ſed omiſſo diſcrimine ædificaſſe in ruinis incendiorum, & terræmotuum, ea fuit cauſa, ut non modo ſicut de Roma incenſa Livius inquit, veteres cloacæ, ſed etiam aquæductus & ciſternæ per publicum ductæ, nunc privata paſſim ſubeant tecta, formaque ſit Urbis occupatæ magis, quam diviſæ. Præterea Regum Turcicorum clauſtra ingentia mediam Urbem occupantia, regiorumque purpuratorum ſepta integras Urbis inſulas claudentia, & vias publicas

A occupantia, vel longe avertentia, fundamentaque non modo ſupra terram extantia, ſed etiam ſubſtructiones ſubterraneas abditiſſimas ſagaciſſime inveſtigatas funditus demoliuntur: ac niſi vidiſſem per id tempus, quod ego egi Byzantii permulta templa, & palatia adeo penitus a fundamentis imis deleta, & Turcicis ſtructuris poſtea referta, ut recognoſcere nequirem priſtinum eorum ſitum, non tam facile conjeciſſem, quid demoliri potuiſſent ab Urbe capta, quam quotidie etſi ædificiis publicis ornare ſtudent, tamen horridior eſt atque abſcurior interdiu, quam olim noctu, in qua pernoctantium luminum claritudo (ſicut
B Marcellinus ait) dierum ſolita imitari fulgorem, ædificiorum ſplendorem illuſtrabat. Nunc diei fulgor caſarum obſcuritatem detegens, reddit obſcuriorem. Unde fit, ut ſi vel Conſtantinus, qui illam reſtituit, ornavit, vel alii, qui eam auxerunt, reviviſcerent: antiquorum ædificiorum ſitum non agnoſcerent. Quid ego externus? quem non antiquorum ædificiorum veſtigia, non ſtatuæ, non inſcriptiones, non numiſmata, non habitatores ſtudioſi antiquitatis informarunt, (qui alieniſſimi ſunt ab omni antiquitate) ſed potius inquirentem impedierunt, ut nihil metiri, nihil percontari libere auſus ſim, non modo a Barbaris, ſed
C ne a Græcis quidem, quibus nihil a literis alienius, nihil nomini Latino infeſtius, quod ut caninum mordent, dente canino deteſtantur, execrantur: neque offa ulla eos mitigare queas, ſed multo ſucco uvæ; quos ut impleveris, niſi crebras invitationes feceris, niſi Græco more exclamaveris te bibere, operam & vinum perdideris: neque tamen ab eis quicquam reportaveris, niſi levia quædam, niſi morem bibendi, quem ſolum retinent ex moribus antiquorum Byzantiorum. Ad has incommodit ites id accedit, quod ex antiquis ſcriptoribus Græcis non adjuvari potes ad Conſtantinopolis cognitionem: non enim Dionyſius Halicarnaſſeus,
D non Livius, non Strabo, non Vitruvius, non Varro, non alii infiniti, ad cognoſcendam novam Romam, ſicut antiquam, mihi auxiliati ſunt; non Blondus, non Fulgoſius, non alii plerique mihi digitos ad fontes intenderunt, non ignotus ſcriptor patriæ Conſtantinopolitanæ quiquam me docere potuit: ille enim meras nugas habet, & duntaxat docet, quis ædes ſacras ædificaverit, ſed in quo loco ſitæ fuerint, non docet: qui ſi reviviſceret, earum poſitiones ignoraret; adeo omnia immutata ſunt, ut non modo, quæ ſupra memoriam viventium antiqua dicere poſſumus,
E ſed etiam quæ ſunt ſupra ſingulos curſus ætatis, antiqua dici poſſunt. Sic enim quotidie vaſtantur, ut ſenex neſciat, quæ puer vidit, neque modo ædificia antiqua deleta, ſed etiam locorum nomina, quæ illa tenebant, amiſſa ſunt, aliqua barbara ſucceſſerunt, & plane Scythica inaudita. Sic enim hæc gens ſuam linguam amat, ut omnium locorum, quæ invaſerit, ſtatim imutet nomina, aliaque imponat nova incognita, non priſtinorum nominum interpretationem habentia, ſed quidvis aliud potius ſignificantia: nondum enim ſe rerum potiri putant, niſi nominum potiantur: ſic enim Græca & Latina ſuſpecta habent, ut timeant
F vel a nominibus ipſis. Quid igitur inveſtigaſti? exigua profecto veſtigia cum ex hominum memoria, tum ex ſcriptis authorum quidem tempore recentium, ſed uſu antiquorum: quicquid enim eſt ſupra memoriam noſtram, dicere antiquum poſſumus in recognitione locorum. Ex illis paucis velut ex unguibus leonem, deprehendi quatuordecim Regiones potius, quam ex earum deſcriptionibus non propriis, ſed communibus, & ambiguis, aut ex veſtigiis ædificiorum, quæ illæ continebant, &

memoria paulo post extinguetur, si Turci valebunt: itaque fiet, ut ne me quidem multo diligentiores postea ulla vestigia reperiant Regionum Urbis, ejusque monumentorum. Quibus si succurrere magis, quam antevertere conatus sum, & vendicare ab interitu proxime peritura, siquidem fortasse erraverim, excusandus sum, & mea mora Byzantina diuturnior, quam voluissem, non accusanda, sed damnanda fortuna, in quam me conjecit Francisci Regis mors, cujus nutu in Græciam accesseram, non diu ut desiderem Byzantii, sed ut conquirerem Codices Græcorum antiquos, ut non unius Byzantii, sed multorum locorum situs describerem, ut juvarem, si quid possem literas. A quo conatu depulsus, veritus sum redire priusquam quippiam conatus essem, quamobrem venissem. Itaque meo tenui vectigali Asiam, Græciamque peragrare conatus sum, urbesque nobiles describere: quod addere volui, ne quis putet, reditum meum retardatum vel ab aliquo Myro Byzantia, vel ab Asiaticis delitiis, quas omnes exopto his, qui maluerint meam fortunam calumniari, quam probare studium: ad quod non utilitas, non existimatio (cum domi meliora, & illustriora præstare potuissem, in animi tranquillitate, & salutari corporis ratione,) non Leonis Byzantii, non Pasiadis facetiæ me retinuerunt, sicut nec me retinuit pronuntiandi vehementia Byzantii Pythonis, quem Demosthenes etiam apud inferos horrere dicitur, non Barbarorum voces asperæ, truculentæ (quæ etiam non modo tardigradas beluas concitare possent, sed etiam Byzantium ipsum Pythonem ad relinquendam patriam) me extrudere potuerunt ad reditum celerem. Nescio quod fatum, me in hos errores ærumnosos meliora sentientem rapuit; & scientem, & prudentem in omnia fere pericula conjecit: sive constantiæ causa, sive rei honestas ad ea me impulit; confirmata Platonicorum judicio, tradentium nullum esse modum vestigandi veri, nisi inveneris; & quærendi defatigationem turpem esse, cum id quod quæritur sit pulcherrimum.

TYPOGRAPHUS LECTORI.

Guidi Panciroli in Tractatum Urbis Constantin. Commentarium, *in Editione Elzev. calci Operis Gylliani subjunctum, omittendum judicavimus, quippe jam excusum in nostro* Thes. Antiquitatum Roman. *Tom.* VII. *pag.* 1328.

F I N I S.

GEORGII DOUSÆ

D E

ITINERE SUO

CONSTANTINOPOLITANO,

E P I S T O L A.

ACCESSERUNT VETERES INSCRIPTIONES BYZANTIO, & EX RELIQUA GRÆCIA NUNC PRIMUM IN LUCEM EDITÆ, CUM QUIBUSDAM DOCTORUM VIRORUM EPISTOLIS.

JOSEPHI SCALIGERI JUL. CÆS. F.

EPIGRAMMA.

ΔΟΥΣΙΑΔΗΣ φιλόπατρις ὅρους λίπε πατρίδος αἴης.
Ἠδὲ φιλόστοργος τοὺς ἰδίους τοκέας,
Ἤθεα τηλεδαπῶν ἐπαλώμενος, ἄρκιος ἐλθεῖν
Καὶ τῶν Ῥιπαίων ἄχρις Ὑπερβορέων.
Ἐμπόρῳ, ἠδὲ σοφῷ πλάνη εὔαδε. τὸν μὲν ἐπείγει
Ἡ φιλοχρηματίη, τὸν δὲ φιλιστορίη.
Ἀμφοῖν γὰρ μεμαῶσα διάνδιχα φροντὶς ὄρωρεν,
Οὐδ᾽ αὐτοῖν νόος εἷς, ὡς ὁδός ἐστι μία.
Ἄστεα τῆς ἰδίης χρείης χάριν ἔμπορος εἶδεν.
Δουσιάδης κοινῆς ἀμφὶ βιωφελίης.

DOUSIADES patria patriæ studiosus, amator
Patris sustinuit patre carere suo,
Oppida perlustrans erro peregrina, paratus
Usque ad Ripæos tendere Hyperboreos.
Mercator cupide sapiensque vagantur: at illum
Urget opum, hunc variæ cognitionis amor.
Diversum meditans sententia surgit utrique,
Nec mens una illis, sit licet una via.
Mercatorem urbes privatus visere questus,
Publica Dousiaden impulit utilitas.

IN NOBILISSIMI DOCTISSIMIQUE JUVENIS

GEORGII DOUSÆ

ITINERARIUM CONSTANTINOPOLITANUM, & CODICES GRÆCOS MANUSCRIPTOS INDE ALLATOS.

ΔΟΥΣΙΑΔΗΣ κραδίην ἀγαθῷ βεβολημένος οἴστρῳ,
Καὶ μερόπων μεμαὼς ἤθεα πολλὰ μαθεῖν,
Σαυρομάτας, Θρᾶκάς τε καὶ ἀλλόθροά ἔθνεα ἔγνω,
Πέντ᾽ ἀποδημήσας τῆλε πάτρης ἔτεσιν,
Πρωθήβης περ ἐών. νῦν δ᾽ αὖ νόστοιο τυχήσας,
Τὴν δ᾽ ἰδίης γράψεν δέλτον ὁδοιπορίας.

Πᾶς δ᾽ ἐντυγχόμενος τῇδ᾽ ἄν, μάλα πρόφρονι θυμῷ,
Σπουδαῖος, λέξει, ἐστὶν ὅδ᾽ ἤιθεος.
Βιβλία δ᾽ αὖθις ἰδών, ἅγ᾽ ἀνέκδοτα πολλὰ καὶ ἐσθλὰ
Ἑλλάδος ἐκ μυχάτων ἤγαγεν εἰς τὸ φάος,
Δὴ τότ᾽ ἀγασσάμενος γενναῖον λῆμα νέοιο,
Ἡμίθεος, λέξει, ἐστὶν ὅδ᾽ ἤιθεος.

Bon. Vulcanius Brugensis.


NOBILISSIMO VIRO

JANO DOUSÆ,

NORDOVICI DOMINO, ARCHIVORUM CUSTODIÆ PRÆFECTO, AC SUPREMI IN BATAVIS CONSILII ADSESSORI, PATRI SUO OBSERVANDISSIMO,

GEORGIUS FILIUS

SALUTEM.



NON ignoras, amantissime pater, plerosque homines insita quadam externa visendi cupiditate flagrare. Sed & illud tibi probe cognitum est; instituta varia gentium, ritus moresque hominum, judicium & prudentiam plurimum acuere. Docet hoc præclare suo exemplo Ulysses, qui propter rerum usum atque experientiam, quam peregrinando acquisiverat, Elogium πολυτρόπου ab Homero ferre promeruit. Docet hoc etiam, præter alios sapientes, Philosophorum ille Deus Plato, qui relictis Athenis ad barbaros profectus, summa prudentia instructus in patriam rediit. Genti autem nostræ, quasi peculiare quiddam est longinquas ac transmarinas peregrinationes instituere. Et petunt fere omnes humanioribus literis dediti A Galliam, plurimi Germaniam & Italiam; in Græciam tamen a longo tempore, quod sciam, penetravere quam paucissimi. Quod cum animadverterem, ipse etiam eodem studio incitatus, & quo honesto proposito plus esset adjunctum periculi & laboris, eo majus decus & pretium esse, animo reputans, relicta communi peregrinantium semita, Græciam olim omnis humanitatis inventricem, verum hodie (proh dolor!) Turcica pressam servitute invisere malui. In qua peregrinatione quantum profecerim, judicabunt alii: discere certe aliquid sum conatus.

B Ad te vero, amantissime pater, hunc qualemcunque profectionis meæ fructum mitto: ut hoc modo debitum officii mei persolvam, quod sane a me exigit, ut te de universa itineris mei ratione ac serie certiorem faciam; utque, sicut te absentia mea anxium subinde ac solicitum habuit, ita hac peregrinationis meæ historia, præsertim si quæ jucunda filio evenisse intelliges, aliquo modo re-

creem atque exhilarem. Quod ſtudium meum, ſi non judicio & maturitate, novitate tamen argumenti ſe commendare poterit.

Anni fere quatuor elapſi ſunt, cum e Polonia, ubi biennium idiomatis cauſa tranſegeram, domum reverterer. Eo tempore major mihi cupido, illius linguæ, cujus beneficio in Turcia minus laborarem, aliquo modo jam gnaro, regiones illas videndi inceſſerat. Cujus rei gratiam cum in Germaniam, facto per Friſiam itinere, Jano P. M. & Stephano fratribus comitantibus, abiiſſem; Heidelbergam pervetus Muſarum domicilium petii. Habet hoc ea Urbs ante alias ſingulare, ut cum ab antiquo doctis imprimis viris abundaverit; nunc etiam ne iis quidem careat. Incidi tum ibi in notitiam Nobiliſſimi viri Marquardi Freheri Conſiliarii Palatini: cum quo, ubi multa de multis familiariter contuliſſem; devenimus tandem in ſermonem de hodierna Græcia. ac cum me incredibili quodam deſiderio, Byzantium videndi flagrare dicerem; injecit ille, ſibi librum eſſe, qui Origines Conſtantinopoleos tractaret, quem ſi Latine vertere vellem, non mediocri in Byzantinis Antiquitatibus cognoſcendis adjumento mihi futurum promittebat. Lætabar jam tum me inveniſſe, quod quærebam. Et quoniam id temporis aliquamdiu Heidelbergæ ſubſiſtere in animo habebam, ejus exemplaris copiam mihi fieri rogavi. Quod ille ubi promtiſſime feciſſet; dici non poteſt, quantam ex ejus lectione voluptatem ceperim. Cum autem eundem libellum pro meis viribus Latine tranſtuliſſem, Frehero Verſionem meam commendavi, qui eam ſtatim, me abſente typis excuſam, publice legendam propoſuit. Fuit mihi ibidem cum doctiſſimo homine Jano Grutero non exigua familiaritas, qui tam me amabat, ut ſi frater ejus fuiſſem, nec ille potuiſſet majorem mihi exhibere benevolentiam, nec ego plus officiorum ab illo requirere. Viget & P. Meliſſi cum pari eloquentia ſingulare in Carmine Latino acumen in hac eadem Civitate, quæ non ita diu Hieronymi Commelini, Johannis Poſthii, aliorumque Doctorum hominum exequias, cum magna Reipub. Literariæ jactura celebravit. Meliſſi beneficio, BIBLIOTHECA ibidem PALATINA, cui ipſe præfectus eſt, Manuſcriptis Libris Græcis & Latinis tam referta, ut & Italia ei invidere poſſit, ſemper patuit.

Cum fere ſemeſtre tempus Heidelbergæ verſatus eſſem, Francofurtum una cum fratribus redeo: ubi peropportune intelligo Legatum a Sereniſs. Rege Poloniæ Conſtantinopolim directum fuiſſe. Itaque accingo me profectioni, quantaque poſſum feſtinatione Cracoviam propero. Vidi in eo itinere Herbipolim, cum opulentiſſimo Jeſuitarum Collegio, tum Epiſcopali Sede Urbem imprimis nobilem. Vidi Noribergam ædificiorum elegantia, platearum venuſta diſpoſitione, dædala præterea variarum artium atque opificum induſtria eximiam. Vidi etiam in Bohemicis montibus Balneum Caroli IV. Imperatoris, non ignobilem Vicum, nobis ob Fontes calidos, ad quos e longinquis regionibus ſanitatis cauſa plurimi confluunt, non tacendum, aliaque plura haud obſcuri nominis Oppida. Id temporis etiam Pragæ per aliquot dies ſubſtiti, ubi, præter alia memoratu digna, multa Imperatorum Monumenta videre contigit. Praga Niſſam venio, cujus loci Epiſcopus in Sileſia primatum obtinet. Ab hac Urbe ſex dierum iter conficiendum erat, ut venirem Cracoviam; quam quidem Pr. Aſcenſionis Domini attigi. Cracovia Urbs, quæ & Regia, principem locum in Polonia tenet. Nonnulli putant eam, a Ptolemæo voce ab appellatione Cracoviæ non remota, Carodunum nominari. Jacet ad fluvium Viſtulam, qui etiam Arcem Regiam in editiore loco poſitam alluit. Ipſa Civitas ædificiorum ſplendore, omniumque rerum affluentia, adhæc vario diſciplinarum genere cum claris Germaniæ urbibus certat. Subivi hic quendam immenſæ profunditatis ſpecum, in quo belluam quandam Holophagum, quæ quotidie multos homines abſumebat, habitaſſe, vulgus ſibi perſuadet: quod tamen fabulæ quam hiſtoriæ ſimilius doctiores rident. Vidi etiam extra Urbem, qua iter eſt in Hungariam, Salinas præſtantiſſimas, quales nec in univerſo orbe extare exiſtimo, quaſque omnibus nationibus pro miraculo Poloni oſtentare ſolenne habent. In quas cum id temporis me demitterem, putabam me in abyſſum terræ deſcendere. Columnis e ſale exciſis Salinarum concameratio, cui & Oppidum impoſitum eſt, fulcitur, quæ & porticus efficiunt tam amplas, ut non opus ſit inter ambulandum caput demittere.

Cracoviæ cum prope quatuor menſes exegiſſem, & Legati Regii in Turciam profectio propter obitum Sereniſs. Annæ Jagelloniæ Reginæ in aliquot adhuc menſes protolleretur, ego longioris in Polonia moræ impatiens Ruſſiam verſus iter ingredior. Egreſſo Cracovia ſtatim occurrit collis rotundus & faſtigiatus, memoriæ, uti tradunt, Vandæ Reginæ, dum ſinguli Cives tantum terræ, quantum pileolo ſuo capere poterant, aggererent, excitatus. Hinc venio in Niepolomice, locum, ſi quis alius in Polonia, pingui ferina abundantiſſimum, eoque nomine venationibus Regum imprimis celebrem. Quatuor circiter ab hoc loco dierum itinere (neque enim ſingula oppida recenſere opus habeo) Jaroſlaviam venio, Oppidum cum Jeſuitarum Seminario, tum mercatu equorum & boum, qui ſingulis annis xv. Aug. ibi celebratur, imprimis ſpectabile. Jaroſlavia venio in Javorow, Illuſtris ac generoſi, mihique multis nominibus amiciſſimi Joannis Felicis Herbulti domicilium, qui ſuperiore anno ad Imperatorem Turcarum cum magna laude ſua Oratorem egit. Hinc, ſexto poſtquam Cracovia diſceſſeram die, venio Leopolim. Urbs eſt ſatis munita, emporio vini Cretici, aliarumque e Turcia mercium, ad hæc Civium erga advenas comitate florens: ſed & Sede Archiepiſcopali, cui nunc Reverendiſs. Demetrius Sulicovius (præter exactam Sacrarum literarum cognitionem, humanitatis etiam ſtudiis haud defunctorie imbutus) præſidet, non ignobilis. Sunt in hac Urbe quatuor diverſæ Sectæ, nimirum Græca, Latina, Armenica & Judaica. Reformatæ tamen Religioni ſummo ſtudio ac vigilantia mirifice obſiſtunt. Huic Urbi plurimum me debere fateor, quod hic cum Simone Simonide hoſpitium & amicitiam contrahere licuerit: qui Vir quanto Orcheſtræ plauſu Parnaſſi callem inſtiterit, e ſcriptis ejus editis Ælinopæane videlicet, & Caſto Joſepho, tum Joelis illa Paraphraſi, ſatis ſuperque conſtare arbitror. Huic non inferior eſt Andreas Madrowic ejuſdem Civitatis Secretarius, cujus ingenii candorem cum pari certantem eruditione ſatis admirari non potui. Uterque iſtorum oculitus me amabat, neuter ſtudiis meis bene non cupiebat.

Poſtquam aliquamdiu Leopoli degiſſem, ſerio tandem de itinere Turcico capeſſendo cogitare cœpi. Quo quidem tempore exoptata mihi occaſio oblata fuit, ut cum Polonis & Armeniis Smielum ad Danubii oſtia diſcederem; unde poſtea navigio Conſtantinopolim veheremur, id quod ad compendium itineris multo ex-

peditiſſimum videbatur. Digreſſi itaque Leopoli quinto die appulimus Camenetiam, in quo itinere aliquot vidi Oppida, quæ, ne juſto longior ſim, & quod videam non magnopere accurata deſcriptione egere, omittere malui. Sunt in hoc toto tractu homines fœdo & inſolito capillorum vitio, quod ſuo idiomate *goſciec* indigitant, laborantes: quorum crines in nodos inexplicabiles contorti conglomeratique e capite in humeros uſque dependent: quos non male pilulis luteis caprarumve clunibus inhærentibus comparaveris. Quibus, ut puto, non minus deformes videntur Sarmatæ illi, quam ſe ornatos olim egregie credebant, quando Romam

Crinibus in nodum tortis venere Sicambri.

Malum hoc medelam non admittere, nec ſine manifeſto vitæ diſcrimine reſecari poſſe, quin & ei obnoxios ſtatis temporibus lumbagine, capitis, artuumque doloribus vexari, ejuſque nullam aliam eſſe cauſam, quam Tyræ fluminis potum, incolæ mihi perſuadebant. Camenetia ſuper arduam clivoſamque rupem condita eſt, quæ foſſa naturali cingitur. Urbem ipſam ſimul cum foſſa rupes altiſſima ita ſuo ambitu includit, ut mœnia Cyclopum manibus fabricata repræſentare videatur. Huic Urbi ſi induſtria hominum accederet, naturaque artis auxilio paululum juvaretur, haud ſcio an quidquam aliud munitius ſol aſpiceret. Sed enim gentes Sarmaticæ non admodum Urbium munitionibus delectari videntur: totum Regni ſui columen non in murorum firmitate, ſed in Equeſtrium copiarum præſidiis, armorumque atque animorum robore collocantes. Camenetia tranſgreſſi fluvium Tyram ab incolis *Nyeſtr* dictum, Chotimum venimus, primum Moldavicæ ditionis Oppidum. Eſt hic Arx in edita rupe non contemnenda, quæ perpetuo *Heiduconum* (ut vocant) præſidio cuſtoditur. Chotimo profecti, ſex dierum itinere peracto, attigimus Jaſſum ſatis frequens incolis & peregrinis oppidum; & quondam fuit Palatini Moldaviæ, dum Arx illa ſtaret, quæ ante paucos annos a CoſaKis diruta eſt, domicilium. E teloniis mercium, quæ hac tam in Poloniam, quam Turciam tranſeunt, vectigal maximum Palatino provenit. Haud longo a Jaſſy intervallo, apud pagum Czetczoro vidimus foſſas & propugnacula, quæ Poloni ibi ſtruxerunt, cum ante annos quinque denis non amplius armatorum millibus octoginta Tartarorum millia, felici auſu, nec minore ſummi Imperatoris ſui Joan. Zamoſcii armatæ pariter ac togatæ militiæ Principis virtute atque induſtria profligarent. Poſt hæc ſpatio octo dierum venimus Smielum Turcicæ ditionis oppidum, ad ripam, ut dixi, Danubii ſitum. Dum in hoc itinere eramus, videre contigit pagos complures, ubi homines in ſpecubus ſubterraneis habitabant. Smieli uberrima eſt optimorum piſcium captura; atque ex eo vilitas: inter quos Cyprini immodico abdomine conſpicui præcipue commendantur: qui non in Græciam modo, verum etiam in occiduas partes venales paſſim tranſportantur. reliqua autem edulia, ut carnes & lacticinia, magno ſatis veneunt. Avenæ imprimis, hordei & fœni non exiguum pretium: advehere illa oportet ſi quis equis ſuis de pabulo proſpectum velit. Genus hominum in hac regione multo improbiſſimum; pravo ſane ingenio ſubdoloque ac verſipelli: qui unde nomen & originem traxerint, ex Annalibus N. V. Stanislai Sarnicii notum eſt. Smielo

A per oſtium Danubii in Pontum Euxinum, quem Turcæ *cara denis*, hoc eſt, *Mare nigrum* vocant, jucundiſſima navigatione delati ſumus.

Non male fortaſſis huic loco conveniet referre, quid id temporis in navi, qua vehebamur, acciderit. Præter Polonos & Armenios (qui navem conduxerant) adjunxerat ſe comitatui noſtro neſcio quis Turcici generis mango: qui duas mulieres cum puero in Moldavia emptas pretio ſuas fecerat: quas Conſtantinopolim avehere properabat. Erant ibidem aliquot etiam Calogeri (ita Monachi, qui ſanctitatis & doctrinæ ſpecie reliquos antecedunt, appellantur) quorum B unus nullum morum Turcicorum uſum habens (nam Rutenus erat) palpo ſibi puerulum Turcæ conciliabat. Quod herus animadvertens ſtatim e cubili ſuo prorumpit, atque ita caput iſtius infelicis Monachi fuſte dedolat, ut ille verberando, hic vapulando maxime defatigaretur. Jamque eo res deducta erat, ut Monachum in mare abjecturus fuerit, niſi nos ſupplices, ut miſero illi parceret, precibus ac blanditiis interceſſiſſemus. Triſte ſane ſpectaculum, & quod lacrymas homini Chriſtiano exprimeret, hoc videbatur: uni nempe Mahumetano, tot Chriſtianis C præſentibus (nam ſeptuaginta circiter numero eramus) tantum juris eſſe ac licentiæ. Sed profecto ita res habet, eum, qui cum Turcis (uti poſtea uberius narrabimus) verſaturus ſit, a mulieribus, pueris, & mancipiis eorum abſtinere; neque manus ſolum, ſed vero & oculos & linguam domitos habere oportet.

Quinto die, ex quo Smielo ſolveramus, Boſphorum Thracium vidimus; ſed antequam in Boſphorum venias, ſcopuli duo, quos Cyaneas & Symplegades olim Græci dixerunt, ad dexteram in ipſo Ponti oſtio occurrunt, in quorum uno Columna vetus e marmore candidiſſimo, quam D vulgus Pompeii nominat, poſita eſt. In baſi hujus Columnæ Inſcriptionem Latinis literis inciſam animadverti, cæterum ita vetuſtate temporis exeſam, ut, ſi eam I. Lenuclavius V. N. & in hoc ſtudiorum genere haud tralaticie verſatus, non eruiſſet, a nemine legi poſſet. Ea eſt hujuſmodi;

DIVO CÆSARI AVGVSTO

L. CLANNIDIVS

E L. F. CLA. PONTO.

Boſphori dextrum latus longiſſima Oppidorum ſerie prætexitur. Siniſtrum non tam ædificiis oblectationi dicatis, quam collibus fructiferis, hortiſque Regiis collucet: quos ſingulos quid aliud eſſe dicam, quam Theſſalica illa Tempe amœniſſima, ſed longe amœniora, niſi ea Lapithæ Centauri haud ſecus quam Heſperidum pomaria draco ille, cuſtodirent, proculque ſpectatores arcerent. Medio circiter inter Boſphori fauces ſpa- F tio, Arx eſt munitiſſima, qua hodie Turcæ pro carcere inſignium captivorum utuntur: habet tres maximas turres, quarum craſſities, ut Laonicus obſervavit, ad triginta pedes extenditur. Muro undique viginti duos pedes lato ea Arx circundata eſt. Hujus eo libentius meminiſſe inducor, quod ex ea, cum eſſem Conſtantinopoli, quidam popularis meus I. Adrianus Cantius, felicius, quam prudentius elapſus eſt. Eum Hagienſis quidam Apoſtata KaiKe Mehemeth duarum (niſi me ratio fallit) triremium Præfectus, Conſtanti-

nopolim porro captivum pervexerat; jussusque A Imperatoris, spe ingentis ob redemtionem pretii allecti, in hanc Arcem conjecerat. Jam pæne triennium in ea sub arctissima habitus fuerat custodia, cum illi Deus (quod dicitur) ex machina præsto fuit. Sub matutinum lucis crepusculum felici ausu surgens, cum referatas omnes januas offendisset, in planiciem Arcis, clam custodibus, descendit: dumque de muro Arcem ambiente transcendendo cogitaret, & in varias partes oculos conjiceret; ecce funem ab arbore quadam muro proxima pendentem offendit, quo apprehenso cum murum ascendisset, facile se in B alteram partem incolumem demittit. Veniebat eo tempore furtim in domum Oratoris Angli, quæ Christianorum captivorum perfugio Asyli instar patebat; ubi & triduum continuum sub strue lignorum latuit, unde non multo post salvus & incolumis in Hollandiam rediit. Arcis istius Præfectus, cum mane captivum Imperatoris frustra quæsivisset, repente sandapilam luto implet, eamque cum cadavere (uti prætexebat) demortui, in Bosphorum abjicit; haud ignarus quid suo decessori acciderat, qui, cum aliquot Nobiles Germani ex eadem Arce paulo ante evasissent, ab unco ferreo suspensus incuriæ suæ pœnas dederat. C

Supra Bosphorum celeberrima Constantinopolis sita est, loco tam commodo, ut Principatum totius orbis præ se ferre videatur. Est in Europa; habet in conspectu Asiam, a dextera Africæ, a sinistra Scythicis regionibus, navigandi opportunitate opponitur. Portus ejus tanta magnitudine & commoditate cæteris antecellit, ut (Manuele Chrysolora teste) triremes & naves, quæ uspiam locorum fabricatæ sunt, in sinum suum recipere possit. Duabus partibus ita mari alluitur, ut fere peninsulam quandam referat; tertia reliquo continenti jungitur. Ipsa Urbs septem colles, unde D etiam ἑπτάλοφος a Græcis nominatur, complectitur; in singulorum collium fastigiis Templa & Mausolea sumptuosissima Imperatorum Turcicorum spectantur. Urbis muri, qui nescio qua in re ambitu suo Babylonicis inferiores videri possint, partim lapidibus quadratis, alii cæmentitiis, nonnulli interpositorum laterum ordinibus constructi sunt. Portas in circuitu vigintiquatuor habet, quarum novendecim mare, quinque terram spectant. Collucet universa Civitas (ut interim de Templis, Xenodochiis, & Balneis Turcicis nihil dicam) Bassarum palatiis tam amplis, tam magnificis, ut stuporem spectatori incutere possint. E Ipsa Regia vetus Byzantium occupat, in qua latissime Imperator habitat. Hanc, cum Generosus Dominus Stanislaus Golscius Regni Pol. Legatus osculo manum Imperatoris supplex veneraretur, ingressus sum. Sedebat ille intra ædiculam marmoream, auro gemmisque mire fulgentem. Solium ejus perquam humile pretiosissima veste stragula, pulvinisque exquisito opere elaboratis instratum erat. Aderant ibi præter maximam Turcicorum Nobilium frequentiam, aliquot Janizarorum millia, qui ingenti cum silentio tam immoti stabant, ut statuæ potius quam homines esse viderentur. Hujus autem amplissimæ Civitatis Imagi- F nem videre qui volet, eum Bibliothecam Academiæ nostræ adire melius est; ubi Turcica Constantinopolis in Tabula XL. circiter pedes oblonga, Dædaleo plane opere manu Melchioris Lorichii delineata, beneficio Nicolai Vandervilii suspensa visitur; in qua Imperatoris Regia, cum Templis & Palatiis Turcicis tam accurate expressa sunt, ut ea nihil elaboratius posse fieri, judicare ausim. Visuntur adhuc quibusdam in locis Urbis veterum Ornamentorum admiranda vestigia: de quibus singulatim referam, ubi prius de moribus Turcarum aliquid interposuero.

Etsi autem videar in hoc scribendi genere actum agere, tamen qui hæc nostra percurrere voluerint, fatebuntur (sat scio) se etiam aliquid in rebus Turcicis profecisse. Quo tempore Byzantium appuli, Turcæ Esuriales Ferias, quæ decursu Lunæ apud eos terminantur, agebant; de quibus primum aliquid dicere, non erit fortasse a præsenti instituto alienum. Hoc Jejunium ita stricte observant, ut a mane, ad vesperam usque, nihil degustent, nec cum mulieribus interea rei quidpiam vel commercii habeant: quo quidem tempore Talismani, (hi sunt Templorum Æditui) ex altis turribus, unde clara voce quinquies in die ad rem Divinam populum convocant, lumina suspendunt: ac per totam fere noctem ingenti apparatu & luxu convivia agitant. Jejunio absoluto, solenne Paschatis Festum, quod *buiuk bairam* indigitant, magno plausu & festivitate per aliquot dies celebrant: juvenes & viri per compita ludibundi cursitant, oscillis in aere librati jactantur; ac omnis generis ludicra, quæcunque homini in mentem venire possunt, id temporis publicitus spectanda exhibent: quo etiam (præter varia Monachorum genera) quendam, qui non (uti Soterici nostri) Fibulatus, sed Annulatus incedebat, videre contigit. Noli hic expectare, ut tibi de instituto horum Monachorum, sive mendicorum potius, aliquid narrem; neque de *Muphti*, qui eam apud Turcas autoritatem obtinet, quam Papa apud Latinos; neque item de Bassis, capitibus scilicet Consilii Imperatorii: quæ alioqui tam e Busbequio & Leunclavio, quam aliis hujus ætatis scriptoribus cognosci possunt. Ad mulieres venio, a quibus in primis abstinendum esse, superius dicere institueram. Has ita domi abscondunt, ut nec e fenestris illis prospicere liceat. Quæ in publicum prodeunt, infames habentur; & ita tamen tectæ incedunt, ut nulla earum corporis pars ad conspectum pateat. Ne propinquis quidem, nisi certo anni tempore, eas videre permittitur. Siquidem animis penitus imbiberunt, non posse mulierem a viro sine potiundi libidine, ac proinde sine mentis labe conspici. Homini Christiano interdum capitale, nisi argento præveniat, cum Turcica muliere colloqui: cujus rei exemplum quendam Armenium tibi dabo. Is cum aliis mercatoribus Leopolitanis in Obluczice ad Danubium venerat, cumque adhuc juvenis esset, & exiguam Turcicorum morum notitiam haberet, cum femina quadam quam forte conspicabatur, sermones serere instititit. Mulier non tam aliam ob causam, quam quod Christianus Turcico idiomate loqueretur, mirata, ei respondet, ac tandem sermone ultro citroque habito, ad hospitium Armenii, ubi etiam cænabat, se contulit. Interim exploratores, qui nusquam in Turcia desunt, hanc rem ad Judicem deferunt, dicentes feminam Turcicam in domum Pagani ivisse. Judex postridie mane, muliere in carcerem detrusa, Armenium ad se venire jubet: qui cum adesset *bre giaur* (inquit Judex) utrum ne tu Deum, & jus Musulmanicum revereris? Quidnam te (Pagane) commovit, ut tu cum Orthodoxa muliere rem haberes? An nescis talia scelera Legibus nostris igne puniri. Tum Armenius: si qua in re deliqui, adest Senior in nostro comitatu, qui mihi ex præscripto Privilegii, quod a vestro Imperatore habemus, mulctam irrogaturus. Judex hoc audito, Seniorem acciri jubet, eique dicit: Hic Armenius te appellat, dicens vos nescio quo Privilegio donatos. Senior statim Diploma profert, ubi inter

alia & hoc continebatur: quod nimirum Armenius alicujus criminis reus, non a Judice Turcico, sed a suo Seniore puniri debeat. Lecto Decreto Imperatoris, inquit Judex: Bonum habetis Privilegium; sed hic non additum est, vobis licere cum Turcicis mulieribus rem habere. Quo dicto, in carcerem Armenium mitti jubet, ex quo postea magno auri pondere se redimere habuit necesse. Sic Armenio colloquium illud cum muliere Turcica haud impune processit.

Quod de mulieribus, idem & de pueris sentiunt; quorum amoribus, si quæ alia gens, præcipue Turcæ indulgent: in quos emendos non dubitant aliquando centum, imo ducentorum aureorum summam impendere. Etiam hos septis ædium includunt, nec antequam mentum lanugine vestitum fuerit, exire permittunt. Eorum enim pulchritudo passim Constantinopoli felium pullariarum insidiis obnoxia: Quod etiam quidam Nobilis Polonus, cum Oratore sui Regis eo appulsus, expertus est, cujus fidei ac patrocinio ingenuæ indolis ac formæ puer concreditus harpaces plagiariorum manus effugere non potuit. In devio aliquo Urbis angiportu furtim abreptus, ac nescio quo terrarum asportatus & quidem impune: tametsi ad raptores vestigiis persequendos, ac puerum reflagitandum Conquisitores ab Imperatore publicitus dati. Etenim puer ille nusquam comparuit postea, quamvis non minore, quam a Tyrinthio quondam Hylas clamore ac convicio per dies aliquot quæsitus ac flagitatus.

Jam quod initio dicere institueram, a mancipiis Turcicis Christiano abstinendum, exemplo, cujus ipse oculatus fui testis, comprobabo. Erat quidam aurifex, mihi perquam familiariter notus, natione Transilvanus. Is sermonem cum servo quodam contulerat, qui ab eo tempore post aliquot dies aufugerat. Turca mancipium suum aufugisse videns, domum istius aurificis petit, ac servum sibi restitui imperiose flagitat. Aurifex nullius sibi culpæ conscius, cum de suo capite Comitia fieri videret, statim fugam arripit, ac magno clamore *ben lutran oblan*, hoc est, Servus sum Oratoris Angli, ingeminat; tandemque in domum Oratoris magno ejulatu evadit. Turca non impigro gressu reum suum assequutus, obtorto collo eum ex domo retrahit, & ad *Subassi* (is in Galata Judicem rerum capitalium agit) provocat. Jamque eo res deducta erat, ut aurifici compedes induerentur, pessimis insuper modis mulctando, nisi Orator Anglus pro illo intercessisset, Turcæque impetum largitione aliqua mitigasset. Hæc siquidem una ratio est Turcarum ingenia, fera alioqui & intractabilia, deliniendi. Ac nisi argento & muneribus flecterentur, Lestrygonas ac Cyclopas, ut puto, immanitate superarent. Sed & Monachi illorum, qui vulgo tantum non pro Divis habentur, nulli magis rei quam lucro inhiant. Certe vix fieri potest, ut Christianus quispiam die Veneris, qui eis, ut apud nos dies Solis, festus est, in publicum prodeat, cui statim Monachus aliquis rosam, tulipam, malum citrium vel auratum non obtrudat, quod Christianus nummo aliquo duplo triplove pluris valente rependere debet. Janizari, (sic Prætoriani milites vocantur) Oratoribus plerumque Christianis similes quisquilias non sine honoris exhibitione offerunt, pro quibus interdum dexteram argento gravidam reportant: quod quidem illis minime invidendum est, cum alioqui fidelissime Christianos opis indigos a petulantia Turcarum defendant. Unum de multis fidelitatis a Janizaro mihi præstitæ exemplum accipe, & ride. Cum aliquando ad Templum Sophiæ, præcedente Janizaro, me

A conferrem, agaso quidam Turcicus equo sui Domini insidens, & plures equos pone se trahens, ignarus mihi adesse Janizarum, qui jam aliquanto longius antecesserat, oram mei pilei *bre giaur*, hoc est, *vah Pagane*, addito, cum ludibrio quodam tetigit. Ego istius injuriæ impatiens, statim meum Janizarum voco, mihi injuriam a pessimo illo agasone, qui jam securus equitabat, illatam conqueror. Janizarus hoc intellecto approperat: respicit agaso, ac sibi periculum imminere videns, equo suo calcar addit, & proculdubio evasisset, nisi lorum, quo reliquos equos ductitabat, ei de

B manibus excidisset. Accurrit itaque Janizarus cum pertica sua arundinea, Herculis clavæ non absimili; eamque quanta vi maxima potest aliquoties non sine horrisono fremitu in caput agasonis impingit. Agaso interim plateam clamoribus implebat, omnia sibi ossa comminuta conquerens: & certe nisi populus Janizari impetum aliquo modo cohibuisset, agasonem ad mortem usque (ut mihi jurabat) mulctavisset. Ego postea pro illo beneficio Janizarum uvæ succo implevi; cujus quidem dulcedine eo magis Turcæ attrahuntur, quo minus illis vinum bibere permittitur. Vidi quendam *Emir Aphendi* (hoc

C nomine e Mahumetis stirpe prognati appellantur) qui cum ad prandium Oratoris Angli accessisset, tantum vini exhauriebat, ut mero sopitus humi sterneretur, totumque pavimentum frustis esculentis vinum redolentibus conspurcaret: Quod ideo referre visum, ut cognoscas quanto cupientius vulgus Turcarum liberiore, quam illi, conscientia utentium, se vino, si copia daretur, obruerent. Ego mehercule raro Turcam a mensa Oratoris Angli pedibus suis domum redire animadverti. Jam vero de Janizaris longum esset omnia dicere: & quamvis e superiore exemplo facile pateat, quanta illi inter Turcas autori-

D tate polleant, tamen ne hoc quidem prætermittendum est, Janizarum capitali judicio postulatum, non more aliorum sontium de die puniri, sed noctu in profundum demergi, ac tum in damnati memoriam bombardam explodi; id quod sæpissime, dum Constantinopoli vixi, me audire commemini.

Jam quod ad ipsam Urbem attinet; dixi in ea nonnulla veterum ornamentorum admiranda vestigia restare, de quibus etiam aliquid audire, jamdudum fortasse desideras. Extat Divæ Sophiæ Templum, quod aliquoties excalceatus, ne pa-

E vimentum ex opinione Turcarum profanare viderer, perlustravi. Est revera moles tam magnifica, tam excellens, ut ea nihil augustius, aut in speciem magnificentius Solem illuxisse arbitrer. Si quis pro amplitudine ejus aliquid dicere institueret, incassum laboraret, nunquam utique ad orationis suæ scopum perventurus. Nec mihi ergo, qui in hac Epistola breviloquentiæ studeo, de ea verba facienda sunt. Quis enim tam composite & apte aliquid diceret, quod huic harmoniæ & fabricæ conveniret? cujus minimam etiam particulam si describere vellem, pro operis dignitate id facere nunquam possem. Templum hoc

F præ reliquis religioso affectu a Turcis frequentatur. Sub Bajazethe triginta sex millia, qui illud Religionis ergo adirent, numerata fuisse, Antonius Mænavinus est autor. Cum viderent me Turcæ stupore quodam attonitum hoc Templum intueri, dicebant: *Giaur egarki sen musulman olur, bollur bunda her neste jun gelmade*. hoc est, Pagane, si tu volueris Orthodoxus fieri, licebit tibi quotidie huc intrare. Tum ego nihil aliud, quam *ben musulman olmas*, hoc est, Certum mihi esse in fide mea remanere, spondebam. Ea

autem est Mahumetanorum opinio, se de nullo melius mereri posse, quam de eo, quem certo exitio (uti sibi persuasum habent) destinatum ad suam Religionem traducunt. In hoc Templo præter alia, quæ Gyllius diligenter observavit & descripsit, monstrabant mihi Turcæ Columnam quandam marmoream inducto ærearum laminarum tectorio inferius coopertam, e quibus sudor perpetuo prorumpit, quem ipsi pudenda superstitione sudariis suis extergunt, & adversus varios morbos conducere sibi persuadent. Huic Templo Hippodromus vicinus est, ubi insignis Obeliscus, cum Colosso structili & tribus Serpentibus æneis inter se circumplicatis visuntur. In stylobatæ Obelisci uno latere Græcum, in altero Latinum Epigramma his verbis incisum est:

DIFFICILIS QUONDAM DOMINIS PARERE SERENIS
JUSSUS ET EXTINCTIS PALMAM PORTARE TYRANNIS
OMNIA THEODOSIO CEDUNT SUBOLIQUE PERENNI
C TER DENIS SIC VICTUS SECOD.. MITUSQUE DIEBUS
JUDICE SUB PROCLO S. I... SELATUS AD AURAS.

ΚΙΟΝΑ ΤΕΤΡΑΠΛΕΥΡΟΝ ΑΕΙ ΧθΟΝΙ ΚΕΙΜΕΝΟΝ ΑΧθΟϹ
μΟΥΝΟϹ ΑΝΑϹΤΗϹΑΙ θΕΥΔΟϹΙΟϹ ΒΑϹΙΛΕΥϹ
ΤΟΛμΗϹΑϹ ΠΡΟΚΛΟϹ ΕΠΕΚΕΚΛΕΤΟ ΚΑΙ ΤΟϹΟϹ ΕϹΤΗ
D ΚΙωΝ ΗΕΛΙΟΙϹ ΕΝ ΤΡΙΑΚΟΝΤΑ ΔΥω.

In Colossi structilis basi versus sequentes pulcherrimis literis incisi leguntur:

† ΤΟ ΤΕΤΡΑΠΛΕΥΡΟΝ θΑΥΜΑ ΤΩΝ ΜΕΤΑΡϹΙΩΝ
ΧΡΟΝΩ ΦθΑΡΕΝ ΝΥΝ ΚΩΝϹΤΑΝΤΙΝΟϹ δΕϹΠΟΤΗϹ
ΟΥ ΡΩΜΑΝΟϹ ΠΑΙϹ ΔΟξΑ ΤΗΣ ϹΚΗΠΤΟΥΧΙΑϹ
ΚΡΕΙΤΤΟΝ ΝΕΟΥΡΓΕΙ ΤΗΣ ΠΑΛΑΙ θΕΩΡΙΑϹ
E Ο ΓΑΡ ΚΟΛΟϹϹΟϹ θΑΜΒΟϹ ΗΝ ΕΝ ΤΗ ΡΟΔΩ
ΚΑΙ ΧΑΛΚΟϹ ΟΥΤΟϹ θΑΜΒΟϹ ΕϹΤΙΝ ΕΝθΑΔΕ.

Extat etiam e regione Diversorii, in quo Cæsareos Oratores hospitari mos est, Columna Constantini Purpurea, [in cujus summitate spondylus ædificatus est, in quo ejusmodi Inscriptio apparet:

ΤΟ ΘΕΙΟΝ ΕΡΓΟΝ ΕΝΘΑΔΕ ΦΘΑΡΕΝ ΧΡΟΝΩ
ΝΕΟΙ ΜΑΝΟΥΗΛ ΕΥΣΕΒΗΣ ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ.

F Hæc Columna, ut & superior Obeliscus, cum tribus Serpentibus æneis penes me depicta est. Columna autem quæ in *Aurat basar*, hoc est, *Mulierum Foro* videtur, ei quæ Romæ in Campo Martio posita est, quantum ex pictura conjectare possum, similis est. Extat etiam Aquæductus admirandæ altitudinis, longe supra omnes domos eminens, quem ab autore Valentinianum nominant. Ex multis præterea, quibus olim abundabat Civitas

A Cisternis, unica tantum, eaque Basilica, reliquis in alios usus conversis, incolumis permansit. Hanc Generoso Domino Stanislao Golscio, Regni Poloniæ legato, comite, prælatis funalibus inspexi. Rivum quendam, quem Theodosius Zygomalas Cydarin esse vult, magno murmure hoc loco se effundere vidimus. Ejus concamerationem plusquam quingentis Columnis marmoreis fulciri, idem Theodosius nobis retulit. Ex tot præterea antiquis Palatiis, nullius nomen extat, præterquam unius Constantini, ex cujus ruinis aliquot B Columnæ marmoreæ adhuc restant, & Cisterna arida, in qua meo tempore Elephas cum Camelopardali stabulabatur. Et hæc quidem de hujus Urbis veterum monumentorum reliquiis.

Quis vero jam non doleat, tot reliqua Palatia, Templa, Columnas, quibus olim Augusta illa collucebat Civitas, ita funditus eversa, ut ne nomina quidem eorum supersint? quis supinæ Græcorum oscitantiæ non irascatur, qui ita rerum suarum incuriosi deprehenduntur, ut nemo ubi monumentum aliquod antiquum fuerit nosse hodie desideret? Neque solum ipsi ab omni Anti- C quitatis scientia abstinent, verum etiam exteros impediunt, quo minus ulla de re libere percontari audeant. Et nisi illos vino interdum deposueris, nisi Græco more, *πολυχρονιάσης ἀφένδι*, exclamaveris, oleum & operam perdideris: neque tamen quidquam ab eis reportaveris nisi nugatoria quædam, nisi morem bibendi, qui ad eos, jure quasi hæreditario ab antiquis Byzantiis derivatus videtur. Theodosius (quem superius nominavi) quoniam magnam ex Antiquitatis studio capit voluptatem, & libenter cum exteris, si D quid singulare novit, communicat, pro Hæretico apud vulgus (id quod sæpe apud me conquestus) sugillatur. De Patriarcha Meletio, ut etiam aliquid proferam, ejus meretur singularis eruditio, & exigit a me summa ejus in me humanitas, benevolentiaque, quam in literis ad te scriptis, & a me tibi allatis, abunde declaravit. Sed importunitas cujusdam Jesuitæ, qui ausus est publico scripto asseverare, Epistolam hanc ab aliquo Calvinistarum excogitatam esse, me cogit prius mendacii notam in eum retorquere. Quid vero in medium adfert? Baronium nobis non au- E ritum, sed oculatum testem ingerit, qui VI. *Annalium suorum* Tomo commemoret, anno 1593. Gabrielem, Patriarcham Alexandrinum, duos Legatos Presbyteros, Sancti Macarii Monasterii Monachos, nomine Josephum & Abdelmessiam, Romam, unionis cum Romana Ecclesia ineundæ gratia ablegasse, idque cum literis ad Pontificem hoc modo inscriptis: PATRI PATRUM, PRINCIPI PATRIARCHARUM, TERTIODECIMO APOSTOLO DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI, QUINTO F EVANGELISTÆ, SANCTI PETRI SUCCESSORI. *Tibi data est potestas solvendi & ligandi*, &c. Ac hos quidem Legatos, Romæ, Patriarchæ sui, & reliquorum subditorum nomine, Confessione Fidei, quæ ipsis proponebatur, edita, tanquam Catholicos Romanæ Ecclesiæ susceptos! omnesque adeo & Ægypti & Æthiopiæ Christianos Romanæ Ecclesiæ conciliatos. (*a*) Mera est fabula: hinc, ut puto, orta; sive quod

(*a*) Nimia præfidentia pro fabula habet nimium audax auctor certissimum historiæ factum, quod narrat Baronius Tomo VI. Annal. in calce. Negat videlicet, superstite Meletio Piga, quo Alexandriæ familiariter usus fuerat, esse posse Gabrielem in eadem dignitate. „ At ignorabat (reponit Renaudotius in Hist. Patriarch. Alex. Jacob. pag. 611. & 612.) quod omnes sciunt, a „ Dioscoro ad hæc usque tempora, præsertim a capta per Muhamedanos Ægypto, si primum sæculum excipimus, quo ferme „ toto Alexandrini orthodoxi Antistite caruerunt, duos semper Alexandriæ fuisse Patriarchas, Græcum, & Coptitam: & ta- „ lis erat Gabriel. Ita de eo dubitari non potest. De literis ab eo scriptis non magis videtur dubitandum; nihil quippe frequen- „ tius a multis sæculis quam similes Orientalium Episcoporum ad Romanos Pontifices Epistolæ.

quod Orientales quidam impostores, ut stipem emendicarent, Romanis nimis credulis imposuerint, sive quod Jesuitæ mendaciorum Architecti, ut hoc modo Christianis fucum facerent, ac glaucomam ob oculos objicerent, tenebrionum istorum opera abuti voluerint. Hic memini Meletium, Patriarcham, cum forte schedæ illius Legationis fabulosæ Venetiis Byzantium ad eum essent transmissæ, videre suaviter renidentem & admirantem levitatem Latinorum temere credentium, aut malitiam Jesuitarum talia comminiscentium. Equidem tum temporis nemo Alexandriæ Patriarcha Gabriel nomine, sed sacrorum Antistes erat Meletius, aut certe ejus antecessor Silvester. Alterum, quo orbi persuadere satagit, has literas neque Græce neque Constantinopoli exaratas esse, est, quod existimet, in homine Græco vix tantam Latinæ Linguæ peritiam cadere posse. Sed (mi Costere) si veritatis studiosus fuisses, hac de re socios tuos in Chio insula consuluisses: aut saltem inspexisses, quæ de hoc Meletio scripsit Auctor Epistolæ illius, Vienna Austriacorum Cal. Oct. An. Salutis 1582. ad Davidem Chytræum transmissæ: quæ Hodœporicon navigationis ex Constantinopoli in Syriam, Palæstinam, Ægyptum & montem Sinai, &c. inscribitur: & sub finem *Chronicorum Turcicorum* Tomo secundo a Joanne Wechelo A. 1584. Francofurti typis publicatorum legitur; cujus elogii particulam, proprie ad Meletium spectantis, hoc loco tibi lectitandam propono; quæ sic habet. *Transeuntes postea denuo Nilum, sex horarum spatio Alexandriam terrestri itinere pervenimus: ubi per octo dies subsistentes & Urbis percelebris situm aliaque memoratu digna perlustravimus. Interim quoque accessi Meletium Protosyngelum Calogerum Græcum, & Montis S. Catharinæ (ita Monasterium vocant) Fratrem: Virum & scientiis humanis, & literis sacris admodum eleganter doctum; Latine pariter & Italice loquentem; unicum inter doctos, quos in hac peregrinatione videre licuit, judicavi aptum, quo cum H. tua amicitiam iniret, cuique oblata occasione scriberet. Nam & ipsi, uti ad H. tuam literas daret persuasi. id quod fecit: quamvis (uti ipse per scedulam mihi retulit) præ temporis angustia tumultuario stylo. Eas igitur literas mitto, atque H. tuæ gratas fore arbitror, cum propter viri doctrinam, tum maxime propter vitæ & morum modestiam, atque in conferendo suavitatem. Arbitror autem hunc virum tantum scientiarum habere, quantum homo Græcus hodie habere possit. De fide sua is quidem valde subtiliter disserit, sed tamen ita, uti omnia sincero & puro animo, absque ulla bile loqui & sentire videatur. Ipsi promisi me Byzantio missurum esse librum, quem H. tua de Lectione Historiarum conscripsit: id quod feci: ipsique gratissimum fuisse compertum habeo. Et hæc de Protosyngelo viro doctissimo, qui & Alexandrinus Patriarcha speratur crediturque futurus.* Idem etiam testatur Vita ejus, Dialogo quodam *Orthodoxi Christiani* titulo ab eodem Meletio Græce scripto, ac A. 1596. Vilnæ inpresso, præmissa: & doctissimus ejus libellus contra Judæos Latine primum, deinde & Græce scriptus, ac Leopoli Russiæ A. 1593. Græca pariter & Rutenica linguis excusus. Ne porro ipsum non satis emunctæ naris fuisse arbitremur, ait, eum, qui epistolam illam excogitavit, stylum Alexandrini Patriarchæ, titulum ejus, inscriptionem & subscriptionem, calculum annorum, mensis item nomen latuisse: solere illos adjicere, quo quisque ordine sit Patriarcha, ut Gabriel erat 97. & a Diocletiano Tyranno

Tom. VI.

arcessere anni computum, qui jam sit annus 1313. Quasi vero, quia interdum Alexandrini numerum assignant, quotusquisque sit Patriarcha, aut quia ut plurimum annos numerant a Diocletiani persequutione, id semper & ab omnibus fieri soleat. Inspice Martini Crusii *Turco-Græciam* pag. 229. secus invenies. talis est ibi inscriptio; N. Πάπας καὶ Πατριάρχης τῆς μεγάλης πόλεως Ἀλεξανδρείας, καὶ κριτὴς τῆς οἰκουμένης. Inspice etiam Epistolam sub finem hujus Itinerarii positam, ab eodem Meletio ad me scriptam; alium titulum non invenies, quam eum, quem tibi jam proposui. Sed quæso, quid est quod tantopere hunc urit, ut Epistolam illam Meletii ([a]) Calvinicam fabulam esse velit? nempe quod hoc testimonio videt magnam orbis partem, magno Romanæ Ecclesiæ præjudicio (quum sit hic Meletius Papa ac Patriarcha Alexandrinus, &c. Constantinopoleos Præses) Romanam Ecclesiam pro Catholica, & ejus Episcopum pro Ecclesiæ universalis capite non agnoscere. Verba ejus ita habent: *Reliquum est, ut hæc vos amoris pignora rependatis aliquibus identidem amoris pignoribus; non gemmis, non auro perditorum hominum deliciis, sed libris, quos typis apud vos multo atque laudabili fœnore pepererit Christiana charitas, cujus fructibus ii maxime carent, qui sese Aristarchos Censoresque terrarum orbis haberi contendunt: indeque Magisterium suum auspicantur, in hocque intendunt, in hoc se exercent, ut in homines fratres minime fraternis animis insultent: quumque calamitates hominum hominibus soleant ac debeant nonnihil incutere miserationis; illi contra de miseris hominum triumphant,*

O cæcas hominum mentes, o pectora cæca.

Filius Dei sese ipsum sua illa majestate exinanivit, dum saluti consulere hominum contendit: nos nescio quæ imperia extruimus in perniciem & cum pernicie hominum; & haberi volumus pro Christo, illo cujus studiis nostra studia δὶς διὰ πασῶν *dissonare deprehenduntur. Quod si in causas inquiras hujusce in nos, nescio quid aliud dicam, quam id, quod res est, odii, in nos Græcos dico, id est, Orientalis Ecclesiæ alumnos, quod veterum Patrum dogmata, traditiones, jussa, placita, decreta sectamur, nihil invenies aliud quam id ipsum, quod Patrum incontaminata dogmata, traditionesque observantes nullis nullorum hominum novitatibus,* καινοτομίαις *falsis, fallacibusque doctrinis abduci patimur ab iis decretis, quæ septem tota Concilia universalia (ut Provincialia prætercam) sanxerunt. Symbolum, quod a primo Nicæno Concilio confectum secunda complevit Synodos, accuratissime Spiritus Sancti explicato articulo, inviolatum conservamus. Athanasio falso adscriptum Symbolum, cum appendice illa Romanorum Pontificum adulteratum luce lucidius contestamur. Romanum Pontificem, Romanum agnoscimus Pontificem. Christum unum universalis Ecclesiæ universale caput cum Paulo prædicamus. eundem esse lapidem illum angularem* Σιωνίτην, *in quo construendam esse Ecclesiam ipse dixit. ipsum ex ipsius verbis agnoscimus.* Καὶ ἐπὶ ταύτην, *namque ait,* τὴν πέτραν (ἡ δὲ πέτρα, ἦν ὁ Χριστός) *neque enim in te Petro, sed in me (ut vigilantissime diligentissimus notat Augustinus) ædificabo, dixit, Ecclesiam meam. Hæc quum ita credamus, nescio quamobrem audeant nonnulli (id quod satis impie fecit Sanderus) Ecclesiam Orientalem cum Diaboli Ecclesia (o scelus infandum!) conjugare. Ita sunt animis parum Christianis quæcunque non faciunt ad palatum, quæcunque non arrident, impia, ab sinuque Dei ejicienda, ab Ecclesia proscri-*

([a]) Calvinicam sine dubio] fabulam continet epistola, aut Meletio supposita, aut a Meletio schismatis & hæreseos æstu percito scripta. Verba illa, *Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, a nonnullis Patribus ad Christum interdum referri, scimus: sed eadem ex serie contextus ad Petrum referenda, eademque ab illis Patribus aliisque sic accepta, pluribus evicerunt orthodoxi scriptores. Hos consulat lector, ut de Meletii ac hæreticorum vanitate pronunciet.

benda, ferro, flammisque profliganda. Verum ut tibi, Coſtere, fidem majorem faciam, quid Vir iſte de Eccleſia Catholica, ejuſque capite ſentiat, en tibi locum παράλληλον ex ejus *Dialogo Orthodoxo* ϑ. deſcriptum, qui ita habet: Ξένος. Καὶ τίς ἡ καθολικὴ ἐκκλησία; Παῖς. Απαξάπασα τῶν εὐσεβῶν ἡ πληθύς. ἧς μιᾶς ὄσης, ἓν γὰρ σῶμα ἐκ πολλῶν μελῶν συνιστάμενον, μία κεφαλὴ ὁ Χριστός. αὐτὸν γὰρ, φησὶν, ἔδωκεν ὁ πατὴρ ὑπὲρ πάντα κεφαλὴν τῇ Εκκλησίᾳ. ὥσπερ γὰρ ἀκέφαλον τὸ σῶμα, ἡ καθολικὴ δηλονότι ἐκκλησία, καθολικῆς χηρεύουσα κεφαλῆς λείψανον οἰκτρότατον, οὕτω καὶ πολυκέφαλον τέρας ἂν εἴη ἐκπαγλότατον. Ξένος. Καὶ λοιπὸν τέρας ἡ ἐκκλησία τοσαύτας ὡς ὁρῶμεν κεκτημένη κεφαλάς; Παῖς. Αἱ καθ᾽ ἕκαστον ἐκκλησίαι καὶ αἱ τῶν ἐκκλησιῶν κεφαλαὶ εἰς μίαν ὁλομέλειαν συντρέχουσαι τῆς καθολικῆς Εκκλησίας, ἀπαξάπασαι ἓν ἀποτελοῦσι σῶμα, οὗ κεφαλὴ μόνος ὁ Χριστός. οὐ τοίνυν τέρας ἡ Εκκλησία ἡ καθολικὴ μίαν ἔχουσα κεφαλὴν καθολικὴν τὸν Χριστόν. αἱ γὰρ μερικαὶ κεφαλαὶ τῆς καθολικῆς τὸν λόγον οὐ παραλυποῦσιν, ἀλλ᾽ ἀναπληροῦσιν ἐν τοῖς καθ᾽ ἕκαστον. καθάπερ οὐδὲ αἱ ἐκκλησίαι αἱ μερικαὶ τῆς μιᾶς ἐκκλησίας τὸν λόγον παραλυποῦσι τῆς καθολικῆς. Sed quid pluribus verbis opus eſt? penes patrem meum Literarum Patriarchæ eſt αὐτόγραφον. Sunt & apud me libelli illi ante citati, quorum inſpiciundi copiam ſi quis volet, a me petat licebit. Hujus porro Præſulis Vitam non alienum fuerit Græcorum potius, quam meis verbis, ne quid forte amori ejus tribuere videar, hoc loco lectitandam proponere; ea vero ſic in *Dialogo Orthodoxo* compendio texitur.

Μελέτιος ὁ ἐπίκλην Πηγᾶς, μέχρι τήμερον Αλεξανδρείας Πατριάρχης, ἐκ τῆς περιφήμου παλαιᾶς ἐκείνης ἑκατονταπόλεως Κρήτης ἄγων τὸ γένος, υἱός ἐστι γονέων ἐνδόξων, καὶ πρωτευόντων ἀρετῇ τῶν πολιτῶν, παιδιόθεν παρὰ σοφῶν παιδευθεὶς, αὐτὸς τὰ κατ᾽ αὐτὸν γεγένηται διδάσκαλος, εἰκόθεν οἷα τινι τρόπῳ βρύων τὴν ἀρετήν. Ετι δὲ παῖς ὢν ὁμολογεῖται ἀληθὴς, καὶ τῇ μὲν φύσει συνετὸς, τῇ προαιρέσει δὲ διδακτικὸς καὶ πολιτικός. Εν γοῦν ταῖς ἀνέσεσι καὶ σχολαῖς ἀπὸ τῶν μαθημάτων, εὑρίσκετο λόγους τινὰς μελετῶν καὶ συνταττόμενος πρὸς ἑαυτὸν, ἦσαν δ᾽ οἱ λόγοι διδασκαλίας μεστοὶ, καὶ θεῖόν τι νόημα ἀνακαλύπτοντες. Εἷλκε δὲ οὐκ οἶδ᾽ ὅπως φθονοῦσα ἡ τύχη τὸν παῖδα εἰς ἀμετρήτους κινδύνους πυρὸς, ὑδάτων, κρημνῶν, ὥστε καὶ παρ᾽ οὐδὲν ἦλθε πολλάκι τεθνάναι. Απαλλαγεὶς δ᾽ ὅμως τῶν ἐν παισὶ διατριβῶν, ἐς Ιταλίαν ἀφίξατο. καταλαβὼν δὲ τὸ Πατάβιον, κἀκεῖσε πᾶσαν ἐπιστήμην διεξελθὼν ἐν ἑκατέρᾳ τῇ γλώττῃ, ἠρέθιζεν σφοδρότερον πρὸς τὴν ἐπιθυμίαν τῆς ἄνω κλήσεως. πατρικῆς δὲ ὑπεριδὼν εὐγενείας, δόξης, πλούτου παντοδαποῦ, συγγενείας, φίλων, οἰκετῶν, καὶ πάντων ὅσα ἀνθρώποις ἐστὶ περισπούδαστα, τὸν μοναχικὸν βίον ἠσπάσατο. Μοναχὸς δὲ διατρίψας οὐ πολὺ, μεγάλα, ὡς τοῖς τὴν Ελλάδα κατοικοῦσι δῆλόν ἐστι, κατορθώσατο. Παρὰ δὲ τῶν πρεσβυτέρων τοῦ μακαριωτάτου ἐν μάλιστα Αλεξανδρείας Πατριάρχου Σιλβέστρου, ἁγίου, κἀκείνου ἀνδρὸς, ἀναγκασθεὶς εἰς τὸν τοῦ ἱερέως ἠνέχθη βαθμόν. πρὸ δὲ τῆς αὐτοῦ χειροτονήσεως φῶς μέγα ἐπ᾽ αὐτὸν λάμψαν παρὰ πάντων ἑώραται, ὡς ἐπιμαρτυροῦν τὴν ἐπὶ τὴν ἱερωσύνην τοῦ ἀνδρὸς ἀξιότητα. χειροτονηθέντος δὲ ἄπειρον ἂν εἴη διηγεῖσθαι τάς τε ἀρετὰς, καὶ τὰ ἐν τῷ βίῳ παραδείγματα, οἵους ὑπέστη κόπους, ὡς καὶ νῦν οὐδὲν ἧττον, κηρύττων τὸ τοῦ Χριστοῦ εὐαγγέλιον, καὶ Αραβιστὶ ἐν μέσῃ Αἰγύπτῳ. Εξελέξατο αὐτὸν ὁ θεὸς ποιμένα γνήσιον. κοιμηθέντος δὲ τοῦ μακαρίου Σιλβέστρου, τῆς ἁγίας τοῦ Χριστοῦ Εκκλησίας τῶν Αλεξανδρέων προέστη, πάσης τῆς Εκκλησίας αὐτὸν βιασαμένης. Κυβερνᾷ δὲ μέχρι τήμερον, καλοῦ ποιμένος ἄξια πράττων. Τοῖς δὲ αὐτοῦ κανόσι τε καὶ προστάγμασιν, (ἄνευ φθόνου δ᾽ εἰρήσθω, ἔστι γὰρ ἀληθὲς) οὐ μόνον Αἴγυπτος, ἀλλὰ καὶ αὐτὴ ἡ Θράκη καὶ πᾶσα ἡ Ελλὰς ὑπείκειν ἕτοιμος καὶ ἔστι καὶ δείκνυται. Ινα δὲ μή τινι δόξω χρώματά τινα ψευδῆ δανείζεσθαι, καὶ ζητεῖν με τὴν τοῦ ἀνδρὸς τελειοτέραν ἀποδεικνῦναι εἰκόνα, πέρας τῷ λόγῳ τάγε νῦν δίδωμι, τύπον ἄλλοθί που γεγραμμένων ἀκριβέστερον. πλεῖστα βιβλία συνέγραψεν. οὐδὲν δ᾽ οὔπω τῶν ξυγγραμμάτων ἐκδέδοται, πλὴν τῆς κατὰ Ιουδαίων Ελληνικῆς καὶ Ρωσαϊκῆς ἀκριβοῦς διαλέξεως. Καὶ νῦν ὁ παρὼν οὗτος διάλογος, ὃν συνέθετο, ἵνα τι τοῖς σπουδαίοις γίνηται ὄφελος ἀναγινώσκουσιν. μάλιστα δ᾽ ἐν τοῖς τόποις καὶ πόλεσιν ἐκείναις, ὅπῃ μάλιστα βρύουσιν αἱ μιαραὶ καὶ πολυποίκιλοι τῶν αἱρέσεων, ὧν γένοιτο ἡμᾶς τοῖς τῆς ἁγίας τοῦ Χριστοῦ καθολικῆς καὶ ἀποστολικῆς ἐκκλησίας τῆς ἀνατολικῆς ἀκολουθοῦντας κανόσι τε καὶ προστάγμασιν ἐλευθεροῦσθαί τε καὶ διαφυλάττεσθαι διὰ Ιησοῦ Χριστοῦ, ᾧ ἡ δόξα καὶ τὸ κράτος σὺν τῷ ἀνάρχῳ Πατρὶ καὶ ζωοποιῷ Πνεύματι εἰς τοὺς αἰῶνας, ἀμήν. Latinam iſtius Vitæ verſionem, ſub finem hujus Libelli, Epiſtolæ Meletii præmiſſam, Lector inveniet.

Sed ego, ne modum Itinerarii pluribus autoritatibus colligendis excedam, cum & aliorum elogiis jampridem hi Patres ſint celeberrimi, ad propoſitum redeo. De Meletio fortaſſe, qualis mihi viſus ſit, requires. Ætate jam eſt ingraveſcente: oris dignitate, animique dotibus non indignis: hominum animos ipſo aſpectu ſibi devincit. Audivi eum aliquoties Galatæ in Templo Χρυσοπηγῆς cum magna animi jucunditate concionantem. Voce utebatur eloquenti, verbis ſelectiſſimis, & ab omni oſtentatione procul remotis. Præter Eccleſiarum curam, incumbit ipſi etiam onus Græcorum controverſias componendi; quibus cum quotidie tantum non obrueretur, nunquam tamen quæ eſt ejus humanitas, eum adire prohibitus fui. Vivit in familia ejus quidam candidiſſimi ingenii Calogerus, nomine Maximus, Archidiaconi Alexandriæ Titulo non indignus: ſatis in lectione Græcorum autorum, quamvis admodum juvenis, verſatus. Deſcripſit is meo rogatu omnes Joannis Zonaræ Epiſtolas, cum quibuſdam Cyrilli Homiliis, quibus me in patriam abeuntem non ſine verborum honore donavit. Ejus ſane opera plurimum Patriarcha in rebus Eccleſiaſticis utitur. Sed & Georgius Cantacuzenus non exiguo Patriarchatui eſt ornamento: cujus familia, dum res Byzantina ſtetit, Imperatoria fuit. Habet Bibliothecam ſic ſatis manuſcriptis codicibus inſtructam: in qua præter alia, volumen auguſtiſſimum variarum in Περιβλιβλον interpretationum diligentiſſime aſſervat. Ex hujus Bibliothecæ ſervitute meam Georgii Logothetæ de Conſtantinopoli a Latinis capta *hiſtoriam* cum *Mythologia Indica* redemi. Multa profecto hic Vir non ſua, ſed Michaelis Cantacuzeni culpa a Turcis adverſa pertulit. Is Michael ob quædam crimina in carcerem conjectus fuerat: cum autoritate ſua, ad quam favore Selimi evectus erat, adverſus Chriſtianos abuteretur. Attamen poſtea liberatus, ſupremi Baſſæ interceſſione Μέγας Πραγματευτὴς Imperatoris (cujus erat quotannis ſexagenis Ducatorum millibus, res in Aulam neceſſarias, & pelles e Moſcovia pretioſiſſimas comparare) factus eſt. Tandem vero cum in Moldavia turbas excitaſſet, mandato Amurathis in Anchialo Ponti Euxini oppido, laqueo vitam finivit.

Vereor, ne hujus exempli commemoratio gravius tuum animum perculerit. volo, ſi poſſum, commodiore narratione abſtergere, ſi quid tædii adhæſerit: nam quod ſequitur ſine riſu fortaſſe non leges. cum aliquando ad *Tachtal Cala* (ita nominatur area Bajazethis Templo vicina) me conferrem, camelum quendam frequenti ſtipatum populo, lento veſtigio gradientem animadverto. Ego inſolenti hoc ſpectaculo attonitus, meum comitem Polonum, qui Religionem Turcicam profitebatur, quid ſibi hoc vellet, interrogo. Tum ille, Camelum iſtum, quoniam Mecha venit, & Alcoranum (qui Divinæ Legis habetur liber) dorſo geſtavit, honorem illum

promereri. alios proinde pilos ejus, tanquam sacros, evellere; alios eum osculari, nonnullos sudorem axillarum ejus extergere, eoque sudore oculos & faciem perfricare: tandemque Cameli mactati carnes in minutissimas partes concisas inter fideles ad manducandum distributum iri. Tantum honoris Turcæ Camelo deferunt, quem ex solo Alcorani contactu sanctificari putant.

Jam quanta reverentia ipsum Alcoranum prosequantur, ex hoc cognosce, quod hominem Christianum, si imprudens Alcorano insideret, capitis supplicio afficerent. Ejusmodi superstitione laborant Turcæ. Lotioni etiam corporis plurimum tribuunt, putantes frequenti lotione animi sordes elui. Immane apud eos piaculum illotis pedibus & veretro Templum ingredi. Nunquam etiam videas Turcam ad requisita naturæ secedentem, quin statim deinde partes obscænas lavet. Utcunque tamen sordes corporis detestentur, platearum mundiciem minime curant. Si jumentum aliquod moritur, statim cadaver in publicum ejiciunt, in quo cum aliquando eos reprehenderem, dicebant ad canum præcipue sustentationem hoc fieri: quibus si ejusmodi alimenta desint, etiam plerique domestica edulia præbere non dubitant, quod pietati consonum maxime arbitrantur.

Sed his omissis ad institutum revertamur. Postquam aliquot menses Constantinopoli exegissem, literæ tuæ de immaturo carissimi fratris obitu afferuntur, quibus in patriam redire jubeor: quo nuntio quam fuerim perculsus, si perscribere aggrediar, vereor ne reliquæ orationis cursum lacrymæ impediant. Vix eloqui possum, amantissime Pater, quantus ex eo tempore dolor pectus meum lancinaverit. Quid enim agerem? ubi tali fratre spoliatum me videbam, quo haud scio, an amabilius quicquam, sive candidius in rerum natura extiterit. Sed quid? moderatius ejus mors ferenda videtur, vel quod ad eam perfectionem venerat, cui nihil addi poterat, vel quod huic seculo subductus est, in quo cum optimo quoque pessime agitur. Eo quidem tempore optatissima mihi occasio oblata fuit, ut in Poloniam cum Generoso Domino Stanislao Golscio, qui id temporis a Serenissimo suo Rege ad Portam Ottomanam Orator missus erat, redirem. Itaque Amplissimo Eduardo Bartono Oratori Anglo, apud quem septem fere menses exegeram, Viro omni liberali doctrina, comitate, tum politicis virtutibus cumulatissime instructo, valedixi; rebusque ad iter compositis X. Kal. Decembris Constantinopoli discessi: nec sumus eo die longius, quam *Kucziuk Czekmesi*, hoc est, *Pontem parvum* progressi. Oppidulum est quinque circiter horarum spatio Byzantio distans, loco supra quam dici possit amæno situm. Inde postridie digressi *Buiuk Czekmesi*, hoc est, *Pontem magnum* pervenimus. Pontes ambo, tam major, quam minor, oppidis sibi vicinis nomen dederunt. Pontes hos Imp. Solimanus Mahumetis hujus proavus luculento sane opere refecit: cui quidem tria in optatis fuisse dicuntur, ut videlicet Aquæductum Valentinianum restitueret: deinde hos Pontes in utroque sinu maris latissimo reficeret: Viennam denique expugnaret. Prioris utriusque voti factus est compos: tertio Deus nobis propitius favere noluit. Hinc Selybriam venimus, quæ civitas præcipue aeris salubritate commendatur. Dum Selybria Tzurulum properaremus; quod est ea via oppidulum nonnihil a Propontide versus mediterranea situm, videbamus nos consortio cujusdam Judæi auctos esse, cujus hic, prorsus ab omni benignitate alieni, oblivisci non possum. Is erat Byzantinus, & *Cara cas*, nomine, Turcarum sermone illi cum *nigro ansere* communi, vocabatur. Hic cum esset locupletissimus, cæterum

A extremæ avaritiæ, adduci nunquam poterat, ut vel asprum saltem unum corporis commoditatibus impenderet. Admonebant eum nostri comites serio, ut sibi de pellicea prospiceret, ejus vestem, quæ erat æstivalis, frigori, quod vehementissimum instabat, depellendo non sufficere: sed surdo canebatur. Sumserat secum Byzantio aliquot piperis & croci, aliorumque aromatum manipulos, & quæ alii pecunia, ille suis aromatibus præstinabat. Simulabat se quotidie de gallo assato, cujus jusculo panem intingebat, comedere, cum tamen ne pilo quidem, quod dicitur, gallus minueretur. Interim esurie & frigore confectus vastissima montium ac camporum

B spatia in maximis miseriis emetiebatur, cum quibus tamen diutius non est conflictatus, quam dum Leopolim intraremus, quo ex loco penetravit se ad plures. Inter Tzurulum & Selybriam vidimus non obscura veteris muri vestigia, quem a Ponto Euxino Selybriam usque pertingentem Anastasius Dicorus adversus barbarorum incursiones extruxit. Tzuruli satis commode stabulati sumus in *Caravansarai*, quod diversorii genus jam olim e Busbequio tibi non ignotum arbitror. Arcem munitissimam hoc in loco quondam fuisse, cum ex meo manuscripto exemplari Georgii Logothetæ, tum Joanne Zonara cognosco, qui in *Vita Mauritii Augusti*

C scribit, Chagano cum infinita multitudine Thraciam ingresso Romanorum ducem territum, in Castellum Tzuruli se conclusisse. Tzurulo pervenimus Babam; ex hoc transmisso Euro fluvio Hapsalam, oppidum Templo & Diversorio Mahumetis Bassæ nobile. inde, quinta demum, postquam Constantinopoli discesseramus, die, attigimus Adrianopolim, quam Turcæ *Jederne* vocant. Sed antequam Urbem ingrederemur, videbamus cœmeterium, in quo hastæ ligneæ plerisque tumulis superinfixæ exstabant: cumque causam quæreremus, ajebant gentiles ac propinquos defunctorum

D eo monumento militum in bello strenuitatem apud posteros publice testatam esse voluisse. Adrianopolis ad fluvium Hebrum posita jacet, qui præclaro ponte a Mustapha stratus est. Suburbanis ædificiis ita tumet, ut, si Imperii Turcici felicitas perennaverit, meo quidem animo altera Constantinopolis futura sit, quando non minus, quam hæc, a mercatoribus & omnis generis opificibus frequentetur. Tres dies Adrianopoli commorati progredimur ulterius, transmissoque Rhodopes montis jugo, & septem diebus sub Jove frigido transactis in Oppidum Haidosch venimus. Per hæc loca transeuntibus puellæ rusticæ nobis panes subcinericios recen-

E ti a foco etiamnum calentes, anseres, pullos gallinaceos, gallinasque commodo satis pretio venales offerebant. Exiguo ab oppido Haidosch spatio, vetustæ cujusdam Arcis in edito quodam monte ruinas vidimus. Hinc per arctissimas cujusdam montis, quem incolæ Balchanum nominant, angustias, Provadiam perreptavimus. In hoc itinere interdum misselli alicujus Christiani tuguriis excipiebar, quæ tam angusta erant, ut sæpe caput sub tecto reclinans, pedes extra januam habere cogerer. Cum sub dio pernoctaremus, præsidio ignis nocturnum frigus defendebamus. plerumque etiam vino, præsentissimo tædiosi adeo itineris remedio utebamur. Non

F deerat etiam pultis genus, quod ex oryza addito saccaro concinnabamus, quo recreati, æquiore animo viæ labores atque incommoda sustentaremus. Jacet sane Provadia loco natura munitissimo: altissimis & præruptis rupibus, in quarum una etiam Arx sita est, ab utraque parte veluti continuo quodam muro cingitur. Hæc Civitas a mercatoribus, præcipue Ragusæis, ob mercatum pellium bufalorum, quibus ea regio abundat, frequentatur. Ex his angustiis Basarczicum venimus, uno de comiti-

bus nostris desiderato, quem fluxus sanguinis consumserat. Basarczico digressis non ita ex voto reliquum itineris successit, quandoquidem ita ventis nivibusque agitari cœpimus, ut facile eo tempore cum Poeta dixisses:

—— τα δ' ὑπέρτερα νέρτερα θήσει
Ζεὺς ὑψιβρεμέτης,

Cœpit enim eo die, qui erat XII. Decembris, Boreas ita adverso impetu, pluvia se etiam miscente, tempestuose flare, ut coacti fuerint Turcæ comites nostri, nisi, uti ipsi dicebant, mori præoptarent potius, in oppidum redire. Hæc autem tempestas cum tanto frigore perseverabat, ut omnes una cum curribus & equis in glaciem, sive glaciales statuas potius conversi videremur. Augebat miserias nostras, quod eo tempore sub dio dormiendum erat: solabar me tamen aliquantulum, quod eo modo Danubium, quem paulo post transmissuri eramus, facile congelari posse viderem. Postea oppidum quoddam, quod a lacu sibi vicino *Cara su*, id est, *nigra aqua* appellatur, transivimus. Inde per campos planissimos, quos *Tatarski pole* incolæ appellant, Babam venimus, Urbem, quantum ex ruderibus conjicere licebat, aliquando maximam: sed a Cosakis hodie misere diruta ac solo æquata jacet. Hinc digressi in Vicum quendam Monaster divertimus, qui uno miliari a Danubio distat; unde post aliquot dierum intervallum (nam Danubii congelationem expectabamus) in pagum Obluczice, sive ut Turcæ nominant *Sakczy* penetravimus. Danubio glaciali marmore incrustato, per glaciem discedimus ipsa Circuncisionis Dominicæ die.

Hic nihil opus esse arbitror, ut enarrando reditu meo per Moldaviam pluribus te morer: cum fere per eadem loca reversus fuerim, quæ antea jam descripsi: nisi quod in reditu Lacum Rosove glaciatum trajecerim, & Oppidum Hus non tam Valachis quam Hungaris incolis frequens transierim. Porro in omnibus oppidis, quæ superius nominavi, si ea, quæ supra Adrianopolim sita sunt, excipias, nihil præter barbariem meram, idest, hominum ad egestatis terminos redactorum illuviem, locorumque vastitiem ac solitudinem vidimus. Camenetiam venio die VI. Februarii, in quo itinere quantos labores exantlaverim, qui duos fere menses sub dio transegi, iis cogitandum relinquo, qui meum studium calumniari, quam probare maluerint. Camenetia, ubi per aliquot dies moratus me refeceram, venio Leopolim, inde Belzum, post Zamoscium, ubi ea humanitate Herois Illustrissimi Joannis Zamoscii exceptus sum, ut omnium tædiorum & miseriarum tam molesti itineris facile oblivíscerer. Tu cogita, amantissime Pater, quam melli mihi fuerit tanta terrarum spatia emenso, istiusmodi Viri, quo haud scio an quicquam melius Sol illuxerit, faventia haud indignum judicatum; idque tui potissimum nominis merito. Nihil dico de avita ejus nobilitate, nihil de majorum ejus præclare gestis. Per se, atque adeo suis virtutibus abunde illustris est. Ex quo ille gubernaculis Regni admotus fuit, nihil prius habuit, quam patriæ suæ omni ope, labore & sumtu ire opitulatum. Infestabantur jampridem Tartarorum excursionibus limites Poloniæ: incolæ subinde e Podolia in diram Turcarum servitutem abripiebantur. Nunc vero sub hujus præsidio limites hujus Regni tam tuti sunt, ut, si quis eos vel maximis copiis instructus, invadere se postulet, incassum laboret, nunquam utique ad propositi sui scopum perventurus. Jamdudum Moldaviæ vastitiem invecturi fuerant Tartari, nisi hic Heros Heroico plane ausu illi subvenisset, Tartarisque cum ipso Precopiensium Principe profligatis, Hieremiam Mohile ibidem Palatinum constituisset. Nihil autem magis innatum ejus erga patrios lares amorem declarare possit, quam hæc ipsa Civitas, quam propriis sumtibus a fundamentis extruxit, mœnibus & propugnaculis adversus hostium impetum validissimis munivit, & a suo nomine Zamoscium appellavit. Omnes probe scimus eum non solum Poloniæ, sed & toti Europæ, immortalis suæ virtutis effigiem, tanquam Pyramides quasdam aut statuas reliquisse. Veteribus mos fuit, eis qui insigne ob facinus perpetuitatem meruissent, imagines & simulachra erigere: sed ego arbitror, ejusmodi statuas & imagines vel vi ventorum convulsas decidere, aut fulmine exustas evanescere: hujusmodi vero encomiorum genera, quæ viva sunt hominum simulachra, nullo modo convelli, aut senio obliterari posse; imo ipsa vetustate firmiora fieri. Quocirca hujusmodi laudum præcones præ Myrone illo statuario, Phidia & Apelle pictoribus, & Praxitele sculptore admiratione digni videntur. Cæterum cum tot hujus Imperatoris erga Regnum Poloniæ exstent merita, cum quonam potius eum conferam? cum Cyrone illo Persarum Rege laudatissimo, an cum Atheniensium Duce Themistocle? cum Philippone Macedone, an Pericle? Sed cum nullo melius eum conferri posse, quam cum Magno illo Constantino arbitror. Merito etiam eum Imitatorem Domini nostri appello, qui cum se Bonum Pastorem nominasset, statim infert: *Pastor bonus animam suam ponit pro ovibus*. Et hic Heros non semel in discrimen vitæ se conjecit, ut suæ fidei commissos a luporum rapacitate vindicaret. Optime cognitum habet quam personam sustineat: ideo omnes ejus conatus eo spectant, ut patriæ suæ inserviat: privata commoda publicis posthabeat. In singulis disciplinis ita excellit, ut totam ætatem in studiis trivisse videatur. Viros humanioribus literis excultos quanta benevolentia prosequatur, ex Hippeo Musis, & literarum studiis ab eodem exstructo satis constare arbitror. Summum ei Religionis studium, ad mandata Dei totius vitæ cursum moderatur, omnibus prælucet, exemploque est subditis quid fugere, quid sequi debeant. referebat mihi omnes fere victorias suas de hostibus quæsitas in diem Dominicum incidisse; quo nomine etiam Templum in hac eadem Civitate RESURRECTIONI DOMINICÆ SACRUM incredibili impensa excitari curavit. Sed præter cætera, quæ ibi vidi, armamentarium in primis me obstupefecit, per quod dum me deduceret, se inibi non nisi tormenta bellica, quæcunque ab hostibus acquirere potuisset, reponere dicebat, quorum jam magnam copiam Germanis, Tartaris, præcipue autem Moscovitis, dum bello maximi illius Bathorei Regis præerat, belli lege eripuit. Quatuor ita diebus in hac Civitate transactis, cum nihil, quod ad benevolentiæ significationem pertineret, Heros ille prætermisisset, data acceptaque salute Zamoscio discedo; & biduo post Lublinum venio. In hac Civitate quotannis Judicia exercentur, quorum in Polonia autoritas tanta est, ut nec ad regem, nec ad Regni Procerum Comitia inde provocare liceat. Lublino venio Varsaviam, Urbem, propter Comitia, quæ plerumque magno præcipuæ Nobilitatis concursu ibi fiunt, celeberrimam. Vistula fluvius eam alluit, qui mirabili, ac pene Dædaleo opere fabrefacto ponte a Sigismundo Augusto stratus est. In hujus Civitatis suburbio, per octo dies, hospitio politissimi juxta ac prudentissimi Viri Georgii Bergmanni Gedanensium Syndici usus sum, cujus morum comitas pari condita eruditione, haud leviter sane me exhilaravit. Hinc, facto per Toruniam itinere, spatio septem dierum Dantiscum venio; Urbem amplissimam; quæque principem locum in Septentrione merito obtinere creditur. Ejus sane Proceres non minus eruditione, quam rerum poli-

ticarum experientia instructi sunt; inter quos Clarissimus Vir Bartholomæus Schachmanus, cum virtutibus, tum etiam πολυτροπίᾳ cumulatissime ornatus, facile eminet; cujus nomine plurimum huic Urbi debere me fateor, quod tantum hic virum convenire, notitiamque pariter & amicitiam cum eodem jungere licuerit. Peragravit is præter Germaniam, Galliam, Italiam, & Ægyptum, universum pene Orientem, unde sibi non exiguam exoticarum rerum supellectilem reportavit. Vix credo cuiquam rei alicujus in mentem venire posse, cujus ille specimen in suo κειμηλιαρχίῳ non habeat. Nummorum tam veterum, quam recentium tanta instructus est copia, ut non alibi locorum facile simile quid inveniri posse existimem. Huic non inferior est ornatissimi ingenii Vir Gualtherus ab Holdten, quem nuper admodum ex literis ad te scriptis cognovisti. Is, præterquam quod mores hominum multorum vidit & urbes, omnium etiam linguarum occidentalium exactissimam sibi

A notitiam comparavit. Hujus etiam, dum in hac Urbe vixi, familiaritate usus, faventissimam semper ejus studii voluntatem expertus sum. Mensem ergo in hac Urbe moratus, patriam versus viam ingredior: in quo itinere Pomeraniam, Holsatiam, Westphaliam peragravi, quibus regionibus, quoniam sunt nobis vicinæ, & quotidie a nostratibus frequentantur, inhærere minime necessarium existimo.

Habes, mi Pater, universam Itineris nostri Constantinopolitani seriem, ad quod ingrediendum me non Myro aliqua Byzantia, vel Asiaticæ

B delitiæ, verum ipsius rei honestas, & ignota discendi cupiditas stimularunt. Tu si aliquo modo hunc conatum meum tibi non displicere declaraveris, neque inutilem, neque infructuosam operam in eo collocasse videbor: sin minus, hoc tamen tibi, non obscurum (uti opinor) observantiæ in te meæ testimonium habebis. Lugduni Batavorum, CIↃ. IↃ. IIC. Kal. Augusti.

NOBILISSIMO VIRO

PETRO CEKLINIO

PRIMARIO SERENISSIMI POLONORUM REGIS SECRETARIO

GEORGIUS DOUSA

S. D.

ET Byzantinæ conversationis nostræ recordatio, tuique politissimi ingenii admiratio, cujus dexteritate Trinummum Plauti nuper admodum Polonice loquentem suspicere & admirari licuit, effecerunt, ut Inscriptiones has tuo nomini inscriberem. Qui enim sæpe Constantinopoli de hujusmodi rebus familiariter mecum loquebaris, sciebam te has Επιγραφὰς non aspernaturum; quæ partim a me e monumentis antiquis erutæ, partim a Theodosio Zygomala in hoc studiorum genere haud tralatitie versato in aliis Græciæ locis descriptæ sunt. Eas itaque amoris & benevolentiæ meæ pignus boni consules, & me, si mereo, amore, quo solebas, amare perges.

GEORGIO DOUSÆ

BYZANTIO REDUCI

ΕΓΚΩΜΙΟΝ.

SI quis cum fructu populos lustravit & urbes,
Ivit & Eoos visere & Hesperios,
Si quis magnifico mactavit munere Belgas:
Si bene quis Genio est usus & Ingenio.
Ne vivam, nisi tu multis e millibus unus
Ille eris, o animæ portio Dousa meæ.
Tu nos Hippodromos, Obeliscos, Septa, Colossos,
Pegmata, Aquæductus, Balnea, Templa, Domus,
Marmora functorum, Cippos, incisaque Græcis
Saxa notis, Moles, Pyramidesque doces.
Verum ego quid tricor? quid multis differo? Belgis
Quod NOVA ROMA *patet, muneris omne tui est.*
Et dubitamus adhuc, num quis cum fœnore tanto
Visit & Eoos, visit & Hesperios?

P. SCRIVERIUS.

A

INSCRIPTIONES ANTIQVAE.

Γ. ΙΟΥΛΙΟΝ. ΣΚΑΠΛΑΝ
ΥΠΑΤΟΝ. ΑΠΟΔΕΔΕΙ
ΓΜΕΝΟΝ. ΠΡΕΣΒ. Κ-. ΑΝΤΙ
ΣΤΡΑΤΙΓΟΝ. ΑΥΤΟΚΡΑΤΟ
ΡΟΣ. ΤΡΑΙΑΝΟΥ
ΣΕΒΑΣΤΟ ∴∵ ΑΥ(
ΔΟΣΑΡΧΙΣΤΟΝ
Κ-. ΑΥΤΟΚΡ ∴∵ ΑΙΛΙΟΥ
ΚΑΙΣΑΡοΣ ΑΝ
ΟΥΠΑΤΟΝ ΜΟ
ΝΑ. ΛΕΓ. Δ̄ ∴ Α
ΤΙΓΟΝ. ΔΗ ∴∵ ΑΝ.

B

C

SOLIS. AESCVLA ·
PIO. ET. HYGI
AE. FL. MARCI
ANVS. >. LEG.
XIII. GEM. ET
LEG. XV. APOL
IVSSV. FORVM
POSVIT.

IMP. CAESAR
M. AVRELLIO. ANTO
NINO. AVGVSTO
CAELICIVS
FELIX.

D

ΑΝΕΙΚΗΤΙΟΙ
ΚΑΙ. ΜΑΧΙΜΟϹ
ΚΑΙ. ΜΥΡΤΙΛΟϹ
ΚΑΙ. ϹΤΡΑΒωΝ
ΜΝΗΜΗϹ. ΧΑΡΙΝ

E

Ν. ΚΑΛΛΙϹ
ΤΟϹ. ΦΟΙ
ΒΙωΝΙΤω
ΜΝΗΜΗϹ. ΧΑ
ΡΙΝ. ΕΝΚΑ
ΤΑΛΙΨΕ ΕΤΑΙΡω
ΚΑΙ. ΕΑΥΤω

F

D. M.
F. AVDACIS 7
LEG. I. ADIVTRIC
NAT. GERMANIO
VIXIT. ANNIS. L.
MENS. III. DIEBVS
IIII. IVLIVS. FORTV
NATVS. COLLEGA
ET. PROCVR. EIVS
AMICO. OPTIMO.

L. PETRONIVM
VERVM. LEG. AV
PR. PR. C. MV. COS
DESIG. TIV ∴∵ VS
SELEVCVS. ET. SEPTI
MIVS. VALERIANVS
B. B. CORNICVLA
RI. EIVS. PRAESIDE.
SANCTISSIMVM
H. C.

ΑΓΑΘΗΙ. ΤΥΧΗΙ
Λ ΠΑΠΕΙΡΙΟ
ΛΕΞΑΝΔΡΟΝ
ΑΡΧΙΕΡΕΑ. ΚΑΙ ∴
ΤΟ Β. ΓΡΩΤΟΝ
ϽΧΟΝΤΑ. ΚΑΙ. Τ
ΕΙΡΙΝΑΡΧΗΝ ∴∵
Σ. Μ̄-Ρ̄ ΟΠΟΛΕ ∵
Σ. ΑΝΚΥΡΑΣ
Α. ΙΔΙΑ. ΒΙΟΥ. ΙΕ ∵
Α. ΤΟΥ. ΔΙΟΝΥ ∵
ΟΥ. ΦΥΛΗ. ΕΔΙ

ΘΕΟΙΣ. ΚΑΤΑΧΘΟΝΙ
ΟΙΣ. ΚΑΙ. ΚΑΠΙΤΩΝΙ
ΠΑΣΙΚΡΑΤΟΥΣ
ΑΝΔΡΙ. ΓΕΝΝΑΙΩ
ΚΑΙ. ΑΓΑΘΩ. ΠΟΥ
∵ ΛΙΟΣ. ΑΔΕΛΦΟΣ
ΑΥΤΟΥ. ΚΑΙ. ΠΑΣΙ
ΚΡΑΤΗΣ. ΚΑΙ. ΜΗ
ΝΟΔΩΡΟΣ. ΥΙΟΙ
ΑΥΤΟΥ. ΠΕΡΗΝΟΙ
ΜΝΗΜΗ. ΤΗ. ΧΑ ∵

ΖΩΤΙΚΟΝ ΒΑΣΣΟΥ
ΑΝΔΡΑ ΑΓΑΘΟΝ ΥΟΝ
ΦΥΛΗΣ ΙΑ. ΦΥΛΑΡΧΗΣΑΝ
ΤΑ ΦΙΛΟΤΕΙΜΩΣ. ΚΑΙ
ΑΣΤΥΝΟΜΗΣΑΝΤΑ. Α
ΓΝΩΣ. Κ. ΕΡΓΟΝ. ΠΟΙΗ
ΣΑΝΤΑ. ΠΟΛΥΤΕΙΜΗΛΟΝ
ΕΝ. ΚΟΜΟΚΕΤΙΩ. ΕΚ. ΤΟΝ
ΙΔΙΩΝ. Κ-. ΚΑΘΗΜΕΡΑΝ
ΠΟΛΛΑ. ΠΑΡΕΧΟΝΤΑ Τ. ΦΥ
ΛΗ. ΤΕΙΜΗΘΕΝΤΑ ΕΝ
ΕΚΚΛΗΣΙΑΙΣ. Κ-. ΒΟΥΛΗ
ΦΥΛΗ. ΙᾹ. ΝΕΑ. ΟΛΥΜΠΙΑ
ΕΠΙΜΕΛΟΥΜΕΝΩΝ
ΒΑΣΣΟΥ. ΓΑΙΟΥ. Κ-. ΑΘΗΝΑΙΟΥ
ΣΕΝΤΑΜΟΥ. ΤΟΥ. ΤΟΠΟΥ
ΔΟΘΕΝΤΟΣ. ΥΠΟ. ΤΗΣ
ΛΑΜΠΡΟΤΑΤΗΣ. ΒΟΥΛΗΣ.

A

IMP. CAESARI. M.
AVRELIO
ANTONINO IN
VICTO AVGVSTO
PIO. FELICI
A. ELLYCINVS. V. E.
DEVOTISSIMVS
NVMINI EIVS.

ΓΑΙΝΟΝ ΙΠΕΑ
ΡΩΜΑΙΩΝ. Κ. ΒΤΗΝ
Τ. ΗΝ. ΤΡ∴∴ ΝΑΡΕΑΝΤΑ
ΠΟΛΙΤΟΓΡΑΦΗΣΑΝΤΑ. ΚΑΙ
ΠΡΕΣΒΕΥΣΑΝΤΑ. ΠΑΡΑ
ΑΠΑΝΤΩΝ. ΕΘΝΩΝ. Κ. ΑΓΩ
ΝΟΘΕΤΗΣΑΝΤΑ. ΔΙΣ. ΤΟΥΤΕ
ΚΟΙΝΟΥ. ΤΩΝ. ΓΑΛΑΤΩΝ. Κ.
ΔΙΣ. ΤΩΝ. ΙΕΡΩΝ. ΑΓΩΝΩΝ
ΤΩΝ. ΜΕΓΑΛΩΝ. ΑΣΚΛΗΠΙ
ΤΙΩΝ. ΙΣΘ. ΠΥΘΙΩΝ. Κ. ΑΡΧΙ
ΕΡΕΑ. ΤΟΥ. ΚΟΙΝΟΥ. ΤΩΝ. ΓΑΛΑ
ΓΑΛΑΤΑΡΧΗΝ. ΣΕΒΑΣΤΟΦΑΝ
ΤΗΝ. Κ. ΚΤΙΣΤΗΝ ∴ ΗΣ ΜΗΤ
ΡΟΠΟΛΕΩΣ. ΑΝΚΥΡΑΣ. ΦΥΛΗ
ΕΟΝΕ ΠΑΣΙΠΡ
∴∴ ΕΡΓΕΤΗΝ. Κ. Π.

B

DIS MAINIB.
L. LVCCIO. L. F. ROM.
SECVNDO. COMI †
M. VALERI. ITALI
LEG. AVG.

V. CN. POMPEIVS. PHILINVS.
POMPEIÆ. PHILVMENÆ
FILIÆ
ET SIBI

C

L. DIDIO. MARINO. V. E. PROC.
AVG. N. PROVINC. ARAB. PROC
GALATIAE. PROC. FAM. GLAD.
PER. GALLIAS. BRET. HISPA
NIAS. GERMAN. ET. TRATIAM
PROC. MINVCIAE. PROC. ALI
MENTORVM. PER. TRASPADUM
HISTRIAM. ET. LIBVRIAM
PROC. VECTIGALIOR 7 POPVL
R 7 QVAE. SVNT. CITRA. PADVM
PROC. FAM. GLAD. PER. ASI
AM. HY. GALAT. CAPPADOC.
LICIAM. PAMFYL. CILIC. CI
PRVM. PONTVM. PAELAG.
TRIB. CO. I. RE ∴ OR
MARIANVS. AVG 7 N̄. LIB 7
PP. X̄X̄.
LIB 7. BI ∴ HYNIAE. PONTI
PAELAG.
NVTRITOR. EIVS.

D. M.
L. HEMNIO. MAR
LEG ∴∴∴∴ QVI
VIXIT. ANNIS. LXX
∴∴∴∴ MEM ∴.
ORIAE. CAVS ∴∴ S.
HENNIVS. TERC.
ET. HENNIVS. AEMIA
NVS. LIB. EIVS.
PATRONO. OPTIMO.

D

ΤΙΒ. ΚΛΑΥΔΙΟ
ΦΙΛΟCΤΟΡ
ΓΟΝ. ΝΕΩΤΕ
ΡΟΝ. ΦΥΛΗC
ΙΕΡΑΒΟΥΛΑΙΑC
ΚΑΤΑ. ΑΝΑΓΟΡΕΥ
ΣΙΝ. ΒΟΥΛΗΣ. ΚΑΙ
ΔΗΜΟΥ. ΤΕΙΜΙ
ΘΕΝΤΑ. ΠΟΛΛΑ
ΚΙΣ. ΕΝ. ΕΚΚΛΗΣ
ΙΑΙΣ. ΑΝΔΡΙΑΣ.

E

ΑΓΑΘΗΙ. ΤΥΧΗΙ.
Φ. ΑΙΛΙΑΝΟΝ. ΙΠΠΕΑ. ΡωΜΑ
ΙωΝ. ΚΑΙ. ΚΑΛΛΙCΤΗΝ. ΠΡω
ΤΗΝ. ΑΡΧΗΝ. ΑΡΞΑ∴ΤΑ. ΚΑΙ
ΠΟΛΕΙΤΟΓΡΑΦΗCΑΝΤΑ
ΚΑΙ. Τ. ΠΡΕCΒΕΥCΑΝΤΑ
ΠΑΡΑ. ΘΕΟΝ. ΑΝΤωΝΕΙΝ
ΟΝ. ΚΑΙ. ΑΓωΝΟΘΕΤΗCΑΝ
ΤΑ. ΥΙΟΥ. ΤΟΥΤΕ. ΚΟΙΝΟΥ
ΤωΝ ΓΑΛΑΤωΝ. ΚΑΙ. C∴
ΤωΝ. ΙΕΡωΝ. ΑΓωΝωΝ. ΤωΝ
ΜΕΓΑΛΟΑCΚΛΗΠΕΙωΝ
ΠΥΘΙωΝ. Κ. ΑΡΧΙΕΡΕΑ
ΤΟΥ. ΚΟΙΝΟΥ. ΤωΝ. ΓΑΛΑ
ΤωΝ. ΓΑΛΑΤΑΡΧΗΝ. CΕ
ΒΑCΤΟΦΑΝΤΗΝ
ΚΤΙCΤΗΝ. ΤΗC. ΜΗΤΡΟ
ΠΟΛΕωC. ΑΓΚΥΡΑC
ΦΥΛΗ

Ε. Κ. Ι. ΑΝΔΡΩΝΕ
ΙΕΡΟΠΟΙΩΝ. ΣΤΡΑ
ΤΗΓΟΝ. ΟΥΡΒΑΝΟΝ. ΠΡΕ
ΣΒΕΥΕΝ. ΛΕΓΙΩΝΟΣ
Λ. ΟΥΛΠΙΑΣ. ΝΙΚΗΦΟ
ΡΟΥ. ΕΠΙΜΕΛΗΤΗΝ. Ο
ΔΟΥ. ΑΠΠΙΑΣ. ΥΠΑΤΟΥ
ΠΡΕΣΒ. ΑΝΤΙΣΤΡΑΤΗ
ΓΟΝ. ΣΥΡΙΑΣ. ΠΑΛΑΙ
ΣΤΕΙΝΗΣ. ΤΡΕΒΙΟΣ
ΚΟΚΚΗΙΟΣ. ΑΛΕΞΑΝ
ΔΡΟΣ. ΤΟΝ. ΕΑΥΤΟΥ. ΕΥ
ΕΡΓΕΤΗΝ.

F

A

ΑΥΦΙΔΙΟΝ
ΙΟΥΛΙΑΝΟΝ
ΤΟΝ. ΚΡΑΤ
ΕΠΙΤΡΟΠΟΝ
ΤΩΝ. ΣΕΒΒ
ΜΑΞΙΜΕΙΝΟΣ
∴∴∴∴∴∴∴∴∴
ΤΟΝ. ΠΑΤΡΩ
ΝΑ. ΔΙΑ. ΠΑΝΤΑ
∴∴∴∴∴∴∴∴
ΤΟΝ. ΚΡΑΤΟΚΙ

B

Γ. ΙΟΥΛΙΟΝ. Γ.
ΥΟΝ. ΦΑΒΙΑ. ΣΕΟΥ
ΗΡΟΝ ΓΕΝΟΜΕ
ΝΟΝ. ΠΡΩΤΟΝ. ΜΕΝ
ΠΕΝΤΕ Κ- ΔΕΚΑΝ
ΔΡΩΝ. ΤΩΝ. ΕΚΔΙΚΑ
ΕΟΝΤΩΝ. ΤΑ. ΠΡΑΓΜΑΤΑ
ΙΠΠΩ. ΔΗΜΟΣΙΩ. ΤΙ
ΜΙΘΕΝΤΑ. ΧΙΛΙΑΡΧΟ
ΛΕΓΙΩΝΟΣ. Δ̄. ΣΚΥ
ΘΙΚΗΣ. ΤΑΜΙΑΝ. ΚΑΙ.
ΔΙΑ. ΤΟΝ. ΔΗΜΑΡΧΟ
ΚΑΝΔΙΑ. ΤΟΝ. ΙΕΡΕ ∴∴

C

ΦΥΛΗ. Δ̄Ι. ΕΡΜΗΝ. ΤΟΝ. ΕΝ. ΠΑCΙ
ΤΡΟωΝ. Κ-. ΦΙΛΟΤΕΙΜΟΝ. Κ-. Ε
ΑΥΤΗC. ΕΥΕΡΓΕΤΗΝ. Κ-. ΠΚΟ
ΥΗCΤΗΝ
ΕΠΙΜΕΛΟΥΜΕΝωΝ. ΑΥΡ. ΑCΚΚΗ
ΠΙΑΔΞΥ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. ΑΡΧΙ
ΔΡΑΓΑΤΟΥ. ΚΑΙ. ΙΟΥΛΙΟΥ. ΑC
ΚΛΗΠΙΑΔΟΥ
ΤΟΝ. ΕΑΥΤΗΣ
ΥΙΟΝ. ΕΤΕΙΜΗ
ΣΕΝ

D

ΦΛΑ. ΓΛΥΚΕΡΩ. ΠΑΤRΙ
ΚΑΙ. ΜΗΤΡΙ. ΙΘΑΚΗ. Φ
ΚΑΙ. ΦΛΑ. ΗΛΙΟΔΩΡΩ
ΤΩΙ. ΚΑΙ. ΣΑΡΜΩ. ΑΔΕΛ
ΦΩΙ. ΤΟΝ. ΒΩΜΟΝ. ΚΑΙ. ΤΟΝ
ΤΟΠΟΝ. ΕΚ. ΤΩΝ. ΙΔΙΩΝ
ΦΛΑ. ΕΠΑΦΡΟΔΕΙΤΟC
ΚΑΙ. ΕΝ. ΤΩ. ΚΑΙ. ΤΟΙ
ΧΑΡΙΝ

E

Μ. ΑΥΡ. ΔΙΟΝΥΣΙΟΝ. ΓΛΥΚΥ
ΤΑΤΟΝ
Μ. ΑΥΡ. ΣΤΑΤΩΡΙΑΝΟΣ. ΤΟΝ
ΑΔΕΛΦΙΔΟΥΝ

F

Η. ΒΟΥΛΗ. ΚΑΙ. Ο. ΔΗΜΟΣ
CΕΒΑCΤΗΝΩΝ
ΤΕΚΤΟΣΑΤΩΝ
ΕΤΙΜΙCΕΝ. Μ
ΚΟΚΚΗΙΟΝ
ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΝ. ΤΟΝ
ΕΑΥΤΩΝ. ΠΟΛΙΤΗΝ
ΑΝΔΡΑ CΕΜΝΟΝ. ΚΑΙ. ΤΗ
ΤΩΝ. ΗΘΩΝ. ΚΟCΜΙΟΤΗΤΙ
ΔΟΚΙΜΩΤΑ
ΤΟΝ

ΑΓΑΘΗΙ. ΤΥΧΗΙ
ΑΥΦΙΔΙΟΝ
ΙΟΥΛΙΑΝΟΝ
ΤΟΝ. ΚΡΑΤ. ΕΠΙΤΡΟ
ΠΟΝ. ΤΩΝ. ΣΕΒΒ
ΤΟΝ. ΕΝ. ΠΑΣΙ. ΑΓΝΟΝ
Κ-. ΔΙΚΑΙΟΝ. Κ-. ΠΑΣΗ
ΑΡΕΤΗ. ΚΕΚΟΣΜΗ
ΜΕΝΟΝ
ΕΥΤΥΧΙΔΗΣ. ΣΕΒΒ
ΑΠΕΛΕΥΘ. ΤΑΒΟΥ
ΛΑΡΙΟΣ. ΤΟΝ. ΕΑΥΤΟΥ
ΠΑ∴ΡΟΝΑ. Κ-. ΕΝ. ΠΑΣΙΝ
ΕΥΕΡΓΕΤΗΝ

ΤΥΜΒΟΝ
ΚΑΙ. ΒΩΜΟΝ
ΜΕΛΕΑΓΡΩ
ΕΝΘΑΔΕ. ΤΕΞΑΝ
ΚΥΡΙΑ. ΚΕΙΜΑΙ
ΤΟΥΔΕ. ΠΑΡΟΣ
ΠΡΟΓΗΓΩΣΑ. ΣΥΝΕΥ
ΝΟΣ. ΥΙΟΙ. ΔΗΜΑΓΝΟΣ
ΚΛΕΟΝΕΙΚΟΣ. ΓΛΥΚΥ
ΤΑΤω. ΓΕΝ ∴ ΤΗ. ΜΝ∴
ΜΟΣΥΝΟΙΟ. ΧΑΡΙΝ

ΣΕΚΟΥΝΔΟΥ ΕΠΙΜΕ
ΛΟΥΜΕΝωΝ.
ΠΟΝΤΙΚΟC ΑCΚΛΗΠΙΟΥ
ΔΙC. ΦΥΛΑΡΧΗC. ΦΥΛΗC∴Ν
ΑΤΗ. ΑCΤΥΝΟμΗCΑC- ΙΡΑ
CΑΜΕΝΟC. ΤΗ. ΠΑΤΡΙΔΙ. ΒΟ∴
∴∴∴∴∴∴∴∴∴∴∴∴
ΑΕ ∴ ΤΟΝ. ΠΡΟΓΟΝΗΚΟΝ
ΒωΜΟΝ. ΕCΚΕΥΑCΕΝ
ΧΑΙΡΕ. ΠΑΡΟΔΕΙΤΑ

ΚΛ. ΑΙΜΙΛΙΟΝ
ΦΙΛΩΝΙΔΗΝ
ΤΟΥ. ΓΑΛΑΤΑΡ
∴ΟΥ. ΑΙΜΙΛΙΟΥ
ΣΤΑΤΟΡΙΑΝΟΥ
ΥΙΟΝ. Η. ΠΑΤΡΙΣ
ΑΝΕΣΤΗΣΕΝ
ΥΠΟΜΝΗΜ∴
ΠΑΣΗΣ. ΤΗΣ
ΠΕΡΙ. ΤΟΝ. ΒΙ
ΟΝ. Α∴ΤΗΣ

ΑΓΑΘΗΙ. ΤΥΧΗΙ
Η. ΜΗΤΡΟΠΟΛΙΣ
ΙΟΥΛΙΟΝ
ΣΑΤΟΡΝΕΙΝΟΝ
ΤΟΝ. ΗΓΕΜΟΝΑ

Εν

A

Εν τῇ πολιτείᾳ ΒΑΡΝΗ ἐντὸς τῆς Μητροπολεως.

Εδοξε τῇ βουλῇ ϗ τῷ δήμῳ. Κρατιϑένης Ζωΐλου εἶπεν. Επειδὴ Ερμειος Ασκληπιοδώρου Αντιοχεὺς διατρίβων παρὰ βασιλεῖ Σκυθῶν γκιανίτα εὔνουν ϗ πρόθυμον ἑαυτόν τῷ δήμῳ διατελεῖ .·.·. ϗ ἐδίᾳ τοῖς ἐντυγχάνουσιν αὐτῷ τῶν πολιτῶν συμπαρίσαται σπουδῆς οὐθὲν ἐπιλείπων ἐν πᾶσι τοῖς ἀξιουμένοις, δεδόχθαι τῇ βουλῇ ϗ τῷ δήμῳ δεδόσθαι ϗ αὐτῷ ϗ ἐκγόνοις προξενίαν, πολιτείαν, προεδρίαν, ἀτέλειαν χρημάτων πάντων, ὧν ἂν εἰσάγωσι ϗ ἐξάγωσι ἐπὶ κτήσει. ϗ ἐγγείων ἔγκτησιν ϗ δίκας προδίκας. ϗ εἴσπλουν ϗ ἔκπλουν ϗ

B

πολέμου ϗ εἰρήνης ἀσυλεὶ ϗ ἀσπονδεὶ εἶναι δὲ αὐτοῖς ἔφοδον ἐπὶ τὴν βουλὴν ϗ τὸν δῆμον πρώτοις μετὰ τὰ ἱερά. τὸν δὲ ἱεροποιὸν ἀναγράψαι τὸ ψήφισμα τοῦτο τελαμῶνα. ϗ θεῖναι εἰς τὸ ἱερόν.

Εν τῷ ἁγίῳ Γρηγορίῳ τῆς Νικομηδείας, ἐν δεξαμένῃ τινὶ φρέατος.

ΠΙΚΩΝ. ΚΑΙ. ΧΑΡΙϹ. ΝΙΚΩΝΙ. ΤΩ. ΥΙΩ ΖΗϹΑΝΤΙ. ΕΤΕΑ.Γ.ΜΗΝΑϹ. ΙΑ. ΧΑΙΡΕΤΕ.

Εν τῇ ἐπισκοπῇ Κίτρους.

Κάσιον Σέκουνδον Αβία Μαξίμα τὸν ἑαυτῆς ἄνδρα Νεώχαριν.

Εν τῇ ἐπαρχίᾳ τοῦ Πέρας πλησίον τῆς Θεσσαλονίκης ἐν χώρᾳ Κουντουριώτισσα καλουμένῃ ὅπου ἐγίνετο πόλις Παυρίσιον.

C

Επαφρᾶς Ζωσίμῃ τῇ ἰδίᾳ συμβίῳ μνείας χάριν τῇ γλυκείᾳ.

A

ἐκεῖ.

Μοῖραι ϗ λήθη με κατήγαγον εἰς Αΐδαο
Οὔπω νυμφείου θαλάμου ϗ παστάδος ὥρης.
Γευσάμενον. ἀθιγὴς δὲ ἔλιπον φάος ἠελίοιο.

ἐκεῖ.

Εὐτυχὴς Στρατονίκῃ τῇ συμβίῳ ϗ κυρίᾳ μνείας χάριν. ἔτους ΖϹ.

ἐκεῖ.

B

Τιτία Φλαυία Επιφάνεια. Αὐρηλίῳ. Ολυμπιονίκῃ ϗ τὰ τέκνα αὐτοῦ ἐκ τοῦ ἐκείνου, μνείας χάριν.

Εν τῇ ἐκκλησίᾳ τῆς Παρασκευῆς.

Ολπιος Επίκτητος Εὐτυχιανῇ τῇ γλικυτάτῃ συμβίῳ μνήμης χάριν, εὐτυχεῖτε. χαίρετε.

Αυρηλία Αρτεμιδώρα ζῶσα τὸν δὲ τάφον τεῦξεν ἐκ κοινῶν καμάτων αὐτῇ ϗ φιλίῳ ἀνδρὶ τοὔνομα Δημητρίῳ, ζήσα τέσσαρα ϗ ἐννέα μῆνας. Κεῖσαι ἐν κοινῷ ἄξιος ἧς ἐγένου σοφίας.

Εἰ δὲ ὁ κληρονόμος ὁ ἐμὸς παραπέμψῃ τὶ τούτων, δώσει τῷ ταμιείῳ προςίμου * ψν.

Εξ εὐσεβοῦς Ερένιος Διονυσᾶς Διονυσοδώρῳ τῷ τέκνῳ, μνείας χάριν.

C

Ερως Δογγίνα τῇ γλυκυτάτῃ συμβίῳ ϗ Πολυχάρμῳ, μνείας χάριν.

Οὔλπιος Αγαθόμορος χρηστῇ τῇ συμβίῳ χρηστὸν βίον βραχὺν ἰδοῦσα ἐνθάδε κοσμοῦμαι λίθῳ, μνείας χάριν.

LECTORI BENEVOLO.

ABSOLUTA *tandem hac Inſcriptionum farragine, viſum eſt Epiſtolas quaſdam ad Iter meum pertinentes huc adjicere, cum ob ſtili elegantiam, tum ut Libellus, qui alioqui breviuſculus videretur, paulo majuſculus eſſet. Etſi autem Epiſtola illa Meletii ad Patrem meum Conſolatoria ſecundo jam typis excuſa prodiit: tamen cum exemplaria nulla amplius exſtent, & facile inter ſchedas ſeorſum ita edita perire poſſit, facturum me oper æpretium putavi, ſi & illi Epiſtolæ, (* FRANCISCO *invidia rumpantur ut ilia* COSTRO*) in hoc Libello locum darem. Antequam vero illam cum reliquis exhibeam, ipſius Meliti Vitam, prout in* Epiſtola mei Itineris *Græce legitur ſupra* col. 3359. *hoc loco Latine lectitandam proponere volui; quæ ſic habet.*



ELETIUS cognomento Pegas uſque in hodiernum diem Patriacha Alexandrinus, ex Creta antiqua illa & centum urbibus inclyta originem ducens, præclaris parentibus, & qui virtutis inter cives primas obtinebant, prognatus eſt. Ab ineunte ætate viris ſapientibus in diſciplinam traditus, cum virtutibus ſcateret, nullo præeunte magiſtro ſuam vitam excoluit. Cum adhuc puer eſſet, ingenio ſimpliciore, attamen natura erat induſtrius, & ad docendum, negotiaque

E

civilia voluntarie ferebatur. Nam vocationis tempore orationes meditabatur & componebat, quæ præter doctrinam divinum etiam ingenium oſtendebant. Fortunæ vero invidia puer in tanta ignis, aquarum, præcipitiorumque incidit pericula, ut

D

ſæpe parum abfuerit quin interiret. Cum autem puerilibus diſciplinis ſatis inbutus eſſe videretur, Italiam petiit, inibique Patavii commoratus, cum artes omnes cum utraque lingua percepiſſet, vehementius ad majora capeſſenda excitatus eſt. Auſus vero generis ſuis nobilitatem, ſplendorem, divitias varias, affinitatem, amicos, domeſticos, omniaque quæ homines in deliciis habent, contemnere, vitam ſolitariam amplexus, eſt. Cum autem exiguum in habitu monaſtico tempus exegiſſet, multa, ut hominibus Græcis probe cognitum eſt, cum laude effecit. Sed vero non tam a Senioribus, quam Sancto illo Alexandriæ Patriarcha Silveſtro (non Gabriele; ut impoſtores ElKupti perſuaſerunt Papæ, & Cæſari Baronio) coactus, ad dignitatem Sacerdotalem evectus eſt. Antequam autem Sacerdos deſignaretur, lumen quoddam ſuper illum ſplendens a reliquis viſum eſt, quod virum Sacerdotii munere non indignum eſſe teſtabatur. Longum eſ-

A fet commemorare, quot, cum jam electus esset, virtutibus & exemplis in vita sua enituerit, quot labores exantlaverit, quibus & nunc non minus, Evangelium in media Ægypto Arabice prædicans, occupatur. Elegit itaque eum Deus Pastorem minime fucatum. Cum autem Beatus Silvester obdormivisset, Sanctæ Alexandrinorum Ecclesiæ, omni populo cogente, præfectus est: & in hodiernum usque diem, boni Pastoris munere fungens, illam Ecclesiam gubernat. Ejus vero jussis & placitis (absit dicto invidia, nam verum est) non solum Ægyptus, sed & Thracia, imo universa etiam Græcia obedientiam præstare parata est. Ne autem quibusdam colores mendaces sectari, & absolutam hujus viri effigiem exhibere velle videar, cum & alibi exactius de eo scriptum sit, finem huic narrationi impono. Plurimos ipse libros conscripsit: verum nihil in lucem edidit, exceptis doctissima contra Judæos Græca pariter & Rutenica disputatione; & hoc Dialogo, quem ad studiosorum utilitatem conscripsit; maxime vero eorum, qui in locis & urbibus commorantur, quæ præcipuæ variis & perniciosis opinionibus infestantur, a quibus nos, qui sanctæ, Catholicæ & Apostolicæ Orientalis Ecclesiæ jussa, placitaque sectamur, Jesus Christus liberet & custodiat, cui una cum Patre æterno & Spiritu vivificante gloria & potentia sæculis infinitis, amen.

MELETIUS

Dei misericordia

PAPA AC PATRIARCHA

Alexandrinus, &c. Constantinopoleos Præses,

JOANNI DOUSAE NORDOVICI,

Viro eruditissimo, mediocritatis nostræ filio dilecto,

gratiam, misericordiam ac pacem a Domino Deo, Salvatoreque nostro Jesu Christo.

HABENT nonnihil consolationis humanarum rerum calamitates; quum enim ad has nos detruserit terreni elatio parentis; illam nostros miseratus labores cœlestis elargitur Pater: atque hæc quidem harmonia e gravibus acutisque concinnata, fit piis auribus modulamen quoddam salutare: dum perpendunt gravitatem malorum pœnam esse aut παιδείαν nostrorum, id est, humanorum, meritorum, decentissimam: quicquid autem leve, id est, lætum est, Divinæ esse gratiæ monumentum, abysso ab imo perditionis, atque e faucibus Orci ad sese pios animos retrahentis. Sic lapsam sic labilem, sic oportuit humanam naturam erudiri: non modo ut agnosceret quid sibi, quid Divinæ gratiæ deberet; sed etiam uti disceret non sibi, neque rebus his caducis inhiandum, sed spem, fidemque omnem, sesque totam in cœlestis favoris reclinandam sinus optatissimos; cui omnibus in rebus censet Paulus gratias agendas. nihilo enim minus per acerbiores, quam per lætiores rerum eventus nos sibi allicit summus ille Pater hominum, rerumque conditor; tametsi illas aliena culpa convictas, sua providentia ad meliores usus convertat: has, ipse pariat tum futurarum ἐπαγγελιῶν præconia, tum præsentium qualiacunque solatia malorum. Sed hæc tuane intersint, an aliena sint penitus a tuo de filii optimi obitu dolore, ipse (qua præditus es prudentia) judicabis: nobis quidem omni ex parte quam apprime conveniunt: Quippe qui quum in hac versemur tessera humanæ conditionis, majoremque, atque fortassis potiorem vitæ partem traduxerimus; tandemque sedes illas ecclesiarum quæ per orbem terrarum maximæ, atque supremæ sunt, Dei Optim. Maxim. misericordia concreditas nobis, quam maxima animi sollicitudine, magnis laboribus, ingenti periculorum æstu, in hac locorum sentina, in hac colluvie temporum, ad hanc usque diem magna omnium admiratione (præterquam nostra) administraverimus, dum his tempestatum tricymiis pene soli conflictamur semiobruti, sit tamen ut nonnunquam peregrinorum
B hominum colloquiis animus, curis æstuans, laboribus confectus (corporis præterea valetudinem adversam quæ animos infestat) nonnulla ex parte refocilletur: nec me deterret a quorumvis hominum præsertim Christianorum colloquiis, aut etiam literis, diversitas religionis: aut enim sequestratis quæstionum, curiosarum præsertim, ambagibus, per charitatis spatia vagamur; aut de his etiam de quibus dissentimus, non sine charitate differimus. Horum omnium testem atque participem esse voluit Deus Optim. Maxim. Georgium filium tuum, cujus nobis adventus consolationem attulit non
C vulgarem: est enim juvenis generosæ indolis, nihiloque a Patre te, viro & ingenio & eruditione pereleganti, degeneris; adde mores candidos, progressusque in literarum stadio non contemnendos: is secum attulerat literas eruditissimi hominis Simonis Simonidis, quibus juvenem commendabat: erant hæ altera consolationis mihi pars: his omnibus accedebat autoritas gravissima Illustrissimi Oratoris Angli: Eduardum dico, humanitate, eruditione, rerum experientia politicarum vere illustrissimum, filium nostræ mediocritatis multis nominibus dilectissimum, per quem apud nos juvenis commendabatur: ut cum ad has oras non inerti
D animi studio peragrandas accesserit; darem operam ut aliquid dignum laboribus suis, dignum Patre, dignum Patria nancisceretur. Has ob res opellam nostram optime merito juveni polliciti sumus, atque eo quidem libentius quod videbamus urbes hominum atque mores (id quod de prudenti viro cecinit ille) non inanis gloriæ studio perspiciendas aggressum juvenem; sed ad prudentiam comparandam. Quam ad rem si quid illi nostra contulit opera, nescio: hoc unum scio, quod juvenem amavimus, semperque libentissime sumus alloquuti, neque impedimento nobis fuit, aut hominum, aut rerum nonnunquam ingens prægravisque con-
E glomeratio: quin illi, & accedere, & assidere, & sciscitari, & consequi quicquid petierit, quam facillime licuerit, tandemque cum ad te reverti cogeretur accitus, remque nobis, qua solebat fiducia, veluti ad Patrem referret, literasque tuas pene lacrymis madidas ostenderet (quum etiam tuorum poematum copiam fecit non inelegantum) peteretque ut aliquid reliquiarum impartiremur; ne juvenem ornatissimum ad ornatissimum patrem ἀγέραστον pateremur reverti; dono dedimus id quod efflagitavit opus perelegans Actuarii, medicis in rebus non postremum obtinentis locum. Quod ego opus magno consequutus orbi communicare desti-
F naram: lætorque hanc nostri summam desiderii & vobis futuram ornamento, & amoris nostri argumentum, & ad utilitatem studiosorum proditurum. Quod ut quam emendatissimum prodeat cupimus, præstantissimi medici, atque eloquentissimi opus. Reliquum est ut hæc vos amoris pignora rependatis aliquibus identidem amoris pignoribus; non gemmis, non auro, perditorum hominum deliciis sed libris, quos typis apud vos multo atque laudabili fœnore peperit Christiana charitas,

(a) cujus fructibus ii maxime carent, qui sese Aristarchos Censoresque terrarum orbis haberi contendunt: indequa Magisterium suum auspicantur, in hocqueintendunt, in hoc se exercent, ut in homines fratres minime fraternis animis insultent: quumque calamitates hominum hominibus soleant ac debeant nonnihil incutere miserationis; illi contra de miseriis hominum triumphant.

O cæcas hominum mentes, o pectora cæca!

Filius Dei sese ipsum sua illa majestate exinanivit, dum saluti consulere hominum contendit: nos nescio quæ imperia extruimus in perniciem, & cum pernicie hominum; & haberi volumus pro Christo illo cujus studiis nostra studia δὶς διὰ πασῶν dissonare deprehenduntur. Quod si in causas inquiras hujusce in nos, nescio quid aliud dicam quam id quod res est, odii, in nos Græcos dico, id est, Orientalis Ecclesiæ alumnos, quod veterum Patrum dogmata, traditiones, jussa, placita, decreta sectamus, nihil invenies aliud quam id ipsum, quod Patrum incontaminata dogmata, traditionesque observantes nullis nullorum hominum novitatibus καινοτομίαις falsis, fallacibusque doctrinis abduci patimur ab iis decretis quæ septem tota Concilia universalia (ut Provincialia prætercam) sanxerunt. Symbolum quod a primo Niceno concilio confectum secunda complevit Synodus; accuratissime spiritus sancti explicato articulo, inviolatum conservamus. Athanasio falso adscriptum symbolum, cum appendice illa Romanorum Pontificum adulteratum, luce lucidius contestamur. Romanum Pontificem, Romanum agnoscimus Pontificem. Christum unum universalis Ecclesiæ universale caput cum Paulo prædicamus. eundem esse lapidem illum angularem στονίτην, in quo construendam esse Ecclesiam ipse dixit, ipsum ex ipsius verbis agnoscimus, καὶ ἐπὶ ταύτην, namque ait, τὴν πέτραν (ἡ δὲ πέτρα Paulus dicit ἦν ὁ Χριστός) neque enim in te Petro, sed in me (ut vigilantissime diligentissimus notat Augustinus) ædificabo dicit Ecclesiam meam. Hæc quum ita credamus, nescio quamobrem audeant nonnulli (id quod satis impie fecit Sanderus) Ecclesiam Orientalem cum Diaboli ecclesia (o scelus infandum!) conjugare. Ita sunt animis parum Christianis quæcunque non faciunt ad palatum, quæcunque non arrident, impia, ab sinuque Dei ejicienda, ab Ecclesia proscribenda, ferro flammisque profliganda. Sed de hisce rebus satis sit, ne etiam literæ quas ad amicos scribimus aliquo officio exhilarandos, ac dulcorandos, recordatione nostrarum ærumnarum aliqua ex parte conturbent. Deus Opt. Max. tandem aliquando extinguat malarum cupiditatum ab animis hominum hæc incendia; dissidiorumque Ecclesiæ tenebras disjiciat: nosque omnes nobis ipsis ereptos afflatu Divini spiritus sibi arctissime conjungat. nec diutius patiatur dissidere homines, ad quos cum inter se mutuo, tum sibi pariter uniendos filium suum e cælorum majestate, ad terrarum infimas oras descendere voluit. Optime valeas. Constantinopoli x. Kalend. Novemb. anno mundi 7. 9. VI. salutis M. D. XCVII.

MELETIUS *Patriarcha*.

(a) Mitiores animos in homine græco, schismatico, hæretico frustra speres. Vide superiorem notam.

ΜΕΛΕΤΙΟΣ

ἐλέῳ Θεοῦ

ΠΑΠΑΣ ΚΑΙ ΠΑΤΡΙΑΡΧΗΣ τῆς μεγάλης πόλεως Ἀλεξανδρείας, Κριτὴς τε τῆς οἰκουμένης, καὶ Ἐπιτηρητὴς Κωνσταντινου πόλεως,

Γεωργίῳ Δούζη Νορδοβίκῳ τῷ Ἰωάννου, υἱῷ ἐν Κυρίῳ ἀγαπητῷ, χάριν, ἔλεος καὶ εἰρήνην παρὰ του Κυρίου καὶ Θεοῦ καὶ Σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ.

ΠΑΡΕΧΟΜΕΝ σου τῇ φιλοκαγαθίᾳ (Γεώργιε τέκνον) τὰ Ακτουαρίου προθυμότερον, ἤπερ ἐζήτεις. εἴγε θερμοτέρας δεῖται προαιρέσεως τὸ διδόναι, ἢ τὸ λαβεῖν. ἐφ᾽ ᾧ καὶ μακαριώτερον τοῦτο ταῖς θείαις ἐκεῖνο κέκριται γραφαῖς. ἀλλάσοι καὶ τοῦδε μετασχεῖν ἐξέσται τοῦ κλέους τῆς μεταδόσεως, εἴγε σπουδάσῃς κοινῶσαι τὴν βίβλον τοῖς χρήζουσι, χρώμενος τῇ τύπων ταῖς εὐεργεσίαις, ὀργάνῳ τῆς διαδόσεως. καὶ ἡμᾶς γ᾽ αὐτοὺς τοὺς διδόντας ὑπογραμμὸν ἐνστησάμενος, παρ᾽ ὧν ἔλαβες ῥᾳδίως, ὃ μεταδοῦναι δυνηθήσῃ πλουσίως. ἐκεῖνο δήπου μὴ ἀγνοῶν, ὡς ἐπὶ τοῖς φθάσασιν εὐγνωμοσύνη, μελλουσῶν γίνηται προκατασκευή τις εὐεργεσιῶν. γενήσεται οὖν σοι λήψεως ὑπόθεσις ἡ τῶν ληφθέντων μετάδοσις. εὔφορον Γεώργιε γίνου γεώργιον. ὥστε καὶ παρὰ Θεοῦ εὐλογίας (κατὰ Παῦλον) μεταλάβῃς. οὗ ἡ χάρις μετὰ σοῦ.

Ἐν Κωνσταντίνου πόλει πυανεψιῶνος λά. τοῦ ζρζ ἔτους κοσμογενίας.

Μελέτιος Πατριάρχης.

MELETIUS

Dei misericordia

PAPA AC PATRIARCHA

magnæ civitatis Alexandriæ, Judexque terrarum orbis, Constantinopoleos Præses.

Georgio Dousæ Joannis Nordovici, filio in Domino dilecto, gratiam, misericordiam ac pacem a Domino Deo, Salvotoreque Jesu Christo.

EXHIBEMUS tuæ humanitati (Georgi fili) Actuarii opera, promtiore animo, quam volebas; gnari magis dandis, quam accipiendis beneficiis amicitias parari oportere: quod & Sacræ Literæ nobis instillant. Sed & tibi hujus laudis licebit esse participi, si editionis organo, beneficio videlicet typorum usus, publici juris facere librum studueris, & me datorem tibi proposueris, a quo facillime obtinuisti, quod cum fœnore aliis tradere poteris. illud videlicet non ignorans, gratitudinem animi præcedentem futurorum beneficiorum præparationem existere. Acceptorum itaque communicatio, occasionem tibi alias plura accipiendi præbebit. Fertilis Georgi sit tua agricolatio, ut & benedictionis Divinæ (secundum Paulum) particepes fias, cujus gratiam tibi precor. Constantinopoli, Pr. Cal. Novembr. anno mundi 7. 9. VI.

MELETIUS *Patriarcha*.

A

EXEMPLUM EPISTOLÆ

(cujus in literis Patriarchæ expressa mentio) ad eundem Georgium a Patre transmissæ, cum hac inscriptione:

Optimæ spei Juveni

GEORGIO DOUSAE,

filio unice dilecto, Constantinopolim,

JANUS DOUSA Pater GEORGIO FILIO.

S. dico.

TANTI *pene fuit Scythicas calcare pruinas,*
Sarmaticas tanti sub Jove ferre nives:
Fraterni ut luctus agere & fulminis expers,
Quo mea pene solo corruit icta domus.
Me miserum! fuit ille mihi, mea gaudia, JANUS;
Sospite quo nobis vivere dulce fuit.
Nunc desiderium, cui par nequeo esse, relictum
Est mihi: funestum cætera marmor habet.
Nempe jacet nostræ fulcimen grande senectæ.
Heu! cur non eadem nos quoque terra tegit?

Hæc in maximo meo ac parentis tuæ, insolabiliter se afflictantis mærore ac luctu, profudi verius quam scripsi. Eo dico, ne mireris, quod scribendi officio usque adhuc defuerim: teque tam feralis nuntii tanto tempore expertem habuerim. Obiit quidem ille XII. Kal. Jan. maxima nobis omnibus frustratione injecta cum morbum suum sedulo dissimularet,

Spem vultu simulans, intestinumque dolorem
Alto corde premens.

Et ille quidem conscientia sua beatus, ac meliore sui parte Olimpi sedibus receptus; nos miseri, quibus extincto illo vita invisa atque acerba. Reliqui vos estis, hoc est, octo etiamnum mihi liberi sospites ac superstites, in quibus tu familiam ducis, utpote jam natu maximus. Proinde quam personam tibi fati, an fortunæ necessitas imposuerit, vides quam pro dignitate aliquando sustinere ut possis, id vero mihi in votis est primum. Cujus equidem rei jam antea certiorem facturus te fueram, si modo de loco mihi, ubi id temporis stativa habebas, compertum aliquid vel exploratum habuissem. Fecisti tu quidem sedulo, ut nos de instituto tuo ac tota itineris ratione certiores redderes, primum per literas interpretes, quas anno superiore, VI. videlicet Augusti, Cracovia ad me dederas, eodem exemplo ternas, accuratissime scriptas, ac diversis itineribus missas directasque, quas omnes pariter diversis temporibus accepi. Cæterum cum earumdem lectio incertum plane me reddidisset, ubinam locorum aut gentium literæ te meæ reperturæ essent, supervacuo scribendi labori supersedendum mihi existimavi. Nunc cum ex postremis tuis XIII. Decembr. Leopoli ad nos datis intellexerim, quæ remeligines peregrinationis tuæ cursum hactenus interruperint, ac Legati Polonici discessum remoratæ fuerint, diutius mihi mussitandum non putavi. Itaque habe scias, magnam me levamenti partem ejus doloris, quem ex fratris tui obitu maximum mehercule ac gravissimum conceperam, ex literarum tuarum lectione consequutum. in quibus illud longe acceptissimum de Interpretis illius Polonici, natione Armenii, doctrina ac virtutibus quod scribis. Nescis, mi fili, quanta cum animi voluptate illam Epistolæ tuæ particulam legendo ruminaverim, ubi non modo tanti viri faventiam ultro tibi oblatam gloriaris ac prædicas: verum etiam incomparabili viri SIMONIS SIMONIDIS benevolentiæ fores jampridem patefactas aditum tibi porro ad doctissimi illius ac disertissimi Interpretis amicitiam concinnasse. Macte ista industriæ indole; Macte tantorum virorum faventia. quam quidem ego pluris æstimo,

Quam si me liquidus Fortunæ rivus inauret.

Et vero utrumque meis literis audacter compellaturus fueram, si per negotia Reip. licuisset, ac gratias utriusque nostrum nomine acturus. Merito utique ac lubens. Nunc cessator esse cogor, ac commodiori tempori hoc scribendi officium reservare. præsertim ad SIMOMEM SIMONIDEM, quem virum ego jampridem ex scriptis editis Ælinopæane puta, atque Odis Pindaricis, tum Joelis Paraphrasi illa Poetica multo quæsitissima, procul dissitus licet, & veneratus sum & admiratus. O eximium illum & mei stomachi Vatem. Utrique proinde me tua opera de meliore nota commendari, simul apud illustrem Regis Polonici Legatum, Castellanum dico Halicensem, me insinuari, atque adeo in gratiam poni curæ habeas velim. a quo missionem cum bona ejus gratia primo quoque tempore ut impetres, tuum porro fuerit adniti. quo ante brumam scilicet, vel (si fieri possit) etiam temporius in patriam remigrare, ac post tam longinquæ peregrinationis tædia horsum ad nos, hoc est, parentes tuos ac fratres vorsoriam capere possis, jure postliminii. De pecunia enim uti petivisti, tibi in tempore curanda, ad Joannem Klinchamer accurate scripsi; ne quid sit quod revorsioni ad nos tuæ moram aliquam objectare possit. Venies utique omnibus tuis nimium desideratus, ac Beneventanus fies ex Batavo. Vale ac veni. Raptim Haga Comitis. XIII. Kal. April. stilo novo.

EPISTOLÆ BINÆ

SIMONIS SIMONIDIS ad eundem Georgium Leopoli Constantinopolim missæ.

Doctissimo atque Ornatissimo Juveni

GEORGIO DOUSAE

Domino & amico observandissimo.

NOBILISSIME JUVENIS.

POST tuum a nobis discessum, pro mutuo nostro amore, sollicitum me fuisse existimare debes, quomodo itiner hoc tibi cesserit, ecquid incolumis petita loca attigeris, valuerisne usque, & cætera ejusmodi, quæ amici pro amicis absentibus timere solent. Tum illud veniebat in mentem, domi meæ te non tam ampliter habitum, prout familiæ tuæ dignitas requirebat. Verum tu tenuitati nostræ veniam dabis, & ex animo potius rem æstimabis, non animum ex re. Fortunalæ meæ si hoc etiam scire voles, apud Heroem meum non pessime collocantur. Spero me honestissimi otii luculentam copiam habiturum, in quo, & in libris utinam mihi consenescere contingat. A Patre tuo hanc tibi epistolam; hanc alteram a Bircovio. Petrum CeKlinium qui tibi has reddit, scies esse ex primariis Secretariis Regiis, virum optimum, literarum amantissimum: si quid librorum manuscriptorum causa comparasti, ubi hominem monueris, pretium dabit & ad me transferet. Bene valere te cupio. Leopoli, Anno 97. Junii 26.

Tui amantissimus

S. SIMONIDES.

ALTERIUS EPISTOLÆ exemplum, cujus inscriptio erat hujusmodi:

Nobilissimo Juveni

GEORGIO DOUSAE

amico charissimo, in Aula Legati Angli Constantinopoli.

S. P. Antonius vicinus meus reddidit mihi a te epistolam, perbrevem illam quidem; sed tamen, quod a te, gratissimam; vellem enim perennem hanc nobis amicitiam esse; quæ quoniam inter absentes vix alia ratione commodius retineri solet, quam literarum frequentia, usurpemus quæso officii hanc mutationem. Ego meam vicem non committam, desiderari a te diligentiam meam. De te itidem mihi persuadeo, obsecuturum te, pro benignitate tua, votis meis. Itiner hoc feliciter tibi cessisse gaudeo, turbatum tamen nonnihil a nebulone illo *** doleo; sed nos improvidi, qui sanum & sobrium quicquam sperabamus ab hoc terræ fætu. Tu ipse videras, quæ mandata acceperat super te ab heris suis: majori fide nemo commendari potuit. Sed quid facias? mala mens, malus animus. Hoc potius gratulor, in familiam te acceptum a viro Principe, qui honorem ingenio tuo habere non spernit. Quid si hoc ita sit? ut læti aliquid dum advenit, semper præcedat, quod velis non evenisse: sed ego fortean refrico molestiam, quam tu jam olim exspuisti. Ego etiamnum inter meos vivo, non alio negotio, quam ut illis & eorum rebus provideam. Brevi tamen expediam, & me apud Heroem meum collocabo. Ex ista tua peregrinatione fructum etiam ad me rediturum spero, qua libris, qua cæteris rebus. Quæso amiculi ut memineris. Bene valere te cupio. Leopoli, Septembr. 6. Anno 97.

Tui amantissimus

SIMONIDES.

BON. VULCANIUS GEORGIO DOUSAE

Juveni Nobiliss. doctissimoque

S. P. D.

ITANE vero Georgium Dousam Vulcanii sui immemorem, ut ex longinqua ista peregrinatione Constantinopolitana redux, Leidaque Hagam iter faciens, insalutatum illum præterierit?

Anne amor hoc me Dousa meus sperare jubebat?

Sed video, amice, mihi ἶσον φάεσσι care, quid in causa fuerit. Vicit amorem in me tuum pietas parentibus debita, cujus præstandæ studium effecit ut hæc officioli omissio καλὸν tibi ὄνειδος videretur. Voluisti enim parentibus optimis fratris tui Jani Dousæ Juvenis incomparabilis immaturo, proh Deum immortalem! obitu consternatis atque uti Homeri mei verbis utar ὀλιγηπελέουσι plenum νηπενθέος φαρμάκου κρατῆρα a nemine amicorum delibatum propinare. & eos quibus lucis hujus usuram debes primos omnium optatissimi jucundissimique aspectus tui veluti quodam vitalis auræ afflatu refocillare. Laudo itaque vehementer pietatem tuam; & quod superest gratulor tibi, mi Dousa, ut ite-

A rum cum Poeta meo loquar κηρόθι μᾶλλον, gratulor inquam tibi δ᾽ ἱερῷ ποδὶ νοστήσαντι. Sed o factum bene. Exarante enim me hæc ad te, en a parente tuo ad Ill. V. Josephum Scaligerum nuncius, quo illum, & (quod ego maximi honoris beneficiique loco duco) etiam me Hagam evocat, amiceque rogat, ut diem unum atque alterum secum ponamus, simulque de profectione tua Polonica, Thracica & Byzantina commentari & versandis Codicibus Græcis MSS. quos πολλοὺς τε καὶ ἐσθλοὺς tecum adferebas nos oblectare possemus. O eximiam Dousici pectoris fidem! Neque enim ille solidum satis e reditu tuo gaudium gaudere se posse judica-
B bat, nisi illius exuberantiam in amicos derivaret. Supersedebo itaque nunc temporis longiori, quam jam animo meo conceperam, scriptioni, neque pluribus verbis apud te testabor quantopere hoc nuncio fuerim exhilaratus. Cras enim, volente Deo, me magno illi literarum Principi umbram adjungam, & in tuos amplexus ruam; omnemque animi mei sensum coram in tuum sinum effundam. Vale φιλτάτη κεφαλή. Lugduni Batavorum, XXI. Maii CIↃ. IↃ. XCIIX.

C
BON. VULCANIUS EIDEM GEORGIO.

S. P. D.

QUANTA ego superioribus hisce diebus cum voluptate & gaudio, post mutuos amplexus, universam longinquæ istius difficillimæque peregrinationis tuæ rationem ex te cgnoverim, nullis satis, mi Dousa, verbis explicare possim. Miratus enim atque adeo exosculatus eram antea generosum pectoris tui impetum, qui te investem adhuc
D καὶ βούπαιδα summo exterarum nationum atque adeo Græciæ visendæ desiderio inflammarat: Nunc vero ob felicem præclari instituti tui successum, cum & maximam ex ista profectione laudem compararis, conciliata tibi summorum apud exteros virorum amicitia, & allatis non paucis Codicibus Græcis MSS. & Inscriptionibus Veteribus, e quibus multum dignitatis atque ornamenti rei litterariæ accessurum speramus, quo pacto non ego Dousici nominis studiosissimus singulari quadam lætitia sim perfusus, cum videam tibi ad demerendam summorum virorum gratiam ac benevolentiam non solum paterni nominis celebritatem ac splendorem, qui certe est
E maximus, plurimum profuisse, verum etiam ad illam ipsam quam dixi gratiam fovendam atque amplificandam multum ponderis habuisse singularem illam & mihi jamdudum perspectam atque exploratam morum tuorum suavitatem integritatemque cum eximia eruditione & Latinæ Græcæque linguæ summa peritia conjunctam, quæ illos non in amorem tui tantum pellexerunt, sed in admirationem quoque rapuerunt. Quæ cum ita sint, mi Dousa, cumque & laboris & periculi plenam peregrinationem insigni inter tuæ notæ, hoc est primariæ nobilitatis Batavicæ Juvenes exemplo, sum-
F ma animi magnitudine alacritateque susceptam, comite ac duce Homerica illa diva, quam ille Ulyssi ἐπιτάῤῥοθον præstoque semper fuisse fingit, feliciter perfeceris; reliquum est ut non ipse tantum instituti tui summa cum laude maximoque omnium applausu peracti gloria fruaris; sed ut uberrimos laborum tuorum fructus publico communices. Quod quidem facies, si pari animi alacritate præclara illa autorum Græcorum monumenta e situ & squallore per te eruta in lucem protuleris, orbique Christiano donaveris, & res Constantinopoli-

A tanas tibi jam ex αὐτοψία multoque uſu congitiſſimas illuſtraveris. Erit, mihi crede, labor hic tibi nobiliſſimæque genti Deuſicæ inprimis honorificus, & Reſp. Chriſtianæ ſummopere conducibilis; cujus multum intereſt, ut Urbis illius, quæ olim merito πόλις πόλεων, καὶ βασιλέων ἑστία eſt appellata, atque adeo Imperii Conſtantinopolitani magnitudo ac dignitas univerſo Orbi Chriſtiano magis magiſque innoteſcat. In quo deſino; & ne ad præclari hujus operis De rebus Conſtantinopolitanis ſtructuram, ad quam te exhortor, ἀσύμβολος plane fuiſſe videar, mitto ad te e κειμηλίοις meis. B Excerpta quædam manu mea exarata. In quibus eſt Gregorii Cyprii Patriarchæ Conſtantinopolitani Deſcriptio & Encomium illius Urbis; & Emanuelis Chryſolaræ Epiſtolæ aliquot, quibus Veterem & Novam Romam inter ſe accuratiſſime comparat, quæ Codino tuo & illi vere Magno Logothetæ aliiſque id genus authoribus, quos magno ſtudio comparaſti adjuncta magnum, uti ſpero, rebus Conſtantinopolitanis ſplendorem adferent. Vale, & me meaque omnia habe pro tuis. Lugduni Batavorum, CIƆ. IƆ. XCIIX. VI. Cal. Junias.

F I N I S.



LEONARDI ARETINI
COMMENTARIORUM
RERUM GRÆCORUM

LIBER.

AD ANGELUM ACCIAJOLUM EQUITEM

FLORENTINUM.

LEONARDUS ARETINUS

ANGELO ACCIAIOLO

EQUITI FLORENTINO

S. P. D.



NIMADVERTI nonnunquam, o Angele, te admirari solere meam, ut ita dixerim, cunctationem, ac tarditatem, quoties aut de suscipiendo bello consultatur, aut de his rebus, quas bellum sit faciliter secuturum. Ego autem, si quid est in me tale, illud volo scias, non tam ex natura mihi provenire, quam ex eo, quia multa legisse mihi videor, per quarum rerum memoriam, atque exempla, cunctationes omnes, atque pericula reformido. Nulla enim fuit unquam civitas, neque tam aucta opibus, neque tam florens, quæ non ex parvis interdum erratis in maxima inciderit pericula status sui. *Nonnullæ etiam ex hoc ipso in extremam ruinam devenerunt. Quare si cunctatores, & tardi, si denique timidi, ac diffidentes in hujusmodi rebus, aut tibi aut cæteris visi sumus, eam scias causam fuisse, quod exempla me revocant, & deterrent ab omni protinus dimicatione.* Equidem civitati beatæ atque felici quietem maxime complectendam puto, *& quo melius stat, eo minus fortunam experiendam, quæ mutabilitate gaudere dicitur. Sed est id quidem (ut opinor) non tam fortunæ culpa, quam stultitiæ nostræ.* Homines enim neque a doctrina instituti, neque ingenio, voluntateque moderati, multum nocuerunt hactenus, & nocebunt suis civitatibus. Majori enim spiritu, quam prudentia, Rempub. gubernantes, neque fines rerum, neque pericula metiuntur. *Atque ego his considerationibus inductus, tibi* Commentarium rerum Græcarum *scripsi (malo enim aliorum errores narrare, quam nostros) in quibus videbis potentissimarum Græciæ civitatum, quæ latissime dominabantur, varios casus, atque ruinas, & mirificas fortunæ conversiones. Aggressus vero sum non omnem historiam, sed eam solummodo partem, quæ pertinet ad Græciæ principatum, in qua primum Atheniensium, mox Lacedæmoniorum, inde Thebanorum casus referentur, usque ad Epaminundæ præstantissimi Ducis mortem, & victoriam illam memorabilem apud Mantineam partam, per quam principatus Græciæ Lacedæmoniis ademptus est, cum ipsi primo illum Atheniensibus ademissent. Ut autem seriem rerum breviter attingamus: Bellum fuit longissimum, ac maximum inter Lacedæmonios, & Athenienses, cœptum quidem per ea tempora, quibus Pericles Athenis Princeps erat civitatis, apud Lacedæmonios vero Archidamus regnabat. Id bellum per annos viginti & octo varia*

Prudentia Respub. gubernari debet.

Epaminundas Thebanorum Dux.

Bellum inter Lacedæmonios & Atheniensium

rinceps Archidamus Lacedæmoniorum princeps Argyrusæ. Lampsacus.

ſpe, dubioque eventu geſtum, cum modo hi, mvdo illi ſuperiores habe-rentur. Tandem Athenienſes ſuperati, non modo autoritatem, verum etiam libertatem amiſere. Incipiemus ergo fere ab extremo hujus belli tempore, quo apud Argyruſas primo, mox apud Lampſacum navali prælio certatum eſt. Ex illo enim tempore declinare Athenienſium res, & ad ruinam tendere cœperunt. Hoc autem nobis commodiſſimum narrandi principium eſſe videtur, ad eas res, quas docere volumus oſtendendas. Dicemus igitur hinc ſumto initio.



LEONARDI ARETINI
COMMENTARIORUM
RERUM GRÆCORUM
LIBER.
AD ANGELUM ACCIAJOLUM EQUITEM
FLORENTINUM.



A THENIENSES, simulac Mitylenam obsideri a Lacedæmoniis nuntiatum est, ferre auxilium properantes, centum & decem navibus tumultuarie completis, in Samum navigarunt. Ibi coactis aliis, vel sociorum vel, civitatis navibus, tota simul classe ad hostem contenderunt. Habuit autem Atheniensium classis supra centum quinquaginta naves. Callicratidas vero Lacedæmoniorum Præfectus, ubi adventare illos cognovit Etheonico Legato ad obsidionem urgendam relicto, ipse cum centum viginti navibus obviam profectus, apud Argyrusas classem Atheniensium offendit. Eam cum per noctem invadere statuisset (neque enim hostes adventum ejus cognoverant) magnis imbribus, ac terribilissimis fulgoribus prohibitus ab incepto destitit. Sub primam demum lucem sese mutuo conspicientes, ad pugnam devenere. In ea pugna post longum certamen Lacedæmonii superantur: Callicratidas Præfectus interiit, & supra naves septuaginta ex classe Lacedæmoniorum periere. Nec Atheniensibus incruenta fuit victoria. Nam eorum viginti quinque naves cum ipsis pugnatoribus fractæ ac submersæ sunt.

Callicratidas Lacedæmonior. præfectus. Etheonicus. Pugna Atheniensium & Lacedæmoniorum. Atheniensium victoria.

Post eam pugnam Atheniensium Præfectis, Theramene, ac Thrasybulo, cum quadraginta navibus ad colligenda suorum corpora, qui prælio interierant, relictis, ipsi cum reliqua classe Mitylenam petere perrexerunt, quo eos, qui in castris erant, Lacedæmonios opprimerent: sed ventus insurgens hæc utraque fieri prohibuit. Itaque in Argyrusas reversi, trophæum ibi statuerunt. Inter hæc qui in castris apud Mitylenam relicti erant, cognito suorum casu deserta obsidione, se in tutum receperunt. Quare paulo post eo profecti Athenienses non valuerunt eos nancisci, tamen liberatam obsidione urbem reperientes, hostes vero terra quoque metu dispersos, ac fugatos, prospere ubique gesta re ingenti lætitia exultabant.

Theramenes. Thrasybulus.

Atheniensium Trophæum Argyrusis erigitur.

Præfectos hujus classis post tantam victoriam Athenas reversos, quidam accusarunt, quod corpora civium in prælio defunctorum colligere neglexissent. Erant vero hi præfecti sex: Pericles, Diomedon, Lysias, Aristocrates, Trasylus, Erasinidas, qui cum ex vinculis (sic enim lex jubebat) causam dicere cogerentur, se quidem Thrasybulo, & Therameni idoneis hominibus, quorum jam uterque Præfectus classis fuisset, negotium mandasse dicebant, cum ipsi ad persequendas hostium reliquias Mitylenam properarent. Ad hæc probanda testes adduxerant gubernatores, & nautas. Per hunc se modum excusantes multitudini suadebant usque adeo, ut prima statim concio absolvere eos voluerit. Sed gravem, infestumque adversarium habebant Theramenem. Formidabat enim, si illi culpa carere visi essent, ne in se, ac Thrasybulum crimen referretur. itaque eo annitente, in aliam concionem differre placuit. Nam tunc jam crepusculum erat, nec manus, quas porrigere mos est Græcis in decernendo, satis discernebantur. Inter hæc supervenerunt festa dies quæ ἀπατούρια Græci vocant: Ad ea defunctorum bello civium parentes cognatique conveniunt. In quibus Theramenes, ejusque amici multos homines submiserunt nigras habentes vestes, ac facies plagis lugubriter conscissos, qui defunctos prælio (utpote propinqui) deplorarent, & insepultos lamentarentur. Per hunc modum invidia in reos conflata, rursus ad vocata concio est, & causam dicere jussi, qui accusabantur, decreto consilii recitato, ut per singulas tribus binæ ponerentur urnæ, absolvendi una, altera damnandi. Si plures damnarent, quam absolverent, pœnam fore mortem, ac publicationem bonorum. Intercessere nonnulli adversus id decretum, utpote rem iniquam, & novam. Sed hi rursus multitudinis ac seditiosorum vocibus exagitati ab incepto destiterunt, præter unum Socratem Sophronisci filium, qui cum esset Præfectus suæ tribus, & decretum improbaret, atque reprehenderet, nullo terrore de sententia justi, honestique potuit amoveri. Tandem vero fortissimi viri paulo ante victores hostium, malignitate civium suorum damnati necantur.

Pericles, Diomedon, Lysias, Aristocrates, Trasylus, Erasinidas træfecti.

Ἀπατούρια.

Theramenis astutia

Socrates Sophronisci filius.

Altero dehinc anno, Achita Spartæ, Alexio Athenis Magistratum gerentibus, Lysander Dux Lacedæmoniorum Ephesi consistens, Etheonicum cum his copiis, quas circum Mitylenam habuerat, ad se vocavit, ac cæteras naves, quæ ex prælio aufugerant, collegit, ac insuper novas in Autandro fabricari fecit, quarum rerum gratia ad Cyrum, qui tunc erat Sardis, profectus, pecunias petiit. Cyrus autem regias quidem pecunias jam pridem fuisse consumptas ostendit, docens, quantas cuique Præfecto classis Lacedæmoniorum tradidisset, sed tamen Lysandro se dare velle. Susceptis igitur pecuniis Lysander classem instruxit, & nautis, militibusque stipendium solvit. Athenienses quoque per hoc ipsum tempus classem apud Samum paraverant. Præerant

Architas. Alexius. Lysander Dux Lacedæmoniorum. Cyrus Persa.

Conon, Adimantus, Philocles. autem classi Conon, & Adimantus, & Philocles. Inter hæc Persarum Rex adversa valetudine laborans, Cyrum filium ad se vocavit in Medos. Qui cum abire statuisset, accersito ad se Lysandro, beneficiis, quæ in Lacedæmonios contulisset, memoratis hortatus est ad res præclare gerendas, curamque belli, & reditus pecuniarum omnium per Joniam, & Lydiam, & Cariam illi reliquit. Lysander igitur post Cyri recessum, stipendio iterum militibus persoluto in Ceramicum sinum navigavit. Ibi Cedrias urbem Atheniensium sociam, atque amicam, expugnare aggressus, cum eam vi cepisset, diripiendam militibus concessit. Inde Rhodum petiit. Athenienses quoque ex Samo profecti, Asiæ oram pluribus locis hostiliter invaserunt. Circa Chium, & Ephesum navigantes, & ad pugnam navalem se præparantes, ad priorum Præfectorum numerum tres insuper Præfectos adjunxerunt, Menandrum, Tydeum, & Cephisodotum.

Cedria oppugnatur.

Inter hæc Lysander ab Rhodo profectus, juxta Joniæ littus in Hellespontum navigavit. Athenienses vero ex Chio vitantes Asiæ oram, quæ sibi inimica erat, obliquis itineribus Hellespontum petiere. Lysander Abydum prius, inde Lampsacum venit. Erant enim Lampsaceni Atheniensium socii, atque amici. Quamobrem classe quidem mari, Abydenis autem terra Lampsacum aggressis expugnatam demum urbem Lysander cepit, ac militibus diripiendam concessit. Erat enim divitiis referta, & omnibus rebus admodum copiosa, libera tamen corpora Lysander inviolata esse jussit. Athenienses iter hostium consecuti in Cherronnesum venerunt, classem habentes navium octoginta. In eo cum essent loco, captum ab hostibus Lampsacum audiverunt. Quare properantes Sestum primo, inde ad Cupræ flumina navigarunt. Is locus est in conspectu Lampsaci ex opposito protinus littore.

Menander, Tydeus, Cephisodotus.

Lampsaci oppugnatio.

Maris autem latitudo est in his locis stadia circiter quindecim. Cum ergo propinquæ essent classes, Lysander altera mox die prima luce corpora curare, ac naves conscendere milites jubet, cumque omnia quasi pugnaturus parasset, contra spem omnium intra portus munimenta naves continuit. Athenienses vero prope Lampsacum profecti magno pugnandi ardore contra portum ipsum aciem struxerunt, nullam facturi moram, quin prælio decerneretur. Sed cum Lysander a pugna suos contineret, ac magna pars diei jam præteriisset, abeuntes retro ad Cupræ flumina redierunt. Lysander velocissimis navibus post Athenienses missis, quid agerent in eorum reditu speculari jussit, & ad se referre. Ipse vero ut erat structus, paratusque earum reditum expectavit, nec quenquam prius e navibus descendere passus est, quam illæ reversæ, quid agerent hostes, renunciassent. Hoc eodem modo fecit quatuor diebus continuis, cum & mane completis navibus se pugnaturum, simularet, & Athenienses contra portum ipsum structa classe pugnaturi adessent, & Lysandro pugnam detrectante, demum reverterentur.

Alcibiades.

Erat tunc Alcibiades in Cherronneso, qui paulo ante id tempus ab exilio domum revocatus, ac Dux copiarum factus, cum magnas res terra, marique gessisset, iterum contracta adversus Populum offensa in oppido suo in Cherronneso degebat. Is ergo cum e mœnibus intueretur Athenienses quidem non ad urbem aliquam, sed nudo in littore stationem habere, commeatumque ab Sesto petere, quod aberat ab statione navium duobus fere passuum millibus, hostes vero in portu, & ad urbem cuncta opportuna habentem consistere, veniens ad Præfectos classis periculum ostendit, hortatusque est, ut ex Cupræ fluviis Sestum abirent. *Habebitis*, inquit, *ibi portum, & urbem, in quo consistentes loco pugnabitis vestro, non hostium nutu*. Præfecti autem, ac maxime Tydeus, & Menander abire Alcibiadem jusserunt, nunc enim se Præfectos, ac Duces esse, non illum, itaque bellum suo, non illius arbitratu, gerere velle. Alcibiades ergo his dictis abivit. Lysander vero cum quinta jam die idem fecisset, ac post expectationem pugnæ Athenienses abirent, jussit speculatoris navibus, quæ de more illos sequebantur, ut cum descendisse Athenienses, ac dispersos per littus viderent, e medio cursu de malo navis clypeum suspenderent. Id enim fore signum ad rem gerendam. Athenienses multo magis per singulos dies, quia detrectabatur pugna, hostem contemnentes, statim ut de navibus descenderunt, per Cherronesum sparguntur, alii ad commeatum petendum ex Sesto, alii ad alias res peragendas. Tum speculatoriæ naves, ut præceptum fuerat, revertuntur: cumque in medio essent freto, clypeum extollunt. Lysander vero conspecto signo celeriter cum tota classe delatus, naves Atheniensium alias omnino vacuas, alias semiplenas in ipso littore nactus oppressit. Interea quoque magnam partem hominum cepit, præterquam si qui eorum in proxima oppida refugerunt. Ita victoriam maximam, plenissimamque adeptus est. Capti sunt etiam ex Præfectis Atheniensium Philocles & Adimantus. Nam Conon cum octo navibus ex illo tumultu aufugit. Captivos omnes, & classem Lysander Lampsacum duxit.

Lysandri victoria.

Conon ex tumultu aufugit.

Post hæc sociis in consilium vocatis, quid agendum foret de captivis consultatum, aspereque in Athenienses dictæ sententiæ, eorumque sævitia plurimum accusata, quod superbe, crudeliterque in eos, quos ipsi ceperant, Græcos egissent, & quod publico statuissent decreto, si vincerent, dexteram singulorum captivorum manum incidere, & quod paulo ante duabus triremibus, quarum altera Corinthiorum, altera Andriorum fuerat, captis, viros omnes præcipites dejecerant, ac submerserant. Philocles fuerat hujus sævitiæ autor. Objecta sunt Atheniensibus & alia permulta: tandemque censuerunt socii, cunctos Athenienses captivos esse necandos, præter Adimantum, quem constabat nuper in concione decreto illi de incidendis captivorum manibus contradixisse. Lysander igitur Philoclem ad se perductum interrogavit, quid pati dignus foret is, qui Græcorum in corpora sæviendi initium dedisset, ipsumque primum in suo conspectu mactari jussit.

Philoclis mors.

sit. Triremis una tantæ cladis nuntia continuato navigandi cursu tandem Athenas pervenit. Erat nox, cum portum ingressa est. Statimque vociferatio, & gemitus ex Piræeo per longa mœnia in urbem delatus, cuncta terrore, desperationeque replevit, nec eorum modo, qui in classe perierant, sed multo magis se ipsos deplorabant, illa formidantes expectantesque, quæ ipsi crudeliter in multas Græcorum civitates effecissent. Et ea quidem nox insomnis peracta est. Postridie vero concione habita, portus omnes, uno duntaxat relicto, obstruere decreverunt: Præterea urbis mœnia curare, & custodes imponere, & cuncta alia parare, ad obsidionem perferendam. Et Athenis quidem hæc agebantur.

Mithylenæ ab Atheniensibus defectio.

Lysander vero expeditis apud Lampsacum rebus, Byzantium, & Chalcidoniam navigavit. Utraque civitas illum sponte recepit. Dimissis incolumibus Atheniensium præsidiis. Mithylena deinde, cunctæque urbes, & insulæ ab Atheniensibus defecere, partim dimissis præsidiis Atheniensium, parti in Lysandri manus illis traditis, præter Samum, quæ in tanto terrore perseveravit in partibus, ac nobilitate omni, quia cum Lacedæmoniis sentire videbatur, oppressa adversatricem se Lysandro pertinacissime obtulit. Lysander igitur ab Hellesponto cum ducentis navibus profectus, Athenas petere contendit. Cum vero in propinquo jam esset, captivos omnes dimisit, ita ut nusquam alio, quam Athenas abirent, cogitans, quod quanto major fuerit multitudo obsessa, tanto celerius fame laborabunt. Ipse ergo cum tota classe sociis navalibus contra Piræeum stetit; ex alia vero parte Agis Lacedæmoniorum Rex cum terrestribus copiis in Academia posuit castra. Ita simul terra, marique obsessa urbs, ab hostibus premebatur. Athenienses igitur in his difficultatibus constituti, quo se verterent nesciebant. Neque enim naves habebant, quibus adversus tantam vim niti possent, neque socius quisquam eis remanserat. Præterea defectus frumenti aderat, nec importandi ulla facultas, veniæque desperatio ingens propter multa, quæ ipsi prius contra homines parvarum civitatum superbe, crudeliterque effecerant, non alia de causa, quam quod cum Lacedæmoniis in bello sensissent. In has itaque formidines constituti obsidionem tolerabant. Quinetiam decreto publico vetuerant loqui licere de pace, aut de conventionibus ullis cum hoste, nisi salva libertate Atheniensis Populi, & incolumibus civitatis mœnibus. Nam fama erat constituisse Lacedæmonios mœnia Athenarum diruere. Post aliquot menses, cum extrema jam fames adesset, multique perirent ob frumenti defectum, victa demum pertinacia, oratores de pace ad Agim Lacedæmoniorum Regem miserunt, petentes uti mœnia urbis Piræeumque retinentibus in societatem Lacedæmoniorum venire liceret. Agis vero negans hujus rei potestatem habere se, Lacedæmona ire jussit. Ea cum Legati domum renuntiassent, Lacedæmona missi sunt. Cumque Selasiam pervenissent, qui est proximus Laconicæ locus, interrogati, qualia petituri, venirent, cum talia esse dicerent qualia penes Agim prius dixerant, reverti eos domum Ephori jusserunt, & si pace indigerent, consideratius venirent. Legati igitur domum reversi cum ista retulissent, ceciderunt cunctorum animi, extremam cladem sibi, urbique adesse formidantes. Necabat vero multos quotidie fames: Contra decretum autem nemo consulere audebat.

Lysandri consilium.

Piræeum promontorium. Agis Lacedæmoniorum Rex. Athenæ obsidentur.

Athenienses oratores de pace ad Lacedæmonios mittunt.

Selasia.

Fames necat multos.

Profectus erat jam pridem Theramenes ad Lysandrum pollicitus in concione, si eo mitteretur, faciliter deprehendere posse, utrum delere urbem vellent Lacedæmonii, an gratia fidei, ac securitatis mœnia dirui postularent. Missus igitur ista de causa Theramenes, astuto consilio mora longius protracta tempus expectabat, quo aures Populi Atheniensis ad audiendum saniora consilia placatiores essent. Id vero fore arbitrabatur, cum acrius fame premerentur. Cum ergo id tempus venisset, rediens tunc in urbem Theramenes, in concione inquit, detentum se diutius a Lysandro, tandem vero responsum accepisse, si quid velit, Lacedæmonem ad Ephoros iret. Nam eorum, quæ petita essent, se potestatem non habere. Per hunc modum Legati decem a Populo delecti, rursus Lacedæmona mittuntur: quorum unus Theramenes fuit. Hi cum Selasiam venissent, interrogati, quid afferrent? cum plena potestate ad pacem petendam se venire dixerunt. Ita Lacedæmona introire jussi, cum eadem illa exposuissent, consilio sociorum advocato, quid agendum foret a Lacedæmoniis consultabatur. In ea consultatione Corinthii, & Thebani maxime, & alii quidam sociorum, omnes conditiones repudiandas, penitusque delendas Athenas censebant. Si enim stare civitas illa sineretur, quamvis nunc afflicta videatur, atque dejecta, tamen situs bonitate futurum, ut iterato in potentiam formidabilem sibi, periculosamque evadat. Commemorabatur insuper Atheniensium superbia, atque sævitia, quam per superioris temporis potentiam contra minores civitates edidissent. Quibus de causis delendam penitus eam civitatem suadebant. Atqui Lacedæmonii nequaquam se passuros dixerunt, ut civitas, quæ dudum tantas utilitates in maximis Græciæ periculis attulisset, deleretur. Atque ita pax Atheniensibus data his conditionibus: ut longa mœnia, quæ ab urbe ad portum quasi brachia quædam extendebantur, diruerentur, utque naves, præterquam duodecim, quas retinere liceret, omnes Lacedæmoniis traderentur, exules omnes reciperent, eosdem amicos, hostesque quos Lacedæmonii putarent, sequi Athenienses terra, marique quocunque Lacedæmoniis placeret ducere.

Legati decem Lacedæmona mittuntur.

Corinthii & Thebani Athenas delendas censent.

Atheniensibus pax datur.

Theramenes, ac cæteri Legati hæc reportantes, cum Athenas rediissent, confestim multitudo Populi in eos circumstitit sollicita, atque timens, ne re infecta reversi forent. Neque enim amplius tolerare licebat ob multitudinem eorum, qui fame necabantur. Postridie vero concione advocata Theramenes verba fecit. Erat enim orator, & facundia eminebat. Qui cum ostendisset quibus conditionibus Lacedæmonii pacem darent, exhortationem superaddidit, suadens ut pacem, qualis daretur, reciperent, ac mœnia potius, servato ab interitu populo, dirui sinerent, quam populum simul ac mœnia eodem casu interire paterentur: Satis diu etiam supra fidem, expectationemq; hominum difficultates omnes

tolerasse: Satis factum esse dignitati Atheniensis Populi; nunc jam de conservatione cogitandum, ac miserendum civium, qui fame interirent. Contradicentibus autem quibusdam civium, sed multo pluribus approbantibus, pax tandem judicio Populi recepta est.

Pax inter Lacedæmonios & Athenienses.

Post hæc Lysander in Piræeum venit, exulesque reduxit, & longa mœnia celeri opere diruta sunt. Forma quoque Reipub. gubernandæ mutata, delectis triginta viris ad leges conscribendas, quibus in posterum civitas uteretur. Hi fuerunt omnes ex eo numero, qui Lacedæmoniorum amici putabantur, præcipui vero inter hos Critias & Theramenes.

Triginta viri Thebarum gubernatores deliguntur. Critias & Theramenes

His peractis Lysander mari cum classe, Agis vero terra cum exercitu, abierunt, finisque fuit ejus anni, in quo Dionysius Hermocratis filius tyrannidem Syracusis primum obtinuit, victis magno prælio Carthaginensibus, & Agrigento urbe obsessa, ob defectumque frumenti ad extremum capta.

Dionysius Hermocratis filius, primus Syracusanorum Tyrannus.

Sequitur alter annus, in quo vicit Olympia Crocinas Thessalus: Evodio Spartæ, Pythodoro Athenis Magistratum gerentibus. Hunc annum Athenienses vocant ἀναρχίαν, id est, ut nos Romano more loquentes diceremus, interregnum. Neque enim ut Magistratum nominare voluerunt, quoniam a triginta illis viris perniciosis fuerat constitutus, de quorum gestis paulo post a nobis dicetur.

Crocinas Thessalus. Evodius, Pythodorus. Ἀναρχία.

Lysander cum e Piræo navigasset, recta Samum petiit. Ea namque urbs sola restabat, quæ diversas partes sectaretur, & post victos Athenienses pulsa, cæsaque nobilitate, quod ad Lacedæmonios inclinare videbatur, contumacius, infestiusque perseverabat in partibus. Ad eos ergo domitandos Lysander profectus, urbem obsedit, ac demum oppugnando urgendoque eo necessitatis adduxit, ut dedita urbe cum singulis vestimentis abire pacifcerentur. Lysander urbem, & cuncta in ea relicta ei parti civium, qui prius fuerant pulsi, tradidit. Demum jam confecto plane bello, socios navales dimisit. Ipse vero cum Laconicis duntaxat navibus Lacedæmona petere contendit, exceptus summo gaudio, utpote apud quem belli confecti gloria non ambigue foret. Retulit in publicum argenti quadringenta septuaginta talenta ex consignatione, quæ sibi supererant. Retulit & captarum navium rostra, & naves omnes Atheniensium ex pactione sibi deditas. Coronarum insuper aurearum magnum numerum, quibus fuerat donatus. Atque ita finis Peloponnesiaco bello impositus est vigesimo octavo anno, & sexto mense, postquam cœptum fuerat.

Samum obsidetur.

Finis Peloponnesiaco bello imponitur.

Athenis vero triginta viri ad Rempub. instituendam electi, cum ab initio magnam de se, legibusque suis expectationem dedissent, procrastinando, ac differendo rem in longum protrahebant. Ipsi vero plane dominantes, pro arbitrio gubernabant, ac primo seditiosum quemque atque improbum, qui dudum in populari licentia calumnias adversum bonos exercuerant, mactare cœperunt, non modo non repugnante, verum etiam plaudente civitate. Deinde cum jam improbi deessent, contra bonos, innocentesque manus vertere, ac omnino id moliri, ut civitatem in sua retinerent potestate. Cujus rei gratia duo ex ipsis triginta viris Æschines, & Aristoteles Lacedæmona missi, Lysandro suaserunt, ut sibi adjutor esset, quo Præfectum aliquem cum præsidio militum Lacedæmonii Athenas mitterent, qui urbi præesset, quoad ipsi perniciosis hominibus, ac diversa sentientibus, civitatem purgarent, ac Rempub. in formam probabilem constituerent. Stipendium vero his, qui mitterentur, Præfecto, militibusque daturos se polliciti sunt. Lysandro igitur adjutore impetrarunt, ut Calivius Spartiata præsidium habens militum Athenas mitteretur. Cum id præsidium suscepissent, majora jam audentes, arma civibus ademerunt, præterquam iis, qui suæ factionis erant. Hi autem in catalogo descripti ad tria hominum millia fuere. Quibus peractis jam securi, ac neminem protinus formidantes, nullum posthac modum habuerunt in civibus necandis, aut pellendis, quos vel privatum alicujus odium, vel rapinarum spes tollendos e medio suaderent.

Aristoteles, Æschines.

Calivius.

Nullo modo in civibus necandis.

Hanc tandem improbitatem primus omnium Theramenes improbare ausus est, nam cæteri metu silere cogebantur. Theramenes vero, quod erat ex triginta viris, collegas monere, obtestarique primus cœpit, ut ab hac improba gubernatione desisterent. Denique redarguens singula, atque carpens, molestus tandem esse cœpit, & quasi non eadem sentiret, suspitionem contraxit. Itaque collegæ primo alius alibi conqueri, & calumnias jacere, ac uti caverent hominem diversa sentientem, monere. Ad extremum vocato suorum consilio, ac data opera, ut adolescentes audacissimi cum gladiis adessent, cum Theramenes vocatus in consilium venisset, assurgens Critias in hunc modum locutus est: Si cui vestrum, o viri, qui in consilio adestis, forsan videtur plures civium per hoc tempus interisse, quam oporteat, illud secum reputet, quia ubicunque status civitatis mutatur, hæc eadem, quæ nunc apud nos fiunt, consueverunt & alibi necessario fieri. Plurimos vero hostes habere rationabile est, qui statum civitatis ex gubernatione multitudinis ad paucos traducunt, cumque sit civitas nostra populosissima Græcarum omnium civitatum, & longissimo tempore libertati assueta, necesse est plura hujusmodi in ea contingere. Nos vero intelligentes quam inimicum sit rationibus vestris, si popularis status in hac urbe reviviscat, intelligentes etiam quia Lacedæmoniis servatoribus nostris Populus quidem nunquam foret amicus, præstantes autem viri semper in eorum fide, amicitiaque persistent, ex illorum sententia hanc constituimus Reipubl. formam. Et si quem scimus huic constitutioni adversantem, eum, tanquam impedimentum salutis nostræ, de medio tollere compellimur. Multo tamen maxime nobis justum videtur, si quis ex nostro corpore hanc ipsam gubernandi formam a nobis constitutam delere pergat, eum pœnas dare debere. Compertum vero habemus Theramenem hunc, quibus-

Theramenes improbitatem xxx. virorum improbare audet.

Critiæ oratio

cunque potest modis, nos simul, ac vos evertere conari. Quod autem vera dicam considerantibus ejus opera manifestissime apparebit. Constat enim neque improbari ab ullo magis præsentem Reipub. statum, quam ab ipso Theramene, neque magis adversari nobis, quoties aliquem ex adversariis tollere de medio, ac removere properamus. Si ergo ab initio hæc eadem sentiebat, hostis quidem jam tunc fuit status nostri non tamen improbus appellari vero potuisset. Nunc autem cum ipse Princeps fuerit, & autor fidei amicitiæque cum Lacedæmoniis ineundæ, cum ipse idem Populi dissolvendi suasor, cum idem impulsor maximus nostri ad supplicia civium, videns nunc tandem nos aperte Populo inimicos esse factos, negat sibi placere quæ fiunt, *videlicet ut ipse in tuto sit, nos vero eorum, quæ facta sunt, invidiam subeamus*. Quare non ut hostis modo, verum etiam ut proditor nostri, ac vestrum digno supplicio affici meretur. Atqui tanto quod perniciosior est proditor, quam hostis, *quanto difficilius est cavere ab occulta, quam ab aperta peste, tanto infestior, quanto hostes quidem & pacantur, quandoque & fides eis habetur, proditori autem nec pacari quisquam vult, neque fidem posthac adhibere*. Ut autem videatis, quia hæc non nova sunt in eo, sed jam pridem natura proditor est, commemorabo vobis istius acta: Hic ab initio apud Populum honoratus, quod erat sibi paternum, ut popularis haberetur, maximus impulsor fuit, ut statu populari depresso, quadringenti illi crearentur ad Rempub. gubernandam, fuitque ipse in eo numero quodammodo Princeps. Deinde cum videret eam rem ad paucorum potentiam ex eo ipso quadringentorum numero declinare, Dux rursus Populo fuit ad statum popularem contra quadringentorum potentiam asserendum. Unde *Cothurni* cognomentum huic inditum fuit. Nam cothurnus utrique pedi congruere videtur, & ab utroque tamen dissentit. *Oportet autem, o Theramenes, virum, qui dignus sit vita, non id meditari, quo socios in pericula impellat, & si quid contra incidat, statim mutari, sed tanquam in navi laborare, quo recta via feratur*. Quod si quid obsistat, tamen ut illuc perveniat, una cum aliis adniti. *Sunt autem omnes Rerumpublicarum mutationes morti adnexæ*. Tu vero toties mori dignus, quoties de populari statu in paucorum gubernationem, ac rursus ex gubernatione rei paucorum ad popularem statum propter inconstantiam, & inquietudinem animi tui mutare civitatem studuisti. Præterea hic est, judices, cui cum mandatum fuisset a Ducibus suis civium corpora navali prælio defunctorum colligere, id prætermisit, atque neglexit, moxque Duces ipsos suis calumniis persecutus, fortissimos viros, ac paulo ante maximi prælii victores, condemnari a Populo, ac ultimo supplicio necari fecit, quo videlicet ipse millies perire dignus, servaretur. *Quisquis vero ad se ipsum, atque ad commodum proprium sui cuncta, quæ agit, referre deprensus est, nec ullam curam honestatis, amicorumque habere, quomodo huic parendum foret, aut quomodo ab eo non cavendum, ne, quæ dudum effecit, rursus nunc efficere contra vos, statumque vestrum possit?* Nos er-

Theramenes proditor reputatur.

Theramenes Cothurnus dictus.

A go hunc deferimus ad vos, & tanquam insidiantem, & tanquam proditorem, idque quam recte faciamus, attendite: Optimam quidem esse Lacedæmoniorum gubernandi formam non dubitatis. Quod si illam aliquis Ephororum mutare aggrediatur, & vituperare quæ aguntur, & adversari dum fiunt, nonne putatis illum ab Ephoris ipsis collegis suis, & a tota civitate morte esse mulctandum? Et vos ergo, si sapitis, non huic, sed vobis ipsis prospicietis. Nam hic si evaserit, multis aliis faciet a-

B nimos diversa sentientibus. Damnatus vero eorum omnium, qui sunt intra urbem, & eorum, qui pulsi sunt, spem amputabit. Ea cum dixisset Critias consedit. Theramenes vero assurgens: *Equidem*, inquit, *o viri, qui in consilio estis, ad illud respondebo, quod postremo mihi fuit loco a Critia objectum*. Dixit enim Præfectos classis a me circumventos ultimo supplicio damnari fecisse. Ego autem nec ab initio accusavi eos, nec principium illius causæ a me est introductum, sed cum ab aliis accusati præfecti, pro excusatione sua ad-

C ducerent, mihi demandasse civium corpora, qui navali pugna interierant, colligere, & a me vis tempestatis, per quam non colligere modo illa, sed ne navigare quidem potuisse adduceretur, visus sum Atheniensibus recte dicere, & illud imputare illis, qui fatentes corpora defunctorum prælio civium colligi posse, ad alia loca navigassent. Nec tamen admiror Critiam ista nescire. Nam cum hæc Athenis facta sunt, in Thessalia degebat apud Prometheum, popularem statum constituens, ubi servos, & agricolas contra dominos per

D tumultum, ac seditionem concitavit, & quæ iste in Thessalia effecit, Dii hinc repellant. Illud vero ipse fateor, si quis statum hunc mutare aggrediatur, & adversariis faveat, eum maxima supplicia promereri. Sed quis sit is, qui hæc agit, vos ex operibus ipsis judicare debetis. Ego enim quousque vos in præsentem Reipub. statum constitueremini, quousque Magistratus, potestatesque nobis committerentur, quousque pessimi sine controversia homines vestris sententiis subjicerentur, eadem sensi. Sed postquam isti cœperunt viros optimos

E opprimere, ex eo incœpi diversa sentire. Sciebam enim quia Leunte Salaminio interfecto, viro certe bono, & innocente, similes illius omnes in metu constituerentur, metuentes vero contraria sentirent gubernationi nostræ. Cognoscebam quia Nicerato homine locupletissimo, qui nec ipse, neque sui cum Populo unquam senserant, oppresso, pares, ac similes illius vobis inimici fierent. Antiphonte quoque a vobis interfecto, qui duas triremes ad bellum conferebat, sciebam omnes qui ejus gra-

F dus forent, in maximas suspitiones incisuros. Contradixi & cum homines novi singulis singuli opprimendi traditi sunt, sciens per hujusmodi oppressionem cunctos incolas nobis inimicos fore. Contradixi & cum arma populo ademistis, non existimans oportere, ut civitas inermis, imbecillaque efficeretur. Neque enim Lacedæmonios conspexeram ea de causa nos servare voluisse, quo imbecilles facti, nihil eos juvare possemus Licebat quippe illis, si id censuissent, civi-

Lacedæmoniorum gubernandi forma optima.

Theramenis oratio.

Leunter Salaminius.

Niceratus.

Antiphon.

A tatem totam delere, vel modico insuper tempore fame perimentes, neque conductorum militum præsidium habere placuit, cum liceret tot ex civibus nostris nobis conjungere, ut nihil formidare haberemus. Denique cum viderem permultos præsenti civitatis statui infensos, permultos civitate pulsos, non placuit rursus mihi, neque Thrasybulum, neque Anytum, neque Alcibiadem pellendo, cum exulibus eos conjungere. Intelligebam enim quantum robur illis accessurum foret, si multitudini exulum Duces, quasi de industria, præberemus. Hæc ergo quæ palam, & in aperto monuit, utrum

Thrasybulus, Anytus, Alcibiades.

B benevolus conservator præsentis Reipub. status, an proditor est existimandus? *Non enim qui inimicorum numerum augeri vetant, hi robustos faciunt hostes, sed multo magis hi qui per injurias, & rapinas, & cædes innocentium numerum hostium adaugent.* Quod si non aliunde, hinc intelligere potestis. Utrum existimatis Thrasybulum, & Anytum, & alios exules fieri maluisse? Hæcne quæ suadebant, an illa, quæ isti fecerunt, & faciunt? Equidem puto nihil magis eos optare, quam quotidie socios, adjutoresque sibi conjungi. Quod si cives nobis retinere studuissemus, desperationem reditus sibi propositam existimarent.

C Quæ vero de inconstantia mea dixit Critias, ad ea, quæso! dum respondebo, attendite: Quadringentorum potestatem Populus ipse decrevit, cum pacem jam optaret, ac sibi suasum esset, Lacedæmonios omni magis gubernationi, quam populari confidere, tum cum illi nihilo magis ob eam moverentur, & Aristoteles, Melanthusque, & Aristarchus hostes recipere pro civium oppressione statuissent. Si ergo illa sentiens prohibui, id est,

Aristoteles, Melantius, Aristarchus.

D quæso! proditorem esse? Appellat me cothurnum, quasi ambobus simul congruere studentem, sed qui neutris congruit, hunc quem, per Deum! appellare debemus? Tu Critia in populari quidem statu inimicissimus Populi repertus es, in optimatum rursus gubernatione omnium optimorum civium manifestissimus hostis. Equidem semper illis adversatus sum, qui non putant civitatem populariter regi, nisi tunc demum, cum tenues, & omnis fex civitatis ad gubernationem Reipub. recepti sint. At rursus illis adversor, qui non putant Rempub. prius

E sub paucorum gubernatione esse, quam ipsi illi, qui gubernant, tyrannidem exerceant. Eos certe, qui equitatu, & armatura, & pecuniis adjuvare Rempub. possunt, semper equidem optimos, aptissimosque putavi ad civitatis gubernationem, ac sine ulla mutatione in ea sententia persevero. Quod si ostendere potes, o Critia, me ullo unquam tempore, aut cum popularium levitate, aut cum tyrannorum malignitate concurrisse, ad optimos cives a Repub. dejiciendos, ostende. Si enim reperiar aut nunc ista faciens,

F aut in præterito fecisse, non recuso quin omni supplicio affectus interearn. Theramenes cum hæc dixisset, finem fecit. Consilium autem favere Theramem visum est. Murmur certe post ejus orationem, quasi probantis, emisit. Quod cum intueretur Critias, existimaretque, si consilii sententiis experiretur, illum haud dubie evasurum, nec sibi vivendum putaret, si hoc accidisset, contineri parumper jussit, & ad collegas ingressus, cum illisque locutus, tandem

Consilium Therameni favet.

A dem egressus, adolescentes cum gladiis secum habuit. Quibus circa concilium, quasi in stationibus collocatis, ipse rursus verba fecit: Equidem, inquit, præsidentis boni opus esse existimo, non permittere, ut decipiantur amici, quod nunc faciam. Scitote igitur, quia neque collegæ mei, nec ipse, ut Theramenes evadat, passuri sumus. Est autem in novis legibus provisum, qui in catalogo trium millium sint descripti, eorum neminem absque judicio vestro necari licere. Ex aliis vero licere triginta viris, quem velint, occidere. Nos vero, inquit, triginta viri consentientes omnes

B Theramenem ex catalogo trium millium delevimus, atque eum mortem damnavimus. Hæc audiens Theramenes, prosiliens, statim ad aram Deorum, quæ in consilio erat, confugit, atque aram tenens, Ego, inquit, o cives, in tutelam Deorum, quod est legitimum nobis & consuetum, supplex confugio, providere monens, ne sit in potestate Critiæ, nec me, nec quenquam alium vestrum ex catalogo delere, sed quam legem isti ipsi scipsere, de hoc ipso, observent. Quamquam ne illud quidem ignoro, quia nec ara ista, quam teneo, mihi

Theramenes ad aram Deorum confugit.

C sat erit præsidii, sed palam fieri volo, eos non solum erga homines injustissimos, verum etiam erga Deos impiissimos esse. Illum tamen, o cives, admiror, si non vobis ipsis jam auxilium paratis, scientes non meum magis, quam uniuscujusque vestrum deleri nomen ex catalogo posse. In hunc ea dicentem missi satellites, ab ara ipsa per vim detraxere, ducente Satyro satellitum Principe homine pessimo, atque impudentissimo. Eorum vero, qui in consilio erant,

D maxima pars hæc improbabat, sed quid agerent, cum inter subsellia versarentur armati; & formidaret quisque sibi, ne eadem pateretur? Per hunc modum Theramenes ab ara detractus, undecim viris ad supplicium traditur. Ille vere Deos, hominesque testatus magna vociferatione per carcerem trahebatur. Quo in loco facetum etiam quiddam ferunt ab eo dictum. Nam minante Satyro malum sibi fore, nisi sileret. *Quod*, inquit, *si tacuero, non erit mihi malum?* In carcere quoque cum venenum potaret, re-

Theramenes supplicio traditur.

E liquum ex calice quatiens, illud se Critiæ propinare inquit. Nec magnifacio hujusmodi dicta, sed illud existimatione dignum puto, quod propinqua imminente morte, nec mente concidit, nec remisit jocandi consuetudinem. Theramenes igitur per hunc modum interiit.

Theramenes veneno interiit.

Triginta autem viri quasi jam plane dominantes, cuncta pro libidine exequebantur, metuque conterriti cives, urbem sponte relinquebant. Per agrum quoque multi civium, cum eo secessissent, capti, & in ur-

F bem reducti, necabantur. Itaque tandem fuga longius arrepta, alii Megaram, alii Thebas migravere.

Hæc animos fecerunt exulibus contra statum civitatis insurgendi. Itaque Thrasybulus cum septuaginta exulibus a Thebis movens castellum satis munitum, nomine Phylam occupavit. Ad recuperandum triginta viri cum suæ factionis hominibus properantes, cum expugnare locum aggrederentur, multis acceptis vulneribus repelluntur. Obsidere vero arctius volentes, continuæ nives

Atheniensium exulum bellum. Phyla castellum occupatur.

prohibuerunt. Ex hoc jam concursus est ad Thrasybulum factus, ut essent intra paucos dies exulum circiter septingenti. Triginta viri, & suæ factionis homines ne discursiones per agrum ab exulibus fierent, partem equitum, ac peditum suorum in præsidio regionis collocarunt. Delecto loco inter urbem, & Phylam, quo discurrere per Atticam, & abigere prædas exules prohiberentur. Ad hos ergo Thrasybulus per noctem ducens, sub primam lucem improviso eos invasit, interfecitque eorum circiter centum viginti. Cæteri vero deserto loco, commeatu, impedimentisque relictis, nonnulli etiam amissis armis, trepidi in urbem se receperunt. *Exules Piræeum ingrediuntur.* Ex hoc Thrasybulus Piræeum accessit, aucto suorum numero, ut jam mille exulum essent. Cum ergo in Piræeum venissent exules, triginta viri eo promptissime auxilium tulerunt, cum equitibus urbanis, ac suæ factionis peditibus, & cum præsidio militum Lacedæmoniorum. Thrasybulus vero structa acie, orationeque ad suos habita, cum aut gloriosam victoriam, aut gloriosam mortem propositam illis ostendisset, tandem conflixit, licet cum paucis adversus multos. Sed juvabatur natura loci, quod una duntaxat via, & a fronte tantummodo pugna erat committenda. Itaque cum vehementer aliquandiu pugnatum esset, tandem majori vi connixi exules superarunt: *Exulum victoria. Critiæ, Hippomachi, & Charmidis mors.* interfectique in eo prælio sunt duo ex triginta viris, Critias scilicet, & Hippomachus, aliorumque civium circiter septuaginta, inter quos fuit Charmides Glauconis filius. Horum arma quidem exules sumpserunt, vestes autem vel aliud quicquam eorum noluerunt attingere. Meminerant enim, etsi inimicos, tamen eos cives, non hostes esse. Quamobrem præter belli instrumenta, nihil eorum auferre sustinuerunt. Trophæum tamen in eo loco, in quo primum illos verterant, statuerunt, quasi monimentum perpetuum virtutis suæ. Cum vero induciis de more factis defunctorum corpora ad sepulturam concessissent, ac venissent propinqui, & agnati ad corpora deportanda, unus e numero exulum, vir magnæ vocis, magnæque audaciæ sic eis locutus est. *Exulis cujusdam oratio.*

Viri Athenienses, pro certissimo habitote, quosdam ex his, quorum corpora deportaturi venistis, non minori gemitu a nobis deplorari, quam a vobis ipsis. Sunt enim in cœtu nostro & cognati, & affines, & amici, & familiares multorum. Hi ergo, ut cæteros omittam, pariter cum propinquis magno dolore pro illorum interitu afficiuntur. Ex quo calamitosior nostra conditio redditur, quod neque victores neque victi gemitu carere possimus. Sed quæ calamitas est hæc nostræ civitatis? quis furor civium? quæ amentia? Nos enim domum redeundi justum, ac legitimum desiderium habemus: vos autem cur nos prosequimini. quid impugnatis? quid tantopere nos odistis? Nonne in eadem civitate geniti? Nonne in eisdem templis, sacrisque initiati? Nonne in eisdem scholis & gymnasiis eruditi? Nonne parentes nostri una cum vestris parentibus pro dignitate, ac libertate, & amplitudine communis patriæ pugnarunt? Nonne nos una vobiscum pro patria nobis charissima pugnavimus? Unde igitur hæc odia sunt exorta? cum odiorum nulla sit causa, mul- A tæ charitatis. An parere in hoc vultis triginta viris? nec illud consideratis, longe plures ab illis interfectos fuisse civium nostrorum mensibus decem, quibus Rempub. tenuere, quam decem annis in bello fuerint interfecti a manifestissimis hostibus nostræ civitatis? Præfectus equitum, qui una erat, cum his, qui ad tollenda corpora venerant, hos sermones interrupit. Sed nihilominus relati in urbem sunt ab his, qui audierant.

Post hoc prælium reversi domum, qui B cum triginta viris exierant, valde segniores facti sunt ad resistendum; ac liberæ jam voces jactabantur, non esse triginta viris permittendum, ut civitatem per hunc modum evertant. In catalogo vero descriptorum civium variæ quidem erant voluntates. Quicunque enim illorum, aut cædibus, aut rapinis, aut persecutione cæterorum civium se oneraverant, mutationem rerum formidantes, pertinaciter defendendam urbem adversus eos, qui erant in Piræeo, prædicabant. Quicunque vero mediocritatem quandam secuti, nullas aliis C civibus intulerant clades, ii & ipsi statuebant secum, & alios cohortabantur has patriæ calamitates nequaquam esse tolerandas, nec parendum triginta viris, nec eis permittendum, ut eversores sint civitatis. Triginta ergo viri hæc formidantes, relicta urbe in castellum Eleusina sese trepidi receperunt, illisque abrogatum imperium est, atque in eorum locum singuli ex singulis tribubus creati. *Eleusini. Tribuni decem creantur.* Fuerunt ergo hi tribuni decem. Siquidem Athenis tribus erant decem, in quas tota civitas dividebatur. Hi ergo tribuni simul ac fuerunt D creati, valde timidi, diffidentesque videbantur, adeo ut quisque suæ tribus equites per noctem in publico secum haberet, ac mœnia circuirent armati semper formidantes, ne improviso invaderentur. Qui vero erant in Piræeo quotidie magis augebantur concursu non modo civium, verum etiam peregrinorum. Itaque jam exire Piræeo ac discursiones per agrum facere, prædasque abigere, & sub mœnia ipsa urbis accedere non dubitabant. Ex urbe vero nulli penitus exibant, præter E equites solos. Et jam cædes quædam fieri cœptæ fuerant, cum in urbe captivi quidam ex Piræeo mactati forent. Et in Piræeo vice versa quicunque equitum urbanorum capti fuerant, supplicio afficiebantur.

Inter hæc qui erant in urbe, legatione ad Lacedæmonios missa sibi ferri auxilium precabantur, ostendentes plebem Atheniensium secessisse, atque omnes, qui populares sequantur partes, contra Lacedæmonios, eorumque amicos insurrexisse. *Qui in urbe sunt ab Lacedæmoniis auxilium petunt.* Jam vero Piræeum ab his occupatum esse, ac nisi ob- F vietur, majora continuo paraturos. Fautorem Legati habuerunt Lysandrum, qui cum existimaret eos, qui Piræeum invaserant, faciliter expugnari posse, si mari simul, terraque commeatu prohiberentur, autor fuit, ac suasor, ut talenta centum mutuo traderentur iis, qui erant in urbe, ad militem conducendum. *Lysandri & fratris contra exules expeditio.* Ipse vero Lysander suscepto negotio militem in Peloponneso contraxit, & adversus Piræeum duxit. Frater autem ejus Libis classi præfectus mari Piræeo

A obsidebat, quo nihil eo deferri possit. Quibus difficultatibus circumventi, qui in Piræeo erant nullam quasi spem habere reliquam videbantur. Inter hæc Pausanias Lacedæmoniorum Rex invidens Lysandri gloriæ, veritusque ne si illa perficiat, majorem in potentiam evadat, & Athenas omnino sibi ascifcat, tribus Ephororum in suam sententiam tractis, sibi exercitum decerni fecit contra eos, qui erant in Piræeo. Nam Lysander non publico Lacedæmoniorum nomine, sed quasi ab Atheniensibus conductus, illuc accesserat. Secuti sunt & socii Pausaniam Regem, præter Corinthios, & Thebanos, qui non recte, neque ex fide se facturos dixere, si contra Athenienses mitterent, cum illi nihil fecerint contra jus fœderis. Hæc prætexebatur causa, sed revera graviter ferentes si Lacedæmonii Athenas sibi penitus subjicerent, huic profectioni adversabantur. Pausanias ergo Rex eo profectus, non longe a Piræeo castra posuit, cum altera ex parte Lysander esset, missisque ad eos, qui in Piræeo erant, legatis cunctos ad proprios labores abire jussit. Cum vero illi non parerent, vim, & arma ostentare cœpit, quæ & ipsa cum illi non expavescere viderentur, secuta mox die cum duabus Lacedæmoniorum cohortibus, & turmis equitum Atheniensium tribus usque ad portum, qui *Surdus* dicitur, progressus est. Inde speculatus Piræei situm, ac naturam regionis, cum tandem reduceret, insecuti e Piræeo leves quidam, & expediti postremum ejus agmen lacessere cœperunt. Qua indignatione permotus Rex, verso celeriter agmine, equitatum ac levis armaturæ militem in eos misit, ipse vero cum reliquis subsecutus usque ad theatrum, quod est juxta Piræeum, præcipites egit. Sed cum ad theatrum ventum esset, reperit aciem armatorum opinione majorem, ac statim in eum versi ita presserunt Regem, & eos, qui secum venerant, ut necesse fuerit, citato gradu pedem referre. Et ceciderunt aliquot præclari viri ex his, qui erant cum Rege. Ipse vero circa quatuor stadia pulsus, cum in tumulum quendam se recepisset, facto suorum globo, rursus hostes invasit, ac in fugam vertit, interfecitque eorum centum quinquaginta. Rex igitur prælio victor in castra sua rediit, nec ob hoc iram suscepit adversus eos qui obsidebantur, sed missis clam nuntiis, monuit, quibus verbis ad se oratores mitterent, pro rebus componendis. Concitavit etiam eos, qui in urbe erant, Athenienses, ut seditione facta venirent ad se quam maximo numero. dicentes non expedire sibi, ut civibus, qui essent in Piræeo, bellum inferretur, postulantesque ut opera Regis sublatis discordiis in urbem reducerentur, essentque communiter omnes Lacedæmoniorum amici. Hæc non solum Rex, verum etiam duo Ephori, qui tunc aderant, non inviti audiverunt, factisque inter eos induciis suaserunt, ut hi, qui in Piræeo erant, Legatos suos Lacedæmona mitterent pro concordia ineunda. Idem fecit ea pars civium, qui in urbe existentes concordiam optabant. Erant vero hi (ut supra diximus) plurimum boni viri, & mediocritatem quandam in Repub. secuti, qui neque cædibus, neque rapinis, neque injuriis in aliorum calamitatibus se oneraverant. Sed hæc pars civium privatim misit, eadem illa dicens, & postulans, quæ prius apud Regem, & Ephoros postulaverat. Miserunt etiam publice, qui Rempub. gubernabant. Hi erant vel ex triginta viris, vel ex eorum sinu, ac factione, homines partim inimici, assertores nobilitatis, partim ita coinquinati cædibus, rapinis, injuriis, ut si redirent exules, se incolumes fore desperarent. Hi ergo mittentes, se dedere velle urbem, ac mœnia, & cætera omnia Lacedæmoniis obtulerunt. Quod si amici Lacedæmoniorum essent, qui Piræeum tenent, idem facere debere. Non tamen hæc flexerunt Lacedæmonios a gravitate sua. Sed cum omnes legationes audissent, tamen quindecim viros mittere Athenas decreverunt cum publica autoritate, qui una cum Pausania Rege, & Ephoris, quam optime fieri posset, rem componerent, ac discordias sedarent.

Pausanias Lacedæmoniorum Rex.

Exulum cum Atheniensibus pugna.

Surdus Portus.

Pausanias pedem referre cogitur.

Rex prælio victor in castra sua redit.

Atheniensis concordiam optant.

Per hunc modum concordia facta est inter cives, his ferme conditionibus: ut hi, qui in Piræeo erant, domum redirent. Ex triginta vero illis perniciosis civibus quicumque supererant, ut Eleusina migrarent. Idemque de illis assentatoribus, & clientibus provisum, quibus propter injurias, & cædes, & rapinas dudum editas, tutum nequaquam fuisset in urbe manere. His peractis qui erant in Piræeo armati in urbem cum summa omnium lætitia redeuntes, in templo Minervæ, quod est in arce, posuerunt arma, & pacati simul cives communi suffragio Magistratus crearunt, & antiquis legibus gubernare Rempub. statuerunt.

Exulum cum Atheniensibus concordia.

Qui erant in Piræeo in urbem redeunt. Minervæ templum.

Posteris vero temporibus cum auditum fuisset eos, qui migraverant Eleusina militem conducere, ac res novas moliri, populariter egressi cives id castellum obsederunt, ac tandem cœperunt, & quot superfuerant ex triginta viris principalioribusque eorum satellitibus necatis, cæteros in urbem reduxerunt, jurejurando præstito, ne posthac quisquam præteritarum injuriarum meminisset. Seditio igitur Atheniensium per hunc modum finem accepit.

Athenienses Eleusina obsident, & capiunt.

Lacedæmonii vero post victos Athenienses, cum principatum Græciæ sine controversia obtinerent, ac florere eorum potentia videretur, in medio rerum prosperrimarum & ipsi a Thebanis victi, principatum amisere, ut a nobis ostendetur: Mortuo Agide Lacedæmoniorum Rege, cum inter Agesilaum ejus fratrem, & Leuthicada filium de successione foret contentio, favore, & opera Lysandri effectum est, ut rejecto filio regnum Agesilao deferretur. Hic fuit vir egregius, & qui omnes fere ante se Reges virtute superaret. Missus ergo in Asiam Agesilaus una cum Lysandro primum, mox ipse solus res multas, ac præclaras bello gessit, victoriisque suis nomen, ac potentiam Lacedæmoniorum, quantum nullus ante, per Asiam extendit, ut formidaret eum tandem Persarum Rex, missisque in Græciam pecuniis quosdam motus fieri curavit, quo Asiam relinquere Agesilaus cogeretur. Quod assecutus est, adjuvante insuper fortuna. Nam cum exortum esset bellum inter Thebanos, & Phocenses, ac tandem circa urbem Aliartum pugnaretur, Lysander ad tutandos Phocenses cum

Leuthicades.

Agesilaus Lacedæmoniorum Rex.

Persarum Regis jactum.

Thebanum bellum contra Phocenses.

Lysander occiditur.

exercitu missus, ad ipsa prope Aliarti mœnia eruptione Thebanorum occiditur.

Pausanias Rex. Lacedæmonii semper duos habuerunt Reges. Pausanias vero alter Lacedæmoniorum Rex (semper enim duos Lacedæmonii habebant Reges, ex duabus familiis, quæ ab Hercule dicebantur exortæ) quia non succurrisse in tempore Lysandro putabatur, & quia corpus ejus ad sepulturam per inducias postulaverat, non autem prælio receperat, regia potestate privatus, & in exilium actus est. Inter cæteras privationis ejus causas, illa quoque fuit, quod dudum in Piræeo Atheniensium exulibus favorem impendisset, & quod eorum concordiæ autor fuisset, nullo bono publico, sed ob invidiam Lysandri. Pausanias igitur ob eas, quas dixi, causas regia dignitate privatus, in exilio diem obiit, in ejusque locum Agesipolis Rex factus est, qui cum esset puer nondum bello idoneus, Aristodemo, qui erat ex eadem familia, cura belli committitur, & nihilominus Agesilaum revocare in Græciam placuit, quo omnis motus Græciæ comprimeret. *Agesipolis Lacedæmoniorum Rex. Aristodemus.*

Agesilaus ergo Rex ex Asia jussu patriæ revocatus, trajecto Hellesponto per Thraciam, Thessaliam, Bœotiam, Achaiam, profectus partim vi & præliis, partim autoritate, ac præsentia compressit omnes civitates, quæ vel extulerant capita post Lysandri mortem, vel extollere velle putabantur. Nec illi defuit belli materia, præsertim apud Thebanos, & Corinthios, & Arcades, & Ætolos, quos tamen omnes virtute Ducis, & Lacedæmoniorum potentia domitos pacem optare coegit, & imperio quiescere. Pax tandem secuta est cum Græciæ Populis. *Pax cum Græciæ populis.*

Principatus autem Lacedæmoniorum si unquam alias, tunc maxime stabilis esse videbatur. Cum igitur florere Lacedæmonii viderentur, & imperii gloriam firmiter obtinere, *convertit fortuna orbem suum*, mirabilique casu omnem eorum potentiam, autoritatemque prostravit, initio malorum hinc exorto. Olynthii civitas Thraciæ magna, & potens, finitimos Populos, ac Reges pervadere cœperant, Acanthii ergo, & Apolloniatæ vicini Olynthiorum, hæc ad Lacedæmonios deferentes, auxilia contra Olynthios imploraverunt, ostendentes nisi illorum opibus obvietur, in nimiam eos potentiam evasuros. Ea de causa Eudamidas Lacedæmonius cum parte copiarum subito in Thraciam navigare jussus est. Res enim celeritate plurima indigere videbatur. Reliquas vero copias ad diem cogi, ac Phœbidæ germano tradi terrestri itinere ad Eudamidam fratrem perducendas. Cum ergo pervenisset in Thraciam Eudamidas, oppida, & populos in fide continuit, Potideam vero jam ad Olynthios traductam, ab illorum societate retraxit ac revocavit. Expectabat vero fratrem, & copias reliquas, ut majora aggrederetur. Phœbidas vero ubi convenerunt copiæ, eas accipiens terrestri itinere duxit. In via autem, cum non procul a Thebanorum mœnibus castra fecisset, rerum novarum semina in hunc modum concitavit. *Olynthii cives Thraciæ. Acanthis. Potidea.*

Factiones Thebanorum. Ismenias, Leontiades. Phœbidas. Erant Thebis per id tempus factiones duæ, Principes vero earum Ismenias, & Leontiades æmuli inter se, atque discordes. Leontiades igitur ad Phœbidam profectus, docet se amicum Lacedæmoniis esse, Ismeniam vero inimicum. Suadet ut suis copiis arcem occu-

A pare Thebanam velit. Viam, qua id fieri possit, ostendit, ac se hujus rei Ducem, adjutoremque pollicetur. Hac una re pelli adversarios nullum esse negotium, se vero gubernante adversariis oppressis, ad nutum Lacedæmoniorum cuncta fore successura. Magnum denique peditum numerum statim sibi contra Olynthios se daturum promittit. Phœbidas his pollicitationibus illectus (erat enim non tam prudens, quam gloriæ cupidus) negotium suscipit, juvanteque Leontiade improviso Thebarum arcem suis copiis invadit. Inde discursum per urbem est, & Ismenias captus, nec multo post de eo supplicium sumptum. Ex ea factione circiter trecentos metu conterriti in Atticam aufugerunt. Hæc ubi Lacedæmonii senserunt, etsi primo vehementer succensebant Phœbidæ, quod absque civitatis decreto, cum esset pax cum Thebanis, tantam rem attentasset, tamen, quia confecta res erat, & Thebæ in potestatem eorum devenerant, æquo animo pertulerunt. Ex hoc jam Thebæ sub Lacedæmoniis erant. Leontiades autem, & sui ad nutum Lacedæmoniorum gubernantes, magna illis auxilia ad bellum Olynthiacum præbuere, & bellum Olynthiacum finem habuit optatum. Nam post varias belli vices, tandem superati Olynthii, mittere Lacedæmona legatos, ac pacem exposcere coacti, Lacedæmoniorum principatum recognovere. Agesilaus quoque per media hæc tempora Phliasios nonsatis imperio parentes in Peloponneso domuerat. *Leontiades Thebas prodit. B Ismenias capitur. C Bellum Olynthiacum. Olynthii Lacedæmoniis parent. Phliasii ab Agesilao domiti.*

Cum esset hic status rerum, mirabile quiddam oritur apud Thebanos, pro cujus *exemplo maximo divinum numen formidandum* D *est ab his, qui contra jus, fasque agere non verentur.* Lacedæmonii quidem Græciæ Principes, ac (ut vere dixerim) rerum domini, contra quos reliqua omnis Græcia nihil posse credebatur, ab illis ipsis Thebanis, quos jugo servitutis indigne oppresserant, ipsi oppressi, atque eversi sunt. Multaque hujusmodi licet intueri & apud Græcos, & apud alias nationes, per quæ apparet *justitiæ, ac jurisjurandi transgressores puniri divinitus*. Juraverant enim Lacedæmonii per extremam pacem nullius Græciæ civitatis libertatem impedituros. Contra vero jusjurandum, ac E promissa Thebanam arcem tenebant, permittentes, ut Leontiades, & sui tyrannidem exercerent. Non tulit ergo divinum numen, sed eos mirabiliter ultum est.

Erat quidam apud Thebanos Magistratus scriba nomine Philidas, is cum aliis forte de causis Athenas venisset, atque esset sibi jam pridem cum Melone, qui erat unus ex Thebanis exulibus, familiaritas, interrogabatur ab eo, quid Thebis ageretur? ita respondit, ut appareret sibi odio esse, qui tunc erat, civitatis statum. Ex hoc requisitus a Melone, ut adjutor esse vellet ad exules reducen- F dos, nequaquam aspernatus est, sed operam suam pollicitus, non prius discessit, quam re tractata, atque composita. Summa hæc erat, ut Melon ipse cum quibusdam exulibus ad diem constitutam Thebas clam veniret, ipse receptum eis, ac viam patrandæ rei præberet. Melon igitur sex duntaxat exulibus sibi conjunctis exequi constituta pergit. Ad diem enim, qua convenerat, Athenis moventes, nec ulla secum ferentes arma, *Philidas Thebanus scriba. Melon Thebanus exul.*

præter gladios, per ſpeciem venandi per Atticam profecti, cum tandem nox ſupervenisſet, agri Thebani fines ingrediuntur, & quam maximum poſſunt, iter noctu conficiunt. Adventante mox luce deſertis in locis requieſcunt. Per hunc modum Thebis appropinquantes, per id maxime tempus, quo tardiſſimi agricolarum regredi ab operibus ſolent, per ipſam portam una cum cætera turba ingreſſi, qua domo conſtitutum fuerat, delituerunt. Phylidas vero ſcriba jam pridem quaſi jocans Magiſtratui Thebanorum pollicitus erat formoſas mulieres una ſe nocte exhibiturum. Id cum ſæpius aſſeverat, eo deventum erat, ut jam tanquam promiſſum ab eo Magiſtratus depoſceret. Tempus igitur veniſſe ratus, Magiſtratui denunciat, ſe mulieres, quas promiſerat, paraviſſe. Qui vero in Magiſtratu erant, id læto animo audiverunt, cænaque hilariori inſtituta, mulieres expectabant. Ille vero poſt cænam demum venturas eſſe dixit Nam eſſe ejuſcemodi, ut neque cænantibus intereſſe velint, neque poſt cænam niſi prius omni miniſtrorum turba dimiſſa. Cænati ergo dum eſſent miniſtros dimittunt a ſe, qui vero ſuperforent, ab ipſo Phylida negotio aliquo injecto ablegantur. Tandem cum præter Magiſtratum nemo adeſſet, ſex illi introducuntur. Erant vero eorum tres habitu matronarum, alii tres quaſi pediſſequæ, & ancillæ. Receptæ igitur jocoſe a Magiſtratu, & inter eos ſedere juſſæ, ſtatim ubi conſedere, rejectis muliebribus velamentis, ſinguli ſingulos eorum, qui in Magiſtratu erant, gladiis adoriuntur, atque occidunt. Poſt Magiſtratus interfectos, Phylidas cum illis ipſis ad ædes Leontiadæ profectus, quaſi nuntiare aliquid properaret, atque hujus gratia juſſu Magiſtratus veniret, ſine ulla ſuſpicione introducitur, ingreſſique una exules, in proprio cubiculo Leontiadem occidunt. Inde ad carcerem properantes (magna enim vis civium ſuæ factionis in carceribus cuſtodiebatur) cum ſimularet Phylidas juſſu Magiſtratus quoſdam adduxiſſe in cuſtodiam tradendos, & oſtium ſibi apertum eſſet, interfectis cuſtodibus captivos educunt, atque arma capere ex publico jubent. Cum his opportuna civitatis loca occupant, ac jam aperto clamore cives provocant ad libertatem, concurſuſque ſtatim factus eſt Populi gaudentis quidem ac plaudentis pro civium reditu, ac depulſione illorum, qui Rempub. occuparant. Per inſecutos ergo dies arcem expugnare cœperunt (tenebant enim illam Lacedæmonii) cumque magna vi undique niterentur, tandem conterritis, qui in arce erant, & incolumibus abire pactis, arcem quoque receperunt.

Exulum Thebanorum factum.

Thebani Magiſtratus occiduntur.

Leontiades ab exulibus occiditur.

Thebani in libertatem reducuntur.

Cleombrotus Lacedæmoniorum rex.

Per hunc modum Thebani recuperata libertate, & arcem & ſeſe in ſua jura vendicarunt. Lacedæmonii vero poſtquam hæc intellexerunt, graviter ea ferentes primo quidem Præfectum arcis, quod ipſam immature reddidiſſe putabant, ſupplicio affecerunt. Deinde exercitum decreverunt adverſum Thebanos. Duxit autem hunc exercitum Cleombrotus Lacedæmoniorum Rex, qui Ageſipoli mortuo ſucceſſerat. Nam Ageſilaus, quanquam tunc aderat, ab hac exercitus ductione ſe excuſavit, ætatem allegans, quod ſupra ſexagenarium foret. Nec ſane cauſa hæc erat, ſed fugere querelas civium voluit, ne ab ſe dicerent bella ex bellis continuo ſeri. Cleombrotus ergo alter Lacedæmoniorum Rex ad urbem Plateas, quæ eſt in Thebanorum finibus, exercitu ducto, indeque Thebanorum aggreſſus agrum, dies complures in eo commoratus, nulla inſigni re geſta, exercitum tandem reduxit. Et Thebani quidem, Lacedæmoniique in his erant. Athenienſes vero, quanquam lætati fuerant Thebanorum facto, tamen quietem agere conſtituerant, & perſeveraſſent ad extremum in eo propoſito, niſi nova Lacedæmoniorum injuria eos quoque permoviſſet.

Sphodrias Lacedæmonius.

Sphodrias erat Lacedæmoniis apud Theſpias oppidum relictus a Cleombroto cum parte copiarum, quo inde Thebanis bellum inferret. Huic ſpes oblata eſt Piræei occupandi. Quamobrem profectus cum ſuis copiis Atticam ingreditur. Cumque ſpes eum Piræei fruſtrata eſſet, prædis ex Attica abactis Theſpias rediit. Ea res Athenienſes quoque ad bellum commovit, indignatione percitos, quod in pace tentaſſet Lacedæmoniorum Præfectus Piræeum occupare, quodque de hoc ipſo accuſatus Sphodrias judicio Lacedæmoniorum abſolutus fuiſſet. Hæc Athenienſium commotio multum profuit Thebanis. Occupati ſiquidem Lacedæmonii maritimo Athenienſium bello, quod fere circa Corcyram magna vi, vario eventu geſtum eſt, ſuas vires omnes convertere in Thebanos nequiverunt. Et accidit quod Ageſilaus per id tempus graviter ægrotaret. Itaque Thabani hanc facultatem nacti Theſpias, & Plateas, & alias omnes Bœotiæ urbes, quæ ab ſe defecerant, in poteſtatem ſuam redegerunt. Athenienſes vero demum circa Corcyram victores, cum ſatis vindictæ ſe exegiſſe a Lacedæmoniis pro attentato Piræeo judicarent, nec rem Thebanorum augeri placeret, præſertim cum illi nihil ad impenſam maritimi belli conferrent, ſed rem ſuam alienis ſumptibus augerent, Athenienſes vero crebra tributorum penſione conſumerentur, legatione miſſa, pacem cum Lacedæmoniis fecere, reſervato loco Thebanis, ſi modo in pacem venire vellent. Sed cum poſtea de loco Thebanis relicto diſceptaretur, & illi ſe & Bœotiæ urbes in ea pace includi vellent, Lacedæmonii vero eis conceſſum locum dicerent, Bœotiæ autem oppidis negarent, res demum ita cecidit, ut Thebani excluſi pace remanerent.

Thebani Bœotiæ urbes quæ ab ſe defecerant in poteſtatem ſuam redegerunt. Athenienſes cum Lacedæmoniis iterum pacem faciunt.

Lacedæmonii Thebanos pares non exiſtimant.

Hinc jam Lacedæmonii majore, quam prius, animo bellum adverſus Thebanos aggreſſi (neque enim ſibi pares illos exiſtimabant, & ulciſci cupiebant ignominiam ante ſuſceptam) Cleombrotum Regem cum Lacedæmoniorum, ſociorumque copiis contra Thebanos ire juſſerunt. Cleombrotus igitur ex Phocenſibus in fines Thebanorum traducto exercitu in Leuctris conſedit, qui eſt locus Theſpienſis agri. In eo quoque loco Thebani cum ſuis copiis obviam profecti, in tumulo quodam non longe a Lacedæmoniis caſtra poſuere. Cum utraque pars optaret prælium, ac victoriam ſperaret, non multos poſt dies ad pugnam deventum eſt, ſtructis aciebus, & cunctis apparatibus factis, quæ fieri tali tempore conſueverunt. In

Leuctri.

ea pugna victores Thebani, Lacedæmonios superarunt, illosque dissipatos, & fractos magna strage occiderunt. Cleombrotus Rex, & omnis nobilitas, quæ circa Regem erat, in ea pugna interiit. Atque ita superiores facti Thebani, non jam de tuenda libertate, aut de retinendis Bœotiæ urbibus, sed de principatu Græciæ, deque Lacedæmoniorum eversione cogitare cœperunt. Ad hanc eorum spem fortuna viam statim accommodavit. Post adversam enim Lacedæmoniorum in Leuctris pugnam, Arcades, gens magna quidem, & Lacedæmoniis finitima, cervicem attollere cœpit, jam pridem infensa Lacedæmoniorum potentiæ. Itaque communi gentis consilio Mantineam urbem mœnibus cingere constituerunt, quod Lacedæmonii usque ad eam diem facere eos, propter egregiam loci illius opportunitatem, vetuerant. Id igitur cum Lacedæmonii etiam in illa fortuna graviter ferre viderentur, & Agesilaum cum exercitu mitterent ad opus impediendum, nulla fuit mora, quin Arcades omnes fœdere, & amicitia cum Thebanis jungerentur, eosque vocarent ultro ad Lacedæmonios opprimendos. Thebani ergo impigre cum exercitu profecti ad Mantineam se Arcadibus conjunxere, inde magna multitudine copiarum Lacedæmonem ipsam petere contendunt. Lacedæmonii vero nequaquam obviam exire ausi sunt, sed in urbe manentes eam custodiebant obsessorum more. Adeo enim urbem Thebani pressere, ut in Hippodromo ipso, quod est theatrum urbi conjunctum, prælia committerentur. Profuit autem vehementer Lacedæmoniis, quod Arcades, ut pote finitimi ad rapinam, prædasque conversi, dum agunt, & ferunt, infrequentes stationes relinquebant. Erat enim regio opulenta, ut civitatis longe, lateque dominantis, & quæ hostes jam diu nullos regionem ingressos cognovisset. Itaque ne fugere quidem homines, vel asportare sua propter desuetudinem sciebant. His igitur rapinis intenti Arcades minus frequentes circa urbem stetere, Thebani quoque hæc animadvertentes, cum different expugnari urbem posse, motis retro ad Selesiam castris, id oppidum expugnarunt. Gythum quoque opidum maritimum, in quo navalia Lacedæmoniorum erant, a Thebanis biduo oppugnatum, ægre defenditur. Inter hæc Lacedæmonii, cum spes nulla satis reliqua videretur, legatione Athenas missa, sibi tantis in periculis auxilium ferre precabantur. Legati fuerunt quatuor, qui veterem amicitiam, & mutua beneficia memorantes, & quanta commoda universæ Græcorum nationi ex conjunctione sua dudum pervenerunt, ostendentes, conversis Atheniensium animis impetrarunt, ut auxilia mitterentur, quibus præfectus est Iphicrates. Et exierunt quidem Athenienses prompte, ac fere populariter ad Lacedæmonios defendendos. Hæc Thebani, & Arcades sentientes, cum jam commeatus quoque deficerent, Lacedæmone relicta domum copias reduxere.

Thebanorum victoria Cleombrotus Rex interit.

Arcades.

Mantinea mœnibus cingitur.

Arcadum bellum cum Lacedæmoniis.

Hippodromus.

Gythum a Thebanis oppugnatur.

Iphicrates Atheniensis.

Altero dehinc anno Lacedæmonii, & Athenienses, & Corinthii cum aliis civitatibus, quæ Lacedæmonios sectabantur, educto communiter exercitu circa Corinthum

A aditus custodire cœperunt, ne possent Thebani in Peloponneso transire, quod tamen assecuti nequaquam sunt. Venientes enim Thebani ad ea loca, & per noctem eos qui aditum custodiebant, aggressi per montem cui nomen est Onio, in Sicyonios descenderunt. Ibi susceptis Arcadibus, & Argivis, & Eliensibus, omnibus simul copiis contra hostes vertuntur. Venerunt quoque per hoc ipsum tempus Lacedæmoniis a Dionysio Syracusano auxilia navium longarum supra viginti, in quibus erant Hispani, & Galli, & insuper equites quinquaginta bellandi peritissimi eisdem navibus B advehebantur. Hæc auxilia multum Lacedæmoniis profuerunt. Id bellum fere circa Sicyonium, & Corinthum est gestum, ac vario quidem eventu. Sed tamen ea belli conditio fuit, ut Thebani longe potentiores haberentur. Structa siquidem sub ipsa Corintho acie, cum ipsi fortunam pugnæ experiri vellent, detrectatum a Lacedæmoniis est ad pugnam descendere, damna tamen varie hinc inde illata sunt, & accepta. Post hujus anni militiam Arcades, C qui usque ad id tempus secuti fuerant Thebanos, diversa opinione esse cœperunt. Cujus rei causa hinc fluxit: Erat Mantinæus quidam Lycomedes, vir genere, ac divitiis in primis clarus. Hic de se, ac de gente sua longe majora in dies sentire videbatur. Cernebat enim Lacedæmonios quidem afflictos, Thebanos vero potentiores insurgere. Utrumque horum Lycomedes Arcadum opus esse putabat. Itaque gloriabundus apud suos hæc prædicare solebat, atque castigare popularium suorum ignaviam, quod excellentiam suam, D vel non intelligere, vel non existimare viderentur. Solam enim Peloponnesum primam, ac verissimam Græciam esse. Solos etiam Arcades nativos esse Peloponnesi homines, cum alii omnes Populi eam incolentes sint alienigenæ, & advenæ. Multitudine vero nullam totius Græciæ gentem cum Arcadum gente esse comparandam. Viribus quoque, ac bellandi virtute cæteris omnibus Græcis longe Arcades præstare. Neque Lacedæmonios unquam Atticam intrasse sine Arcadibus, neque Thebanos unquam in Peloponnesum venire au- E sos fuisse, nisi confisi essent Arcadum societate. Debere quidem Arcades hæc attendentes non tam facile alios sequi, sed se quoque Principes Græciæ meminisse. *Hac*, inquit, *ignavia, & incuria Lacedæmonios dudum super cervices vestras crescere sivistis, & nunc Thebanis, nisi caveatis, vos ipsos, Peloponnesumque subjicietis, alteros nimirum Lacedæmonios illos facientes*. Arcades vero hæc audientes, elati sunt animis, & Lycomedi, quantos nulli unquam, honores tribuerunt, ejusque ductu omnia ministrabant. Cæterum Thebani hæc sentientes suspectos F Arcades habere cæperunt, ac segniores fieri ad bellum prosequendum. Et simul discordiæ quædam Arcadibus cum aliis Peloponnesi Populis, qui prius erant in fœdere, propter hujusmodi arrogantiam subortæ sunt, maxime vero cum Eliensibus, & Messeniis, quod oppida eorum Lacedæmoniis ademta, reddere sibi Arcades noluissent. Nec multo post Lycomedes autor fuit, ut Arcades cum Atheniensibus fœdere jungerentur, cujus

Onio mons.

Lacedæmoniis a Dionysio Syracusano auxilia mittuntur. Hispani, Galli.

Arcadum & Thebanorum dissensio. Lycomedis Mantinæi factum.

Arcadum laus.

Arcadum ab Eliensibus & Messeniis dissensio.

Arcadium cum Atheniensibus concordia. Lycomedes interficitur.

fœderis ineundi gratia cum Lycomedes ipse Athenas profectus esset, compositis rebus inde revertens, ab exulibus interficitur. Fœdus tamen cum Atheniensibus initum duravit, licet autore sublato.

Verum hæc Atheniensium cum Arcadibus inita conjunctio, aliud incommodum post se traxit: Nam Corinthii, qui prius erant in Atheniensium, Lacedæmoniorumque societate, suspicionibus conceptis præsidium Atheniensium commorari amplius penes se noluerunt, aperteque tandem deficientes ad Thebanos inclinarunt, ea tamen lege, ne contra Lacedæmonios auxilia mittere cogerentur.

Achai Thebanis conjunguntur.

Per idem tempus Epaminundas Thebanorum Dux Achæos, quorum magna erat autoritas, Thebanis conjungere statuit. Cujus rei gratia cum exercitu profectus, civitates eorum omnes mirabili successu in Thebani Populi potestatem redegit. Magna profecto res, ac præclara, & ingens accessio potentiæ, si modo conservata esset. Sed postquam Epaminundas cum exercitu abscessit, Thebanorum Magistratus ad civitates Achæorum missi, dum populares contra nobilitatem fovent, ac seditiones concitant, causa fuere, ut a Thebanis deficerent, ac in Lacedæmoniorum societatem amicitiamque concederent. Inter hæc Elienses Arcadibus infensi, quod oppida sibi non redderentur, desciscentes a comuni societate Thebanorum ad Lacedæmonios redierunt, ex quo mirabilis quædam rerum confusio secuta est. Arcadibus enim adversus Elienses bellum gerentibus, Thebani, & Athenienses inter se hostes auxilia submittebant. Eliensibus autem Lacedæmonii, qui erant in societate Atheniensium, copias suas præbebant adversus Arcades. Certamen hujus belli maximum fuit: primo circa Cromium, deinde circa Olympiam. Arcades enim magna vi recuperato Cromio, quod oppidum paulo ante sibi Elienses abstulerant, tandem ipsi profecti per illud ipsum tempus, quo celeberrimum quinquennale certamen in Olympia futurum erat, occupato Jovis Olympii templo, pulsis ac deterritis Eliensibus, ipsi certamini præesse voluerunt, & apparatum fecerunt ad multitudinem recipiendam, exhibendaque certamina. Cum vero dies certaminum advenisset, Elienses convocatis primo sociis, & apparatibus palam factis, in Olympiam venire constituerunt vi, & armis illegitimos templi occupatores expulsuri. Jam ludi fiebant, cum Eliensium copiæ supervenire conspectæ sunt. Cursus enim equorum, quadrigarumque, & hominum in stadio decurrere solitorum peracta solennitas erat, pugiles ut in certamen descenderent, expectabatur. Inter hæc igitur Elienses venire conspecti sunt, & Arcades illis obviam facti, super Cladaum fluvium, qui non longe ab Olympia decurrens in Alphæum cadit amnem, prælium commiserunt. In eo loco victi, ac profligati Arcades usque ad templum Jovis Olympii præcipites aguntur. Templum quoque ægre defensum ab iis, qui de muris templi telis, ac lapidibus repugnabant. Atqui cum Arcadibus erant Archivorum quidem ad duo millia peditum, Atheniensium vero equites quadringenti, ipsorum vero Arcadum multitudo ingens qui victi ab initio, atque pulsi, cum se tandem circa templum conglobassent, pugnam adæquarunt. Elienses igitur cum pervincere templum nequirent, ac simul ab æde Vestæ, & a theatro cæterisque continentibus ædificiis telis, lapidibusque ferirentur, ac sol jam occideret, subducta paulatim acie in sua se castra recepere. Arcades vero tantus terror ex hujus diei pugna pervaserat, ut secutura mox die neque defendere templum, neque prælium sustinere posse confiderent. Itaque per noctem cæsis undique arboribus, aditisque præclusis, intra munitiones consistentes, nec usquam exire ausi, obsessorum more Olympiam defenderunt. Et certamina quidem in Olympia per hunc modum transierunt. Postmodum vero discordiæ maximæ inter Arcades ipsos consecutæ sunt, ob pecunias ejus templi, quas alii erogandas ad belli sumptus, & custodiam templi, alii nullo modo attingendas esse censebant, ac potius reddendum Eliensibus templum, quam sese, natosque suos tanto belli sacrilegio inquinarent. Hæ discordiæ longius agitatæ, ad extremum pacem inter Elienses, Arcadesque peperunt, pervincente ea parte, quæ salubriore consilio non attingendas pecunias templi, *nec Deorum iram in se provocandam suadebant*. Quippe necessarium fore videbatur, diffidentibus Arcadum animis, aut pecunias illas in conductum militem erogare, aut templum deserere. Atqui erogare templi pecunias plurimi Arcadum non ferebant, deserere autem templum, alii non patiebantur. Media igitur via potior visa est, pacis videlicet, atque concordiæ. Hujus ergo pacis ineundæ gratia cum singularum Arcadiæ civitatum legati apud Tegeam urbem convenissent, ac tandem pax recepta, jurataque foret, gaudio, & lætitia, festisque & conviviis Arcades exultabant.

Achæorum a Thebanis ad Lacedæmonios defectio. Arcadium bellum cum Eliensibus. Olympiorum certamen. Cladaus fluvius. Arcades ab Eliensibus vincuntur. Olympia obsidetur. Arcadum cum Eliensibus pax. Tegea urbs.

Thebani Præfecti facinus.

Erat in Tegea urbe Thebanus quidam Præfectus, habens præsidium copiarum satis magnum, cum quo urbem illam tutabatur. Is indigne ferens, quod absque communi Thebanorum decreto, ipsi per se pacem iniissent, irritatus etiam ab ea parte Arcadum, qui paci adversabantur: missis confestim per urbem militibus autores, suasoresque pacis de medis conviviis arripi jussit. Studuit verum plurimum Mantinenses Legatos capere: sed illi, quod propinqua erat Mantinea, statim jurata pace domum abierant. Cæteri ergo detenti, & in custodiam traditi cum essent, Mantinenses celeriter aliis civitatibus Arcadiæ hæc nuntiarunt, & in armis singulas esse jusserunt. Ipsi autem legatione ad Præfectum missa, ut nullum, neque ex Mantinensibus, neque ex aliis Arcadibus, quos cepisset, absque judicio necaret, edixerunt. Paratos enim se fore suorum hominum delicta cognoscere, ac pro meritis illa punire. Docuerunt insuper Arcadiam totam esse in armis, nec passuram homines suos ludibrio haberi. Thebanus igitur Præfectus majorem formidans motum, captivos dimisit, fingens deceptum se, quod Lacedæmonios audisset venire ad Tegeam capiendam opera quorundam Arcadum, eaque suspitione illos retinuisse, quoad videretur verumne, an falsum esset, quod illi fuerat suggestum. Nec sane Ar-

Mantinea.

cades ob hanc Præfecti contumeliam a societate Thebanorum desciverunt, sed Thebas missis oratoribus Præfectum accusarunt, ostendentes, ultimo supplicio digna commisisse, nec per eum stetisse, quo minus res sociorum in Peloponneso everteretur.

Epaminundæ responsum Arcadibus datum.

Epaminundas per id tempus Magistratum gerebat, qui auditis Arcadum querelis, non satis clementer Legatis respondit: Rectius, inquit videtur fecisse Præfectus Thebanus cum autores pacis cepit, quam cum eos dimisit. Nam cum vestri causa nos in bello simus, nonne proditioni simillimum est vos ipsos pro vobis pacem fecisse, nos in bello reliquisse? Abite igitur, inquit, atque illud scitote: nos cum exercitu venturos esse in Arcadiam, atque bellum una cum illis, qui nobiscum sentiunt, gesturos. Hæc Epaminundæ verba cum relata essent in communi Arcadum concilio, Mantinenses cum magna parte civitatum Arcadiæ statim defecerunt a Thebanis, & ad Lacedæmonios missis oratoribus, sese cum illis societate, & fœdere conjunxerunt, ea moderatione principatus, ut dum in Arcadia gereretur bellum, Arcades ipsi ducerent: dum in Lacedæmoniorum locis, Lacedæmonii Duces essent. Excitaverunt quoque Elienses, & Achæos, ut ad Peloponnesi defensionem contra Thebanos insurgerent. Neque enim aliud moliri Thebanos, quam ut civitates Peloponnesi adinvicem conflictentur, atteranturque, quo ipsi postea non difficulter illis dominari possint.

Arcadum a Thebanis defectio.

Tegeatæ, Megalopolitæ, Asteatæ. Pallantes.

Dum hæc in Peloponneso geruntur, interea Epaminundas Dux bello a Thebanis præfectus copias impigre parabat. Ad domesticum enim equitatum, peditatumque, insuper ex Thessalia, & Eubœa, & Bœotia satis magna auxilia supervenere. In Peloponneso autem a sociis ejus adventus expectabatur. Erant vero Argivi, & Messenii, & Arcadum ea pars, quæ cum Thebanis remanserat, in qua fuerunt Tegeatæ, & Megalopolitæ, & Asteatæ, & Pallantes, & si qua parva oppida inter hos constituta sequi illos cogebantur. Epaminundas igitur cum omnes convenissent copiæ, celeriter profectus in Nemæam duxit. Cum tamen eo pervenisset, aliquot dies circum ea loca desedit. Causa vero & properandi prius, & postea commorandi, fuit: quod Atheniensium copias Lacedæmoniis, Arcadibusque auxilio profecturas, si terra iter facerent, per ea loca transire necessarium erat. Itaque magnam spem habuit opprimere illas posse, quod si contingeret, magnam belli partem confectam fore arbitrabatur. Dum in Nemæa commoratur Epaminundas, adversarii omnes apud Mantineam convenerunt. Id cum ille cognovisset, simulque certior factus esset, Atheniensium copias terra quidem iter facere posse desperasse, mari autem constituisse Lacedæmona petere, movens ipse ex Nemæa in Tegeatas pervenit. Ibi susceptis amicorum, sociorumque auxiliis, intra Tegeam urbem exercitum omnem induxit, nec primum illius industria laudata est, quod castra intra mœnia collocarit, ubi non solum magis tutum sibi fuit degere, verumetiam magis occultum quicquid facere moliretur, magisque sui consilii, ac deliberationis, quando pugnam inire, aut differre vellet. Ipse igitur cum exercitu intra Tegeæ mœnia consistens, occasionem rei bene gerendæ præstolabatur, ad singula vigilans, atque intentus, hostium consilia, atque progressus, ne quid se lateret, mira sagacitate scrutabatur.

Cum hostes, ut diximus, apud Mantineam convenissent, nec longe ab eo loco Epaminundas cum exercitu esset, pugnamque fore speraretur: Agesilaus Lacedæmoniorum Rex crebris nuntiis evocatus cum Lacedæmoniorum multitudine Mantineam petere, ac sese cum sociorum copiis conjungere statuit. Hæc igitur Epaminundas observans, postquam Agesilaum egressum cum exercitu, & jam in Pelleneos devenisse cognovit, repente copiis eductis Lacedæmonem ipsam petere contendit, adeo celeri, & improviso itinere, ut, nisi Deorum beneficio quidam ex Creta eques festinato cursu id Agesilao nuntiasset, prius capta fuisset Lacedæmon, quam venire hostes cognovisset, præsertim cum esset defensorum vacua, cunctis, qui militare poterant, in expeditionem egressis. Sed Agesilaus intellecto periculo, statim Lacedæmonem cum recurrisset, ac prævenisset Epaminundæ adventum, locaque opportuna propere occupasset, ex manifestissima clade patriam servavit. Epaminundas, postquam redisse Agesilaum, & urbem defendi posse cognovit, expectare noluit, dum copiæ hostium, quæ erant apud Mantineam, Lacedæmona venirent, sed aptiorem sibi locum ad bellum gerendum Tegeam arbitratus, unde profectus erat, copias reduxit.

Agesilaus patriam ex clade servavit.

Epaminundas fama crevit.

Cæterum ex hoc Lacedæmoniorum periculo in tantum statim fama Epaminundæ crevit, ut hostes maxime illius ingenium, ac magnitudinem animi formidarent, *putantes neque consilium mirabile in rebus maximis, neque audaciam in conficiendo illi deesse*. Itaque & cavendum, & observandum hominem diligentius statuebant. Sed cum Atheniensium magna equitum auxilia supervenissent hostibus, magnas insuper Arcades ipsi, & socii copias haberent, magnas Lacedæmonii quoque conjunxissent, hostes sub dio castra faciebant. Epaminundas vero ab initio, ut constituerat, copias suas omnes intra Tegeæ mœnia continebat, nec longe aberant hostes, multitudine sua confisi. Cum aliquanto per hunc modum stetissent, Epaminundas pugnare statuit, jampridem apud animum suum constituto, quemadmodum pugnam committere deberet. Itaque dixit militibus, ut se ad prælium pararent, intra paucos certe dies futurum. Illi vero læto clamore operam polliciti, ad apparatum belli convertuntur. Eratque operæ pretium videre galeas alios tergentes, alios gladiorum, pilorumque cuspides acuentes, alios scuta dilucidantes, alios fræna, & ornamenta equorum aptantes. Hæc enim Epaminundas fieri jusserat, & inspector aderat singulorum, dum agerentur. Cum satis apparata visa sunt omnia (quod bonum, faustumque sit!) arma capere, simulque curare corpora milites jubet. Ea vero cum facta essent, copias educit, nec ad hostes recta contendit via, sed relictis ad dexteram hostibus, ipse alia via planitiem transgressus ad montes pervenit, ibique milites consistere,

Epaminundæ virtus in struenda acie.

& arma ponere jussit. Qua ex re spem hostibus dedit quasi castra metari eo in loco vellet. At ipse per hoc maxime tempus aciem struebat. Quicquid enim roboris in toto exercitu habuit, prima fronte collocavit, existimans id quod evenit, si primo impetu dissipati forent hostes, necubi postea consistere valere. Itaque omne robur in frontem contrahens, solidissimam, ac robustissimam aciem fecit, quasi rostrum navis, quod impetu sit perrupturum. Cæteras vero acies magis ad speciem, quam ad usum aliquem struxit. Quarum unam montem conscendere, contraque Athenienses, qui seorsum castra fecerant, stare jussit, quo metu circumventionis eos suo loco distineret. Cum structa esset acies, repente movit, ac celeriter ad hostem instructus, paratusque magno pugnandi ardore contendit. Hostes vero ut pote qui primum alio progressum itinere conspexerant, ac postea munire castra illum credebant, expectationem omnem posuerant ea die præliandi. Itaque cum supervenire illum conspectum est, trepidi omnes, atque incerti modo arma induere, modo equos frænare, modo suos vocare properabant, quasi attoniti, ac de resistendo potius, quam de vincendo cogitantes. Occursum est tamen, & quantum angustia temporis patiebatur, acies ab hostibus tumultuarie structa, sed nihil fefellit Epaminundam ex his, quæ cogitaverat. Nam cum in hostes magno impetu delatus fuisset, eos tandem post acrem, vehementemque pugnam vi, & armis, & pectoribus ipsis perfregit, dissipavit, in fugam vertit. Fugientibus vero hostibus plurimum auxilio fuit Epaminundæ vulnus, qui dum in prima fronte cominus hostes frangit, hasta transfixus est. Itaque dum milites studium, & amorem suum Duci præstant, hostem persequi destiterunt. Ex quo factum est, ut ex tanta victoria non magna strages fuerit hostium. Præter illos enim, qui dimicantes in acie ceciderant, in ipsa fuga non ingens multitudo periit, negligentibus Epaminundæ militibus eos persequi, sed circa Ducem, tanquam apes circa Regem suum se conglobantibus. Epaminundas ex vulnere paulo post spiravit. Victoria tamen manifestissime parta, Lacedæmoniis principatu ademto, & autoritate potentiaque omni ad Thebanos victores traducta. *Ita principatus Græciæ ab Atheniensibus ad Lacedæmonios, rursus ad Thebanos mirabili fortunæ conversione devenit.*

Acies instar rostri navis instruitur.

Epaminundæ victoria.

Epaminundas vulneratus.

Epaminundas ex vulnere spirat. Principatus Græciæ ad Thebanos tandem devenit.

F I N I S.



WOLFGANGI LAZII,

MEDICI ET HISTORICI CÆSAREI,

GRÆCIÆ ANTIQUÆ,

VARIIS NUMISMATIBUS ILLUSTRATÆ,

LIBRI II.

AD DIVUM FERDINANDUM ROMANORUM IMPERATOREM MAXIMUM,

ET

MAXIMILIANUM BOHEMORUM REGEM SERENISSIMUM.

Ad Sacratiss. & Invictum D. g. Rom. Imp.

D. FERDINANDUM,

PRIMUM, GERMANIÆ, HUNGARIÆ, BOHEMIÆ, DALMATIÆ, CROATIÆQUE, &c. REGEM, ARCHIDUCEM AUSTRIÆ, DUCEM BURGUNDIÆ, BRABANTIÆ, STYRIÆ, CARINTIÆ, CARNIOLÆ, ET SILESIÆ, &c. MARCHIONEM ISTRIÆ, BURGOVIÆ, LUSATIÆ, &c. LANDGRAVIUM ALSATIÆ, &c. COMITEM HABSPURGI, TYROLIS, ET GORITIÆ, &c. DOMINUM SUUM CLEMENTISS.

WOLFGANGI LAZII,

VIENNENSIS, MEDICI ET HISTORICI CÆSAREI,

PRÆFATIO.



IN bello Persico, Imp. Invictiss. quod Xerxes res adversus Græcos suscepit, fertur ex captis sciscitatum esse, qui interea dum tanti motus essent, & quid in tanto discrimine agerent Græci? Respondisse vero tum captos, Olympia ac Gymnica certamina celebrare: & cum de præmio ulterius interroganti, coronam ex olea contextam tantorum laborum bravium subjecissent, hic Arthabani filium conversum ad Mardonium dixisse infœliciter Persas in Græcos esse concitatos, qui non pecuniarum gratia certamina susciperent, sed virtutis ac laudis ergo. Vox me hercule Græco dignior quam barbaro, confirmans nimirum multorum conceptas in literas meliores cogitationes, in hoc deploratissimo seculo & Musis adversissimo. Jam enim quotusquisque est, qui non vitæ suæ rationes omnes eo conferat, ut aurum argentumque coacervet, & ad ingratos hæredes transmittat, posthabitis honestis studiis, quibus ingeniorum fœlicitate prodesse, & patriæ laudem comparare posset, & ne turpi ocio sordesceret virtutis magis callem, quam vitiorum viam expeditam ingrederetur. Quas tametsi honestas vitæ rationes, jam undequaque non solum contemni, sed maximopere & ubique jam explosas esse, certo sciam. Ob hanc præcipue causam, quod præmia nulla doctissimus quisque suis condigna laboribus proposita videt. Ego tamen secutus Themistoclis peritissimi ac strenuissimi Athen. Ducis dictum, *desidiam esse hominis vivi sepulturam*, in quiete ista, quam M. T. S. mihi suspenso maximo Numismatum opere hocce anno clementer largita est, ne ullus mihi dies sine linea transiret, Græciam non quidem illam desolatam ac barbaram, sed antiquam ac florentissimam perlustravi, quam prolixe partim Pausanias, partim

Strabo sunt prosecuti: Idque feci ut symbolorum, quæ in numismatibus antiquissimis Græciæ Rerump. cernuntur, veras explicationes consequerer. Accidit autem in illa perlustratione, dum omnia susque deque considero, & mihi nihil reliqui facio, arreptus nescio quo desiderio ejus penitius cognoscendæ & telluris & Reipub. peregrinationem utriusque, ut est literis mandata, radio delineare inciperem, eumque laborem subii, non magis ut vel Ptolemæo vel Sophiano derogarem, quos eo in stadio quondam cucurrisse constat, sed maritimam magis oram, quam mediterraneam emensos, quam ut locis tum Poetarum, tum Historicorum, ex tam anxia & accurata delineatione lux quædam accederet. Sic projecta in plano Græcia, & omnibus suis, non solum sinubus, promontoriis, littoralibusque instructa, verum adeo etiam minimis oppidis, castris, nemoribus, montibus, vallibus, fluviis, rivulis, tumulis, templis ac portubus adnotatis, quoad ejus fieri potuit quam brevissime in angustis his tabellis, talem complexus sum, utriusue tam Helladis quam Peloponnesi chorographiam, qualem propria mea manu ære sculptam M. V. S. & nato ejusdem Regi Sereniss. sacri denique cubiculi præfecto Achati tuo fidissimo Martino Gusmano offerimus. Quam dum operam superiori hyeme facio, nimis ac minimis quibusque anxius, placuit non solum Poetarum, illa nova loca sive potius locorum & tractuum nomina, testimoniis fulcire, qui utraque in Rep. clari habentur, verumetiam non sine ingenti sumptu ac sudore, adjecto commentario, tam angusto præsertim tempore conscripto, singularum Rerumpub. voluimus simul & civitatum exordia, nominumque rationes, causasque mutationum vel loci vel fortunæ pervestigare, & tot Heroum, Regumque genealogias conquirere, qui rerum in Græcia cum ante bellum Trojanum, tum post excidium istud potiti, immortalitatem a Scriptoribus nobilibus fuere consecuti. Quo in labore, me non minimum optimus & doctissimus vir Jacobus Milichius Medicus missis tabellis quibusdam juvit. Dum hoc in pistrino sum, paucis admodum retroactis mensibus, diverti & ad singulorum populorum migrationes, Coloniasque alio terrarum deductas & civitatum provinciarumque insignia ex antiqua partim moneta desumpta, partim autorum commemoratione expressa. Quibus omnibus adjecimus res præclare gestas, consuetudines, ritus, denique quando & qua occasione amissa paulatim majestate & potentia veteri, servire cœperint singuli, & quibus, & qui factum sit, ut a Macedonum imperio adsertos hos Romani postremo juris sui fecissent. Id me Hercule non laboris vulgaris, sed pene infinitæ fuit & memoriæ & lectionis, & in quo soli mihi Pausanias & Strabo satisfacere haud poterant. Evolutis igitur Diodori Siculi, Dionysii Halicar. Thucydidis, Xenophontis, Dionis, Appiani Alex. T. Livii, Flori, Velleii, aliorumque commentariis, paulo altius repetens, rem adgressus sum ingenio nostro multis præsertim aliis districto superiorem, ac præsentes commentarios rerum Græcarum sine omni verborum lenocinio, & nunc toto trimestri consarcinavi. Quas T. S. M. etsi satis immaturum fructum offero, cum ut ocii mei rationem redderem, tum ut de bonis literis ac studiosorum ingeniis bene mererer. Idcirco (quod perpetuo in more habeo) & Poetarum

teſtimoniis hæc qualiacunque ſunt mea, & ornavi & locupletavi. Ut dum Græcam Remp. depingo, duplici labore perſunctus, duplicem quoque utilitatem apud lectorem deponerem, nodos videlicet autorum explicando & varias de rebus variis ſententias conciliando. Quorum teſtimonia prolixe de induſtria interdum, & ad nauſeam uſque inſerui, honorem partim tam fœlicibus ingeniis, qui longe nos intervallo relinquunt tribuens, partim, ut fidem aſſertionum noſtrarum majorem conciliarem. Quibus rebus non ſolum ſitim illam indagandæ vetuſtatis exiſtimavi me extinguere poſſe, verum etiam ordinem quendam credebam in fœturis meis obſervaſſe, ut videlicet poſt Rom. Remp. annis ab hinc ſex evulgatam, noſtram præterea Germanicam, quam magna ex parte in migrationum libris attigi, illa vetuſtior etiam ſequeretur, quæ merito primum locum habere debuiſſet, niſi majore ſtudio ad domeſtica, quam ad exotica duci videamur. Etſi autem Græciam illam florentiſſ. Rempubl. longe doctiſſimus vir Nicolaus Gerbelius Phorcen. ſic ſatis ſuis illis ornatiſſ. commentariis complexus ſit, tamen ultra ſitum terrarum civitatumque, ac quorundam montium, ſinuumque deſcriptiones non eſt progreſſus. Sophianæ ſcilicet Corographiæ inſerviens, quæ nimis generalis eſt, & unde tot dubia autorum ac præcipue poetarum lector non intelliget. Nos (ſine arrogantia dictum ſit) præter autorum conciliationes, Heroum genealogias, Ducum præclare geſta, inſignia civitatum, ac Rerump. coloniaſque inde deductas, conſuetudines denique ac ritus & res cum laude geſtas cujuſque, diligenti examine perſcrutati ſumus. Idque ut ingenue fatear feci, ut priores Reſp. a nobis evulgatæ tertiam illam haberent quaſi adminiculantem, quippe ex qua utraque proceſſit. Hic ſive de infantia mea, ſive de benemerendi præpropero ſtudio fateri cogor, utramque de qua præfati ſumus Remp. hoc eſt, Romanam ac Germanicam immaturum eſſe partum, & ante tempus præceptos labores, qui & inquiſitione longiori & phaleris ſplendidioribus opus habuiſſent. Id vero factum eſt, non ulla aucupandæ gloriæ gratia, ſed quod valetudini, & fortunæ non ſatis fidens ad ſcopum mearum cogitationum nimis feſtino, hoc eſt, Rerum Austriacarum Commentarios, quos ſolos cupio noſtri memoriam relinquere, & qui præmiſſi illis, de quibus loquimur, Rebuſp. & melius intelligentur, & Sereniſſimam illam Austriæ domum, vel hoc nomine commendare poſſunt, quod ampla ſpes ſit, hanc illas ipſas Reſp. Chriſti Numine propitio olim e ſervitute vindicaturam. Non ſum vero ignarus pleraque in prima me editione illarum aut non attigiſse, aut obſcure ſcripſiſse, multa quoque abſenti, præſertim in icone caſtrametationis perperam eſse Baſileæ expreſsa, quæ ad ſecundam editionem fœnore reſtituentur omnia. Id quod præmonere lectorem de præſentis operis editione volo. Nam præter hoc, quod verborum lenocinium deſiderabit, requiret forſitan, & characterem meliorem lector, & ſculpturam in Chorographiis manifeſtiorem, magiſque artificioſam, & quod Græcis teſtimoniis careat, culpabit totum. Quibus reſponſum ſit, æmulatione quorundam ac inſidiis compulſum me eſse, ut abortiverim fœtum hunc, quem geſtare ut diutius vo-

lui, si licuisset per illos, ita sperabam fore, ut secunda editione, quam Basileæ meditor, & M. T. S. & æquo lectori satisfiat, ubi & characteres & sculptores, correctoresque longe optimi sunt, & Græci typi sincerissimi redundant. Agnosces INVICTISSIME IMPERATOR, imo ignosces meæ arti, quam in sculpendo ære titubantibus meis manibus non satis fœliciter consecutus sum, ob insignem vero penuriam eorum artificum in Austria, subire nolens volens coactus sum. Hic rursus nimis metuo, ne ex nasutorum hominum numero aliquis prodeat, & objiciat mihi cur in alienam messem falcem miserim, & qui Græciam nunquam perlustraverim, de ea tamen Commentarios contexere ausus sim, ac sufficere Pausaniæ clamabit, ac Strabonis labores, qui oculis singula perlustrarint. Quibus breviter respondeo, aliud esse hodœporica conscribere, & aliud illa explicare, & inter se conferre, & quæ cui desunt ex alio adjicere. Situm locorum Strabo prolixe, & dextre delineavit. In genealogias heroum ac nominum provinciarumque initia Pausanias cumprimis incubuit. Diodorus fabulas miscuit, Livius, inclinantem Remp. Græciæ, in quarta & quinta Dec. attigit, florentem Xenophon & Thucydides, Homerus, Ovidius & Papinius ad multa sæpe loca alludunt, quibus Sophiana Chorographia caret, eaque vix lector intelliget, nisi collatione diligenti authorum, quam nos hocce opere, quoad ejus fieri potuit, diligentissime observavimus, cognoscat statum simul florentis inclinantisque Reip. ac omnino deficientis, quæ a singulis populis coloniæ sunt deductæ, ubi ruinæ & quibus hodie nominibus hæ appellentur. Neque vero Græciam illam barbaram his Commentariis describimus, Turcarum tyrannide pressam, in qua tantum abest, ut vetusta nomina authoribus celebrata supersint, vel corrupta etiam, ut ne ruinæ quidem amplius maximarum civitatum supersint. Quam olim Reverendiss. ac simul Doctiss. vir D. D. Antonius Urantius Episcopus Agriensis, olim in lucem proferet, ut qui legationibus suis Thraciam præsertim, ac minorem Asiam peragravit, & in Geographorum lectione quam versatissimus est. Interea dum illa adornantur, ut rerum Græcarum studiosis prodessem, simul & mea tam anxio labore parta non perderem, veterem libuit illam, ac florentiss. Græciam in harenam producere, & M. T. S. ejusve nato Maximo regi Æmiliano, quorum liberalitate vivo, consecrare ac tantisper expectatione illa animum utriusque confimare, dum Basileæ omnia illa & auctiora & ornatiora prodeant. Tuum erit Sacratiss. Cæsar, Lysandri splendidissimi illius Spartanorum ducis vere aureum dictum animo tenere, qui eam Remp. maxime probabat, in qua fortibus viris & meticulosis congrua utrisque redderentur, innuens nimirum virtutem invitari præmiis, ignavos vero excitari ignominia, quemadmodum apud Homerum similiter stomachatur Achilles, idem honoris haberi ignavis ac fortibus. His me Sacratiss. tuæ Majest. humillime commendo ac dedo.

CARMEN AUTHORIS
AD DIVUM
FERDINANDUM IMPER.

F ertur ab Iſmariis peſtem Tirynthius heros
E jiciens, dominum & ſimul occidiſſe quadrigas:
R arus ab exemplo: cecidit quoque juſſus ab ore
D ivi, animæ patriam præponens Codrus, & iſte
I mmemor in paucis, qui tum diſcrimen adibat,
N on parcens pepulit, qui terque decem urbe tyrannos.
A rte licet plures ſibi, ſed FERDNANDE labore
N omen in orbe paras, diva & pietate redundas,
D ona ferens templis aris & reddis, honores
U ngariæ ſervas, Marte æquo & fœdere regnum
S ervas Auſtriadum nunc (o mea viſcera) terras:
C haram igitur patriam cum ſerves, maxime CÆSAR,
Æ ternam acquires laudem: ſic Herculis atque
S ub te Cecropidam linques: ſic altus utrumque
A vinculis redimens referes, cum Græca trophæa
R es cujuſque locos & ſtemmata ſcripſimus iſtis.

INDEX CAPITUM.

WOLFGANGI LAZII
MEDICI ET HISTORICI CÆSAREI,
GRÆCIÆ ANTIQUÆ, VARIIS NUMISMATIBUS ILLUSTRATÆ,
LIBER PRIMUS.

CAP. I.
DE THRACIA.



THRACIA tametsi ad Græciam a vetustis Geographis non referatur, nos tamen vel ob commercium perpetuum quod Thracibus cum Græcis fuerat (ut vel Terei historia docet, quæ apud Ovidium v. *Met.* extat) vel quod imperii sede apud Byzantium constituta, Græca simul ibi lingua exculta extiterit: Imo Græci Imperatores hanc provinciam tanquam regiam elegerint, de Græcia scripturi a Thracia auspicari voluimus. Quam Ptolomæus lib. III. *Tab.* Europæ III. definit ab Oriente Propontide, & ore Ponti, quod vocatur Bosphorus Thracius; ab Occasu vero Mysia superiori, & parte Macedoniæ ad Orbelum montem; a Septentrione Mysia inferior; & a Meridie parte Macedoniæ, quæ esti ad Nessum fluvium & Melani sinum: Cui adhæret Cherronesus, ubi maria, Propontis & Hellespontus, hodie *Stretto de Callipoli* dicta, quibus videlicet ex Ægypto annonæ Constantinopolim invehuntur. Isthic quoque Sestos & Abydus Milesiorum coloniæ (in angustissimo freto, quod Europam Asiamque intercidit, stadiorum omnino, ut Strabo advertit, septem, a Xerxe ponte junctum) Leandri ac Heros amoribus celebratæ, quæ tamen XXX. stadiis invicem distant. Celebres vero a Romanis in ea provincia, cum Barbaris isthic jam Græci coaluissent, Præturæ distinctæ fuere: circa Hæmum quidem montem, Danteletica, Sardica, Udicesica, Selletica; & versus Macedoniam, Mædica, Drosica, Cæletica, Corpialica, Cenica, Bessica: & prope Perinthum, ubi trajectus est Constantinopolim ex Romania (ita enim magnam partem Thraciæ, qui eam hodie incolunt, Turcæ appellant) *Cersi* vernaculo sermone dictus. Strabo VII. *Geograph.* Græcorum regionis in Thracia meminisse videtur, cum ait: *Trans amnem Strymonem vero usque ad Ponticum ostium atque Hæmum montem, cuncta sunt Thracum, excepto littore quod Græci tenent. Quidam sane in Propontide siti; plerique vero ad Hellespontum aut sinum Melanon, hoc est, nigrum, alii vero super Ægæo Pelago.* Idem *lib.* XIV. Hinc vero continens fluxum quendam accipiens, jam secundi & occidentalis lateris initium facit, usque in Propontidem & Byzantium. Sed cum Epho-

Limites veteres Thraciæ.

Regione Thraciæ.

A rus dicat XVI. nationes hanc Cherrhonesum incolere, tres Græcas, reliquas barbaras. In hoc igitur Thraciæ regno, ut Mela scribit, nec cœlo nec Sole læto homines quondam colebant & justitiæ observatores præstantissimi, & cælibes, ad quod alludens scribit VII. *Geograph.* Strabo. Scribit autem Posidonius Mysios religioni indulgentes, ab animantibus abstinere, & eam ob causam pecus omne vitare. melle vero & lacte & caseo vesci. Quumque tranquillam exagitent vitam, ob Deorum culturam Deicolæ & Capnobatæ, id est, fumi conscensores nominantur. Plerosque ThraB ces esse, qui sine mulieribus vitam ducant, quos Cristas, id est, Creatores nominant, sanctificatosque honoris gratia, omnimoda cum libertate victitare. Hos summatim universos Poetam dixisse, equarum mulsores & lactophagos insignes, Abios, id est, minime vivos homines, justitia præstantissimos præcipue, aut Abios appellant a mulieribus disjunctos. In eodem præterea regno, præter Orphea, quem fabulæ saxa cantu movisse referunt, (canente Ovidio I. *Metamorph.*

C *Ad regem duxere Midam, cui Thracius Orpheus*
Orgia tradiderat cum Cecropio Eumolpo.)

claruerunt reges Oagrius Orphei Poetæ pater, Lycurgus & Diomedes advenis crudeles, Tereus qui Prognen filiam Pandionis regis Athenarum hoc nomine secundi duxerat uxorem, Philomelæ in avem sui nominis versæ sororem (quam in VI. *Metam.* Naso fabulam recenset) Boreas, Zethus & Ceyx Alcyones maritus, in avem sui nominis cum conjuge conversus. Cygnus itidem in avem D sui nominis conversus. Præterea Trojani belli tempore in Thracia Rhesus ad famam venerat, Priamo auxilio profectus, cujus equos albissimos antequam Xanthum fluvium bibissent ex oraculo ad expugnationis occasionem Diomedes & Ulysses interceperant. Homerus porro Asium quendam Thraciæ regem celebrat avunculum Hectoris & Hecubæ fratrem, & Polymestora Maro.

Hos omnes autem post secula superavit corporis robore & divitiis Lysimachus Alexandri Magni Satrapa, qui in finibus Cherrhonesi civitatem a se nominatam construxit. E Cujus facies in vetusta moneta cornubus hircinis Diademati adsutis ornatur, cum Palladis sedentis symbolo in aversa, vel quia, ut Arrianus est autor, in vasto nemore obvium virum manibus corripuerit, vel quia illud peculiare Macedoniæ Principum insigne extiterit, quemadmodum & De-

me-


Mores Thracum.

Thraciæ reges antiquiores.

Historia Lysimachi. TAB. I. fig. I.

Insignia ac merita Lysimachi regis.

TAB. I.



metrius Antigoni, in perantiquo numiſmate ſculptus cernitur.

Et Plutarchus in *Vita Pyrrhi* nominatim ſcribit. His plerique Macedones mentem præſtabant, ac videre Pyrrhum queritabant. Pyrrhus autem ſtabat, detracta caſſide, ac rurſus eam capiti imponebat, ut inſigne Hircinorum cornuum noſceretur.

Livius *lib.* VII. *Decad.* cum Philippi Macedoniæ regis conflictum pro Achæis contra Ætolos ac Romanos deſcribit: *Expeditione ea*, inquit, *qua cum populatoribus agri ad Sicyonem pugnavit in arborem allatus, impetu equi ad eminentem ramum cornu alterum galeæ perfregit. Id inventum ab Ætolo quodam, prolatumque in Ætoliam, ad Scardiletum, cui notum erat inſigne galeæ, famam interfecti regis vulgavit.*

Cornuti reges Macedoniæ.

Plura lege apud Valerium Maxim. *lib.* V. *cap.* V. & *cap.* I. de Antigono Rege. Secuti ſunt Lyſimachum in regno Thraciæ, vel præceſſerunt Seuthes, quem Alcibiades Athenienſium imperio ſubjecit; Cotys, quem item Timotheus Cononis filius Athen. in poteſtatem ſubdidit. Et Rhytis ductus in triumphum a Cn. Octavio, capto Perſeo. Cujus Livius *Dec.* V. mentionem facit Romam legatos miſiſſe pro redimendo filio Perſeo.

Hiſtoria de Lyſimacho.

Revertor ad Lyſimachum, quem cornuto capite in veteri numiſmate repræſentari diximus. De quo viro duæ inſignes narrantur hiſtoriæ. Prima, quod ob Calliſthenem Philoſophum liberioris linguæ hominem, ab Alexandro Magno Leonibus objectus fuerit, quem tamen arte vicerat, & Philoſophum liberaverat. Unde Palladis nimirum imagine averſa in moneta uſus fuit. Secunda, quod ingentem theſaurum apud Pergamum Aſiæ a Philetæro relictum (Strabone *lib.* XIII. autore) comparaverit. Quem veriſimile eſt in Thraciam tuliſſe provinciam ſibi parentem: Et cum filium Agathoclem a Getis in Tranſylvania captum liberaret (ut Arrianus & Curtius autores ſunt) ſignaſſe aurum, cujus nimirum ingens vis per manus majorum ad Decebalum pervenit, qui objectam Thraciæ oram (modo in Tranſylvaniam & Tranſalpinam diviſam) incolebat. Quem virum bello peritum Imperator Trajanus ad mortem coegit, & cum majorum ſuorum theſaurum in Sargetia amne barbarus occuluiſſet, ut Dion eſt autor, captivorum opera, quos ſubinde necaverat, Bicule poſtremo indice qui moriturus ſuperfuerat, non vulgarem ejuſce copiam Romanus invenit, ut Monumentum teſtatur quod adhuc in Tranſylvania ſupereſt. Accidit vero, ut reliquum noſtra ætate Piſcatores Valachi, in fornice quadam aquis ſubjecta, arbore quæ ſupra creverat in ruinas concidente, eruerint. Unde Georgius Monachus & Multavi non dicendam vim auri aſportarunt, nummis etiam ex his bis mille ad Imper. FERDINANDUM perlatis, pondere cujuſque trium Ducatorum.

Numiſmata Lyſimachi in Tranſylvania reperta.

Sepulchra nobilia Thraciæ.

Redeo ad Thraciam, quam fabulæ & hiſtoriæ celebrant Orphei, Proteſilai, Hecubæ, ejuſque filii Polydori tumulis, filiæque Polyxenæ ab Agamemnone immolatæ iſthic.

Priamus enim de ſtatu Trojæ dubitans filium, cum magno auri pondere conſervandum miſerat Polymeſtori Thraciæ regi, antiquo hoſpiti amico & genero ſuo, ſed ille

A deleta Troja, cæteriſque filiis Priami omnibus interfectis, auri cupiditate adductus, Polydorum in littore ſpaciantem telis adgreditur, ac fruſtra fidem implorantem occidit, cadentique tumulum ſuperinjecit, cui ſupercrevere myrti virgulta, ut author eſt Virgilius *Æneid.* tertio. Id cum mater Hecuba reſciviſſet, ſimulavit ſe ingens adhuc auri pondus illi ſecreto indicaturam, quod pro filio acciperet, id avarus Rex credens mox ad Hecubam profectus eſt, & illius unguibus obcæcatur, ut Euripides in *Hecuba*, &

B Ovidius XIII. *Metamorph.*

Eſt, ubi Troja fuit, Phrygiæ contraria tellus,
Biſtoniis habitata viris, Polymeſtoris illic
Regia dives erat: cui te commiſit alendum
Clam, Polydore, pater, Phrygiiſque removit ab armis.
Conſilium ſapiens, ſceleris niſi præmia, magnas
Adjeciſſet opes, animi irritamen avari.
Ut cecidit fortuna Phrygum, capit impius enſem
C *Rex Thracum, juguloque ſui defigit alumni.*
Et tanquam tolli cum corpore crimina poſſent;
Exanimem ſcopulo ſubjectas miſit in undas.

TAB. I. fig. 2.

Et de Hecuba in Leonem Saxeum converſa cum oculos eruiſſet Thracum regi:

Sic Hecube, poſtquam cum luctu miſcuit iram,
Non oblita animorum, annorum oblita ſuorum,
Vadit ad artificem diræ Polymeſtora cædis,
Colloquiumque petit, nam ſe monſtrare relictum
D *Velle latens illi, quod nato redderet, aurum.*
Credidit Odryſius, prædæque aſſuetus amori,
In ſecreta venit: tum blando callidus ore,
Tolle moras Hecube, dixit: da munera nato.
Omne fore illius quod das, quod & ante dediſti,
Per ſuperos juro: ſpectat truculenta loquentem,
Falſaque jurantem; tumidaque exæſtuat ira.
Atque ita correpto captivarum agmine matrum
E *Involat, & digitos in perfida lumina condit,*
Expilatque genis oculos (facit ira valentem)
Immergitque manus: fœdataque ſanguine ſonti
Non lumen (neque enim ſupereſt) loca luminis haurit.
Clade ſui Thracum gens irritata tyranni,
Troada telorum, lapidumque inceſſere jactu
Cœpit. At hæc miſſum rauco cum murmure ſaxum
F *Morſibus inſequitur, rictuque ad verba parato*
Latravit conata loqui: locus extat, & ex re
Nomen habet.

Et de Polyxena ad aram mactata a Neoptolemo Achillis:

Placet Achilleos mactata Polyxena manes.
Dixit: & immiti ſociis parentis amore
Rapta ſinu matris quam jam probe ſola fovebat;

Lll lll lll l

Fortis, & infelix, & pluſquam fœmina virgo
Ducitur ad tumulum, diroque fit hoſtia buſto.

Fuerunt & alia Trojanorum in Thracia veſtigia. Æneæ urbs ab Ænea Trojano condita, dum illac in Italiam tranſiret, ad quam alludens canit Maro ſub perſona Æneæ, III. *Æneid.*

Littora tum patriæ lachrimans, portusque relinquo,
Et campos ubi Troja fuit: feror exul in altum
Cum ſociis, natoque, Penatibus, & magnis Diis.
Terra procul vaſtis colitur Mavortia campis,
Thraces arant, acri quondam regnata Lycurgo,
Hoſpitium antiquum Trojæ, ſociique Penates,
Dum fortuna fuit: feror huc, & littore curvo
Mœnia prima loco, fatis ingreſſus iniquis,
Æneadaſque meo nomen de nomine fingo.

Nobilitarunt hanc provinciam & prælia quædam ac victoriæ inſignes Athenienſium, videlicet cum Spartanis ad portum Cœlon, Auguſti Cæſaris & M. Antonii de Bruto & Caſſio victoria, poſt necem Julii Cæſaris. In hanc quoque tellurem Xerxes Perſarum rex ille potentiſſimus, copias ſuas ex Aſia trajecit, Helleſponto ponte juncto, qui & Athon montem excelſiſſimum perfodere conabatur, ut de reliquis præclare geſtis taceam, quæ iſthic, antequam in Romanam provinciam eſſet redacta, ſunt editæ.

Thracia facta provincia Rom.

Redegit autem in provinciæ formam primus ex Romanis Auguſtus Imperator; ex occaſione diſſidii, quod inter fratrueles Cotyn & Rœmetalcem erat exortum; quorum alterius ſibi filiam Romanus copulaverat. Poſt quæ tempora Tiberius Sycambrorum ſive legionem ſive cohortem præſidio inibi locatam habuit, cum Thraces rebellantes per Poppæum Sabinum contudiſſet, unde ſcribit Corn. Tacitus lib. IV. *Ann.* cap. XLVI. *Lentulo Gætulico C. Calviſio Coſ. decreta Triumphi inſignia Poppæo Sabino, contuſis Thracum gentibus, qui montium editis, inculti, atque eo ferocius agitabant. Cauſa motus, ſuper hominum ingenium, quod pati delectus, & validiſſimum quemque militiæ noſtræ dare aſpernabantur, ne regibus quidem parere niſi ex libidine ſoliti, aut ſi mitterent auxilia, ſuos ductores præficere, nec niſi adverſum accolas belligerare. Ac tum rumor inceſſerat, fore, ut disjecti, aliisque nationibus permixti, diverſas in terras traherentur.* Et ſubdit *ibid.* cap. XLVII. *At Sabinus, donec exercitus in unum conduceret, datis mitibus reſponſis, dum Pomponius Labeo e Mœſia cum legione, Rex Rhœmetalces cum auxiliis popularium, qui fidem non mutaverant, veniret: addita præſenti copia, ad hoſtem pergit.* Et concludens: *Hi dum eminus graſſabantur, crebra & multa vulnera fecere, propius accedentes, eruptione facta turbati ſunt, receptique ſubſidio Sycambræ cohortis, quam Romanus promptam ad pericula, nec minus cantuum ac armorum tumultu trucem, haud procul inſtruxerat. Tranſlata dehinc caſtra hoſtem propter, relictis apud priora munimenta Thracibus, quos nobis adfuiſſe memoravi.* Et nominans poſtea munimenta illa, Tarſam & Thureſim, hiſtoriam prolixe deſcribit. Ita pacata Thracia, qui ſecuti ſunt Imperatores civitates in ea maximas condidere Trajanus ac Hadrianus, quæ adhuc conditorum nomine ſuperſunt.

Thracia Rom. rebellat. — *Legio Romana in Thracia.*

Inſignia antiquæ Conſtantinopolis. TAB. I. fig. 3.

Conſtantinus denique Imper. ille magnus etſi e fundamentis inibi urbem nullam condiderit, Byzantium tamen veterem & liberam urbem (quæ in antiqua moneta Delphini anchoræ implicati, forte quod Plinio autore Delphini oſtia Iſtri dulceſcentia intrent ſupra Byzantium, itemque nudi hominis ſedentis ac aquam effundentis ſymbolo uſa conſpicitur) ita extulit, ædificiis ac prærogativis, nomine quoque ſuo dignatam, ut urbis æternæ Romæ videlicet jam tum æmula facta, Romani quoque Imperii ſedes altera ac quidem præcipua, electa fuerit, ubi adverſus Sarmatas, Dacos atque Gothos multas quotannis legiones Romani alebant: Fla. Vopiſcus ſcribit, Aurelianum Imper. ex Dacia legiones cum deperditam videret in Mœſiam ac Thraciam abduxiſſe: hæ fuerunt legiones XIII. & XIV. Liber præfecturarum ſub Arcadio & Honorio Impp. ſcriptus adverſus Gotthos & Hunnos, duas in Thracia excubaſſe legiones refert ex Ægypto adductas, primam Flaviam Conſtantiacam, & tertiam Diocletianam, quibus a Trajano adjecta fuit ſecunda Trajana, quæ fortaſſis condendæ Trajanopoli occaſionem dedit, ad quas alludens ſcribit in XIV. Marcell. *Emenſis itaque longis intervallis & planis, cum Hadrianopolim introiiſſet urbem Hæmimontanam, Uſcudamam antehac appellatam, feſſaſque labore diebus* XII. *recreans vires, comperit Thebæas legiones in vicinis oppidis hyemantes.* Itinerarium Antonini, Decimæ Herculeæ in finibus Thraciarum meminiſſe videtur.

Legiones poſtremæ Thraciæ.

Populi Thraciæ inhabitatores poſtremi.

Propter Gothos autem præcipue ita legionum præſidio firmatam Thraciam autumo. Unde Am. Marcell. *lib.* XXII. *cap.* VII. de Gothis ex Dacia in Thraciam excurrentibus ſcribit: *Quin etiam per Thracias omnes, cum munimentis reparans extimis, curansque ſollicite ne arma, vel indumenta, vel ſtipendium, vel alimenta deeſſent his, quos per ſupercilia Iſtri diſperſos, excurſibusque barbarorum oppoſitos, agere vigilanter audiebat & fortiter.* Et *lib.* XXVI. *cap.* VI. *Conſumpta hyeme feſtinans ad Syriam Valens, jamque fines Bithynorum ingreſſus, docetur e relationibus ducum, gentem Gothorum, ea tempeſtate intactam, eandemque ſæviſſime conſpirantem in unum ad pervadenda parari collimitia Thraciarum.* Idem autor *lib.* XXXI. *capp.* XII. XIII. prolixe deſcribit Gothorum in Thracias emigrationem ductoribus Fridigerno, Safrage & Alathæo. Qui populi a Valente Imp. intra Thraciam recepti, cum durius tractarentur a Maximo & Lupicino præfectis, adverſum ipſos profectum Valentem cum omnibus copiis delevere, relictaque Thracia, Pannonias occupavere: Poſt hanc gentem Romanis in Thracia, Imperatoribusque ibi perpetuo conſidentibus, negocium faceſſere, Sarmatæ, Hunni, Avares, Bulgari præterea, quorum adhuc reliquiæ in Thraciis manent, montibus præcipue ac convallibus Hemi, Orbeli, ac Rhodopes, gentilitia lingua hodie *Kriviczne*, *Karopnytze* & *Czervanivverty* nuncupatis. Poſtremi Turcæ fuere, procul ex Scythia, proditione fratris Imper. Conſtantini & Genuen-

sium perfidia per Bosphorum in Europam transvecti, anno salutis MCCCCLIII. qui hanc nobilem provinciam adhuc possident, Romanis omnino & Græcis magna ex parte confectis, ob veteres colonos tamen nomen provinciæ ROMANIA, ac Græcæ linguæ tametsi corruptissimæ fragmenta manent. Qua de re consule Zonaram, & alios qui Imper. Orientalium res gestas in literas miserunt.

Thasus Insula proxima Thraciæ. Videtur pertinere ad Thraciæ sive antiquitatem, sive splendorem Thasus Insula illius littori proxima, inter Strymonis & Nessi Ostia, hodie *Thaso* nominata, quam Auream a metallis Eustathius, Plin. *lib.* IV. cap. XII. Aeriam sive Æthriam a salubritate aeris appellatam autor est. Ubi vineas colere Phœnices, qui in hanc ex Asia sunt transgressi & Bacchus ab Osiride rege Ægypti dimissus cum per hanc transiret ad Lycurgum Thraciæ regem docuere. *TAB. I. fig. 4.* Unde in numismate Thasii, puta Phœnices de Agenoris stemmate, unde & Bacchus descendit Bacchi coronati imagine, ac Herculis symbolo cum inscriptione Herculi Servatori, usi reperiuntur. Quippe Tyrius Hercules, cui etiam antiquitas primi Herculis gesta attribuit, colebatur domibus ac pingebatur, bono divitiarum auspicio, præeratque inveniendis thesauris. Quare cum auri fodinas in hac Insula Phœnices invenissent, haud inepte ejus imagine usi fuere. Scribit enim Strabo Phœnices domo navigantes Thasum occupasse, & auri ibi venas invenisse, & vineas a Baccho edoctos colere cœpisse: Subscribit V. *Eliacorum* Pausanias, Thasii præterea qui prima ab origine Phœnices sunt, cum Thasum secuti Agenoris filium ad inquirendam Europam Tyro, & ex alia Phœnicia una enavigassent, Herculem in Olympia consecrarunt, *Hercules Thasiorum.* cujus basis quemadmodum & simulachrum, est ænea. Magnitudo simulachri cubitorum decem est, clavam manu dextra tenentis, sinistra arcum. Audivi item Thasi, eundem ibi Herculem oppidanos colere, quem Tyros. Postea autem Græcorum jam concilii factos participes & Herculi Amphitryonis filio divinos honores decrevisse. Quæ ejusmodi sunt ut Herculis symbolum in Thasiorum moneta satis explicant, nisi & illud addere velis, quod primo *Bibliothecæ* Diodorus scriptum reliquit, Osiridem Ægypti regem cum Bacchum dimitteret, Herculem & Antæum præfecisse. Sed quid sibi vult inscriptio quæ imagini Herculis adjecta est, HERCULI SERVATORI? forte quod inventis aurifodinis in Thaso insula Phœnices decimas illi voverint, ex antiquo more Græcorum, ut primo *Antiquitatum* Dionysius animadvertit. Laborantes enim sterilitate Pelasgi, omnium rerum Jovi, Apollini & Herculi decimas voverunt, & eorum quæ ipsis nascerentur in posterum, potitique voto, frugum omnium & pecorum portionem sortiti obtulerunt Diis quasi vovissent hæc sola.

Addit Diodorus Herculem, ob honorem illi a Latinis impensum, dixisse, quod quicunque ei decimas bonorum daret, vitam fœlicem victuros.

Bacchus Thasiorum. TAB. I. fig. 5. Recipio me ad Bacchi coronati imaginem, qua Thasos usos existimo, vel quod Bacchus ex Agenoris stemmate processerit, cujus filium Thasum cum Phœnicibus eam Insulam occupasse diximus, erat enim natus ex Semele Cadmi nata a Jove imprægnata. Cadmus vero & Thasus fratres fuerunt, vel quia Bacchus cum ad Lycurgum Thraciæ regem ex Ægypto proficisceretur, per hanc Insulam transire coactus fuerit, & ita vineas ibi colere docuerit, quod illi in more perpetuo fuisse, quacunque transiret, Diodorus refert.

Spectat ad hoc Historia, quam idem autor IV. *Bibliothecæ* recitat. *Tradunt Dionysum ex Asia in Europam cum exercitu transiturum, cum Lycurgo Tracum, qui sunt ad Hellespontum, rege societatem coiisse: cum fœminas primum in Thraces veluti amicos traduxisset, jussisse Lycurgum noctu milites suos Dionysum adgredi, ipsumque & pellices omnes obtruncare. His per quendam accolam, Tharopem nomine, cognitis, territus Dionysus, cum nondum transfretassent milites, amicorum præsidio, occulte ad exercitum transiit. Lycurgus pellices adgressus in loco qui appellatur Nysium omnes interemisse dicitur: At Dionysus exercitu traducto, Thracem pugna superatum, captumque privavit oculis, domesticis ejus cruci adfixis. Tharopi, memor beneficii, Thracum imperium concessit, tradito ei orgia celebrandi modo.* Hæc ille: ex quo etiam tertia ratio elicitur usurpati Bacchi, cum primo *Bibliothecæ* in hæc verba scribat. *Fuisse autem Osiridem studiosum agriculturæ tradunt, nutritum autem in Nysa fœlicis Arabiæ, & propinqua Ægypto, cum esset Jovis filius, unde & Græci a patre & loco Dionysum appellant.* Hujus urbis Poeta, qui in Ægypto fuit, in suis hymnis meminit, dicens esse Nyssam urbem supra montem, excelsum ac florentem, longe a Phœnicia, ferme Ægypto conterminum. Vineæ quoque fuisse in Nysa inventorem tradunt, priusquam plantandi, ac vini conficiendi, servandique & ex alio transferendi, usum docuit. Hæc explicant, quare Phœnices, unde Thasii descendunt, tantopere Bacchum sint venerati. *Vinum Thasium celebre quondam.* Quibus adde & quartam causam, quod generosum in hac Insula vinum proveniat, quod Galenus Medicus etiam XII. *Methodi* inter clariora genera celebrat: unde Athenæus denique I. *Dipnos.* ex Ephippo versus quosdam citat, qui in Latinum sermonem conversi sic habent:

Amo profecto Praminum Lesbi merum,
Bibiturque valde gutta multum Lesbia.
Obsonium est Pellax & id perutile.
Vinum Thasium ac unguenta, sertaque inclyta.

Citat & aliud carmen de hoc genere vini ex Clearcho quodam:

Jucundius nec Lesbio fit poculo
Vinum alterum, & Alexis
Vinis Thasiis & Lesbiis eget die.

Et ex Archestrato:

Phœnicum meliora virumque cætera vina
Nil ego curabo, est etiam Thasium egregium.
Alterius vini varias mittatur in Oras.
Urbibus ex his cognovi germina vitis.

CAP. II.

DE EPIRO.

EPIRUS a planitie terræ nominata, tametsi & ipsa a Græcia & Hellade separata quondam fuerit, quod de Thracia præfati sumus (id quod Strabo etiam VII. *Geograph.* his verbis testatur. *Hujus autem initium ab Adriatico sinu usque ad sacrum*

Istri sumitur ostium, in qua & Græcia & Macedonum & Epiri gentes comprehenduntur) tamen quod Græciæ Achillis stemma rerum ibi potiri cœperit Pyrrho filio ipsius autore, conjungere Græciæ voluimus, & propter Apolloniam Græcam urbem, Jovisque Dodonæi Græcum oraculum, nec non propter Actium Apollinem, & Acarnanes qui Græci fuerunt, ut Strabo in VII. testatur: *Ingredientibus occurrunt a dextra habitantes ex Græcis Acarnanes, & Apollinis Actii templum*. Et rursus secundum Ambraciam Argos extat Amphilochicum, quod Alcmeon ejusque liberi condidere. Constat enim Alcmeonem, ut author est Ephorus, post Epigonorum adversus Thebas expeditionem ab Diomede in Ætoliam, ad ejus auxilium exercitum adventasse, & ejus ope illum hanc simul & Acarnaniam in potestatem redegisse.

Acarnanes in Epiro ab Argivis.

Cæterum cum postea illos ad bellum Trojanum Agamemnon accerseret, ad id proficiscente Diomede Alcmeonem in Acarnania mansisse, & Argos ædificasse, ipsumque a fratris nomine Amphilochicum vocasse. Inachum autem amnem per illius agrum fluentem in sinum, Argivæ terræ appellationem addidisse. Thucydides autem scriptum reliquit, ipsum Amphilochum, post ejus a bello Trojano reditum, cum esset Argivis invisus, in Acarnaniam secessisse, & accepto a fratre principatu, oppidum in sui nominis memoriam ædificasse.

Et hactenus rationem reddidimus, quamobrem Epirum Græciæ conjunxerimus. Quam regionem Ptolemæus lib. III. *Tab.* Europæ X. c. XIV. definit, ab Oriente linea juxta Achajam ad ostia Acheloi amnis, ab occasu Acrocerauniis montibus in sinum Ionium incumbentibus, a Septentrione Macedoniæ parte & Illyrici, & a Meridie Mari Adriatico usque ad ostia Acheloi. Idem provincias particulares in ea enumerat, Chaoniam, Thesprotiam, Acarnaniam, Athamaniam, & Almones, Chaoniæ civitates subjiciens Antigoniam, Phœnicam, Omphalium, Hecatompedum, Elæum & Cassiopen cum portubus Panormo, Onchesmo & Orico. Thesprotiis adscribit Buthrotum, Peloden portum, Posidium & Thyamin promontoria: In Acarnanibus Ambraciam, Actium & Leucada recensens, veluti Athamanibus subjicit Argos Amphilochicum & Astacum. Ad Almones denique, quos Olmones cæteri vocant, referre videtur Toronam, Nicopolin, Sybotam & Eleæ portus & Acherontis fluvii ostia. Strabo in VII. Epirum affabre a Macedonia distinguit, cui plerisque locis confuse adhærere videtur. Locum subscribere non gravabor: *Epirotarum gens Molossi, sub Pyrrho Neoptolemo fuere, quem Achilles procreabat, & sub ejus successoribus Thessalici sanguinis: alii vero sub Indigenarum gubernaculo regebantur, postea quibusdam semper obtinentibus victoribus res ad Macedonum regnum tandem tota conversa est, paucis dumtaxat exceptis, super Ionio sinu sedentibus. Namque Lyncistum, & Pelagoniam, & Orestiadem, & Æniam superioris Macedoniæ nomine comprehendebant, eamque posteriores Eleuthera, id est, liberam dicebant. Aliqui vero universam usque ad Corcyram Macedoniam appellant, ejus rei rationem simul afferentes, quod & tonsura, & lingua, & chlamyde, aliisque talibus utantur pariter omnes. Plerique gemino loquuntur.* Soluto autem Macedonum regno, cuncta in Roman. ditionem concessere: & tractum postea universum, ejusque montes, nemora, lacus, populosque minores describens subdit: *Per has gentes Egnatia, via ex Dyrrachio & Apollonia perducitur, at circa viam Candaviæ lacus & paludes ad Lychniduntem extant, ubi copiosa piscium habentur salsamentaria. Sunt & fluvii Ionium irrumpentes sinum, & in Austrum vergentes Inachus, & Ratous, & Achelous, & Evenus, quem priores Lycormum vocitabant, ille quidem sinum illabitur Ambracium, alter vero in Acheloum. Cæterum Achelous & Evenus in mare fluunt, ille quidem per Acarnaniam labens, hic vero per Ætoliam. Erigon autem multis receptis amnibus ex Illyricis montibus, & a Lyncistis & Brygibus & Deuriopis, alisque perpluribus in Axium irrumpit*. Et enumerans civitates antiquiores: *In hisce gentibus antiquis temporibus civitates extabant. Tripolis Pelagonia cognomine, cujus & Azorus erat, superque Erigone universæ civitates Deurioporum consistebant, e quibus Bryanium, & Alalcomene & Stymbara. Cæterum Cædriæ Bysarum, Eginum vero Tymphæorum fuit, Ethiciæ confine atque Triccæ. Propinqui vero jam & Macedoniæ & Thessaliæ sunt ad montem Pæum & Pindum Æthices & Penei fontes, de quibus & Timphæi & Thessali Pindi accolæ certant, jusque sibi vendicant simul, & vicina Ioni fluvio Oxinæa civitas, quæ a Tripolitano distat Azaro stadiis* CXX. Et alios populos Epiri recensens *eodem libro* scribit: *Epirotæ quoque sunt Amphilochi, & qui superius incolunt, & qui sunt Illyricis adjuncti montibus, rupes & asperum habitantes agrum; Molossi etiam & Athamanes, & Ethices, & Tymphæi, & Orestæ, & Paroræi & Atintanes, quorum nonnulli Macedonibus magis applicantur, aliqui vero Ionico sinui. Memoriæ quoque traditum est, Orestiadem oram ab Oreste quandoque occupatam fuisse, cum cæsa matre exul profugeret, & sui regioni nomen reliquisse, cumque oppidum condidisset Argos Oresticum, de suo vocasse nomine*. Et iterum Theopompus *lib.* XIV. Epirotarum gentes esse refert, e quibus celebratissimæ sunt Chaones & Molossi, quippe qui totius Epiroticæ terræ quandoque regnum tenuere, Prius quidem Chaones, Posterius vero Molossi, qui quidem propter regum cognationem magis ac magis amplificati fuerunt. Nam & Æacidarum sanguine prognati sunt. Accedit quod penes illos Dodonæ vetus ac nobile vigebat oraculum. Chaones igitur ac Thesproti, deinde Cassiopenses, qui & ipsi Thesproti sunt, ipsa a Cerauniis montibus usque ad sinum Ambracium maritima fruuntur ora, agro sane ubertate fœlici. Et iterum: Thraces quidam Macedoniam & plerasque Thessaliæ partes, Acarnaniam & Ætoliam superiorem Thesproti, Asopæi, Amphilochi, Molossi, Athamanes, gentes Epiroticæ.

Limites Epiri. *Epiri regione & ejus divisio.* *Epirus a Macedonia distincta.* *Populi Epiri.* *Fluvii Epiri.* *Civitates antiquæ Epiri.* *Populi antiqui Epiri.*

Hactenus de populis Epiri: ad portus me confero, quos celebres ob merces hoc regnum & in Italiam, Insulasque proximas & Græciam habuerat. Quos nemo melius quam Strabo VII. *Geogr.* depingit. Verba subjicere placet: *Quod si navigare incipias a Chaonibus, in Orientem Solem ac sinum Ambracium atque Corinthiacũ, adeo ut dextera quidem Ausonium*

Portus Epiri insigniores.

habeas Pelagus; læva autem Epirum. Cursus est stadiorum MCCC. *a montibus Cerauniis ad Ambracii sinus os. In hoc siquidem intervallo Panormus est portus intra Ceraunios montes amplissimus, & post illum Orchimus portus alius, ad quem promontoria Corcyræ in Occasum vergentia opposita jacent. Alius item Cassiopa, ex quo usque Brundusium stadia intersunt mille & septingenta, totidemque ab altero Cassiopæ promontorio in Austrum spectante usque Tarentum, quod Phalacrum, id est, calvum appellant. Post Orchinum autem extat Posidium ac Butbrotum in portus ore conditum quem Cænosum appellant. Locus est peninsulæ & Cherrhonesi formam habens, Romanis frequens accolis.* Et de insulis oræ Epiri adjacentibus sermonem continuans subdit: *Sunt & Sybota Insulæ perexiguæ paulisper a continente terra disjunctæ, ad Orientale promontorium Corcyræ Leucimmam sitæ. Sunt & aliæ prænavigantibus Insulæ perexiles, haud memoratu dignæ. Inde prominens solum nomine Chimerium, dulcisque portus quem intrat amnis Acheron, ex Acherusia palude profluens, compluraque suscipiens flumina, quibus sinus ipse dulcis efficitur, prope labitur Thimiatis. Super hunc sinum jacet civitas, nunc quidem Cichyrus dicta, quondam autem Ephyra, quam Thesproti condidere. Penes Butbrotum vero est Phœnice, non longe vero a Cichyro pusilla civitas jacet Buchetium, Cassiopensium opus, haud procul a mari, & Elatria, & Pandosia, & Batiæ in mediterranea. Cæterum illarum ager usque ad sinum pertinet. Secundum dulcem portum autem duo alii deinceps portus existunt; unus quidem propior ac minor, nomine Comatus, Isthmum stadiorum* LX *efficiens ad Ambracium sinum atque Nicopolim, quam urbem Cæsar Augustus ædificavit; alter procul magis & amplior & præstantior prope sinus ipsius ostium, distans a Nicopoli* XII. *stadiorum intervallo, deinceps est ostium Ambracii sinus. Hujus etiam sinus ostium ipsum paulo quam stad.* III. *majus est circuitus stad.* CCC. *complectitur, optima omni ex parte ejus statio. Ingredientibus occurrunt a dextra habitantes ex Græcis Acarnanes & Apollinis Actii templum, quodam in tumulo ad ostium eminens, cui campus subjacet lucum habens. Sunt & navalia, in quibus Cæsar undeviginti naves, decimarum nomine reposuit; ab uno remorum ordine usque Decirernes adjungens: (Memoriæ quoque proditum est, & navales & naves incendio prorsus extinctas esse) sinistra Nicopolis est, & Epirotarum colonia Cassiopæi usque in intima sinus Ambracii, cui supereminet paulisper a sinu distans Glogus, cujus memoriam Cypselus struxit.* Hactenus Strabo.

Insulæ Epiri.

Ora maritima & sinus Epiri.

Delineat præterea oram maritimam Epiri ac præcipue Ambracium sinum, Pomponius secundo *Geograph. Extra Rhion in Acarnania maxime clara sunt, oppidum Leucas, flumen Achelous. In Epiro nihil Ambracio sinu nobilius est: facit sinus qui angustis faucibus, & quæ minus mille passibus pateant, grande pelagus admittit; faciunt urbes quæ adsidunt, Actium, Agri, Amphilochi, Ambracia, Æacidarum regia Pyrrhique: Buthronti ultra est, deinde Ceraunii montes, ab iis flexus in Adriam.* Hæc Mela.

Trajectus ex Italia in Epirum.

Cæsar tertio *Civilis Belli* trium ex Italia trajectuum portuumque in Epiro meminisse videtur Orici, Apolloniæ & Buthroti, quos hodie portus in Epiro Itali appellant, Velanam, Apollonio & Buthrynto. Ad quos portus trajiciebatur tribus ex locis Italiæ, Hydrunto, Brundusio & Tarento. Pyrrhus rex Epirotarum & post eum M. Varro, quod brevissimus esset pontibus jactis, ex Hydrunto Apolloniam pedestri continuare transitu voluerunt, de quo trajectu ac portu Cæsar hæc scribit. Quibus permotus Cæsar Brundusium ad suos severius scripsit, ut nacti idoneum ventum ne occasionem navigandi dimitterent, & ad Oricum sive ad littora Apolloniatium cursum dirigerent, quod eo naves ejicere possent. Hæc a custodibus classium loca maxime vacabant, quod se longius portubus committere non auderent. Sic brevissimum e Brundusio Oricum, trajectum esse Appianus Alex. l. II. *Civilis Historiæ* delineat. Demum tempestate profectus, ad Ceraunios montes, naves quæ reliquum exercitum adducerent, Brundusium propere emisit. Ipse Oricum nocte pervenit, ob angustiam asperitatemque viarum, copias in plures partes dividere coactus, ut si quis adventum ejus præsensisset, paratior esset ad pugnam. Oriente pene Sole, multitudo omnis ad eum venit, & qui Orici præsidio astiterat, admonentibus illum civibus Consulem Rom. prohibere non ausus, claves Cæsari ultro detulit.

Hunc trajectum Cæsar tam ipse, de quo Appianus loquitur, III. *Civilis belli*, longiorem insinuare videtur, cum scribit: *Cæterum Brundusium ut venit, concionatus apud milites, quoniam prope ad finem laborum ac periculorum esset perventum, æquo animo mancipia atque impedimenta in Italia relinquerent, ipsi expediti naves conscenderent, quo major numerus militum posset imponi, omniaque victoria, & sua ex liberalitate sperarent, conclamantibus, imperaret quod vellet, quodcunque imperavisset, se æquo animo esse facturos. Nonis Januarii naves solvit, impositis, ut supra demonstratum est, legionibus* VII. *postridie terram attigit Græcorum.* Et addit: *Erat Orici Lucretius Vespilo & Minutius Ruffus cum Asiaticis navibus* XVIII. *quibus jussu D. Lelii præerat M. Bibulus, cum navibus* CX *Corcyræ.* Et rursus: *Hoc confecto negocio a Solonis ad Orici portum stationes, littoraque omnia, longe lateque, classibus occupavit, custodiisque diligentius dispositis, ipse gravissima hyeme in navibus excubabat. Item de Buthrotia portu, & Corcyra Insula illi objecta. Erat autem ad Buthrotum oppidum oppositum Corcyræ, ibi ab Acilio certior & Murco per literas factus, de Postulatis Libonis, & Bibuli, legionem relinquit. Similiter de Nymphæo portu versus Illyricum. Prætervectosque Dyrrachium,* (inquit) *magna viventi nihilo secius sequebatur, nostri usi fortunæ beneficio, tamen impetum classis timebant, si forte ventus remisisset, nacti portum qui appellatur Nymphæum, ultra Lissum millia passuum tria, eo naves introduxerunt, qui portus ab Aphrico tegebatur, ab Austro non erat tutus.* Et de trajectibus ac portubus hæc. Adjiciendæ sunt & Insulæ Epiri, oræ proximæ in Adriatico mari, Corcyra quæ navis insigni in moneta usa fuit, Cephallenia, ubi Taphos a C. Antonio M. Ciceronis in consulatu collega, & exule condita fuit, Leucas quæ similiter navis symbolo in antiquo numismate ac Satyri icone usa reperitur; e cujus regione est Actii Apollinis fanum ab Augusto Cæsare locupletatum & trophæo de M. Antonio ac Cleopatra, & ludis quin-

Insulæ celebriores Epiro obtensæ Corcyræ Insulæ moneta. TAB. 1. fig. 6. *Leucadis Insulæ insignia.* TAB. 1. fig. 7.

quennalibus ita celebratum, ut in moneta A
Augustus & fani illius imagine & Apollinis simulachro usus fuerit, subjecta inscriptione ACT. ad quod alludens cecinit sub finem lib. VIII. *Æneid.* Maro:

Actius hæc cernens arcum intendebat Apollo
Desuper.

Et iterum:

In medio classes æratas, Actia bella
Cernere erat, totumque instructo Marte videres
Fervere Leucaten, auroque effulgere fluctus.

Et rursus lib. III. *Æneid.* cum Æneam introducit errorem suum Didoni narrantem; B

Mox & Leucatæ nimbosa cacumina montis,
Et formidatus nautis aperitur Apollo.
Hunc petimus fessi,& parvę succedimus urbi.

Reliquæ minores insulæ sunt Scriptoribus, tamen & vetustis & claris celebratæ, Neritos Ithaca, ac Dulichium, Homero *lib.* I. ac ubi Laertes Ulyssis pater & Acrisii filius regnabat, ad quas alludens canit Maro III. *Æneid.*

Jam medio apparet fluctu nemorosa Zacynthos,
Dulichiumque, Sameque, & Neritos ardua saxis.
Effugimus scopulos Ithacæ, Laertia regna; C
Et terram altricem sævi execramur Ulyssis.

Æacus autor stemmatis Regum Epiri. Et de Epiri regni situ, ejusque portubus, promontoriis, trajectibus, Insulis, populis, civitatibusque hactenus, venio ad principes, qui ex Achillis posteritate inibi rerum potiti fuere, ab Æaco rege Æginæ Insulæ oriundi, unde & Æacidarum familia nuncupata extitit, quam ejusque caput Æacum eleganter Naso l. *Metamorph.* VII. describit, cum siccitatem, pestem ac sterilitatem Græciæ summam descripsisset, quam Æacus fusis ad Jovem precibus depulerat, & simul D Myrmidonas novos colonos Insulæ impetraverat, quæ fuerat deserta antea:

Jupiter o, dixi, si te non falsa loquuntur,
TAB.1, fig. 8. *Ægine amplexus quondam sub Asopidos isse:*
Nec te,magne pater, nostri pudet esse parentem;
Aut mihi redde meos, aut me quoque conde sepulchro.
Ille notam fulgore dedit, tonitruque secundo.
Accipio, sintque ista precor felicia mentis
Signa tuæ,dixi;quod das mihi pignoris omen.
Forte fuit juxta patulis rarissima ramis
Sacra Jovi quercus de semine Dodonæo. E
Hic nos frugilegas aspeximus agmine longo
Grande onus exiguo formicas ore gerentes,
Rugosoque suum servantes cortice callem.
Dum numerum miror, totidem pater optime, dixi,
Tu mihi da cives, & inania mœnia supple.
Intremuit, ramisque sonum sine flamine motis
Alta dedit quercus: pavido mihi membra timore
Horruerunt, stabantque comæ: tamen oscula terræ,
Roboribusque dedi: nec me sperare fatebar: F
Sperabam tamen, atque animo mea vota fovebam.
Nox subit, & curis exercita corpora somnus
Occupat: ante oculos, eadem mihi quercus adesse,
Et ramos totidem,totidemq; animalia ramis
Ferre suis visa est,parilique tremiscere motu;
Graniferumque agmen subjectis spargere in arvis,
Crescere quod subito, & majus majusque videri,
Ac se tollere humo, rectoque assistere trunco;
Et maciem, numerumque pedum, nigrumque colorem
Ponere; & humanam membris inducere formam.
Somnus abit: damno vigilans mea visa; queror que
In superis opis esse nihil: at in ædibus ingens
Murmur erat, vocesque hominum exaudire videbar,
Jam mihi desuetas: dum suspicor has quoque somni;
Ecce venit Telamon properus, foribusque reclusis,
Speque fideque, pater, dixit, majora videbis:
Egredere; egredior: qualesque in imagine somni
Visus eram vidisse viros, ex ordine tales
Aspicio,noscoque:adeunt,regemque salutant.
Vota Jovi solvo, populisque recentibus urbem
Partior, & vacuos priscis cultoribus agros:
Myrmidonasque voco, nec origine nomina fraudo.
Corpora vidisti; mores, quos ante gerebant,
Nunc quoque habent: parcum genus est patiensque laborum:
Quæsitique tenax, & quod quæsita reservet.
Hi te ad bella, pares annis, animisque, sequentur.

Alloquitur autem Peleum majorem natu filiorum, quos ex Ægina Asopi filia genuerat, qui Myrmidonas illos ad bellum Trojanum duxerat, cum Telamon frater ex eadem matre Athen. præfuisset, qui fraude matris seducti, Phocum minorem natu fratrem ex altera uxore in Panthali ludo occiderant, inde cum causam dixissent ad littus Insulæ ex navigio vel terra adgesta (Cryptum Veteres vocant) damnati perpetuo exilio a patre, Peleus quidem in Trachiniam, Telamon vero ad Parnassum montem, abiere, cum ante & venationi Calydonii apri & Trojano bello interfuissent. Unde canit Ovid. VII. *Metam.*

Excipit Æacides illos in limine Phocus.
Nam Telamon, fraterque viros ad bella parabant.
Phocus in interius spacium, pulchrosque recessus
Cecropidas duxit.

Idem *lib.* XI. de exilio Pelei:

Exhibitaque est Thetis: confessam amplectitur Heros,
Et potitur votis, ingentique implet Achille.
Fœlix & nato, fœlix & conjuge Peleus,
Et cui, si demas jugulati crimina Phoci,
Omnia contigerant:fraterno sanguine sontem
Expulsumque domo patria Trachinia tellus
Accipit.Hic regnum sine vi,sine cæde regebat
Lucifero genitore satus, patriumque nitorem
Ore ferens Ceyx; illo qui tempore mœstus,
Dissimilisq; sui,fratrem lugebat ademptum.
Quo postquam Æacides fessus curaq; viaq;
Venit;& intravit paucis comitantibus urbem
Quosque greges pecorum, quæ secum armenta trahebat,
Haud procul a muris sub opaca valle reliquit;
Copia cum facta est adeundi tecta tyranni;
Velamenta manu prætendens supplice,qui sit,
Quoque satus memorat:tantum sua crimina celat.
Mentiturq; fugæ causam;petit urbe vel agro

Se juvet. Hunc contra placido Trachinius ore
Talibus alloquitur: Mediæ quoque commoda plebi
Nostra patent Peleu, nec inhospita regna tenemus.
Adjicis huic animo monimenta potentia: clarum
Nomen, avumque Jovem: nec tempora perde precando.
Quod petis omne feres, ut inam meliora videres.

Ajacis genus ab Æaco & quod idem cum Achille fuerit.

Et rursus in VIII. venationi Calydonii apri cum Meleagro & Atalanta interfuisse commemorat Telamonem & Peleum:

Hastarum tremulo quatiebant spicula motu.
Vulnera fecissent, nisi Setiger inter opacas
Nec jaculis isset, nec equo loca pervia sylvas.
Persequitur Telamon: studioque incautus eundi,
Pronus ab arborea cecidit radice retentus.
Dum levat hunc Peleus, celerem Tegeea sagittam
Imposuit nervo, sinuatoque expulit arcu.

Ex his fratribus Telamon, quem diximus ad Parnassum abiisse & venationi Calydonii apri interfuisse, Ajacem progenuit, & Peleus in Trachinia ex Thetide Dea marina Achillem, quorum uterque Trojano bello interfuit, cum Ajax ante etiam Trojam cum Hercule cepisset. Idcirco apud Ovid. XIII. *Meta.* in oratione Ajax de Ulysse conqueritur, ac genus suum ab Æaco repetit & Ulyssis stemmati præfert, cum Achillis, ut cognati arma, ipso ab Hectore occiso, ut legitimus hæres peteret, quæ eloquentia sua a Græcis Ulysses impetrare conabatur:

Nobilitate potens essem, Telamone creatus:
Mœnia qui forti Trojana sub Hercule cepit,
Littoraque intravit Pegasæa Colcha carina.
Æacus huic pater est: qui jura silentibus umbris
Reddit, ubi Æolidem saxum grave Sisyphon urget.
Æacon agnoscit summus, prolemque fatetur
Jupiter esse suam: sic a Jove tertius Ajax.
Nec tamen hæc series in causa prosit Achivi,
Si mihi cum magno non est communis Achille.
Frater erat: fraterna peto. Quid sanguine cretus
Sisyphio, furtisque, & fraude simillimus illi,
Inseris Æacidis alienæ nomina gentis?

Ajacis obitus.

Ajax igitur Telamonis filius, (unde Æacidarum Athenis familia descendit, cujus Miltiades ac Cimon fuere) cum de armis Achillis diu contendisset, postremo furore concitatus, arietem corpore præstantem, quem esse Ulyssem crediderat, occidit, cum ex ira ad mentem rediisset, indignatus se gladio illo, quo erat ab Hectore post singularem pugnam donatus, transverberavit, conversus Deorum miseratione in florem Hyacinthum. Unde est illud Maronis Ænigma in *Ecloga* III.

Dic quibus in terris inscripti nomina regum
Nascantur flores, & Phyllida solus habeto.

Et Ovidius lib. X. *Metamorphos.*

Tempus & illud erit quo se fortissimus Heros
Abdat in hunc florem, folioque legatur eodem.

Achillis genus.

Venio ad Achillem Pelei filium, & Ajacis fratruelem, & Thetide Dea marina natum, quem Poetæ Nerejum heroem idcirco, & quod pater exul in Pelasgis consedisset, Pelasgum vocare consuevere, qui profectus cum Agamemnone ad bellum Trojanum ex itinere cum Lyrnessum expugnassent Græci, Minetis filias, Briseida, Chryseidaque Chrysæ Sacerdotis natam, quæ & Astynome, rapuit, & cum sibi primam retinuisset, Chryseida Agamemnoni concessit, cujus pater utpote Apollinis Sacerdos cum precibus suis pestem Græcorum exercitui immisisset, reddere Chryseida Agamemnon coactus fuit, sed cum amore insaniret Briseida Achilli eripuit, unde in *Epistola Briseis ad Achillem* apud Nasonem his versibus conqueritur:

Nunc quoque (sic omneis Peleus pater impleat annos,
Sic eat auspiciis in Pyrrhus in arma tuis)
Respice sollicitam Briseida fortis Achille.

Achillis gesta.

Achilles vero cum Hectora in obsidione Trojæ occidisset, ipse denique ab Alexandro Priami filio, qui Helenam rapuerat, interficitur, de cujus nativitate Naso XI. *Metam.* cecinit:

Exhibitaque est Thetis, confessam amplectitur heros,
Et potitur votis, ingentique implet Achille.
Fœlix & nato, fœlix & conjuge Peleus.

Et de rebus ab Achille præclare gestis, cum Cygnum regem, Hectoremque & Amazonem interfecisset, idem cecinit XII. *Metam.*

Quem super impulsum resupino corpore Cygnum
Vi multa vertit, terræque affixit Achilles.

Et rursus:

Jam timor ille Phrygum, decus & tutela Pelasgi
Nominis Æacides, caput insuperabile bello,
Arserat; armarat Deus idem, idemque cremarat.
Jam cinis est, & de tam magno restat Achille
Nescio quid, parvam quod non bene compleat urnam.
At vivit, totum quæ gloria compleat orbem.

Et necem illius *ibidem* delineans, quo modo occiso Hectore ab ejus fratre Alexandro, qui Helenam rapuerat, Apollinis auxilio interfectus extiterit, canit, puta, cum Alexandrum Achillem increpantem introducit:

Hectoris umbra subit circum sua Pergama tracti?
Cum tamen ille ferox, belloque cruentior ipso
Vivit adhuc operis nostri populator Achilles.
Det mihi se, faxo, triplici quod cuspide possim,
Sentiet: at quoniam concurrere comminus hosti
Non datur, occulta nec opinum perde sagitta.
Annuit, atque animo pariter patruique, suoque
Delius indulgens, nebula venatus, in agmen
Pervenit Iliacum, mediaque in cæde virorum,
Rara per ignotos spargentem cernit Achivos
Tela Parin: fassusque Deum, Quid spicula perdis
Sanguine plebis, ait? si qua est tibi cura tuorum;
Vertere in Æacidem, cæsosque ulciscere fratres.
Dixit; & ostendens sternentem Troia ferro
Corpora Pelinden, arcus obvertit in illum;
Certaque lethifera direxit spicula dextra.

Pyrrhus Filius Achillis rex Epiri primus.

Itaque Achille interfecto, captoque Ilio, filius illius, Neoptolemus quidem, qui Chorœbum Cassandræ sponsum ac Eurypylum in obsidione occiderat, & Sinonem, Æoniumque vulneraverat, in ipsoque excidio Priamum regem ad aram Jovis Hercæi mactaverat, dum per Phocidem rediret, in ultionem Priami, Delphis ad aram Apollinis a Sacerdote immolatus est; Pyrrhus vero diris quoque numinis actus cum redire in Thessaliam

non auderet, ſecutus Helenum Priami filium, cum Andromachem Hectoris conjugem uxorem cepiſſet, cum ipſo in Epiro conſedit, Helenoque Andromache conceſſa (ex qua quidem Moloſſum, Pyleum, ac Pergamenum genuerat) Hermionem alteram duxit, ex qua nullam prolem tulit, ad quem alludentes cecinerunt Poetæ: Virgil. *Æneid.*

Sævus ubi Æacidæ telo jacet Hector, ubi ingens
Sarpedon.

Idem lib. II. *Æneid.*

Veſtibulum ante ipſum primoque in limine Pyrrhus
Exultat telis, & luce coruſcus ahena.

Et rurſus:

Inſtat vi patria Pyrrhus, nec clauſtra nec ipſi
Cuſtodes ſufferre valent.

Ovidius XIII. *Metam.* de Achille:

Qui locus Ajaci? Phthiam, Scyronque ferantur.

Moloſſus Pyrrhi filius. Pyrrho in regno Epiri filius Moloſſus ſuccedit, ſed in parte tantum. Nam Heleni, qui Priami erat natus, & in portionem regni a Pyrrho admiſſus fuerat, filius Ceſtrinus alteram Epiri medietatem ſortitus erat, quæ Ceſtrina ab ipſo fuit cognominata. Sed cum nullam prolem tuliſſet, regioni duntaxat nomen indidit, quæ ab ipſo Moloſſis vocabatur. Itaque cum minimus natu filiorum Pyrrhi in Aſiam trajeciſſet, Avumque Teuthraniæ principem ſingulari certamine occidiſſet, iſthic regnare cœpit & Pergamum condidit. *Pyolus Rex.* Medius Pyleus rerum in Epiro potiri cœpit, cujus ſtemma per XV. ætates in regno Epiri *Tarippus Rex.* manſit, donec poſtremo ad Tarippum quendam regnum pervenit, qui Alcetam reliquit. *Alceta Rex.* Et is Neoptolemum, Aribbam & Alcetam *Neoptolemus.* Secundum, ob tyrannidem a ſuis occiſum. *Alexander.* Neoptolemus Alexandrum genuit, qui con- *Aribba.* tra Romanos a Lucanis accerſitus, ibidem obiit, apud quem Olympias, Alexandri Magni mater, ab Antipatro pulſa exulabat, reverſaque in Macedoniam, auxilio Pyrrhi Æacidæ cognati ſui & regis Epiri, bellum geſſit contra Arideum. Porro frater Neoptolemi *Æacides.* Aribba Æacidem genuit, qui pro Epiro bellum geſſit cum Philippo Caſſandri filio ad Omydas, ubi ex vulnere obiit. Cui filius Pyr- *Pyrrhus.* rhus ſuccedit, interfecto Alcete patruo Aribbæ filio, ob tyrannidem provincialibus exoſo, totius regni gubernacula nactus eſt, quo tamen rurſus a Caſſandro exuitur, ſed mox a Ptolomæo Lagi filio, Ægyptio rege ſocero reductus, ut contra hoſtes ſuos tueri commodius Epirum poſſet, fœdus cum Lyſimacho Thraciæ rege percuſſit, quem in Thracia retinenda ſimiliter juverat, quod interfecto Demetrio Alexandri filio, Macedoniæ rege legitimo, Caſſander illam ſui juris feciſſet. Sed ſocietas illa cum Lyſimacho non diu manſit. Nam Demetrius exul in Aſia ſuſceptus a Seleuco, ſuperavit Lyſimachum, qui ſecutus exinde partes Antigoni Demetrii filii Pyrrhum domo ejecit, ita reverſus in Epirum Pyrrhus Corcyram inſulam ſubegit, Antigonum regem ac Galatas vicit, de quibus etiam opima ſpolia Minervæ Ithonæ, & Dodonæo Jovi ſuſpenderat cum hac inſcriptione:

Minervæ Ithonæ.

Quos tulit a Galatis Pyrrhus de gente Moloſſa,
Suſpendat Clypeos Pallas Ithona tibi.
Fregit hic Antigoni vires, num mira videntur,
Marte valent & nunc, ut primus Æacidæ.

Jovi Dodonæo.

His Aſia quondam vaſtata eſt terra potentis,
Servitii Græcis hæc peperere jugum.
Nunc eadem Jovis æde jacent affixa manentque
Orba viris: claræ præda Macedoniæ.

Poſt hanc victoriam Pyrrhus a Tarentinis adverſus Romanos in auxilium ſolicitatus, cum magna claſſe & Elephantorum multitudine, quos prius Italia non viderat, ſed non ſine maximo naufragio ac jactura in Italiam trajecit, victorque aliquandiu. Poſtremo a Fabritio & Curio Rom. ducibus ſuperatur, & in Sicilia profligatur. Unde domum reverſus recepto bello, Antigonum in Peloponneſum abire coegit. Demum cum Cleonymum in regnum Spartanum reducere vellet, Argis ex tumultu, ictu tegulæ a muliere interficitur.

Cæterum hiſtoriam hujus invictiſſimi Herois qui volet, apud Plutarchum prolixe legat. Poſt quem qui Epiri gubernacula tenuerint, haud ſatis conſtat, niſi quod veriſimile eſt, illos Macedoniæ regibus fœdere quodam conjunctos, aut etiam ſubjectos extitiſſe. *Poſtrema Reipublicæ Epirotarum.* Quamobrem T. Livius *lib.* 1. *Dec.* IV. cum hiſtoriam recenſet de duobus Juvenibus Acarnanis, qui ab Athenienſibus erant occiſi, quod ſacris Cereris non initiati interfuiſſent, commemorat Acarnanes puta Epirotas jure fœderis Philippum Macedoniæ regem Perſei patrem ad vindicandum ſcelus in auxilium vocaſſe.

Qua occaſione etiam Macedones Romanis ſe armis immiſcuerant. Athenienſibus enim ac cæteris Græcis in auxilium profectis, ac a Romano Senatu miſſus T. Quintius Flaminius Procos. in Epiri finibus Macedones vicit, cum ejus frater Lucius Acarnanes puta Epirotas Leucade Metropoli illorum expugnata, Romanæ ditioni ſubjeciſſet. Quem *Qua occaſio e Epirotæ in Rom. poteſtatem venerint.* ſecutus M. Fulvius Cos. Aminandri Athamanum regis proditione Cephalleniam inſulam proximam Epiro ſubegiſſet, ac Ambraciam Epiri præcipuum munimentum occupaſſet, totam Epirum in Romanæ provinciæ formam haud dubio procul redegit. Cujus rei occaſionem ac non minimum auxilium inteſtinum bellum dedit, quo ſe Epirotæ a Macedonum imperio vendicarunt.

Hinc T. Livius *octavum Deca.* III. ſic incipit: *Dum in Aſia bellum geritur, ne in Ætolia quidem quietæ res fuerant, principio a gente Athamanum orto. Athamania ea tempeſtate, pulſo Aminandro, ſub præfectis Philippi, regio tenebatur præſidio, qui ſuperbo atque immodico imperio deſiderium Aminandri fecerat. Exulanti tum Aminandro in Ætolia literis ſuorum, indicantium ſtatum Athamaniæ, ſpes recuperandi regni facta eſt, remiſſique nuncii ab eo ad principes Argitheam (id enim caput Athamaniæ erat) ſi popularium animos ſatis perſpectos haberet, impetrato ab Ætolis auxilio, in Athamaniam ſe venturum cum delectis Ætolorum, quod conſilium eſſet gentis & Nicandro Prætori. Quos ubi ad omnia paratos eſſe videt, certiores ſubinde facit, quo cum exercitu Athamaniam ingreſſurus eſſet. Quatuor primo fuere conjurati adverſus Macedonum præſidium. Hi ſenos ſibi adjutores ad rem gerendam aſſumpſerunt, deinde paucitate parum freti, quæ celandæ rei quam agendæ aptior erat, parem priori numero adjecerunt. Ita duo & quinquaginta facti, quadrifa-*

prodit Epirum Romanis.

drifariam se diviserunt, pars Heracleam, altera Tetraphiliam petit, ubi custodia regiæ pecuniæ esse solita erat, tertia Theudoriam, quarta Argitheam, ita inter omnes convenit, ut primo quieti veluti ad privatam rem agendam venissent, in foro obversarentur, die certa multitudinem omnem convocarent, ad præsidia Macedonum arcibus expellenda, ubi ea dies advenit, & Aminander cum mille Ætolis in finibus erat, ex composito quatuor locis simul præsidia Macedonum expulsa, literæque in alias urbes passim dimissæ, ut vindicarent sese ab impotenti dominatione Philippi, & restituerent in patrium & legitimum regnum. Undique Macedones expelluntur, Thejum oppidum, literis a Zenone præfecto præsidii interceptis, & arce ab regiis occupata, paucos dies obsidentibus restitit, deinde id quoque traditum Aminandro est, & omnis Athamania in potestate erat, præter Athenæum castellum finibus Macedoniæ subjectum. Et post multa subdit: *Aminander quod sui maxime operis erat impigre agebat, ut Ambracienses compelleret ad deditionem, id cum per colloquia principum succedens murum, parum proficeret, postremo Consulis permissu ingressus urbem, partim consilio, partim precibus evicit, ut permitterent se Romanis. At Ætolos C. Valerius Levini filius, qui cum ea gente primum amicitiam pepigerat, consulis frater matre genitus eadem, egregie adjuvit. Ambracienses prius pacti ut Ætolorum auxiliares sine fraude emitterent, aperuerunt portas, dein ut quingenta Euboica darent talenta, ex quibus* CC. *præsentia* CCC. *per annos sex pensionibus æquis, captivos perfugasque redderent Romanis urbem, ne quam formulæ sui juris facerent, quæ post id tempus, quo T. Quintius trajecisset in Græciam, aut vi capta ab Romanis esset, aut voluntate in amicitiam venisset, Cephallenia insula ut extra jus fœderis esset.* Et quæ sequuntur.

Quæ omnia ostendunt Epirum Romanam tum primum provinciam factam, quam illi in duas portiones novam & veterem Epirum subdiviserunt, Macedoniæ provinciis, in limite Illyrici Orientalis adjectam, & Thessalonicensi Prætorio subjectam. Ad quod alludens scribit Sextus Ruffus ad Valentinian. Imp. *Habet*, inquit, *Illyricum decem & septem provincias, Noricorum duas, Pannoniarum duas, Valeriam, Suaviam, Dalmatiam, Mœsiam, Daciarum duas. Et in ditione Macedoniæ sunt septem, Macedonia, Thessalia, Achaja, Epiri duæ, Prævalis & Creta. His auspiciis in Rom. potestatem Epirus pervenit, & limitis Illyrici Orientalis provinciis adjecta, a populis tamen Illyricis, Labeatibus, Scodrensibus, Dassaretiis, Taulantiis, Olcyniatis, Pyrustiis, sequestrata* : (ne & hos populos in Chorographia nostra signatos, Epiro attribuisse quis autumet) de quibus confinibus Livius *lib.* V. *Decad.* V sic nominatim scribit: *Pacata Epiro divisisque in hyberna copiis, per oportunas urbes regressus ipse in Illyricum, Scodræ* (quo quinque legati e Roma venerant) *evocatis ex tota provincia principibus, conventum habuit. Ibi pro tribunali, pronunciavit de sententia consilii, S. P. Q. R. Illyricos esse liberos jubere, præsidia ex omnibus oppidis, arcibus & castellis sese abducturum. Non solum liberos, sed etiam immunes esse Issenses & Taulantios, Dassaretiorum, Pyrustas, Rizonitas, Olcyniatas.* Et subdit: *Inde in tres partes Illyricum divisit, unam eam fecit quæ supradicta est: Alteram Labeatas omnes: Tertiam Agravanitas & Rizonitas & Olcyniatas accolasque eorum. Hac formula dicta in Illyrico, ipse in Epiri Passaro-*

Confinia Illyrici & Epiri.

nem in hyberna rediit. Sic Appianus in *Illyricis*, Illyrios inquit Græci eos existimant, supra Macedoniam & Thraciam, a Chaonibus & Thesprotis ad flu. Istrum sedes habent, ad quæ confinia alludens Claudianus secundo *in Eutropium* cecinit:

——*Vastator Achivæ*
Gentis, & Epirum nuper populatus inultam,
Possidet Illyricos: jam quos obsedit, amicus,
&c.

Et de Epiro hactenus, cujus nostro seculo non minimam portionem ALBANIAM vocant & Metropolim Croyam in veteris Antigoniæ ruderibus excitatam: Ubi Scanderbegus ille Castriota rebus supra opinionem adversus Turcas gestis, ante patrum memoriam claruit. Ex hac provincia denique equites illi eliciuntur, quos *Stratiotas* Græca voce, sed corrupta appellant, Italis ac Slavinis cognitissimos. Et jam finiturus eram sermonem de Epiro, cum sese offerunt Insignia hujus quoque regni explicanda. Inveniuntur vero in numismate antiquo triplicia, Jupiter scilicet, cum Ægina, victima quercu Dodonæa comprehensa. Item facies Jovis barbati, Pyrrhus vero Junonis facie & Pallade ut opinor sedente in moneta usus fuit. De Jovis imagine & Ægina Asopi filia, quam Jupiter rapuerat in forma ignis, & ex ea Æacum ac Rhadamantum susciperat, ut fabulæ docent, res non opus habet probatione, cum, ut ante dictum est, ab Æaco Jovis ex Ægina filio reges Epiri initia repetant. Unde Ovidius XIII. *Met.* Ajacen qui ab eodem descendit Æaco, certantem pro armis Achillis fratruelis cum Ulysse introducit:

Albania in Epiro.

Scanderbegus in Epiro.

Insignia veteris Epiri. TAB. I. fig. 9.

Æacon agnovit summus prolemque fatetur
Jupiter esse suam: sic a Jove tertius Ajax.

Et lib. VI.

Aureus ut Danaen Asopida luserit ignis.

Victimam quercu circumdatam, Dodonæum Jovis oraculum in Epiro, puta Chaonia introduxit: Scribit enim Strab. VII. *Georg. Prius enim Chaones, posterius vero Molossi, qui quidem propter regum cognationem magis ac magis amplificati fuerant, nam ex Æacidarum sanguine prognati sunt. Accidit quod penes illos Dodonæ vetus ac nobile vigebat oraculum.* Et rursus: *Dodonæum autem oraculum quemadmodum & cætera quodammodo derelictum est. Illud autore Ephoro a Pelasgis construitur.* Quocirca Poeta cecinit *Dodonæ rex Pelasgice Jupiter.* Et Hesiodus, *Dodona inter quercus sedes Pelasgorum extitit.* Adde quæ Dionysius Halicarnasseus scribit in primo *Antiquitatum*: *Ex Ambracia navibus Anchises oram legendo Buthrotum Epiri portum petiit. Æneas cum militum fortissimo quoque duorum dierum itinere Dodonam pervenit oraculi causa: Ubi Trojanus invenit Heleni socios, acceptoque responso de quærendis sedibus, & inter cætera oblatis Deo crateribus æreis, quorum aliquot hodie extant, literis antiquissimis testantes muneris autores Trojanos, ad classem redeunt emenso quatuor ferme dierum itinere.* Hujus porro quercus Dodonææ, & victimæ ibi immolari ab indigenis & advenis consuetæ, ut in moneta insculpta cernitur meminere Poetæ. Virgilius I. *Georg.*

Dodonæa quercus insigne Epiri.

Prima Ceres mortales vertere terram
Instituit, cum jam glandes atque arbuta sacræ
Deficerent sylvæ, & victum Dodona negaret.

Ovid. XIII. *Metam.* a columbis e Thebis Ægypti volantibus in Epir. oraculum ortum

teſtatur, ac victimam egregie depingit, una cum Trojano Cratere ibi locato. A

Hactenus antiquo ſignis fulgentibus ære,
Summus inaurato crater erat aſper achanto.
Nec leviora datis Trojani dona remittunt.
Dantque Sacerdoti cuſtodem thuris acerram:
Dant pateram, claramque auro gemmiſque coronam.
Inde recordati Teucros a ſanguine Teucri
Ducere principium, Cretam tenuere; locique
Ferre diu nequiere Jovem: centumque relictis
Urbibus, Auſonios optant contingere portus.
Sævit hyems, jactatque viros, Strophadumque receptos B
Portubus infidis exterruit ales Aello.
Et jam Dulichios portus, Ithacamque, Samumque,
Neritiaſque domos, regnum fallacis Ulyſſis,
Prætererant vecti: certatam lite Deorum
Ambraciam, verſique vident ſub imagine ſaxum
Judicis; Actiaco quæ nunc ab Apolline nota
Vocalemque ſua terram Dodonida quercu,
Chaonioſque ſinus; ubi nati rege Moloſſo
Impia ſubvectis fugere incendia pennis.
Proxima Phæacum fœlicibus obſita pomis C
Rura petunt. Epiros ab his, regnata vatique
Buthrotos Phrygio, ſimulataque Troja tenetur.

Statius lib. III. *Theb.*

Et nemorum Dodona parens Cyrrhæaque virgo.

Lucanus lib. VI. *Pharſaliæ*:

Nec quæſiſſe libet primis quid frugibus altrix
Ore Jovis Dodona ſonet, quis noſcere fibra
Fata queat.

Silius lib. III. *Punicorum*:

In gremio Thebes geminas ſediſſe columbas:
Quarum, Chaonias pennis quæ contigit oras, D
Implet fatidico Dodonida munere quercum.

Inſigne Pyrrhi regis. TAB. 1. fig. 10.

Et his prolixe victimæ ſymbolum quercus ramo circumdatum explicatum arbitror. Quod ordine ſequitur inſigne Jovis barbati imaginem oſtendit, cujus explicatio itidem ſumitur ab Æaco regum Epiri capite, utpote Jovis ex Ægina Aſopi filia nato, unde ſecundo *Corinth.* Pauſanias refert. Siccitate olim Græcia premebatur, cum neque extra Iſthmum ſita regio, neque Peloponneſus pluviis rigaretur. Quare Delphos amandarunt, qui cauſam hujus mali interrogarent, & liberationem peterent. His oraculum (E) mandavit, ut Jovem placarent, ut vero preces audiat, opus fore inquit, ut Æacus fiat ſupplex. Singulæ itaque civitates miſſis legatis ab Æaco hoc efflagitarunt, qui ſacrificiis Jovi Græcanico perſolutis, votiſque habitis, Græciæ pluvias impetravit. Ad barbam denique Jovis alludit Prudentius Poeta in hiſtoria Romani Martyris hoc carmine;

Barbam rigentem dum Jovis circumplicat,
Dum defluentem leniter deflectat comam,
Limat capillos.

Inſcriptio in omnibus Symbolis manifeſta (F) eſt ΕΠΙΡΟΤΑΝ *Epirotarum*. Supereſt poſtremum ut explicetur id quod Pyrrhi habet Græcam inſcriptionem, & Minervæ ſedentis imaginem, & neſcio cujus alterius mulieris, quam forte vel Æginam illam generis autricen, vel Cererem eſſe arbitror. De Minerva res comperta eſt, quod Pyrrhus videlicet Galatis victis Minervæ Ithoniæ ſpolia ſuſpenderit, ut interpretatur Græci carminis inſcriptio iſthic poſita, paulo ſupra adducta;

TAB. 1. fig. 11.

ut meminit Pauſan. *Atticis*. Pyrrhus poſtridie noctu ad promontoria, quæ Ceraunia appellant, trajecit, recreatoque ibidem, poſt acceptam in Italia cladem, exercitu, bellum Antigono indixit, culpa objecta tum alia, tum vero maxime quod miſſo in Italiam auxilio, rebus adflictis non ſuccurriſſet. Poſtquam igitur Antigoni & proprias copias, & accerſitos Galatas ſuperavit, ad civitates maritimas eum fugavit; Superioris item Macedoniæ & Theſſaliæ potitur. Pugnæ magnitudinem, & quando Pyrrhus fuerit ſuperior, arma Galatarum indicant, quæ in æde Minervæ Ithoniæ inter Phæras & Lariſſam ſunt dedicata. Habet denique, ut illud quoque pro colophone adjiciam, moneta Pyrrhi inſcriptionem his nominatim literis comprehenſam ATANI, forte literis vel ut tranſpoſitis vel depravatis, pro eo quod eſt Epirotan, ut primæ ſyllabæ deſint, vel ut legatur ATYNON, quod vocale & ſonorum Græcis eſt, facta alluſione ad lebetem illum Dodonæum, qui ſcutica impulſus a ſimulachro pueri ſonitus claros edebat. Lege Eraſmum in Proverbio *æs Dodonæum*.

CAP. III.

DE LEMNO, SAMO, CAETERISQVE INSULIS, ET BYZANTIO.

QUod de Thracia ac Epiro ſupra diximus, non quod hæ provinciæ Græca lingua cultæ fuerint, inter Græcos referimus: Id de Inſulis ac ipſa Macedonia repetimus, hoc eſt, quod multæ Græcorum coloniæ, cum in Thraciam Inſulaſque proximas, tum vero Aſiam etiam deductæ fuerint. Imo Thraciam cum Lemno ac proximis Inſulis Athenienſes ſibi ſubjecerant.

Scitum eſt quod ſcribit in *Syriacis* Appianus. Ob hoc in Syria & iis qui ſupra ipſam incolunt barbaris, multa Græcorum, multa quoque Macedonum oppidorum inſunt nomina, Berria, Edeſſa, Perinthus, Callipolis, Athana, Pellum, Oropus, Amphipolis, Arethuſa, Aſtacus, Tegæa, Chalcis, Lariſſa & Apollonia. Itaque etſi Epirum ordine ſequeretur Macedonia, vel tanquam illi conjuncta provincia, vel quod Epiro poſterioribus temporibus Macedonum principes præfuerint, atque eadem pene lingua Strabone autore incolæ uſi fuerint. Accidit tamen, dum Græciam præcipitanter ſcribo, ut quædam ad Thraciæ dignitatem pertinentia ſint intermiſſa, adeo ut quaſdam Inſulas in Aſiæ vicinia ſitas non attigerim. Placuit idcirco hoc caput ceu corollarium quoddam addere, non ſolum quod hæc iſthic intermiſſa ſint, verumetiam ut ſymbola numiſmatum, hoc eſt, inſignia, quæ primo loco poſuimus, locupletius interpretentur.

Inſignia Byzantii vetera explicantur. TAB. 1. fig. 12.

Hæc vero ſunt Byzantii urbis, a Pauſania Spartano conditæ, Delphinus Tridentem comprehendens & Neptunus aquam effundens, ut interim de cæteris ſileam, ſileam quoque de Delphinis, quos Oſtia Iſtri flu. dulcedine captos ingredi ſupra Byzantium, Plinius autor eſt, ut inde Delphini ſymbolo Byzantios uſos fuiſſe veriſimile ſit, Tridenti videlicet Neptuni implicati. Enimvero Neptuni Tridentiferi imagine e mari emergentis, & aquam effundentis in alia ora uſa fuit, ut ab exordio Symbolorum videre eſt. Cauſam huic ſitus urbis dedit undique mari cir-

cumdatæ, sola excepta plaga Occidentali. A
Unde de Byzantio scribens Lucanus in IX. sic canit:

Non Asiam brevioris aquæ disterminat usquam
Fluctus ab Europa, quamvis Byzantion arcto
Pontus, & ostriferam dirimat Chalcedona cursu,
Euxinumque ferens parvo ruat ore Propontis:
Sigeasque petit famæ mirator arenas,
Et Simoentis aqua, & Grajo nobile busto
Rhætion, & multum debentes vatibus umbras:
Circuit exustæ nomen memorabile Trojæ,
Magnaque Phœbæi quærit vestigia muri. B
Jam sylvæ steriles, & putres robore trunci.

Huc facit quod Ovidius de itinere sui exilii canit primo *Tristium* Elegia nona:

Fleximus in lævum cursus; & ab Hectoris urbe
Venimus ad portus Imbria terra tuos.
Inde levi vento Zerinthia littora nactis
Threiciam tetigit fessa carina Samon.
Saltus ab hac terra brevis est Tentyra petenti.
Hac dominum tenus est illa secuta suum.
Nam mihi Bistonios placuit pede carpere campos: C
Hellespontiacas illa reliquit aquas.
Dardaniamque petit autoris nomen habentem,
Et te ruricola Lampsace tuta Deo.
Quaque per angustas male vectæ virginis undas
Seston Abydena separat urbe fretum.
Hincque Propontiacis hærentem Cyzicon oris:
Cyzicon Hæmoniæ nobile gentis opus.
Quæque tenent Ponti Byzantii littora fauces:
Hic locus est gemini janua vasta maris. D

Lemni Insulæ præclara. Et hactenus de symbolo Neptuni ac Tridentis ejusdem, quod diximus Byzantios usurpasse, a cujus littore, non ita procul in conspectu, LEMNOS Insula, non magis quondam, quam nunc etiam celebris, terra salubri, & in usum medicinæ recepta, quam sphragida Lemniam, nunc vero sigillatam appellant. In qua Insula, a Turcis *Salamine* dicta, Vulcani quondam officina (cujus etiam imago in moneta usu fuit) & Thoantis regnum Poetis celebrantur. Cum filia Hypsipile cum fæminæ ibi in sexum virilem conjurassent, & una nocte viros omnes occidissent patrem servasse fertur, ac clam naviculæ impositum dimisisse: quam cum cæteræ ad supplicium postularent, a Jasone & Argonautis, qui forte crudeli facinori supervenerant, abducta fuit. Cæterum in Insula quadam relicta Hypsipile apud Ovidium de Jasonis perfidia conqueritur hoc carmine: E

Non erat hic aries villo spectabilis aureo.
Non senis Alcetæ regia Lemnos erat.

Et iterum:

Dos tibi Lemnos erit terra ingeniosa colenti.
Me quoque jam tales inter habere potes. F

In Insula igitur relicta Hypsipile a Piratisque inventa Lycurgo regi Nemeæ venditur, cujus filium Ophelten cum nutriret, Adrasto Argivorum rege, cum Polynice genero Thebas petentibus obviam facta, ac siti laborantibus cum fontem Langiam ostendisset, oblita pueri in herba ludentis, ut a serpente occideretur, causa fuit. Quare denuo ad supplicium rapta, ab Argivis tamen defensa & abducta fuit. Quam sive historiam sive fabu-

lam lib. V. *Theb.* Papinius prolixe describit. Qui denique situm Insulæ Thraciæ proximum delineans sic canit:

—— Ægæo premitur circumflua Nereo
Lemnos: ubi ignifera fessus respirat ab Ætna
Mulciber, ingenti tellurem proximus umbra
Vestit Athos, nemorumque obscurat imagine pontum.
Thraces arant contra: Thracum fatalia nobis
Littora.

Et rursus:

Et Paros, & nemorosa Thasos, crebræque relucent
Cyclades: una gravi penitus latet obruta cœlo
Lemnos, in hanc tristes nebulæ: & plaga cæca superne
Texitur; una magis Lemnos non agnita nautis.

A Lemno non ita procul est Insula Samos, Thraciæ pariter objecta, ab Incolis, qui huc ex Thracia continente commigrarunt, Samothrace dicta: in quam Iones & Athenienses colonias deduxere. In qua Asylum sacrum quondam fuerat, quo tamen sanguine humano polluti confugere non audebant. *Samothrace Insula.* Quare cum eo Perses Macedoniæ rex a P. Æmylio victus confugisset, ab incolis non est defensus. Locum ex T. Livio subjicere placet, qui & Insulæ situm templumque, & mores affabre depingit: *Pro se quisque transire ad Romanos fugæque consilium capere, solum prope relictum coegerunt, Oroandemque Cretensem, cui nota Thraciæ ora erat, quia mercaturas in regione fecerat, appellat, ut se sublatum in Lembum ad Cotyn deveheret. Demetrium est portus in promontorio quondam Samothraciæ: ubi Lembus stabat, sub Occasum Solis deferuntur quæ ad usum necessaria erant, defertur & pecunia quanta clam deferri poterat.* Et de templi sanctitate scribens: *Dum hæc aguntur classis Cn. Octavii Samothracam est appulsa. Is quoque præsenti admoto terrore, modo minis, modo spe perlicere, ut se traderet cum conaretur, adjuvit in hoc eum res casu contracta seu consilio. L. Atilius illustris adolescens, cum in concione esse populum Samothracum advertisset, a magistratibus petiit, ut sibi paucis alloquendi populum potestatem facerent. Permisso, utrum nos hospites Samothraces vere accipimus an falso, sacram hanc Insulam totam augusti atque inviolati Solis esse? Cum creditæ sanctitati assentirentur omnes, cur igitur, inquit, pollutam homicida sanguine regis Eumenis violavit, & cum omnis præfatio sacrorum eos quibus non sunt puræ manus sacris arceat, vos penetralia vestra contaminari cruento latronis corpore sinetis?* *Templum Samothraciæ.* Hæc de templi sanctitate atque Asylo quod famigeratissimum ibi fuerat. De nominis origine liber ex *decimo* Strabonis, locum subjungere, cur Samos dicta sit, cum & altera sit in Ionico sinu prope Cephalleniam, ad quam primo *Æn.* Maro scilicet alludit hoc carmine:

Quam Juno fertur terris magis omnibus unam
Posthabita coluisse Samo.

Quare dicta Samos. Verba Strabonis hæc sunt: *Quandoquidem igitur rerum Trojanarum tempore Samos & Cephallenia & Samothracia nominabantur, earum nomina a priscorum aliquo illis indita fuisse liquet, ex quibus & illud manifestum est: quod præter antiquam historiam qua colonos post Ionicam coloniam, Tembrionisque præsentiam e Samo venisse fingunt, & Samon Samothraciam nomi-*

nasse. Planum inquam est, Samios hoc esse commentos gloriæ causa: vero autem similius illi dicunt, qui nomen Insulæ ab altitudine impositum ajunt. Samos namque summitas & altitudo vocatur, siquidem ex eo loco tota prospectui patebat Ida, & Priami civitas & Achæorum naves cernebantur. Sunt qui a Saii priscis Thraciæ cultoribus, & qui continenti finitimam habitabant, Samum appellatam esse dicunt.

Homerus sane *Iliados* H. cum proximas Insulas commemorat, Sami quoque meminisse videtur, Thraciam ac Iden nemorosam in summo cognominat, veluti Imbron sterilem, & Lemnon planissimam longis nucibus celebrat. Unde Virgilius VII. *Æneidos*:

Threiciamque Samum, quæ nunc Samothracia fertur.

Et Naso cum iter exilii sui in pontum e Corintho describit, cecinit:

Fleximus in lævum cursus; & ab Hectoris urbe
Venimus ad portus Imbria terra tuos.
Inde levi vento Zerinthia littora nactis
Threiciam tetigit fessa carina Samon.

Unde & illud est:

Fama est fictilibus cœnasse Agathoclea regem,
Atque abacum Samio sæpe onerasse luto.

Cephallenia Insula. Abundat quippe hæc Insula luto conficiendis fictilibus, unde allata fictilia vasa celebrantur, quemadmodum ærea Corinthia. Est vero & altera Samos Insula in Ionico mari contra Epirum Cephalleniæ & Ithacæ & Zacyntho propinqua sub Ulyssis quondam imperio, uti & Cephallenia. Unde Homerus in *Catalogo*, cum quos ad bellum Trojanum Ulysses duxerit commemorat:

Ipse Cephallenas secum ducebat Ulysses,
Quique tenent Ithacam sylvis & Neriton altis,
Et Crocylam colunt, asperamque Ægylippen,
Et Zacynthum, Samumque.

Et lib. I. *Odyss.*

Quotcunque optimates Insulis imperitabant,
Dulichioque Samoque herbosæque Zacyntho.

Ad Cephalleniam Epiro adjacentem Insulam (ut de Insulis caput concludamus) pertinet quod Strabo refert, & de civitatibus illius & nominis origine, *lib.* X. *De Cephallenia autem quæ est Tetrapolis, id est, civitates quaternas continet, neque hujus temporis nomine dixit, neque ulla de civitate, una tantum excepta sive Same sive Samo, quod oppidum hodie deletum prorsus est, ad medium autem Ithacæ fretum, ipsius vestigia commonstrantur, ab ea vero Incolæ Samæi vocantur. Alia sunt adhuc his temporibus exilia quædam oppidula, Pronesus & Cranii, ætate vero nostra alteram C. Antonius ædificavit M. Antonii patruus, cum post consulatum quem collega Ciceronis oratoris gessit, exul in Cephallenia moram traxit, & universam Insulam sicuti peculiare prædium subjectam habuit. Quam tamen a se habitari & condi cœptam non absolvit. Sed ab exilio revocatus, adhibita rebus amplioribus cura functus est vita. Non dubitavere plerique Cephalleniam eandem & Dulichium appellare, & Taphum alii & Taphios & Cephallenios eosdem dixere. Teleboas & adversus illos Amphitryonem exercitum duxisse, assumpto socio Deionei filio Cephalo tradidisse, ab illoque nomen assecutam Insulam.* hæc ille. Appellantur autem, de quibus diximus, Insulæ hodie ab Italis Cephallenia, *Lotoa Guardiani*, Ithaca *Conipare*, & Corcyra *Corphum*. Quo autem insigni usa sit Cephallenia, aut utraque Samos nondum comperi, Myrinææ Lemni quidem civitatis insigne reperimus in vetusto numismate, ut fig. 4. TAB. I. lector videbis.


Extat & Corcyræ symbolum navis vetusta, ut Chorographia tibi lector occurret.

CAP. IV.

DE MACEDONIA.

Limites Macedoniæ. MACEDONIA (cujus Monarchia apud Danielem Hirco comparatur, cujus cornu regnum quoque illius præcipuum ornamentum ac decus extitit) definitur a Ptolemæo: ab oriente parte Thraciæ & sinubus Ægæi maris, ab occasu Ionio Pelago, quod a Dyrrhio & Epidamno (hodie *Rhagusium* dicunt) a Septentrione Dalmatiæ, Thraciæ, & Mysiæ lateribus, a Meridie denique parte Epiri, quæ ad Pindum ac Cambunios montes extenditur. Ac tametsi is utrinque Elymæam Orestidem, Albanos, Dassaretios, Aordæos, Æestræos, Phthiotidemque atque Æmathiam conjungat, nos tamen ob linguæ diversitatem, has quidem Thessalis, illas vero Epirotis attribuimus, atque inter utrasque, hinc quidem Magnesiam, illinc vero Pæoniam collocavimus. Scribit tamen Mela. *In Macedonia prima est Thessalia, deinde Magnesia, Phthiotis.* Et iterum: *Tum Macedonum populi quas urbes habitant, Pellam maxime illustrem alumni efficiunt.* Philippus Græciæ domitor, Alexander etiam Asiæ. In littore flexus Mecybernæus inter promontoria dividit Canastræum, & portum qui Cophos dicitur. Mecybernæus autem in medio, qua terra dat gremium, modice in littora ingreditur. Cæterum longis in altum immissis lateribus ingens inde Thermaicus sinus est: in eum Axius per Macedonas, etiam per Thessalos Peneus excurrit, ante Axium Thessalonice est, inter utrumque Cassandræa, Cydna, Azoros, Derris, a Peneo, Sepias, Gyrtona, Melibœa, Castanæa pares ad famam, nisi quod Philoctetes alumnus Melibœam illuminat. — Situs, Promontoria, Metropolis Macedoniæ.

Divisio Macedoniæ. Porro dividunt hoc regnum Geographi antiquiores cum Livio in provincias, Pæoniam (quam tamen alii separant) Mygdoniam, Odomanticen, Sinticen, Pelagoniam, Lyncestiden, Bisalticam, Pataxiam, Chalcidicen, Pieriam, Pelasgiotiden & Æmathiam. Romani cum in provinciæ formam redegissent Macedoniam, Perseo capto, pauciores in ea regiones distinxerunt. Scribit enim Livius *lib.* V. *decad.* V. Omnium primum liberos esse jubere Macedonas, habentes urbes easdem, agrosque, utentes legibus suis, annuos creantes magistratus, tributum dimidium ejus, quod pependissent regibus, pendere populo Romano, deinde in quatuor regiones dividi Macedoniam, unam fore & primam partem, quod agri inter Strymonem & Nessum amnem sit, accessurum huic parti trans Nessum ad Orientem versus, qua Perseus tenuisset vicos, castella, oppida, præter Ænum & Maroneam & Abdera, trans Strymonem autem vergentia, ad Occasum Bisalticam omnem cum Heraclæa quam Synticen appellant. Secundam fore regionem, quam ab Ortu Strymo amplecteretur amnis, præter Synticen, Heraclæam & Bisal-


1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12

tas, ab Occasu, qua Axius terminaret fluvius, additis Pæonis, qui prope Axium flumen ad regionem Orientis colerent. Tertia pars facta, quam Axius ab Oriente, Peneus amnis ab Occasu cingunt, ad Septentrionem Bora mons objicitur: adjecta huic parti regio Pæoniæ, quæ ab Occasu præter Axium amnem porrigitur. Edessa quoque & Beræa eodem concesserunt. Quarta regio trans Boram montem una parte confinis Illyrico, altera Epiro. Capita regionum, ubi concilia fierent, Primæ regionis Amphipolim, Secundæ Thessalonicen, Tertiæ Pellam, Quartæ Pelagoniam fecit.

Lingua Macedonum qualis.

Et de divisione hactenus, nunc qua lingua, ac quibus insignibus cum in moneta cum sigillo usa Macedonum gens fuerit, expediam. Linguam vero diversam extitisse a Græca, verba Livii coarguunt *lib.* v. *Decad.* v. cum Perseo capto, divisum Macedoniæ regnum in IV. partes describit. Silentio per præconem facto, Paulus Latine quæ Senatui, quæ sibi ex concilii sententia visa essent pronuntiavit, ea Cneus Octavius Prætor (nam & ipse aderat) interpretata sermone Græco referebat. Et cum de Persei regis captivitate loquitur. Hæc Græco sermone Perseo, Latine deinde suis. *Exemplum insigne cernitis*, inquit, *mutationum rerum humanarum.* Quæ sane demonstrant Macedones linguam Græcam in eo usu habuisse, quo hodie Germani Latinam habemus, puta non nisi aliquo loco constitutis hominibus usurpatam. Aliud enim idioma peculiare Macedonum fuisse, Athenæi verba III. *Dipnos.* testantur. Cum in regina Roma versarer, vir optime loci ipsius vocibus nunc ob consuetudinem usus sum, & apud antiquissimos Poetas & Historicos Græce maxime loquentes facillime Persica etiam nomina, ob usus consuetudinem invenies, sicut Parasangas, Asturos, & Schœnum, quæ nunc etiam mensura est terræ, ita a multis nominata. Novi multos Atticos quod cum Macedonibus conversati sunt Macedonice loquentes. Huc pertinet quod Strabo in *septimo* scriptum reliquit. Iamque Lyncistum, & Pelagoniam, & Orestiadem, & Æmiam superioris Macedoniæ nomine comprehendebant, eamque posterioris Eleutheram, id est, liberam dicebant, aliqui vero universam usque ad Corcyram Macedoniam appellant, cui rationem simul asserentes, quod & tonsura, & lingua, & chlamyde aliisque talibus utantur pariter omnes, plerique gemino sermone loquuntur. Soluto autem Macedonum regno, cuncta in Romanorum ditionem concessere.

Insignia Macedoniæ. TAB. II. fig. I. & II.

Transeo ad insignia provinciæ, quæ reperio Quadruplicia, puta Dianæ imaginem, clavam Herculis, Cornua Hircina & Jovis sedentis symbolum. Dianæ quidem imagine in moneta Macedones usos crediderim, vel ob Dianam Pelleam, hoc est, apud Pellam Metropolim regni cultam, cujus Pausanias mentionem facit: de qua urbe Strabo in *decimo sexto* hæc adnotavit. *Ea olim Pella dicebatur a primis Macedonibus, propterea quod maxima Macedonum pars qui in Asia militaverant, hic habitavere.*

Pella vero Macedonum Metropolis fuit, Philippi & Alexandri patria: hoc in loco milites recensebantur, & equi alebantur, & regis equæ numero supra XXX. millia, ha-

A rum emissarii CCC. Vel quia venationis Macedones studiosissimi extitere Dianæ videri possunt symbolo usi: ad quos alludens scribit in primo *Dipnos.* Athenæus. *Testatur Hegesander* (ait) *in more positum apud Macedones fuisse, ut nullus decumberet inter convivas, nisi extra retia aprum interfecisset, tunc enim sedere inter convivantes licebat.* Cassander cum trigesimum quintum vitæ suæ annum attigisset, tunc etiam comedebat sedens apud patrem, quia certamen non potuisset absolvere, quamvis robustus esset & bonus venator.

Macedones venationum studiosi.

B Quare de Alexandro Magno scribens idem autor in XV. *Subsequebantur & multa jumenta, quæ ad palæstræ usum pulverem conferebant. Menelaum vero & Leonnatum venatores tentoria stadiorum quinque ferentes sequi solebant, quibus feras circumdantes venabantur.* Id & Q. Curtius de Alexandro refert. *Cæterum Macedones quanquam prospero eventu defunctus erat Alexander, tamen scivere gentis suæ morem, ne pedes venaretur sine delectis principum amicorumque, ille quatuor millibus ferarum dejectis, in eodem saltu cum toto exercitu epulatus est.* Sic intelligitur illud T. Livii *lib.* I. *dec.* C v. cum captivitatem Persei regis describit, quam scilicet lunæ, quæ & Diana, præcesserat defectus: *Nocte*, inquit, *quam pridie nonas Septembris, insecuta est dies, edita hora luna cum defecisset, Romanis militibus Galli sapientia prope divina videri, Macedonas ut triste prodigium, occasum regni perniciemque gentis portendens movit.* Et hæc super Dianæ imagine. Sed quod Herculis clava, Macedones usi fuere: adjecta inscriptione ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ ΠΡΟΤΗΣ, causam arbitror, vel quia stemma Macedon. principum ab Hercule defluxerit, vel quia Alexander Magnus & no-D mine & habitu se Herculis filium finxerit.

Herculis insigne Macedon. TAB. II. fig. 3.

Quod diximus de familia Herculis, ita se res habet. Hercules ex Deianira Oenei regis Calydoniæ filia (ut de Megara, Thebana, Auge, Omphale, Parthenopæa, cæterisque ejus conjugibus sileam) Hillum, Chesippum & Glicisonidem tulit, ab horum uno Aristomachus gignitur Cleolai pater. Cujus filius Themenus Argos acceperat, partiturus cum fratribus, quorum Cresphontes Messeniam, & Aristodemus Eurysthenis pater Laconicum agrum obtinuerant. Porro ex E Themeno Argivo, Cernes, Phalces, Symius & Ceisus prodiere. Cisi filius nomine Perdicas pulsus avito regno, in finibus Macedoniæ exulaverat, & Perdicam secundum ac Alcetem genuerat. Quorum postremi filii extitere, Alexander & Amyntas: horum Alexander ab Archelao, Perdicæ filio, interficitur. Amyntas porro Alexandrum secundum reliquit, cujus Herodotus meminit. Athenas ab Mardonio missi. Is Amyntas Amyntam II. tulit. Qui ex Illyrica fæmina Eurydice Philippum progenuit Alexandri Magni patrem, qui generis gloriam rebus gestis extollens, F Monarchiam terram Macedonicam constituit, finibus in Indiam & usque ad Istrum promotis. Erat vero Philippus iste minor natu inter fratres & Thebis obses a fratribus, qui rerum potiebantur, datus, Alexandro nempe, quem Ptolomæus Alorites interfecerat, & Perdica tertio. Philippus itaque cum plures duxisset uxores, plures quoque filios progenuit. Ex Nicispoli videlicet Pheræa Thessalonicen Cassandri uxorem, ex Phlynna Arideum, & ex Olympia Alexandrum

Stemma Macedon. regum.

Philippi Amyntæ uxor & liberi.

Magnum ac Cleopatram Attalo nuptam. Quare & Olympias nondum adulto Magno, ab Aridæo privigno pulsa, in Epirum fugerat. Ac tametsi Alexander, quem diximus Magnum, duos filios tulisset, ex Arsione videlicet Herculem, & ex Roxane Alexandrum. Horum tamen puer Alexander obierat, & Alexander a Cassandro cognato, Thessalonicenses sororis Magni marito, interfectus erat. Itaque Cassandri ex Thessalonice filii Antipater, Philippus & Alexander, rerum ad se summam Alexandro Magno extincto traxerunt. Quorum Philippus morbo perierat, Antipater vero Thessalonice matre occisa, Cassandrum secundum filium reliquit, illum videlicet qui Thebas restituit. Is porro Alexander tulit, quem Lacharis tyrannide liberasse Athenienses, Pausanias scribit: a Demetrio occisum, qui & Alexandrum Antipatri patrem interfecerat, & Antigoni Satrapæ ac Alexan. Magni ducis filius extiterat, a multis expugnatis urbibus *Poliorcetes* cognominatus, qui & Isthmum Peloponnesi perfodere conabatur. Quorum consiliorum occasione in moneta Neptuni reducis symbolo, ac triremis insigni usus conspicitur, cum caput pariter, more Macedoniæ principum, cornibus hircinis redimitum cernatur. Habebat vero is Demetrius plures conjuges, ex quarum Illyrica una Demetrium secundum genuit LERTON vocatum, & ex Ptolomaide Demetrium tertium Cyrenes regem: ex Deidamia præterea Epiri regis nata Alexandrum Epirotarum regem. Ex Eurydice denique Chorœbum, ex Phylla Stratonicen & AntigonumGONATON appellatum, qui Demetrium quartum orbi reliquit, Philippi regis a Quinctio debellati, & ad Cynocephalas victi a Romanis, patrem. Philippus vero cum Demetrium V. & Persen genuisset: Primus a fratre interficitur, Perses vero a Paulo Æmilio victus captusque & Romam in triumphum ductus fuit, Macedonum regno in formam Provinciæ redacto. Et hæc de stemmate regum Macedoniæ, quod diximus ab Argivis ac Herculis genere descendisse. Quapropter T. Livius *lib.* VII. *Decad.* IV. scribit, de Philippo rege Persei patre locutus: *Profectus ipse cum paucis equitum levisque armaturæ Argos venit. ibi curatione Hernicorum, Nemeorumque suffragiis populi ad eum delata, quia se Macedonum reges ex ea civitate oriundos referunt.*

TAB. II. fig. 4. & 5.

Demetrii regis insigne.

Alexander Magnus Herculis habitu.

Atque hanc causam arbitror, quamobrem Alexander Magnus in numismate suo Herculis habitu sculptus cernitur exuviis Leoninis caput tectus. Ad quod pertinet quod XII. *Dipnos.* Athenæus de Alexandro Magno refert. *At in conventu calceos & petasum in capite, caduceumque in manibus, sæpe clavam etiam, Leoninamque pellem veluti Hercules.* Quod sane admirabile est, si nostris temporibus Commodus Imperator Herculeam clavam in vehiculis adjacentem habeat, pellisque leonina ei substernatur, ac Hercules dici cupiat. Cum Alexander Aristotelis discipulus se tot Deis comparavit. Adde quæ Arrianus in *secundo* scribit de ipso: *Post hæc Alexander ob rem bene gestam Herculi vota persolvit, cum exercitu navibusque instructis, ludis Gymnicis editis.* Sic Appianus secundo *Romanæ hist.* cum Julium Cæsarem Alexandro Magno confert, nominatim scribit: *Uterque etiam corporis robore,*

A *& pulchritudine præcelluit, utrique a Jove genus. Ille quidem ab Æaco & Hercule, hic ab Anchise & Venere duxit originem, contentiosi adversus irritantes ambo, ad conciliandum vero perfaciles, & in captivos pariter clementes habiti, ultra clementiam, benefici quoque, neque aliud quam vincere affectantes.*

Cornuum hircinorum insigne. TAB. II. fig. 6.

Transeo nunc ad tertium genus insignium, nempe cornua Hircina, quæ Reges dumtaxat, & quidem vel in Casside veluti Alexander Magnus, Philippus Persei pater & Pyrrhus, vel in Diademate gestabant,
B quemadmodum in veteri numismate Demetrius, Antigonus & Lysimachus ornati conspiciuntur: ad quod alludens insigne de Pyrrho Plutarchus scriptum reliquit. *Pyrrhus autem stabat detracta Casside, ac rursus eam capiti imponebat, ut insigne hircinorum cornuum nosceretur.* Liv, *lib.* VII. *Decad.* IV. de Philippo Persei fratre locutus, cum Philippi Macedoniæ regis conflictum, pro Achæis contra Ætolos ac Romanos describit: *Expeditione ea qua cum populatoribus agri ad Sicyonem pugnavit in arborem allatus, impetu equi ad eminentem ramum cornu alterum galeæ perfregit.*
C *Id inventum ab Ætolo quodam, prolatumque in Ætoliam ad Scardiletum, cui notum erat insigne galeæ, famam interfecti regis vulgavit.* Quare vero Hircinorum cornuum insigni Macedoniæ reges usi fuerint, triplex reddi causa potest, vel quod Daniel Propheta, cum in spiritu Monarchias prævidisset, Macedonicam Monarchiam hirco compararit; vel quod Alexander Magnus cum se Jovis Ammonis filium finxisset, Hircina cornua, quibus Jupiter Ammon in Ægypto repræsentabatur, introduxerit, vel quod Nicator de-
D nique ex Satrapa Macedoniæ rex, taurum quondam ex sacrificio Alexandri fugientem manibus correptum tenuerit. De Jove Ammone, cujus se filium finxerat Magnus, Athenæus XII. *Dipnos. Asserit Ephippus Alexandrum sacras etiam vestes in cœnis gestare solitum, aliquando purpuream quidem Hammonis, circumcisas vestes cornuaque veluti Deus, aliquando vero Palladis, quam in curru gestabat.*

Quare Macedones insignibus usi hircinis cornibus.

De Alexandro.

Adde quæ Arrianus in *tertio* scribit. Sed vel maxime, quoniam Perseus atque Hercules ipsum Deum consulturi adiisse ferebantur. Perseus, quo tempore adversus Gor-
E gonam a Polydecte, Hercules cum in Libyam contra Antheum, in Ægyptum contra Busiridem proficisci ab Eurystheo jussus est. Erat enim Alexandro æmulatio quædam cum utroque de honore & gloria, cum ex eadem stirpe esse se vellet, nam & ipse originem suam in Jovem referebat, quemadmodum Poetarum fabulæ, Persei atque Herculis Jovem ipsum Patrem finxere. Hoc itaque consilio ad Ammonem proficiscebatur, tanquam originis suæ certior futurus.

Alexander Magnus Jovis Ammonis filius.

Sic Curtius *libro* IV. rerum ab Alex. ge-
F starum, cum de ejus in Aphricam ad Jovis Ammonis oraculum profectione loquitur: *Sequuntur matronæ virginesque patrio more inconditum quoddam carmen canentes, quo propiciari Jovem credunt, ut certum edat oraculum. At tum quidem regem propius adeuntem, maximus natu e Sacerdotibus filium appellat, hoc nomen illi Parentem Jovem reddere affirmans. Ille vero ait, & accipere & agnoscere, humanæ sortis oblitus.* Et subdit: *Jovis igitur filium se non solum appellari passus est, sed etiam jussit.* Huc

alludens nimirum Silius *lib.*XIII. cum Scipionem apud Inferos Alexandrum alloquentem inducit:

Incipit Æneades Lybici certissima proles
Ammonis quanto exuperat tua gloria cunctos
Indubitata duces.

Cornua hircina Jovis Ammonis. TAB. II. fig. 7.

Quod vero Jupiter Hammon hircinis cornibus antiquitati repræsentatus fuerit, ostendit Diodorus lib.IV. *Bibliothecæ*. *Traditur Ammon galea in bellis usus, cujus insigne fuit arietis caput, sunt qui ipsum adserant natura in utroque tempore parvula habuisse cornua, propter ea filium ejus Dionysium eodem fuisse aspectu, posterisque traditum Deum hunc cornua gestasse*. Unde facile apparet a Jove Ammone cornua hircina desumpta, quæ similiter in galea reges ut ille gestabant, ut supra ex Livio & Plutarcho docuimus. Et sic intelliguntur loca Poetarum de Jove cornigero. Ovidius *in Ibin*:

Nec tibi fida magis misceri pocula possunt,
Quam qui cornigero de Jove natus erat.

Lucanus in *sexto*:

Ventum erat ad templum, Libycis quod gentibus unum
Inculti Garamantes habent: stat corniger illic
Juppiter, ut memorant, sed non aut fulmina vibrans,
Aut similis nostro, sed tortis cornibus Ammon.

Sic Silius *lib.*XV. Sacerdotem Jovis Ammonis Casside cornuta describit, qualem gessisse Macedoniæ reges diximus:

Fatidicis Nabis veniens Ammonis arenis,
Improba miscebat securus prælia vati:
Cui, tutante Deo, patriis spolia improba terris,
Fixurum vano tumidus promiserat ore.
Ardebat gemma Garamantide cœrula vestis,
Ut cum sparsa micant stellarum lumina cœlo.
Et gemmis galeam clypeumque accenderat auro,
Casside cornigera dependens Infula sacros
Præ se terrores divumque ferebat honore.

Addam ceu corollarium præmissis de cornibus Jovis, quod Homerus antiquissimus quoque Poeta III. *Iliados* fingit, Menelaum cum reliquis Græcorum ducibus Jovi agnum album, cornibusque conspicuum mactasse, ut servatores fœderum juvaret, violatoresque puniret. Similiter & Apollonius Rhodius secundo *Argonaut*. ab iis quibus perfugiendo Jupiter profuisset, auratum agnum Jovi mactatum fuisse, scribit. Atque hanc rationem reddere voluimus, quare & Alexander cognomento Magnus, & post eum cæteri Macedoniæ reges in casside vel diademate hircina cornua gestarint, ut in veteri etiam passim moneta repræsentantur. Quæ si alicui non arridet, is probet per me licet, quod in *Syriacis* Appianus Alexandrinus, de Nicatore scriptum reliquit, locum subjicere placuit. Mihi autem probabilius videtur Nicatorem interfecisse, vel quod corpore ingenti fuerit ac robusto. sylvestremque taurum in Alexandri sacrificio, olim elapsum e vinculis sese opponens, manibus tenuerit ambabus. Quod in statuis conspicitur, quibus cornua desuper adjecta sunt.

Et hæc de Macedoniæ insignibus, quæ in antiqua passim moneta reperiuntur. Peculiaria vero Regum ac Principum fuere insignia, Alexandri præcipue cognomento Magni, qui & victoriam alatam, & Bucephalum equum & Jovem Olympicum in sede sedentem usurpaverat. De Bucephalo scribit Strabo *lib.*XV. sedecim talentis e Philonici Pharsali grege emptus, sive ab aspectu torvo, sive ab insigni taurini capitis armo impressi hoc nomine vocatus, neminem nisi Alexandrum Magnum sessorem passus dicitur. Ideo in bello Indico, interfecto illo, huic & exequias duxit Alexander, & sepultura locum adstructa civitate, & ab equo denominata augustiorem fecit. Ad victoriæ imaginem qua usus similiter Alexander in moneta fuerat, pertinet quod scribit Curtius in VIII. *lib.* *Rex equite præmisso qui reverti eos juberet, operirique præsentiam ipsius supervenit, & victimis Minervæ, ac victoriæ cæsis imperium Sisimithri restituit.* Plin. *lib.*XXXV. c.X. *Item belli imaginem restrictis a tergo manibus Alexandro in curru triumphante.* Quas utrasque tabulas D. Augustus in fori sui porticibus celeberrimis dicaverat, simplicitate moderata, Divus Claudius pluris æstimavit in utraque excisa facie Alexandri, divi Augustini imaginem subdere. De Jovis Olympici symbolo dicetur in Elide. Scitum est quod Plin. *lib.*XXXV. refert de Apelle. *Pinxit & Alexandrum Magnum fulmen tenentem in templo Ephesiorum.* Erat illud unum & præcipuum, quod in A. Magno reprehendebatur præter temulentiam, unde Curtius in VI. refert, cum raptos ad supplicium Macedones describit ob insidiarum suspicionem, Philotam ita loquentem introducit: *Pater*, inquit, *meus Egilocho quam familiariter usus sit, non ignoratis. Illum dico Egilochum, qui in acie cecidit: ille omnium malorum nobis causa fuit. Nam cum primum Jovis filium se salutari jussit rex, id indigne ferens ille. Hunc igitur regem agnoscimus*, inquit, *qui Philippum dedignatur patrem? actum est de nobis, si ista perpeti possumus, non homines solum, sed etiam Deos despicit, qui postulat Deus credi. Amisimus Alexandrum, amisimus regem, incidimus in superbiam, nec Diis quibus se exæquat, non hominibus quibus se eximit, tolerabilem. Nostrone sanguine Deum fecimus, qui nos fastidiat, qui gravetur mortalium adire concilium? Credite mihi, & nos, si viri sumus, a Diis adoptabimur. Quis proavum ejus Alexandrum, quis deinde Archelaum, quis Perdiccam occisos ultus est.* Interdum exuviis leoninis tecta in moneta sua apparet, vel quod se Herculem finxerat, ut supra dictum est, causa est, vel quod Leonem ipse, insignis magnitudinis occiderit, ut de ipso Q. Curtius scriptum reliquit, in VIII. *Quatuor continuis ætatibus intactam saltem fuisse constabat, quem Alexander cum toto exercitu ingressus, agitari undique feras jussit, inter quas cum leo magnitudinis raræ, ipsum regem invasurus incurreret, forte Lysimachus, qui postea regnavit proximus Alexandro, venabulum objicere feræ cœperat. Quo Rex repulso & abire jusso, adjecit, tam a se, quam a Lysimacho Leonem interfici posse. Lysimachus enim quondam cum venaretur in Syria occiderat eximiæ magnitudinis feram solus, sed lævo humero usque ad ossa laceratus, ad ultimum periculi pervenerat. Idipsum exprobrans ei rex fortius quam locutus est fecit, nam feram non excepit modo, sed etiam uno vulnere occidit.*

Insignia Alexandri Magni. TAB. II. fig. 8.

TAB. III. fig. 9.

Huc pertinet quod de Philippo patre refe-

runt hiſtoriæ, poſt nuptias per quietem vidiſſe conjugis alvo inſignem affixiſſe bullam, cujus ſculptura, quemadmodum is exiſtimaverat leonis haberet imaginem. Quod vates ita ſunt interpretati, ipſam quidem eſſe gravidam, animoſum quoque & leonis natura præditum infantem partituram. Et de inſignibus Alexandri Magni hactenus, quibus in moneta uſus reperitur, ubi etiam literarum complicationes quædam cernuntur M & A hoc modo ΙΑΙ. Eſt autem ut interdum dictiones integræ habent, ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ ΠΡΩΤΗΣ. Cernitur interdum & vocula *Niceter* adſcripta. Erant vero Niceteria feſta & epulationes lætæ, quibus præmia e victoria relata, veluti torques, arma, haſtæ, ſignaque recenſebantur; ad quæ alludens canit Satyricus:

TAB. II. fig. 10.

Notarum explicatio quæ in moneta antiqua

Et Ceromatico fert Niceteria collo.

TAB. II. fig. II.

Porro in cæteris numiſmatibus, ubi Demetrii regis eſt inſcriptio, Literæ ejus nominis initiales conjunctæ videntur hoc modo ΔΔ. Et de Macedonia caput jam concluſurus eram, cum ritus quidam mihi ejus gentis, rerumque celebriorum, ac præclare geſtarum ceu capita quædam commemoranda videntur. Quorum primum eſt, qua veneratione ad metum uſque Macedones reges ſuos complexi fuerint, ut recte ſcribit in *tertio* Curtius. *Namque haud facile dictu eſt, præter ingenitam illi genti erga reges ſuos venerationem, quantum hujus quoque regis, vel admirationi dediti fuerint, vel charitate flagraverint.* Et in VI. poſteaquam ait Philotam torqueri fama vulgaverat, legem Macedonum veriti, qua cautum erat, ut propinqui eorum qui regi inſidiati erant, cum ipſis necarentur, alii ſe interficiunt, alii in devios montes, vaſtaſque ſolitudines fugiunt, ingenti per tota caſtra terrore diffuſo, donec rex tumultu cognito legem de ſupplicio conjunctis ſontium remittere edixit. Alium morem idem autor recenſet in VIII. de Matrimonii pignore, cum de virguncula quadam adamata tractat, & quam poſt Roxanem Alexander duxerat uxorem. *Et Rex medio cupiditatis ardore juſſit adferri patrio more panem* (hoc erat apud Macedones ſanctiſſimum coeuntium pignus) *quem diviſum gladio uterque libabat. Credo eos qui gentis mores condiderunt, parco & parabili victu oſtendere voluiſſe, jungentibus opes, quantulo contenti eſſe deberent. Hoc modo rex Aſiæ & Europæ, introductam inter convivales ludos, matrimonio ſibi adjunxit, e captiva geniturus, qui victoribus imperaret.*

Macedonum mores.

De armatura & veſtitu Macedonum ſcribit Plutarch. in *Æmilio*: *Tertium erat agmen Macedonum delectorum, hi fulgebant auratis armis, ac novis & rutilantibus ſagis; quibus conſtitutis in ordinem ſplendore quidem campum, clamore autem adhortantium etiam colles compleverant.* Adde quæ refert in *tertio* Curtius: *Sed Macedonum acies torva ſane & inculta clypeis, haſtiſque immobiles cuneos & conferta robora virorum teget. Ipſi Phalangem vocant peditum ſtabile agmen. Vir viro, armis arma conſerta ſunt, ad nutum monentis intenti, ſequi ſigna, ordines ſervare didicere: quod imperatur, omnes exaudiunt, obſiſtere, circumire, in cornu mutare pugnam, non duces magis quam milites callent. Et ne auri argentique ſtudio teneri putes, adhuc illa diſciplina paupertate magiſtra ſtetit, fatigatis humus cubile eſt, cibus quem occupant, ſatiat, tempora ſomni arctiora quam noctes ſunt.*

Armatura & veſtitus Macedonum.

Cum itaque tanta in re militari ſcientia Macedones præditi fuerint, tum præcipue duo ejus populi reges gloriam gentis propagavere; Philippus Amyntæ filius, & Alexander Philippi ejuſdem natus, quem ab excellentia rerum geſtarum hiſtoriæ *Magnum* cognominant. Quorum ille Muſarum eximius cultor, bello ita excelluit, ut primis annis cum a fratribus ſuis Alexandro, Polemone & Perdicca Thebanis eſſet obſes datus, cuſtodia elapſus, cum fratres e medio eſſent dolo novercæ ſublati, & rerum ad ipſum ſumma veniſſet, Athenienſibus ultro bellum intulerit: hiſque victis, a Thebanis in auxilium vocatus, contra Lacedæmones & Phocenſes, quod Apollinis Delphici templum ſpoliaſſent victor pugnarit. Idem expugnato Olyntho Thraciam occupavit, duobus regibus de regno contendentibus. Byzantium quoque expugnavit, & adverſus Scythas cum ſignis profectus, Piratas quoque in mari debellavit. Idcirco arbitror in moneta Theſſalici equi ſymbolo uſum. Et quia in acie audacior paulo fuiſſet, alterum oculum amiſit, & cum plures in matrimonio mulieres habuiſſet, tamen ex poſtrema Olympiade Neoptolemi Moloſſorum regis filia Alexandrum progenuit (qui rebus præclare geſtis *Magni* ſortitus eſt cognomen) & Cleopatram ab Antigono interfectam. Alexander vero de quo diximus Magnus, vigeſimo ætatis anno paternum regnum conſecutus, præter militarem ſcientiam ac fœlicitatem, quibus patrem longe ſuperabat, multis virtutibus conſpicuus erat, quarum præcipuæ fuerant pietas, humanitas, continentia, clementia in captivos & ſupplices, & in literas meliores, earumque alumnos favor pene incredibilis, has tantas virtutes fœdavit ante exitum, ebrietate, faſtu etiam tanto, ut ſe Deum appellari voluerit, in luxum denique tantum prolapſus, ut neglecta Roxane uxore, paſſim cum captivis quæ pulchritudine præcellebant concumberet, ex Oxicratis Perſæ filia progenuit, & cum Thaleſtri Amazonum regina, quæ ſalutatum ad ipſum venerat concubuit. In bello vero quantus fuerit, vel Græci teſtantur, qui frequenti concilio Imperatorem ipſum elegerunt adverſus Perſas; quo bello fœliciter confecto, Europam egreſſus ſignis in Aſiam infeſtis movit, ubi Adam Cariæ reginam, Ariobarzanen Medum, Beſſum, Hircanum, Madaten Suſianum, Darium denique potentiſſimum Perſarum regem debellavit, Babylonia antiquiſſima longe maxima urbe ad deditionem coacta: quibus rebus geſtis Mazeum Babyloniæ, Bagiſthenem Mediæ, Abdolimum Sidoniorum regno, Artabazum Hircanis & Phradatem in Tapuris præfecit: relictis ubique Macedonum præſidiis ſuperavit Caucaſum & Taurum, & quo nullus penetraverat, cum exercitu Macedonico pervenit, atque iſthic in natura concluſis montibus Alexandriam urbem condidit. Condidit & alteram in Ægypto ſubacta.

TAB. II. fig. 12.

R. Philippi Amyntæ geſta

TAB. III. fig. 2.

Alexandri Magni geſta.

Alexandri urbes.

Tranſiit & in Arabiam Petra munitiſſima urbe expugnata & Arimaze loci tyranno cũ multis Satrapis in crucem acto. Pervenit & in Indiam, ubi Porum & Abiazarem reges acie vicit, & Bucephalum urbem in finibus

In-


TAB. III.
1
2
3
4
5
6
ΛΟΚΡ
ΛΟΙΚ
7
8
9
10
11
12
ΒΟΙΟΤ

Indiæ construxit. Constituerat denique & in Italiam, Affricam, Hispaniamque transfretare, nisi veneno, a filiis Antipatri (cui Macedoniam una cum matre discedens commiserat) Thessalo & Iolao, qui a poculis fuerant, ante tempus nondum annos natus XL. e medio sublatus fuisset. Erat autem Antipater fratruelis, filius Cassandri & Thessalonices sororis Magni, sed ex prima Philippi uxore Nicesipoli Pheræa, qui cum in simultatem cum matre Alexandri incidisset, ne accusatus pœnas daret, veneno prævenire voluit. Sic extinctus Maximus heros, cui vix orbis suffecerat, Perdiccæ cognato annulum tradidit, quem tamen regni gubernaculis dejecere reliqui Satrapæ ac belli duces, Lysimachus, Antipater de quo diximus, Ptolomæus, Antigonus, cujus & stemma in regno Macedoniæ mansit, cujus & filius Demetrius *Poliorcetes* cognomento Alexandrum Antipatri fratrem, & cui regnum ex sanguinis vinculo debebatur, interfecit. Demetrium igitur, de quo loquimur, in regno Macedoniæ secuti sunt (nam Ptolomæus Lagi filius Ægypto erat contentus, & Seleucus Syria) ex Phylla uxore Antigonus GONATON cognomento, & illum Demetrius pater Philippi a Quinctio debellati ad Cynocephalas Thessaliæ victi, cum Ætolis in auxilium venisset, cujus historiam lege apud Livium *lib.* III. *Decad.* IV. Hinc Florus in *Epitome* cap. XXXIII. scribit: *T. Quintius Flaminius procos. cum Philippo ad Cynocephalas in Thessalia acie victo debellavit: L. Quin. Flaminius frater proconsulis, Acarnanes, Leucade urbe, quæ caput est Acarnaniæ, expugnata, in deditionem accepit.* Et *cap.* XXXIV. *Q. Martius Philippus per saltus penetravit in Macedoniam, quam pluresque urbes occupavit.* Et *cap.* XLIII. *Eumenes Asiæ rex in Senatu de Perseo Macedoniæ rege questus, cujus injuriæ in populum Romanum referuntur, ob quas bello ei indicto P. Licinius Crassus Cos. cui Macedonia decreta erat, in Macedoniam transiit, levibusque expeditionibus equestribus præliis in Thessalia cum Perseo fœlici eventu pugnavit.* Et *cap.* XLIV. *Rhodii misere legatos Romam, minantes, ut Perseo essent auxilio, nisi populus Romanus cum eo pacem atque amicitiam conjungeret. Indigne id latum, cum id bellum L. Æmilio Paulo sequentis anni consuli iterum mandatum esset, Paulus in concione precatus est, ut quidquid duri populo Rom. immineret, supra domum suam converteretur, & in Macedoniam profectus Perseum vicit, universamque Macedoniam in potestatem redegit, antequam confligeret, dixit exercitui, ne mirarentur, quod luna nocte proxima defectura esset.* Et *cap.* XLV. *Macedonia in provinciæ formam redacta est, Æmilius Paulus repugnantibus militibus ejus propter minorem prædam & contradicente Servio Sulpitio Galba triumphavit, & Perseum cum tribus filiis ante currum duxit.*

Macedonia a Romanis subjicitur.

Hæc idcirco prolixius adduximus, ut lector intelligat, quando qua ex causa Macedonicum regnum conciderit. Quod Romani simul atque in potestatem redegissent in quatuor partes diviserunt, ut T. Livius *lib.* V. *Decad.* V. refert. *Silentio per præconem facto, Paulus Latine quæ senatui, quæ sibi ex concilii sententia visa essent, pronunciavit: Ea Cn. Octavius Prætor* (nam & ipse aderat) *interpretata sermone Græco referebat. O-*

A *mnium primum liberos esse jubere Macedonas, habentes urbes easdem, agrosque, utentes legibus suis, annuos creantes Magistratus, tributum dimidium ejus, quod pependissent regibus, pendere P. R.* Deinde in IV. regiones divisam Macedoniam. Quæ hæ regiones exstiterint, & quibus limitibus distinctæ ab initio capitis dictum est. Enimvero posterioribus temporibus, Cæsarum jam potentia confirmata, Illyrico Orientali Diœcesis Macedoniæ subjecta fuit, ita ut sub dispositione viri spectabilis & clarissimi præfecti prætorio Thessalonicensi Macedoniæ sex provinciæ B distinguerentur. Quas Scotus in lib. *præf.* & S. Ruffus in *Epitom.* ad Valentin. Imp. enumerant, Macedoniam veterem, Macedoniam Salutarem, Thessaliam, Achajam, Epirum veterem, Epirum novam & Cretam. Quarum habebat Proconsulem Achaia, Creta & Macedonia consulares Legatos, reliquæ a præsidibus administrabantur. Omnes Præfecto Prætorio apud Thessalonicenses constituto parebant. Quam urbem Philippus Amyntæ construxisse fertur, & a nomine filiæ ex Nicesipoli Pheræa Thessalonices Cassandri uxo- C ris & Antipatri matris cognominasse. Celebratur *Epistolis* divi Pauli, & Theodosii Imper. crudeli facinore, multis isthic hominum millibus ex ira interfectis. Quæ ab Alarico Gotho post secula fuit direpta, hodie Turcarum servitute premitur, & *Selenica* nominatur, quam ante patrum memoriam Andronicus, Emanuelis filius, hæreditate possidebat. Cæterum Johannis fratris sui odio qui imperabat, Venetis concesserat, quibus Amurathes Turcarum Tyrannus eripuit. Revertor ad Macedoniam, quam provinciam, primis quidem tempori- D bus Romani quatuor, & præcipue Legionis quintæ Macedonicæ præsidio tuebantur, Sarmatis vero ac Gothis sub Valentiniano & Valente Imperium infestantibus octo Legionibus Comitatensibus Macedoniam cum proximis provinciis vix in fide contineri potuere.

De Legionibus quatuor, quæ primis temporibus eo in regno excubabant, testatur Livius *lib.* II. *Dec.* V. *Legiones quatuor novas scribi placuit binas singulis consulibus. Id præcipue provinciæ Macedoniæ datum, quod cum alterius consulis legionibus quinque millia* E *peditum, & ducenti equites ex veteri instituto darentur in singulas legiones.* Et nominans hasce legiones, inde sortiti sunt, prima & tert[illegible] in Macedoniam trajicerentur, secunda & quarta in Italia remanerent. His Cajus Julius Cæsar duas adjecit, quas post necem Cæsaris M. Antonius abduxit, ut de ipso in tertio *Civilis Belli* Appianus Alex. scriptum reliquit. Anton. vero in futurum potentia sibi necesse esse existimans, exercitum qui in Macedonia fuerat, virtute præcipuum, magnitudine copiarum amplissimum: sex quippe legiones F inerant, & alia multitudo sagittariorum ac levis armaturæ. Cæsar quintæ legionis XI. & XII. in Macedoniam meminisse videtur lib. III. comm. *Civilis Belli*, sic nominatim scribens: *Interim Pompejus hac longa satis interjecta mora, & renunciata quintam legionem ab opere deductam subsidio suis eduxit*: Ejusdem in Macedonia mentionem faciunt Scotus in libro *præf.* & Dion. *lib.* LV. quam & inscriptiones vetustatis in Transsyl-

Legiones Macedonicæ.

vania ac Lugduni in Gallia commemorat. Quarum Rapsodias subjicere placuit:

Albæ Juliæ in Dacia.

ÆSCULAPIO ET HYGIÆ, CÆTERISQUE HUJUS LOCI SALUTARIBUS C. IULIUS FRONTINIANUS VET. EX 8.F.COS. LEG. V.M. P. REDDITIS SIBI LUMINIBUS.

Lugduni.

TIBER. POMPEIO POMPEIUS T. F. PRISCO CADURCO OMNIBUS HONORIBUS APUD SUOS FUNCT. TRIB. LEG. V. MACEDONICÆ IUDICI A. A. GALLIARUM.

De XI. & XII. legionibus extat locus apud Cæsarem supradicto III. *libro*. C. Calvisium Sabinum cum cohortibus V. paucisque equitibus in Ætoliam misit, maxime eas quæ erant propinquæ regiones, de re frumentaria ut providerent, adhortatus est. Cn. Domitium Calvinum cum duabus legionibus, undecima, & duodecima, & equitibus quingentis in Macedoniam proficisci jubet. Cor. Tacitus lib. III. *Histor.* cap. XXII. Quartæ Macedoniæ nomen citat, cum Vitellii ac Vespasiani ad Cremonam conflictum describit. Paratis jam dispositisque Flavianis impingitur. Ordinem agminis disjecti per iram ac tenebras asseverare non ausim: quanquam alii tradiderint, quartam Macedonicam dextro suorum cornu; quintam & quintamdecimam cum vexillis nonæ, secundæque, & vicesimæ Britannicarum legionum. Liber præfecturarum sub Honorio & Theodosio scriptus octo Comitatenses legiones in finibus Macedoniæ enumerat, videl. Primam Martiorum, Secundam Minervam, Secundam Germanicianorum seniorum, legionem Lancear iorum Augustensium, legionem Lanceariorum juniorum, Constantiacam Mattiariorum, Diannesium, Martiriarorum fœlicem Theodosianam, legionem auxiliarem Timacensem, Legionem V. Ulpiannensem, Metensem, Scopensem, Burgorascensem, Secundam Theodosianam & Legionem balistariorum Theodosian.

CAP. V.

DE THESSALIA.

Limites Thessaliæ. THESSALIA, sive a Thessalo Jasonis ex Medea aut Herculis filio, aut denique Thessalo Thesprotio, qui Achæorum ex Peloponneso pulsorum dux, & occupandæ telluris Pelasgorum autor fuit, cognominata fuerit, definitur a Ptolomæo (quam ille tamen Achaiæ antiquioris partem vocat) ab Oriente Ægæo mari, ab Occasu Epiro, a Septentrione Macedonia, & Meridie Locris Epicnemidiis, Trachinia & Oetæ montis jugis, ac Pindo. Pomp. Mela lib. secundo *Geogr. In Maceonia*, inquit, *prima est Thessalia, deinde Magnesia. Phthiotis*. Et iterum: *De locis atque urbibus, quæ mare non abluit, hæc maxime memoranda sunt, in Thessalia Larissa, aliquando Iolcos, in Magnesia Antronia, in Phthiotide Phthia, in Doride Pindus, juxta situm Erinæon, in Locride Cynos & Calliaros*. Et subdit: *At cum littora leguntur, a promontorio Sepiade per Demetriam & Boion, Pteleon & Echinon, ad Pegaseum sinum cursus est. Ille urbem Pegaseum amplexus, amnem Sperchion accipit. Et quia Minyæ Colchida petentes inde Argo navem solvisse memorantur, ab eo ad Sunium tententibus illa præternaviganda, Maliacus & Opuntius grandes sinus, & in his cæsorum etiam Laconum trophæa, Thermopylæ, Opus, Scarphia, Cnemides, Alope, Anthedon, Larynna*. Cæsar tertio *civilis belli* Haliacmone flumine Thessaliam a Macedonia separat: *M. Favonium*: inquit, ad *flumen Haliacmonem, quod Macedoniam a Thessalia dividit*.

Idem confinia Epiri delineans, conjuncto exercitu Cæsar Gophos pervenit, quod est oppidum Thessaliæ venientibus ab Epiro. Ad Thessaliæ descriptionem pertinet & T. Livii locus, *lib.* VI. *dec.* IV. *Ante saltum Thermopylarum Septentrionem versus Epirus & Perrhæbia & Magnesia, & Thessalia est, & Phthiotæ Achæi, & sinus Maliacus intra fauces ad meridiem vergunt, Ætoliæ pars major, & Acarnania, & cum Locride Phocis & Bœotia, adjunctaque Insula Eubœa, & excurrente in altum velut promontorio, Attica terra sit*. Quibus verbis totum Helladis circuitum complectitur.

Mediterraneum porro Thessaliæ agrum, cum flum. ac montibus, & in quas regiones distinctus fuerit, Strabo lib. X. *Geogr.* delineat. *Inchoemus igitur a Thessalis*, inquit, *plura nimis antiqua & permixta fabulis, & inter se dissonantia, prorsum omittentes, sicut & in aliis quoque fecimus, quæ nobis visa fuerunt oportuna dicentes: Ejus a mari & Thermopylis est littus usque ad Penei eruptionem, & extrema Pelei. Quod quidem littus spectat ad orientem & ad ultima Eubœæ in Boream spectantia. Partes quidem in Eubœa a Termopylis tenent Melienses, & Phthiotæ Achivi, ad Pelium vero Magnates populi. Hoc quidem igitur Thessaliæ latus orientale, littusque appellatur: alio autem ex latere a Peleo & Peneo in Mediterraneam adsistunt adhærentes Macedones usque ad Pœoniam gentesque Epiroticas*. Et de montibus Thessaliæ subjungens: *Hæc est media Thessaliæ fœlicissima regio, ea excepta quam flumen alluit, atque inundat: quoniam Peneus, per mediam labens, quam pluribus adsumptis amnibus sæpius effunditur*. Antiquis autem seculis, ut fama est, totus campus stagnabat, quem aliis ex partibus montes coercebant: cum etiam littus altiora campis loca haberet. Terræ autem motibus factis abrupta sunt, quæ nunc vocantur Tempe, & ab Olympo abscisa Ossa: & hac Peneus effluxit in mare, & oram illam siccatam reddidit. Relinquitur tamen lacus Nessonis, & quidem ingens & minor illo Bœbeis littori propinquior. Cum vero talis sit in quatuor partes dividitur: vocatur autem pars una Phthiothica: altera Estræotica: tertia Thalassiotica, id est, marina: quarta Pelasgia. Cæterum Phthiotica tractum continet Australem ad Oetam, a sinu Maliaco & Pyliaco usque ad Dolopiam, oramque Pindo protensam, in latitudine vero porrectam, usque ad Pharsalum, planaque Thessalica. Estræa autem partes continet occiduas, & quæ intra Pindum Macedoniamque superiorem sunt. Reliqua vero tenent

Tempe Thessaliæ. Thessaliæ divisio.

& qui sub Estræotica planiciem pascuntur Thessali nuncupati, inferioribus contigui Macedonibus, & qui maritimas explent oras deinceps usque Magnesiam. Qua quidem in plaga erit illustrium nominum dinumeratio, per ipsa Homeri Poetæ scripta. Cumque paucæ sint urbes, quæ patriam servent dignitatem, Larissa sane maxime continet. At enim Poeta universam quam nunc Thessaliam appellamus, duodecim in partes, potentatusque paritur. Pleraque Oetæ regionis & Locrensis assumens, nec non Macedonibus subjecta, aliquod etiam commune & toti oræ conveniens subscribit, & totum & singula transmutando, ad ipsas dominantium potestates. Primos igitur Achilli subjectos dinumerat, australe latus tenentes & Oetæ Locrisque Epicnemidiis adjacentes. Versus Latinitate donati sic habent:

—— *Quique Pelasgon habebant,*
Quique Alon & Alopen, & qui Trachina colebant,
Et Phthiam & Græcam speciosis matribus oram,
Myrmidones Græci simul & vocitantur Achæi.

Ex quibus apparet Homeri & antiquiorum seculo Thessalorum fines paulo latius patuisse, atque intra Thessaliæ fines Lapithas, Minyas, Pelasgos & Achæos fuisse comprehensos. Id quod non solum campi Pelasgici, Sinus Pelasgicus, Larissa Pelasgica, & Argos Pelasgicum, quæ nomina ad posteritatem transmissa manserunt, verum etiam hi Nasonis versus ostendunt, qui VII. *Metam.* extant. Ubi Jasonem Pelasgum vocat, & eodem Achillem cognomine donat:

In caput Æmonii juvenis torquere parantes,
Demisere metu vultumque animumque Pelasgi.

Et rursus in persona Medeæ de Jasone querentis.

Pelle moram: tibi semper debebit Iason,
Te face solenni junget sibi, perque Pelasgas
Servatrix urbes matrum celebrabere turba.

His adde quod Homerus Phthiotis Myrmidones ac Dolopes conjungit. Quorum illi ab Jove, in Ægina insula, Æaco solitudinem deplorante ex formicis transformati fuerant, unde & formicæ majoris symbolo in moneta Æginetæ usi respiciuntur. Posterioribus vero temporibus multæ provinciæ Thessalis ademptæ fuere, Magnetes inprimis, Dolopes, Phthiotæ, Ethices, Pelagones & alii. Quare Strabo lib. IX. *Geogr. Dolopes*, inquit, *ad extrema Phthiæ locantur, & quæ uno eodemque Imp. Peleo militant, & isti & Phthiotæ.* Nam ut ille inquit, Phthiæ extrema colunt, & ductor erat Dolopum Phœnix ex munere Pelei, tractus autem ille primum Pindo vicinus est & locis propinquis, qui maxima ex parte Thessaliæ plagæ sunt. Gloria namque Macedonum Thessalorumque simul & potentia effecit, ut eorum vicini præsertim Epirotæ, partim vero coacti sese in Thessalorum aut Macedonum parte constituerint; quomodo Athamanes, & Ethices, & Talares Thessalorum. At Oreste Pelagones & Elymiotæ Macedonum. Pindus

Quæ provinciæ Thessaliæ ademptæ.

autem mons permagnus ad arcton Macedonum partem habet, ad occasum autem Perrhæbos homines Metanastas, id est, migratores continet, ad meridiem vero Dolopes. Hæc est autem Thessaliæ ora, in ipso autem Pindo habitationes habebant Talares natio Molossorum ab iis deducta, qui Ismarum incolunt, & Ethices ad quos expulsos a Pirithoo centauros fuisse Poeta memorat.

Huc pertinet locus Livii *nono quartæ decadis: Ejusdem formulæ disceptatio de Perrhæborum Magnetumque oppidis fuit. Omnium enim jure possidendo per occasiones Ætoli miscuerant, adhæc quæ disceptationis fuerant, querelæ Thessalorum adjectæ, quod ea oppida si jam redderentur sibi, spoliata & deserta redditurus esset: nam præter belli casibus amissos quingentos principes juventutis in Macedoniam abduxisse, & opera eorum in servilibus abuti ministeriis, & quæ reddiderit coactus Thessalis inutilia ut redderet, curasse. Thebas Phthioticas, unum maritimum emporium, fuisse quondam Thessalis quæstuosum & frugirum. Ibi navibus comparatis regem, quæ præter Thebas Demetriadem cursum dirigerent, negociationem omnem eo avertisse.* Et subdit: *Thessalis auditis Perrhæbi Connocondylum, quod Philippus Olympiadem appellaverat, Perrhæbiæ fuisse, & ut sibi restitueretur, agebant: & de Mallæa & Eticino eadem postulatio erat.* Ex quibus colligitur non solum Dolopes, Perrhæbos, ac Magnetes, se a jure Thessalorum vindicasse, verumetiam Thebas Phthioticas & Larissam Pelasgicam, Thessalorum Metropoles extitisse.

Larissa Thessaliæ Metropolis.

De Larisa adde lector quæ T. Livius *sexto quartæ decadis* scribit: M. Bæbius interim cum Philippo in Dassaretiis congressus, Appium Cl. ex communi consilio ad præsidium Larisæ misit, qui per Macedoniam magnis itineribus in jugum montium quod super Gonnos est pervenit. Oppidum Gonni viginti millia ab Larisa abest, in ipsis faucibus saltus qui Tempe appellantur. Strabo lib. *Geogr.* IX. Itaque Thermopylæ a Cenæo absunt freto stadia LXX. Quod si extra Pylas adnaviges a Sperchio stadia X. hinc vero ad Phalaram stadia XX. Supra Phalaram a maris ora urbium quindecim, stadia L. imminet. Inde porro naviganti stadia centum, Echinus incumbit, reliqui littoris ager in mediterraneam, Larisam pensilem habet, ab eo stadiis XX. distantem: hæc etiam ipsa Pelasgia Larisa nominatur. Hic vero notandum est, quod & Strabo monet Larisas extitisse ultra illam Thessalicam arcem Argivorum, secundam in Creta, in Asia juxta Cymam prope Ephesum, ac in Ægypto. De quibus cum ad propositum non sit, dicere supersedemus. Porro quam antiqua gens Thessalorum fuerit, non solum ex eo apparet quod monetæ primi autores extiterint, canente Lucano:

Antiquitas Thessalorum.

Primus Thessalicæ rector telluris Ionos
In formam calidæ percussit pondera massæ.

Verum etiam hæc Diodori abunde vetustatem testari possunt, quæ quinto *Bibliothecæ* leguntur, cum Jasonis historiam recenset, qui ex Iolco Thessaliæ loco maritimo oriundus erat, & quemadmodum cum Creontis is filiam Glaucam Medeæ Colchæ superinduxisset, Medea se & filios interfecisset. Quo facto (inquit) ajunt Thessalum qui

Unde Thessal. dicti.

cædem maris effugerat, in Corinthum rediisse, deinde in Iolcum Jasonis patriam reversum, ubi cum reperisset Peliæ filios recentes interiisse, regnum generi suo debitum suspiciens, subditos ex suo nomine Thessalos appellavit.

Diversum de nominis origine tradit Vellejus Rom. historicus *lib.* I. *Exclusi ab Heraclidis Orestis liberi, jactatique cum variis casibus, tum sævitia maris, quintodecimo anno sedem cepere, circa Lesbum insulam; tum Græcia maximis concussa est motibus. Achæi ex Laconica pulsi eas occupavere sedes: quas nunc obtinent: Pelasgi Athenas commigravere; acerque bello juvenis nomine Thessalus natione Thesprotius, cum magna civium manu, eam regionem armis occupavit, quæ nunc ab ejus nomine Thessalia appellatur, ante Myrmidonum vocitata civitas. Quo nomine mirari convenit eos, qui Iliaca componentes tempora, de ea regione ut Thessalia commemorant. Quod cum alii faciant, Tragici frequentissime faciunt: quibus minime id concedendum est: nihil enim ex persona Poetæ, sed omnia sub eorum qui eo tempore vixerunt, dixere. Qud si quis a Thessalo Herculis filio appellatos Thessalos dicet: reddenda erit ei ratio, cur nunquam hunc insequentem Thessalum ea gens id nominis usurparit.* His adde quæ scribit primo *Antiquitatum* Dionysius Halicarn. *Post hunc ætate sexta relinquentes Peloponnesum migraverunt in Hæmoniam, nunc mutato nomine dictam Thessaliam. Duces autem hujus coloniæ fuerunt Achæus, Phthius & Pelasgus Larissæ & Neptuni filii. Ut vero in Hæmoniam ventum est, pulsis inde cultoribus barbaris, regionem in tres partes dividunt, appellantes ex suis ducibus Phthiotidem, Achaiam & Pelasgiotidem. Ibi ætates quinque cum egissent, fortunis amplius aucti, fruentesque in Thessalia campis uberrimis, circiter sextam ætatem expulerunt eos inde Curetes & Leleges, qui nunc Ætoli & Locri vocantur.*

Ex quibus patet, ejus & gentis & provinciæ alumnum præcipuum extitisse Jasonem, qui Argonautas in Asiam duxit, filium videlicet Æsonis, quem fertur Medea nurus decrepitum herbis & incantamentis juventuti restituisse, puta nepotem Cyrnei & Thyronis Nymphæ Salmonei regis filiæ, & patruelem Peliæ regis Thessaliæ (quem tamen alii Neptuni filium vocant) patremque Acasti illius qui sagittandi industria claruit. Hoc tamen loco non est silentio prætereundum, ante tempora Argonautarum Phlegyam Lapitharum regem hisce populis imperitasse, de quo tradunt, quod cum Coronidem Nympham ab Apolline vitiatam reperisset, templum ejus Delphis incendisse, idcirco sagittis ab Apolline interfectum & ad inferos detrusum, illique subjectum pœnæ, de qua Virgil. VI. *Æneid.* cecinit:

> —— *Phlegyasque miserrimus omnes*
> *Admonet, & magna testatur voce per umbras.*
> *Discite justitiam moniti, & non temnere divos.*

Primi reges Lapitharum in finibus Thessaliæ. Hujus Phlegæ filius Ixion erat, qui & Ætionis fil. de quo refert fabula, cum Diam Deionei sive Eionei filiam duxisset uxorem, & multa illi pro dotis compensatione promisisset socer, neque solvere posset, facta scrobe, eaque lignis & stramentis injecta, fraude occidisse: propter quam cædem cum neque Dii neque homines eum lustrare vellent; diuque Ixion incertus vagaretur, a Jove tandem in cœlum sublatum, a quo dum purgaretur, Junonis amore captum, & ex ea in nubem conversa Centauros procreasse, fulmine postremo percussum, cum de stupro gloriaretur, ad inferos detrusum & volubili rotæ alligatum, canente Nasone;

> *Volvitur Ixion & se sequiturque fugitque.*

Ixionem in finibus Thessaliæ apud Lapithas secutus est Perithous filius, Theseo arctissimo amore conjunctus, qui Atracii regis filiam Hippodomiam duxit uxorem. In cujus nuptiis Centauri cum adessent, magnum prælium fecerunt, ut scribit Ovid. XII. *Metam.* In quo Theseus Ægæi regis Athen. filius, fidem eam Perithoo præstitit, quam postea apud inferos in rapiendæ Proserpinæ consilio absolvit. De quo quidem Perithoo & quando in fines Thessaliæ venerit, memorabile est quod scribit in *nono* Strabo.

Perrhæbi primi cultores Thessaliæ. Hanc autem regionem primi coluerunt Perrhæbi, fruentes parte maritima & Peneo usque ad illius ostium & Gyrtonam, Perrhæborum plaga. Inde Lapithæ illos affligentes, mediterraneam flumini vicinam oram occupaverunt, Ixion filiusque Perithous, qui Pelium vi occupavit, ejus persequens occupatores Centauros, duram sane agrestemque nationem. Eos igitur ejectos e Pelio ad Ethices compulit, Lapithis autem campestria concessit. Eorum autem partem Olympo propinquam Perrhæbi tenuere, nonnullis vero in locis omnes promiscuas domos habuere. Igitur Argissa quæ nunc Argusa vocatur, Peneo adiacet, cui superemimet Atrax in stadia quadraginta, & ipso fluvio proxima. Regionem vero fluviatilem mediam circumtenebant Perrhæbi, Ortam sane quidam Phalanneorum arcem esse ferunt. Phalanna vero civitas Perrhæborum juris est apud Tempe Peneo finitima. *Lapithæ secundi cultores.* Perrhæbi autem cum Lapitharum potentia fracti essent, majori ex parte in montana profugerunt, Pindo vicina, ac ad Athamanes & Dolopes. Regionem autem hanc, cæterosque Perrhæbos *Larissæi tertii incolæ.* Larissæi in suam ditionem redegerunt juxta Peneum confidentes, illorumque vicini fertilissimam quidem pascentes agri partem, nisi si qua curva nimis vallis Nessonidi propinqua lacus fiat, quam amnis stagnans arandi facultate Larissæis interciperet, eam tamen jacturam postea Larissæi constructis aggeribus emendavere; *Macedones Thessalis imperant.* Interim igitur isti Perrhæbiam occupantes tenebant & tributa exigebant, donec Philippus locorum potitus est.

Admetus rex Thessaliæ. Et hactenus de antiquioribus Thessaliæ principibus, quibus & Admetus ille adnumerandus est, cui Apollo humana specie sumpta armenta pavisse refertur, & cum benigne tractaretur, vitam diuturniorem concessisse, hac lege, si alius quispiam pro eo mortem obiret. Obivit autem uxor Alcestes, cujus præterea filius Eumelus, autore Homero Thessalos ad bellum Troianum duxerat. *Erisichthon rex Thessaliæ.* Claruit in Thessalia & Erisichthon ille qui insolita fame perierat, quod Cereri sacram sylvam succidisset, ut est apud Ovidium VIII. *Metam.*

> *Aspicit hunc, mentisque piæ cape præmia, dixit.*

Thessalus, inque virum convertit ab arbore ferrum,
Detruncatque caput, repetitaque robora cædit.

Salmoneus rex Thessaliæ. Traditur denique Thessaliæ Rex extitisse Salmoneus Æoli filius, frater Athamantis Bœotii, Deionis Orchomenii, & Perieres primi Messeniæ principis, Sisyphi Corinthii, & Macarii qui cum Canace sorore congressus fuerat. Qui blasphemus in Deos & homines fabricato æneo ponte, in sublimi super eum currus agitabat & Jovis fulmen mentiebatur, de quo Maro VI. *Æneid.* cecinit:

Vidi & crudeles dantem Salamonea pœnas,
Dum flammas Jovis & sonitus mentitur Olympi.

Pelias, Æson, Jason, reges Thessaliæ. Thessalus nominis Thessalici auctor. Multi populi in finibus Thessaliæ primis temporibus. Is Tyronem filiam progenuit, quæ ex Neptuno Neleum tulit, Pyli regem, & Peliam Thessalorum principem, itemque Tyronem filiam uxorem Crethei, matrem Æsonis Thessali & Amythaonis Pyli regis. Pelias igitur avo in Thessaliæ regno successit, & ex Anaxibia Biantis Amythaonis Pyli regis filii nata, genuit Acastum, Alcesten, Pelopejam & Hippodeam, quorum Acastum Ovidius VIII. *Metamorph.* venationis studio celebrat. Peliæ succedit in Thessalia Æson filius Crethei ex Tyrone Salmonei Thessali, Amythaonis Pyli regis frater, utpote ex Æoli stirpe qui supererat, Biantis patruus. Qui ex Polymela filia Autolyci genuit Jasonem Argonautarum principem, cui ferunt senio confecto a nuru Medea Colchide, juventutis annos reductos: Jason igitur cum ex Iolco maritimo Thessaliæ loco cum Argonautis, inter quos Hercules & Theseus extitere & Minyæ, qui eum agrum tenebant, in Colchidem transfretasset, Medeam hinc regis filiam & aureum vellus occiso Dracone in patriam duxit, & ex Medea Thessalum, Merinovum & Phirerum tulit, & ex Glauca Creontis Athen. filia Chlorim. Itaque cum Glaucam viventi superinduxisset; Medea irritata & liberos & se ipsam occidit, Thessalo dumtaxat cædem matris effugiente, a quo, ut supra dictum est, nomen provinciæ primum inditum est, cum antea in Myrmidones, Minyas, Lapithas & Pelasgos esset divisa terra, & pluribus nomenclaturis celebrata.

Myrmidones quidem ex Ægina Insula, cum fratrem Phocum occidisset, & patris Æaci in indignationem incidisset, Peleus adduxerat, Pelasgos Pelasgus Jovis & Larissæ in his finibus collocarat: Lapithas prætera Perithous Ixionis filius auspicatus fuerat. Quibus omnibus Achæus Xuthi filius & Ionis frater exul, & ex Laconica pulsus, Achæos suos conjunxit, qui posterius in Thessalos, Trachinios, Locros, Tyreos, Orchomenios & Aones disseminabantur, & ex uno plura regna exorta sunt.

Unum regnum in multa divisa. Clara fuit igitur non solum vetustate & tot alumnis Thessalia, sed præter celebres & maximos montes, Ossam, Pelium & Olympum, lacus duos insignes Bœben & Nisonida, & in Pindi convallibus Tempe locum amœnissimum habuit, ubi Daphnis in laurum conversus est. Quem locum T. Livius IV. *quintæ Decadis* affabre describit. *Tempe loci amœnissimi descriptio.* *Sunt enim Tempe saltus, etiamsi non bello fiat infestus, transitu difficilis: nam præter angustias per quinque millia, qua exiguum jumento onusto iter est, rupes utrinque ita abscissæ sunt, ut despici vix sine vertigine quadam simul oculorum animique possit: terret & sonitus & altitudo per mediam vallem fluentis Penei amnis. Hic locus tam suapte natura infestus, per quatuor distantia loca præsidiis regis fuit insessus: unum in primo aditu ad Gonnum erat, alterum Condylon castello inexpugnabili, tertium circa Lapathunta, quem Characa appellant, quartum viæ ipsi, qua & media & angustissima vallis est, impositum, quam vel decem armatis tueri facile est.*

Et munimenta sive castella enumerans, quæ in Tempe posita fuerant subdit: *Peropportune literæ a Sp. Lucretio allatæ sunt: Castella se, quæ super Tempe essent & circa Philan tenere omnia, frumentique in iis & aliarum rerum copiam invenisse. His magnopere lætus consul ab Dio ad Philan ducit, simul ut præsidium ejus firmaret, simul ut militi frumentum, cujus tarda subvectio erat, divideret.*

Celebrantur in Thessalia & victoriæ tres insignes Romanorum. *Tres Rom. victoriæ in Thessalia.* Quarum unam de Philippo rege Macedonum ad Cynoscephalas, prope Scotussam; Alteram de Antiocho rege Asiæ Manius Acilius prope Heracleam & Scarphiam in finibus Trachiniæ: Tertiam denique de Pompejo magno ad Pharsalum C. Julius Cæsar retulere. Quæ loca T. Livius VI. *quartæ Decad.* delineat: *Consul ad reficienda maxime jumenta, quæ & navigatione & postea itineribus fatigata erant, paucos Larissæ moratus dies, veluti reparato modica quiete exercitu, Cranonem est profectus. Venienti Pharsalus, Scotussa & Pheræ, quæque in eis præsidia Antiochi erant, deduntur: ex his interrogatis qui manere secum vellent, mille volentes Philippo tradit: cæteros inermes Demetriadem remittit. Proernam inde recipit, & quæ circa eam castella erant. Ducere tum porro in Sinum Maliacum cœpit.*

Idem reliqua insigniora oppida enumerans, eodem scribit loco: *Principio veris conjunctis copiis in Thessaliam descenderunt: in Acarnania tum Antiochus erat. advenientes Philippus Mallœam Perrhæbiæ, Bæbius Phacium est adgressus: quo primo prope impetu capto, Phæstum eadem celeritate capit. Inde Atracem cum se recepisset, Cyretias hinc & Ericium occupat: præsidiisque circa recepta oppida dispositis, Philippo rursu obsidenti Mallœam se conjungit .... Erant autem hæc Æginium, Ericinum, Gomphi, Silana, Tricca, Melibœa, Phaloria. Inde Pellinæum, ubi Philippus Megalopolitanus cum quingentis peditibus & equitibus quadraginta in præsidia erat, & circumsidunt*, &c. *Urbes Thessaliæ.*

Adhæc omnia Thessalia quondam herbis venenosis, incantationibus ac sagis, ac passim luxu cum male audiret apud exteros, equis tamen generosissimis non minimam laudem referebat, quapropter in moneta Thessali equi symbolo usi reperiuntur. *TAB. III. fig. 1. Insignia Thessaliæ.* Cujus rationem reddit Plinius *libro* VII. *cap.* V. cum de artium inventoribus agit. *Equo vehi Bellerophontem, frenos & strata equorum Pelethronium, pugnare ex equo Thessalos, qui centauri appellati sunt secundum Peliam montem.* Quintus Curtius *lib.* I. de Philippo Amyntæ scribens: *Larissæam, ait, urbem nobilissimam cepit: hinc Thessalos non cupiditate prædæ, sed quod exercitui suo robur Thessalorum equitum adjungere cupiebat.* Et *libro* III. *Jam Thessali*

equites ac Acarnanes Ætolique invicta bello manus. Et *libro* IV. cuum Alexandri Magni aciem contra Darii copias instructam describit: *hinc Thessali equites claudebant Philippo duce.* Livius *libro* IV. *Decadis* IV. *Venerunt Macedones a Philippo, mille quingenti & Thessalorum equites quadringenti.*

Huc spectat quod Strabo VIII. *Geogr.* scribit: *Ætolorum præterea & Acarnanum solitudo, pascendis equis est accommoda non minus quam Thessalia.* Hinc Athenæus quoque lib. XII. *Dipnos.* tractans de Alcibiade, cum corpus curaret & exerceretur, magis omnibus Thebanis Bœotius apparuit, in Thessalia equorum studiosus, aurigarumque alendarum studiosior visus est, veluti in Sparta cum temperantiam, diligentiamque aliorum imitaretur. Scitum est quod scribit Pausanias I. *Atticorum*, cum de sepulchris inter Athenas & Eleusinam loquitur. *Est & Thessalorum equitum tumulus, qui veteri adducti amicitia eo tempore venerunt, quo primum cum Archidamo Peloponnesii Atticam cum exercitu invaserunt.* Denique ad Thessalicos equites alludit Lucanus in *sexto*:

TAB. III. fig. 3.

Thessalicus sonipes bellis feralibus omen
Exiluit, primus chalybem frænosque momordit,
Spumavitque novis Lapithæ domitoris habenis.

Thessalorum coloniæ. Et de insignibus tantum, nunc de coloniis ab hac gente deductis dicemus. Invenio vero duas Larissas præter illam Thessalicam, unam in Libya, & alteram in Italia. De Libyca Ptolemæus & Strabo IX. & XIX. mentionem faciunt. De Italica lege Dionysium Halicar. secundo *Antiquitatum.* Celebrat & Thessalorum in Creta colonias Pausanias VIII. *Arcad.* & in Coo Insula Strabo IV. *Geographi.* citans versus Homeri in *Catalogo*, qui in Latinum conversi sic habent:

Antiphus & Coos ducit cum fratre Philippo,
Thessalici generis natique Heraclidis ambo.

Thessalia Romana provincia facta. Cæterum ut tandem capiti finem imponamus: Thessalorum gentem a Philippo Amyntæ Macedonum imperio subjectam reperio, quam Romani ultimo Philippo Persei patri per Quinctium una cum Magnetibus & proximis Achæis ademptam in provinciæ formam redegere, Macedoniæ Diœcesi ac Thessalonicensi præterito subjectam, unde scribit T. Livius *quinto Decadis* IV. in oratione Sulpitii: *Nam si, quod aliquando servierunt temporum iniquitate pressi, jus post tot sæcula asserendi eos in servitutem faciet. Quid abest quin actum a nobis nihil sit, quod a Philippo liberavimus Græciam, & repetant posteri ejus Corinthum, Chalcidem, Demetriadem & Thessalorum totam gentem.* Et rursus: *Athenas primum, inde Chalcidem, inde in Thessaliam iere, allocutique concilio frequenti Thessalos, Demetriadem iter flexere: eo Magnetum concilium indictum est: accuratior ibi habenda oratio fuit, quod pars principum alienati a Romanis, totique Antiochi & Ætolorum erant, quia, cum reddi filium obsidem Philippo allatum esset, stipendiumque impositum remitti, inter cætera vana allatum erat, Demetriadem quoque ei redditures Romanos esse. Id ne fieret, Eurylochus princeps Magnetum, factionisque ejus quidam, omnia novari Ætolorum, Antiochique adventu malebant. Adversus eos ita disserendum erat, ne timorem vanum iis demendo, spes incisa Philippum abalienaret, in quo plus ad omnia momenti, quam in Magnetibus esset. Illa tantum commemorata, cum totam Græciam beneficio libertatis obnoxiam Romanis esse, tum eam civitatem præcipue.* Porro Livius alibi Magnetum prætorem a Thessalico separat & *Magnetarcham* appellat, cui parebant civitates, & ad conventum Magnetum admissæ, quas enumerat Plin. *lib.* IV. *cap.* VIII. Thessaliæ annexa Magnesia est, cujus fons Lebethra, oppida Iolcus, Hormenium, Pyrrha, Methone, Olizon, Promon: Sepias, Oppida, Castana, Spalatra, Promont. Acantium, Oppida, Melibœa, Rhizas, Erymne, Ostium Penei, Oppidum, Homolium, Orthe, Thespiæ, Pelyanici, Thaumacie, Gyrton, Cranon, Docion, Melitea, Phylace, Thessaliæ in protectum longitudo CCCCLXXX. M. pass. traditur, latitudo CCLXX. VII. M. P.

Magnetum prætor.

Magnesiæ civitates.

CAP. VI.

DE TRACHINIA, ET ORCHOMENO.

NON sum nescius, posterioribus temporibus Thessaliam Phocidem attigisse, Trachiniorum, Orchomeniorum, Locrensiumque Republica pessum meante, cum primum quidem Phocus Orinthionis filius meridionalem partem versus Delphos, deinde vero alter Phocus Æaci Æginetæ filius confines Thessaliæ suo nomini vendicasset. Phocaicum quam latissime nomen patuisse, tamen cum Rempublicam Græcorum non magis uti erat postquam ante bellum Trojanum hocce opere describimus, Trachiniam & Orchomenos a Phocide separare voluimus, non solum quod hæc antiquiora nomina extiterint, & reges hoc cognomine multis ante bellum Trojanum temporibus floruerint, verumetiam, quod recentiores quoque Geographi Trachiniam & Orchomenum, expresse a Phocide separarint. Ut Strabo nono *Geographiæ*; Halus autem Athamantis fuit domicilium, posterioribus deletum temporibus. Quæ Crocio imminent campo, cujus mœnia Amphrosus alluit fluvius, sub Crocio autem Phthioticæ Thebæ sunt. Et Halus quidem Phthiotica nuncupatur ora & Achaica, quæ conjuncta est Maliensibus, sicut Othryi Propodes, & sicut Phylaca Protesilai, oræ Phthioticæ est Maliensibus vicina, sic & Halus. Abest autem Thebis stadia circiter centum: in medio vero est Pharsalus & Phthiotarum, tamen Philippus eam Pharsalis attribuit Phthiotis ademptam. Sic & terminos & constitutiones nationum, locorumque semper varia contingit, sicuti memoravimus. Sic & Sophocles Trachinem Phthioticam nominavit: Artemidorus autem Halum sistit, in littore extra Maliacum sinum jacente. Phthiotim autem procedens hinc usque ad Peneum post Antronem Preleum ponit, mox Halum a Pteleo decem supra centum stadia intervallo distantem. De Trachine sane, jam qualis sit, explanatum est, & Poeta nominatim exponit. Cum autem Sperchii sæpenumero meminerit, sicut amnem commemorat indigenam,

Trachinia a Phocide & Thessalia distincta.

e Tymphresto Driopico monte nascentem, juxta Thermopylas erumpentem, inter ipsum & Lamiam declarat, ut omnia intra Pylas quæcunque sinus sint Maliaci,& extra sub eorum ditione fuere. Cæterum Sperchius a Lamia stadia triginta distat.

Trachinia subjecta Achilli. TAB. III. fig. 4.

Et subdit. Vero autem simile fit Myrmidonas appellari cunctos Achilli Patrocloque subjectos, qui ex Ægina profugum Peleum comitati sunt. Phthiotæ quoque omnes Achæi vocitabantur. Annumerantur autem iis qui Phthiotici juris sunt, sub Achillis regno ad Alaliensium habitationes inchoantes plures. In ipsis vero Thebas Phthioticas habere Echinam, Lamiam, circa quam Macedonibus & Antipatro adversus Athenienses Lamiacum conflatum est bellum. in quo Leosthenes dux Athen. & regis Alexandri socius cecidit.

Quod vero Trachinia Achilli subjecta extitit in *Catalogo* Homerus testatur carmine quod in Latinam linguam conversum sic habet:

Quique Pelasgicon Argos habebant:
Quique Halon & Halopem, & qui Trachina colebant:
Et Phthiam & Græciam speciosis matribus oram:
Myrmidones, Græci simul, & vocitantur Achæi.

Huc spectat versus Nasonis XI. *Metam.* cum Pelei Achillis parentis exilium describit:

Exhibitaque est Thetis; confessam amplectitur Heros,
Et potitur votis:ingentique implet Achille.
Fœlix & nato; fœlix & conjuge Peleus.
Et cui, si demas jugulati crimina Phoci,
Omnia contigerant: fraterno sanguine sontem,
Expulsumque domo patria Trachinia tellus
Accipit. Hic regnum sine vi, sine cæde regebat,
Lucifero genitore satus, patriumque nitorem
Ore ferens Ceyx; illo qui tempore mœstus
Dissimilisque sui, fratrem lugebat ademptum.
Quo postquam Æacides fessus curaque viaque
Venit, & intravit paucis comitantibus urbem.

Et cum Pelei preces ac orationem recensuisset, subdit:

—— *Hunc contra placido Trachinius ore*
Talibus alloquitur: Mediæ quoque commoda plebi
Nostra patent Peleu, nec inhospita regna tenemus.

Orchomenus a Phocide diversa.

Eadem ratione Orchomenum a Phocide idem author separat, antiquorum temporum descriptionem secutus. Scribit enim *libro* IX. *Scriptis sane est proditum Orchomenum superioribus annis campestri in regione habitatum. stagnantibus inde aquis ad Acontium montem denuo ædificatum. latius enim patet ad stadia* LX. *usque ad Paropotamios Phocidis. Historici quidam tradidere Ponti inquilinos Achæos nominatos Orchomeniorum colonos cum Ialmeno duce, post Trojæ captivitatem, eam in regionem erroribus actos. Est etiam ad Carystum Orchomenus alter. Bene enim talem nobis subjecere materiam, qui de navibus scripta reliquere, quos sequimur cum proprie materiæ nostræ conducentia protulere. Post Bœotiam autem & Orchomenum Phocis adest, Bœotiæ apposita in aquilonem, similiter a mari ad mare.* Et iterum, *Deinceps quidem Poeta Orchomeniorum memoriam facit, eos in Catalogo a Bœotorum gente separans. Vocat autem Minyeum Orchomenon a Minyarum nomine. Hinc vero colonos quosdam deductos ad locum ex Minyis dicitur; unde Argonautas Minyas dictos esse constat. Locupletissima autem quondam civitas videtur & potentissima.* Optimus quidem testis est, etiam Homerus: dinumeratis enim locis opulentissimis, ait libro *Iliados* I. Qui versus Latine redditus habet: *Nec quanta in Orchomenon Ægyptiasve Thebas aggeritur gaza.* Potentiæ vero, quoniam Thebani Orchomeniis tributa solvebant, & Ergino Orchomeniorum tyranno, quem ab Hercule extinctum ferunt.

Primi cultores Orchomeni.

Huc faciunt quæ in *Bœoticis* Pausanias refert: *Ultra montem Laphistium sita est Orchomenus, si qua alia apud Græcos, hæc quoque gloria insignis. ad maximam autem aliquando fœlicitatem evectam idem ferme finis manebat, qui Mycenas ac Delum. De rebus antiquis hujuscemodi quæpiam commemorant, Andræum ajunt Penei flu. filium primum ibi habitasse, & ab hoc terram Andreidem esse appellatam. Profecto autem eo Athamanti partem regionis circa Laphistium concessit, & quæ nunc Coronea dicitur Haliartium item. Cæterum Athamas, quia masculam prolem relictam sibi nullam arbitrabatur (ipse enim Learchum & Melicertam occiderat, Leucon ex morbo decesserat, de Phryxo ignorabat in vivis an ipse esset, aut genus Phryxi restaret) harum rerum causa heredes instituit Haliartum & Coroneum Thersandri filios, Sisyphi nepotes, Sisyphi enim frater Athamas erat. Postea autem reverso ex Colchis ipso, ut quidam ajunt, Phryxo, aliorum autem sententia Presbone, quem Phryxus ex Æti filia susceperat, concedunt Thersandri libere domum Athamantis, ad Athamantem ejusque posteros spectare. Ipsi autem (partem enim terræ eis dederat Athamas) Haliatrium & Coroneam condidere. Ante hæc tempora Andræus Evippen Leuconis filiam ab Athamante uxorem accepit. Huic Eteocles filius nascitur, licet fama civium, Cephisi fluvii sit creditus: ita ut Poetarum nonnulli Eteoclem in carminibus Cephisiadem nominarint. Hic itaque Eteocles regno suscepto, impositum ab Andreo regioni nomen non immutavit, unam tamen triduum Cephisiaden instituit, alteram de suo nomine appellavit: cæterum profecto ad eam Halmo Sisyphi filio, partem regionis non magnam habitandam concedit, & ab Halmo hoc, vici tunc Halmones sunt dicti. Eteoclem præterea Bœotii ajunt hominum primum Gratiis sacrificasse.* Hæc ex Pausania de genere regum Orchomeniorum, quorum prosapiam prolixius deinceps explicabo. Et sic intelliguntur versus Ovidiani lib. II. *Metam.* cum Cornicis conversionem tractat:

Nam me Phocaica clarus tellure Coroneus
(Nota loquor) genuit, fueramque ego regia virgo.

Et *lib.* VI.

Ut solet accipiter trepidas urgere columbas.
Usque sub Orchomenon, Psophidaque, Cyllenemque.

Hactenus de vetustate pariter & amplitu-

dine tam Trachiniæ quam Orchomeni; quarum provinciarum Metropoles antiquissimæ extitere Heraclea, quæ & Trachinia cognominata est, ad Othryis montis jugum sita versus Tessaliam. Cujus situm Plinius *lib.* IV. *cap.* VII. delineat. Et Thermopylarum angustiæ, quo argumento IV. mill. pass. inde Heraclea Trachin dicta est, mons ibi Callidromos. Strabo *lib.* IX. Monstratur etiam per sylvam Titii sacellum, cui honores quidam redduntur juxta Lebadiam. Trachin quoque est civitas Oetæ Phocensi nomine similis exigua sane, cives Trachinii vocantur. Et cum Thermopylas delineasset. adest & ibi portus ingens & Cereris templum, in quo in omni ibidem conventu Amphictyones sacrificium conficiebant, a portu autem in Heracleam Trachiniam terrestri itinere XL. stad. intersunt, cursu autem maritimo ad Cenæum LXX. Et clarius, ad Thermopylas sane intra angustias Castella sunt, Nicæa quidem ad Locrorum mare, & Tichius & Heraclea super illam quæ prius Trachin vocabatur, ab Lacedæmoniis condita, ab antiqua vero Thracide stadiis circiter sex distat Heraclea, deinceps Rhoduntia est locus sane munitus.

Hæc autem loca tum ab asperitate, tum aquarum abundantia redduntur ad incursandum difficilia propter fauces vallium quas perlabuntur. quoniam præter Sperchium qui Anticyram præterfluit, etiam Olyras adest, qui ut fertur Herculis rogum extinguere conabatur, simul & Melas alter qui a Trachine quinque stadiis abest. Ex quibus & ratio nominis elucescit, quare Heraclea sit nominata. quod scilicet istis in finibus Hercules, cum ab uxore Dejanira ex zelotypia irritata venenosa veste fuisset infectus, structa pyra vivus se succendisset, cujus rei & T. Livius VI. *lib. decad.* IV. cum de eadem illa loquitur Heraclea, in desciptione victoriæ, quam M. Acilius de Antiquo rege Asiæ in finibus Thermopylarum victo reportaverat. Manius Acilius vendita aut concessa militi circa Heracleam præda, postquam nec Hypatæ pacata esse consilia, & Naupactum concurrisse Ætolas, ut inde totum impetum belli sustinerent, audivit præmisso Ap. Claudio cum quatuor millibus militum, ad occupanda juga qua difficilis transitus montium erant, ipse Oetam ascendit, Herculique sacrificium fecit in eo loco quem Pyram, quod ibi mortale corpus ejus Dei sit crematum, appellant. Hinc est quod Heraclea illa Trachinia in moneta Herculis sedentis symbolo, utpote de crematione sua cogitantis usa fuit: ad quod alludens cecinit Naso IX. *Metam.*

Heraclæa unde dicta.

Trachinium insigne in moneta. TAB. III. fig. 5.

Nunc quoque in Euboico scopulus brevis eminet alto
Gurgite, & humanæ servat vestigia formæ.
Quem quasi sensurum nautæ calcare verentur,
Appellantque Lychan. at tu, Jovis inclyta proles,
Arboribus cæsis, quas ardua gesserat Oete,
Inque pyram structis, arcum, pharetramque capacem,
Regnaque visuras iterum Trojana sagittas:
Ferre jubes Pœante satum, quo flamma ministro
Subdita, dumque avidis comprenditur ignibus agger.
Congeriem sylvæ Nemeeo vellere summam
Sternis, & imposita clavæ cervice recumbis,

Hic vero admonendus est mihi lector, extitisse & alias in Græcia Heracleas, Olympiam videlicet ad Olympum montem, Synticen in finibus Epiri, Eliacam ad flu. Cytherenem & in Trojano agro Olympiam describit Strabo in *octavo*.

Alterum sane in Thessalia Peneum scribunt, qui ex Othryi oriens accipit Apidanum e Pharsalo delabente. apud Salomonem autem urbs jacet Heraclea ex illis octo & ipsa una, distans ab Olympia stadiis XL. penes Cytherium flumen posita. ubi Gonniadis Nymphæ sacellum habent, de quibus opinio est, ut aquis earum morbos sanitati restituant. Ad Heracleam Synticem alludit Cæsar III. com. *Civilis belli* his verbis: *Cæsarem Apollonia directo itinere averterat Pompejus per Candaviam iter in Macedoniam expeditum habebat. accessit etiam improviso aliud incommodum, quod Domitius qui dies quam plures castris Scipionis castra collata habuisset, rei frumentariæ causa ab eo discesserat, & Heracleam Synticam, quæ subjuncta Candaviæ, iter fecerat.*

Heraclea Olymp.

Heraclea Syntica.

Reliquas Heracleas, hoc est, Elidis lege apud Pausaniam VI. *Eliacorum*, Ætolicam apud Livium VIII. *decad.* III. & Trojanam in XIII. Strabonis. Qui præterea decimo *Geographiæ* Trachinium aliam regionem inter Calydonem & Stratum depingit. Reversi igitur ad Trachiniorum agrum, cum is libertate multo tempore frueretur Thessalorum consilio addictus, in servitutem postremo Macedonum Philippo Amyntæ autore concessit. Quem a Macedonum jure venditcatum, Manius Acilius Romanis subjecit, Thessaliæ provinciæ conjunctam, postea quam in finibus Heracleæ illius ipsius, inter Thermopylas & Scarphiam, Antiochum Asiæ regem acie vicisset, ac castris exuisset.

Trachinia ingenio subjecta.

Locum ex Livio, qui extat *libro* VI. *dec.* IV. adducere placet: *Acilius Consul a Thermopylis Heracleam ad Ætolos præmisit, ut tunc saltem experti regiam vanitatem resipiscerent, traditaque Heraclea cogitarent de petenda ab Senatu, seu furoris sui, seu erroris venia: & cæteras Græciæ civitates defecisse eo bello ab optime de se meritis Romanis. Sed quia post fugam regis, cujus fiducia ab officio discessissent, non addidissent pertinaciam culpæ, in fidem receptos esse Ætolos quoque, quanquam non secuti sint regem, sed accersierint, & duces belli, non socii fuerint, si pœnitere possint, posse & incolumes esse. Ad ea cum pacati nihil responderetur, appareretq; armis rem gerendam, & rege superato bellum Ætolicum integrum restare, castra a Thermopylis ad Heracleam movit, eoque ipso die, ut situm nosceret urbis, ab omni parte, equo mœnia est circumvectus. Sita est Heraclea in radicibus Oetæ montis: ipso in campo, arcem imminentem loco alto & undique præcipiti habet.* Hactenus de Trachinia.

Venio ad Orchomenios; quibus nomen primus imposuit Orchamus, cujus filiam Leucothoen ex Eurynome fabulæ referunt a Phœbo adamatam, qua ut potiretur in Eurynomes matris formam mutatus accessit, famulasque tanquam arcani quiddam dictura secedere jussit. abeuntibus igitur in propriam speciem reversus, patientem compressit. Quod

Orchamus primus rex.

Quod cum Clytie, quæ & ipſa a Phœbo diligebatur audiſſet, confeſtim eam apud Orchamum patrem accuſavit, qui iratus vivam ſepeliit. Cui Phœbus cum nulla ratione vitam reſtituere poſſet, mortuam in virgam thuream convertit, ad quod alludens cecinit IV. *Metam.* Naſo:

Rexit Achæmenias urbes pater Orchamus, iſque
Septimus a priſci numeratur origine Beli.
Axe ſub Heſperio ſunt paſcua Solis equorum,
Ambroſiam pro gramine habent: ea feſſa diurnis
Membra miniſteriis nutrit reparatque labori.
Dumque ibi quadrupedes cæleſtia pabula carpunt,
Noxque vicem peragit thalamos Deus intrat amatos,
Verſus in Eurynomas faciem genitricis; & inter
Bis ſex Leucothoen famulas ad lumina cernit, &c.

Athamas Rex Orchomen.

Claruit in finibus Orchomeniorum & Athamas Æ oli filius, Siſyphi Corinthiaci, Salmoneique Theſſali frater, cui Andreus Penei flum. filius regionem circa Laphiſtium donaverat, quod Enippen illi Leuconis filiam matrimonio junxiſſet. Ab hoc igitur campus Athamantius nomen accepit prope Haliartum, de quo Pauſanias nono *Bœot.* Vici hi & initio fuerunt & etiam nunc ſunt, & ad Orchomeniorum regionem pertinere tum ipſa oppidula videntur, tum campus Athamantius. Hic rex duas habebat uxores, primam Nephelem, unde Phryxum, Leuconem & Hellen genuerat, quæ a Baccho in furorem verſa in ſylvas abierat; unde alteram Cadmi filiam Inonem duxit, & ex ea Learchum & Melicertam tulit, quæ mariti furorem vitans Melicerta arrepto ad littus fugit & ibi e ſcopulo ſe in mare dedit, qu miſeratione Deorum, Ino quidem in Nympham Leucotheam, filius vero Melicerta in Palemonem ſive Portunum marinum deum converſi fuerunt. in quorum Melicerte honorem Siſyphus patruus Iſthmia in Corintho inſtituit. ad quos alludentes cecinere Poetæ. Ovidius IV. *Metamor.*

Imminet æquoribus ſcopulus: pars ima cavatur
Fluctibus, & tectas defendit ab imbribus undas.
Summa riget, frontemque in apertum porrigit æquor.
Occupat hunc (vires inſania fecerat) Ino.
Seque ſuper pontum nullo tardata timore
Mittit, onuſque ſuum, percuſſa recanduit unda.

Et ſubdit cum Venerem illorum miſerentem adducit:

Annuit oranti Neptunus, & abſtulit illis,
Quod mortale fuit, majeſtatemque verendam
Impoſuit: nomenque ſimul faciemque novavit.
Leucothoeque Deum cum matre Palæmona dixit.

Statius I. *Theb.*

Infœlix Athamas, cur non expaverit ingens
Ionium, ſocio caſura Palæmone mater.

Haliartus & Coronæus.

Igitur Athamas cum Phryxus filius cum Helle ſorore aureo arieti vecti in Aſiam abiiſſent, illa in Helleſponto ſubmerſa fuit, Phryxus autem reverti cum nollet ac patris furorem timeret, fratris Siſyphi ex Therſandro nepotes adoptavit Haliartum & Coroneum, qui ſucceſſere Athamanti, & civitates conſtructas in regno Orchomeniorum, denominavere. Cæterum cum Phryxus in Aſia ex Æti filia duos genuiſſet Melam & Presbonem. Melas quidem in Aſia manſit, unde Glaucus rex Corinthii Bellerophontis pater proceſſit.

Presbo rex.

Presbo vero inauditum Orchomeniorum regnum rurſus illud cum Coroneo, Haliarto, ac Etheocle Andrei filio Penei nepote, partitus eſt, & cum nullam prolem tres relinquerent, univerſa Orchomeni ditio ad Etheoclem devoluta eſt, qui ex Cephiſiade conjuge cum nullam prolem ferret, Halmum Siſyphi Corinthiaci qui Athamantis frater extiterat, adoptavit, & cum Gratiis in Orchomeno delubrum conſtruxiſſet, quod multis poſtea ſeculis celebre ibi manſit, moriturus Halmo filio adoptato regnum reliquit, qui duas tantum filias genuerat Chryſam & Chryſogeniam.

Etheocles rex. *Halmus rex.* *Phlegyas R.*

Ex Chryſa Mars Phlegyam genuit, qui avo Halmo in Orchomeno ſucceſſit, & Phlegyam a ſe regnum appellavit, & incolas Phlegyas, quorum Hom. in *Illiade* meminit & magnanimos cognominat, qui traduntur Apollinis Delphici templum ſpoliaſſe, & victores cum Philammone & Achivis manus conſeruiſſe.

Chryſes rex.

Phlegyes porro, cum liberis careret, Chryſes ſucceſſit filius Neptuni ex Chryſogenia Halmi filiarum altera. Is Minyam tulit, a quo Minyæ populi in finibus Theſſaliæ cognominati ſunt. Qui cum ex vectigalibus ingentem theſaurum collegiſſet, Orchomenum filium ſucceſſorem in regno reliquit: a quo nomen regioni primum inditum autumant.

Orchomenus rex.

Is vero cum liberis careret, Hyettum Argivum exulem (quod Molyrum Ariſbantis filium in adulterio uxoris deprehenſum occidiſſet) parte agri donavit, ubi poſtea Hyettus vicus fuit, & moriens regnum, Clymeno Preſbonis filio Phryxi nepoti tanquam cui ſucceſſio ex lege debebatur, reliquit.

Clymenus rex.

Is in quadam Oncheſti Neptuni feſtivitate a Thebanis occiditur, quod ulturi filii Erginus, Stratus, Arro, Pyleus & Axeus, adverſus Thebanos exercitum duxere, & annuum tributum eos dare coegere, quo ipſos Hercules tandem liberaverat, & cum quo Erginus poſtea Orchomeniorum Rex fœdus iniit, ductaque ex oraculo in ſenio adoleſcentula, duos ex illa filios Trophonium & Agamedem genuit.

Erginus rex. *Trophonius rex.*

Quorum Trophonius, ut theſauris paternis potiretur, & ſolus regnaret, fratrem occidit. Abſorptus idcirco apud Lebadiam, ubi Jovis poſtea Trophonii oraculum ortum eſt, in ſpecu quodam ubi Trophonius abſorptus fuerat. Cujus præter Græcos, Livius etiam mentionem facit *lib.* v. *dec.* v. de P. Æmilio Perſei regis victore locutus; *Lebadiæ quoque templum Jovis Trophonii adiit: ubi cum vidiſſet os ſpecus per quod oraculo utentes ſuſcitatum Deos deſcendunt ſacrificio Jovi Hercynnæque facto, quorum ibi templum eſt, Chalcidem ad ſpectaculum Euripi deſcendit.*

Oraculum Trophonium.

Adde quæ de hoc oraculo Pauſanias refert. *Poſteaquam in animum quis induxit, deſcenderet in Trophonii antrum, primo certos aliquot dies commoratur in ædificio. Sacrum eſt ædificium id bono genio, bonæque fortunæ. Ibi dum vitam agit, tum aliis rebus caſte ſe & moderate gerit, tum lavacris calidis arcetur. Lavacrũ eſt Hercynna flu.e victimis tamen magnam carnium copiam habent. Rem enim ſacram facit, qui*

descensurus est, & ipsi Trophonio & Trophonii liberis. adhæc Apollini, Saturno, Jovi cognognomento regi & Cereri quam Europen vocant, & Trophonii nutricem fuisse ajunt: ad singulas itaque victimas præsto est vates & sacrificii viscera intuetur, inspectis his ei qui descensurus est vaticinatur, an benevole eum Trophonius & placido animo sit excepturus. A

Postremi reges Orchomeniorum. Et de oraculo, quo Provincia Orchomenii quondam clarebat hactenus. Ad reges postremos revertor, de quibus Pausanias *lib.* IX. hæc adnotavit: *Trophonium autem terra eo loco dehiscens absorpsit quo in nemore, apud Lebadienses & fovea visitur Agamedis dicta, & ad eam columna. Orchomeniorum autem imperium susceperunt Ascalaphus ac Ialmenus, qui Martis filii sunt dicti, ex matre Astioche filia Actoris Axei filii Climeni F. His ducibus in expeditionem Trojanam Minyæ sunt profecti. Interfuerunt Orchomenii & classi qua Codri liberi in Ioniam transfretarunt: a Thebanis autem eos expulsos, Orchomenum statim reduxit Philippus Amyntæ filius. Et sic futurum erat, ut semper in deterius fortuna eorum laberetur.* B *Regnum Orchomeniorum desolatum.*

Sic itaque lapsa fortuna Orchomenii in servitutem redacti a regibus Phocidis, cum & eorum imperium deficeret, Thebanis inde Atheniensibus & ad postremum Macedonum imperio subjecti fuere, utpote quos, ut supra paulo dictum, a Thebanis expulsos Philippus Amyntæ restituerat, a Macedonum imperio Romani Orchomenos una cum proximis Provinciis Græciæ vendicarunt. Quippe Manlius Acilius devicto Antiocho, & post eum Paulus Æmilius Perseo rege Macedoniæ capto, Orchomenum in Romanæ Provinciæ formam redegere. Quapropter & Trophonii Jovis oraculum prope Orchomenum Paulus adiit, cum in Romani Juris formulam totam Hellada cum Macedonia redegisset. Postremus denique C. Julius Cæsar devicto ad Pharsalum Pompejo, quod residuum erat Orchomenici nominis, una cum proximis provinciis subjugavit. C D *Orchomenus Romanorum ditioni subjecta.*

Unde est quod idem scribit tertio comm. *Civilis Belli. Ætolia, Acarnania, Amphilochis per Cassium Longinum & Calvisium Sabinum, ut demonstravimus, receptis, tentandam sibi Achajam ac paulo longius progrediendum existimabat Cæsar. Itaque eo Fusium Calenum misit, & Q. Sabinum & Cassium cum cohortibus adjungit. Quorum cognito adventu Rutilius Lupus, qui Achajam missus a Pompejo obtinebat, Isthmum præmunire instituit: ut Achaja Fusium prohiberet, Calenos, Delphos, Thebas & Orchomenum voluntate ipsarum civitatum recepit.* His auspiciis Orchomeni regnum in angustias redactum ac proximis subjectum, passimque ab autoribus in Phocide comprehensum, in Romanam potestatem concessit, Thessaliæ proculdubio adjectum, cum nulla mentio in libro præfecturarum ejus occurrat. Quo loco, ut tandem capiti finem imponamus admonendus est mihi lector, Orchomenon alteram Arcadiæ extitisse civitatem. Quin Plinius *libro* II. *cap.* II. fluvii Bœotiæ, & *cap.* VIII. *libri* IV. alterius in Thessalia fluminis hoc nomine meminisse videtur. Hæc omnia fædissima Turcarum tyrannide premuntur, & ubi fuerat Orchomenus vel Heraclea plane ignoratur, ut quam inconstans sit rerum humanarum casus, appareat. E F

CAP. VII.

DE LOCRIS, ET PHOCIDE.

TAMETSI Locros a plerisque Phocidi attribui sciam, secutus tamen Strabonis autoritatem & antiquorum tam Poetarum quam Geographorum descr. eos a Phocide, non minus quam Orchomenios ac Trachinios separavi, & quod Phocus sive Ornytionis sive Æaci alter, a quo terræ nomen est inditum, non totum eum tractum possederit, qui a sinu Maliaco & Oetæ montis jugo, secus Parnassum montem, ad mare Ionicum excurrit ex transversu, ac Ætoliam attingit.

Hinc est quod in *Phocaicis* refert Pausanias: *De Phocide, quantum circa Tythoræam situm est ac Delphos, constat, antiquissimis temporibus nomen accepisse a Corinthiaco Phoco Ornytionis filio; annis autem non ita multis post, factum est, ut tota ea terra nomen id sortiretur, quæ nostris temporibus Phocis est appellata, postquam Æginetæ navibus in regionem una cum Phoco Æaci filio transierunt.* Et iterum: *Peleus & Telamon ob Phoci cædem fugierunt. Phoci filii ad Parnassum habitarunt, in ea quæ nunc Phocis dicitur. Sed hoc regioni nomen ante fuit, cum Phocus Ornytionis filius seculo in eam prius pervenisset, sub quo Phoco & ea circa Tythoram & Parnassum Phocis est appellata: sub Æaco autem usus obtinuit, ut omnibus id nomen daretur, sicut & Minyæ Orchomeniis sunt finitimi, & ad Scarphiam usque quæ sub Locrensium Imperio est pertingunt.* Huc nimirum alludens cecinit Naso VII. *Metam.* *Phocidis in Locris distinctio.*

Excipit Æacides illos in limine Phocus.
Nam Telamon fraterque viros ad bella parabant.
Phocus in interius spacium pulchrosque recessus,
Cecropidas duxit, cum quis simul ipse resedit.

Recte igitur in *nono* Strabo distinguens, de quibus præfati sumus, provincias, scribit: *Post Bœotiam autem & Orchomenum, Phocis adest, Bœotiæ apposita, in aquilonem similiter a mari ad mare, tempore utique pristino. Daphnuntem enim aliquando terræ Locrensis fuisse constat. Locrensem tractum in duo scindentem. Is sinus ipsius Opuntii & littoris Epicnemidiorum medius constitutus est, nunc ipsa Locrorum ora est. Cæterum urbs tenuis sane solo æquata, dirutaque jacet. Itaque Phocis non amplius usque ad Euboicum Pelagus pertinere videtur. Crissæo autem contigua est sinui. Crissa enim ipsa Phocidis est, ad ipsum sita Pelagus & Cirrha & Anticirrha, & aliæ super eas in Mediterraneo frequentes oræ ad Parnassum spectantes. Delphi quidem & Cyrphes & Daulis & Parnassus ipse, qui & Phocidis est & occidum latus terminant.* Quo autem modo Bœotia Phocidi accumbit, eo & Locris utrique Phocidi. Quæ satis ostendunt, cum Phocis a mari Ægæo ad mare usque Ionium, & ultro Isthmum per transversum excurreret; utrinque in limitibus Locros habuisse conjunctos in ora maritima, hinc quidem Epicnemidios *Quomodo utrinque Locri Phocidi cohærent.*

Trachiniis & Phthiotiis contiguos secus Oetæ montis juga, illinc vero Locros Ozolas Ætolis proximos citra Parnassum, Marlaum & Aracinthum montes. Quocirca Pompejus Mela, secundo *Geographiæ*. *In Doride*, inquit, *Pindus est & juxta situm Eryneon, in Locride Cynos & Callyaros, in Phocide Delphi & mons Parnassus & Apollinis fanum atque oraculum*. Sic Plinius *lib.* IV. *cap.* VII. Bœotas Hiantas antiquitus dixere. Locri deinde Epicnemidii cognominantur, olim Leleges appellati, per quos amnis Cephisus defertur in mare. Oppida Opus, unde Opuntinus sinus, Cynos. Phocidis in littore unum Daphnus, introrsus autem Larissa Elatea & in ripa Cephisi ut diximus Lilæa, Delphos versus, Cnemis & Hiampolis. rursus Locrorum ora, in qua Larynna, Thronium, juxta quod Boagrius amnis defertur in mare. Oppida Naricion, Alope, Scarphia, postea Maliacus sinus ab incolis dictus. Hæc itaque jam ita sint, & inter Trachinios ac Phocenses Locri medient, qua Boagrius fluvius ex Tichiunta Oetæ montis jugo, quod Thermopylis adhæret, secus Scarphiam & infra Thronium ac sinum Maliacum in mare exoneratur, de Locris ante Phocidem dicendum nobis videtur.

Locri duplices. Quos Strabo exacte, & describit & dividit in *nono* cum ait: *Daphnus quoque cum olim Phocensis esset urbs, diruta jacet hoc tempore, Euboicum attingens mare, dividens Epicnemidios Locros, hos quidem in Bœotiam. illos vero in Phocidem a mari pertingentes, Quippe signum est, quod in ea sacellum est, quod Schædii sepulchrum esse memorant. Satis de Phocide a nobis dictum est. deinde Locridis ora subest ordine, ideo de ipsa dicere adgrediamur. Ea duas in plagas dividitur, una quidem Locrorum est in Eubœam vergentium, qui ad utrumque Daphnuntis urbis latus discinduntur. Vocabantur autem uni quidem Opuntii a civitate Metropoli, alteri vero Epicnemedii a Cnemide monte: reliqua in occasum spectans occiduorum Locrorum appellatur: qui iidem & Ozolæ nominantur: eos distinguit ab Opuntiis & Epicnemidiis & Parnassus intermedius & Dorensium Tetrapolis*. Ex quibus verbis colligimus, non solum in Hellade duplices, verum adeo etiam triplices extitisse Locros. Duos quidem Phocidi ab arcto & oriente adjacentes. Opuntios quidem versus mare & Epicnemidios in mediterraneis. Tertios auro & ipsos Phocidi contiguos, inter Parnassum & Heliconem montes, ac priorum quidem duorum, qui orientales erant, inter Trachiniam & Phocidem urbes celebrabantur Thronium in Maliaco sinu, Scarphia, Cænus & Metropolis Opuntia, aliorum vero qui in littore Ionici maris colebant, Naupactus, & Amphissa celebriores erant.

Urbes Locrorum. Placet verba Strabonis de primorum, hoc est, orientalium Locrorum tractu referre, cum duos sinus Maliacum ac Opuntium, quibus videlicet hi Locri mare Ægæum attingunt, describit. *Post sinum sane deinceps Alopes sita est, & Daphnus quem dirutum ante diximus. Ibidem portus est a Cyno nonaginta distans stadiis, ab Elatæa vero si terrestre iter subeas in mediterraneam, centum & viginti. Jam vero ista sunt, sinus Maliaci, ac secundum Daphnuntem Cnemides sunt, locus munitus ad stadia viginti, si quis naviget. In quem ex Eubœa Cenæum e regione consistit promontorium in occidente spectans, sinumque Maliacum freto disjunctum stadia ferme viginti: Hæc autem Locrorum sunt Epicnemidiorum, cæterum post stadia viginti portus occurrit. supra illum vero totidem stadiis Thronium jacet in Mediterranea. dehinc Boagrius amnis effunditur Thronium præterlabens: Manem autem eum nuncupant. Est autem torrens ut interdum ne tinctis quidem ingrediare pedibus, quandoque vero ad bina late fundatur jugera. Secundum hæc quidem Scarphea jacet supernis, a mari stadiis distans decem, a Thronio vero triginta. Et continuans sermonem, duplices inibi campos Bessam locum arbustis refertum & Metymene, ubi & Pharigas prope Scarphiam, commemorat, & Dianæ Pharigiæ templum.* *Locrorum orientalium descriptio.*

Hæc ex Strabone. Audiamus & Livium qui Thronium (id quod oppidum Locridis, Trachiniæ proximum erat) delineans *quinto Decadis quartæ*: *Euthymidas ab Athenis Thebas primum, hinc Salgonea processit. Herodotus ad Thronium, inde haud procul in Maliaco sinu duo millia peditum, & Thoas ducentos equites, onerarias leves ad triginta habebat*. Et *libro sexto*: Inter ipsum pugnæ tempus decem naves regiæ cum præfecto Isidoro ad Thronium in sinu Maliaco stabant. eo gravis vulneribus Alexander Acarnan nuncius adversæ pugnæ cum profugisset, trepidæ inde recenti terrore naves Cenæum Eubœæ petierunt. Idem de Cyno proximo ubi Deucalionem habitasse, & Pyrrhæ extare tumulum Strabo refert, Herculisque balnea esse a Cnemide monte stadiis sexaginta, a Penei fluvii ostio stadiis sexaginta, ab Adepso denique Eubœæ freto stadiorum centum & sexaginta distito, *octavo tertiæ Decadis* scribit, cum Euripum Eubœæ delineasset. Id prudenter ut in temere suscepta re Romanus fecit, quod circumspectis difficultatibus ne frustra tempus tereret, celeriter abstitit incepto, classemque inde Cynum Locridis Emporium, id est, Opuntiorum urbis mille passuum a mari sitæ trajecit. *Thronium orientalis Locridis urbs. Cynus Orientalis Locridis urbs. Opuntia Metropolis Locrorum.*

Sequitur in eodem Livii textu & de Opuntia Locrorum illorum orientalium Metropoli & cujus in numismatibus quibusdam, quæ pugilis iconem habent, inscriptio visitur. Igitur Philippus Neieæo præsidio, fusis Ætolis, qui saltum Thermopylarum insidebant, cum a Demetriade Scotussam, inde tertia vigilia profectus, trepidos hostes Heracleam compulisset, ipse uno die Phocidis Elatiam, millia amplius quinquagintaquinque contendit. Eodem ferme die ab Attalo rege Opuntiorum urbs capta diripiebatur. Concesserat eam prædam regi Sulpitius, quia Oreum paucos ante dies ab Romano milite expertibus regiis direptum fuerat. Et subdit. *Attalus inermis atque incompositus cursu effuso, mare ac naves petit, & molientibus ab terra naves Philippus advenit, metumque etiam ex terra nauticis præbuit. Inde Opuntiam rediit, Deos hominesque accusans, quod tantæ rei fortunam ex oculis prope raptam amisisset. Opuntii quoque ab eodem ira increpiti, quod cum trahere obsidionem in adventum suum potuissent, viso statim hoste prope in voluntariam deditionem concessissent: compositis circa Opuntem rebus, Toronem est profectus*. De Scarpea lege Livium *Sexto*, *De-*

cade quarta, cum Marci Acilii victoriam de Antiocho rege describit, & Appianum in *Syriaco* de eadem historia.

Reges Locrorum.

Quibus ex locis advertitur Locros una cum proximis Thessalis, Phthiotis, ac Magnetibus Macedoniæ regibus paruisse, ut in Romanam potestatem venisse eos una cum Macedonibus, auspicio Quinctii Marci Acilii & Publii Æmilii apparet. Quos vero reges habuerint Locri non traditur, nisi quod Strabo in *Nono* Patrocli ac Aiacis meminisse videtur. Verba subjiciam. *Cæterum ex Opuntia terra natum esse Patroclum testatur Homerus. Qui cum cædem patrasset invitus, fuga se subtraxit ad Peleum. Menœtius vero ejus pater mansit in patria. At enim Achilles Menætio pollicitus fuerat, ut cum ex ea expeditione revertisset se illum in patriam reducturum, verum non ille, sed Aiax Locrus Opuntiorum regnum obtinebat, quem a patria Aryco genitum ferunt. Æanem vero vocatum fuisse eum dicunt, quem Patroclus interemit, a quo & sacellum Æanium & Æanidem fontem ostendunt nominatum.* Quintus autem Aiax Locrensium rex ille Oilei extiterit (qui capta Troja Cassandram virginem & vatem in templo Palladis violaverat: in cujus vindictam Dea Græcis regredientibus tempestatem immiserat canente Poeta:

Aiax Oilei rex Locrorum.

Unius ob noxam & furias Aiacis Oilei.)

testantur verba Pausaniæ tertio *Laconicorum*, quæ subscribere non gravabor: *Orto enim bello inter Crotoniatas & Locrenses Italicos, cum Locrenses ob cognationem quam habebant cum Opuntiis, Aiacem Oilei filium ad pugnam invocassent, Leonymus Crotoniatarum dux, hostes est adgressus, quemadmodum ab Aiace injunctum eis audierat. Vulneratus autem in pectore, cum ex vulnere laboraret Delphos se contulit, eo profectum Leonymum Pythias in Insulam Leucam ablegavit, ibique apparaturum ei esse Ajacem dixit, vulnusque curaturum. Aliquanto autem post recuperata jam valetudine, ex Leuca cum discessisset, vidisse se dixit Achillem, vidisse item Oilei, Telamonisque Ajaces, Patroclum & Antilochum:* hæc ille. Patroclus sane Menœtii & Sthenelės filius, occiso per ludum Astragalorum Cleonymo seu Æane Amphidamantis filio, solum vertens, apud Peleum in Trachinia exulabat, & propter generis propinquitatem Locrorum finibus donatus, una cum Achille a Chirone educatus fabulis fertur, cumque eo ad Trojam profectus, armis Achillis indutus, cum Hectore pugnans occisus est. Hæc de Locris orientalibus tantum. transeo ad occidentalis Phocidis agrum, Cephiso flum. adjacentem & Ætolis conclusum, & ad oram maris Jonici exporrectum, quem Pausanias Decimo *Phocaicæ historiæ* his verbis delineat: *Terra præterea Locrorum qui Ozolæ sunt dicti Phocidi juxta Cyrrham est finitima. De cognomento horum Locrorum diversa audivi, quæ omnia simul exponam, Oresti Deucalionis filio, cum iis in locis regnaret, lignum pro catulo canicula peperit. Quo ab Oreste defosso primo Vere ajunt, vitem excrevisse & a lignis Ozis, id est, ramis, nomen hominibus esse inditum. Alii Nessum putant, qui portitorem egit ad Evenum, vulneratum quidem esse ab Hercule, non autem statim obiisse, sed in terram hanc profugisse, mortuum autem inde, & insepultum computruisse, & gravi odore iis in regionibus aerem infecisse. Tertio fluvii cujusdam ajunt, & vaporem absurdum esse, & ipsam aquam sordidam. Quarto, multum ibi provenire Asphodeli & florere eam herbam ab odore. Dicitur item primi ejus loci homines fuisse indigenas: vestes autem contexere cum nescirent, tegumentis contra frigus utebantur pellibus ferarum crudis, partibus pellium hirsutis foras ornatus causa conversis. Futurum itaque erat, ut eadem ratione, & ipsa tergora & hominum corpora fœterent.*

Patroclus.

Locri Occidentales Ozolæ.

Etymon vocis Ozolæ.

His quinque rationibus, quibus Etymon Ozolæ nominis explicatur, Strabo in IX. sextam addit. *Paulo super Calydonem*, ait, *est etiam collis Taphosus, in quo Nessi & aliorum centaurorum tumulus locatus cernitur, e quorum tabo teterrimus odor sub montis radice profunditur, & humor crassioribus guttis manat, quam quidem ob causam gentem illam Ozolas, id est, odoris mali vocari.* Hæc ille.

Civitates Locrorum occidentalium.

Pausanias civitates in his Locris occiduis enumerat Myoniam, cujus Incolæ in Asiam Ionicam transfretarunt, & ibi coloniam eodem nomine deduxerunt, Oeanthæam, Amphissam ac Naupactum Metropoles, quarum Amphissam Amphictyonum judicium destruxit, quod graviora vectigalia exigeret ab adeuntibus oraculum Apoll. quam Ætoli pulsi a Rom. iterum renovarunt. Naupactum vero Messenii ex Peloponneso a Spartanis pulsi occupavere, licet inde Messenios Locri denuo expulerint.

Amphissa urbs Ozolarum.

De Amphissa Pausanias in X. hæc nominatim adnotavit: *Delphis distat centum viginti stadiis Amphissa urbs Locrorum maxima & celeberrima. Incolæ moti pudore Ozolarum nominis Ætolos esse se asserunt: habent tamen rationem verisimilem. Quo enim tempore Romanorum Imperator ad Nicopolim incolendam patriis sedibus Ætolis ejecit, magnam populi partem contulisse se Amphissam perhibent. Prima tamen generis origine Locri sunt. Inditum urbi nomen ajunt ab Amphissa Macarei filia, Æoli nepote, ejusque amore correptum fuisse Apollinem, exornata est urbs apparatu & alio, & quæ maxime memorabilia censent, ex his monumentum Amphissæ est, & Andremonis: cum hoc sepultam ajunt Georgen Oenei filiam, Andremonis uxorem. In arce templum Minervæ habent, & simulachrum erectum ex ære compositum: a Thoante id Ilio asportatum esse ajunt, & de Trojanorum manubiis dedicatum.*

Naupactus Metropolis.

De Naupacto Metropoli Ozolarum, cujus hodie ruinas Itali *Lepanto* appellant, scribit Strabo in IX. *Hi sane civitates habuerunt Amphissam & Naupactum. Quarum quidem Naupactus prope Antirrhium permanet, nomenque inde accepit a pangendis, id est, construendis navibus, sive illic Heraclidæ classem compegerint, sive loca prius compararint, ut scribit Ephorus, ea vero nunc Ætolis subjungitur, sic adjudicante Philippo.* Adde quæ Pausanias in X. refert. Quoniam de Naupacto dici memini Dorienses qui una cum Aristomachi liberis in Peloponnesum transfretarunt, navigia ibi composuisse, atque ideo nomen loco esse inditum. Porro Naupactum Athenienses primum, inde Spartani, postremo Mas-

senii occuparunt, Peloponneso Spartanis pulsis: quos tamen Locri non ita multo post rursus ejecerunt, patria recuperata, quam historiam apud Pausaniam in *Messenicis* lege, qui prope Naupactum Neptuni Dianæ & Æsculapii delubra commemorat. Qui denique in x. Ozolas Patrensibus Achæorum ab Augusto fuisse Imper. subjectos commemorat.

Locrorum vetustas.

Cæterum quam vetusta hæc gens Locrorum extiterit & quam late in orbem colonias deduxerit, multa sunt argumenta, quemadmodum Strabo refert, quod Deucalion Promethei filius, qui genus humanum ad Cephisum reparasse a poetis refertur, apud Opuntiam gubernaverit, Pyrrhaque uxor filia Epimethei & Pandore ibidem sepulta fuerit. Quorum filii Orestes apud Ozolas Locros occidentales autore Pausania regnavit, Amphictyon Cranao in Attica successit, Hellen unde Græci cognomen adepti sunt, eisdem finibus rerum potitus, filios, Dorum quidem in Alpes, unde Dorienses prodierunt, & Xuthum in fines Atticæ dimisit, ubi Erechthei filiam Cecropis sororem in matrimonium accepit, qui pulsus a fratribus Cecropis, colonias in Ægialo deduxit, ubi Achæi postea populi a filio suo Achæo nominati fuere, cum late in Thessaliam postea ditionem extendisset, relicto Archandro filio, qui Argos profectus Danai filiam nuptum accepit. Ab eodem Xuthi filio Ione & Iones populi emersere Atticam tenentes, cujus nati Pytireus Epidaurum, Procles in Samum Insulam, abiere, licet Leogarus filius ab Ephesiis ejectus in Insulam Thracem Thraciæ obtensam commigrarit, composito ex inde nomine Samothracem nominatam. Protogenia præterea Deucalionis filia ex Jove Ætolium pepererat Endymionis patrem, Ætoli avum, unde Calydoniæ regum stemma processit, de quo in Ætolia dicemus. Chyones denique alia Deucalionis filia ex Mercurio Autolycum peperit avum Sinonis illius qui dolo Trojam equi figmento prodidit. Adhæc Pausanias refert Æthneum Deucalionis fratrem in finibus Phocidis tenuisse, apud quem Ceres Dea contracta familiaritate deposuerat aliquid. Strabo ex autoritate Hesiodi Locrum quendam celebrat primum regem Lelegum, qui post Deucalionis ætatem, ejusque Progeniem, hisce finibus imperarit. Verba ex VII. *Geographicorum* subjicere placet: *In Ætolorum Politia, is nunc Locros Lelegas vocat, a quibus & Bœotiam occupatam fuisse dicit. Similiter & in Opuntiorum & Megarensium politia testatur. At enim in Leucadiorum Politia quempiam indigenam & aborigenem Lelegem nominat, cujus ex filia nepotem nuncupat Teleboam: ex quo duos & viginti liberos procreatos inquit, & ex his nonnullos Leucadem habitasse. Hesiodo maxime fidem adhibendam esse contenderim, qui Lelegum populorum ducem fuisse Locrorum asserit. Quos Saturnius Jupiter immortalia sapiens consilia, e Deucalionis tellure delectos vagos exhibuit:* hæc ille.

Deucalionis stemma.

Primi reges Locrorum.

Qui vero posterioribus sæculis rerum apud Locros potiti fuerint, paucos invenio. Euanthem vero quendam celebrant historiæ, qui Locrorum non parvam manum in Italiam deduxit. Servos præcipue, qui dominis in bello absentibus se uxoribus eorum commiscuerant. Et hæc est prima Locrorum in Italiam deducta colonia, de qua Titus Livius IV. *Decadis* III. in vicinia Crotonis ac Rhegi mentionem facit, cum Hannibalis res in Brutiis gestas recenset. Itaque Rhegio extemplo abscessum est. Locrensibus jussu Hannibalis data pax, ut liberi suis legibus viverent, urbs pariter & portus in potestate Locrensium esset. *Societas eo jure staret, ut Pœnus Locrensem, Locrensisque Pœnum pace ac bello juvaret*. De his Locrensibus Italicis refert elegantem historiam Strabo in VII. Cum flumen Alex. Rheginum a Locrensibus disterminat, qui per vallem profundam cursum habet.

Colonia Locrorum in Italia.

Peculiare quiddam hic de Cicadis obvenit. Quæ enim in Locrorum ripa versantur sonantius strident, illis aliis vox nulla contigit, ejus rei causam suspicantur. Nam cum iis omnino umbrosa regio sit, unde roscidas alarum pelliculas minime pandant, illis, sole fervida est, ut aridas ac veluti corneas habeant, unde apte stridor emittitur.

Cicada insigne Italiæ Locrorum.

Huc referenda est sive fabula sive historia, quam de Eunomo Citharœdo Locrensi idem autor refert. Qui cum in certamen esset vocatus ab Aristone Rheginensi, fusis ad Apollinem precibus auxilium invocarat, atque cum cithara is ope ejus Dei apte tetigisset, Eunomum Locrensem coactum dare suæ quoque artis specimen, cordam fregisse, quo facto adfuisse mox cicadam, quæ supplementa vocis faceret.

Et hanc rationem arbitror, quare in numismate iidem illi Locri Cicadæ symbolo usi fuerint. Siquidem & Diodorus V. *Bibliothecæ* scriptum reliquit. *At vero Herculi secus ob pietatem contigit. Nam cum ad fines Rheginorum & Locrensium pervenisset, deque via infessus quiesceret, cicadarum strepitu pertæsus Deus fertur ut eas inde amoveret, exaudita prece non solum tunc, sed postmodum cicadæ nunquam sunt in his locis repertæ*. Et hæc de prima Locrorum deducta in Italiam colonia.

Secundam postea in Asiam deduxere Myoniæ præcipuæ civitatis Ozolorum coloni, ut Myones Ionibus in Asia vicini, ex Locris Græciæ processisse appareat. Hoc Pausanias VI. *Eliacorum* testatur, Thucydidem in historia Locrorum, qui in Phocide sunt, oppida comprehendisse & alia, in quibus esse scribit & Myones. Myones itaque quorum mentio fit in Clypei inscriptione, mea sententia iidem Myones sunt qui in Locridis continente incolunt. Porro de Myonia Locridis Græciæ sub finem *decimi libri* Pausanias sic meminit: *Supra Amphissam in continente Myoniaque triginti stadiis Amphissa distat. Myonenses hi & Jovi Olympio scutum dedicarunt, situm est oppidum in loco excelso, lucum præterea & aram habet Deorum qui Milichii, id est, blandi vocantur*.

Secunda Locrorum in Asiam.

De Myonia vero illa in Asia Ionica colonia, quæ & Myus historicis passim vocatur, & in moneta Deæ Cybeles ac navis symbolo usa fuit (ut in Chorographia nostra lector videbis) scribit Strabo in XIII. a Pyrrha usque ad Mæandri ostia, quinquaginta, qui locus stagnis & paludibus plenus est, subministratoriis vero scaphis adnaviganti, sta-

Meonia Asiaticæ insigne. TAB. III. fig. 6.

dia triginta est Myus, una ex duodecim Ioniæ urbibus, quæ nunc propter hominum paucitatem a Milesiis habitatur. Hæc Themistocli dicitur a Xerxe in opsonium data, Magnesia in panem, Lampsacum in vinum. Hujus Myonorum in Asia coloniæ meminit etiam Titus Livius *lib.* VII. *Decadis* IV. *Polixonidas Samum petituros hostes ratus, ut se Rhodiæ classi conjungerent, ab Epheso profectus primo ad Myonesum stetit.* Appianus in *Syriaco* Antiochum regem a Romanis ad Myuntem sive Myonesum victum scribit. De quo plura lege apud Plinium *lib.* XXXIV. *cap.* XII. Venio ad tertiam coloniam in Cretam deductam, cujus meminit sexto *Eliacorum* Pausanias: *Positum est*, inquit, *& buxeum simulachrum Apollinis capite deaurato, dedicatum ajunt a Locris qui ad Zephyrium promontorium Bretæ habitant.*

Insignia Locrorum TAB. III, fig. 7. Hactenus de Locrorum coloniis, jam de insignibus dicemus, quæ passim in illorum moneta antiqua occurrunt, quorum reperio tria: Stellam Hesperum videlicet, Pugilem & Cererem. Stella Locrorum Occidentalium erat, cujus IX. *Geog.* Strabo meminit. Vocantur autem hi quidem occidui Locri & Ozolæ. Habent autem in signatorio civitatis annulo stellam insculptam Hesperum. Crediderim vero insignis originem repeti posse a Ceyce Trachiniorum & Locrorum rege, qui Peleum Achillis patrem susceperat, Hespero genitus, ut Naso XI. *Metam.*

Expulsumque domo patria Trachinia tellus
Accipit: hic regnum sine vi, sine cæde regebat
Lucifero genitore satus, patriumque nitorem
Ore ferens Ceyx.

Pugilis Icon tam Locrorum Epicnemidiorum in Græcia quam Locrorum Italiæ fuerat insigne, non solum quod pugna semper præstiterint Locri, verumetiam quod ex Olympico certamine subinde victores abierint. Unde est illud Plinii in VII. *cap.* XLVII. *Consecratus est vivus, sentiensque oraculi ejusdem jussu, & Jovis Deorum summi astipulatu, Euthymus semper Olympia victor & semel victus. patria ei Locri in Italia, ibi imaginem ejus esse & Olympiæ alteram eadem die fulmine tactam.* Sic Pausanias VI. *Eliacorum* Rexibium quendam Opuncium celebrat qui LXI. Olympiade, Pancratiasta vicerat, cui statuam Elæi juxta Oenomai posuerant. Potest etiam insignis illius origo repeti a Philoctete Pæantis filio, cui Hercules moriturus in Oeta sagittas ac Clypeum tradiderat, quibus cum ad bellum Trojanum opus esset, Philoctetem coactum sequi Græcos, cum vulneratus esset, in Lemno relictum, curatumque a Machaone: Inde in Italiam navigare ac Petiliam condidisse, ad quod alludens cecinit Virgil. *Æneid.* III.

Parva Philoctetæ subnixa Petilia muro.

Et Propertius:

Tarda Philoctetæ sanavit crura Machaon.

De Cereris symbolo adducam conjecturam meam, forte ob famigeratissimum illud in Thermopylis Cereris fanum, & aliud apud Drymæam. Strabo *lib.* IX. cum Oetam montem ac Thermopylas delineasset. *Adest & ibi portus ingens & Cereris templum, in quo in omni ibidem conventu Amphictyones sacrificium conficiebant, a portu autem in Heracleam Trachiniam terrestri itinere* XL. *stadia intersunt. Est in Phocide & Cabyrium nomine ingens Cereris nemus.* Revertor ad Phocidem quæ Locris utrisque ab utroque mari conjuncta est, hoc est, Ægeo & Ionio. In quarum parte illa quidem Oetæ montis jugis usque ad Thermopylas excurriit Dores ac Trachinios contingens, ubi Acrephium & Sphingum montes, ac Cabyrium Cereris, Urbes in ea Panopea totius provinciæ regia, Lilea, Elatia, Ambrostus, Amphiclæa, Abæ, ubi oraculum, Hiampolis & ad lacum Copaidem Copæ, Hietto, ac alia plura cum oppida tum Divorum templa. In altera vero, quæ Ozolis jungitur ad mare Ionium Delphi, ubi clarissimum ac toto orbe famigeratissimum extiterat Apollinis oraculum, Lycorea, Daulis, Drymea, Thisbæ, Thespiæ, Heliconis Musæ, Anticyrrha & in maris littore Cyrrha & Creusa Bulis. Ea portio secus Parnasi juga ex transverso protenditur in arctum, Alpestris in medio, ubi Helicon versus Megarensium agrum protenditur. Nemorosa vero ad maris oram, ubi Apollinis & Dianæ luci ac montes Ellebori delineantur, prope Anticyrrham itaque & Alces ac Bisontes, in Phocide Pausf. commemorat. *Phocis duplex & descriptio.*

Panopæa regio Phocidis. De Panopæa, ubi propugnaculum totius erat regionis & Principis sedes, & Titii sepulchrum, hæc Pausanias in IX. scripta reliquit. *Nomen civitati inditum ajunt ab Epæi patre. Ipsi autem Phocenses Phlegyas initio fuisse ajunt, & ex Orchomenio in Phocidem transfugisse. Panopeæ veterem ambitum septem potissimum esse stadiorum, ex aspectu judicavimus. Subiit item nos in memoria versuum Homeri quos de Titio scripsit, ubi Panopensium civitatem, a soli aut choreæ pulchritudine Callichrorum nominavit. Et in certamine propter Patrocli cadaver suscepto, Schedium etiam Iphiti filium Phocensium regem, & ab Hectore interfectum. Panopæam incoluisse scripsit. hoc ut apparet, factum est metu Bœotorum, eo enim loco irruptio in Phocidem patet facillima. Proinde ibi regem habitare oportuit, qui Panopæa tanquam propugnaculo uteretur.* Hæc ille. Tradit etiam superesse terram, ex qua Prometheus genus humanum effinxit colore ac substantia harenæ & sudoris humani odore.

Thermopylæ Phocidis. Alterum quod in Phocide celebratur, sunt Thermopylæ, non solum salubribus aquis & Amphictyonum concilio, verumetiam victoria illa insigni de Persis duce Leonida Spartano famigeratissimæ, quarum situm & juga Oetæ montis, quibus illæ clauduntur angustiæ, nemo melius descripsit quam T. Livius *lib.* VI. *Decad.* IV. *Extremos ad orientem montes Oetam vocant: quorum quod altissimum est, Callidromon appellatur, in cujus valle ad Maliacum sinum vergente, iter est non latius quam* LX. *passus. Hæc una militaris via est, qua traduci exercitus, si non prohibeantur, possunt. Ideo Pylæ, & ab aliis, quia calidæ aquæ in ipsis faucibus sunt, Thermopylæ locus appellatur; nobilis Lacedæmoniorum ad-*

versus Persas morte magis memorabili, quam pugna. Et subdit: *Duo millia Heracleæ substiterunt, duo trifariam divisa, Callidromum & Rhodunciam & Tichiunta (hæc nomina cacuminibus sunt) occupavere.* Et iterum: *Multi temere subeuntes vallum transfixi sunt, & aut incepto irrito recessissent, aut plures cecidissent, ni M. Porcius ab jugo Callidromi dejectis inde Ætolis & magna ex parte cæsis (incautos enim & plerosque sopitos oppresserat) super eminentem castris collem apparuisset. Flacco non eadem fortuna, ad Tichiunta & Rhoduntiam, nequidquam subire ad ea castella conato, fuerat.*

Porro illa ipsa Castella Thermopylarum Strabo recenset in *nono*. *Istius pars una vergens in Thermopylas Oeta vocatur, longitudinis ad stadia triginta, asperitatis & celsitudinis non mediocris, longe autem excelsissimus ad Thermopylarum tractum. Ibi enim cacumen attollitur, & in rupes acutas præcipitesque finitur, parvumque & angustum viatoribus a littore Locros petentibus, & ex Thessalia derelinquit transitum. Ipsum quidem transitum. Pylas, id est, portus & angustias vocitant atque Thermopylas. Sunt enim ibi prope thermæ, magno in honore Herculi consecratæ: supra sinus est, mons, quem Callidromum appellant. Attamen aliqui etiam reliquum per Ætoliam Acarnaniamque usque sinum Ambracium progredientem, Callidromum nominant. Ad Thermopylas sane intra angustias castella sunt, Nicæa quidem ad Locrorum mare, at Tichius & Heraclea supra illam, quæ prius Trachin vocabatur a Lacedæmoniis condita.* Venio nunc ad Delphicum oraculum locum in Phocide celeberrimum, cujus situm Livius *Decad. v. lib. 11.* egregie delineat, cum Eumenem Asiæ regem isthic per insidias adortum, ab his quos in ejus necem Perseus rex solicitaverat, commemorat. Locum subjicere placuit. *Evandrum Cretensem ducem auxiliorum, & Macedonas tres assuetos ministeriis talium facinorum ad cædem regis subornat, literasque eis dat ad Praxo hospitam, principem autoritate & opibus Delphorum. Satis constabat, Eumenem, ut sacrificaret Apollini, ascensurum Delphos. Progressi cum Evandro insidiatores, nihil aliud ad peragendum inceptum quam loci opportunitatem omnia circumeuntes quærebant. Ascendentibus ad templum a Cirrha, priusquam perveniretur ad frequentia ædificiis loca, maceria erat ab læva semitę paululum extans a fundamento, qua singuli transirent, dextra pars labe terræ in aliquantum altitudinis diruta erat: post maceriam se abdiderunt, gradibus astructis, ut ex ea velut e muro, tela in prætereuntem conjicerent. Primo a mari circumfusa turba amicorum & satellitum procedebat.* His adde quæ de origine ejus oraculi Strabo in *nono* refert. Antiquis temporibus quosdam extitisse Parnasios, Autochthonas vocatos, id est, indigenas & Aborigenes Parnasum colentes. Quo quidem in tempore Apollinem in terras adventantem mansuefecisse homines e sylvestribus fructibus & minuti vivendi ritu. Athenas egressum adiisse Delphos eam per viam qua nunc Atheniensis populus Pythiadem supplicationem cum pompa pręmittit, ad Panopæam deinde consistentem urbem, Tityum clade affecisse ejus loci Tyrannum virum pro fecto violentum ac flagitiosum. Postea con-

Delphici templi situs.

A junctos illi Parnasios alio nunciasse hominem esse nomine Pythonem ac cognomine Draconem: quo sane sagittis debellato, inter adhortandum, *Io Pæan* clamitasse, unde consuetudinem traditam, ut qui consecuturi sunt aciem, sic Pæanis celebrationem clamitent. Pythionis vero tabernaculum sic incendio tunc a Delphis absumptum. De Tripode post dicetur, & Specu in quo ille fuerat. Quin vero illud famigeratum ac toti orbi suspiciendum extiterit docent tot donaria regum etiam alienigenarum, ut Gigis & Crœsi, spolia etiam ac trophæa variarum gentium ac
B principum, opera etiam artificum admiranda. Ludi inibi decertati, non solum equestris certaminis, verum adeo etiam Poetarum ac Musicorum, denique Amphictyonum conventus, qui inibi erat præcipue constitutus, ad quem omnes pene civitates Græciæ suos mittebant, qua de re in *Atticis* fusius loquemur.

Templum Delphicum & opes illius.

Ludi Delphici.

Templum vero marmoreum fuisse Pausanias scribit, & a Polygnoto Thasio summo artifice ita fuisse pictum affabre, ut Amphictyonum decreto gratuita hospitia illi
C per totam Græciam concederentur. Hoc templum & has opes accumulatissimas quas Pauf. in x. prolixe describit primi spoliarunt ipsi Phocenses Onomarcho & Phaillo ducibus, ob quod bellum quod sacrum dicunt exortum est, Phocenses ad vindictam, Atheniensibus, Thebanis & Philippo Amyntæ non solum postulantibus, sed bello etiam infestantibus. Secunda spoliatio facta est a Brenno & Galatis, tertia a Sylla, cujus Plutarchus in *Sylla* his verbis meminit. *Cum ad usus belli pecuniæ urgeret inopia, ad movenda Græciæ*
D *se convertit asyla, quæ in donariis ornatissima atque preciosissima fuerant, tum ab Epidauro tum Olympia ad se deferri jussit. Delphos etiam Amphictyones literas dedit, præstare ipsas Dei pecunias ad se transportari; aut enim tutius servaturum, aut si necessarios ad usus consumpsisset, non pauciores sane restituturum & Caphim Phocensem ex familiaribus unum misit, cui ut singula pondere susciperet, mandata dedit. Tum Caphis Delphos profectus, aliquid sacrorum tangere veritus coram Amphictyonibus necessitatem multis testatus est lacbrimis, asserentibusque nonnullis Citharæ*
E *sonitum intra sacram ædem audisse. Caphis seu dictis fidem adhiberet, seu Syllæ regionem vellet incutere, ad eum nunciavit audita. Cui per facetias Sylla rescribens, Miror inquit Caphi ignorare te non quidem indignantis, sed exultantis Dei indicium esse. Quocirca perinde ac Deo summa cum hilaritate pecunias tribuente, tu quoque confidenter accipe. Cætera quidem clam Græcis missa sunt. Dolium vero quod unum egregiis muneribus reliquum erat, cum & pondere & magnitudine tollere jumenta requirant, Amphictyones coacti consciderunt.*

Spoliatum templum Delphicum.

F Adde & quæ de Specu, ubi Tripos fuerat, Strabo refert. Hac itaque tempestate neglectui datur, nonnihil oraculum superioribus annis excellentissimo in honore habitum documento sunt thesauri, quos populi potentesque principes ibidem construxerunt. ad quod consecratas offerebant pecunias, nec minus artificium præstantissima opera & ludi Pythici illic decertati, & innumerabilia tot & commendata scriptis oracula: autores

Specus templi Delphici.

certi memorant: divinum ipsum domicilium profundam & curvam esse speluncam, non admodum lato ore patentem: unde auram quidem referri sacro efflante numine, excelsum autem ostio imminere tripodem, quem cum Pythia Vates inscenderit, hausto divinationis spiritu Dei responsa referre, & metro & oratione soluta. Hæc vero poetas quosdam templi ministros in versus intendere. Ad quod Oraculum Phocense alludunt Poetæ. Lucanus in v.

Ut vidit Pæan vastos telluris hiatus
Divinam spirare fidem, ventosque loquaces
Exhalare solum, sacris se condidit antris,
Incubuitque adyto, vates ibi factus Apollo.

Et iterum:

Aere libratum vacuo quæ sustinet orbem,
Totius pars magna Jovis Cyrrhæa per antra
Exit, & æthereo trahitur connexa tonanti.
Hoc ubi virgineo conceptum est pectore numen,
Humanam feriens animam sonat, oraque vatis
Solvit.

Claudianus *de raptu Proserpinæ:*

Jam mihi cernuntur trepidis delubra moveri
Sedibus, & claram dispergere lumina lucem
Adeuntem testata De . Jam magnus ab imis
Auditur fremitus terris, templumque remugit.

Et de virginis vaticinantis amictu Lucanus:
Stringit vitta comas, crinesque in terga solutos
Candida Phocaica complectitur infula lauro.

Et de Oraculo temploque Delphico hactenus, ubi & Neoptol. filii Achillis tumulus cernebatur, quem ultione Deum Machareus Sacerdos ob Priami ejusque filiorum cædem ad aram immolaverat. Hic notandum est & alia per orbem Apollini sacra extitisse oracula in Lebadia, in Delo insula, & in Colophone Asiæ, cujus Livius *Decade* IV. & Tacitus in *secundo* meminere.

Reges Phocidis. Et hæc quidem quæ in Phocide præclara & memoria digna quondam commemorabantur, ad Principes illius descendo: Quos in historiis & fabulis reperio Deionem Æoli filium fratrem Athamantis Bœotii, Sisyphi Corinthii & Salmonei Thessali. Qui ex Diomedea Xuthi filia genuit Cephalum, Philacum, Asteropeum. Quorum Cephalus Procrin Erechthei Athen. filiam in matrimonio habuerat, quæ insidias struens marito quem Aurora adamabat in sylvas venantem secuta traditur, & se non continens Procris movebat inter virgulta, ad quem sonitum Cephalus feram suspicatus uxorem inscius interfecit, a Jove in lapidem versus. Onde Ovidius cecinit:

Clarus erat Cephalus sylvis, multæque per herbam
Conciderant illo percutiente feræ.

Et rursus:

Latmius Endymion non est tibi Luna pudori,
Nec Cephalus Roseæ præda pudenda Deæ.

Hunc an præcesserit vel secutus sit dubium est, unde terræ nomen est inditum, Phocus filius Ornitionis, cujus frater Thoas in Corintho regnabat pater Demophoontis, & unde Doridas ac Hyantus processere. Quibus Dorienses bellum intulerant; a Phoco ferunt processisse Cephisum. (unde flu. nomen qui per hanc provinciam labitur, & ubi Prometheus genus humanum fertur effinxisse.) Is Melenam genuit, & ille rursus Delphum, quem Apollinis filium vetustas credidit, ab Apolline sagittis occisum, & cum cadaver jacens diutius computruisset Græce *Pythium* appellatum. Huic Pausanias *lib.* x. Charontem filium tribuit. Qui *eodem libro* Schedium quendam regem Phocidis celebrat: *Et in certamine*, inquit, *propter Patrocli cadaver susceptum Schedium etiam Iphiti filium Phocensium regem, & ab Hectore interfectum.* Strabo in IX. Æpalii regis mentionem facit, cum scribit: *Imminet autem Pindus Erinæo, juxta quem cognominis illi flu. decurrit in Cephisum exonerans, non magno a Lilæa intervallo. Pindum autem vocant Aciphantem reliqui. Eorum rex Æpalius, cum e regno fuisset expulsus, Herculis ope atque opera restitutus est, uti scriptores prodiderunt: in cujus beneficii memoriam etiam rebus humanis circa Oetam defuncto gratiam reddidit. Quippe Hilum inter ejus filios natu majorem adoptavit. Isque regni successionem suscepit & nati natorum, & qui ab eo progeniti fuere. Hinc in Peloponnesum redeuntibus Heraclidis primus impetus.* Hæc Strabo. *Herculis stemma in Phocide.*

Porro Hylus qui ex Deianira genitus erat, frater Ctesippi & Glycisonides primus Heraclidas conatus erat in Peloponnesum reducere, quo in labore ab Euthemio Arcadum rege captus est; genuit autem Aristomachum & Evechniam Polycaoni Butæ filio nuptam. Quorum Aristomachus cum in Phocide regnaret, ac Doriensibus in finibus imperaret, eorum auxilio fratres reducere ac nepotes in Peloponnesum conatus est. Supererant autem liberi, quoniam ex Megara Creontis nata quos susceperat Therimachum, Dejcontem & Creusam interfecerat; ex filiabus quidem Thesei Creon, Epilaus, Tripsippus & Eumenides (ut de sororibus illorum sileamus, Procride, Antileonta, Hippea & Panope.) Ex Omphale vero Agelaus, ex Chalciope Thessalus, ex Parthonopeia Erieres. nam Telephus, qui ex Auge erat procreatus, in Asia manserat, & Tlepolemus qui Licymnium invitus interfecerat, exulatum in Rhodum abierat. Nepotes autem & pronepotes, qui proprie Heraclidæ dicti fuerant, adduxit Aristomachi filius Cleolaus, pater Temeni, qui Argos occupavit; Cresphontis qui Messeniam, & Aristodemi qui Laconicam. Erieris filii fuere Ctesippus & Palemon, & quorum meminere reliqui autores Ænius ac Phthius Thessali, ac Chromis, ad quem alludit Statius cum bellum describit inter Polynicen & Etheoclem VI. *Theb.*

It Chromis, Hippodamusque alter satus Hercule magno,
Alter ab Oenomao.

Hi omnes Herculis puta liberi, ac ejus nepotes & pronepotes, post mortem Herculis fugientes Eurystheum, pars venerunt in Phocidem, qui Hylum secuti fuerant, pars ad Ceycem se contulerunt, per Græciam videlicet dispersi metuentes ne traderentur Eu-

Euryſtheo. Quos cum Athenienſes denique tuerentur, bello petuntur ab Euryſtheo, qui poſtremo a Spironida occiditur, cujus capitis mortui Alcmene oculos eruit, a quo tempore in Peloponneſum Heraclidæ reverſi ſunt, a Dorienſibus reducti, cum id antehac ne quidquam tentaſſent.

Phocidis regnum deſolatum. Et de regibus Phocidis hactenus, quibus & Phocum Æaci adnumeres ejuſque ſtemma, in quo qui fuerint & quibus nominibus non ſatis conſtat. Eſt autem veriſimile regno Phocenſium peſſum eunte libertatem aliquandiu retinuiſſe. Id quod ex Amphictyonum conventu apparet, qui in Phocide celebris habebatur, veluti apud Achæos alter, in quo erant plerique Græciæ populi tranſcripti. Unde Pauſanias in decimo *Phocidis* ſcribit. Androtion in Attica hiſtoria finitimos inquit, Delphos initio fuiſſe in concilium profectos, atque illo qui conveniſſent, Amphictyones eſſe appellatos. Uſum autem temporis progreſſu obtinuiſſe, ut quod nunc habent, nomen eis inderetur ab ipſo Amphictyone. Has Græcorum gentes fuiſſe ajunt in commune concilium coactos Ionas, Dolopes, Theſſalos, Magnetas, Maleenſes, Phthiotas, Dorienſes, Phocenſes, Locros, modo vero in Romanorum poteſtatem pervenerunt Phocenſes. Scribit in IX. Strabo cum de Hyli Herculis filii poſteritate in Phocide tractat. Interea urbes ipſæ ſuam non mediocrem obtinuere dignitatem, licet & exiles & agro fertiles forent, poſterius neglectui datæ ſunt: cæterum in Phocenſi bello, regnoque Macedonico & Ætolorum Athamanumque potentatu, ſic actum eſt, ut eorum veſtigium ad Roman. imperium perveniſſe, dictu ſit admirabile.

Phocis Rom. ſubjicitur. Hujus porro belli cauſa fuit Philippi regis Macedoniæ Perſei patris tyrannis de qua lege Livium *lib.* II. & III. *Dec.* IV. Qui nominatim ſcribens quomodo ſingulæ Phocidis civitates in poteſtatem Romanorum venerint: *Anticyra*, ait, *in Phocide in Corinthium verſa ſinum, ad id oportuniſſime ſita viſa eſt; quia nec procul Theſſalia, hoſtiumque locis abibant: & ex adverſo Peloponneſum exiguo maris ſpacio diviſam; ab tergo Ætoliam Acarnaniamque, ab lateribus Locridem ac Bœotiam habebant. Phocidis primo impetu Panopæam ſine certamine cepit. Anticyra haud multum in oppugnando præbuit moræ. Ambriſſus inde Hyampoliſque receptæ. Daulis, quia in tumulo excelſo ſita eſt, nec ſcalis nec operibus capi poterat: laceſſendo miſſilibus eos qui in præſidio erant cum ad excurſiones elicuiſſent, refugiendo invicem inſequendoque, & levibus ſine effectu certaminibus, eo negligentiæ & contemptus adduxere, ut cum refugientibus in portam permiſti impetum Romani facerent: & alia ignobilia caſtella Phocidis terrore magis quam armis in poteſtatem venerunt. Elatia clauſit portas, nec niſi vi cogerentur, recepturi mœnibus videbantur aut Ducem, aut exercitum Romanum.* Quomodo vero hanc poſtea Quinctius Rom. Cos. expugnavit, prolixum eſſet referre.

Inſignia Phocidis. TAB. III. fig. 8. Transeo jam ad inſignia provinciæ, quæ duplicia invenio, Tripodem Delphicum & Aquilam. Quorum Tripodis cauſa eſt Delphicum oraculum, quod in Phocide celeberrimum fuerat. Scitum eſt quod Pauſanias in *decimo* de contentione Herculis cum Apolline de Tripode refert. Fama præterea

A eſt ad Delphos eſſe profectum Herculem Amphitryonis filium, & ob cædem Iphiti cum reſponſa ei dare noluiſſet vates Xenoclæa, ſublatum Tripodem templo extuliſſe, & ſic foris dixiſſe vatem, Hercules ex Tyrintha alius, non ille Canopæus. Prius enim Delphos erat profectus Hercules Ægyptius. Tunc itaque Amphitryonis Herculis Tripodem Apollini reddidit, & ex Xenoclæa quæ petebat, cognovit. Poetæ autem arrepta inde fabulæ occaſione, pugnam Herculis & Apollinis de Tripode deſcripſerunt. Quomodo vero Tripodi incumbere ſolita fuerit
B vates, verſus Lucani in V. oſtendunt:

Confugit ad tripodas vaſtiſque adducta cavernis
Hæſit, & inſueto concepit pectore numen.

Aquilæ inſigne. Quare vero Aquilæ ſymbolo Phocenſes uſi fuerint, cauſam adducit Strabo in *nono* cum Delphos deſcribit. Huic igitur templo honor evenit amplior, propter oraculum, quando minus reliquis omnibus fallax extitiſſe videatur, etiam quidpiam ipſe loci ſitus addi-
C dit: in medio namque univerſæ quodammodo Græciæ & intra & extra Iſthmum, imo & totius orbis conſiſtere videbatur: unde & telluris umbilicum appellabant, fabulam addentes quam refert Pindarus confingens, ab Jove duas demiſſas aquilas, in hoc coiiſſe loco, unam ab ortu, reliquam ab occaſu.

Huc fortaſſe alludens *lib.* V. *Dec.* IV. Livius: *Jam primum Ætolos, qui umbilicum Græciæ incolerent, in armis eum venturum; anteſignanos*, &c. Et de inſignibus hactenus.

Coloniæ Phocenſ. Maſſilia colonia Phocenſium. Ad Colonias Phocenſium venio, quarum deduxere unam quidem in Aſiam Ionicam
D prope Smyrnam. Secundam in Galliam, hoc eſt, Maſſiliam & tertiam in Italiam Liguſticam, Turinum videlicet. De Gallica ejuſque inſigni, ſcitum eſt quod ſcribit in IV. Strabo, Phocenſium vero ædificium eſt Maſſilia, petroſo in loco ſita, cui quidem portus ſubjacet, Saxum videlicet in theatri formam ad auſtrum ſpectans: urbs univerſa pulcherrimis circumcincta mœnibus, magnitudine eximia, in cujus arce Epheſium, & Apollinis Delphici templum conditum eſt. Epheſium autem Epheſiæ Dianæ ſacra ædes
E eſt. Nam cum Phocenſes a natali ſolo diſcederent, ſortem extitiſſe traditur navigationis principi atque duci, ut ab Epheſia Diana curſus initium auſpicarentur. Igitur Epheſum populos percunctari, quonam modo ex Dea imperatum adſequerentur. Porro Ariſtarchæ matronæ dudum honoratæ, Deam in ſomnis adſtitiſſe imperantem ut accepto quodam e ſacris ſimulachro, una cum Phocenſibus navigationem Ariſtarcha ſubiret: eo autem confecto, ut primum colonia explevit curſum, & fanum ædificatum eſſe, & Ariſtarcham eximia veneratione ha-
F bitam, templique ſacerdotem deſignatam. Huc alludens de Maſſilia Phocaica colonia cecinit Silius in XV.

Aerias Alpes, occurrunt mœnia Graiis
Condita Maſſiliæ, populis accincta ſuperbis.
Barbarus immani quæ territat accola ritu.
Antiquæ morem patriæ, cultuſque, habitumque
Phocais armiſonas inter tenet hoſpita gentes.

Denique Stephanus *de Urbibus* tertiæ Pho-

Taurinum Italiæ a Phocensibus. TAB. III. fig. 9.

censium coloniæ meminit in finibus Galliæ & Italiæ tradens, Phocenses fabros in illa, de qua diximus in Galliam emigratione digressos a classe construxisse urbem, quam ab insigni navis taurini capitis Taurinum denominarunt. Hæc vero est quæ modo in Pedemontio Turinum dicitur. Livius *decad.* IV. *lib.* IV. ad Rhodanum Emporiam a Phocensibus quoque cultam tradit, his qui Massiliam condiderunt.

CAP. VIII.

DE BOEOTIA, ET THEBANIS.

BOEOTIA Aonibus & Hyantibus cultoribus antiquissimis, & civitate denique illa Thebarum famigeratissima ac vetustissima celebris quondam, delineatur a Ptolemæo, qui eam Achajæ adscribit, Euripo & Anthedonis portu ab oriente, Copaide lacu ac Cephiso fluvio ab occasu, ab arcto prætrerea Oetæ montis jugis, quæ Pausanias & Strabo Ptoa ac Phœnicium montem appellitant, a Meridie denique Asopo flumine & Brillesso monte: enumerans in hac civitates littorales Anthedona, Salgoneum portum, Aulida Græcorum conjuratione adversus Trojanos celebratiss. Oropum ubi angustiss. est Euripus olim ponte junctus. Aliæ in mediterraneis & in finibus Phocidis recensentur, Coronæa ubi sacra Bœotiæ fuerant, Cheronæa Plutarchi patria Gratiarum fano cognita, Copæ ad lacum, & non procul Haliartum, & versus meridiem Eleuthera, ac Platæa victoria de Persis ac Mardonio decantata, Glissanta ubi Thebani ab Argivis victi sunt, Tanagra, quo loco Thebani Athen. vicerunt, & ipsæ adeo Thebæ, quæ non solum Metropolis totius provinciæ antiquiss. a Cadmo Agenoris Phœnicis condita ante Trojanum bellum, sed propriam seorsim Rempublicam ac reges potentissimos habuisse legitur. *In Doride* (inquit Mela *lib.* III. *cap.* III.) *Pindus & juxta situm Erinæum: in Locride Cynos & Calliaros: in Phocide Delphi & mons Parnasus, & Apollinis fanum atque oraculum: in Bœotia Thebæ & Cithæron fabulis carminibusque celeberrimus.*

Reges Bœotiæ. In hanc terram Aon Neptuni filius sive secundum alios Onchesti, factione suorum ex Apulia pulsus, navigio venisse traditur, & ex Eubœa eo appulisse; atque cum novos ibi colonos constituisset, ex Parichia conjuge Dymantem reliquisse, Aoniamque de suo nomine, Provinciam illam (quæ postea Bœotia dicta fuerat a Cadmo) denominasse. Unde Musæ Aonides vocantur, vel quia Helicon Bœotiæ proximus fuit, vel quia in fonte Aone versari isthic creditæ sint. *Aonia provincia.* Confluxisse vero plures tum ex diversis locis populos Strabonis verba testantur quæ in IX. leguntur. Cum vero Bœotiam prius barbaræ nationes incolerent, Aones Temmicesque e Samo profugi vagique Leleges & Hyantes, denique Phœnices Cadmi comites regionem tenuerunt.

Adde quæ in IX. Pausanias scribit, Terram Thebanam primum incoluisse Hectenas ajunt, horumque regem fuisse Ogygem indigenam: ab hoc multi Poetæ Thebas Ogygias cognominarunt, ut quarto *Theb.* Paupinius:

A *Vertice ab Ogygio, trifidamque huc tristis & illuc*
Lumine sanguineo pinum detrectat.

Hos pestilentia periisse perhibent. Post Hectenas in regionem commigrasse Hyantas & Aonas, quorum nomina, ut mihi videtur, Bœotica sunt, non hominum peregrinorum. Adventante post hæc Cadmo, & Phœnicum exercitu, prælio devicti Hyantes, noctu aufugerunt. factos autem supplices Aonas, Cadmus permanere ibi, & Phœnicibus immisceri est passus. Aonibus itaque
B obvenit, in pagos habitatum ut exirent, Cadmus autem urbem condidit, quam nostro etiam tempore Cadmæam appellant. Et sic intelliguntur versus Poetarum, ac præcipue Statii, lib. I. *Thebaid.*

—— Perseus alter in agros, TAB. III. fig. 10.
Scinditur Aonias fluit hic ab origine Thebas.
Mens cunctis imposta manet quis funera Cadmi
Nesciat.

C Et lib. III. *Theb.*

Miseri quid pulchrum sanguine victo
Aoniam & diri saturare novalia Cadmi.

Item:

Fatorum gens nostra ruit, Sidonius ex quo
Hospes in Aonias jecit sata ferrea sulcos.

Et *lib.* VII. in historia Polynicis:

Aoniæ populi ne sum tibi sæve relictus
Quid velit ista cohors.

D Quanquam vero & Therum ante hæc tempora Aulidem construxisse Strabo referat, satis tamen constat, Cadmum Agenoris regis Phœnicum filium, cum ad quærendam sororem Europam esset missus, huc navibus appulisse, ac bove duce ad eum locum pervenisse, ubi arcem Cadmæam construxit, occisoque serpente dentes sevisse, e quibus Terrigenæ illi prodiere, qui se mutuis cædibus confecere, quatuor superstitibus Peloro, Udeo, Hifterenore & Echione, quorum ultimo filiam Agavem Cadmus uxorem dederat, & in condendis Thebis adjutorem *Cadmus rex conditor gentis.*
E habebat. Huc pertinet quod Diodorus in *quinto* scribit: Cadmum Agenoris tradunt ex Phœnicia ad pervestigandam Europam a rege, ea lege missum, ut aut virginem secum reduceret, aut in Phœniciam non rediret, cvm diutius quæsitam ab se virginem non inveniret posthabita patria in Bœotiam pervenisse. Hinc est illud Q. Curtii in *quarto* cum de Tyro loquitur Phœnicum in Asia Metropoli. Condita est ab Agenore diu mari non vicino modo, sed quocunque classes ejus adierunt, ditionis suæ fecit, & si famæ libet credere, hæc gens literas prima aut docuit aut didicit.
F Coloniæ certe ejus pene orbe toto diffusæ sunt, Carthago in Aphrica, in Bœotia Thebe, Gades ad Oceanum. Scribit præterea Plutarchus in *Vita Syllæ.* Adserunt, Bovem quem Pythius Cadmo ducem exhibuit, & in loco primum comparuisse, & ab eo loco appellatum. Thur quidem Phœnices vaccam nuncupant. Huc alludens ac Bœotiæ etymon explicans canit in III. *Metamorphoseon* Naso: *Bœotia unde dicta.*

Cum pater ignarus raptam perquirere Cadmo
Imperat, & pœnam, si non invenerit, addit
Exilium; facto pius & sceleratus eodem.
Orbe pererrato (quis enim deprendere possit
Furta Jovis?) profugus patriamque iramque parentis
Vitat Agenorides; Phœbique oracula supplex
Consulit: & quæ sit tellus habitanda, requirit.
Bos tibi, Phœbus ait, solis occurret in arvis
Nullum passa jugum curvique immunis aratri
Hac duce carpe vias: & qua requieverit herba,
Mœnia fac condas: Bœotiaque illa vocato.
Vix bene Castalio Cadmus descenderat antro,
Incustoditam lente videt ire juvencam;
Nullum servitii signum cervice gerentem.
Subsequitur, pressoque legit vestigia gressu,
Auctoremque viæ Phœbum taciturnus adorat.
Jam vada Cephisi, Panopesq; evaserat arva.
Bos stetit, & tollens speciosam cornibus altis
Ad cœlum frontem, mugitibus impulit auras.
Atque ita respiciens comites sua terga sequentes,
Procubuit, teneraque latus submisit in herba.
Cadmus agit grates, peregrinæque oscula terræ
Figit, & ignotos montes agrosque salutat:
Extra immane patent tellus Mavortia campi,
Fœtus ager Cadmo; durus qui vomere primo
Post consanguineas acies sulcosque nocentes,
Ausus humum versare & putrida sanguine prata.

Statius lib. I. *Theb.*

Sedit, an inde vetus Thebis extenditur omen.
Ex quo Sidonii nequidquam blanda juvenci
Pondera, Carpathio jussus sale quærere Cadmus
Exul, Hyanthæos invenit regna per agros,
Fraternasque acies fœtæ telluris hiatu,
Augurium seros dimisit adusque nepotes.

Agenoris filii.

Et de nomine Bœotiæ hactenus, & quibus in eam Cadmus venerit auspiciis, cujus pater Agenor Neptuni & Thelephassæ filius, præter Europam, quam in forma tauri, fingitur Jupiter abduxisse & genuisse ex ea Minoem, Sarpedonem & Rhadamantum, liberos suscepisse traditur Etheclum in excidio Trojano ab Achille occisum, Thasum, qui in Insulam cognominem Thraciæ oppositam Phœnices & Tyrios colonos duxerat, ut in capite *de Thracia* dictum est, Thestium Ledæ patrem & Helenæ Clytemnæstræ Castorisque ac Pollucis avum, Phœnicem & de quo loquimur Cadmum. Qui cum duce Bove Bœoticam tellurem & accepisset ex oraculo & denominasset, dum conderet Thebas ac arcem Cadmeam, occurrentem insolitæ magnitudinis serpentem qui socios confecerat, interfecit, ejusque dentes evulsos sevit, ex quibus nati sunt homines armati, qui mutuis se vulneribus prostravere, præter quinque qui Cadmo se junxere, quorum etiam uni Echioni filiam Agavem matrimonio conjunxit. Hinc Ovid. III. *Metam.* canit;

Serpens a Cadmo occiditur.

Jamque brevis spacium vitæ sortita juventus
Sanguineam tepido plangebat pectore matrem:
Quinque superstitibus: quorum fuit unus Echion.
Is sua jecit humi monitu Tritonidis arma,
Fraternæque fidem pacis petiitque, deditque.
Hos operis comites habuit Sidonius hospes,

Terrigenæ nati ex dentibus serpentis.

Cum posuit jussam Phœbæis sortibus urbem.

Sic Cadmus Bœoticæ telluris dominus effectus urbem. Hyantibus pulsis & Aonibus veteribus cultoribus in pagos distributis, ad similitudinem Ægyptiacarum Thebarum centum portis patentium condidit, vel quia Phœnices vinculo Ægyptios contingebant (unde in moneta eodem Phœnicis avis symbolo usi fuerant) vel quia Bacchus ex Semele Cadmi nepos, Jovis proles, cum abortu editus fuisset imperfectus, infans a Mercurio delatus ad antrum Nysæ, quod inter Phœniciam & Nilum est, ubi a Nymphis educatus & ab Osiride Isideque Ægypti regibus adoptatus, cum choreis ac voluptatibus deditus esset, assumpto magno agmine mulierum thyrsos ac tympana ferentium orbem propagaverit, eoque itinere in Græciam venerit, ibique Trieterica sacra instituerit, factumque esse, ut edoctus avus de Thebis Ægyptiacis, similem & amplitudine & nomine in sua Bœotia condiderit, siquidem post arcem Cadmeam Thebas constructas constat. Hinc est quod Bacchus Isidis reginæ quæ & Ceres puta (quæ ipsum in antro Nysæ inventum educaverat pro suo) cum filius tum conjux antiquis fingitur. Quocirca scribit Diodorus in IV. cum plures Dionysios distinguit: *Secundum ferunt ex Jove genitum & Proserpina, ut alii sentiunt ex Cerere, quem tradunt tum primum boves ad aratrum junxisse, cum terra prius manibus hominum coleretur.*

Cadmus condit Thebas.

TAB. III. fig. 10.

Et rursus in I. cum de Saturno tractat. Hos quinque genuisset Deos, prout apud Ægyptios dies habentur quinque intercalares, Osiridem, Isidem, Typhona, Apollinem & Venerem, & Osiridem interpretatum Dionysium, Isidem vero Cererem. Hæc Osiris in uxorem sumpta, regnoque suscepto, multa contulit ad usum vitæ. Communis enim ejus virtute mutuæ cibi gratia cædes hominum cessarunt: invento enim ab Iside primum tritico & hordeo, quæ prius incognita erant hominibus.

Et rursus, Osiridem Bacchum fuisse ajunt, Osiridem studiosum agriculturæ tradunt: nutritum autem in Nysa fœlicis Arabiæ propinqua Ægypto, cum esset Jovis filius: unde & Græci a loco & patre Dionysium appellant. His accedit tertia ratio quam Diodorus in I. refert, quod Orpheus cum ex Græcia Philosophiæ causa in Ægyptum descendisset (quod de Pythagora ac Platone etiam historiæ memorant) illinc in patriam reversus, scilicet & sacra Ægyptiaca & universum Osiridis genus hoc est etiam Thebarum ab hoc conditæ urbis nomen simul tulisset, suosque Græcos docuisset.

Unde est, quod idem scribit, *Orpheum enim cum ad Ægyptios transiisset, percepissetque apud eos sacra & mysteria Dionysia (esset autem amicus Thebanis, a quibus plurimo in honore habebatur) retulisset ad eos, tradunt in ipsorum gratiam hujus Dei originem, plebem postea tum ignorantia, tum ut Deus in Græcia ortus videretur, libenter ea sacra ac mysteria suscepisse. Orpheum vero hanc generis & sacrorum originem, ea conjectura volunt ad Græcos transtulisse, quod Cadmus ex Thebis Ægypti ortus præter cæteros filios & Semelen suscepit.* Hæc ille. Constat vero eundem Cadmum, quemadmodum ex Ægypto sive per se sive per Bacchum nepotem aut denique Orpheum rationem condendarum Thebarum, nominisq; imponendi

Cadmus autor Græcæ linguæ.

tulerit, ita ex Phœnicia patria, XVI. literas A tulisse, ac Græcam primum omnium non solum linguam fuisse auspicatum, & ut scribi posset docuisse, verumetiam, ut Suidas scribit, & historiam invenisse, & prosaicam orationem instituisse. Hinc est quod Diodorus in IV. scriptum reliquit. Hic ait primum Lynum in Græcia numeros ac melodiam reperisse, Cadmum ex Phœnicia advexisse literas, primumque Græcam linguam invenisse ac rebus dedisse nomina. Adhæc characteribus formam indidisse, communique verbo literas, quoniam ex Phœnicia traductæ B essent, appellatas Phœnicias. Sed a Pelasgis qui primi eis literis usi sunt Pelasgas dixere. Lyni tum poesi, tum melodia excellentis plures extitere discipuli, horum tres præcipui habiti: Hercules, Thamyris, Orpheus. Et de Cadmo longior fui: qui ex Harmonia Veneris & Martis filia, progenuit Polydorum successorem in regno Bœotiæ, Agaven Echioni terrigenæ nuptam Penthei matrem, Inonem Athamantis uxorem, matrem Melicertæ & Learchi, quæ furorem mariti fugiens ad mare, se cum filio in id præcipitem dedit, Deorum miseratione versa in Leucotheam Nympham, Melicerta in Palemonem C Deum marinum, qui & Portunus, transmutatus fuisset, Autonoen quæ ex Aristæo Argivorum rege Actæonem tulit, a propriis canibus devoratum, & Semelen quæ ex Jove Bacchum tulit, de cujus partu cum insignia Bœotica explicaturus sum plura dicemus. Cadmus vero cum multo tempore in Bœotia rerum potitus fuisset, tandem ab Amphione & Zetho, filiis Lyci regis Thebarum Ægyptiacarum & Antiopæ Nyctei filia, pulsus regno exulatum cum uxore in Illyrios abiit, ibique in serpentes ambo versi a Poetis tra- D duntur. Lycus quippe ut diximus rex Thebarum Ægyptiacarum cum Antiopam Nyctei (qui Neptuno fuerat & Celene Atlantis filia natus) Nyctimenis sororem (quam ob illicitum concubitum cum patre in avem sui nominis versam Ovidius II. *Metamorph.* describit) duxisset uxorem, & hanc a Jove in Satyrum verso gravidam comperisset, illa in vincula conjecta, Dircen superinduxerat. Quamobrem tandem a Jove liberata carcere, in Cithæronem montem aufugisset, ibi Amphictyonem, Zethum ac Calathum peperit, qui a pastore educati, cum adole- E vissent, & contractis pastoribus, Dircen interfecere, ac Thebas Bœoticas nondum ad extremam manum perductas, quod ante dictum est, ex Ægyptiacis transumptæ essent, & e paterno Lyci regno quasi suffuratæ, occuparunt Cadmo inde ejecto. Quorum Amphion Thebas ad summam manum perduxit, unde a Poetis Thebarum autor traditur, & lyra tam dulciter cecinisse, ut ad struendos muros Thebanos saxa traxisse credatur, forte quod eloquii suavitate homines tum incultos & in agris passim habitantes ad F civilis obsequii disciplinam assuefecerit & intra mœnia compulerit. Unde Statius de ipso canit, *lib.* I. *Thebaidos:*

Uxor & liberi Cadmi.

Cadmus regno pellitur.

Amphion rex Thebarum.

Jusserit Amphion Tyrios accedere montes,
Unde graves iræ cognata in mœnia Baccho.

Et lib. IV. *Theb.*

Mœnia lassa situ, magnæque Amphionis arces,
Jam fessum senio nudant latus.

Horat. III. *Carm. Od.* XI.

Mercuri, nam te docilis magistro
Movit Amphion lapides canendo.

Porro extincto Amphione Polydorus Cadmo jam in Illyrico in anguem converso filius paternum Bœotiæ regnum recuperat, & ex Nicheide conjuge Labdacum, Lycum & Nycteum genuit, quorum Labdacus patri succedit, de quo Statius cecinit, lib. III. *Thebaidos:*

Polydorus rex Thebarum.

TAB. 3. fig. 2.

Rex ferus, & tristes ignescunt sanguine vultus:
Inde ultro Phlegyas, & non cunctator iniqui
Labdacus (bos regni ferrum penes) ire manuque.

Labdacus rex Thebarum.

Item VII. *Thebaidos:*

Tot mutare animas, tot reddere corpora vitæ.
Labdaicos vera Pelopisque a stirpe nepotes.

Labdacum secuti sunt, ut tutores Laii, ex fratre nepotes Lycus & Nycteus, quem aliqui eundem tradunt, qui Antiopam Nyctei filiam sibi conjunxerat matrem Zethi & Amphionis, licet tempora reclament. Meminit tamen tutorum illorum in VII. *Theb.* Statius:

—— *Placidusque vagæ Nycteidos ardor,*
Hic Tyrium genus, & nostro fœlicior igne
Taurus, Agenorios saltem tutare nepotes.

Postea igitur Lajus, Lyco tutore victo, cum diu ante ab Amphione & Zetho occultatus fuisset, posteaquam hi ipsi Amphion quidem a Latrone, Zethus vero a vipera occisi fuissent, regnum avitum adeptus, Jocastam Creontis Thebani filiam uxorem duxit, & ex eadem Oedipum progenuit, quem (quia a filio occisum iri oraculo didic [illegible]et,) exponi jusserat, excæcatus propterea & regno pulsus a socero Creonte fuit: ad quem subinde alludens cecinit Papinius, cum ab inferis revocatum illum in bello nepotum Polynicis & Etheoclis fingit, lib. I. *Thebaidos:*

Lajus rex Thebarum.

Dic patruo, superas senior se tollat ad auras
Lajus, extinctum nati quem vulnere nondum
Ulterior Lethes accepit ripa profundi.

Et lib. II.

Ventum erat ad Thebas, gemuit pro lumine nati
Lajus, & notos cunctatur inire penates.

Et lib. VII.

Veste genas, juxtaque comes quo Lajus ibat
Armigero.

Et iterum eodem:

Naubolus Hippasides; tuus o mitissime Lai
Hospes, adhuc currus securaque lora tenebat.

Cæterum hunc ipsum Lajum, Oedipus filius expositus, Phorbæ pastoris ope conservatus & Polybo Corinthiorum regi donatus, cum contra Phocenses soceri sui copias ducere, in acie incognitum occidit, occupatisque Thebis, Jocastam matrem insçius duxit uxorem. Qua re cognita, præ dolore sibi oculos eruit, quem postea cæcum & regno a Creonte pulsum Antigone filia duxerat, & ne sibi mortem consciseeret, custodivit: de quo referunt quod cum aliquando in Sphyngem incidisset (quia montes Sphyngum proximi sunt) & ænigma pro-

Oedipus rex Thebarum.

positum solvisset, Sphyngem interfecisse, unde proverbium ortum est, Oedipo indiget. De quo intelligendum est carmen Papinii *Thebaidos* primo:

Interfusa jugo possem cum degere falso
Contentus Polybo, trifidæque in Phocidis arce
Longævum implicui regem, secuique trementis
Ora senis, dum quæro patrem: si Sphyngis iniquæ
Callidus ambages te præmonstrante resolvi.

Et de Etheocle ac Polynice Laii filiis locutus:

Merserat æterna damnatum nocte pudorem
Oedipodes, longaque animam sub morte trahebat.

Thebaid. lib. II.

Incestique patrum thalami, sed fallit origo,
Oedipodes tu solus eris: hæc præmia morum, &c.

Et *lib.* IV. allusione facta:

Nunciat excubiis vigiles arsisse Platæas,
Jam Tyrios sudasse lares, & sanguine Dircen
Irriguam fœtusque novos, iterumque locutam
Sphynga petris, cui non est scire licentia passim.

Etheocles rex. Ob hoc igitur Laii incestum Polynices filius vivente patre Argos abierat, ibique Adrasti regis filiam Argiam duxerat conjugem, ne patris in ipso execrationes perficerentur. Revocatus tamen a fratre Etheocle, cum non conveniret in divisione, intestinum exortum est bellum, in quo fratres mutuo ceciderunt, Creonte avo, Argia Polynicis uxore cum Antigone Laii filia interfectis: ad cujus tumulum se Hemon Amasius ense transverberaverit. Id quod bellum prolixe Papinius XII. libris *Thebaid.* est complexus, ubi nominatim leguntur versus, lib. I. *Thebaidos:*

Suffecere odio, furiisque immanibus emptum est
Oedipodæ sedisse loco: nam sorte cadebat
Dilatus Polynicis honos.

Lib. III. *Thebaid.*

Hæc senior multumque nefas Etheoclis acervat,
Crudelem infandumque vocans pœnasque daturum.

Et rursus:

Isse super regnis profugit Polynicis at inde
Vim, noctem, scelus, arma, dolos, ea fœdera passum.

Laomedon rex Theb. Ita occisis fratribus Thebanorum regnum ad Laomedontem Etheoclis filium pervenit puerum, cujus tutelam gessit Creon Monœci filius. Qui cum adolevisset bello petitus ab Adrasto Argivorum rege, victusque ad Illyrios fugit, interfecto prius Ægialeo Adrasti filio. Sic restitutus in regnum paternum *Thersander rex Thebarum.* Thersander Polynicis filius, dum Agamemnonem ad bellum Trojanum sequitur, & a via aberrasset, inter navigandum in Mysiam defertur, ac a Thelepho Herculis filio ibi regnante interficitur sepultus apud Elæos in foro. Et licet Thersander ex Demanassa filia Amphiarai Vatis, qui bello Thebano est absorptus ad Oropum, tulisset *Tisamenus Rex.* Haliartum, Coronum & Tisamenum, primi tamen duo priores ab Athamante Æoli filio in regnum Orchomeniorum adoptati fuere, ibique gubernantes civitates a suis nominibus appellatas condiderunt. Tisamenus vero ab Euripylo Thelephi fratre occisus fuerat. Supererat igitur unus Autesio Tisameni filius, *Autesio rex.* qui propter execrationes Laii & Oedipi majorum suorum, oraculo admonitus ad Dorienses abiit, regni gubernaculis traditis *Postremi reges Theb.* Damasichtoni Penelei nepoti ex Ophelta filio. Qui Ptolemæum filium reliquit, & is Xanthum, cujus natus Andropompus fraude in certamine singulari victus, Rempublicam Thebanorum pluribus lacerandam reliquit. Quorum Theras profectus Spartam Cresphonti & Aristodemo Heraclidis Messeniam ac Laconicam obtinentibus, adversatus est. Secuti sunt Æolicus Ægeus, & postremo Eurybæon, qui legitur Spartæ regibus Polydoro Alcomenis & Theopompo Nicandri contra Messenios auxilium tulisse. Qui vero deinde vel Bœotiis vel Thebanis præfuerint, non habeo compertum, nisi quod in *Catalogo* Homerus quinque Bœotiæ duces *Duces bellici Thebæ.* celebrat, qui Bœotos ad Trojam duxerunt, Peneleonem, Prothoenoram, Arcesilaum, Clonium & Laitum, quorum solum postremum domum reversum & apud Platæam sepultum, Pausanias author est: posterioribus vero temporibus cum amplius Reges non crearent Thebani; Imperatores tamen qui bellum administrarent, tres præcipue claruerunt, Niocles, cujus auspiciis Platæam ceperant, Pelopidas, qui ejecto Spartano præsidio & ducibus illius, patriæ libertatem recuperavit. Collectis enim exulibus Athen. commorantibus sub habitu venatorum cum canibus ingressus & a quodam Carione susceptus hospitio, cum prius cum paucis consilia communicasset, subito in arce duces præsidii oppressit. Tertius fuit Epaminondas qui reliquos omnes longe virtute rerumque gestarum gloria superavit. Is qui famigeratissima illa ad Leuctram Spartanos victoria debellavit, una cum Arcadibus quos illi in belli societatem asciverant, postquam ultro ingressus Peloponnesum, ut Messenios Spartanorum tyrannide liberaret, Spartam obsidione cinxit, & cum hanc solvisset, ad Mantinæam Arcadiæ exploratus in prælio, a Grillo Xenophontis Athen. filio interficitur, cum antea ingratam patriam expertus ac immerito mulctatus fuisset, quod ultra consuetos limites in usum Reipubl. imperium militare retinuisset. Et hactenus de regibus ac Ducibus cum Bœotiorum tum Thebanorum.

Recipio me ad Bœotiæ præstantiores urbes, quarum historiis celebratiss. sunt Thebæ *Thebarum desolatio.* Metropolis, Platæa & Aulis Thebarum. Ante & post bellum Trojanum maxima fama fuit, non solum ob Cadmi celeberrimam familiam, & tot ab illa urbe ingentia gesta bella, & summas reportatas victorias, verum ædificiorum magnificentia ac urbis ipsius amplitudine, adeo ut centum portis ab antiquis sit Poetis insignita: quarum tamen Pausanias, qui paulo ante Hadriani Imperatoris tempora Græciam perlustravit, septem duntaxat invenit, inferiori urbis parte post Philippi Amyntæ ejusque filii Alex. Magni ac Syllæ devastationem deserta, quas & suis nominibus nominat Electram versus Platæam (ubi Capaneus Adrasti regis Argivorũ dux fulmine ictus interierat) Prœti vel Cordam, Naten, Craneam, Hipsistam, Ogygiam ac Homoloym.

Qui præterea autor præter templa quæ in hac urbe magnificentiss. commemorat, Cereris Thesmophoræ & legiferæ, Bacchi tum Ægoboli, tum Lisii, Jovis Hiplisti & Ammonis Dianæ Eucliæ, Apollinis Sphodii, ubi oraculum erat. Semeles, Herculis & fortunæ, itemque sacra Trieterica Bacchi, & Dapnophora puerorum laureas virgas ad templum Apollinis cum tripode æneo portantium, denique tumulos sive sepulchra Euanthi filii Oceani, Cadmi Amphionis ac liberorum Amphitryonis ac Alcmenes, victorias VIII. recenset & adversas fortunas quinque. Prima celebratur victoria Thebanorum de Minyis ac Orchomenis, eorumque rege Ergino, quam Hercule duce reportarunt. Secunda de Argivis & Adrasto eorum rege, qui Polynicem generum Oedipi filium restituere voluerat & ad Ismenum flu. victor prius, castris exutus fuit. Tertiam de Athen. reportarunt ad Delium Tanagræorum, cum prius ab illis ipsis ad Platæas victi fuissent. Quarta Spartanos ad Leuctra Epaminonda duce fuderunt. Quintam de Phocensibus retulerunt in sacro bello, quod ob spoliatum Apol. Delphici templum X. annos duraverat. Sexta Thessalos & Alex. illorum ducem, qui captum per insidias Pelopidam reddere noluerat, auspiciis Cleomenis & Epaminondæ vicerunt. In septima Lacedæmonios & Achæos ad Lechæum portum castris exuerunt. Reperiuntur & ipsi victi aliquoties non satis propitia Rhamnusia, ab Argivis item de Thersandro Polynicis filio cum in patrium regnum restitueretur. Ab Athen. quod Platæenses ejecissent ac Xerxi favere viderentur. Tertio a Spartanis ad Mantineam in qua ipse oppetierat. Quarto a Philippo Amyntæ ad Cheronæam. Quinto ab Alex. magno qui cives omnes expulit, quos rursus Cassander Antipatri restituit mœnibus revocatis. Sexto a L. Sylla, quo & primum omnium in Romanorum potestatem reciderant. Qua de re in *nono* Pausanias hæc adnotavit. Sed ut Bœotiam postea Sylla invasit, metu perculsos Thebanos initæ societatis confestim pœnituit, & ad Romanorum se amicitiam rursus converterunt. Nihilominus tamen inclementer eos Sylla tractavit. Et tum aliis in rebus ægre eis fecit, tum dimidiam agri partem tali quondam prætextu ademit. Ab eo quo in bellum contra Mithridatem cœpit proficisci, pecunia indiguit. Collegit itaque donaria ex Olympia, Epidauro & Delphis, quotquot a Phocensibus erant relicta, hæc in stipendia militibus distribuit. Diis itaque pro pecunia hac dimidiam terræ Thebanæ partem reddidit, aliis autem in rebus ad summam ab eo tempore imbecillitatem sunt redacti: inferior urbs nostra ætate tota præter templa est deserta, partem superiorem incolunt, quam non Cadmeam sed Thebas appellant. Hujus Thebarum expugnationis factæ a Lucretio Prætore, Perseo rege capto, meminit etiam Liv. *lib.* II. *Dec.* V. *Inde Thebas ductus exercitus: quibus sine certamine receptis urbem tradidit exulibus, & qui Romanorum partis erant, adversæ factionis hominum fautorumque regis ac Macedonum, familias sub corona vendidit. His gestis in Bœotia, ad mare ac naves rediit.*

Victoriæ Thebanorum.

Thebani ac Bœoti a Romanis subjecti.

Fuit autem desolationis illius causa, quod adversus Romanos primo quidem Antiochum Asiæ regem, ut Livius est autor VI. *Dec.* IV. deinde Perseum quoque Macedonem juvissent. Hic non est ignorandum, præter Thebas cum Ægyptias tum Bœoticas, fuisse etiam tertiam in Phthiotide, cujus præter Geographos meminit T. Livius *lib.* IX. *Dec.* IV. *Thebas Phthias unum maritimum emporium esse, quondam Thessalis quæstuosum & frugiferum, ibi navibus onerariis comparatis regem quæ præter Thebas Demetriadem cursum dirigerent, negociationem maritimam omnem eo avertisse.* Fuit autem hæc constructa ab Echione terrigena genero Cadmi ob filii Penthei mortem, ut Poetæ testantur: Lucanus *l.b.* VI.


Atque olim Larissa potens ubi nobile quondam
Nunc super Argos arant: veteres ubi fabula Thebas
Monstrat Echionias, ubi quondam Pentheus exul,
Colla caputque ferens supremo tradidit igni,
Q. æsta quod hæc solum nato rapuisset Agave.

Statius IV. *Theb.*

Penthea jam fractis genitrix Cadmeia thyrsis,
Jam dimissa Deo pectusq; adoperta cruentum
Insequitur planctu, fugit illa per avia Lethes,
Et Stygios superosque lacus, ubi mitior illum
Flet pater & lacerum componit corpus Echyon.

Sequitur Platæa olim libera, & late patentis Reip. postea a Thebanis subjecta. Traduntur vero reges Platææ extitisse antiquissimi, qui ante Trojanum bellum claruerunt, Cithæron, unde monti nomen accessit, Asopus filius Cithæronis qui fluvio quo Bœotia irrigatur, & qui Platæas præterfluit, appellationem reliquit, cujus præterea filia Platæa urbem denominasse fertur, Laitus quoque, cujus in *Catalogo* Homerus mentionem facit, & inter duces Bœotiæ enumerat, Platææ sepultus fuerat: ut verisimile sit & hunc principem ejus extitisse. Postremus legitur Arimnestus particeps illius insignis quæ de Mardonio Xerxis regis Imper. relata victoria fuerat. Platæa vero (ubi Junonis Dædaliæ, Minervæ Areæ & Cereris Eleusinæ celebria templa fuerant, & spectacula Dædaliorum edebantur parvorum septimo quoque anno & magnorum LX.) bis expugnata fuit: primo a Lacedæmoniis bello Peloponnesiaco, deinde a Thebanis per insidias occupata & destructa civibus Athenas fugientibus, id quod anno ante Leuctricam pugnam accidit. Postremo a Philippo Amyntæ restituta pristinum nitorem recuperavit. Aulis porro, etsi in angustias redacta fuerat, & ut Pausanias scribit, a figulis dumtaxat inhabitata, vetustate tamen certare vel cum ipsis Thebis potest. Hic enim ille memorabilis Græcorum conventus habitus est, & conjuratio adversus Trojanos duce Agamemnone facta fuit. Isthic præterea cum ex vaticinatione Calchantis in Dianæ templo Græci Iphigeniam Agamemnonis filiam essent immolaturi, Deum cervum substituisse fabulis fertur. Superesse in Aulide Pausanis refert, & Platanum cujus Homerus mentionem facit, & Agamemnonis tabernaculum pavimentum æneum. Quod autem Euripo propinqua fuerit, qua brevissimus est in Eubœam trajectus, vel ex his

Aulis urbs.


TAB. IV.
1
2
ΚΟΡΚΥΡ
3
4
ΛΕΥΚΑΔΙ
5
6
7
8
9
ΤΑΡΑΣ
10
11
12

Livii verbis animadvertitur *lib.* v. *Decade* IV. *Eas cum sexcentis peditibus Herodorus trajicere in Insulam Atalantam jussus: ut inde, cum pedestres copias appropinquare jam Aulidi atque Euripo sensisset, Chalcidem trajiceret.* Et rursus: *Nunc ad portas Chalcidis stantem, & mox inde exclusum, nihil aliud quam Aulide atque Euripo spectatis,* &c. Et subdit: *Cum jam Menippus castra ante Salganea ad Hermæum, qua transitus ex Bœotia in Eubœam insulam est, haberet, venerunt. Mictio erat cum iis legatus a Chalcide ad Quinctium, ad id ipsum præsidium petendum missus, qui posteaquam obsessas ab hostibus fauces vidit, omisso ad Aulidem itinere, Delium convertit, ut inde in Eubœam transmissurus.* Et *lib.* v. *Decad.* v. Chalcidem ad spectaculum Euripi, ævoque ante Insulæ ponte continenti junctæ descendit. A Chalcide Aulidem trajecit, trium millium spacio distantem, portum inclytum statione quondam mille navium Agamemnoniæ classis, Dianæque templum, ubi navibus cursum ad Trojam, filia victima aris admota, rex ille regum petiit. Inde Oropum Atticæ ventum est. Et sic intelliguntur versus Nasonis XII. *Metamorph.*

Post modo qui rapta longum cum conjuge bellum
Attulit in patriam, conjurat æque sequuntur
Mille rates, gentisque simul commune Pelasgæ.
Nec dilata foret vindicta, nisi æquora sævi
Invia fecissent venti, Bœotaque tellus
Aulide piscosa puppes tenuisset ituras.

Idem XIII. *Metamorph.*

Ut dolor unius Danaos pervenit ad omnes,
Aulidaque Euboicam complerunt mille carinæ.
Expectata diu, nulla, aut contraria classi
Flamina sunt, duræque jubent Agamemnona sortes
Immeritam sævæ natam mactare Dianæ.

Coronea. His adnumeranda est Coronea, quod sacra Bœotiæ isthic recondita fuerint, & quod non hinc procul ab inferis eruperit educto Cerbero. Hercules præterea Athamas ibi, cum Phryxum esset & Hellen liberos immolaturus, a Jove his aureus aries submissus tradatur, quo conscenso aufugerunt in Asiam per mare. Nomen urbi a Coronis inditum est hoc eventu: Acheloi filiabus persuasum a Junone erat, ut cantu cum Musis certarent. Sed ut vicerunt Musæ, Sirenibus eripuisse alas dicuntur, & coronas inde composuisse. Ad quam urbem quod Bœotiæ fuerit in limitibus Phocidis sita, inter montes Lebethrium & Laphistium, & quod illa expugnata Bœotiam, Thebasque Manius Acilius Romanus Cos. in bello Antiochi subjecisset, alludere videtur Livius VI. *Dec.* IV. *In Bœotiam ipse profectus est, causas in speciem iræ adversus Rom. eas, quas antea dixi, habentem, Barcillæ necem, & bellum a Quinctio Coroneæ, propter Rom. militum cædes, illatum: revera per multa jam secula, publice privatimque labante egregia quondam disciplina gentis, & multorum eo statu, qui diuturnus esse sine mutatione rerum non posset. Obviam effusis undique Bœotiæ principibus Thebas venit. ibi concilio gentis, quanquam & ad Delium impetu in præsidium Rom. facto, & ad Chalcidem commiserat, nec a parvis nec dubiis principiis bellum.*

Porro non tum solum Coronea expugnata Bœotiam in provinciæ formam redegere Romani, sed denuo cum ad Macedones defecisset Paulus Æmilius Perseo rege capto, per Coroneæ potestatem Bœotiam totam Romani juris fecit, veluti est apud Livium *lib.* II. *Decade* v. *Eodem tempore in Bœotia summa vi Haliartum Lucretius Prætor oppugnarat, & quanquam nec habebant externa auxilia obsessi præter Coronæorum juniores, qui prima obsidione mœnia intrarant.* Et subdit: *In primo tumultu captæ urbis seniores impuberesque, quos casus obvios obtulit, passim cæsi: armati in arcem confugerunt, & postero die cum spei nihil superesset, deditione facta, sub corona venierunt.* Et hactenus de Bœotiæ cum principibus antiquioribus, tum rebus præclare gestis ac potioribus civitatibus, silentio transmissis portibus Anthidone, Salganeo, montibusque Cithærone, Mycalessio, & aliis, ad insignia ejus provinciæ venio explicanda, quæ in antiqua moneta quadruplicia reperio. Primum Cervi imagine, puta Æripedis illius, quem Hercules occidit, puta Thebanus & Bœotius. Secundum Muscæ icone, ob Jovem credo Muscarium, quem Hercules Thebanus & Bœotius dedicavit.

Bœotia quando primum a Romanis subjecta.

Insignia Bœotiæ. TAB. 3. fig. 12.

Scribit enim Pausanias *lib.* v. Ajunt enim Herculem Alcmenæ filium cum in Olympia sacrificaret muscarum potissimum fuisse multitudine infestatum. Postea eum, sive id suo fecerit ingenio, sive alterius monitu, Jovi Muscario sacrificasse, atque ita muscas ultra Alpheum profugatas.

Tertium insigne Neptuni tridentiferi est. Is enim Cadmi gentis autoris avus refertur, puta Agenoris pater, qui ex conjuge Thelesphassa genuerat Cadmum Bœotium, Thasum, qui Phœnices in Thasum Insulam duxit, Thestium Ledæ patrem & Helenæ, & Dioscororum avum, & Etheclum qui in excidio Trojano una cum patre interfectus est. Porro Neptunus avus omnium illorum apud Bœotios Dispenam genuit, quemadmodum apud Arcades ex Cerere Arionem equum. Est & tertia ratio, quod Bœotia triplici pelago ambitur. Quartum habet Cereris faciem. Quod quamobrem usurparint Bœotii, quatuor causæ fuerunt. prima, Quia Ceres quæ & Isis, Thebas Ægyptiacas condidisse fertur, unde profectus Cadmus Thebas Bœotiæ construxit: Præterea quia Osiridem & Bacchum eundem Diodorus scribit, cum Bacchus ex Ægypto Thebas profectus, Bœotios suos primum omnium colere vineas docuerit. Huic vero Ceres conjunx non solum a Poetis, verum adeo etiam a Diodoro tribuitur, cum de Saturno loquitur. Hos quinque genuisse Deos ait, prout apud Ægyptios dies habentur quinque intercalares, Osiridem, Isidem, Typhona, Apollinem & Venerem: Et Osiridem interpretatum Dionysium, Isidem vero Cererem. Et lib. v. *Bibliothecæ* scribens de Dionysio. In Bœotia jussit in gratiam patriæ omnes urbes liberas esse, civitate sui nominis condita. Secunda ratio est, quod Ceres a Poetis fingatur apud Eleusium Atticæ regem, qui eodem Bœotiis proximis jure imperabat, Triptolemum filium pro nutrice educasse: unde canit Claudianus *de raptu Proserpinæ:*

TAB. 4. fig. 1.

Bœotii Cereris imagine usi in insignibus.

—— *Sanctasque fauces extollit Eleusis.*

Angues Triptolemi student, & squammea curvis
Colla levant astricta jugis, lapsaque sereno
Erecti, roseas tendunt ad carmina cristas.

Huc alludens nimirum scribit I. *Bibliothecæ* Diodorus: Erechtheum tradunt Ægyptium genere Atheniensem imperasse; cujus rei hæc afferunt argumenta, cum magna siccitas omnem fere orbem præter Ægyptum pervasisset, ex qua ingens frugum, hominum pernicies secuta est, attulisse ex Ægypto dicunt Erechtheum propter cognationem Atheniensium frumentum, obque id beneficium eis regem constitutum, qui sumpto regno docuit eos ceremonias ac mysteria Cereris Eleusinæ ab Ægyptiis translata. Eum quoque Deum his temporibus coævum Athenas frumenta comportasse dicunt, & serere denuo triticum docuisse, apud Athenas regnante Erechtheo. Hinc est quod Bœotii proximi Athen. ex domo Cadmi Thebis templum Cereris legiferæ condiderint. Adde his tertiam causam, Campum Thebanum, qui maximam sementem quondam habebat. ut vel ex hoc carmine Nasonis VI. *Metam.* liquet:

Contigerant tecti Cadmeida nubibus arcem.
Planus erat lateque patens prope mœnia campus.

Statius IV. *Theb.*

Extra immane patens tellus Mavortia campus.
Fœtus ager Cadmo durus qui vomere primo.

Insignia Thebanorum. TAB. 4. fig. 2. Ac tametsi Thebæ Bœotiæ Metropolis exiterit, tamen peculiare illæ in moneta insigne usurparunt, Herculis videlicet bipennem & Bacchi cantharum. Herculis bipennis quidem arbitror causam esse Alcmenam matrem Thebanam, vel quod Amphitryo vitricus ob cædem Alectrionis Tyrinthe abierit Thebas, vel denique quod verisimilius est, quod Thebas Hercules servitute liberarit, raptis passim e templis armis, inter quæ dubio procul & bipennes fuerant, primis seculis maxime usurpatæ bellis. Historiam refert Diodorus V. *Bibliothecæ*, quam subjicere placet. Interim Amphitryo ex Tyrinthe pulsus Thebas concessit. Hercules ante educatus optime, certaminum quoque exercitio deditus, & corporis robore excelluit, & animi virtute, adhuc Ephebus ad liberandas primum servitute Thebas, operam impendit, tanquam patriæ gratias redditurus. Erant subditi Thebani Ergino Minyarum regi, superbe ab eis annis singulis certum tributum exigenti. Sed minime veritus imperantium vires, rem adgressus est memoria dignam. Omnes qui ad exigenda tributa missi erant, male mulctatos e civitate expulit, Ergino ejus rei auctorem dari sibi postulante, Creon Thebanorum rex illius potentia territus, autorem redditurus erat. At Hercules comparatam adolescentum manum, ad libertatem patriæ cohortatus, arma ex Deorum templis, progenitorum spolia Diis affixa, ad belli usum deprompsit: nulla enim privatim in urbe erant arma, sed singulis regis edicto, ne desciscerent, adempta. Audiens postmodum Hercules Erginum cum exercitu appropinquare urbi, obviam cum militibus egressus, in quodam angusto aditu, ubi paucis pugnandi locus erat, regem adortus, prælio victum occidit, omni illius exercitu deleto, extemploque civitatem Orchomeniorum, captam Minyarum prius in-

A censa regia, evertit: ad quarum rerum famam per universam Græciam dispersam stupentibus omnibus, Creon rex admiratus adolescentis virtutem, filiam illi Megaram nuptui despondit, urbisque veluti filio curam promisit. Quod vero Bacchi cantharo usi Thebani fuerint arbitror, Trieterica sacra causam esse, quæ Bacchus Cadmi primi conditoris ex Semele filia nepos primus instituit, ac quod vites plantare Bœotios docuerit. Scribit enim Diodorus V. *Bibliothecæ*. In Bœotia jussit in gratiam patriæ, omnes urbes liberas esse, civitate nominis sui condita, quam & liberam pronunciavit, in Indiam cum exercitu transcendens, triennio post, multis cum spoliis in Bœotiam rediit, primus omnium triumphavit, Elephanto Indico vectus. Bœotii cæterique Græci Thraces quoque in memoriam Indicæ expeditionis sacra Trieterica sibi instituerunt, unde & in multis Græcis urbibus triennio Bacchides mulieres conveniunt, apud quas de more virgines thyrsum ferunt in honorem Dei bacchantes. Huc alludens cecinit Naso III. *Metamorphos.* *Canthari insigne.*

B

C

—— Si fata vetabunt
Stare diu Thebas, utinam tormenta virique
Mœnia diruerent, ferrumque ignisque sonarent,
Essemus miseri sine crimine: forsque querenda,
Non celanda foret, lachrymæque pudore carerent.
At nunc a puero Thebæ capientur inermi,
Quem neque bella juvant, nec tela, nec usus equorum;
Sed madidus myrrha crinis, mollesque coronæ,
Purpuraque & pictis intextū vestibus aurum.

D Et III. *Fastorum:*

Tertia post Idus, lux est celeberrima Baccho.
Bacche fave vati, dum tua festa cano.
Nec referam Semelen; ad quam nisi fulmina secum
Juppiter adferret, parvus inermis eras.
Nec puer ut posses maturo tempore nasci,
Expletum patrio corpore matris onus.
Sithonas & Scythicos longum narrare triumphos,
Et domitas gentes thurifer Inde tuas.
Tu quoque Thebanæ male præda tacebere matris,
E *Inque tuum furiis acte Lycurge genu.*

Quibus versibus non solum quo honore Bacchus ejusque festa apud Thebanos extiterint, clarescit, verumetiam nativitatis ejusdem ratio. Scribit enim Diodorus in V. de Cadmo, ubi cum responso oraculi Thebas condidisset, Hermionem postmodum Veneris filiam in uxorem sumpsisse, ex qua Semelen, Inonem, Autonoen, Agaven ac Polydorum genuerit. Semelen Jupiter ob pulchritudinem in forma hominis cognovit. Quod illa existimans ab Jove in sui contemptum agi, rogavit ut secum prout cum Junone assueverat, coiret. Jupiter Dei majestate assumpta, cum tonitribus ac fulgure ad eam descendit. At illa prægnans cum neque fulguris neque tonitrus vim ferre posset, filium abortsa igne, exspiravit. Infantem Jupiter Mercurio dedit ad antrum Nysæ, quod inter Pheniciam Nilumque est deferendum, a Nymphisque omni studio curaque educandum, unde a Jove Nysaque Dionysium dixere. Aliam Bacchi nativitatem Thebis, & quidem magis historiæ *Nativitas Bacchi qualis.*

F

ſtoriæ conformem in primo recenſet his verbis; Sacrorum originem ea conjectura volunt ad Græciam tranſtuliſſe, quod Cadmus ex Thebis Ægypti ortus, præter cæteros filios & Semelem ſuſcepit eam a quopiam corruptam, poſt ſeptimum menſem peperiſſe infantem Oſiridi ſimilem, neque illum vixiſſe diutius, ſive Diis improbantibus, ſive repugnante natura. Quod ægre ferens Cadmus, reſponſo accepto, ut parentum juſta ſervaret, infantem deauravit, illique ſacra inſtituit, ut eſſet argumentum illud ab Oſiride natum. ad Jovem inſuper genus retulit, ut & Oſiridis factum cohoneſtaret & corruptionis infamiam demeret. Id cauſam præbuit Græcis ut crederent Cadmi Semelen ex Jove Oſiridem peperiſſe. Tertium eventum nativitatis Bacchi in ſtirpe Cadmi deſcribit Naſo III. *Metamorphoſ.*

Tela ſecunda vocant ſuperi: capit illa: domumque
Intrat Agenoream: corpus mortale tumultus
Non tulit æthereos, doniſque jugalibus arſit.
Imperfectus adhuc infans genitricis ab alvo
Eripitur, patrioque tener (ſi credere dignum eſt)
Inſuitur femori, maternaque tempora complet.
Furtim illum primis Ino matertera cunis
Educat. Inde datum Nymphæ Nyſeides antris
Occuluere ſuis; lactiſque alimenta dedere.
Dumque ea per terras fatali lege geruntur,
Tutaque bis geniti ſunt incunabula Bacchi.

CAP. IX.

DE CALIDONIA, ÆTOLIA, JUNCTISQUE ATHAMANIBUS ET THESPROTIS.

PROVINCIAM Locris Ozolis, Dorienſibus ac Epiro comprehenſam, montibuſque clauſam Marlao, Aracyntho, Coruo, ac Strymone Ambracioque ſinu, & cui Ætolus Endymionis filius abnepos Deucalionis Ætoliæ nomen, cuique rurſus Calydon Ætoli filius ſuam quoque nomenclaturam adjecit, non eiſdem finibus delineatam a Geographis reperio, Ptolemæo ſane & Pomponio Melæ anguſtiſſima deſcribitur, quantum agri inter duo flumina Acheloum & Evenum interjacet, ita ut ſecundum illos Acarnania Athamaniaque adempta, Epiro tribuatur. Ac Ptolemæus quidem qui *l.* III. *tab.* X. Europæ, hanc ſub Achaja provinciam, ut omnes pene Helladis comprehendit: *Poſt Acheloum*, inquit, *amnem qui terminus eſt Epiri in Hadriatico pelago, Ætoliæ Cherſoneſi promontorium Eveni oſtia fluvii, ubi Locrorum Ozolorum termini.* Pomponius vero in *ſecundo*, Ætoliam cum Locride ac Phocide confundere videtur, cum ait: *At in adverſis Pagæ, Creuſis, Anticyra, Oeanthia, Cirrha, & notior aliquanto nomine Calydon & Evenus extra Rhion. In Acarnania maxime clara ſunt oppidum Leucas & flumen Achelous.*

Limites Ætoliæ.

Plinius vero econtra *lib.* IV. *cap.* II. Ætoliæ multa adjecit quæ Theſſalorum ſunt Ozolorum ac Epiri. Siquidem Perrhæbos, Dolopes, Attraces, Tymphæos ac Ephyros Theſſaliæ ademptos Ætolis ſubjicit, quemadmodum & de Epiro Athamanes & Ambraciam, de Locris denique Naupactum Pylenenque detraxit, & Ætoliæ tribuit, contra reliquorum Geographorum deſcriptionem. Verba ejus ſubjicere placet: *Ætolorum populi Athamanes, Tymphæi, Ephyri; Ænienſes, Perrhæbi, Dolopes, Magares, Attraces, a quibus Attrax amnis Ionico mari infunditur; Ætoliæ oppidum Calydon: ſeptem millium quingentorum paſſuum a mari, juxta Evenum amnem, deinde Macinia Molycria, cujus a tergo Calcis & mons eſt Taphiaſſus. At in ora promon. Antirhyum, ubi oſtium Corinthiaci ſinus, minus mille paſſuum latitudine influentis Ætoloſque dirimentis a Peloponneſo, promontorium, quod contra procedit appellatur Rhyon, ſed in Corinthiaco ſinu Oppida Ætoliæ Naupactum, Pylene, & in Mediterraneo Pleuron, Halicarna. Montes clari in Dodone Tomarus, in Ambracia Crania, in Acarnania Atacynthus, in Ætolia Acanthon, Peretbolium, Merleon.* Sic quoque legimus apud Liv. *l.* VI. *decad.* III. Anticyrrham Locridis urbem in læva parte ſinus Corinthiaci (ut verbis ejus utar) qua brevis navigatio a Naupacto eſt, a Val. Lævino expugnatam, & Ætolis quibus a Macedonibus erat adempta, tradita: Præterea *dec.* IV. *l.* V. concilium Ætolos Naupactum indixiſſe Thoante prætore refert.

Non multum diſcrepat a Plinio Strabo, qui *l.* X. latiſſime Ætolorum fines extendit. Populos illi ſubjiciens Athamanes, Perrhæbos, Ænianes, Dolopes, Amphilochos & Agræos. Placet ſeriem verborum referre: *Quandoquidem Ætoli & Acarnanes & Athamanes loca Theſſalorum & Oetæorum in occaſum vergentia tenent. Si & hi ipſi appellandi ſunt Græci, de iis explicare nobis reſtat, ut univerſum Græciæ circuitum habeamus. Ætoli & Acarnanes igitur invicem conterminiſunt, inter quos medius eſt Acheolus a Septentrione & Pindo in Auſtrum fluens, & per Agræos gentem Ætolicam & Amphilochos: Acarnanes ſane & occidentalem partem flumen uſque ad Amphilochium, ſinum Ambracium, & Actii Apollinis templum. Ætoli autem ad orientem tenus Locris Ozolis & Parnaſo & Oetæis. In mediterranea vero partibuſque in Septentrionem vergentibus, ſupereminent ex Acarnanibus quidem Amphilochi, ex his ipſis Dolopes & Pindi accolæ, ex Ætolis autem Perrhæbi & Athamanes, & Ænianum portio quædam Oetam habitantium. Auſtrale ſane latus & Acarnanicum ſimiliter & Ætolicum ipſo mari perfunditur, quod Corinthiacum efficit ſinum, quem Achelous amnis influit, qui & Ætolorum & Acarnanum littoris terminus eſt.* Hæc Strabo.

Cui videtur T. Livius contrariari, *Dec.* IV. ubi Athamaniam ab Ætolia ſeparat, regem illi tribuens proprium Aminandrum qui Romanis adverſus Ætolos eorumque ſocios Philippum Maced. Antiochum Syriæ & Nabin Spartanum tyrannum bellum gerentibus, ut fidus ſocius aſtiterat. Placet verba Livii referre: *Hæc renunciata regi ad naves, ubi reſtiterat, cum eſſent in præſentia (neque enim iis venerat copiis ut vi agere quidquã poſſet) reverti Demetriadẽ placuit: ubi quoniã primum inane inceptum invaſiſſet, conſultare cũ Ætolis rex quid inde fieret. Placuit Achæos & Aminandrũ regẽ Athamanũ tentare, Bœo-*

torum gentem aversam a Romanis. Hæc cum ita sint, nos autorum discrepantiam solventes, dicimus primis temporibus, Trojano bello æstuante, & paulo post Ætolorum gentem quam latissime patuisse. Sed postquam Macedonum potentia crevit, Acarnanes & alii populi civitatesque Ætolis adempti fuere.

Hinc *lib.* VI. *Dec.* III. in oratione Valer. Lævini Livius nominatim scribit Ætolos eo in majore futuros honore, quod gentium transmarinarum in amicitiam primi venissent. Philippum eis & Macedonas graves accolas esse, quorum se vim ac spiritus etiam fregisse, & eo redactos esse, ut non his modo urbibus quas per vim ademisent Ætolis, excedant, sed ipsam Macedoniam infestam habeant. At Acarnanas, quos ægre ferrent Ætoli a corpore suo diremptos, restituturum se in antiquam formulam juris ac ditionis eorum.

Itaque & postremo cum in Romanam ditionem redacti fuissent, multis provinciis ac populis ex Romanor. formula demptis, in eas angustias redactam verisimile est, qua eam autores Roman. Ptolemæus, Vellejus, Mela & alii delinearunt. De cujus provinciæ cultorum origine hæc Strabo animadvertit in IX. Idem etiam his similia de Ætolis protulit. Nam cum præfatus sit, eos omni tempore invictos nunquam depopulatos, quandoque Ætoliam Æoles coluisse, ejectis regionis occupatoribus barbaris, quandoque Ætolum cum Æpæis ex Elide profectum, hos autem mutuis vicibus ab hostibus, istos ab Alcmæone ac Diomede. *Initia cultorum Ætoliæ.*

Sed libet rem de Ætoliæ antiquitate ac ejus principibus paulo altius repetere: Titana sive cœlum ex terra ferunt genuisse Japetum, qui in Thessaliæ finibus, & ubi Lapithæ gubernarunt, ex Asia nympha procreavit Atlantem (Pleiadis maritum, patrem Taygetæ, Majæ, Electræ, Celænonis, Meropes & Alcyones) Hesperum, Epimetheum, Prometheum & Buphagum, qui in Pholoe monte Arcadiæ fabulis fertur a Diana sagittis occisus. Et ut reliquos prætereamus, Prometheus reliquit Æthnæum & Deucalionem. Quorum postremus ex Pyrrha filia Epimethei & Pandoræ, genuit Orestem, Locrorum Ozolarum authorem, Hellenem Xuthi & Dori patrem, Ionis & Achæi avum, Amphictyonem. qui post Cranaum in Attica regnavit, Chyonem quæ ex Mercurio Autolycum tulerat, Sinonis illius avum, qui equi fraude Trojam cepit, & Prothogeniam. Quæ rursus ex Jove Æthlium genuit, qui sibi desponsata Calyce, Æoli filia Endymionem reliquit, propter excellentem formam a Luna adamatum. Unde Ætolus nascitur pater Pleuronis & Calydonis, qui constructas in Ætolia civitates denominarunt. Quorum Pleuron ex Xanthippe Dori filia nihil tulit, Calydon vero Eperasten filiam reliquit Agenori cuidam nuptam, non illi Thebano. Qui filium procreavit Parathonem & Demonicen filiam, quæ ex Marte peperit Evenum, Molum, Pylum & Thestium patrem Altheæ, Hipermestræ & quos Meleager occidit Iphioli, Eucippi, Phlyxippi & Eurypyli. Parthaon autem ex Euryte Hippodamantis nata præter Steropen, quæ ex Acheloo Sirenes genuit, quinque liberos reliquit, Alcathaum ab Oenomao interfectum ob Hippodamiæ petitum matrimonium, Leucopæum, Agrium patrem Thersippi, Onchesti, Pirithoi, Lycopei, Melanippi & Celenthoris, qui Oeneum patruum Calydoniæ regno privarunt, Melani patrem Phinei, Euryali, Sternopis, Eumedis, Hiperlai, Xanthippi & Stheneli, quos omnes Tydeus Diomedis pater interfecerat, & qui natu major fuerat inter fratres Oeneum. Hunc qui a Baccho plantam vitis acceperat & ex Althæa Thestii filia, genuerat Permedem Phœnici nuptam (matrem Astypaleæ, quæ ex Neptuno Ancæam Lelegum regem tulit) Thoxæam a patre occisum, Thyream, Clymenum & Meleagrum, qui cum Atalanta, Theseo ac multis aliis, quos VIII. *Metamorphoseos* Ovidius enumerat, venationi apri Calydonii interfuit. Ex Altera vero Eurygæa Tydeum ac Olenium & Dejaniram Herculis conjugem tulit. Quorum Tydeus ex Deiphile Adrasti Argivorum regis nata Diomedem reliquit, qui spoliatus regno ab Agrii filiis Trojano interfuerat bello, ubi cum Ulysse Palladium rapuit, Rhœsique equos abstulit, & Martem vulneravit, Hectorem in pugna protegentem. Qui in reditu, cum Ægides uxor libidinosissima cum Cylabaro Stheneli Argivi principis filio concubuisset, relicta Græcia in Italiam abivit, a Dauno Oenotriæ rege admissus, ubi & Argos condidit, cujus socios in aves Diomedeas mutatos fabulæ referunt. Quare Homerus in *Catalogo* Oenei stirpe deficiente in Ætolia Thoantis cujusdam meminisse videtur: Versus ex versione Hessi habent: *Reges Ætoliæ.*

Ætolos in bella Thoas Andremone natus
Duxit agens, qui Pleuronem, quique Olenon altam,
Chalcida qui prope littoream, celsamque Pylenam,
Qui tenuere viri saxis Calydona frequentem.
Hic tum Ætolos tota ditione regebat,
Quod stirps Oeneæ defecerit omnis & ipse
Jamdudum occiderat. nec flavus erat Meleager
Amplius: Hic igitur denas quater agmine naves
Abducens hominum classem tot millibus auxit.

Ætolorum princeps in bello Trojano.

Idque verum esse, Thoantemque Ætolorum extitisse regem bello Trojano, vel ex eo apparet, quod multi hoc nomine posterius ut duces militares præfuerint: quemadmodum Titus Livius *Decade* IV. *lib.* V. ait in hanc sententiam: *Rex cum magno omnium assensu locutus discessit, post discessum regis inter duos principes Ætolorum Phaneam & Thoantem contentio fuit. Phaneas reconciliatore pacis & disceptatore de iis, quæ in controversia cum populo Romano essent, utendum potius Antiocho censebat, & principibus regibusque Ætolorum tantum.*

Quibus & illud addendum est, Oeneum Calydoniæ regem Herculis socerum & Tydei patrem avumque Diomedis ab aliis non Parthaonis filium dici, sed Agrii. Id quod esse non potest, cum constet illum ab Agrii regno pulsum apud Argivos exulasse, ibique Oenæam condidisse, cujus generum ac pin- *Historia de Oeneo rege.*

cernam cyathum Hercules in convivio quod poculum non bene administrasset, talitro occidit. Fuit vero Hercules Oenei hujus gener ob Dejaniram filiam, quæ antea Acheloo desponsata fuerat, ad quod alludentes cecinere Poetæ. Lucanus *lib.* VI.

Labitur avectæ pater Isidis & tuus Oeneu
Pene gener classis oblinat Echinadas undis.

Statius lib. I. *Theb.*

Vos quoque progenies quanquam Calydonius Oeneus,
Et Parthaoniæ.

De hujus Oenei filio Melagro referunt fabulæ. Matrem illius Althæam in nativitate filii tres vidisse Parcas circa ignem, cui stipitem quendam injecerant dicentes, o nunc nate erit æqua tibi cum stipite vita, hisque auditis, discedentibus illis, stipitem igni matrem subtraxisse, eumque ne combureretur, diligentissime servasse: contigisse vero posterius, ut in venatione Calydonii apri quem Diana patri, (quod esset in primitiis contempta immiserat) conspecta Atalanta Schenei filia Acrisii sorore ejus captus amore, Meleager caput illi feræ donaverit, quod cum fratres matris Plexippus & Toxæus auferre conarentur, illos occidisse. Qua cæde indignatam matrem memorem nativitatis torrem servatum igni denuo subjecisse, atque ut filius ante tempus moreretur, effecisse, cum tamen prius ex Atalanta Parthenopæam genuisset. Historiam lege apud Ovidium in VIII. *Metam.* quam hisce versibus concludit cum matrem ob cædem fratrum furentem introducit,

Ergo impune feret, vivusque & victor, & ipso
Successu tumidus, regnum Calydonis habebit?
Vos cinis exiguus, gelidæquæ jacebitis umbræ?
Haud equidem patiar: pereat sceleratus: & ille
Spemque patris regnumque trahat, patriæque ruinam.
Mens ubi materna est? ubi sunt pia vota parentum?
Et quos sustinui bis mensium quinque labores.
O utinam primis arsisses ignibus infans:
Idque ego passa forem: vixisti munere nostro
Nunc merito moriere tuo: cape præmia facti,
Bisque datam, primum partu, mox stipite rapto,
Redde animam.

Et subdit:

—— Dextraque aversa trementi
Funereum torrem medios conjecit in ignes.
Inscius atque absens flamma Meleagrus ab illa
Uritur, & cœcis torreri sua viscera sentit
Ignibus.

Historia Tydei regis. Porro alter filius Oenei Tydeus pulso patre a filiis Agrii, exul Argos venerat Calydonii apri exuviis tectus, quo tempore & Polynices Laii regis Thebarum filius pulsus a fratre Etheocle Argos profectus erat in exilium, Leonis, hoc est, Herculis vestitu ornatus. Isthic sub arce cum in specu ambo convenissent pernoctaturi, mutuis cædibus tumultum excitavere, ad quem rex Argivorum Adrastus expergefactus cum descendisset, illosque his de quibus diximus exuviis vestitos conspexisset, memor oraculi, cum prius illos reconciliasset, utrique filiam copulavit, Ceiphilen quidem Tydeo, Argiam vero Polynici, ac utrumque in regnum reduxit. Erat autem oraculum ob quod matrimonia illa contigerant, ut I. *Theb.* Papinius refert:

In senium vergens populos Adrastus habebat
Dives avis, & utroque Jovem de semine ducens.
Hic sexus melioris inops, sed prole virebat
Fœminea, gemino natarum pignore fultus:
Cui Phœbus generos (monstrum exitiabile dictu.)
Mox adaperta fides ævo ducente canebat
Setigerumque suem, & fulvum adventare leonem.
Hæc volvens, non tu ipse pater, non docte futuri
Amphiarae vides, etenim vetat autor Apollo:
Tantum in corde sedens ægrescit cura parentis.
Ecce autem antiqua fato Calydona relinquens
Olenius Tydeus (fraterni sanguinis illum,
Conscius horror agit) eadem sub nocte sopora
Lustra terit similesque notos dequæstus & imbres,
Infusam tergo glaciem, & liquentia nymbis
Ora, comasque gerens, subit uno tegmine, cujus
Fusus humo gelida, partem prior hospes habebat.
Hic vero ambobus rabiem fortuna cruentam
Attulit, &c.

Quæ denique ad Trojam gesserit Diomedes Tydei filius ex Deiphile Argiva, quem Poetæ Tydidem perpetuo vocant apud Homerum lector reperies. *Historia de Diomede rege.* Strabo in *decimo* refert ab Alcmeone Amphiarai filio vatis Thebani absorpti fuisse in Ætoliam paternum regnum restitutum cum de Oenei hostibus ultionem sumpsisset. Quod vero in Italiam venerit ob uxoris adulterium a Dauno rege agri parte & filia donatus, & quod Turno adversus Æneam auxilium ferre noluerit, meminere poetæ. *Coloniæ Ætolorum in Italia.* Virgilius II. *Æneid.* in relatione legationis Venuli:

Atque hic legatos Ætola ex urbem remissos
Quæ referant, fari jubet.

Et sub persona Diomedis bellum dissuadens:

Conjugium optatum, & pulchram Calydona viderem.
Nunc etiam horribili visu portenta sequuntur,
Et socii amissi petierunt æthera pennis.

Ovid. XIV. *Metam.*

Sed Venulus, Turni postquam mandata peregit,
Auxiliumque petit, vires Ætolius heros

Excusat: nec se soceri committere pugnæ
Velle sui populos: nec quos e gente suorum
Armet, habere viros.

Aliam causam illius mutationis sedium in Italia Strabo in x. reddit, Agamemnonem videlicet veritum, ne Diomedes domum repetens majus vendicaret imperium quod non solum patri apud Ætolos, verumetiam Adrasto socero apud Argivos succederet, & idcirco Græciæ in illum principes, ac populos concitasse, Cyllabarumque Stheneli filium in Æoliam, Amphilochum præterea Acarnaniam occupasse, Argivum utrumque. Idem in Italiæ ora, ubi Japiges tenuere, finibus magnæ Græciæ, urbes condidit &, novam ibi Ætoliam, Calydoniamque auspicatus fuit; (ut Ætolos colonias similiter in Italiam deduxisse appareat) ut de ipso testantur supradicti poetæ; Virgil. xi. *Æneid.* in oratione Venuli Legati Latinorum:

Vidimus o cives Diomedem, Argivaque castra,
Atque iter emensi, casus superavimus omnes,
Contigimusque manum, qua concidit Ilia tellus.
Ille urbem Argyripam patriæ cognomine gentis,
Victor Gargani condebat Japygis agris.

Ovid. xiv. *Metam.* in responsione Diomedis ad Venuli postulata.

Hactenus Oenides: Venulus Calydonia regna,
Peucetiosque sinus, Messapiaque arva relinquit.
In quibus antra videt; quæ multa nubila sylva,
Et levibus guttis manantia, semicaper Pan
Nunc tenet; at quodam tenuerunt tempore Nymphæ.
Appulus has illa pastor regione fugatas
Terruit.

Prolixior, fateor, fui in explicandis Ætolorum principum memoratu dignis, sed quod ad historiarum ac fabularum illa lectionem faciant, adducta sunt Poetarum testimonia. Regressus igitur ad Ætoliam, eam secundum Strabonem dividimus in Calydoniam & Pleuroniam. Quarum Calydonia Agræos & Amphilochus habebat, Pleuronia vero Curetes & Acarnanes: ut ita subdivisa olim extiterit, cujus rei testimonium ex x. Strabonis adducemus: regionem hoc tempore Ætoliam nuncupatam habitavere Curetes, adventantes autem Ætolos cum Ætolo, ipsos in Acarnaniam expulisse. Talia etiam feruntur quod Pleuronium agrum ab Curetibus habitatum, & proinde Cureticum vocitatum, Æoles invadentes interceperunt, possessoribus ejus ejectis. Archemachus autem Euboeus Curetas inquit Chalcidem incoluisse: assidue vero de Lilanto campo bellum gerentes, cum hostes anteriorem captarent cæsariem, eosque distraherent ab occipite capillatos extitisse, a fronte detonsos: unde & nomen illis inditum, & in Ætoliam habitatum migrasse. Cumque Pleuronis loca postmodum occupasset trans Acheloum

A oram incoluisse, ubi cum intonsa servarent capita, Acarnanes vocari cœpisse. Plerique vero ab heroe quodam, utramque nationem nomen tenuisse ajunt, alii a monte quodam Curio Pleuroni imminenti Curetes nominatos. Hanc vero Ætolicæ nationis tribum quondam esse liquet, sicut Sophienses, Agræosque, & Eurytanes, aliasque complures. Ætolia autem bifariam, ut dictum est, divisa Calydoniam plagam ab Oeneo regnatam fuisse memorant. Pleuroniam vero aliqua ex parte Phartaonidas habuisse Agri complices, qui secundum Poetam: *Divisio Ætoliæ.*

B

Pleuroniamque colunt muro & Calydona præaltam.

Thestium autem Pleuroniam tenuisse, qui Curetum ductor, socer quidem fuerat Oenei, Altheæ vero pater, bello autem adversus Oenum ac Meleagrum ab Thestiadis ingruente ob suis caput & spolium, secundum apri fabulam, si Poetæ credimus. Versio carminis sic habet:

C *Curetes & pugnaces Ætoli beligerabant.* Ex his liquet vetustissimos incolas agri Ætolici extitisse Curetes, huc vel ex Creta vel Eubœa profectos, quibus Æoli ex Thessalia una cum Bœotiis ac Hyantibus vagabundi accesserunt, & his postremo Ætoli Ætolo Endymionis filio autore. Unde denique non minimam manum Oxylo duce in Elidem transmigrasse capite *de Elide* confirmabimus. Recipio me ad montes, flumina ac civitates, quæ omnia supradicto *libro* Strabo comprehendit his verbis: *Ingentem vero montem Corvi nomine Oetæ proximum habet Ætolia, & cæteris in medio jacentibus Marlaum, Aracyntum, ad quem novam Pleuroniam habitandam constituere, omissa veteri penes Calydonem posita, cum illa incomposita sit atque frugifera. Qua tempestate Demetrius cognomento Ætolicus agrum diripuit.* *Montes fluvii & civit. Ætoliæ.*

D

Supra Molycræam Taphiasus & Chalcis montes admodum excelsi surgunt, in quibus posita sunt oppidula Macyma & Chalcis ipsius montis nomine, quam & Hippochalcidem vocant. Curium vero penes antiquam Pleuronem est, a quo Pleuronii E Curetes nominati fuere. Sed Evenus fluvius e Boiensibus inter Ophyentes gentem Ætolicam oritur, qualiter & Eurytanes, & Agræi, & Curetes & alii, ab initio quidem minime per Cureticam oram labitur, quæ eadem est & Pleuronia.

At enim versus orientem potius præter Chalcidem & Calydonem currit. Inde ad campestria Pleuronis antiquæ deflectens, & in occasum per Mutas, eruptionem in meridiem vertit, olim autem Lycormas vocabatur. Nessum hac in parte designatum portitorem, fuisse occisum ab Hercu- F le vulgatur, cum inter trajiciendum Dejaniram violare conaretur.

Poeta etiam Olenum Pylenamque urbes Ætolicas commemorat, e quibus Olenus eodem quo Achaja nomine dicta, ab Æolicis est diruta, novæ Pleuroni finitima. De cujus agro autem certamen susceperunt Acarnanes, translata inde Pylena in superiora loca, nomen quoque illi permutavere & Proschium vocavere.

Ætolorum denique ditionis erant ac rebus gestis clara, Actium ad mare in tumulo sita civitas, & Apollinis fano famigerata, & Leucas Insula ponte cum Actio juncta, a quo haud procul Nicopolis in littore maris, hodie *Prevyze*, ubi Augustus Cæsar Marcum Antonium & Cleopatram navali prælio fudit, & classem hostilem incensam Apollini Actiaco consecravit.

Actium & Apollo Actius. Scribit enim Strabo in VII. *Ingredientibus occurrunt a dextra ex Græcis Acarnanes & Apollinis Actii templum, quodam in tumulo ad ostium eminens, cui campus subjacet locum habens. Sunt & navalia, in quibus Cæsar undeviginti naves decimarum nomine reposuit, ab uno remorum ordine usque deciremes adjungens, memoria quoque proditum est & navale & naves incendio prorsus extinctas esse. Sinistra vero Neapolis est.* Et in X. addit: *ab ostio namque & sinu inchoantibus Ambracia primus Acarnanum locus est Actium, eodemque vocabulo & Apollinis Actii templum promontorium nuncupatur, quod sinus ipsius ostium efficit & exterius portum habet: a templo autem stadia quadraginta distat Anactorium, ipso in sinu conditum. Leucas autem ducentis & quadraginta.* *Leucas insula.*

Leucadis insulæ consuetudo. De origine & nomine Leucadis (quam Insulam navis symbolum usurpasse in moneta vidi) idem refert. At scriptor Alcmeonidis e Penelopes genitore Icario duos natos esse filios scriptis suis prodidit, Alyzeum atque Leucadium, eosque cum patre Acarnaniæ regnum tenuisse. Scitum est quod idem de consuetudine quadam crudeli ejus Insulæ scribit. Leucadiis vero mos erat patrius in Apollinis sacrificio sontem quotannis aliquem avertendæ Deorum iræ gratia, de montis specula dejicere, ei autem implicitis pennis & avibus multimodis, quibus levari posset, saltus ipse perinde ac volatus efficeretur, multosque circumstantes cadentem prius excipere naviculis, & pro viribus conservatum, extra patrios fines emittere superstitem. Situm Leucadis Insulæ ad littus maris Ionici affabre depingit Livius *lib.* III. *Decade* IV. *In his angustiis Leucas posita est, colli applicata versus in Orientem & Acarnaniam. Ima urbis plana sunt jacentia ad mare; quo Leucadia ab Acarnania dividitur, inde terra marique expugnabilis est: nam & vada sunt stagno similiora, quammari, & campus terrenus omnis operique facilis.* *Leucadis situs.* Denique quod Ætolorum ditionis Leucas extiterit, ostendunt verba Livii *supra dicto loco*, Ætolos de Pharsalo & Leucade postulantes, ut ex fœdere sibi restituerentur, ad senatum rejecerunt. Ad hanc Maro sub finem libri VIII. *Æneid.* alludit, cum Apollinis Actii templum ab Augusto Cæsare & ædificiis & ludis locupletatum commemorat post victoriam Actiacam.

In medio classes æratas, Actia bella;
Cernere erat, totumque instructo Marte videres
Fervere Leucatem, auroque effulgere fluctus.

Insulæ aliæ proximæ. Zacynthus insula. Sitæ sunt in finibus Ætolorum & aliæ quamplures Insulæ antiquæ & Homero, cæterisque vetustioribus subinde celebratæ, Zacynthus, Dulichium, Ithaca & Echinades. De quibus Strabo lib X. *Geograph.* scribit. De ipsius Ulyssis ditioni subjectis insulis, Zacynthus explicanda est, paulo plus quam Cephallenia, & Peloponnesus in occasum vergens, eamque magis attingens. Zacynthi vero ambitus, ultra centum & sexaginta stadia est, abest autem a Cephallenia ad stadia sexaginta. Nemorosa quidem urbs, verum fructifera. Ejusdem nominis civitas est celebris, ab ea distans ad Hesperidas Aphricæ stadia tria millia, inter hanc & Cephalleniam ad orientem Solem Echinades insulæ jacent, ex quibus Dulichium est, jacet autem ad Oeniadas & ad Acheloi ostium, distatque ab Araxo Elidis promontorium stadia centum. Reliquæ Echinades plures extant, cunctæ steriles & asperæ, e quibus quæ longissime abest, ante Acheloi eruptionem stadiis XV. distat. *Echinades insulæ.* Homerus has Insulas Ulyssi, Icaro, ac Laerti attribuit, & Ithacham quidem apricam, Neryton frondosam & Zacynthum nemorosam cognominat.

Has insulas Ætoli post Ulyssis domum, inde Macedones & postremo Rom. subjectas habuere. Unde scribit *lib.* VI. *Decad.* III. Livius. *Et Ætoli extemplo moverunt adversus Philippum bellum, & Lævinus Zacynthum (parva Insula est propinqua Ætoliæ, urbem unam eodem quo ipsa nomine habet) eam præter arcem vi cepit, & Oeniada Naxumque Acarnanum captas Ætolis contribuit.* Et *lib* VI. *Decade* IV. *Dum hæc a Philippo geruntur, T. Quintius recepta Zacyntho ab Achaico concilio Naupactum trajecit.*

Dignitas Ætoliæ gentis. Ætoli principes populi inter Græcos virtute & liberalitate præstantes. Hæc de antiquitate gentis, nobilitate, terraque & situ provinciæ, ejusque cum urbibus, tum montibus ac fluminibus. Jam de dignitate populi dicemus, quod inter Græcos principes extiterint, ac libertate perpetuo præditi, antequam in Romanam ditionem venissent, & quod concilio quemadmodum & Achiæ celebres fuerint, in quod maximi ac præcipui Græciæ populi transcripti fuere.

Hinc est illud Livii *lib.* V. *Dec.* IV. *Cum se vidissent Ætoli, omnia vel in se uno posita præsidia existimaturos esse. Cæterum eorum quoque se, quorum expectatio destituta in præsentia videatur, spem abunde expleturum: nam simul ac primum anni tempus navigabile præbuisset mare, omnem se Græciam armis, viris, equis, omnem oram maritimam classibus completurum: nec impensæ, nec labori, nec periculo parsurum, donec depulso cervicibus eorum imperio Romano, liberam vere Græciam, atque in ea principes Ætolos fecisset.* Hæc in persona Antiochi Syriæ regis.

Ætolorum audacia. Subdit postea. *Idem ferme, & Ætolorum legatus Archidamus petiit, ut quæ facillima & tutissima esset, quietem præstarent ..... Provectus deinde est intemperantia linguæ in maledicta, nunc communiter Romanorum, nunc proprie ipsius Quinctii: ingratos appellans & exprobrans, non victoriam modo de Philippo virtute Ætolorum partam, sed etiam salutem: ipsumque & exercitum sua opera servatos.* Unde liquet, & quanta virtute, audacia potentiaque præditi Ætoli fuerint, quod se Ro-

manis opponere, & ab illorum jugo se & maximos orbis reges Philippum Macedoniæ, ac Antiochum Asiæ reges servare conati fuerint, ut IV. *Dec.* lector prolixe leges.

De libertate eorum & mendaciis scribit Strabo in X. Hasce rationes secutos, ut par Acarnanes Romanos callide induxisse, ut expeditam ab eis libertatem, & suum vivendi morem assequerentur. Et rursus. Hac autem tempestate fatiscens continuis bellis, & Acarnania & Ætolia contabescit. Plurimos autem annos Acarnanes Ætolis adiuncti adversus Macedonas, aliosque Græcos perduraverunt, postremis temporibus contra Romanos pro libertate decertantes. Quare & Livius cum de Ætolis scribit, ob libertatem tuendam, Philippum Macedoniæ, Antiochum Asiæ, & Nabin Spartanorum potentiss. Reges in arma adversus Rom. concitantibus in oratione Quintii *lib.* IV. *Dec.* IV. illa addit: *Acrocorinthum ipsis extemplo videntibus vacuam Achæis traditurum, ut omnes scirent, utrum Rom. an Ætolis mentiri mos esset*; qui male commissam libertatem populi Rom. sermonibus distulerint, & mutatos pro Macedonibus Rom. Dominos. Et *lib.* III. ejusd. *Dec. Identidem Quinctius liberandam omnem Græciam si Ætolorum linguas retundere, si veram charitatem, Majestatem apud omnes nominis Rom. vellent esse.* Et rursus *libro* V. *Sed neque Boii, neque Hispani, cum quibus eo anno bellum erat, tam inimici infestique erant Rom. quam Ætolorum gens. Ii post deportatos ex Græcia exercitus, primo in spe fuerant & Antiochum in vacuam Europæ possessionem venturum, nec Philippum aut Nabin quieturos. Ubi nihil usque moveri viderunt, agitandum aliquid miscendumque rati, ne cunctando senescerent; concilium Naupactum indixerunt.* Unde patet ex ejusdem illius libertatis adseveratione Ætolorum gentem non minus quam Achæos concilio sive proprio seorsim conventu, in quem vicinæ Resp. transcriptæ fuerant, famigeratos quondam extitisse. Cujus subinde conventus Titus Livius mentionem facit ut VI. *Decade* III. *Per id tempus Marcus Valerius Lævinus tentatis prius per secreta colloquia Principum animis, ad indictum ante ad id ipsum concilium Ætolorum classe expedita venit.* Idem *libro* V. *Decade* III. *Achæos enim prope scire Ætolorum omnem ferociam in verbis non in factis esse, & in conciliis magis, concionibusque, quam in acie apparere.* Et subdit: *Et utinam subjicere oculis vestris Achæi possem, concursationem regis magni ab Demetriade nunc Lamiam in concilium Ætolorum.* Et *sexto ejusdem Dec. Paucis priusquam Heraclea caperetur diebus, Ætoli concilio Hypatam coacto, legatos ad Antiochum miserunt.* Ex his perspicue liquet non solum, quam libertatis tuendæ Ætoliæ studiosi fuerint, verumetiam quam potentes & late diffitas ditiones habuerint, adeo ut in Thessaliæ finibus Lamiam ac Hypatam, subjectas habuerint. Ad quod pertinet, quod scribit ab initio *libri* II. *Decade* IV. *Thaumacos eo tempore Philippus summa vi oppugnabat, aggeribus vineisque & jam arietem muris admoturus erat: cæterum incepto absistere eum coegit subitus Ætolorum adventus, qui Archidamo duce, inter custodias Macedonum ingressi mœnia, nec die nec nocte finem ullum erumpendi nunc in stationes, nunc opera Macedonum faciebant, & adjuvabat eos natura ipsa loci: namque Thaumaci a Pylis, sinuque Maliaco per Lamiam eunti loco alto siti sunt; ipsis faucibus imminentes,* &c. Et *lib.* V. *Decad.* IV. *Ibi una ex turmis ad portam relicta, ne excludi subsequens equitatus posset, media urbe ac per forum manu Eurylochum tenens multis occurrentibus gratulantibusque domum deduxit, mox equitum plena urbs erat, & loca opportuna occupabantur, tum in domos missi, qui Principes adversæ factionis interficerent. Ita Demetrias Ætolorum facta est*, Et de Ætolorum cum potentia, tum libertate hactenus.

Conventus Ætolorum.

De Luxu porro ejus populi hæc obiter adnotavit in IX. *Dipnos.* Athenæus: de Ætolis scribit Polybius lib. XIII. *Historiarum*, quod ad assidua bella, victusque magnificentiam ære alieno oppressi sunt. Agatharchides libro *Historiarum* XII. Ætoli inquit tanto promptiores sunt ad mortem, quanto splendidius, magnificentiusque vivere student.

Luxus Ætolorum.

De audacia denique & gentis temeritate, libet Livium audire *lib. quinto* IV. *Decad.* scribentem: *Ætoli consilium uno die, spei quoque non audacis modo, sed etiam impudentis ceperunt, Demetriadem, Chalcidem, & Lacedæmonem occupandi* .... *Diocles Demetriadem.* Similiter gentis fraudem ostendens, refert ibidem. *Quod cum adversus Rom. Antiochum Syriæ, Philippum Macedoniæ reges, ac Nabin Spartanorum tyrannum solicitassent, ab his sensim quantumvis sociis desciverint, cum Nabi Spartano Alexamenum ducem, cum copiis misissent, ut illi adversus contumaces auxilio esset, illo tamen occiso per insidias Spartam occuparint, ac in prædam vocarint. Ætoli (inquit) velut capta urbe quam liberasse videri volebant in prædam versi, Dux regia inclusus die ac nocte in scrutandis thesauris tyranni consumpsit, simul indignitas rei, simul contemptus animos Lacedæmoniis ad coeundum fecit.* Hujusmodi igitur dolis hæc gens cum instructa fuisset, late tamen domo profecta, ac maximis orbis monarchis in castris meruere Ætoli, quemadmodum sub finem *Decad.* III. Livius refert, *Ætolos a Valerio Lævino Rom. Cos. adversus Philippum Macedoniæ regem excitatos ad Lamiam usque Thessalin cum signis profectos, eaque occupata, Macedonem ad non satis æquas conditiones compulere, fœdere postea icto cum Romanis ac Macedonibus Antiochum Asiæ regem contra utrosque solicitarunt. Quo in Græciam cum exercitu profecto, atque ab Acilio victo, Heracleaque Trachiniorum expugnata, & ipsis in Callidromo cæsis, pacem tamen a Romanis & præteritorum oblivionem impetraverant. Sed rursus Thaumacis in Thessalia a Philippo rege obsessis auxilio profecti, in finibus Macedoniæ partim diripuerunt, partim vero expugnarunt multas urbes, quarum celebriores nominant Theumam, Calathanam, Cypharam & Xynias. Sic nec quod cum Macedonibus, nec quod cum Romanis percusserant, firmum satis Ætolis fœdus fuit. Quare ex sociis hostes facti, bello adoriuntur a Romanis, Naupactoque a Marco Acilio obsesso, Zacyntho in-*

Ætolorum audacia & temeritas.

Ætolorum militia.

Ætolorum perfidia.

Ætolorum ditio late patebat.

super Insula ipsorum a T. Quintio expugnata, cum Romam pro pace legatos misissent excedere Italia XV. *diebus jussi sunt. Ætoli,* (inquit idem *lib.* VII. *Dec.* IV.) *ut quibus plus in misericordia Senatui quam in causa spei esset, suppliciter egerunt veteribus benefactis nova pensantes maleficia. Cæterum & presentes interrogationibus, undique Senatorum confessionem magis noxæ quam responsa exprimentium fugati sunt, & excedere curia jussi, magnum certamen præbuere. Interea cum Acilius Naupactum acriter oppugnaret ac Amphissam in ditionem accepisset, atque* XLIII. *Principes Ætolorum captos Romam misisset, Ætoli ad ultimum desperationis redacti, Corvum montem ac saltum occupavere, ut se inde tuerentur, ab eo tempore cum intercessione Athen. & Scipionum, qui adversus Antiochum in Asiam copias ductabant, pax esset Ætolis data, pristina fraude belli consilia clam cum Antiocho miscere cœperunt, & cum Athamanos, ac Dolopes bello adgressi fuissent, M. Fulvius Cos. cum legionibus Rom. a Senatu* P. Q. R. *in Ætoliam mittitur, cui gens subdola supplex facta, rursus pacem petere cœpit, & cum minus impetraret, Acarnaniam armis infestat Ambracia occupata, adversus quam Romani auxilio Persei, Macedonis, & Amynandri Athamanum Principis recepta Ambracia, & Cephallenia Insula occupata Argos Amphilochicum obsidione cinxerunt. Qua necessitate imposita, cum viribus impares essent, pacem a Romanis haud æquis conditionibus impetravere.*

Ætoli debellati & Rom. subjecti.

Quas T. Livius VIII. *Dec.* IV. his verbis complectitur. *Imperium Majestatemque* P. R. *gens Ætolorum conservato sine dolo malo, ne quem exercitum, qui adversus socios, amicosque eorum ducetur per fines suos transire sinito, neve ulla ope, juvato, hostes eosdem habeto, quos* P. R. *armaque in eos ferto, bellumque pariter gerito, perfugas, fugitivos reddito Romanis sociisque. Obsides* XL. *arbitratu Cos. Rom. dato, ne minores* XII. *annorum, ne majores* XL. *Obses ne esto prætor, præfectus equitum, scriba publicus, neu quis qui ante Obses fuerit apud Rom. Cephalenia extra pacis leges esto:* Et hic finis fuit Ætolorum potentiæ, quorum prætores & Duces Livius celebrat in IV. *Decade*, Physiam & contra Philippum Maced. Regem Archidamum, adversus eundem qui Thaumacos obsiderat, Thoantem in bello Antiochi, & Alexamenem qui Nabin occidit occupata Sparta.

Aper Calydonius & venatio illius.

Celebratur denique Ætolia Calydonia metropoli & Apro illo vastatore, quem Diana immiserat, quod primitiis frugum esset defraudata. Quem Meleager Oenei regis Calydoniæ filius indicta venatione publica, adhibitis sociis Theseo, Perithoo, Castore & Polluce, Jasone, Telamone & Peleo, Æaci filiis: Linceo Apharei filio, Leucippo, Phœnice Amyntoris filio, Hippothoo, Ida, Iolao, Eurytione, Philea, Pheretia, Panopeo, Hyleo, Hippaso, Hippocoonte, Lelege, Dryade, Oeclide Penelopes socero, Nestore & aliis plerisque, quos in VIII. *Met.* Naso eleganti carmine recenset, conficit magna totius Græciæ exultatione. Qui in venatione cum Atalantam Schœnii filiam (quæ & ipsa venerat eo habitu, quo Ovidius supradicto loco describit) vidisset, captus amore illius Meleager, & illam sibi conjunxit: & apri caput veluti victoriæ præmium, invitis patruis Thestii filiis Prothoo & Comete, quos & occiderat, donavit. Qua re mater indignata, & ob fratres cæsos, ultionis avida fatalem torrem igni submisit & filio stamina rapuit. Quam sive historiam sive fabulam lege apud Nasonem VIII. *Metam.*

Sparserat Argolicas nomen vaga fama per urbes.
Theseos, & populi, quos dives Achaia cepit,
Hujus opem magnis imploravere periclis.
Hujus opem Calydon, quamvis Melagron haberet,
Sollicita supplex petiit prece: causa petendi
Sus erat, infestæ famulus, vindexque Dianæ.
Oenea namque ferunt pleni successibus anni
Primitias frugum Cereri, sua vina Lyæo
Palladios flavæ latices libasse Minervæ.
Cœptus ab agricolis superos pervenit ad omnes
Ambitiosus honor, solas sine thure relictas
Præteritæ cessasse ferunt Latoidos aras.
Tangit & ira Deos. At non impune feremus;
Quæque inhonoratæ, non & dicemur inultæ,
Inquit: & Oeneos ultorem spreta per agros
Misit aprum; quanto majores herbida tauros
Non habet Epirus. Sed habent Sicula arva minores.
Sanguine & igne micant oculi, riget horrida cervix:
Et setæ densis similes hastilibus horrent:
Stantque velut vallum, velut alta hostilia sola.
Fervida cum rauco latos stridore per armos
Spuma fluit. Dentes æquantur dentibus Indis.
Fulmen ab ore venit; frondes afflatibus ardent.

Ad ejusmodi aprum alludit & Statius I. *Theb.* cum Tydei Oenei filii vestitum delineat:

Terribiles contra setis ac dente recurvo
Tydea per late humeros ambire laborant
Exuviæ Calydonis honos.

Calydonis urbis descriptio.

Calydonem porro provinciæ metropolim describit Strabo in *decimo*: *Post Eneum mons Chalcis est, quem Artemidorus Chalciam appellat, deinde Pleuron, deinde Lycirna pagus, cui Calidon incumbit stadia* XXX. *in mediterranea, prope Calydonem vero Lathræi Apoll. templum est, post mons Taphiasus.* Et subdit: *Quidam etiam penes Calydonem lacus est magnus sane atque profundus admodum, quem Patrarum Incolæ Romani possident.* Et rursus: *Cum vero sublimem,* inquit, *Calydonem & petrosam a loci natura capiendum est: fertur enim in bifariam ora divisa, montanam quidem & Epictetum,*

five postea adeptam, Calydoni attribuerunt. Tractum vero campestrem Pleuroni. Meminit Calydonis & Cæsar lib. III. *civilis historiæ*: ex his Calvisius primo adventu summa omnium Ætolorum receptus voluntate, præsidiis adversariorum Calydone & Naupacto relictis, omni Ætolia potitus est. Pausanias in VIII. refert Augustum Octa. Imperatorem devicto ad Actium Marco Antonio & Cleopatra, dentes Calydonis apri Romam transtulisse. Extabat vero Calydon Homeri ætate, cujus quippe mentionem facit libro *Iliados* IX. & XIV. & eam a situ, quod in petroso loco posita fuerit, altam cognominat. Reliquas Ætoliæ urbes Calydoni propinquas IV. *Thebaid.* Papinius paucis versibus comprehendit:

Huic quoque præstantes Ætolis urbibus adfert
Belli fama viros: sensit scopulosa Pylene,
Fletaque cognatis civibus Meleagria Pleuron,
Et præceps Calydon, & quæ Jove provocat Idam
Olenos sociis & fluctibus hospita portu
Chalcis & Herculea turpatus gymnade vultus.

Ætolorum coloniæ.

Et de Ætoliæ cum antiquitate tum principibus atque etiam civitatibus hactenus: quas vero hi populi colonias deduxerint in orbe, non satis compertum habeo, nisi quod Metapontum Italiæ sive potius magnæ Græciæ ab Æolis, unde Ætoli oriundi dicuntur, derivare videtur Diodorus in *quinto*. Priscis temporibus, cum ex filiis Æoli, qui fuit Hellenis ex Deucalione, natus, cæteri quæ dicta sunt loca habitarent, solus Mynas in Æolide regnavit. Ejus filius Hippotes ex Menalippe Æolum genuit. Hujus Arnem filiam Neptunus cognovit. Qua de re indignatus pater Metapontio advenæ, qui tum casu advenerat, eo pacto Arnen dedit, ut illam in Metapontum deduceret, ubi duos peperit filios Æolum ac Bœotum. Quos Metapontius liberis carens quodam motus oraculo adoptavit in filios. Hi jam viri facti orta vivente Metapontio seditione, Ægæum obtinuerunt, postmodum in dissensione Arnen & Antolippem peremere. Eam rem graviter ferente Metapontio, illi præparatis navibus, cum matre multisque amicorum mare ingressi. Æolus quidem ad insulas Tyrrheni maris appulit, quæ ab eo Æolides sunt appellatæ, civitatemque condidit, quam Liparam vocavit.

Metapontum unde.

Porro Titus Livius *libro* V. *Decade* III. Metapontinos ex Achaja derivat, forte intelligens Achajam illam antiquam quæ Ætoliam, Bœotiam, Phocidem, Locros, Trachiniosque complectebatur. Verba subjiciam: Hoc idem eadem ora maris & Thurini fecerunt, monuit eos non Tarentinorum magis defectio Metapontinorumque, quibus itidem ex Achaja oriundi etiam cognatione juncti erant. Strabo libro quinto *Geogr.* agri fertilitate Metapontinos Italiæ celebrat & aurea æstate. Ob quam causam crediderim illos & Cereris imagine, & arista sive spica moneta usos. Verba Strabonis subjiciam: *Inter Lunam & Pisas tractus est, quo Thusciæ ac Liguriæ termino plerique Scriptores usi sunt. Pisæ ab his conditæ sunt Pisanis, qui e Peloponneso cum Nestore adversus Ilium militarunt. Renavigantes autem errore disjecti, hi quidem Metapontum, alii vero Pisanum tenuerunt agrum, cuncti Pelii vocati. Duos autem inter amnes siti sunt in ipsorum congressione Arni scilicet & Æsacis.* Et subjungit: *Traditum est in fabulis cum primum hi amnes e montibus ferri cœperunt, atque ab indigenis vetitos, ne in unum confluentes, agros demergerent, pollicitos esse, regionem minime demersuros, fidemque servasse. Civitas autem ipsa fœlix* (loquitur de Metaponto) *quondam fuisse creditur, neque sane hoc tempore ignobilis aut obscura est propter frugum copiam.* Aliam Metapontiorum originem in VI. *Geogr.* Volaterranus recenset, Antiochus vero Metapontum post Locros a filio Sisyphi ejusdem nominis, quem barbari Metabum cognominabant, appellatam quandoque Siritin, & a Piliis esse ædificatum, & in agricultura fœlices Metapontinos, auream statuam Apollini dedicasse. Valentinus Maximilianus *libro* VIII. *capite* VI. Pythagora Philosopho hanc celebrat. Lege Livium *libro* VII. *Decade* III. App. ultimo libro *Belli Civilis*, Taranto proximum Metapontum describit. Porro veritati conformem esse illam, quam prius ex Diodoro adduximus, Metapontii in magna Græcia originem, & illam Ætolorum sive Æolorum coloniam esse, confirmant quæ supra ex Nasone recensuimus de Calydonio regno in Peucetio sinu a Diomede excitato, & Agrippa urbe condita: confirmant præterea & Æolides Insulæ proximæ Italiæ, & quæ de Minois stemmate in Sicilia Diod. eodem *quinto* tradit. Alterius ab Æolis deductæ in Cretam coloniæ meminit Diodorus in V. *Tectanus Dori* (ait) *filii Heleni ex Deucalione orti, cum Æolis ac Pelasgis in Cretam navigans insulæ imperavit, sumpta Creta in uxorem filium Asterium creavit. Quo in Creta regnante, Jupiter ut ajunt Europam ex Phœnicia raptam super taurum detulit in Cretam, ex eo tres genuit liberos, Minoem, Rhadamanthum & Sarpedonem.* Patet igitur Æolos præter colonias in Italia Agrippam & Metapontum & in Cretam insulam deduxisse. Quorum originem Diodorus primam, antequam scilicet in Calydoniam venissent ex Thessalia repetit. *Antea Bœotus* (inquit) *Arnes Neptuni filius migrans in Æolidem, quæ nunc Thessalia dicitur.* Huc nimirum alludens cecinit Maro III *Æneid.* cum Helenum vatem de periculis maris Æneam præmonentem inducit:

Insignia Metapont.

TAB. IV. fig. 3.

Colonia Ætolorum.

Effuge, cuncta malis habitantur mœnia Graiis.
Hic & Naritii posuerunt mœnia Locri,
Et Salentinos obsedit milite campos
Lyctius Idomeneus. Hic illa ducis Melibœi
Parva Philoctetæ subnixa Petilia muro.

Vellejus in fragmento *Historiæ suæ* refert Smyrnam, Mytelenem ac Myrinam Lesbi insulæ, nec non Larissam ac Cymen Æolorum colonias esse, unde Ætoli exorti sunt. Verba subjiciam. *Et mox Æoli eodem profecti Græcia longissimisque acti erroribus, non minus illustres obtinuerunt locos, clarasque urbes condiderunt Smyrnam, Cymen, Larissam, Myrinam, Mytilenemque, & alias urbes*

A *bes quæ sunt in Lesbo insula*. Meminit etiam Pausanias in VII. Smyrnam porro unam ex duodecim Æolensium urbibus, & eam regionis civitatem quæ mea etiam ætate Archæam id est, antiquam appellant, Iones facta ex Colophone irruptione Æolensibus ademerunt.

Insignia Ætoliæ.

Sed recipio me post longam digressionem ad insignia Ætoliæ, quorum invenio duplicia, unum & peculiare regni, Herculem Acheloum prosternentem, & cornu alterum adimentem. Id illi ab Oeneo rege propositum certamen fuerat, cum filiam conjugem peteret, quam similiter Achelous ambiverat, & se in varias animalium formas, tauri præcipue, draconis ac bovis transformaverat. Strabo in X. allegoriam esse & ex historia fabulam hanc Græcis fictam fuisse, asseverat, quippe ob sonitus & alveorum circumflexiones, quas cornua vocant, tauro comparatum, draconi vero propter aliquantam ipsius longitudinem, cumque Hercules mortales ac Reges præcipue orbis, qui se aliquo honore affecissent, beneficio remunerare consuevisset, Oeneo Ætoliæ regi ob filiam affinitate insuper conjunctum aggeribus & aquarum ductibus fluvium perperam & damnose labentem coercuisse.

TAB. IV. fig. 4.

B

C Cumque is abundantia ferretur ingenti cursu aquarum, propinquis Acheloo vastatis agris, in gratiam Oenei siccasse amnem, & in agros proximos effudisse, atque sic fœcundasse provinciam. Natam inde fabulam de cornu e fronte Acheloi dempto, quod Nymphæ repertum variis fructibus ac floribus repleverint. Suffragatur Straboni Diodorus V. *Bibliothecæ*; Hercules in Calydoniorum gratiam fluvium Acheloum in alium cursum divertens, plurimos agros ex aquæ irrigatione fertiles præstitit. Cujus rei & Poetæ quidam meminere scribentes cum Acheloo Herculem sub tauri specie certasse, qui cum in congressu tauri alterum cornu fregisset, Ætolis illud quod Amaltheæ cornu vocant dono dedisse, fructuum omnium, uvarum, malorum, aliorumque ejusmodi pomorum copia repletum. Fingunt poetæ Acheloi cornu fossam a fluvio ductam, pomis vero, ac malis punicis, ac racemis monstrari regionis fertilitatem, quam fluvii humor præstet & agros reddat feraciores. Hanc vero historiam rei ab Hercule gestæ circa Acheloum confirmant Echinades ad ostium Acheloi sitæ, haud procul Dulichia insula Laertis ac Ulyssis regnum, & in vicinia Ambracii sinus. Quas tam poetæ quam historici referunt ex limo & arena impetu fluminis Acheloi devicti in mare excitatas, canentibus Poetis, Statio XI. *Thebaidos*:

D

E

Turbidus objectas Achelous Echinadas exit.

Ovidio VIII. *Metamor.* Acheloum amnem loquentem inducens:

F

Amnis ad hæc, Non est, inquit, quod cernitis, unum.
Quinque jacent terræ: spacium discrimina fallit.
Quoque minus spretæ factum mirere Dianæ;
Naides hæ fuerant; quæ cum bis quinque juvencos

Mactassent; rurisque deos ad sacra vocassent;
Immemores nostri festas duxere choreas.
Intumui: quantusque feror, cum plurimus, unquam;
Tantus eram, pariterque animis immanis & undis;
A sylvis sylvas, & ab arvis arva revelli.
Cumque loco Nymphas, memores tum denique nostri,
In freta provolvi: fluctus nosterque marisque
Continuam diduxit humum, pariterque revellit
In totidem mediis, quot cernis Ebinadas undis.

Eadem ratione arbitror eo quod Nilus ex annua innundatione, limo ejecto agrum fœcundet; Ægyptios reges cornu copiarum insigni in moneta usos, & Romanos passim Imperatores cum Conone Ægyptio Italiam a penuria conservassent, mulieris cornu copias manibus gestantis Symbolum usurpasse, ut passim in antiquo numismate occurrit. Historiam vero illam seu fabulam de lucta Herculis cum Acheloo, eleganter describit Naso IX. *Metamorphoseon*, in persona Acheloi loquentis:

Insignia Ægypti.

Quæ gemitus, truncæque Deo Neptunius heros
Causa rogat frontis: cum sim Calydonius amnis
Cœpit, inornatos redimitus arundine crines;
Triste petis munus. Quis enim sua prælia victus
Commemorare velit? Referam tamen ordine, nec tam
Turpe fuit vinci; quam contendisse decorum:
Magnaque dat nobis tantus solatia victor.
Nomine si qua suo tandem pervenit ad aures
Deianira tuas, quondam pulcherrima virgo,
Multorumque fuit spes invidiosa procorum.
Cum quibus ut soceri domus est intrata petiti;
Accipe me generum, dixi, Parthaone nate.
Dixit & Alcides: alii cessere duobus.
Ille Jovem socerum dare se, famamque laborum,
Et superata suæ referebat jussa novercæ.
Contra ego: (turpe Deum mortali cedere dixi:
Nondum erat ille Deus) dominum me cernis aquarum
Cursibus obliquis inter tua regna fluentem;
Nec gener externis hospes tibi missus ab oris,
Sed popularis ero.

Et cum Luctas duas descripsisset, quarum una se Achelous in anguem transformaverat, subjungit in querelis Acheloi:

Injicit, angebar, ceu guttura forcipe pressus,
Pollicibusque meas pugnabam evellere fauces.
Sic quoque devicto, restabat tertia tauri

Forma trucis: tauro mutatus membra rebello.
Induit ille toris a læva parte lacertos:
Admissumque trahens sequitur, depressaque dura
Cornua figit humo, meque alta sternit harena.
Nec satis hoc fuerat: rigidum fera dextera cornu
Dum tenet, infregit, truncaque a fronte revellit.
Naiades hoc, pomis & odoro flore repletum,
Sacrarunt, divesque meo bona copia cornu est.
Dixerat, at Nymphe ritu succincta Dianæ
Una ministrarum fusis utrinque capillis
Incessit, totumque tulit prædivite cornu
Autumnum, & mensas, fœlicia poma, secundas.

Reperitur & alterum numisma triremis symbolo sculptum cum inscriptione ΛΕΥΚΑΔΟΣ, hoc est insulæ Leucadiorum, quam primis temporibus in continente Ætoliæ extitisse Ovidius XV. *Metamor.* & Maro difficilem ad hanc insulam navigationem esse autores sunt, ut ratio sit idcirco Triremis seu navis symbolo in moneta Leucadios usos, quos ponte junctos cum Actio & Apoll. phano, supra ostendimus; versus Poetarum sic habent. Virgilii; TAB. IV. fig. 5.

Mox & Leucadæ nimbosa cacumina montis,
Et formidatus nautis aperitur Apollo.

Ovidii:

Et Phœnissa Tyros, quarum nunc insula nulla est,
Leucada continuam veteres habuere Coloni
Nunc freta circumeunt.

FINIS LIBRI PRIMI.



AD INCLYTUM ET MAGNANIMUM DEI GRATIA BOHEMORUM REGEM

D. MAXIMILIANUM,

ARCHIDUCEM AUSTRIÆ, DUCEMQUE BURGUNDIÆ, STYRIÆ, CARINTHIÆ, CARNIOLÆ AC SILESIÆ, &c. MARCHIONEM LUSATIÆ, SLAVORUM, BURGOUTÆ ET ISTRIÆ, LANDGRAVIUM ALSATIÆ, COMITEM HABSPURGI, TYROLIS ET GORITIÆ, &c. DOMINUM SUUM CLEMENTISSIMUM,

WOLFGANGI LAZII

PRÆFATIO.



IN parte Operis libet præfari mihi, MAXIME REX MAXIMILIANE, non quod tanto opere fessus, quietem mihi aliam quæram, quam Musarum amœnissima prata, in illa nobis literarum palæstra præbent, sed quod te Principem eum videant omnes non literis magis, omnisque generis virtutibus, quam pietate & in parentem, & DEUM OPT. MAX. reliquos sui loci excellere, & quod afflictiss. hoc seculo turbatis etiam Provinciarum tuarum rebus asylum apud T. R. D. unicum, miseris cum literis bonis, tum earum alumnis constitutum esse constet, ipse emenso tanto itinere cum totam Helladis oram maritimam & mediterraneum agrum pervagatus sim; & ad Atticam modo terram anchoram jecerim, Peloponnesum ingressurus, ad te, REX MAX. orationem convertere tandem decreverim, recordatus illius, quem Athen. ingeniis impenderunt recti cultus, simul quod Philosophorum cœtus hi aluerunt, quorum vestigiis tuam modo Majestatem insistere cernimus, magna cum laude & admiratione bonorum omnium, qui non solum de bonis literis meritos optimos quosque & juvas & evehis, verumetiam instructiss. bibliothecam omnis generis linguarum lib. non sine sumptu appares, continere sane me non potui, sed nec debui, quin medio itinere, ceu meridiando ad tuam, REX MAXIME, Munificentiam diverterem, fœlicique omine Atticam, tibi terram & illi cohærentem Peloponnesum Peninsulam, quam Moream hodie vocant, vel Modonæ ac Coronæ urbium expugnatione patrui Divi Caroli Quinti auspiciis vulgo notam, multis quondam ac præstantibus regnis cultam, & in qua omnis Græciæ vis consistebat, videndam proponerem: non quod ea satis digna tanto principi exstant, sed quod Sereniss. T. R. D. Fabii Maximi Æmiliani Romani Herois illius (cujus tibi fato nomen est expressum) dicti recordari debeat, qui dicere solebat, absurdum videri, si cum equos & canes familiaritate ciboque cicuremus passim, potius quam catenis & verberibus, homines feroces animo non similiter humanitate & beneficis nobis conciliemus, sed asperiores in illos simus, quam agricolæ in caprificos ac malos sylvestres ac oleastros, qui has non protinus excidunt, sed insitione docent mitescere.

Tametſi autem adulationis ſit turpiſſ. crimen, ac Ageſilaum illum heroa Græcum ſecutus, ſtatuas ac laudes non admodum moreris, tamen ex inſita pietate & in literas, religionemque amore facile videmus te, qui literas colimus hujuſmodi genere cumprimis delectari, & beneficiis, quæ in harum alumnos confers, vel cum Munificentiſſ. noſtræ tempeſtatis Principibus certare. Ferunt Demetrium Macedoniæ regem Antigoni filium cum Megaram cepiſſet, Stilponis philoſophi domum diligenter ſervari juſſiſſe. Id quod de Marcello Rom. cum Syracuſas expugnaſſet, ſimiliter proditum eſt, qui Archimedem Mathematicum maxime ſervatum cupiebat. Sed ut maneamus in primo exemplo, in prædam vocata domo admonitus Stilpo, ut libellum daret omnium rerum quas amiſiſſet: Ego, inquit, bonorum meorum nihil amiſi, nam eruditio & eloquentia mihi ſunt incolumes. Hæc præclara, quæ cum principes illuſtriores reddunt, cum mecum ipſe volutarem, feſſus jam itinere tanto, in eo potiſſimum loco ad R. T. D. exſcenſionem facere volui, ubi omnis generis artes docebantur, ac ampliſſimi fuerant Philoſophorum cœtus, hoc eſt, Attica, idque feci, non quod plurimum R. T. D. ex his meis lucubrationibus accedere ſperem, quod & re ſubito confectæ ſunt, & colophonem hic conſequi non potuerunt, ſed quod cum Diogene illo Cynico in tanta doctorum contentione, meum etiam dolium movere voluerim. Qua in re ſi ſcopum ubique non attigerim, eo magis veniam R. T. D. concedet, quod popularis ſim Viennæ in patria Majeſtatis tuæ natus, ſacratiſſimi etiam Domini & parentis tui Divi Ferdinandi Cæſaris, & ſervitio & ſtipendio obnoxius, hæc omnino decere arbitrabar, ac eis præcipue ex Principum ordine fructum laborum meorum conſecrare viſum erat, quibus & ſerviam, & de quibus ſpem ampliſſimam concepi fore, ut aliquando ſplendidiſſimam Græciam e tyranni ſæviſſimi jugo vindicent, ac Auſtriæ gloriæ adjiciant. Et cum duplex Græcia vetuſtis Geographis ſit conſtituta, eam partem S. T. R. D. patrocinio ſubjecimus, quæ & nobiliſſ. fuit, & ingeniis armiſque plurimum valuit, ut de Athen. ſileam, qui reliquos facile omnes Græcos, de quibus diximus, vicerunt. Ea eſt autem Peloponneſus famigeratiſſ. peninſula illa Græcorum cum adjacentibus Inſulis in regna quondam XIII. ſubdiviſa Ægiali, ſive Sicyoniæ, Corinthi, Nemeæ, Argolidis, Tirynthi, Mycenarum, Trœzenæ, Epidauri, Laconicæ, Meſſeniæ, Pyli, Elidis & Arcadiæ. Quam Pauſanias præſtantiſſ. ille Geographus his verbis delineat. Incolunt autem Peloponneſum, Mediterranea cum hi, tum Arcades alii, primi enim ad Iſthmum Corinthi habitant. Corinthiis vicini ſunt in locis maritimis Epidaurii. Ad Epidauron, Trœzenen & Hermionem extenditur ſinus Argolicus, & ſi qua ſunt alia terræ Argivæ loca maritima. Regno huic contigui ſunt Lacedæmon. accolæ. His finitima Meſſenia. Extenditur enim ad mare Mothonam uſque & Pylum & Cypariſſias. Qui autem Lechæum Sicyoni habitant juxta Corinthios, in ea Argolidis parte ſunt poſtremi poſt Sicyonem Ægialum, ſive littus Achæi incolunt. Alteram vero Peloponneſi extremitatem, ex adverſo Echinadum Elei tenent. Eleorum terra terminatur cum Meſſenia juxta Olympiam

& Alphæi oſtia. Ad Achajam Dymæorum ſunt limites, ut ſunt modo enumerati ad mare cum pertingant; in medio Arcades habitant, mari undique concluſi, unde eos & Homerus non propriis, ſed acceptis ab Agamemnone navibus ad Trojam eſſe profectos. Hæc ille de provinciis Peloponneſi. Quarum hoc commentario poſtremis tribus demptis, ſitum, civitates, pagos, promontoria, montes, fluvios, rivos, paludes, nemora, templaque & Sarcophagos. Initia præterea ac migrationes pop. Heroum ac Regum ſtemmata, conſuetudines, rituſque, colonias denique alio deductas, ac inſignia ex antiqua moneta deſumpta, autorum claſſicorum teſtimoniis adductis ita, eoque ordine explicavi, ut me operæ precium feciſſe, & hiſtoriarum, Poetarum, Geographorumque ſtudioſis rem & utilem & gratam non dubitem, cum tot nodos, & multa obſcura in Poetis interpretatus ſim, in cujus rei ſcopum prolixe loca autorum inſeruimus, neque in hoc ſumptui pepercimus, ut candidi lectoris animum demereremur. Adjecimus & Chorographiam propriam mea manu cælatam, & inſigniorum ſymbola ſculpi fecimus, ut nihil deeſſet ad ejus Græciæ ſectionis ſplendorem. Quæ tamen Baſileæ omnia in ſecunda editione ornatiora & auctiora propediem Deo auſpice prodibunt. Nam quod ad colophonem Peloponneſum non deduxerimus, Chalchographorum tarditas in cauſa fuit, & quod tempore excluſi recte cum Naſone conqueri poſſumus:

Non tamen illa legi poterant patienter ab ullo:
Neſciat hic ſummam ſi quis abeſſe manum.
Ablatum mediis opus eſt incudibus illud,
Defuit & ſcriptis ultima lima meis.
Et veniam pro laude peto, laudatur abunde,
Non faſtiditus ſi tibi lector ero.

Hoc truncatum igitur opus, quod paucis menſibus in membra ſua omnia, & quidem nitidius compoſitum efformabitur, Sereniſſ. Rex ſub nomine D. parentis tui, tuiſque auſpiciis in publicum prodire paſſus ſum, qui reliqua genera diſciplinarum ubique juvare ſoletis, & liberalitatem eam optimo cuique declaratis, de qua Dionyſium ferunt, Regem Siciliæ ſeniorem, cum ad filium ingreſſus vaſorum aureorum ac argenteorum ingentem vim conſpexiſſet, dixiſſe, non eſt, inquit, in te regius animus, quod his poculis, quæ a me tu multa accepiſti, neminem tibi amicum feceris. His me ſtudiaque commendo Sereniſſ. R. T. Dignitati.

CARMEN AUTHORIS
AD
MAXIMILIANUM
INCLYTUM REGEM.

M agnus ab Emathiis, qui regnum extendit ad Indos
A Macedum populo, & victor pervenit ad Istrum,
X erxis habens numerum, Aonidum non sprevit alumnos,
I n cælumque vehens doctos, hos juvit ubique
M agnus erat generis, qui vestri Carolus olim
I n multas victor Christi cum dogmate gentes
L ate abiit pugnans, templis reparavit honores
I n Fabiis Martis quoque vidit Roma labores,
A nte alios meruit titulo hæc gens maxima laudem.
N os tua dona simul te mirum cernimus uno,
U nus enim tribuis quis Æmiliane favorem
S ustolis divas ad sydera Maxime Musas,
R arus & exerces animum pietatis amantem,
E t Christi simul & Martis bona castra secutus
X ystice cum superes nomen tibi Maxime justum est.
X enion huic dedimus Pelopis quam scripsimus oram.

WOLFGANGI LAZII
MEDICI ET HISTORICI CÆSAREI,
GRÆCIÆ ANTIQUÆ,
VARIIS NUMISMATIBU ILLUSTRATÆ,
LIBER SECUNDUS.
DE ATTICA, EUBŒA, INSULISQUE CYCLADIBUS, ET PELOPONNESO.

CAP. I:
DE ATTICA ET ATHENIENSIUM URBE.



Attica, in qua ante Iones ab Ione Xuthi filio Helleni nepote & Achæi fratre eo traductos, Thraces coluisse Strabo in VII. autor est. Delineatur a Ptolomæo & Strabone, ab Ortu quidem mari quod ex Euripo defluit, ac Eubœam angusto freto distinguit, quodque septies in die reciprocare Plin. *lib.* VII. *cap.* XCVII. autor est. (ubi portus olim erant celebres Rhamnus, Bofter, Thoricum & Sunium illud famigeratissimum promontorium, quod a Pyræeo Athen. aberat stadia CCCXXX. & unde Cyclades in Ægæo mari Insulæ dispersæ jacent, quarum celebriores Delos, Naxos, Andros, Corissa, Seriphus & aliæ quamplures.) Ab Occasu vero Cephiso flu. Corydalo, Lycabetto, ac Brylesso montibus, ipsaque Megaridis Provincia, quam tamen aliqui Atticæ includunt. A Septentrione Asopo fluvio & a Meridie maris Ægei parte, ubi sunt Cyclades, & ex his nobiliores, Ceos, Scythus, Helena, Atalanta, Salamine & Ægina. Quo denique limite portus quondam orbi frequentati fuerunt. Hiphormus, Panormus, & prope Athenas Munichius ac Piræeus, cum Scyronis petra: *Marathon* (inquit Mela *lib.* II. *cap.* III.) *magnarum, multarumque virtutum testis jam inde a Theseo Persarum maxime clade pernotus: Rhamnus parva, illustris tamen, quod in ea fanum est Amphiarai & Phidiaca Nemesis: Thoricos & Brauron, olim urbes, jam tantum nomina. Sunium promontorium est, finitque id littus Hellados, quod spectat ad Orientem. Inde ad Meridiem terra convertitur, usque ad Megaram, Atticæ ut modo latere, ita nunc fronte Pelago adjacens. Ubi est Piræeus Athen. portus Scironia saxa, sævo quondam Scironis hospitio etiam nunc infamia. Megarensium tractus Isthmon attingit.* Hunc tam late patentem agrum (ut interim de Athen. urbe Metropoli dicamus) Thraces primum omnium incoluisse, Strabo in VII. author est, cum ait: *Danai vero ab Ægypto profecti, Dryopes, & Caucones, & Pelasgi, & Leleges, & alii id genus terras intra Isthmum & extra partiverunt. Agrum Atticum venientes cum Eumolpo Thraces tenuere. Aulidem porro Phocidis Tereus. Ex aliquorum quoque vobabulis Barbaricum ipsum manifestatur, ut sunt Cecrops, Codrus Æclus, Cothos, Drymas, Crynanus. Thraces vero & Illyrii & Epirotæ ad hos usque in lateribus insident, quanquam longe magis antea quam nunc, ubi contradicebat nullus, & in præsentia magnam Græciæ partem Barbarorum natio habitat. Thraces quidem Macedoniam & plerasque Thessaliæ partes.* Hæc ille.

Limites Atticæ.

Thraces Incolæ Atticæ.

Hinc factum arbitror, quod perpetuum semper commercium fuerit cum Thracibus Athen. Namque & Thereus rex Thracum Prognen Pandionis regis Athen. filiam duxisse fertur uxorem, qui sororem illius Philomelam navigio accersitam compresserat, Deorum miseratione, cum se in mare conjecisset, in avem sui nominis conversam, ut est apud Ovid. VII. *Metam.* & posterioribus temporibus Athen. Iphicrate duce Seutem Thraciæ Regem regno restituisse historiæ tradunt, qui Cotys regis Thracum filiam Tharsam in matrimonio habuerat, & ex ea Menestheum genuerat. Similiter Timotheus Cononis filius Cotym Thraciæ regem legitur Athen. subjecisse. MCC. tal. tributo, ut de cæteris fileam. Atque de primis Atticæ incolis hæc, quibus vel expulsis, vel adjunctis verisimile est Xuthum Hellenis filium, ejusque rursus natum Ionem, Græcos eo in agro constituisse, unde Iones in Attica colere cœperunt, qui postea expulsi ab Achæis Peloponnesiacis, Tisameno duce, in Asiam littoralem commigravere, undecim ibi constructis civitatibus, quod videlicet in solo natali habuerant. Quarum nomina postea famigerata fuerunt, Colophonia, Pergamus, Elæa, Pryene, Myus, Phocæa, Ephesus, Clazomenus, Erethria, Cnydus, Miletus, Halicarnassus. Quam transmigrationem aliqui contigisse ductu Iolai, Thebani Herculis ex sorore nepotis, alii sub Codri filiis Nileo & Androclo.

Iones in Attica.

Scitum est quod Pausanias in VII. scriptum reliquit, mortuo Hellene reliquos ejus liberos Xutum Thessalia expulisse, crimine hoc intentato, quasi pecuniæ nonnihil paternis bonis subtractum in rem suam convertisset. Eumque Athenas cum profugisset Erechthei filiam in matrimonium accepisse, & ex ea Achæum, & Ionem filios tulisse. Et cum arbiter constitutus a sororiis, Cecropi natu maximo regnum adjudicasset a cæteris pulsum in Ægialo exulasse. Unde postea Achæus filiorum alter Thessaliam, alter vero Ion Atticam occasione oblata oc-

Iones ex Attica in Asiam.

Iones ex Attica in Peloponnesum. *TAB. IV. fig. 6.* cupavere. Verba Pausaniæ subjiciam: *Contra Ægialenses porro & Selinuntem eorum regem cum exercitum conscriberet Ion missis legatis Selinas unicæ quam habebat filiæ Helicæ ei nuptias offerebat, regnique hæredem ipsum Ionem designabat. Hæc quia Ioni non displicebant, Imperium Ægialensium post Selinuntis mortem suscepit. Helicen item oppidum ab uxoris nomine in Ægialo condidit, & Ionas a suo nomine incolas appellavit. Sub Ionis Imperio cum bellum adversus Athen. gererent Eleusinii, & Ionem Athen. belli ducem accersierant, obiit is in Attica, ejusque monumentum in Potamiorum municipio extat. Posteri vero Ionis, Ionum imperium obtinuerunt, donec ipsi cum populo ab Achæis sunt expulsi.* Huc pertinet quæ Cicero scribit in oratione *pro Lucio Flacco: Quanquam quis ignorat qui modo unquam mediocriter res istas scire curavit, quin tria Græcorum genera sint vere, quorum uni sunt Athen. quæ genti Ionum habetur, Æoles alteri, Dores tertii nominabantur. Iones bello adflictos & passim in Asiam* *Achæi incolæ Atticæ.* *pulsos sequebantur in Attica Achæi ex Peloponneso huc pulsi, quorum initia repetuntur ab Achæi Ione fratre.* De qua transmigratione Pausan. in VII. hæc nominatim adnotavit. Archander Achæi filius, & Architeles ex Phthiotide Agros sunt profecti, & Danai ibi generi facti Auromaen quidem Architeles duxit, Scæam vero Archander. Cæterum Argis eos permansisse, non minimum hoc est argumentum. Metanasten enim, id est, exulem, filium suum Archander appellavit. Cum itaque multum & Argis & Lacedæmone, Achæi liberi possent, factum est, ut ejus loci homines Achæi appellarentur. Tunc itaque Lacedæmone & Argis ejecti a Doriensibus, misso caduceatore ab Ionibus petierunt, ut communicato incolendi jure, ipsos cum rege Tisameno Orestis filio absque bello in terram reciperent. Ionum autem Regem timor invasit, nisi consociarentur cum suis Achæi, Tisamenum ob fortitudinem & generis gloriam communibus suffragiis regem crearent. Sic igitur Iones repudiata Achæorum petitione, cum arma cepissent, Tisamenus quidem cecidit in prælio, Achæi vero victos Iones ac Helicen compulsos, obsidione cinxerunt, & impetratis postea conditionibus discedere permiserunt. Ionas posthæc in Atticam profectos, Athenienses & Rex eorum Melanthus Andropompi filius imparem juris, libertatisque conditionem receperunt, propter Ionem & facinora ejus, quæ ediderat cum Atheniensibus bello præesset. Ajunt præterea Athen. cum suspectos haberent Dorienses, ne quid intentatum relinquerent, non tam benevolentia adductos, quam amplificandæ domesticæ potentiæ causa, recipisse in hanc æqualitatem Ionas. Et hactenus de genere incolarum Atticæ terræ, *Dii tutelares Atticæ.* & eorum origine, pro cujus tutela Poetæ Neptunum cum Pallade pugnasse finxerunt, quod tam maritimis rebus, ac omnium rerum emporio, quam scientiarum, Philosophorumque asylo floruisset semper.

Vetustas Atticæ. De cujus terræ antiquitate multa forent dicenda, sed nos Gigantum monumenta dumtaxat considerabimus. Quorum Ægæon Titanis ac terræ filius mari allabenti nomen *Gigantes Atticæ.* reliquit, qui uno ictu centum scopulos in Jovem contorsisse dicitur, centum catenis idcirco a Jove ac Neptuno scopulis maris alligatus, quod ab eo nomenclaturam fortitum esse diximus. Pausanias in *Atticis* ossa se quædam insolitæ magnitudinis, partim conspexisse, partim audivisse a fide dignis, in finibus Atticæ, ac Insula Salamina, testatur. Ænactis videlicet terræ filii cadaver x. cubitorum. Item Hylli terræ filii ingentia ossa, unde fluvio nomen inditum, & a fluvio Herculis filio. Præterea Ajacis, cujus ossa gemino disco adolescentis Pentathli paria fuerant: denique Protophanis cujusdam, cujus costæ nullo interstitio divisæ fuerant. Ægæonis sane gigantis prostrati a Jove in mari Attico, meminit Papinus v. *Thebaidos*;

Diis Pelagi, ventisque & Cycladas Ægæoni
Amplexo, commendo patrem, nec fletibus unquam
Fit modus alternis ni jam dimittat Eoo
Lucifer astra polo: tum demum littore rauco
Multa metu reputans, & vix confisa Lyæo.

Et ut in Attica provincia maneamus, non solum ex antiquitatis prærogativa laudem hæc quondam præ cæteris Græciæ regnis merebatur, verumetiam ob tot commoda, quæ vix alias una sola in provincia reperias. Nam & Hymettum montem hæc habet melliferum, Argentique fodinas Lauri nomine, Lapidicinas Peutelicas, & emporium toto orbe terrarum famigeratissimum apud Piræeum & Munichium. Transeo celebratissima templa Minervæ Athenis, Cereris Eleusinæ in via sacra, Veneris in Coliæo prope Athenas, & non procul Cereris Almusiæ, Themidis, Minervæ Suniadis, & Dianæ Brauroniæ. Tumuli quoque heroum hac una in provincia plures quam in tota Græcia extabant, ut de Gigantibus, de quibus præfati sumus, sileam, Xuthi sane, Eresichthonis, Cranai, Cecropis, Codri, Cephisidori, Anthemocriti, aliorumque in Attica quondam cernebantur. Imo ea tota via qua supplicatio Eleusina instituebatur, heroum tumulis repleta fuerat, sacra idcirco vocata.

In ipsa denique Atheniensium urbe sepulchra visebantur Lyci, ejusque filii Thrasibuli, Periclis, Chabriæ, Phormonis, Leagri, Sophonis, Melampi & Macartati, qui in bello contra Lacedæmonios ac Bœotios occubuerant, Clæonei, Clysthenis, Melesandri, ac equitum illorum Thessalorum, qui Atticæ auxilio venerunt adversus Peloponnesios & Archidamum. Excellebat ea tellus, & in re militari longe præstantissimis viris ac Oratoribus, Philosophisque & Poetis non solum qui ibidem quasi ex professo docebant, verum adeo qui istic in lucem editi fuere. Quales fuere ex ducibus Thrasybulus, ejusque pater Lycus, Conon, Iphicrates, Chabrias, Timotheus Cononis filius, Phocion, Milciades, Themistocles, Aristides, Cimon Milciadis filius, & Alcibiades Cliniæ filius. Reliqui Poetæ extitere Menander, Euripides, Anacreon & Æschylus. Cicero in *Bruto* Periclem & Thucydidem Athen. eloquentia extollit, scribens, ad Atticum: *Lucent Athenæ tuæ, qua in urbe primum se Orator extulit, priusquam etiam monumentis & libris oratio est cœpta mandari.* tamen antePericlem, cujus scripta quædam feruntur, & Thucydidem, qui non nascentibus Athenis, sed jam adultis fuerunt. Ibidem & Lysiam ex- *Ingenia clara Atticæ.*

A extollit. Catonis autem orationes non minus multæ fere sunt quam Attici Lysiæ, cujus arbitror plurimas esse: est enim Atticus, quoniam certe Athenis est & natus & mortuus, functus omnium civium munere. Fulgebant & civitates Atticæ præter Athenas, Marathon & a Marathone patre Corinthi regis, Tauri reliquiis ab Hercule occisi, Milciadisque victoria, & Macarii fonte celebris, cui nomen indidit Macaria Herculis ex Deianira filia, quæ se in victimam pro fratribus suis obtulit. Cum Eurystheus rex eos persequeretur, & oraculum respondisset, oportere unum ex liberis Herculis mortem oppetere.

Insigniores civitates Atticæ.

B In Myrrhinusa Diana Colænia venerabatur a Colæno Rege, qui istic ante Cecropem rerum potiebatur. In Acarna Apollo Agyleus & Hercules apud Alemusios, Ceres legifera, & Proserpina ad Ægospotamos: ubi Athen. a Spartanis cæsi fuere.

Ædificia clara Athenis.

Sed has omnes urbes longo post se inter vallo relinquebant Athenæ non solum amplitudine urbis (ut in qua, præter conventicula celeberrima, maxima ædificia constructa fuerant, Prytaneum, in quo quingenti cum Archonte conveniebant, Prætorium, Lyceum, C Museum & Academia, ubi doctorum cœtus convenire solebat, & Theatrum) verum adeo Politia & Reipubl. longe maxime ac optime constitutæ administratione, ut nihil addam de emporio mercatorum, qui ibi frequentes convenire solebant. Hujus urbis situm & qui illi propinqui sunt portus affabre describit Philostratus, cujus versionem afferre placuit: *Juxta Phaleri portum templum est Cereris & Scyrados Palladis delubrum, pauloque posterius Jovis Aræ, deinde Deorum, qui Agnoti appellantur, & Heroum & filiorum Thesei & Phaleri, quem Athen. ajunt cum Ja-* D *sone in Colchos navigasse. Est & Androgei Minois filia ara Herois appellata. Colias promontorium* XX. *stadiis ab urbe distat, quo Medorum dissipatam classem maris quondam æstu detulit.* In ea est Veneris Coliadis delubrum & Genethyllides nominatæ Deæ. Et cum Piræeum delineasset, Piræeus priscis temporibus non navale, sed portus erat, priusquam Themistocles Rempublicam administraret. Nam Phalero, qua parte ab urbe quam minimum distat, pro navali utebantur. Hinc E Menestheum fama est in Trojanos solvisse, multoque ante Theseum ob Androgei Minois filii necem pœnas daturum. Cæterum Themistocles cum animadvertisset Piræeum navigantibus fore commodiorem, tres in eo portus pro uno Phalero construxit, in quorum maximo ipsius Themistoclis extat tumulus. Nam Athen. eorum pœnitentia ducti, quæ in Themistoclem commiserant, ejus ossa ex Magnesia translata tumulo condiderunt. Palladis præterea & Jovis lucus in Piræeo conspicitur.

Situs & portus Athenarum.

F Idem de Munichio portu ac Chersoneso: Piræeus, ut in proverbiis legimus, Insula prius erat, unde & nomen, quod in eam transiretur, cujus in extremo Munichius definiens Munichiæ Dianæ sacellum erexit, in quo genitam ursam cum Athen. interfecissent, fames eos invasit, qua tum demum eos liberatum iri prædixit Deus, cum filiam quispiam Deo sacrificasset. Quod Euribatus ea lege pollicitus, si per totam vitam sacerdotium in familia sua permansisset, filiam exornatam immolavit.

A Et de Ceramico concludens: Ceramicus locus est in Attica editus, ubi Athen. singulis annis lampades chori certamen celebrabant. Duo autem erant Ceramici, unus intra, alter extra urbem, quorum in altero meretrices versabantur. Ad Ceramici dexteram porticus extra cognomento regia, ubi Rex sedet, qui annuum regit magistratum, regnum appellatum. In hac porticu statuæ sunt fictiles, Theseus Scyronem in mare abjiciens, & Aurora Cephalum ferens, quem pulcherrimum ab Aurora & dilectum & raptum tradunt, B natumque ex utroque Phaetonta. Et de Athenis hactenus, quæ sive ab Atthide Cranai filia, sive Minerva urbis patrona (ut quam pro Attica cum Neptuno certasse ferunt, unde & templum insigne ejus Deæ in arce fuerat, & cujus imagine in moneta usa urbs reperitur) cognominatæ fuerint, satis constat in Attica rerum potitos, vel ante diluvium etiam Actæum primum omnium, a quo Actæa dicta est, unde canit Naso:

Nomen Atticæ unde.

Reges Atticæ. Actæus Rex.

Separat Actæis Aonios Phocis ab oris.

C Is cum filia regnum Cecropi tradidit, qui Lycaonis Arcadiæ principis tempestate floruit, & primus Athenarum urbis fundamenta jecit, a quo & Cecropia cognominata fuit. Unde scribit Pausanias in *Arcad.* Meo autem judicio Cecrops rex Athenarum, & Lycaon eadem tempestate vixerunt. In rebus autem sacris diversa consilia sunt secuti. Ille enim & Jovem Hypatum supremum nominavit, & res animatas nullas censuit immolandas, sed bellaria quædam patria ad aram sacrificavit, quæ etiam nunc Athen. Pelanus vocant, id est, molam ex farina tenuissima confectam. Lycaon autem infan- D tulum aræ Jovis Lycæi impositum immolavit, & ad aram sanguinem libavit. Genuit autem Cecrops ex Actæi filia Aglaure filias Hersen, Aglauren, & Pandrosam (quibus infantem colligatum obtulisse Pallada Ovid. II. *Metamorphos.* canit) & unam masculam prolem Erisichthona, qui ante patrem obiit, cum a bello peracto sacrificio domum navigaret, submersus. Filiarum autem Aglaure ex Marte tulit Alcippem, quæ compressa ab Alirotho Neptuni filio Aglauron, & ex Mercurio Cerycen peperit, Eumolpi Eleusinorum regis conjugem. Unde est illud Naso- E nis XI. *Metam.*

Cecrops Rex.

Filiæ Cecropis.

Orgia tradiderat cum Cecropio Eumolpo.

Herse denique ex Mercurio Cephalum tulit ab Aurora adamatum & raptum. Ad quod respiciens cecinit Naso de Æaco & Insula Ægina loquutus, quo pacem petiturus adnavigaverat, VII. *Metamorph.*

Attica puppis adest, & portus intrat amicos:
Quæ Cephalum, patriæque simul mandata ferebat.
Postquam congressu primo sua verba tulerunt
Cecropidæ, Cephalus peragit mandata, rogatque
F *Auxilium, fœdusque refert & jura parentum:*
Imperiumque peti totius Achaidos addit.

Idem Epist. IV. *Phædræ ad Hippolytum:*

Clarus erat Cephalus sylvis, multæque per herbas
Conciderant, illo percutiente, feræ.
Nec tamen Auroræ male se præbebat amandum.
Ibat ad hunc sapiens a sene diva viro.

Cephali familia.

Cephalus Tirichtonum reliquit, & is Phaethonta, qui Astynoum Cypri regem Cinyræ

illius patrem reliquit, qui cum Myrrha propria filia per nutricem suppofita concubuisse fabulis fertur, nata post incestum cum patre commissum per Arabiam errabunda, & in arborem sui nominis versa traditur. Quam Ovidius x. *Metamorphoseon* post multas lachrymas, quæ in fucci forma emerserant, Lucinæ ope Adonin genuisse refert venatorem illum ab apro interfectum. Sed redeo ad Atticæ Reges, quorum Cranaus, qui etiam Autochthon, jam tum Cecropi sine mascula prole extincto successerat, ipso tempore diluvii Deucalionis. Et cum unicam filiam genuisset Attidem (unde & Attica nominata est, quæ antea Actæa, Cecropiaque dicebatur) Amphictyonem generum successorem habuit, qui Bacchum fertur convivio excepisse, & socerum interfecisse. In cujus ultionem Erichthonius Vulcani & Terræ filius (utpote ex semine Vulcani, cum Minervam amaret, in terram projecto natus pedibus serpentinis) Amphictyonem occidit, qui ad tegendam corporis turpitudinem, cum non auderet incedere, curru primus dicitur invectus, testantibus Poetis. Virgil. lib. III. *Georg.*

Cranaus Rex. *Amphictyon rex.*

Erichthonius rex.

Primus Erichthonius currus, & quatuor ausus
Jungere equos, rapidisque rotis insistere victor.

Ovidius IX. *Metamorph.*

Jasiona Ceres: repetitum Mulciber ævum
Poscit Erichthonio.

Is Erichthonius in regno Atticæ filium reliquit Pandiona, qui ex Xeusippa matris suæ sorore genuerat Erechtheum, Procrin Cephali conjugem & Creusam Xutho nuptam, quæ ex Apolline pariter fertur Ionem tulisse. Floruit vero Erechtheus Trojani belli tempore, Homero teste, ad quem alludit Naso VII. *Metam.* cum canit:

Procris erat; si forte magis pervenit ad aures
Orithyia tuas, magnæ soror Orithyiæ.
Si faciem moresque velis conferre duarum,
Dignior ipsa rapi; pater hanc mihi junxit Erechtheus.

Prosapia Erechthei. Cæterum Erechtheus ex Xuthea genuit Cecropem secundum, Orneum, Metionem, Pandoram, Orithyiam, & Aglauron. Quarum Orithyiam Boreas fertur rapuisse, & ex ea tulisse Zethen, Calaim, Cleopatram Phynei conjugem Plexippi matrem, & Chionem, quam ex Neptuno imprægnatam fabulæ ferunt Eumolpum tulisse. Aglauros autem Orithyiæ soror, authore Ovid. II. *Metam.* ab Mercurio in saxum transformatur. Ab Orneo præterea Pyleus descendit Menesthei parens, qui cum Agamemnone ad Ilium profectus est, ut est apud Homerum in *Catalogo navium* ex versione Hessi, cum de Erechtheo rege loquitur:

Hunc primum regem claris præfecit Athenis
Templum, ubi nunc illi cives statuere ferentes
Annua sacra, aras adolentes bobus & agnis.
Hos tunc ducebat patria virtute Menestheus
Maximus, huic nemo poterat certare regendis,
Aut etiam ornandis vel equis, vel in arcta locandis
Agmina militibus tantum quod major & annis
Atque usu rerum Nestor foret, unus in illa
Laude fuit certare ausus, tunc navibus ille
Quinquaginta aderat patriasque reliquit Athenas.

De quo Papinii illud VII. *Theb.* accipiendum est:

Cædere, vix unus Phlegyas acerque Menestheus.

Et rursus:

Gnosiacos arcus habet, & vaga tela Menestheus.

Metionem porro rerum fuisse Athenis potitum familia Metionidarum, quæ multis postea annis inter reliquas ea in urbe claruit, ostendit. Sicyonem is reliquit, qui Sicyoniæ nomen proximæ ac primæ in Peloponneso provinciæ indidit, ac filiam reliquit Chronophylam matrem Polybi, sed ex Mercurio Sicyoniorum Rege, qui filiam Talao Biantis filio nuptui dederat Argivorum Regi, apud quem & Adrastus exulaverat, & cui etiam in regno Sicyoniorum successerat. Sic igitur fratribus in aliis provinciis rerum potitis, Cecrops secundus Atticæ regnum retinuit. Idque accidisse auxilio Xuthi Hellenis filii Achæi & Ionis parentis, qui sororem habebat in matrimonio, Pausanias VII. scribit: Reliquit Pandionem secundum Regem Atticæ, qui auxilio Regis Thracum Terei, Ponti Regem Athenas obsidentem profligavit, & Prognem huic filiam in præmium laboris uxorem conjunxit. Barbarus vero cum Philomelam sororem ex Attica adduceret, cum ea in stabulis ex itinere concubuit haud procul Thracia, & ne scelus indicare posset lingua præcisa miseram reliquit, mentitus quod a patre abducere nequisset. Verum cum Philomela sorori in linteo notis quibusdam significasset, Progne re insolita territa, sororem mutam ex stabulis abduxit, ac consilio communicato filium communem Itym in Bacchanalibus marito epulandum proposuit, fugientibus ambabus ad littus maris, & in aves sui nominis conversis. Quam sive historiam sive fabulam lector prolixe apud Ovid. VI. *Metamorphoseon* leges. Ubi nominatim hi versus leguntur:

Metio Rex. *Sicyon rex.* *Cecrops secundus.* *Pandion secundus rex.*

Barbara Cecropios terrebant agmina muros.
Threicius Tereus hæc auxiliaribus armis
Fuderat, ac clarum vincendo nomen habebat:
Quem sibi Pandion opibusque virisque potentem,
Et genus a magno ducentem forte Gradivo
Connubio Prognes junxit.

Et sequitur in versu:

Quaque erat ortus Itys, festam jussere vocari.
Usque adeo latet utilitas. Jam tempora Titan
Quinque per autumnos repetitis duxerat annis,
Cum blandita viro Progne, Si gratia, dixit,
Ulla mei est, vel me visendam mitte sorori;
Vel soror huc veniat: redituram tempore parvo
Promittas socero, magni mihi muneris instar
Germanam vidisse dabis. Jubet ille carinam
In freta deduci, veloque & remige portus
Cecropios intrat, Pyræaque littora tangit, &c.

Is Pandion filios genuit Lycum, qui Antiopam Nerei sibi conjunxerat a Jove in specie Satyri compressam, & Ægeum Thesei patrem, qui & Pandioni patri in regno Attico successit, cum diu ante exulasset. Quippe Pandion Rex a liberis Metionis patrui ejectus apud Pylum Megarensem Regem exulaverat, utpote cujus filiam Peliam secundis nuptiis copulaverat, & ex ea Nisum Megarensem Regem genuerat, quem aureos fabulæ ferunt capillos habuisse, in quibus omnis vigor animi corporisque consistebat, cujus rei gnara filia Scylla, a Minoe rege Cretensi tum Megaras obsidente corrumpitur, ut quæ ejus fuerat capta amore, demptisque patri capillis se, patrem, patriamque hosti

Ægeus rex Athen.

prodidit. Niso ipso Rege in avem sui nominis converso, & Scylla filia cum amasium nave sequeretur, circa Scyllæum promontorium submersa, vel ut alii ferunt e navi a Minoe præcipitata, canente Nasone VIII. *Metamorph.*

Nox intervenit, tenebrisque audacia crevit.
Prima quies aderat, qua curis fessa diurnis
Pectora somnus habet: thalamos taciturna paternos
Intrat: & (heu facinus) fatali nata parentem
Crine suum spoliat, prædaque potita nefanda
Fert secum spolium sceleris, progressaque porta
Per medios hostes (meriti fiducia tanta est)
Pervenit ad Regem: quem sic affata paventem.
Suasit amor facinus: proles ego Regia Nisi
Scylla tibi trado patriamque meosque Penates.
Præmia nulla peto, nisi te: cape pignus amoris
Purpureum crinem, nec me nunc tradere crinem,
Sed patrium tibi crede caput: sceleratque dextra
Munera porrexit.

Porro habuit & alteram Nisus filiam Iphinoen, quæ ex Megareo tulit, Evippum ab apro Cithæronio occisum, Thimalcum a Theseo interfectum & Alcathoum, qui aprum illum postremo confecerat, patrem Callipolis, Etheopolis, & Periboiæ. Dum hæc transmigratio fit a Niso, matrimonium etiam ab eodem contrahitur cum filia Pyli Regis Megarensis, interea frater Nisi Ægeus filiis Metionis jam interfectis paternum Athen. regnum cum fratre Lyco recepit. Quorum Lycus ab Amphione & Zetho, quos Jupiter ex Antiopa Lyci uxore genuerat, occiditur: quod matre pulsa (quæ videlicet in Cithærone illos monte pepererat) Dircen superinduxisset, & ex eadem Callirrhoen filiam tulerat, quæ Diomedem transeuntem a bello Trojano in amorem sui pellexerat, & cum ea relicta in Italiam abivisset, laqueo se suspenderat. Sunt qui pulsum a fratre Ægeo ad Aphareum Messeniæ Regem fugisse, & orgia magnorum Deorum eo tulisse scribant, & ab eo Quercetum Lyci in Messenia denominatum esse. Itaque rerum in Attica solus Ægeus potitus, cum Æthram filiam Pythoi principis Trœzenorum duxisset, ex ea Theseum genuit, & mortuo socero Trœzenam Atticæ adjecit. Idcirco Neptuni filius creditus, quod maris dominus effectus esset, quod ab ipso Ægeum nuncupatur. Ferunt hunc Æthra mortua alteram duxisse conjugem Medeam Colchidem a Jasone repudiatam, unde Medum filium generavit, canente Nasone VII. *Metamorph.*

Lycus Rex. *Ægeus rex.*

Excipit hanc Ægeus, facto damnandus ab uno:
Nec satis hospitio, thalami quoque fœdere jungit.
Jamque aderat Theseus proles ignara parenti.
Qui virtute sua bimarem pacaverat Isthmum.
Hujus in exitium miscet Medea, quod olim
Attulerat secum Scythicis Aconiton ab oris.

Plura lege apud Diodorum *lib.* V. qui pulsam ab Ægeo Medeam refert veneficii accusatam a Theseo, ex rege quodam Asiæ Medum suscepisse, qui Mediæ regioni nomen dedit, ad quod alludens cecinit Ovidius *loco* proxime *citato:*

Agrestes Aconita vocant: ea conjugis astu
Ipse parens Ægeus nato porrexit, ut hosti.

A *Sumpserat ignara Theseus data pocula dextra;*
Cum pater in capulo gladii cognovit eburno,
Signa sui generis: facinusque excussit ab ore:
Effugit illa necem, nebulis per carmina motis.

Huic Ægeo Minos Cretensis rex bellum intulit ob cædem filii Androgei, victoque tam duras imposuit conditiones, ut quotannis septem Juvenes sorte lectos Atheniens. in Cretam Minotauro monstro devorandos mittere coacti fuerint. Id tribus annis cum
B perfecissent, quarta sors obtigit Theseo filio Regis. Quem non sine dolore abeuntem pater monuerat, ut si Minotaurum occidisset, mutato velo reverteretur. At Theseus admonitionis paternæ oblitus ductis secum regalibus filiabus cum atro velo in patriam rediret; Pater procul e turri contemplatus, filium obiisse existimans, in mare se præcipitem dedit, quod ab eodem altera & repetita occasione, Ægæum denominatum fuit, canente Ovidio *ibid.* *Theseus Rex.*

Nec tamen (usque adeo nulli sincera voluptas,
C *Sollicitumque aliquid lætis intervenit) Ægeus*
Gaudia percepit nato secura recepto.
Bella parat Minos: qui quanquam milite, quanquam
Classe valet, patria tamen est firmissimus ira:
Androgeique necem justis ulciscitur armis.

Patri itaque submerso non ita multo post filius Theseus in regno Atticæ succedit. Cujus labores ac pericula non minus quam Herculis extollebant Græci. Quorum primo perfunctus est adversus Amazonas, ex quarum
D numero debellatarum Antiopen, vel secundum quosdam Hippolytam matrimonio sibi conjunxit, & ex ea Hippolytum genuit, ad quem Phædra noverca apud Ovidium scribit: *Labor primus Thesei.*

Prima securigeras inter virtute puellas
Te peperit, nati digna favore parens.
Si quæras ubi sit? Theseus latus ense peregit:
Nec tanto mater pignore tuta fuit.

Secundum in nuptiis Perithoi fidelissimi socii contra Centauros subiit, canente Nasone XII. *Metamorph.* *Secundus labor Thesei.*

E *Eurytus Hippodamen, alii, quam quisque probabant,*
Aut poterant, rapiunt. Captæque erat urbis imago.
Fœmineo clamore sonat domus; ocyus omnes
Surgimus: & primus, Quæ te vecordia, Theseus,
Euryte, pulsat, ait, qui me vivente lacessas
Perithoum, violesque duos ignarus in uno?
Neve ea magnanimus frustra memoraverit heros;
Submovet instantes, raptamque furentibus aufert.

F Tertius labor in tauro Marathonio absolutus est, ad quem scilicet alludens canit in VII. *Metam.* Ovidius: *Tertius labor.*

—— Nec non & carmina, vino
Ingenium faciente, canunt: te maxime Theseu
Mirata est Marathon Cretæi sanguine Tauri.

Statius V. *Thebaid.*

Hic & ab adserto nuper Marathone superbum
Thesea, & Ismarios Aquilonia pignora fratres,
Utraque quis rutila stridebant tempora penna.

Quartus labor. Quartum laborem suscepit cum Jasone, A & Argonautis in Colchidem, fuitque illi socius, cum & Draconem occideret & aureum vellus auferret, unde est illud Papinii v. *Theb.*

Dum labor ille viris, fretaque indignantur & Austri,
Desuper invalidis fluitantia tela lacertis,
(Quid non ausa manus?) Telamona & Pelea contra
Spargimus, & nostro petitur Tirynthius arcu.
Illi quippe simul bello pelagoque laborant: B
Pars clypeis munire ratem, pars æquora fundo
Egerere.

Quintus labor. Quinto labore ac periculo exemptus est, cum Meleagrum Calydonium Oenei filium, & fratrem Tydei in venatione apri Calydonii juvaret, quemadmodum VIII. *Metamorphoseon* Ovidius canit:

Sparserat Argolicas nomen vaga fama per urbes
Theseos: & populi, quos dives Achaja cepit
Hujus opem magnis imploravere periclis:
Hujus opem Calydon quamvis Meleagron haberet, C
Sollicita supplex petiit prece: causa petendi
Sus erat, infestæ famulus, vindexq; Dianæ.

Et enumerans omnes qui venationi interfuere, iterum cecinit:

Lecta manus juvenum caluere cupidine laudis,
Tyndaridæ gemini, præstantes, cæstibus alter,
Alter equo, primæque ratis molitor Jason,
Et cum Perithoo fœlix concordia Theseus.

Hunc laborem sequitur victoria celeberrima illa & Atticæ longe utilissima, quam de D Minotauro monstro illo Siculo reportavit. Cui quotannis septem Juvenes sorte electos devorandos exhibere Athen. cogebantur: ad quem alludens canit Ovid. in VIII. *Metamorphoseon*:

—— Jam lamentabile Athenæ
Pendere desierant Thesea laude tributum,
Templa coronantur, bellatricemque Minervam
Cum Jove disque vocant aliis, quos sanguine voto
Muneribusque datis & acerris thuris honorant. E

Idem in *Epistola Ariadnes ad Theseum*:

Viveret Androgeos utinam: nec facta luisses
Impia funeribus Cecropi terra tuis;
Nec tua mactasses nodoso stipite Theseu
Ardua parte virum, dextera parte bovem.
Nec tibi, quæ reditus monstrarent, fila dedissem,
Fila per adductas sæpe recepta manus.

In eo discrimine secundam Theseus comparavit uxorem Ariadnen filiam Minois, utpote quæ illum e Labyrintho liberaverat. Qua tamen relicta in Chio Phædram sororem F sponsæ abduxit Athenas, ex eaque genuit Demophoonta & Acamanta, qui Pausania teste x. *Bœot.* Trojano interfuit bello. Unde in *Epistola* apud Ovidium, Ariadne conqueritur de fide Thesei, cujus etiam VIII. *Metamorph.* meminit:

Protinus Ægides, rapta Minoide, Diam
Vela dedit, comitemque suam crudelis in udo
Littore destituit: desertæ & multa querenti
Amplexus & opem Liber tulit: utque perenni
Sydere clara foret, sumptam de fronte coronam
Immisit cœlo.

Ovid. in *Epistola Ariadnis*:

Mitius inveni, quam te, genus omne ferarum.
Credita non ulli, quam tibi, pejus eram.
Quæ legis, ex illo, Theseu, tibi littore mitto,
Unde tuam sine me vela tulere ratem.

Et rursus:

Thesides Theseusque duas rapuere sorores.
Ponite de nostro bina trophæa domo.

Adiit præterea periculum non minimum, cum Latrones, Polipemonem, Procrusten, Schœnim, & Scironem in finibus Isthmi conficeret Theseus, unde Schœnuntis sinus & Scironides petræ nomina accepere. *Schœnuntis sinus. Scironidæ petræ.* Historiam sive fabulam narrat Diodorus in v. *Et primum eum qui dicebatur Corynetas externorum interfectorem sustulit, hoc usum nomine a Coryna quod genus armorum est ad ulciscendum accommodatum. Secundum qui in Isthmo erat Scinim, qui duas flexas pinus utrique alligato hominis brachio sursum dimittens, corpus discerptum maximo cruciatu afficiebat. Delevit insuper Scironem habitantem ea loca Megaræ, quæ ab eo Saxa Scironia vocantur. Hic viatores cogebat, ut se ipsos præcipiti jactarent loco, deductos super scopulum abruptum homines, calce in mare juxta Chelonem projiciebat. Sustulit etiam juxta Eleusinam Cercyonem certantem cum prætereuntibus atque ab se victos perimentem. Deinceps Procrustem occidit in loco terræ Atticæ, qui dicitur Cordyalus, habitantem. Hic viatores cogebat super lectum ascendere, quo si longiores forent parte supereminente amputabantur; qui vero breviores, pedibus distendebantur.* Ad quam victoriam multiplicem alludens Naso VII. *Metamorph.* cecinit:

Jamque aderat Theseus proles ignara parenti:
Qui virtute sua bimarem pacaverat Isthmum.

Et paulo infra:

—— nec non & carmina, vino
Ingenium faciente, canunt: te maxime Theseu
Mirata est Marathon Cretæi sanguine Tauri:
Quodque suam securus arat Cromyona colonus;
Munus, opusque tuum est: Tellus Epidauria per te
Clavigeram vidit Vulcani occumbere prolem:
Vidit & immitem Cephisias ora Procrustem.
Cercyonis lethum vidit Cerealis Eleusis.
Occidit ille Sinis; magnis male viribus usus.

Et rursus:

Tutus ad Alcathoen Lelegeia mœnia limes
Composito Scirone patet, sparsisque Latronis
Terra negat sedem, sedem negat ossibus, unda:
Quæ jactata diu fertur durasse vetustas
In scopulos, scopulis nomen Scironis inhæret.

Octavo labore Creontem Thebarum Regem mortuos in bello sepelire vetantem occidit. *Octavus labor.* His junguntur alii labores. Namque interfecerat post Cithæronium Leonem ab Alcathoo occisum, Timalcum Megarei regis filium, qui Nisi gener fuerat, cum Castoris & Pollucis auxilio Aphydnæ bellum inferret, qui Evippi erat frater, a Leone Cithæronio occisi. Idem Helenam Menelai uxorem, ante Paridem rapuit, & intactam dimisit. Qua de re Helena in *Epistola* XVIII. *ad Paridem* apud Ovidium his verbis conqueritur:

An quia vim nobis Neptunius intulit heros,
Rapta semel, videor bis quoq; digna rapi?
Crimen erat nostrum, si delinita fuissem:
Cum sim rapta, meum quid nisi nolle fuit?
Nec tamen e facto fructum tulit ille petitum
Excepto redii passa timore nihil.

Theseus ad inferos. Postremum denique ac proximum omnium illud discrimen subierat Theseus, quando cum Perithoo amicissimo ad rapiendam Proserpinam ad inferos descendit. Quippe juramento se astrinxerant, non nisi Jove natas ducturos, cumque Theseus Helenam ante Paridem Jovis ex Leda filiam rapuisset, & interea nulla superesset ex Jovis stirpe, ut Proserpinam socius Perithous compararet, auxilio fuit. In quo discrimine etiam Perithoo a Cerbero occiso Theseus a Plutone capitur, ad quem liberandum postea Hercules descendit. Ad quod alludens canit sub persona Phædræ uxoris in absentia mariti, Hippolyto privigno amorem persuadentis. Ovid. in *Epistola Phædræ ad Hippolytum*:

Tempore abest, aberitque diu Neptunius heros:
Illum Perithoi detinet ora sui.
Præposuit Theseus (nisi nos manifesta negemus)
Perithoum Phædræ, Perithoumque tibi.

Theseus igitur cum diu rerum in Attica potiretur, eique Trœzene regnum adjecisset & Panathenæa in honorem Minervæ instituisset, & in Isthmo funebres ludos, tot perfunctus laboribus ac periculis postremo senex in exilium agitur, ubi quod regis Thesprotiæ uxorem rapere voluisset, in vincula conjicitur, quibus liberatus in insulam Syrum navigavit, & ibi a Lycomede interficitur, prognatis filiis ex Amazone quidem Hippolyto, qui se vivo fraude novercæ ab equis discerptus est: & ex Phædra Creten. Demophoonte & Acamante, quos a patre occisos mater ad Hippolytum privignum apud Ovid. *loc. cit.* conqueritur hoc carmine:

Addidit & fratres ex me tibi: quos tamen omnes
Non ego tollendi causa, sed ille fuit.

Ossa quidem Thesei multis post annis Cimon Milciadis retulit eversa Scyro. Porro historia Hippolyti sic se habet; Cum studio conservandæ castitatis hominum consortia devitans assidue in sylvis venationibus sese exerceret, a Phædra noverca, quam pater mortua Amazone Ariadnæ sorori superinduxerat, adamatur, tam vehementer, ut illum de stupro etiam compellare non vereretur. Quæ passa repulsam apud patrem falsi criminis detulit, eumque ita in filium concitavit, ut patrem Ægæum jam Deum marinum factum invocaret, quo Hippolyto currum agitanti juxta mare Phocas immitteret. Quibus emissis equi territi currum rapuerunt, ipsumque Hippolytum discerpserunt, quo facto impatiens amoris Phædra laqueo vitam finivit. Qua de re lege *Epistolam Phædræ ad Hippolytum* apud Ovidium. Ipse tamen Hippolytus quamvis discerptus, precibus Dianæ quam venatione coluerat, restituitur vitæ ab Æsculapio Apollinis filio, quem postea Dea in Arteium nemus deduxit & Ægeriæ Nym-

A phæ curandum tradidit, eumque Urbium appellavit quasi bis virum. Virgilius tamen VII. *Æneid.* Virbium filium Hippolyti facit ex Aritia nobili fœmina, cum canit:

Virbium insignem quem mater Aritia mansit.

Sed redeo ad fratres Hippolyti. Quorum secundum quosdam (qui iram patris declinaverant) superstes Demophoon ex Æthra genuit Aphidam principem Athen. & ille rursus Oxynthum, qui Thymœten, & ille Melanthum, primum reliquit Athen. Regem, qui Periclymenem, cujus filius Penthylus,
B nepos Boreas, pronepos Andropompus extitit. Unde scribit in *Corinthiacis* Pausanias, Almeonem Scyllæ filium, Transimedis nepotem & Pisistratum Pisistrati filium, Pæonis item liberos Antilochi nepotes. Cum his quoque Melampum filium Andropompi qui Boreæ filius, hic Penthyli, hic Periclymenis filius fuit. Tisamenus igitur & filii ejus cum exercitu in terram eam, quæ nunc Achaja dicitur, pervenerunt. Nelidæ reliqui excepto Pisistrato (hic enim ad quos se contulerit ignoro) Athenas sunt profecti: ab his Pæonidarum genus & Alcmæonidarum
C nomen accepit.

Sed Melanthus regnum ThymœtæOxynthi filio ereptum occupavit, ultimus ex Theseidis Thymœtes, hic Athenis regnavit. *Melanthus rex.* Hujus Melanthi secundi filius Cordus ille fuit, qui pro patria occubuit in bello Peloponnesiaco oraculi gnarus, quod hostibus Apollo dederat, tunc demum se Athen. superaturos, si eorum regem non occidissent. Itaque pauperis habitu, jurgiis & cædibus mortem in sese convertit. Reliquit autem Codrus Androclum filium, qui mutato solo in Asiam *Codrus Rex.*
D abiit, cum non minima manu Atticorum, ac se Ionibus illis conjunxit, quos ex patria quondam Ion Xuthi filius colonos in Asia littorali ante secula deduxerat, de quibus seorsim cum Athen. colonias attingemus, dicturi sumus. Et quanquam Androcli fratres Medon & Nelius Athenis mansissent, deposito tamen imperio, & privatam vitam agentes duas familias excitarunt Medontidum & Nelidum.

Unde scribit IIII. *Messen.* Pausanias: *Athenis autem nondum eo tempore erant, qui forte lecti annuum imperium administrabant. His*
E *enim a Melantho qui Medontidæ principio sunt appellati, populus magnam provinciæ partem eripuit, & pro regno alium in imperium substituit, qui reddendis rationibus fuit obnoxius, postea autem decennium eis in imperio præscripserunt. Tunc autem occupata Amphia quintum annum Athen. Æsionides Æschyli filius imperabat.* Hæc ille.

Et hæc sunt initia Archontum qui decennio primum administrabant, & rationem reddere plebi de gestis cogebantur. *Archontes Athen.* Ex quorum numero fuere (ut e multis paucos recenseamus) Hippomenus Olympiade XIII. quo
F tempore Messenii a Spartanis victi fuere, & Olympiade XXIII. Tlesias, & rursus Olympiade XXVIII. Autosthenes, ac in Leuctrica pugna Astæus, ut de cæteris innumeris sileam. Dionysius Halicarn. Anco Martio Romæ regnante Damasium celebrat, Livius Lernem *Decade* IIII. Diodorus *libro* XVI. Lycisci Olymp. CIX. & sequenti Eubuli. Et rursus *libro* XIX. Olymp. CXVI. Demogenis & Democlidis meminisse videtur.

Eligebantur autem Archontes illi adscito

qui in Pritaneo D. consilio jura dicere solebant ex tribubus. Tempus autem magistratus non idem semper fuit, ut Velleii verbis utar. Tum Athenis perpetui Archontes esse desierunt, cum fuisset ultimus Alcmæon, cœperuntque in denos annos creari: quæ consuetudo in annos LXX. mansit, ac deinde annuis commissa est magistratibus Resp. ex his qui denis annis præfuerunt, primus fuit Charops, ultimus Eryx: ex annuis primus Creon sexta Olympiade post duos & viginti annos quam prima constituta fuerat. Porro Archontes illi eligebantur ex familiabus, quarum insigniores erant præter Medontidum, Nelidum, & Alcmæonidum, & Metionidarum, Epanimiorum, Æacidarumque, cujus fuerat Alcibiades, Jacidum, in qua Milciades floruit, Acamantidum, in qua ad famam Pericles venit, Leontidum, unde Themistocles oriundus fuerat, Antiochidum, cujus gentis Aristides fuerat, & cujus nomen Cæsarium numisma cum imagine noctuæ inscriptionem gerit, ut in symbolis præmissis lector cernes. His prosapiis adjectæ sunt a Ptolomæo, Attalo, Miso & Hadriano Imperatore novæ gentes.

Familiæ Athen.

Hinc est quod scribit I. *Dec.* IIII. Livius: *Honores regi primum Attalo immodici, deinde Rhodiis habiti, tum primum mentio illata de tribu, quam Attalida appellarunt, ad decem veteres addenda.* Tulerat enim is Rex Athen. adversus Macedones auxilium; ab Hadriano vero quod tribum denominarent Athen. puta ex Romanis conflatam, merita ejus Cæsaris in causa fuere. Nam & vias in Isthmum refecit, & templum Jovis Olympici a Deucalione Athenis inceptum & extructum ab Augusto, Hadrianus mirum in modum exornavit.

In his igitur omnibus prosapiis sive tribubus, qui rebus præclare gestis patriæ operam præstiterunt, ac sibi æterni nominis gloriam reliquerunt, operæ precium est, ut quædam subjungam: THRASYBULUS Lyci filius, quod patriæ a Spartanis, eorumque tyrannide præ se libertatem pepererit, celebratur historiis, occupato siquidem Piræeo portu & Phyla castro, ac Critia Duce XXX. tyrannorum occiso, Rempublicam nobilem in integrum restituit, donatus idcirco ab illa, Oleaginea corona & centum jugeris.

Thrasybulus Dux Athen.

Is præterea bello Peloponnesiaco communibus cum Alcibiade consiliis, multa præclara pro patria gessit, & tandem plenus annorum in Sicilia obiit. Sic Alcibiades Cliniæ filius, privignus Periclis, gener Hipponici, eloquentiss. Socratis discipulus, eodem bello Peloponnesiaco adversus Syracusanos egregie decertavit, nihilominus tamen absens immerito damnatur, insimulatus, quod sacra violasset & domi suæ mysteria sacrorum haberet præter patriæ morem. Quæ indignitas optimo viro causa fuit, ut Thurios in Italiam, & inde Elidem, postremo Thebas profugeret, & ad postremum Spartam, cujus incolas cum adversus patriam ingratam solicitaret, quo majori id bellum nervo susciperent, autor erat fœderis illius, quod Lacedæmones cum Persis percusserunt. Is quoque Delium in finibus Atticæ docuit præsidio firmare, ut quasi in perpetua Athen. obsidione forent. Verum cum à Spartanis insidias metueret, ad Tisaphernem præfectum Darii se contulit. Interea intercedentibus Thrasybulo Lyci filio & Therameno, patriæ restituitur, a quo tempore Spartanos ita afflixit, ut tum primum Athen. vincere didicerint. Siquidem terrestribus & III. navalibus præliis Spartanos Athen. fuderunt. Nec contentus hac victoria profectus in Asiam Ioniæ civitates patriæ subjecit, Byzantio pariter fracto. Sed cum ad Cymen Asiæ minus prospere rem gessisse videretur, denuo in odium suorum incidit, tanquam corruptus a Persis Cymam capere noluisset. Rursus igitur relicta patria se ad Achæos contulit, & tribus communibus castellis prope Patras, copias adversus Seuthem Regem Thraciæ duxit, neque tam inimicos spiritus contra patriam gessit, quin Philoclem prætorem Athen. adversus Lysandrum ducem Spartanorum & armis & consilio juverit, eumque ad Ægos flumen castris exuerit, nihilominus utrisque invisus ad Thraces & ab his ad Pharnabazem in Asiam fugit, ubi per insidias occiditur.

Alcibiades Dux

Eisdem ferme temporibus Iphicrates Athen. Dux Seuthem Regem Thraciæ socium populi Athen. regno restituit, & adversus Ægyptios auxilio vocatus ab Artaxerxe, egregie pugnavit: subsidioque Lacedæmoniis profectus, Epaminondæ & Thebanorum consilia fregit. Donatusque matrimonio Cotyis Regis Thracum filiæ Philippo Amyntæ Macedoniæ Rege mortuo, Eurydicen cum filiis defendit, & ex Thrace uxore Tharsa nomine genuit Menestheum.

Iphicrates Athen. Dux.

In eadem præterea Repub. Conon bello Peloponnesiaco claruit prætor, Pheras coloniam Lacedæmon. cepit, quo tempore ad Ægos flumen Athen. a Spartanis victi erant. Quapropter patria a Spartanis subjecta, se ad Pharnabazum contulit, Artaxerxis in Ionia præfectum, & generum, cui adversus Tisafernem, qui a Persis defecerat, & Agesilaum Spartanorum Ducem Tisaferni auxilio venientem & manu & consilio opem tulit, instructaque classe ex Phœnicibus & Ionibus Lysandrum Spartanorum Ducem apud Cnidum navali prælio superavit, & exinde victor in patriam reversus, mœnia a Lysandro diruta, ac Piræeum refecit. Postremo cum Athen. Ionibus colonis suis libertatem recuperare conarentur, a Tirabazo Sardorum præfecto Persa, per insidias exploratus interficitur.

Conon Dux.

Hujus filius Timotheus socer Menesthei, qui Iphicratis filius fuerat, Samum, Corcyram, Byzantios ac Olynthios Athen. subegit, & adversus Cotym Thraciæ Regem bellum gerens mille ac ducenta talenta ad prædam in ærarium tulit. Cyzicum præterea obsidione liberavit, & ab Ariobarzane, Erichthonem & Seston recepit. Chaones denique & Athamanes socios populi Romani effecit, & breviter imperium maris a Spartanis occupatum patriæ restituit, pulsus nihilominus in exilium, insimulatur quod Chereti prætori in capienda Samo assistere noluisset. Obiit in Chalcide Eubœæ.

Timotheus Dux.

Hos sequitur Milciades Cimonis filius, Chersonesum Thraciæ & Lemnum Caribus ejectis Athen. subegit, & quod fidem excedit, Darium & Persas ad Marathonem exercitu exultantes ducentorum millium peditum, XII. millibus equitum & classe quingentarum navium, ipse vix X. millibus instructus, vicit, & ad naves turpi fuga redire coegit.

Milciades Athen.

Eubœam insulam a Barbaris vindicavit. Subjecit patriæ & Parum Insulam. Hic cum dedentibus pepercisset, accusatus corruptionis condemnatur, & cum solvendo non esset, in vincula conjicitur, in quibus & mortem obiit.

Cimon Dux. Cujus filius Cimon, cum ob patris mulctam in publica custodia esset, neque solvendo foret, Elpinices uxoris auxilio liberatur, quæ Calliæ diviti Juveni in hoc nupserat relicto Cimone, ut illum qui & maritus & frater erat suis opibus liberaret. Claruit autem Cimon is studiis belli, nam & Thraces ad flumen Strymonem fugavit, & urbem in finibus Amphipolin constituit, & eo decem millia Athen. coloniam deduxit, apud Mycalem Cypriorum & Phœnicum classem vicit, & ex Cypro Dolopes ejecit. Thasos præterea opibus fretos suo adventu fregit, & arcem denique Athenis ad meridiem ex manubiis construxit. Ob hæc tanta merita cum & summus pauperum patronus esset, decem tamen annorum exilio mulctatur, sed gratis mox animis revocatur, cum Athen. a Spartanis bellum immineret, obiit in expeditione maritima cum CC. navibus in Cyprum missus fuisset.

Themistocles. Excelluit bellica laude in Republica Ath. & Themistocles Neoclis filius, qui cum Piratas centum navium classe vicisset, Corcyram insulam patriæ subjecit. Et cum Xerxes Persarum Rex cum iis copiis quæ fidem humanam excedunt Græciam ingressus fuisset, Themistocles intellecto Apollinis oraculo, cum ducentis navibus adjectis centum sociorum hosti obviam progressus, ad Myrrhinusium inter Eubœam & Atticam conflixit, cujus denique ad Salaminem penitus classem dissipavit. Et quo patria tantas procellas sustinere posset, triplicem Piræei portum primus constituit, novis navalibus in ruinis antiquæ civitatis erectis, adhæc mœnibus Athenas novis circumdedit. Ob quæ tamen beneficia Argos in exilium agitur. Unde ejectus Corcyram, & ex ea ad Admetum Molossorum regem venit, a quo cum ad supplicium peteretur, navigio clam in Asiam transfretavit: exceptusque Ephesi ad Artaxerxem regem, Xerxis filium se contulit, a quo donatus Magnesia & Myonesia urbibus diem suum extra patriam obiit. Cicero in *Bruto* refert ex Thucydidis autoritate clam in Attica humatum & suspicionem fuisse veneno sibi mortem conscivisse.

Aristides Athen. Aristides quoque Lysimachi filius, cui *Justi* cognomen erat inditum Themistoclis synchronus Prætor victoriæ apud Platæas de Mardonio relatæ interfuit, fuitque autor Athen. ut in Delo Insula ærarium constitueretur ad classem sustinendam, in quam quotannis CCCCLX. talenta penderentur, nihilominus X. annorum exilium sustinere coactus in tanta paupertate obiit, ut filiæ publico alerentur.

Chabrias Dux. Aristidi Chabrias Dux succedit, auxilio missus Bœotiis ac Thebanis, Agesilaum Spartanum castris exuit. Nectanabim inde Ægypti regem in regnum restituit. Cyprum quoque devicit, ab Athen. Evagoræ adjutor datus, & postremo cum patriæ ducem gerit, in bello adversus Chium insulam, obiit.

Cydias dux. Pausanias in X. Cydiam quendam in bello contra Galatas celebrat: *Ex Athen.* inquit, *Cydias omnium fortissime pugnavit, & ætate adhuc juvenis, & qui eo in conflictu primum belli rudimentum posuerat. Scutum ejus ut a Gallis est interfectus Jovi liberatori cognati dedicarunt, addita inscriptione.*

Tolmides Dux. Idem Tolmidem in *primo* celebrat hisce verbis: *Tolmides Dux classis ab Athen. electus tum alios afflixit, tum maritimam oram Peloponnesi & Lacedæmoniorum, item navalia ad Gythæum incendit, & ex finitimis Eubœam & Cithæroniam insulam cepit, postea cum in Scyroniam movisset, & agrum undique popularetur, cum hostibus qui occurrerunt, signa contulit, eosq; in fugam versos ad urbem usq; est persecutus. Posthæc Athenas reversus in Eubœam & Naxum Athen. colonias deduxit. Ipse cum exercitu in Bœotiam impetum fecit, magnaq: terræ parte vastata & Cherronæa ex obsidione capta in Haliartum agrum est progressus, ubi & ipse in prælio cecidit, totusque exercitus succubuit.* *Colonia Athen.*

Olympiodorus Dux. Idem *l.* I. Olympiodorum laudibus in cœlum tollit, scribens: *Est ibidem Olympiodorus cum ab aliarum rerum quas gessit magnitudine gloriam adeptus, tum quod maxime in tempore civium animos corroboravit, qui ob continuas clades consternati, nihil boni in posterum sperabant. Adversum enim prælium ad Cherronæam omnibus Græcis malorum origo fuit, & inprimis eos ad servitutem redegit, qui vel securi domi desederant, vel Macedonibus se adjunxerant.* Et subdit: *Statimq; qua poterant celeritate Olympiodorum Ducem designarunt. Is vero exercitum ex senibus pariter & juvenibus collectum adversus Macedones duxit, & animorum promptitudine magis quam multitudinum robore, bellum prospere se confecturũ speravit. In pugnam ubi ventum est Macedones prostravit, & in Musæum fugere compulit, castellum cepit, & sic Macedonum imperio liberati sunt Athen.*

Solon Athen. legislator. Adde quæ de Solone legislatore Athen. refert Val. Max. *l.* V. *Jam Solon qui tam præclaras, tamq; utiles Athen. leges tulit, ut si bis perpetuo uti voluissent, sempiternum habituri fuerint imperium, qui Salamina veluti hostilem arcem saluti eorum imminentem recuperavit, qui Pisistrati tyrannidem primum vidit orientem, solus armis opprimi debere palam dictitare ausus est. Senectutem Cypri profugus exegit, neq; ei in patria, de qua optime meruerat, humari contigit.*

Phocion Athen. His adnumerandus est Phocion, qui tametsi virtute præstaret, patriam tamen Macedonibus prodidisse fertur, una cum Demetrio Phalereo ac Demade, cum Nicanori Cassandri profecto, Piræeum portum tradidisse. Ac licet Demosthenes patriæ auxilium quoad posset præstaret, veluti ex orationibus ejus liquet; illo tamen urbe exacto, Phocion sub Macedonico regno summas tenuit, donec Polipercontis ope Nicanor Cassandri Attica pulsus esset, tum & Phocion damnatus, undecimviris ad supplicium traditur. Hujus defectionis Athen. a Macedonico imperio & Alexand. Magno meminit Q. Curtius *lib.* X. *cap.* II. *Et Græci haud ausi imperium aspernari, quanquam solvendarum legum id principium esse censebant; bona quoque quæ extarent, restituere damnatis. Soli Athen. non sui modo, sed Reipublicæ vindices, colluvionem hominum, quia ægre ferebant, non regis imperio, sed legibus, moribusque patriis Regi assueti prohibuere. Igitur exules finibus ejiciunt, omnia potius toleraturi, quam purgamenta quondam urbis suæ, tunc etiam exilii, admitterent.*

Athen. sub imperio Macedonum. Quomodo autem in ditionem Macedonum concesserint, paulo ante refert Pausa-

nias in VII. Athenienses enim post cladem in Bœotia acceptam non fuerunt a Philippo subacti, licet bis mille, ut in conflictu succubuerint, sint capti, mille occisi, sed ad Lamiam cum fortassis ducenti, nec eo plures cecidissent, in servitutem a Macedonibus sunt conjecti. Atque hæc prima fuit imperii Athen. debilitatio. Secunda fuit, cujus meminit Titus Liv. *l.* VIII. *Decad.* III. *Athenæ prudentissima civitas bello domi relicto, autore æque impigro ac nobili juvene magna classe in Siciliam transmissa, una pugna navali florentem Rempub. suam in perpetuum affixerunt.* Tertia recensetur a Liv. *Dec.* IIII. *l.* I. cum postulata Athen. legatorum, qui a Romanis & Ætolis auxilium adversus Philippum Persei petierant, refert: *Circa ea omnia templa Philippum infestos circumtulisse ignes, semiusta & truncata simulachra Deum, inter prostratos jacere postes templorum. Qualem terram Atticam fecerit, exornatam quondam opulentamq; talem eum, si liceat, Ætoliam Græciamq; omnem factarum: urbis quoq; suæ similem deformitatem futuram fuisse, nisi Romani subvenissent. Eodem scelere urbem colentem hos Deos, præsidemque arcis Minervam petitam, eodem Eleusiæ Cereris templum, eodem Piræei Jovem Minervamq; sed ab eorum non templis modo, sed etiam mœnibus, vi aque armis repulsum, in ea delubra, quæ sola religione tuta fuerint, sævisse. Itaque se orare atq; obsecrare Ætolos, ut miserti Atheniensium, ducibus Diis immortalibus, deinde Romani, qui secundum Deos plurimum possent, bellum susciperent.* Hæc ille. Præterea Pausanias in II. refert hunc Philippum Persei patrem Euroclidem & Myconem Oratores Athen. veneno sustulisse, ut per insidias Ath. imperio potiretur. His auspiciis atque initiis Athenienses Romani societatis jure subjiciuntur. Qui mox misso Cæsari Claudio Centone cum viginti navibus longis auxiliantibus Rhodiis & Attalo rege, obsidione Athen. liberarunt. Hinc est quod scribit Pausanias in VII. *Sed tunc quoque Athen. & exercitum mittunt, & Ducem Ac lium, id enim ei inter alia nomina erat notissimum. Acilio injunctum erat a Romanis, ut Philippi bellum ab Athenis & Ætolis propulsaret.* Quomodo vero in odium Romanorum Athen. devenerint, non satis constat. Nisi quod Pausanias in VI. scribit: *Athen. autem populus necessario potius quam sponte diripit Oropum, quæ eorum erat imperio subjecta.*

Imperium Athen. quomodo conciderit.

Athen. ad Rom.

Athen. hostes facti Rom.

Ad extremam enim paupertatem Athen. tunc erant redacti, utpote qui præ reliquis potissimum Græcis Macedonum bello pressi fuerant. Confugiunt itaque ad Romanorum Senatum Oropii, cumque injusta passi viderentur, injunctum est Sicyoniis a Senatu, ut propter Oropios mulctam Athen. pro magnitudine damni dati irrogarent. Sicyonii itaque cum in judicium die statuto non venissent, Athen. quingentorum talentorum mulctam eis irrogarunt. Romanorum vero Senatus obtestantibus Athen. præter centum talenta reliquam mulctam remisit, quæ ne ipsa quidem Athen. penderant. Ab eo tempore manserintne in societate Populi Romani incertum est. A Sylla sane Athenas obsidione pressas ac expugnatas, magna ex parte dirutas, idem Pausanias scribit suffragante Plutarcho. Verba Pausaniæ in X. sic habent: *Hoc inscriptum erat, priusquam Syllæ milites, tum alia Athenis, tum scuta etiam destruerent, in porta Jovis liberatoris suspensa.*

Quam historiam Plutarch. in *Sylla* prolixius enarrat: *Athenis autem quæ Aristionis dominationem pati cogebantur collecto robore incubuit, eisque capto Piræeo obsidionem circumposuit, omnibus instans modis, & varia committens prælia.* Et subdit: *Ut vero deficere materia cœpit, sacros adgressus est lucos. Ipsum etiam secuit Lyceum & Academiam, cujus super omnia suburbana densissimum erat arbustum.*

Athenæ a L. Sylla expugnantur.

Et concludens de expugnatione: *Ad capiendas enim Athenas gravis quædam & inexorabilis cupiditas hominem habebat, seu vetusta urbis gloria incensus illud umbratile bellum suscepisset, seu furiosus convitia ferret, quibus eum atque Metellam passim de muris irridens & insultans tyrannus Aristion irritabat. Ipse Sylla in commentariis suis refert Marcum Tejum, qui prior in murum evaserat cum occurrenti hosti violentius galeæ ictum inflixisset, gladium fregisse, haud tamen cessisse loco. Ea igitur ex parte Athen. natu grandiores urbem captam fuisse commemorabant. Ipse vero Sylla inter Piræeum & sacram portam muro effosso & æquato solo nocte irrupit media, terrore maximo, cum tubæ cornuaque streperent, & copiæ quas ad cædem & rapinam immittebat per angiportus militari clamore strictis gladiis ferrentur, innumerabiles obtruncati, cruoris unda atq; magnitudo ipsis etiam nunc locis definitur: nam præter urbis reliqua cadavera occisorum circa forum numerus universo intra Dipylum Ceramico continebatur.* Lege reliqua in Plutarcho, ut appareat, Syllam debilitatis sensim Athenis, extremam ruinam superinjecisse. Cum paulo ante Archelaus filiorum Mithridatis natu maximus Athen. una cum proxima Bœotia mirum in modum afflixisset, quem Sentius prætor Macedoniæ, ejusque legatus Brutius Sura vix cohibuerant, ne tota Græcia potiretur. Sic igitur præclarissima civitas ac Respub. Græciæ vel literarum cultu toto orbe decantatissima, non solum in Romanorum potestatem venit, verum etiam pene in ruinas concessit.

Destructio urbis Athen.

De cujus urbis moribus elegans est, quod Liv. *primo* IV. *Decad.* memorat: *Tum vero Athen. civitas, quæ odio in Philippum per metum jam diu moderata erat, id omne in auxilii præsentis spem effudit. Nec unquam ibi desunt linguæ promptæ ad plebem concitandam: quod genus cum in omnibus liberis civitatibus, tum præcipue Athenis, ubi oratio multum pollet, favore multitudinis alitur.* Alteram consuetudinem vitio contractam eadem in Republica. Val. Max. *libro* V. recenset: *Summo consensu maximas virtutes puniri, beneficiaque injuriis rependere. Quod enim ubique, tum præcipue Athenis intolerabile videri debet, in qua urbe adversus ingratos actio constituta est: & recte, quia dandi & accipiendi beneficii commercium, sine quo vix vita hominum extat, perdit & tollit, quisquis benemerito parem referre gratiam negligit. Quantum ergo reprehensionem merentur, qui cum æquissima jura, sed iniquissima haberent ingenia, moribus suis quam legibus uti maluerunt.* Et postea recensens in quot optimos suos cives fuerint ingrati, qui de Repub. optime meriti fuerant, damnatos injuste & exilio mulctatos ab Athen. ostendit, Theseum, Solonem, Aristidem, Milciadem, Alcibiadem, Themistoclem, Timotheum & Phocionem.

Mores Athen.

Ingratitudo Athen.

Re-

Luxus Athen. Reprehendit præterea immodicum luxum in Athen. Athenæus lib. XII. *Dipn.* Maxima fuit Athen. civitas cum delitiis oblectaretur, virosque magnificentiss. educavit: nam & purpureis induebantur vestibus & sagulis variegatis, corimbosque demittebant capillorum, & aureas cicadas circa frontem accommodabant, comamque ferebant & pueri sellas, ne in quovis loco considerent, illis afferebant. Isti tamen illi erant qui pugnam in Marathone vicerant, solique totius Asiæ copias profligarunt, captivosque duxerunt. Illi præterea qui prudentissimi sunt existimati, quique plurimum nominis in Philosophia sunt consecuti, maximum bonum voluptatem sunt arbitrati.

His tam pravis moribus opposuit nobilis hæc Resp. longe cumulatiores virtutes, studium sacrorum, cultum literarum ac Philosophiæ, consilia & judicia Areopagi, & navalis industriæ excellentiam. De sacris Athen. non temerariis scribit nominatim Val. lib. I. *Athen. Diagoram Philosophum pepulerunt, quia scribere ausus fuerat, primum ignorasse, an Dii essent, deinde si sint quales sint. Iidem Socratem damnaverunt, quod novam religionem introducere videbatur.* Hinc Livius l. I. *Decad.* IV. Sacerdotibus Athen. excommunicandi jus fuisse scribit, cum de Philippo Macedonum rege tractat Athen. hoste: *Sacerdotes publicos quotiescunque pro populo Athen. sociisque & exercitibus & classibus eorum precarentur, toties detestari, atque execrari Philippum, liberos ejus, regnumque, terrestres, navalesque copias.* Curabant autem Athen. præter cætera sacra Eleusinia, Panathenæa, Pentaploon, Pythiades, supplicationes & Jovis Olympici templum. Quorum prima in honorem Cereris ab Triptolemo Atticæ rege cœpta fuerant, ad ostium Cephissi, non ita procul ab urbe, quod Ceres ut fingunt Poetæ rapta Proserpina exulans ad Eleusium Atticæ Regem pervenisset, ejusque filium Triptolemum recens natum pro nutrice incognita aluisset, quem adultum postea quo pacto fruges essent serendæ docuerat, & curru jungere boves. Hæc sacra Plutarch. Adonia, Plin. *lib.* XXIV. Thesmophoria, a Cerere legislatrice, & Romani Cerealia appellabant, ad quæ sacra nemo Eleusinæ ingredi audebat, nisi prius fuisset initiatus. Hinc cum duo Juvenes Acarnanes non initiati, fuissent templum ingressi, ab Athen. sunt occisi, ut est apud Liv. in *Decad.* IV. Ob quod maximum bellum exortum erat, cum Philippus, sub quorum ditione Acarnania fuerat, ultionem ab Athen. exegerat, urbe obsessa. Ad eadem sacra non nisi casti admittebantur. Unde initiati Amerinæ herbæ semen bibebant, & foliis ejusdem (ut Plin. est author) præcingebantur. Scribit Lampridius in Eleusiniis proclamari solitum, ut nemo ingrederetur, nisi qui se innocentem nosset. Ingressum præterea usque in sacrarium ob vitæ continentiam M. Anto. Cæsarem Capitol. refert. Contra Sueto. de Nerone in *ejus Vita* cap. XXXIV. scribit: *Peregrinatione quidem Græciæ Eleusiniis sacris, quorum initiatione impii & scelerati voce præconis submoverentur, interesse non est ausus.* Hinc illud Poetæ conclamat:

Procul o procul este prophani.

De quibus sacris Strabo in IX. adnotavit. Deinde Eleusii, ubi Eleusinæ Cereris templum extat, & phanum mysticum, quod Ictinus apparavit, turbæ theatralis capacissimum. Is etiam virginibus Minervæ domicilium in arce condidit, Pericle operis præfecto. De eisdem sacris Pauf. in X. Nos, ait, ex istorum numero hos esse judicabamus qui Eleusinia sacra in nullo haberent precio. Veteres enim Græci mysterium Eleusinium omnibus quæ pietatis causa Diis immortalibus offeruntur, tanto esse augustius duxerunt, quanto Deos ipsos heroibus prætulerunt. Ad horum sacrorum originem subinde alludunt Poetæ, ac præcipue Ovid. qui & sacrificandi ritum ostendit, & quibus vestimentis initiati usi fuerant, lib. IV. *Fastorum* de origine:

Adriacumque patens late, bimaremque Corinthon:
Sic venit ad portus, Attica terra, tuos.
Hic primum sedit gelido mœstissima saxo:
Illud Cecropidę nunc quoque triste vocant.
Sub Jove duravit multis immota diebus,
Et Lunæ patiens & pluvialis aquæ.
Fors sua cuique loco est: quod nunc Cerealis Eleusis
Dicitur, hic Celei rura fuere senis, &c.

Idem *ibid.* de modo sacrificii:

Pace Ceres læta: at vos orate coloni
Perpetuam pacem, paciferumque ducem.
Farra Deæ micæque licet salientis honorem
Detis, & in veteres thurea grana focos.
Et si thura aberunt, unctas accendite tædas,
Parva bonæ Cereri, sint modo casta, placent.

Et *ibid.* de vestibus:

Alba decet Cererem vestis. Cerealibus albam
Sumite, nunc pulli velleris usus abest.

Et *libro* V.

Cur tamen ut dentur Vestes Cerealibus albæ,
Sic est hæc cultu versicolore decens?

Secundi ordinis sacra fuere Panathenæa, in honorem Minervæ urbis ac provinciæ patronæ instituta, ac a virginibus duntaxat celebrata. Quorum originem referunt ad Theseum, unde quod filiæ Erechthei, Aglauros, Pandrosa & Herse, & præsertim prima hæc sacra contaminasset, cum Mercurio congressa in saxum mutata est. Meminit illorum Pausanias in VIII. Sed nondum apud Athen. priora Panathenæa institutam fuisse censeo. Huic enim certamini nomen erat Athenæa. Panathenæis autem nomen ajunt Theseum indidisse, quod ab Athen. omnibus in unam Civitatem collectis essent celebrata. Qualia autem sacra fuerint, ex his verbis Pausaniæ liquet: Insuper ea quæ ad Minervæ pompam requiruntur paravit, & victorias aureas pro centum virginibus ornatum. Est igitur verisimile virgines ornatas supplicationis ritu in arcem & templum Minervæ ascendisse. Est autem notandum Minervæ in arce peculiaria sacrificia fuisse oblata. De quibus Livii est locus accipiendus *lib.* V. *Decad.* V. de Paulo Æmilio loquentis, capto Perseo, Athenas inde plenas quidem & ipsas vetustate famæ, multa tamen visenda habentes, arcem, portus, muros, Piræeum urbi jungentes, navalia magnorum Imperatorum, simulachra Deorum, hominumque omni genere & materia & artium insignia. Sacrificio Minervæ præsidi arcis in

Marginalia: *Quibus rebus Athen. clarebant. Cura sacrorum Athen.* — *Quot sacra Athen.* — *Eleusinia sacra.* — *Panathenæa.* — *Quæ memorab. lia Athenis.*

urbe facto profectus Corinthum altero die pervenit. Porro ad Panathenæa pertinent versus Homeri & Ovidii II. *Metamorph.* Homerus in *Catalogo navium* ex versione Eobani:

Hinc qui Cecropiam munitam fortibus urbem
Manibus, incoluere viri; præclarus Erechtheo
Ortus avo populus, quem quondam rure creatum
Filia magna Jovis, claris præfecit Athenis.
Templa ubi nunc illi cives statuere, frequentes
Annua sacra, aras adolentes bobus & agnis,
Despiciebat humum, cultique arbusta Lycæi.
Illa forte die castæ de more puellæ
Vertice supposito festas in Palladis arces
Pura coronatis portabant sacra canistris.
Viderat Aglauros flavæ secreta Minervæ,
Proque ministerio magni sibi ponderis aurum
Postulat, interea tectis excedere cogit,
Vertit ad hunc torvi Dea bellica luminis orbes.

Pentaploa solennia. Pentaploa delineat Athenæus lib. XI. *Dipnos.* Aristodemus *lib.* III. de Pindaro certamen fieri scribit Juvenum impuberum cursus Athen. in Scyrris, qui ramum habent vitis fructiferum stolonem vocatum, atque a sacello Dionysii currunt ad Minervæ Scyradis usque sacellum: qui vero vicerit, calicem capit Pentaploam vocatum, unaque cum saltationibus genio indulget. Appellatur Pentaploa, quatenus habet vinum, mel, caseum, farinam & parum olei. Supplicationis Pythiadis mentio extat apud Strabonem in IX. *Supplicatio Pythiades.* Quo quidem in tempore Apollinem in terras adventatem mansuefecisse homines e sylvestribus fructibus, & minuti vivendi ritu Athenas egressum, adiisse Delphos eam per viam qua nunc Athen. populus Pythiadem supplicationem cum pompa præmittit ad Panopœam, deinde consistentem urbem. Superest, ut etiam de Olympii Jovis templo, quod Athenis post Minervam cæteris celebre fuerat ac antiquissimum dicamus, de cujus vetustate Pausanias *lib.* I. hæc adnotavit. *Olympicum templum Athenis.* Jovis Olympii fanum antiquum a Deucalione ædificatum esse ajunt, & Athenis habitasse Deucalionem, signum præferunt tumulum, non procul ab æde, quæ hodie visitur, dissitum. Hadrianus apud Athen. & alia quædam excitavit, & Junonis fanum, & Jovis Hellenii, id est, Græcanici. Hoc templum multo ante reges Asiæ Augusto Cæsari ac Romæ consecrarunt, ad ultimam manum perducentes, ut est apud Tranquillum. Reges amici atque socii & singuli in suo quisque regno Cæsareas urbes condiderunt, & cuncti simul ædem Jovis Olympici Athenis antiquitus inchoatam perficere communi sumptu destinavere, genioque ejus dedicare. Et hæc de sacris prolixe dicere voluimus. *Areopagus Athen.* Venio ad Areopagum ac severum illud Atheniense judicium toti Græciæ commune a Marte denominatum, qui primus ibi causam dixisse memoratur, cum Halirrhothium occidisset. Ferunt & parricidii causam Orestem Agamemnonis dixisse ob interfectam matrem Clytemnæstram, accusatum a Perilao Icati filio. Judicium consessus erat in templo Martis duobus lapidibus argenteis extructus, quo rei & accusatores insistere jubebantur, quorum unus contumeliæ, alter impudentiæ appellationem habebat. Facit ad institutum quod de duobus lapillis atro damnationis & albo absolutionis Ovidius scribit. XV. *Metamorph.*

Mos erat antiquus, niveis atrisque lapillis,
His damnare reos, illis absolvere culpa.
Nunc quoque sic data est sententia tristis, & omnis
Calculus immitem dimittitur ater in urnam,
Quæ simul effudit numerandos versa lapillos
Omnibus e nigro color est mutatus in album.

In eodem templo aram Minervæ & juxta sacellum Furiarum Pausanias describit in I. & in III. cum de Polichari loquitur, qui Euphenum Spartanum occiderat, voluisse tamen, ut apud Argivos qui utrorumque erant cognati in Amphictyonea statuerentur de pœna, aut Athenis Areopagitarum, ut vocant, judicio negocium committeretur, quod de causis capitalibus est visum. Plinius *lib.* I. *cap.* LVI. *Servitium invenere Lacedæmonii, judicium capitis in Areopago primum actum est.* Laudat hoc titulo Athenienses & Valerius Maximus, *libro* VI. *Egregios virtutis bellicæ spiritus Lacedæmoniorum prudentissimæ pacis moribus Athen. subsequuntur, apud quos inertia latebris suis languore mœroris in forum perinde ac delictum aliquod protrahitur, fitque uti facinorosæ ita erubescendæ rea culpa ejusdem urbis, & sanctiss. consilium Areopagus, quid quisque Athen. ageret, aut quonam quæstu sustentarentur, diligentissime inquirere solebat.* Pausanias plura judicia Athenis celebrat: (ut quantum huic civitati studium fuerit, appareat) Trigonium, Purpureum, Batrachium, Parabystum in loco obscuro, ubi leviores causæ agebantur, Hæliæum, Palladium, ubi homcidarum causæ tractabantur. & Delphinium, ubi hi audiuntur, qui justam habuisse causam cædis prætendebant, ibique Theseum absolutum, quod seditionis autores occidisset cum labore. Hæc omnia judicia in Prytaneo (quod in arce fuerat, & concilio addictum ædificium splendidum) fiebant. In quo & alebantur publice qui de Republica bene meriti fuerant.

His omnibus rei navalis industria ac post hominum memoriam maxime insigne Armamentarium accedit a Themistocle primum omnium in eam formam redactum, ut reliqua facile omnia ac ipsum etiam Gytheum Spartanorum superaret. *Armamentarium Athen.* De quo Strabo in IX. Quondam muro vallata Munichia erat, & junctis domiciliis referta, ut Rhodiorum civitas circuitum complectens & Piræeum & alios portus navalibus plenos, in quibus & Armamentarium Philonis opus, Statio ibi navium dignitate insignis CCCC. capax navium, cum non pauciores ab Athen. emitterentur: hoc autem muro duo ex oppido protracta crura urbem Piræeo conjungunt, hi fuere longi muri stadia quadraginta longitudine.

Huc pertinet quod Valerius scribit: Athen. aliquando subjectæ Æginetarum Juventuti pollices præscidisse, ne rei nauticæ assuefierent, & sese superare vel æquare possent. Postremum ornamentum Athen. accessit ex cœtu doctorum omnium artium, qui in pulcherrimis nemoribus extra urbem Lyceo, Academia & Musæo profitebantur. *Cœtus doctorum & Gymnasium Athen.* Unde Strabo in IX. permulta etiam de Lyco-

rio facta commemorat & Thesei fano, & quæ Lyceum habet, & Olympica, quam semifactam Rex morte præreptus dimisit, antequam donum offerret, similiter & Academia & Philosophorum horti, & cantorum receptaculum, & porticus varia, & templa per urbem, quæ omnia artificum habebant opera. Et iterum porticus ipsa templi admirabiles habet tabulas clarissimorum opera artificum.

Impluvium autem spectabiles habet statuas. Pausanias Academiam plebeii hominis villam fuisse; & in ea monumenta Platonis, aliorumque Philosophorum extitisse, B & in via qua ex urbe in Academiam ibatur, sepulchra & monumenta erecta Thrasybuli Lyci filii, qui de triginta tyrannis Rempubl. liberaverat, Periclis, Chabriæ, Cononis, Timothei & aliorum. Præterea eorum qui Athen. auxilia tulerunt, & interfecti fuere, Equitum Thessalorum, Sagittariorum, Cretensium, & Cleoneorum Idem Lyceum a Lyco Pandionis regis filio nominatum refert.

Sunt qui in Athenæo prælegisse doctos Athenis tradant. Sed placet locum Ciceronis, C sive potius querelam inserere, quæ sua ætate de defectu studiorum Athen. in III. *de Oratore* conqueritur: *Athenis jam diu doctrina ipsorum Athen. interiit, domicilium tantum in illa urbe remanet studiorum quibus vacant Cives, peregrini fruuntur capti quodammodo nomine urbis & autoritate, tamen cruentissimos homines Asiaticos quivis Athen. indoctos non urbis sed sono vocis, nec tam bene quam suaviter loquendo facile superabit.*

Pertinet & illud ad laudem Athen. quod in bello Thebano septennali, quo Adrastus Argivus Polynicem generum reducebat, cadavera D Argivorum, quæ victores Thebani sepultura indigna judicabant, pietatis ergo soli Athen. terra condiderint.

Insignia Atticæ. TAB. IV. fig. 7. *Pallas Attica.* De quibus satis superque dictum est. Recipio me ad insignia ejus Reipublicæ, quæ triplicia invenio, Minervæ faciem, Noctuam situlæ insistentem, ac oleæ ramulo circumdatam, & Bovem. De Minerva comperta res est, cum hæc & urbi nomen dederit, & cum Neptuno certarit, victoriamque reportarit. Unde non solum arcem Athen. Minervæ consecraverunt, ubi Minervæ templo & Palladium ignem perpetuum in honorem E virginitatis asservabant, verum etiam ubique & ejus Deæ simulachra & aras sacellaque venerabantur. Sic Plinius *lib.* XXXIV. *cap.* VIII. *Phidias præter Jovem Olympium, quem nemo æmulatur, fecit & ex ebore æque Minervam, Athenis quæ est in Parthenone astans.* Et iterum: *Cephisidorus Minervam mirabilem in Portu Athen. & aram ad templum Jovis Servatoris in eodem portu, cui pauca comparantur.* Et *l.* XXXV. *cap.* V. *Quidam & naves pinxisse, usque ad annum* L. *argumentum esse, quod cum Athenis celeberrimo loco Minervæ delubro Propylæon pingeret.* F Strabo *lib.* IX. cum situm Athen. describeret: *Urbs ipsa saxum est in plano quaquaversum habitata, quo in saxo vetustum Minervæ templum Poliadis surgit, in quo lucis inextinctæ Lychnus est, & virginum domus, quam Icthinius condidit, ubi Palladium est ex ebore perfectum opus Phidiæ.* Meminit & Plutarchus in *Sylla*, cum obsidionem & expugnationem ab eo factam describit. Cum sacram Deæ

A lucernam per inopiam olei extinctam audisset, nihili fecit, Sacerdotique qui dimidium frumenti sextarium petierat, piper misit. Loquitur vero de Aristione Athen. præfecto in obsidione. Huc alludentes nimirum cecinerunt Poetæ: Homerus in *Catalogo* ex versione Eobani:

Hinc qui Cecropiam munitam fortibus urbem
Mœnibus incoluere viri præclarus Erichtheo
Ortus avo populus: quem quondam rure creatum
Filia magna Jovis susceptum nutriit, atque
Hunc primum regem claris præfecit Athenis.

Virgilius in *Ætna*:

Nunc hic Cecropiæ variis spectantur Athenæ
Carminibus gaudentque sui victrice Minerva.

Ovid. VI. *Metam.*

Cecropia Pallas scopulum Mavortis in arce
Pingit, & antiquam de terræ nomine litem.

Et *libro* VII.

Palladiasque ineo non cognoscendus Athenas:
Ingrediorque domum: culpa domus ipsa carebat.
Castaque signa dabat, dominoque erat anxia rapto.
Vix aditu per mille dolos ad Erechthida facto.

Et *lib.* VIII.

Jamque fatigatum tellus Ætnæa tenebat
Dædalon, & sumptis pro supplice Cocalus armis
Mitis habebatur: jam lamentabile Athenæ
Pendere desierant Thesea cum laude tributum.
Templa coronantur; bellatricemque Minervam
Cum Jove, diisque vocant aliis.

Idem lib. I. *Trist.* el. II.

Mulciber in Trojam, pro Troja stabat Apollo:
Æqua Venus Teucris, Pallas iniqua fuit:
Oderat Ænean propior Saturnia Turno,
Ille tamen Veneris Numine tutus erat.
Sæpe ferox cautum petiit Neptunus Ulyssem,
Eripuit patrio sæpe Minerva suo.

Quare vero Noctuæ symbolo usi sint Athen. triplex reddi ratio potest. *Noctuæ Athen. interpretatio.* Prima quod oculos cæsios ac glaucos habeat hæc avis, similiter ut Minerva pingebatur Athen. patrona, hinc est quod scribit in primo *Atticorum* Pausanias. Huic Minervæ statuam fuisse appositam, minime mirabar, cum illum de Erichthonio sermonem cognitum haberem. Sed quod in eadem oculos glaucos vidi, Libycam esse fabulam invenio, his enim dictum est, Neptuni & Tritonidis lacus filiam esse Minervam, & propterea glaucos oculos sicut Neptunum quoque habere. Secundam arbitror rationem, quod Athen. ea existimati sint fuisse providentia, ut hostium consilia procul quasi per tenebras observarint, quemadmodum & avis ista in tenebris ea cernit, quæ vulgus aliarum in luce nequit. Tertia quod hanc avem antiquitas inauspicatam consiliis crediderit, unde proverbium ortum est, *Noctua volat.* Et licet consilia ejus urbis, inauspicata fuisse censeantur, (ut verbis Livii utar *libro* I. *Dec.* IV. Athen. quidem literis, verbisque quibus solis valent, bellum adver-

ſus Philippum gerebant) tamen conſtat Minervam urbis patronam conſulta etiam mala in bonum exitum vertiſſe. Quarta ratio ſumitur ex Laureo Atticæ loco, fodinis metallorum celebri & noctuis frequentato. Quintam & præcipuam cauſam Ovidius II. *Metamorph.* commemorat, cum Erichthonii regis Atticæ nativitatem deſcribit, & corvi albi alitis in nigrum converſionem oſtendit:

Pallas Erichthonium prolem ſine matre creatam
Clauſerat, Actæo texta de vimine ciſta:
Virginibusque tribus, gemino de Cecrope natis
Servandum dederat, ſed inconfeſſa quid eſſet:
Et legem dederat, ſua ne ſecreta viderent.
Abdita fronde levi denſa ſpeculabar ab ulmo,
Quid facerent: commiſſa duæ ſine fraude tuentur
Pandroſos atque Herſe: timidas vocat una ſorores
Aglauros, nodoſque manu diducit: at intus
Infantemque vident, adporrectumque Draconem.
Acta Deæ refero: pro quo mihi gratia talis
Redditur, ut dicar tutela pulſa Minervæ,
Et ponar poſt noctis avem: mea pœna volucres
Admonuiſſe poteſt.

Alludit porro ad noctuam Athen. & illam de corvis fabulam Pauſanias in X. Clitodemus autem omnium quotquot Athen. res patrias deſcripſerunt, antiquiſſimus in Attica hiſtoria inquit, cum Athen. claſſem jam Siciliam verſus inſtruxiſſet, infinitam corvorum multitudinem provolaſſe Delphos, & mutilaſſe has ſimulachri partes, aurumque ab eo roſtris detraxiſſe. Addit idem haſtam fregiſſe corvos & noctuas. Scitum eſt quod ſcribit Plutarchus in *Vita Lyſandri* de eo qui domini ſui furtum ænigmaticωs indicans dicebat multas ſub tegulis cubare noctuas, innuens nimirum abditas pecunias noctua inſignitas. Huc pertinet proverbium illud tritum, *Noctuas & ululas Athenas videlicet portas*, hoc eſt, aquam in fluvium, quod tam ululæ quam noctuæ Athen. frequentes eſſent. Et ſic intelligitur carmen Ovid. II. *Faſtorum:*

Et ſine lite loquar, cum Palladis alite cornix
Sedit & accipitri juncta columba fuit.

Quod vero Athenis ulula ac vaſa fictilia quibus inſidere noctua apparet in ſymbolo frequentes fuerint, ut ærea Corinthi, Athenæus I. *Dipno.* ex antiquo carmine probat, Latine redditum ſic habet;

Thebani primi junxerunt fortia currus
Membra acatos Cares œconomon Pelagi:
Atque rotam terra & calida fornace creatam
Oeconomum clarum fictile vas reperit:
Qui populi Marathone in agro ſtatuere trophæum,

Et merito profecto fictile Atticum laudat, inquit Eubulus, fictilia Cnidia, e Sicilia lances, Megarenſia dolia.

Olea Athen. TAB. IV. fig. 8. De olea Attica, cujus ramo in numiſmate Athen. noctua circumdatur, refert Val. Max. *libro* VI. cum de Areopago Athen. loquitur. Eadem bonos cives corona decorandi primo conſuetudinem introduxit, duobus oleæ connexis ramulis clarum Periclis cingendo caput. Huc alludentes cecinere Poetæ. Virgil. VII. *Æneidos:*

Tum ſatus Anchiſa delectos ordine ab omni
Centum Oratores auguſta ad mœnia regis
Ire jubet, ramis velatos Palladis omnes.

Lucanus III. *Pharſaliæ:*

Pacifico ſermone parant, hoſtemque propinquum
Orant Cecropiæ prælata fronde Minervæ.

Ovid. XIII. *Metam.*

Dat galeam capiti, defenditur ægide pectus,
Percuſſamque ſua ſimulat de cuſpide terram
Hedere cum baccis fœtum canentis olivæ.

Idem *ibid.* lib. VII.

Cecropidis hæc eſt tellus: ea fœdera nobis.
Triſtis abit, ſtabuntque tibi tua fœdera magno.

Et ſubdit:

Duxerat inque domum patris ſpectabilis Heros,
Et veteris retinens etiam num pignora formæ,
Ingreditur, ramumque tenens popularis olivæ.

Horatius *lib.* I. *ode* VII.

Laudabunt alii claram Rhodon aut Mitylenen,
Aut Epheſum, bimariſque Corinthi
Mœnia, vel Baccho Thebas, vel Apolline Delphos
Inſignes, aut Theſſala Tempe.
Sunt, quibus unum opus eſt intactæ Palladis urbem
Carmine perpetuo celebrare, &
Undique decerptam fronti præponere olivam.

Cæterum in numiſmate ubi noctuæ & olivæ ramuli cernuntur icones, elephantus eſt ſculptus, & Antiochi inſcriptio, quæ oſtendunt ab Archontibus duobus hoc ſignatum argentum fuiſſe, qui de familiabus duabus inſignibus Antiochi & Ptolemæi oriundi fuere. De bovis ſymbolo, quia cæteris non adjeci, explicare ſuperſedeo, arbitror autem a Triptolemo Celei Eleuſinis regis filio originem duxiſſe, quem Ceres curribus jungere boves, ac ſementem facere docuit. Lege Plin. *lib.* VII. *cap.* LVI. TAB. IV. fig. 10. *Numiſmatum inſcriptio.*

Sed jam tempus eſt, ut caput de coloniis concludamus, quas in Aſiam Iones Atticæ terræ populus XII. deduxit, quot videlicet in Attica urbes habuere. De quibus Vellejus Paterc. *lib.* I. *Subſequenti tempore magna vis Græcæ juventutis, abundantia virium ſedes quæritans, in Aſiam ſe effudit. Nam & Iones duce Ione profecti Athenis nobiliſſimam partem regionis maritimæ occupavere, quæ hodieque appellatur Ionia, urbeſque conſtituere Epheſum, Miletum, Colophona, Prienem, Lebedum, Myuntem, Erythram, Clazomenas, Phocæam, multaſque in Ægæo atque Icario occupavere Inſulas, Samum, Chium, Andron, Tenon, Paron, Delon, aliaſque ignobiles.* Has colonias bis in Aſiam deductas invenio, primum ab Ione Xuthi filio Achæi fratre, ut dictum eſt. Secundo ab Iolao Thebano Herculis ex ſorore Nepote & ſociis Thera Auteſionis, ac filiis Euctemonis Philogene & Damone. Cujus meminit in *ſeptimo* Pauſanias: *Vetuſtiſſimorum autem memoria Iolaus Thebanus Herculis ex ſorore Nepos, Athenienſium in Sardiniam, & Theſpi-* *Coloniæ Athen.*

ensium Dux fuit. *Una item ætate priusquam Athenis enavigarunt Iones & Lacedæmonios & Minyas Lemno expulsos a Pelasgo Theras Autesionis filius Thebanus in insulam perduxit, quæ nunc a Thera hoc nomen accepit*. Et subdit: *Cæterum ex Græcis Ionum classi hi interfuere, Thebani una cum Philota, qui unus fuit e posteris Penelei Orchomenii, dehinc cum Minyis propter Codri liberorum cognationem*. Alludit Strabo in VI. Leleges vero sunt nonnulli, qui eosdem illos & Cares arbitrabantur, alii finitimos solum, concivesque, atque commilitones. Quocirca in Milesiorum agro habitationes quædam Lelegum nominantur, frequentibusque in locis Cariæ & sepulchra Lelegum & monumenta deserta Lelegia appellata monstrantur. Quæque nunc Ionia dicitur, totam eam Cares & Leleges incolebant. Quos cum Iones expulissent, ipsi regionem occuparunt, etiam veteres illi qui Trojam expugnarunt, Leleges e locis Sidæ & Pedaso fluvio vicinis ejecerunt.

Secunda transmigratio Athen. in Asiam facta est a filiis Codri regis Nileo & Androclo, qui & Phocenses, Delphosque, aliosque eo traduxerunt. De cujus occasione transmigrationis refert Pausanias in *septimo*; Medon & Nileus natu inter Codri liberos maximi contentionem de regno moverunt. Et negavit Nileus se commissurum, ut a Medonte regatur, quia claudus erat altero pede Medon. Denique cum visum eis esset oraculo Delphico rem committere, Medontem Apollo regem Athen. declaravit. Sic Nileus & reliqui Codri liberi in coloniam sunt missi, secum una abductis quicunque ex Athen. volebant proficisci, maxima exercitus pars Iones erant. Et subdit: Interfuerunt præter Delphos & alii Phocenses, & ex Eubœa Abantes, Philogenes dehinc & Damon Euctemonis filii; Athen. naves ad profectionem suppeditarunt Phocensibus & ipsi in coloniam duces fuerunt. Ut vero navibus in Asiam appulerunt, ad alias alii maritimas civitates se receperunt. Nileus cum sua parte Miletum, Androclus dehinc Codri filius (hic enim rex declaratus est Ionum, qui in Ephesum navigarunt) qui partem urbis superiorem tenebant, Lelegas & Lydos e regione ejecit. Et concludit. Iones posthac ducta Myuntem & Prienem colonia, Caribus quoque hi oppida ademerunt, Myuntis conditor Cyaretus fuit Codri filius. Prienenses vero Ionibus permixti Thebani Philotam unum ex posteris Penelei, & Ægyptum Nilei filium conditores habuerunt.

Ad hujusmodi Ionum, id est, Atheniensium transmigrationes ac colonias alludit Strabo *l.* VIII. Ion vero superatis Eumolpi commilitonibus Thracibus, tantum famæ laudisque consecutus est, ut Athen. illi Reipublicæ gubernacula committerent. Qui primum quidem omnium multitudinem quaternas divisit in tribus, deinde in quatuor degendæ vias. Quosdam enim agricultores designavit, alios opifices, aliquos sacrorum faciendorum curæ præfecit, nonnullos civitatis custodes. Talibus ab eo ordinatis amplius regionem sui nominis vocabulo appellatam reliquit. Qua indies magis mortalibus referta Athenienses intra Peloponnesum ex Ionibus coloniam miserunt, & plagam quam occuparant pro Ægiale Ioniam nominarunt, eodemque modo pro Ægialensibus Iones appellati, in civitates duodecim dispartiti. At enim post Heraclidarum reversionem ab Achæis expulsi, denuo Athenas repetiere. Illinc vero cum Codri prognatis in Asiam Ionicam transmisere coloniam. Hi in Lydiæ & Cariæ littore civitates duodecim condidere, totidem in partes seipsos dividentes, quot intra Peloponnesum habentur. Denique reperio Atheniensium colonias & in Sardiniam deductas, ductoribus Iolao & quinquaginta aliis filiis Herculis, qui Thespiades cognominabantur.

Quam historiam Diodorus in V. sic enarrat: *Thespius vir fuit nobilis Atheniensium Erechthei filius, qui imperans ei quę a se denominata est regioni, ex pluribus fœminis filias genuit. Hercules puer adhuc, sed robore præstans corporis, cupiens ex eis prolem suscipere, vocato ad sacrificium patre, cum opipare illi epulas parasset, accersitis filiabus singulatim cognovit omnes, ex quibus geniti quinquaginta mares, omnes ejusdem ferme ætatis communi nomine Thespiadæ dicti sunt. Hos decrevit in coloniam mittere juxta oraculi responsum Præfecto classis Iolao exercitu tradito, cui & Thespiadum & coloniæ deducendæ curam Hercules permisit, ex quinquaginta liberis, duo Thebis manserunt, quorum progenies etiam nunc dicitur in honore esse, septem Thespii quos Demuchos appellant, posteri eorum ad hæc usque tempora civitatis habentur principes. Reliquis pueris, multisque præterea voluntariis ad ædificandam coloniam assumptis Iolaus in Sardiniam navigans priorem insulæ parnem, scilicet campestrem tenuit*. Et subdit: *Rediens deinceps in Græciam Iolaus, neque in Siciliam navigans aliquandiu permansit in insula. Quo tempore plures qui cum eo accesserant, capti locorum amœnitate, Sicanisque permixti in insula remansere*.

CAP. II.

DE EUBOEA INSULISQUE PROX. CYCLADIBUS.

Descriptio Euboeæ.

EUBOEA Insula (quam sive ab Eubœa Asterionis filia, sive a bove, hoc est, Io, quæ in hac insula Epaphum genuisse fertur, unde & locus aula bovis dictus superest, derivare quis volet) a Sunio Atticæ provinciæ in longum exporrecta jacet, secus oram Atticæ ac Bœotiæ ac Locrorum, non ita procul a littore, in confinibus denique Atticæ ac Bœotiæ angustissimo freto, quod Euripum vocant, disjuncta a continente viginti stadia excurrit, cum latitudinem inæqualem habeat, ad summum vero stadiorum centum. Quam curvam a Chalcide ad Aulim Bœotiæ, cavam inter Aulida & Geræstum promontorium, maxime vero prope Chalcidem insulæ Metropolin, incurvatam & terræ motibus obnoxiam vetusti Geographi descripserunt, & diviserunt in Istiæam, Oretaniam, Hallopiam, & Styrienses Sunio Atticæ proximos, hodie *Nigropontem* appellant, forte a nigra Euripi aqua, Istiæa quidem versus Locrenses Lycho, Cenæo & Dio prom. circumscripta fuit, quam a tribu Athen. nomenclaturam accepisse autumant, quæ in hanc insulam demigravit, condita civitate

Divisio Euboeæ.

Istiæa, quæ postea a Philippo Oretanorum Rege, sive a monte, in quo sita est, Oreus appellata fuit. Oretania vero primis temporibus ab Istiæa separata cum fuisset, bello tamen superatis ejus incolis ab Hellopiensibus nomine amisso Istiæa accessit. Quæ & ipsa postea desiit, incolis a Pericle Athen. in Thessaliam profligatis, mansit tamen multis postea seculis urbs Oreus. Unde Livius VIII. *Dec.* III. inde classem in Eubœam ad urbem Oreum transmittunt, quæ a Demetriaco sinu Chalcidem & Euripum petentibus ad lævam prima urbium Eubœæ posita est. At vero quæ sequitur versus Bœotiam Hellopia, ab Ionis filio Hellope, qui ibi colonias deduxit Ionum, Styram habet conterminam ad Geræstum promontorium & Caphareum montem, cui appellationem additam autumant a civitate illius metropoli Styra, quam Athen. duce Phædro bello Maliaco everterunt. Porro insulæ primos cultores Thraces fuisse, sunt qui prodiderint, quibus Arabes primum, qui Cadmum ex Phœnicia sequebantur, deinde Æolenses ex Penthili exercitu, & postremo ex Aba Phocidis Abantes paulatim coaluere. Quorum quidem in Eubœa Homerus in *Catalogo* meminit:

Populi Eubœæ unde.

Qui vero Eubœam spirantes robur Abantes,
Chalcidaque Eretriamque & vini feracem Istiæam,
Cerinthumque mari junctam: celsam Jovis urbem,
Quinque Caryston habent, & qui Styracumque frequentant,
Quos duxit princeps Elephenor Martius Heros
Chalcedoniades animosus rector Abantum:
Ipsi etiam claræ bello virtutis Abantes
Præcipue jaculatores hastamque periti
Vibrare, & longis contingere pectora telis.
Hi quoque quadraginta graves duxere carinas.

His omnibus si Diodoro credimus *libro* V. Thebani ab Argivis & Alcmæone expulsi, accessere bello Trojano. *Ex Thebanis*, inquit, *qui in Tilphosium confugerant, Tiresias defunctus est, quem sui cives magna cum pompa sepelierunt: transacto paululum tempore quidam eis in Ionibus sedibus mansere, quidam Athenas profecti Creonte Mænæcii regnante, patria pulsi, paulo post in Dorida remearunt in Grinæo, Limeoque & Eubœa habitantes*. Eodem *lib.* Dryopes ex finibus Trachiniæ pulsos ab Hercule, rege illorum Philanto occiso, transmigrasse in Eubœam ac Carystum condidisse refert. Deinde cum Philantus Dryopum rex templum Apoll. Delphicum diceretur violasse, una cum Miliensibus armis adversus eum sumptis & regem peremit Dryopum, & incolis patriæ expulsis, eorum agros Miliensibus dedit, filiam regis captivam ducens compressit, ex eaque filiam suscepit Antilochum, expulsique Dryopes quidam divertentes ad Eubœam civitatem, condidere Caryston.

Ex his omnibus una gens conflata crevit sub regibus primo, quorum antiquissimus memoratur Nauplius filius Neptuni, Amymones Danai Argivorum filiæ, qui ob interfectum Palamedem ad Trojam, Græcis revertentibus ab excidio, succenso igne in Caphareo altissimo monte naufragii occasionem fecit.

Tradunt & aliam ultionis rationem Autores, per universam videlicet Græciam vagatum, regiasque ingressum, & absentium uxoribus se commiscuisse, & cum Diomedem & Ulyssem naufragium accepisset aufugisse, e scopulo se in mare præcipitem dedisse. Cujus filius Palamedes (quem ferunt Astrologiæ, calculorum, mensurarum, ponderum, ordinum in acie ac vigiliarum, tesserarumque in castris, ac quatuor literarum Græcarum ΘΞΖΦ inventorem) in illa memorabili Græcorum adversus Trojanos expeditione, Ulyssis insaniam cum coarguisset, hominis in se perniciosam ultionem concitavit. Quippe Ulysses, ut domi maneret, insaniam simulaverat, & quo melius rei fidem faceret, junctis adversæ naturæ animalibus salem serebat. Palamedes autem ut viri astutiam detegeret, ferenti Telemachum filium objecit, quo viso, ne filium læderet, Ulysses aratrum subito suspendit: ita deprehensis technis Ulysses ad procinctum adigitur, qui jam inde ultionis cupidus, adulterinam Priami nomine epistolam scripsit, proditionis consilia comprehendentem & pondus auri, præmium in loco secreto indicantem, quod ipse Ulysses terræ infoderat. Quapropter cum literis aurum præterea inventum esset, in Concilio Græcorum damnatur, & lapidibus obruitur. In cujus necis ultionem, ut diximus, pater Nauplius & uxoribus principum stupra & ipsis revertentibus ac tempestate laborantibus, ex Caphareo monte ignem ostendit, bonamque classis partem ad ignem, tanquam ad vicinum portum adnavigantem, in asperrimos scopulos pellexit, miserosque naufragio perdidit. Et sic intelliguntur versus Ovid. in lib. XIII. *Metamorph.*

Ingenio tamen ille; at non Ajacis, Ulysses.
Neve in me stolidæ convitia fundere linguæ
Admiremur eum: vobis quoque digna pudore
Objicit, an falso Palamedem crimine turpe
Accusasse mihi? vobis damnasse decorum?
Sed neque Naupliades facinus defendere tantum,
Tamque patens valuit: nec vos audistis in illo
Crimina: vidistis: precioque objecta patebant.

Idem *lib.* XIV.

Fulmina, noctem, imbres, iram cœlique marisque
Perpetimur Danai, cumulumque Capharea cladis.
Neve morer referens tristes ex ordine casus.

Et rursus:

Ut mihi fœlices sint illi sæpe vocati,
Quos communis hyems, importunisque Caphareus
Mersit aquis; vellemque horum pars una fuissem.

Iterum *lib.* XIII.

Ultima qui cœpit, detrectavitque furore
Militiam ficto: donec sollertior isto,
Sed sibi inutilior, timidi commenta retexit
Naupliades animi, vitiaque traxit in arma.

Hos secuti sunt post secula Cothius rex, qui ex Athenis eo profectus apud Chalcidem regiam tenuerat. Æclus itidem ex Athenis in hanc insulam venit & ex Eretria gubernavit. Post quos Pericles classe in hanc appulit & Atheniensibus subjecit. In qua ni- Montes & promontoria Eubœa.

A mirum insula montes historiis memorati fuere Telethrius, Caphareus, unde naufragii occasionem Græcis dedisse Nauplium præfati sumus, & Carystus vitifer, & unde marmor Carystium magnæ existimationis adferebatur, in quo denique monte lapis celebratur, quem pectebant, texebant, & inde mantilia faciebant.

Memoratur & mons Eubœæ Cisseus nomine, cujus etiam Livius mentionem facit *libro* VIII. *Decade* III. *Inde ut ad omnes hostium motus posset occurrere, etiam in Phocidem, & Eubœam & Peparethum mittit, qui loca alta eligerent, unde editi ignes apparerent.* B *Ipse in Cisseo (mons est in altitudinem ingentem cacuminis editi) speculam posuit, ut ignibus procul sublatis signum, ubi quid molirentur hostes, momento temporis acciperet.* Promontoria potiora eadem habuit Insula versus Locros & Trachinios, Lychum a Lycho, quem isthic ante mortem Herculis occiderat, & e regione Atticæ Delphinum ac Leonta. Ex adverso autem littore contra Cyclades promontoria describuntur Cenæum, Dium, Cleoneum, & Geræstus. Geræsti sane Homerus mentionem facit libro C *Odysseæ* III. & T. Livius *libro* I. *Dec.* IV. *Ad Prasias (continentis Atticæ is locus est) Issæorum* XX. *lembi classi Rom. adjuncti sunt: ii missi ad populandos Carystiorum agros: cætera classis Geræstum nobilem Eubœæ portum, dum a Carysto Issæi redirent, tenuit.* Et rursus de Carysto monte *libro* II. *Hæc circa Andrum insulam classes conjunctæ Eubœam inde exiguo distante freto trajecerunt. Carystiorum primum agros vastarunt: deinde ubi Carystus præsidio a Chalcide raptim misso firma visa est,* &c. Ad hæc omnia celebratur Livio & Ægeleon Eubœæ promontorium contra Sunium Atti- D cæ: *Attalus quoque Ægeleon, nihil minus quam tale quidquam in alterius oppugnatione urbis timentibus, oppressit. Et jam cum opera in effectu erant circa Oreum.* Ad Cenæum porro, Lychan & Carystum alludunt Poetæ. Ovid. *Metamorph.* lib. IX. de Hercule:

Carystus mons.

Lychas promon. & sup.

Ecce Lychan trepidum, & latitantem rupe cavata
Aspicit; usque dolor rabiem collegerat omnem;
Tune, Lycha, dixit, feralia dona dedisti?
Tune meæ necis autor eris? tremit ille, pavetque
E *Pallidus, & timide verba excusantia dicit.*
Dicentem, genibusque manus adhibere parantem,
Corripit Alcides, & terque quaterque rotatum
Mittit in Euboicas, tormento fortius, undas.
Ille per aerias pendens induruit auras.
Exsanguemque metu, nec quicquam humoris habentem,
In rigidos versum silices prior edidit ætas.
F *Nunc quoque in Euboico scopulus brevis eminet alte.*

Idem de eodem Hercule, *ibid.* paulo ante:

Excipit hunc Nessus. Neque enim moriemur inulti,
Secum ait, & calido velamina tincta cruore
Dat munus raptæ, velut irritamen amoris.
Longa fuit medii mora temporis, actaque magni
Herculis implerant terras odiumque novercæ.
Victor ab Oechalia Cenæo sacra parabat
Vota Jovi, cum fama loquax pervenit ad aures
Deianira tuas, quæ veris addere falsa
Gaudet, & e minima sua per mendacia crescit.

Lucanus *lib.* V.

Littoris Euboici memorando condite busto,
Qua maris angustat fauces saxosa Carystos.

Versus hi de Lycto interpretantur a Diodoro V. *Bibliot.* de Herculis laboribus disserentis: *Cumque Arcades ei opitularentur, urbe capta Eurythi filios occidit Troxeum, Melionem & Pytium, Iolem captivam secum ducens ex Eubœa in montem profectus est, nomine Cenæum, ibique sacra facturus Lyctum domesticum quendam ad uxorem Deianiram in Trachiniam misit, ut ei vestem qua in sacris uti consueverat, afferret. Hæc cum a Lycto de amore Ioles cognovisset, cupiens se omnibus in amore præferri, tunicam juxta centauri consilium tinxit. Hanc a Lycto rei inscio delatam Hercules indutus, medicamento ut paulatim invalescente, torqueri maximo dolore cœpit. Virus enim sagittæ veneno vipereo infusæ corpus conficiens, dolores ciebat immensos. Itaque Lyctum vestis latorem primum occidit, tum demisso exercitu in Trachiniam venit, morboque magis in dies ingravescente in Delphos Licinium ad Iolaum misit, Apollinem morbi remedia sciscitatum. Deianira calamitate Herculis stupefacta, cum causam tanti mali sciret a se profectam, laqueo excessit e vita. Responsum Apollinis jubebat ferri cum apparatu bellico Herculem in Oetam, ibique prope eum ingentem strui pyram, de reliquis inquit Jovi curam fore. Qui cum Iolao erant, jussa Apollinis exequentes, quod futurum erat suspicabantur. Hercules desperata salute in pyram cum ascendisset, rogabat accedentes, ut ignem subjicerent. Quod cum nullus auderet, solus Philoctetes in gratiam sagittarum, quas ei Hercules reliquit, pyram succendit, subitoque fulminibus circumdantibus pyra exusta est, accedente Iolao ut ossa colligeret, cum nullum penitus repertum esset, credentes Herculem secundum oraculi responsa ad Deos translatum, sibi ut Heroi sacra quædam fecerunt. Inde ad Trachiniam reversi Menœtius postmodum Actoris filius Herculis amicus, tauro, capro, arieteque veluti heroi immolatis instituit, ut singulis annis Herculi in Opunte sacra facerent.* Hæc eo prolixius adducere voluimus, quod in capite de Trachinia omissa, hic insigne ejus provinciæ fusius explicant. Montes & promontoria sequuntur fluvii, quorum tres a Geographis ac historicis celebrantur, Budorus, Nileus & Cereus. Habent vero postremi memorabile, quod in alterius aqua pecora immissa nigrescant, & in alterius nigra pecora albescant. Civitates denique insulæ duæ Metropoles describuntur Chalcis & Eretria, reliquæ in deformitatem reciderant a Persis destructæ, nimirum Amarinthus & Cerinthus, Oechalia ab Hercule solo æquata est. Chalcidem ajunt ab Athen. ante Trojanum bellum conditam Gymnasio & conversatione Aristotelis & Peripateticæ sectæ loco insignem, cujus subinde T. Livius *Dec.* IIII meminit. Quam videlicet ab Antiocho Asiæ rege occupatam, multo vix labore Quinctius

Historia de Herculis morte.

Trachiniorum insigne vid. super. in Tab. III. fig. 5.

Fluvii Eubœæ.

Metropoles Eubœæ.

recuperaverat. Quare *lib.* ejusdem *Decad.* quinto scribit: *Bœoti nihil responderunt, cum Antiochus in Bœotiam venisset, tum quid sibi faciundum esset, se liberaturos esse. Antiochus cum Chalcidis præsidium & Achæos & Eumenem regem misisse cognovisset, maturandum ratus.* Et subdit. *Achæi quingenti ab Eumene rege modicum auxilium missum Duce Xenoclide Chalcidensi, nondum obsessis itineribus, transgressi Euripum, Chalcidem pervenerunt. Romani milites quingenti ferme & ipsi, cum jam Menippus castra ante Salganea ad Hermæum, qua transitus ex Bœotia in Eubœam insulam est, haberet, venerunt: Mictio erat cum iis legatis a Chalcide ad Quinctium ad idipsum præsidium petendum missus:* Et *lib.* VI. ejusdem *Dec. Non in Eubœa Chalcidem captam, & castellum Euripi expugnatum Romani, sed Hetruriam Liguriamque & Galliæ Cisalpinæ oram bello ardere.* Hæc est illa Chalcis, quam Græciæ pedicam Philippus Amyntæ vocare consueverat. Strabo *lib.* IX. *Et cum adversus exteriores interni certamen de dignitatis fastigio & principatu, gerebant sicuti Philippus Chalcidem; Corinthumque Græciæ pedicas vocabat, ad Macedoniæ opportunitates respectans, qua posterius & ea quæ sunt ad Demetriadem vincula denominabantur.* Hinc arbitror symboli monetæ sculpturam posse derivari, ut infra Lector contemplabere. Siquidem pedicæ simile quiddam præ se fert, qui Chalcidis habet inscriptionem nummus, nisi forte adferri illam quis formam retorquere velit, quo equorum ora coercerentur, siquidem æris ac ferri minoris urbs illa cumprimis sat habebat, ut vel nomen ipsum Græcum testatur, ac Strabo prolixe meminisse videtur. Præterea ad hanc alludens Lucanus in V. cecinit:

Chalcidis insigne. TAB. IV. fig. II.

Chalcidos Euboicæ vana spe rapta parabas.

Et iterum:

Arctatus rapido fervet qua gurgite Pontus,
Euripusque trahit cursum mutantibus undis,
Chalcidicas puppes ad magnam classibus aulam.


Eretria urbs Eubœæ. Sequitur Chalcidem Eretria colonia, vel ab Eretria Attica vel altera Triphiliaca Peloponnesi deducta, tam potens olim, ut non solum autore Strabone armare potuerit tria millia peditum, equitumque sexcentos, & LX. currus, verum etiam insulas clarissimas Tenedon, Andron, ac Chium subjectas habuerit, primis temporibus, Arotria ac Melancides nuncupata, Gymnasio Philosophorum & ipsa famigerata, maxime facta Menedemi, in cujus campo, ejusque ditionis duo insignes vici erant, Amarynthus quondam urbs a Persis destructa, Oechalia deleta ab Hercule. Erant in ea insula & Ceryнthus exile oppidum & templa nobilia Dianæ Eubœæ, Dianæ Amarynthidis, Apollinis Selinuntis, Orobiæ oraculum & Posidium versus Sunium. Hinc arbitror factum, ut Eretrienses Dianæ imagine in numismate usi fuerint. Scribit præterea Strabo in XIV. Heræum, id est, Ionium in Eubœa templum, ubi aqua dicitur manare quæ libera cognominata est. Ad quod facit quod Pausan. lib. I. *Achaic.* refert. Asterionem fluvium filias habuisse Eubœam, Prosynnam & Ascræam, easque Junonis nutrices extitisse. Denique ob tot Neptunia templa credendum est, & præsertim Istiæos Neptuni symbolo usos, pisci marino insidentis. Causa vero tot Posidiorum fuit, non solum Euripi reciprocatio fuit & difficillima in eo freto navigatio, quod insulam a Bœotia & Attica distinguit, verum etiam tot scopuli & quasi charybdes ex saxis in mare procumbentibus, ex altera insulæ parte, quæ non semel naufragiorum causa fuere, ut de naufragio Græcorum sileam, quod Græcis revertentibus a Trojano excidio contigerat, satis constat navem periisse illam ad Eubœam, qua os Pelopis vehebatur Pisa allatum, cum arca Herculis, quod Damarmenus piscator multis post annis cum reperisset oraculo reddere illud Elæis coactus est. Livius *l.b.* I. *Dec.* IV. Larissæ, cognomento Cremastis in Eubœa meminisse videtur, scribens nominatim, cum de Oreo urbe Eubœæ oppugnata a Rom. & Attalo rege tractat: *Larissamque* (*non illam in Thessalia nobilem urbem sed alteram, quam Cremasten vocant*) *subito adventu præter arcem cepit.* Ferunt Euboicis peculiare ac proprium fuisse, ut literam R. durius & sæpius in nominibus proferrent. Utebantur præterea hastis oblongis in bello. Et Plinius *l.* XVIII. *cap.* IX. Triticum Eubœense laudat, econtra Abietes vituperat. Idem *l.* XVII. *c.* XXVII. Olympio vento hanc insulam obnoxiam scribit. Ad hæc colonias hæc Insula plures quam ullum Græciæ vel amplissimum regnum, & quidem in latissime dissitas provincias misit, testantur hoc Istiæi Thessaliæ, Edessa Macedoniæ, Eretria una ad Pharsalum, altera haud procul Atho monte Macedoniæ, Chalcis Ætoliæ, & Hippochalcis, Eubœa Corcyræ, Eubœa Lemni, & tertia Siciliæ, cujus incolas Gelon rex expulit. Quin & Olynthum a Chalcide deductam coloniam autores sunt, quam urbem Philippus Amyntæ destruxit. Cumanos denique Italiæ oriundos ex Eubœa testatur Vellejus Pater. Rom. historicus *lib.* I. *Athenienses in Eubœa Chalcida, Eretriam colonis occupavere, nec multo post Chalcidenses orti, ut prædiximus, Atticis, Hippocle & Megasthene Ducibus, Cumas in Italia condiderunt: hujus Classis cursum esse directum, alii columbæ antecedentis volatu ferunt, alii nocturno æris sono, qualis Cerealibus sacris fieri solet. Pars horum civium magno post intervallo Neapolim condidit.* Meminit & Lucanus & confirmat numisma vetus, quod habet inscriptionem duplicem CUMAEORUM & AMPHICTYONUM. Versus Lucani *lib.* V. sic habent, cum Appium deserto oraculo Delphico Sybillam consuluisse, de incerto eventu belli, quod inter Cæsarem & Pompejum gestum erat, introducit:

Templa Eubœæ. *Insignia Eretriæ.* TAB. IV. fig. 12. *Insignia Istiæorum.* *Consuetudo Eubœæ.* *Coloniæ Eubœæ.* TAB. V. fig. I.

Talis in Euboico vates Cumana recessu,
Indignata suum multis servare furorem
Gentibus, ex tanta fatorum strage superba
Excerpsit Romana manu.

Huc pertinet quod scribit Strabo in X. Nam Eretriam urbem circum Pallenem & montem Athon ædificavit, Chalcis autem attributas Olyntho condidit, quas Philippus diruit. Italia quoque atque Sicilia pleraq; a Chalcidensibus posita loca tenet. Sequuntur reliquæ insulæ, & quidem quæ ex Cycladum numero insigniores sunt a nobis explicabuntur. DELOS prius Ortygia & Latonia Asteria & a Cyntho monte Cynthia, præterea ab

Delos insula.


TAB. V
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12

ab igne iſthic primum reperto Pyrpoles. I-
tem Lagia, Mydia, Centia & Cynethus
appellabatur. Ortygia quidem a coturnici-
bus, quæ in hac inſula primum apparuiſſe
traduntur. Latonia a Poetis dicitur, quod
ab illa Diana & Apollo iſthic in lucem editi
fuerint. Quapropter & Delos Græca origi-
ne quod oſtendiſſet hos Deos cognomina-
tur, vel quod merſa in aqua ſubito apparuiſ-
ſet. Siquidem & Thucydides terræ motibus
crebris hanc concuſſam ſcribit, & Naſo VI.
Metamorph. canit:

Orbe interdixit: quam vix erratica Delos
Orantem accepit, tum cum levis inſula nabat.
Illic incumbens cum Palladis arbore palmæ
Edidit invita geminos Latona noverca.

Et iterum in XV.

Concipiunt: tempuſque fuit, quo navit in undis,
Nunc ſedet Ortygia.

De cujus inſulæ cultu hæc Strabo in X. De-
los igitur urbem habet in plano poſitam, &
Apollinis templum atque Latonæ. Cynthus
autem mons ſublimis & aſper incumbit ur-
bi, amniſque per inſulam non ſane magnus
labitur Inopus nomine. Inſula enim parva
eſt, ipſa ſane antiquitus magno in honore
fuit Deorum gratia ab Heroicis inchoans
temporibus. Fabulæ namque tradiderunt
Latonam hoc in loco pariendi ſolviſſe dolo-
res, cum Apollinem ſimul ac Dianam in lu-
cem edidit. Ad quam fabulam ſimulque ora-
culum Apollinis iſthic olim clarum alluden-
dentes cecinere Poetæ. Virg. in *Ætna*:

Carmen erit dexter, veniat mihi carminis autor,
Seu te Cynthos habet, ſeu Delos gratior illa,
Seu tibi Dodona potior.

Idem III. *Æneid.*

Rurſus ad oraculum Ortygiæ Phœbuſque remenſo
Hortatur pater ire.

Statius VIII. *Theb.*

Ille mihi Delo Cyrrhaque potentior omni.

Ovid. VI. *Metamorph.*

Quoque magis audetis genitam Titanida Delo
Latonam præferre mihi: cui maxima quondam
Exiguam ſedem parituræ terra negavit?

Et ſubdit:

Inſtabilemque locum Delos dedit, illa duorum
Facta parens.

Et *libro* IX.

Vimque Dei paſſam Delphos Delonque tenentis.

Hanc inſulam expulſis antiquis colonis ſi- *Conſuetudines in Delo.*
bi Athen. ſubjeciſſe Pauſanias IV. *Meſſen.*
author eſt. Porro Delo canes non aleban-
tur, & prohibitum mortuos ſepelire, qui
in proxima Rhenea tumulabantur. A De-
lo, Diana, & Luna Delia, ejuſque mon-
te Cyntho, Cynthia, Poetis appellatur.
Sic Statius I. *Theb.*

Intemerata thoris, fœlix ſi Delia nunquam
Furta, nec occultum Phœbo ſociaſſet amorem.
Namque ut paſſa deum Nemeæ ad fluminis undam
Bis quinos plana cum fronte reſumeret orbes
Cynthia.

Tom. VI.

A Delo & Cycladibus proxima eſt Andros iti-
dem in Athen. poteſtate, ex qua Macedo- *Andros inſula.*
nes exemere, & his Romani, qui eam At-
talo regi Aſiæ una cum Ægina donarunt.
Hinc ſcribit Livius I. *Dec.* IV. *Romanique*
cum Piræeum primo ab Hermione petiiſſent,
paucos ibi morati dies, oneratique æque immo-
dicis ad honores ſociorum, ac quæ in iram ad-
verſus hoſtem fuerant, Athen. decretis, na-
vigant a Piræeo Andrum: & cum in portu,
quem Gaureleon vocant, conſtitiſſent, miſſo
qui tentaret oppidanorum animos, ſi volun-
B *tarie tradere urbem, quam vim experiri mal-*
lent; poſtquam præſidio regio arcem teneri, nec
ſe poteſtatis ſuæ eſſe reſpondebant; expoſitis co-
piis, omnique apparatu urbium expugnanda-
rum, diverſis partibus rex & legatus Romano-
rum ad urbem ſubeunt, ubi præſidium re-
gium Philippi Macedonis intelligit. Per re-
gem vero Attalum, cui poſt expugnatio-
nem inſula ceſſit: unde ſubdit; *Attalus ne*
deſertam haberet inſulam, & Macedonum fe-
re omnibus, & quibuſdam Andriorum, ut
manerent, perſuaſit. Ad hanc alludit Naſo
XIII. *Metamorph.* in Anii vatis ad Anchi-
C ſem verbis;

Pene vides orbum: quid enim mihi filius abſens
Auxilii, quem dicta ſuo de nomine tellus
Andros habet:

Ab Andro iter propinquum eſt in Naxon
inſulam Cycladum maximam. Cui Plinius
lib. IV. *cap.* XII. varia tribuit cognomina: ait
enim hanc minorem Siciliam, Strongilem,
Calliopolin & Dionyſiam ſic a Baccho no-
minatam: *Naxos*, inquit, *a Delo* XVIII. *Naxos inſula.*
D *cum oppido quam Strongilen, deinde Diam,*
mox Dionyſiada a vinearum fertilitate, alii
Siciliam minorem, aut Calliopolim appella-
runt, patet circuitu LXX. *M. paſſ. dimidioque*
major eſt quam Paros. Hinc eſt quod in mo-
neta ejus inſulæ, cernes cum Bacchi barba- *Inſignia Naxos.*
ti, tum Satyri bibentis ſymbolo hæc inſula TAB.
uſa fuit. Huc pertinet quod Diodorus in V. V. fig.
ſcribit, cum de Theſei reditu occiſo Mino- 2. 3.
tauro loquitur. Deinde cum Ariadne noctu
clam recederet inſulam appulit, aliquando
Diam, nunc vero Naxon vocatam. Eo tem-
E pore Dionyſium ferunt pulchritudine Ari-
adnes captum, cum a Theſeo virginem ab-
ſtuliſſet uxorem illam ab ſe præter modum
dilectam duxiſſe, poſt ejus obitum propter
ſingularem amorem honore immortalium di-
gnatus coronam ex aſtris Ariadnes in cœlo
conſtituit. Athenæus *lib.* I. *cap.* XXVII. Ex
authoritate Archilochi vinum Naxium ne-
ctari comparat. Hæc confirmant Poetæ.
Virgil. lib. III. *Æneid.*

Bacchatamque jugis Naxon, viridemque Dionyſam,
F *Olearon, niveamque Paron, ſparſaſque per æquor*
Cycladas.

Statius lib. VII. *Theb.*

Occidis Aonii puer altera cura Lyæi.
Marcida te fractis planxerunt Iſmara thyrſis,
Te Tmolos, te Nyſa ferax, Theſeaque Naxos,
Et Thebana metu juratus in Orgia Ganges.

Ovid. III. *Metam.* de Baccho locutus:

Naxon, ait Liber, curſus advertite veſtros.
Illa mihi domus eſt: vobis erit hoſpita tellus.
Per mare fallaces, perque omnia numina jurant
Sic fore; meque jubent pictæ dare vela carinæ.
Dextera Naxos erat.

Et VIII. *Metam.*

Parte Samos fuerant, Deloſque, Paroſque relictæ:
Dextra Lebynthos erat, fœcundaque mille Calymne.

Quod vero facies Bacchi barbata in moneta Naxiorum exprimitur contra uſitatam Bacchi effigiem, cauſam reddit Diod. in v. *Duplici eſſe videtur forma, quoniam duo Dionyſii extitere, primus barba promiſſa antiquo more barbam nutrientium fuit; ſpecioſior poſterior juvenis, & ut fertur delitioſus*, Quidam duplicem formam illi tributam volunt, quoniam ebrietas & jucundos facit & hilares, Satyros etiam, quorum opera inſultatione & tragœdiis oblectabatur ſecum, tradunt duxiſſe. Et Muſarum quidem optimis inſtitutis, Satyrorum vero riſu ac joco Dionyſius vitam omnem fœlicem dicebat. Ex quibus non ſolum barba Bacchi in inſignibus, verum etiam bibentis Satyri ratio redditur.

Paros inſula. Ex Paro inſula proxima Naxo optimum ac candidiſſimum marmor in Græciam & Italiam ferebatur, unde Archilochus Poeta ortus erat. Strabo refert Parios Thaſum ædificaſſe, & in Propontide aliud oppidum Parium nomine conſtruxiſſe. Cui quæ proximæ extiterint inſulæ Cyclades, Strabo in x. enumerat. *Secundum hanc Scyrum, & Seriphum, & Melum, & Syphnum, & Cymolum, & Prepeſinthum, & Olearon. Poſt has Parum, Naxum, Scyrum, Myconem, Tenum, Andrum, Gyarum.* *Cyclades Inſulæ.* Syphni & Scyri prope Andron etiam Liv. meminit *lib.* 1. *Dec.* IV. *Cætera claſſis Geræſtum nobilem Eubœæ portum, dum a Caryſto Iſſæi redirent, tenuit. Inde omnes velis in altum datis, maris medio præter Scyrum inſulam, Icum pervenere: ibi paucos dies, ſæviente Borea, retenti, ubi prima tranquillitas data eſt, Sciathum trajecere, vaſtam urbem, direptamque nuper a Philippo.* Ibidem & Cythni mentio eſt; *Ab Andro Cythum trajecerunt: ibi dies aliquot oppugnanda urbe nequicquam abſumpti.* Athen. lib. I. *Dipn.* vinum ex Sciatho laudat adducens verſus ex Poeta, quorum hæc eſt verſio:

Vinum viatori ſuſurrat, ebibe
Sciathum nigrum pari par additum.

Mycone & Seriphos. Adde quæ de Mycone inſula & Seripho refert in x. Strabo. Extat & Mycones ſub qua Gigantum noviſſimos ab Hercule mactatos jacere fabulantur, e qua derivatum eſt proverbium; *Omnia ſub unam Myconem;* quandoquidem quæ natura diſtinguuntur, ſub unum titulum deſcriptionemque ducuntur. Myconos etiam quidam calvos appellant, cum illud vitium ea paſſim exuberet in inſula. Seriphus autem eſt in qua facta vulgabantur quæ dicuntur in fabulis. Dictum piſcatorem arcam adduxiſſe retibus, in qua Perſeus cum matre Danae poſitus tenebatur, cum pater Danaes Acriſius utrumque abjeciſſet in mare. Iſta in inſula educatum eſſe Perſeum proditur, qui cum caput Gorgonis allatum Seriphiis oſtendiſſet, univerſos mutaſſe fertur in lapides, idque in matris ultionem factitaſſe, quia illis adjutoribus Seriphi rex Polyctetes nuptiis invitam adegiſſet, adeo autem lapidoſum eſſe Seriphum, ut qui contueantur, in inſpecta obveniſſe Gorgono cauſentur. *Tenos & Chios inſulæ.* Tenos quoque urbem non ſane magnam habet, verum Neptuni fanum ingens extra muros ſpectatu dignum. CHIOS inſula hodie ſub imperio Genuenſium, (quibus ante ſeculum Imperator Conſtantinus Andronicus Pelæologus donaverat) ad Aſiam verſus deflectens, optimo quondam vino & marmore celebris, ſi Plin. credimus *lib.* v. *cap. ultimo*. Cujus ſitum inter Cycladas Strabo delineans *lib.* XI. *Cæterum in ipſo Aſiæ ſitu circumſcribendo contiguas illi adſcribemus inſulas, præcipue quæ dignæ, ut referantur, videbuntur, Cyprum, Rhodum, Coon, & quæ jacent ordinatim in littore, Samum, Chium, Lesbum, Tenedum.* Idem ab initio *libri* XIV. Ioniæ Chium adſcribit, & inter Ionicas Aſiæ civitates colonias ab Athen. deductas Chium inſulam enumerat, his nominatim verbis. *Unde dicta Chios. TAB. 5. fig. 4.* In Ionica colonia Nauclus Codri filius nothus, poſt eum Pægnas & Damathius Athen. Eretras, Canopus, atque hic etiam Codri filius nothus Phocæam, Athen. cum Philagone, Calzomenos, Parolus Chium, Egertius mixtam multitudinem ducens Samum, Tymbrion, ac deinde Patrocles. Nam hæ ſunt XII. Ioniæ civitates, poſtea ad Ioniam Smyrna adſumpta eſt Epheſiorum opera.

Nomen inſulæ Plin. *lib.* v. *capite ultimo* ex authoritate Metrodori & Cleobuli a Chyone nympha acceſſiſſe refert, quum alii a nive deducant, & Macrin ac Pitiuſam appellatam velint. Hæc omnia VII. *Achaicorum* Pauſanias confirmat, in Dædali hiſtoria: *Conſtat*, inquit, *per univerſam Siciliam & maximam Italiæ partem notum fuiſſe Dædali nomen. Similis autem præter Samos & Elidem ad nullas alias gentes eſt peregrinatus.*

Ion porro Tragicus Poeta in hiſtoria talia quæpiam indicavit. Neptunum in inſulam Chium deſertam tum perveniſſe, ibique cum Nympha concubuiſſe, & partus tempore nivem in terram e cœlo eſſe delapſam, & hac de cauſa Neptunum Chium eum puerum nominaſſe; temporis item progreſſu Oenopionem in Chium ex Creta navigaſſe, & cum eo filios Talum & Evanthem. Idem tradit Oenopionem cum filiis Talo, Evanthe, Melane, Athamante & Salago ex Creta in hanc primum omnium habita tum exiiſſe. Qui ſucceſſores Curetes ex Aſia, & his ex Eubœa Abantes, quos iſthuc Amphiclus ex oraculo duxerat, quos omnes poſterius Hector Trojanorum ditioni ſubjecit. Illo deſtructo Smyrnenſes proximi obtinuere, ſub quorum vero poſtea Chius inſula ditione extiterit incertum, hodie Genuenſes obtinent, quibus a Turcarum illa tyranno conceditur.

Ariſtæus Actæonis pater in Chio. Adde quod in v. ſcribit Diodorus, Ariſtæum ajunt poſt Actæonis obitum, cum ad oraculum adiiſſet patris, Apollinem reſpondiſſe, futurum eſſe, ut Chium inſulam adiret, in qua ei honores impenderentur, cum in eam navigaſſet, orta per univerſam Græciam peſte pro Græcis Sirii aſtri tempore feciſſe dicunt, hiſque actis Eteſiis flantibus ventis morbum ceſſaſſe, miranda profecto

res huic homini privatim contigit. Nam is qui filium a canibus interemptum conspexit, & astrum cœleste quod ex nomine perniciem inferre mortalibus putant, ad salutem vertit, & cæteris extitit causa salutis. Postea nepotibus in Chio relictis in Libyam ad matrem Nympham rediit, ac deinde in insulam Sardorum profectus in ea constitit. Quam autem Chius Asiæ Ionicæ propinqua extiterit, vel ex his Livii verbis colligitur, quæ sub finem *l.* v. *Dec.* IV. leguntur: *Medio fere in cursu obviæ fuere iis quinque & viginti tectæ Rhodiæ naves cum Pausistrato præfecto classis. Iis adjunctis Ephesum hostem persecuti, ante ostium portus in acie instructa steterunt: posteaquam confessionem victis satis expresserunt Rhodii & Eumenes domum dimissi, Romani Chium petentes, Phœnicuntem primum portum Erythrææ terræ prætervecti, noctu anchoris jactis, postero die in insulam ad ipsam urbem trajecerunt; ubi paucos dies remige maxime reficiendo morati, Phocæam transmittunt:* Ad insulæ Chii nobilitatem pertinet, quod ferat generosissima vina Ariusia a monte Ariusio aspero & importuoso, dicta, quæ hodie adjectione unius literæ *Marvisia* nominantur: quorum meminit Maro hoc carmine, *Eclog.* v.

Chius Asiæ propinqua.

Vinum Chium.

Vina novum fundam calathis Ariusia nectar.

Ad quæ alludens scribit in XIV. Strabo: *Cum cæteræ circum vicinæ vino optimo abundent, & tota ferme continens qua propinqua est vina optima ferat: ut Chius, Lesbos & Coos, quin & Ephesium Metropolites optima sunt.* Celebratur eadem insula & Homeri morte, Veneris templo & Harpyiis monstris, quæ huc ex Asia Zethes & Calais, Boreæ & Orithyiæ filii cum Argonautis profecti fugarunt, & quæ ex hac insula Æneam ab excidio Trojano Italiam petentem adflixerunt. Unde in insignibus, ut moneta vetus ostendit, Harpyia Chii usi fuere. Historia de Homero sic habet, ut Philostratus adnotavit: *Cum ex Smyrna Homerus, in qua natus fertur, forte in Chium navigasset, incidens in piscatores, eos interrogavit, ecquid cepissent: Responderunt illi ænigmate: Quæcunque cepimus non habemus, quæ vero non cepimus ea habemus, pedunculos, quibus vestes purgaverant, intelligentes. Hoc ænigma cum solvere Hom. nequiret, mœrore animi contabuit, ac obiit in Chio civitate, insulæ cognomine, LXXX. navium capace.* Cæterum in Chio insula præter cætera Veneris templum maximo precio fuerat. Hinc Titus Livius *Dec.* IV. *lib.* II. *Attali regis legatus naves captivasque, quæ ad Chium navali prælio capta essent, & Nicephorium, Venerisque templum, quæ spoliasset, vastassetque pro incorruptis restituit.* Ædificationem ejus templi ac initia describit Diodorus in V. cum Aristæum Actæonis patrem qui a propriis canibus est discerptus, in Chium insulam commigrasse ostendit: *Post Aristæum, inquit, Daphnis atque Ceyx adjicientur. Ceycem tradunt Veneris ac Butæ regis cujusdam indigenæ insignis gloria filium extitisse. hic propter nobilitatem matris præclarus apud homines fuit, & imperitavit insulæ parti. Condidit quoque super locum excelsum ex suo nomine civitatem præclaram, in cujus arce matri dicato templo & vasis illud variis ornavit & donis.* Eam Venus urbem, tum incolentium religione, tum filii pietate al-

Chiorum insignia.

Homeri obitus.

A lecta, plurimum dilexit, a qua Venus Erycina dicta est. Ad vinum Chium & Harpyias alludunt Poetæ. Maro *Eclog.* v.

Vina novum fundam calathis Ariusia nectar.

Tibullus *Elegia* II.

Nec mihi fumosos veteres præferte Falernos
Consulis & Chio solvere vincla cado.

Critias Græcus Poeta, quem Athenæus citat I. *Dipnos.* cujus versus Latio sic donati sunt:

Meletus Chiusque ferax, urbsque Oenopionis
Aurea Tyrrhenos concelebrat Phiala.

B Hermippus ab eodem Athenæo citatus, cujus Carm. versa:

Fœlicis Chii post jucundissima vina,
Et vinum proprium Saprium quod nomine dicunt,
A quo reclusis vasis & tegmine capto
Surgit odor violam redolens, suavesque hyacinthos
Tota volat divinis odor post tecta reclusis,
Tale meis opto convivis adsit amicis.

Aristophanes eodem citatus & versus:

Bibisse vina non suavi Pramnia
C *Chium, Thasium, dictumque Peparethum.*

Lucanus VIII. *Pharsaliæ*:

Quas Asina cautes, & quas Chio asperat undas.

Ovid. *Metam.* III.

Forte petens Delon, Chiæ telluris ad oras
Applicor, & dextris adducor littora remis.

Ad Harpyias Virgilius III. *Æneid.*

Servatum ex undis Strophadum me littore primum
Accipiunt. Cyclades Grajo stant nomine dictæ
Insulæ Ionio in magno: quas dira Celæno
D *Harpyiæque colunt aliæ, Phineia postquam*
Clausa domus mensasque metu liquere priores.
Tristius haud illis monstrum, nec sævior ulla
Pestis, & ira Deum Stygiis sese extulit undis.
Virginei volucrum vultus, fœdissima ventris
Proluvies, uncæque manus, & pallida semper
Ora fame.

Ovid. *Fastorum* VI.

Sunt avidæ volucres: non quæ Phineia mensis
E *Guttura fraudabant, sed genus inde trahunt.*
Grande caput, stantes oculi, rostra apta rapinæ,
Canities pennis, unguibus hamus inest.
Nocte volant, puerosque petunt nutricis egentes,
Et vitiant cunis corpora rapta suis.
Carpere dicuntur lactentia viscera rostris,
Et plenum poto sanguine guttur habent.

Silius Ital. *lib.* XIII.

Hic diræ volucres, pastusque cadavere vultur,
F *Et multis bubo, & sparsis stryx sanguine pennis,*
Harpyiæque fovent nidos atque omnibus hærent
Condensæ foliis: nutat stridoribus arbor.

Ex quibus versibus, non solum Harpyiæ Icon explicatur, sed etiam phialæ sive vasis vinarii puta oblongi adsculpti imaguncula. Quod autem præter insulæ nomen Chius, vocula adjecta est APTEMI, causam reor tem-

A plum insigne Dianæ, quæ *Artemis* olim cognominabatur, quod aerem tunderet currendo. Hujus in Chio phani meminit Plinius *lib.* XXVI. *c.* V. Ostendunt & Iasii Dianam manibus eorum factam, & in ipso Chio narrata est operis eorum Dianæ facies in sublimi posita, cujus vultum intrantes tristem, abeuntes exhilaratum putant. Dianam vero ac Apollinem Artemidas cognominatos, quod aerem salubrem faciant testatur Strabo *lib.* XIV. *Apollo enim salutifer est, & Artemus ex eo dicitur, quod integros faciat. Sol quoque & Luna his similes sunt, quod causa sint temperiei aeris & pestis, ac spontaneæ mortes his applicentur.* Et *l.* III. *Vocatur autem Artemisium tanquam Dianium, ferrarias habens effossiones feraces ex propinquo.* Et *lib.* V. *Est & Dianæ lucus id est Artemisium, sic enim vocant ex sinistra viæ regione.* Itaque ut sermonem de Chio insula tandem concludamus, Plinius *lib.* XXXVI. præter vinum, quod rubrum præcipue in ea generosissimum provenit, hanc commendat laudatissimo marmore, & Athenæus libro VII. *Dipno.* ludo pilæ hanc celebrat. Cicero secundo *de Oratore*, Simonidem Chium istic genitum, & Prodicam omnium artium peritum cum Hippia Elæo confert.

Artemidis vocis explicatio.

Lesbos.

LESBOS insula magis Arctum versus in Asiam jacet, generosissimo & ipsa vino insignita, quapropter & Bacchi imagine in moneta usa reperitur: est autem Ætolicarum insularum metropolis, mille stadiorum circuitu, clara præsertim vulgata capitis Orphei fabula, quod extinctum huc undis advectum ac locutum tradunt. Ob hanc forte causam, quod post Orpheum in ea insula celeberrima ingenia eloquio claruerint, quorum de numero Arion, Pittacus, Sapho, Alcæus, Terpander, Theophrastus Aristotelis discipulus & successor, quem præceptor moriturus vini Lesbii commendatione cæteris prætulit ob oris suavitatem ac eloquentiam. Civitates hæc quondam insula plures habuit, Lesbon insulæ cognominem, Mitylenem, ubi generosissimum vinum proveniebat, Eressam unde Theophrastus fuit, Metymnam vini feracissimam, Pyrrham, Antissam & Sigæum promontorium, hodie *Metellinum* vocant, quod Calo-Johannes Imperator Constantinopolitanus, quod ejus auxilio classis imperio Græco restitutus fuisset, Francisco Catalusio Genuensi donaverat, cui Turca superiori seculo ademit, & ad quam alluentes cecinere Poetæ. Ovidius II. *Metam.*

An, quæ per totam res est notissima Lesbon,
Non audita tibi est? patrium temerasse cubile
Nyctimenem? avis illa quidem, sed conscia culpæ
Conspectum, lucemque fugit, tenebrisque pudorem
Celat, & a cunctis expellitur æthere toto.

Idem in *Epistola Sapho*:

Lesbides infamem quæ me fecistis amatæ,
Desinite ad citharas turba venire meas.

Et in *Epistola Briseidis*:

Quodque supervacuum est forma præstante puellæ
Lesbides, eversa corpora capta domo.

Lucanus lib. VIII. cum uxorem Pompeii in Lesbo relictam ostendit:

—— non ulla in littora puppim
Ante dedi fugiens; sævi cum Cæsaris iram
Jam scirem meritam, servata conjuge, Lesbon.

Et rursus:

Heu nimium fœlix æterno nomine Lesbos,
Sive doces populos, Regesque admittere Magnum
Seu præstas mihi sola fidem.

Et iterum:

SiccaqueThessaliæ confundit lumina Lesbos.
Tunc Mitylenæum jam pleno littore vulgus.

B Horatius lib. I. *Carm.* od. I.

Lesboum refugit tendere barbiton.

Cæterum, ut caput hoc de insulis Ægæi maris concludamus, regressi ad Atticæ oram meridionalem, haud procul Athenis insulas perlustrabimus, prope Sunium, Patrocli, Helenam & Salaminem. In Patrocli insula Phrenitis Menelai gubernator obiit, quam posterius Antigonus Demetrii filius destruxit. Helenæ insulæ ab Helena Paridis cognominatæ, quod hic post excidium illa Trojanum adducta exscenderit, meminit Strabo in X. In confinibus enim Atticæ & Bœotiæ sita est, ante hoc littus autem ad Thurium & Sunium jacet Helena insula aspera quidem & solitaria, prolixa stad. LX. longitudine. Ejus mentionem a Poeta factam ajunt, cum Helenam Paris alloquitur.

Insulæ Maris Attici.

C

Insula Salamis

SALAMIS contra Eleusinem sita ad fines Megaricos pertingit, a filio Asopi denominata, testante Diodoro in V. cum Asopi familiam explicat. Salamis quoque Neptuno rapta est, advectaque in insulam ab ea Salaminam appellatam. Ex ea Neptunoque genitus Cenchreus imperavit huic insulæ, clarusque inter omnes serpentem miræ magnitudinis, qui incolas vexabat, occidit. Ejus insulæ gubernacula primis temporibus penes Telamonem fuere Æaci regis Æginetarum filium. Quocirca Pausa. scribit Ajacis ossa ibi reperta insignis magnitudinis, fori itidem illius ac templi rudera superasse, & florem Hyacinthum, in quem Ajax dicitur conversus, ibi plurimum provenire. Saxum quoque ibi adhuc ostendi, cui insedisse Telamonem fuerunt, cum naves conspiceret, filiorum navigantium Aulidem ad conjurationem Græcorum adversus Trojanos. Huc facit quod Diodorus in V. refert, Telamon ex Ægina abiens adiit Salaminam, ubi sumpta uxore Glauca Cenchrei Salaminiorum regis filia imperavit insulæ, Glaucaque defuncta Eurybiam Alchati Athen. despondit, ex qua ortus Eantus, postmodum Trojano interfuit bello. Unde apparet, qua occasione Salaminem Athen. in suam redegerint potestatem. Pausanias autem scribit Phyleum filium Eurysacis Ajacis nepotem, Athen. a quibus civitate donatus fuerat, insulam tradidisse, & idcirco Ajacis ac Eurysacis honores apud Athen. perdurare. Porro veteres colonos Athenienses posterius insula pepulerunt objecto eo crimine quod in bello contra Cassandrum de industria fuissent segniores, civitatemque Macedonibus voluntate magis quam vi coacti dedissent. Patet igitur tres populos hanc insulam coluisse Æginetas, Macedones, ac Athenienses. Quam Strabo stadiis LXX. longam asserit & vetustam eodem nomine positam civi-

tatem versus Æginam. Quare & Homerus in *Catalogo* ejus mentionem facit, versus Latinitate donatus sic habet:

Bis senas Salamina rates agit inclytus Ajax.

Colonia Salamina. Sunt qui coloniam deduxisse Teucrum Telamonis filium in Cyprum tradant cum a patre expulsus esset. Quamobrem & in Cypro Geographi Salaminam describunt. Nobilitata præterea Salamis insula ac toti orbi cognita fuit, ex illa memorabili victoria maritima, quam Themistocles de Persis ac rege Xerxe reportavit, qua Græciam a summo periculo liberavit, & qua Dianæ templum condidit, & in eo trophæum erexit. Fuit celebre in hac insula & Cenchrei fanum: qui primus insulæ rex fuerat puta Salamis filius ex Neptuno qui serpente vastatore incolas liberaverat. Pausanias quo tempore Athen. cum Medis navale prælium commiserant, Draconem in navibus suis apparuisse scribit. Ad hanc Insulam denique alludunt Poetæ. Virgil. lib. VIII. *Æneid.*

Nam memini Hesiones visentem regna sororis
Laomedontiadem Priamum Salamina petentem.

Ovid. lib. XIV. *Metam.*

Servat adhuc Salamis Veneris quoque nomine templum
Prospicientis habet.

Cæa insula. Celebratur inter Cycladas & Ceos sive Cæa insula infra Sunium Atticæ promontorium sita, a civitate Cartheia dicta, de qua Strabo in *Geographicis* scribit. Ceos autem quaternas continens urbes, inde Tetrapolis vocitata. Duæ vero restant Cartheia scilicet & quam Julidem appellant, ad quas reliquarum habitatores concurrerunt. Cartheiam quidem a Pooessa, Julidem vero a Corissa, ex Julide Simonides condendorum author carminum duxit originem, nec non illius ex fratre nepos Bacchilides, & postea Erasistratus Medicus insignis, & ex Peripateticorum secta Philosophorum Aristo Binnis Boristhen. æmulus. Ad Cartheiam alludit Naso VII. *Metamorphoseon:*

Transit & antiquæ Cartheia mœnia Ceæ,
Qua pater Alcidamas placidam de corpore natæ
Miraturus erat nasci potuisse columbam.

Idem author Insula prædicta ad Corissam distantem Helxium amnem celebrat, & in urbe Smynthæi Apoll. fanum, ad Pooessam denique Nedusiæ Minervæ templum commemorat a Nestore secundum ejus a Troja reditum ædificatum.

Supra Ceon & modo descriptas Atticæ proximas, cum versus Asiæ littus tum ad Lesbon insulæ celebrantur Cos & Icaria, Leria, & Divi Johannis exilio clara ac Epheso Ionicæ urbi propinqua Pathmos. De quibus Strabo in x. Icaria vero Samo, Icaria quidem deserta manet, at egregia continet pascua quæ usurpantur a Samiis: hujus generis cum sit, tamen celeberrima est, & ab ea Icarium pelagus adjacens vocabulum adipiscitur, in quo & ipsa continetur & Samos & Coos, & modo dictæ Corissa, & Pathmos & Lerus. Athenæus I. *Dipnos.* Icariam optimo vino, quod Pramnion olim dicebatur, celebrat sic scribens: Samus in Icaria insula esse Petram Pramnium vocatam dicit, apud *Icaria insula.*

A quam magnus est mons, a quo vinum Pramnium quod Pharmaticen aliqui nominant, exportatur. Icaria primum Ichthyoessa dicebatur ob piscium multitudinem, qui nascebantur, ut Echinades a viperis, & Sepiades a separum in iis copia, sic & Lagusæ a suis leporibus, vinea autem quæ vinum Icarium producit. nuncupatur, ut voluit Epargides, sacra ab advenis, ab Oenoensibus Dionysias. Est autem Oenoa civitas in ipsa insula. Et Didymus vinum Pramnium a Pramnia vinea ita dicta nominari contendit. Est autem verisimile hanc insulam fuisse nominatam ab B Icario filio Dædali, quod isthic male regens alas factitias cum patrem sequeretur volando, in mare deciderat. Coos vero insula Icariæ opposita, a Plinio *lib.* XIV. *cap.* VIII. CCCCL. stadiorum ambitu delineatur, generoso & ipsa vino ac Æsculapii fano celebris & multis magnis viris, qui ex ea oriundi fuerant Hippocrate Medico, Phileta Poeta, Apelle pictore egregio & Nicia Coorum tyranno. De Æsculapio Coorum Tacitus lib. IV. *Ann.* cap. XIV. meminit. *Nec dispar apud Coos antiquitas: & accedebat meritum ex lo-* *Coos insula.*
C *co. Nam cives Romanos templo Æsculapii induxerant, cum jussu regis Mithridatis apud cunctas Asiæ insulas & urbes trucidarentur.* Et *lib.* XII. *cap.* LXI. in historia Claudii Cæsaris: *Retulit deinde de immunitate Cois restituenda: multaque super antiquitate eorum memoravit: Argivos vel cum Latonæ parente, vetustissimos insulæ cultores, mox adventu Æsculapii artem medendi illatam, maximeque inter posteros ejus celebrem fuisse.* Plinius *lib.* XXXV. *cap.* X. Venerem Coorum celebrat ab Apelle summo artificio depictam. Denique Strabo mirabilem in hac insula consue-
D tudinem fuisse refert ex antiquo Menandri carmine, lege siquidem cautum fuisse, ut qui annos LX. excessissent, veneno vitam finire cogerentur, quo reliquis cibus superesset. Idem Coon insulam a Nysio altera, Neptuni tridente rescissam, cum Polybœtem isthic gigantem occidisset, præterea Nysiron alterum gigantem projectum in mare induruisse & insulam factum refert. Superest adhuc nova insula, tamen extra Cycladas e regione Trojæ sita ad ostium Scamandri haud procul Sigæo promontorio, quo Græci concesserant discessum simulantes, cum equum
E fatalem construxissent, canente Poeta, lib. II. *Æneid.*

Est in conspectu Tenedos notissima fama,
Insula, dives opum, Priami dum regna manebant: *Tenedos Insula.*
Nunc tantum sinus, & statio malafida carinis.
Huc se provecti deserto in littore condunt.
Nos abiisse rati, & vento petiisse Mycenas.

Ovidius I. *Metamorph.*

Et Claros, & Tenedos, Pataræaque regia servit.

F De hac insula & proxima Calydna Strabo *lib.* XIII. hæc adnotavit: Post Sigæum promontorium est Achillæum & Achæium, ulterior Tenediorum regio, & ipsa Tenedos distans a continenti ad stadia XL. E ambitum habet ad stadia LXXX. & urbem Æolicam, & portus duos, & Apoll. Smynthæi delubrum, ut Homerus libro primo *Iliadis* testatur. Circumstant eam duæ parvæ insulæ, quas Calydnas vocant, sitas in navi-

A gatione Lectum versus. Tenedon alii Calydnam dixerunt, alii Leucophrym: circa eam sunt aliæ quædam insulæ. In hac de Tenna conficta fabula narratur, a quo insula nominata est, & de Cygno qui genere Thrax fuit, & Tena pater & Colonarum rex. Porro fabulam illam sive historiam de Tenna narrat Pauf. X. *Phoc. Antiqua fama est Cygnum Neptuni filium Colonis regnasse. Incolebantur autem Colonæ in Troade sitæ, contra insulam Leucophrym: Filiam Cygnus habuit Hemitheam, & filium item Tennam ex Proclea Clytii filia, Caletoris sorore, quem ab* B *Ajace Homerus in* Iliade *scripsit, eo quod ignem navi Protesilai subjecisset. Proclea itaque defuncta, aliam in matrimonium accepit Philonomen Craugasi filiam, quæ correpta amore Tennæ privigni incesti concubitus ut tulit repulsam, apud virum comminiscitur, stuprum illum invitæ inferre voluisse. Hujus imposturæ fidem cum habuisset Cygnus in arcem Tennam una cum sorore inclusam mittit in mare, salvi tamen ambo perveniunt ad insulam Leucophrym, quæ nomen hodie a Tenna est sortita. Interea Cygnus rei veritate cognita ad filium* C *navigavit, ut inscitiam fateretur, & culpam deprecaretur; Proinde cum ad insulam jam applicuisset, funesque nauticos sive ad saxum, sive ad arborem religasset Tennas pro iracundia eas securi abrupit. Hinc de obstinate negantibus quidpiam vulgo dici cœptum est tanquam ille sit qui hæc Tenedia securi incideret. Tennam ab Achille interfectum tradunt Græci, cum familiæ patrocinaretur.* Hæc ex Pausania.

Talem sane securim nummus quispiam vetustissimus Cæsareæ Majestatis exhibet, cujus Iconem hic damus cum inscriptione TENEΔ. qui in aversa parte duas facies repræsentat, D Senis videlicet & Juvenis, puta Cygni patris, ac Tennæ. Erasmus Roterod. in *Proverbiis* aliam rationem reddit proverbii ac Securis illius Tenedicæ, Regem videlicet insulæ prædictæ olim bipennem gestasse in judicio, causaque judicata protinus eum qui fecisset injuriam, securi percussisse. Item Tenedium quendam principem legem tulisse in adulteros, ut utriusque corpus securi concideretur, ejusque exemplum in filium cecidisse, & idcirco in numismate jussisse insculpi, altera ex parte securim, altera duos E vultus ex eadem cervice prominentes, qui in præsenti nummo affabre sculpti cernuntur. (TAB. 5. fig. 5.) Sed placet caput de insulis Cycladibus finire, quas uno ceu fasce Naso VII. *Metamorph.* comprehendit his versibus:

Hinc Anaphen sibi jungit, & Astypaleia regna,
Promissis Anaphen regna Astypaleia bello.
Hinc humilem Myconon, cretosaque rura Cimoli,
Florentemque Cythnon, Scyron, planamque Seriphon,
Marmoreamque Paron, quaque impia prodidit arce
Sithonis accepto, quod avara poposcerat, auro
Mutata est in navem: quæ nunc quoque diligit aurum;
Nigra pedem, nigris velata monedula pennis.
At non Oliaros, Didymeque, & Tenos, & Andros,
Et Gyaros, nitidæque ferax Peparethos olivæ.

CAP. III.

DE SICYONIORUM REGNO ÆGIALIO, ACHAIA NOVA, & CORINTHO.

NON sum nescius aliam fuisse his ipsis provinciis administrationem primis temporibus, aliam denique cum tot factæ essent populorum migrationes, & cum multos reges filios relinquerent, in plures quoque regiones unum & idem propagaretur nomen. Proinde Achaiam aliam quidem in Hellade & Thessalia usque ad Isthmum reperias, cui Ptolomæus & Mela Bœotios, Phocenses, ac ipsos etiam Athen. subjiciunt. (*Variæ Achæorum sedes.*) Aliam rursus in Ægialo ex Sicyoniorum antiquissimo regno, hoc est, Septentrionali Peloponnesi littore a Rhio promontorio usque ad Corinthum delineari animadvertes apud Tit. Livium *Decade* IV. cum bellum Ætolicum describit, ubi videlicet famigeratissimum illud concilium Achæorum fuerat, in quod plerique Græcorum populi transcripti erant: Cuique Spartani adeo ipsi parebant, id quod vel in Corintho, vel Sicyone vel Ænario conveniebat. In qua denique terra postremo a Romanis Proconsulatus Achajæ excitatus fuerat, Procos. e prætorio apud Ægium constituto. Celebrat & Achivos in Laconico agro Strabo in VIII. Achæi genere quidem Phthiotæ fuerunt, domicilia vero in Lacedæmonia habuerunt. Quare non recte meo quidem judicio faciunt, qui Achaiam Argivorum terra, Arcadia, Elide, ac utroque ad Isthmum mari sive sinu Corinthiaco & altero Schœnuntis includunt. Quam terræ portionem, qui Achaiam nominant utpote Proconsularem, & antequam Corintho expugnata in Romanorum venisset potestatem, celebri Achivorum nomine, ac conventu celebratam, ut non absurde faciunt, ita qui Achivorum nomine privant, Thessaliam, Bœoticam, Atticam & Phocida, toto cælo aberrare videntur. Late namque & quidem extra Peloponnesum patuisse Achivorum nomen ac ditionem, vel Titus Livius ostendit in *Decade* IV. qui *lib.* II. ita nominatim scribit: *Simul qui redderent Achæis Orchomenon, & Heræam, & Triphyliam: Elæis Alipheram contendentibus.* Constat vero Orchomenon Phocidis tractu, & Triphyliam inter Messeniam ac Elidem extitisse. Et rursus *lib.* III. ejusdem *Dec. Titus Quinctius Imperator, Philippo Rege, Macedonibusque devictis, liberos, immunes, suis legibus esse jubet Corinthios, Phocenses, Locrensesque omnes, & insulam Eubœam, & Magnetas, Thessalos, Perrhæbos, Achæos, Phthiotas.* (*Achivorum nomen omnibus Græcis commune.*) Et rursus: *Thessalorum genti præter libertatem concessam Achæi Phthiotæ dati ..... Corinthus, & Triphylia, & Heræa (Peloponnesi & ipsa urbs est) reddita Achæis.* Hinc factum arbitror, quod Poetæ vocem Achivi, omnibus passim Græciæ incolis tribuant, veluti etiam Achivi ac Danai. (TAB. 5. fig. 6.) Homerus ex versione Hessi, lib. I. *Iliad.*

Dic mihi magnanimi Pelidæ mea musa furorem,
Qui multas miseris clades invexit Achivis.

Virgil. lib. II. *Æneid.* cum Laocoonem vatem Trojanum loquentem introducit:

Et procul, o miseri, quæ tanta insania, cives?
Creditis avectos hostes? aut ulla putatis
Dona carere dolis Danaum? sic notus Ulysses?
Aut hoc inclusi ligno occultantur Achivi.

Ovid. lib. XIII. *Metamorph.*

Ante retro Simoisque fluet, sine frondibus Ida
Stabit & auxilium promittit Achaia Trojæ.

Et in *tertio*:

Cognita res vati meritam per Achaidas urbes
Attulerat famam:

Statius lib. I. *Theb.*

Congeminati signum terris unde omnis Achæi
Ora maris late Pelopeiaque regna resultant.

Cæterum qui res gestas in literas retulerunt, ac Geographi plerique, Achaiam primam in Peloponneso provinciam distinguunt, non tam late patentem, ut Pausanias *lib.* VII. *Et deinceps quæ in medio Elidis & Sicyoniæ ad mare usque porrigitur, Achaia nostra tempestate ab incolis nominatur*. Plinius *lib.* IV. *cap.* V. *Achaia provincia ab Isthmo incipit, antea Ægialos vocabatur propter vicos in littore per ordinem dispositos. Primæ ibi quas diximus Lechæus Corinthiorum portus, mox Oluros Pelleneorum castellum, oppida Helice, Bura, & (in quæ refugere haustis prioribus) Sicyon, Ægira, Ægion, Erineos. Intus Cleone, Hysiæ. Panhormus portus, demonstratumque jam Rhium: a quo promontorio quinque millia passuum absunt Patræ, quas supra memoravimus. Locus Pheræ in Achaia novem montium Scioessa notissimus; fons Cymothoe, ultra Patras oppidum Olenum, colonia Dymæ: loca Buprassium, Hyrmine, promontorium Araxum: Cyllene sinus, promontorium Chelonates. Inde Cyllenem duo millia passuum: castellum Phlius: quæ regio ab Homero Aræthyrea dicta, postea Asopis. Inde Eleorum ager, qui antea Epei vocabantur.* Ex quibus verbis facile apparet Achaiam in Peloponneso fuisse, & minime Hellade, neque in illa tota, sed littore duntaxat Helladi opposito, & ubi Isthmo Peloponnesum Helladi cohæret ad duos sinus Corinthiacum, & Schœnuntis, ob quod & Ægialus antiquitus vocabatur.

Achæorum transmigrationes. Hæc cum ita sint, re paulo altius repetita, docebimus ex diversis populorum migrationibus, primam longe omnium & antiquissimam Achaiam in finibus Thessaliæ extitisse, usque ad Phocidem & Atticam ab Achæo nominatam Xuthi filio, nepote Hellenis, & Deucalionis pronepote, a quibus in Atticam migravere Xutho duce, ejusque filio Ione Achæi fratre, ubi dum Achæus Xuthum patrem interfecisset, cum aliquot suis popularibus in Laconicum agrum abiit, atque ibi novam Achaiam constituit. Unde rursus filii Achæi, Archander & Architeles, Danai generi facti, Argos non minimam suorum manum traduxerunt. Unde & Homerus lib. VIII. *Iliados* Argos Achæum cognominare videtur, & in *Catalogo* nominatim canit Cecropias manus, tum qui Junonis Archivæ tecta colunt Argos.

Postremo cum Heraclidas in Peloponnesum Dorienses reduxissent, Tisamenus Orestis filius rerum in Achaia illa Laconica, & Argiva potitus, cum a Doriensibus urgeretur, ad Iones in Ægialo habitantes, suos traduxit, ut populares & ab Ione Achæi fratre descendentes, qui cum cohabitationem ne-

A gassent, bello petitos Achæi duce Tisameno ex Peloponneso in Atticam profligarunt, & ipsi pro Ionibus Ægialum habitandum accepere, XII. conditis urbibus, quæ supra ex Plinio sunt commemoratæ.

Sic itaque liquet eandem provinciam ob tot colonorum mutationem (quæ scilicet prima Helladi opponitur, eidemque Isthmo cohæret) quatuor ordine nominibus fuisse appellatam, primo quidem Sicyoniam; quod ut antiquissimum in Græcia regnum etiam B S. Augustinus *de Civitate Dei* commemorat, & cujus Homerus in *Catalogo* mentionem facit. Secundo Ægialon, sive a littoralibus urbibus, sive ab Ægialo rege Sicyoniæ, ut Pausanias existimat. Tertio Ioniam, ab Ione Xuthi filio, & Achæi fratre, qui Selinuntis regis Ægiali filiam unicam Helicen uxorem duxerat, & socero successerat, ditione ex Attica, ubi Xutho patri successerat, hucusque propagata. Et quarto Achaia, ab Achivis, quos Tisamenus Orestis filius ex Laconica & Argolide a Doriensibus pulsus eo traduxerat Ionibus expulsis, ut de vetu- C stioribus nominibus Asopia Phliunte, & cujus Homerus *lib.* II. mentionem facit, Aræthyrea sileam, omittam denique omnium recentissimum Corinthi regnum in ipsa Achaia excitatum. *Nomina varia Achaiæ.*

Hinc est quod Plinius scribit Græciam subinde nomen mutasse, & Thucydides ante Hellenem Deucalionis & Pyrrhæ filium non uno nomine Græcos vocatos refert, sed singulos populos singula sibi nomina imposuisse. Quæ ita esse ut proponimus classicorum authorum testimoniis ordine confirma- D bimus. Quorum Strabo in VIII. *Fama est*, inquit, *Deucalionis filium Hellenem fuisse. Hunc autem circa Phyam Penei & Asopi mediam regnum tenuisse, & maximo natu filio imperium tradidisse, reliquosque foras dimisisse, ut sedem sibi quisque conquireret. E quibus Dorus Dorienses Parnoso affines habitatores constituit, sibique superstites a se vocatos reliquit. Xuthus autem assumpta in matrimonium Erechthei filia, colonos ad quadripolim Atticæ terræ induxit Oeneam, Marathonam, Probalinthum, & Tricorynthum. Ex hujus filiis unus Achæus nomine, cædem invitus pa-* E *trans, in oram Lacedæmoniorum profugus se recepit, & ejus loci accolas Achæos vocari constituit. Jon vero superatis Eumolpi commilitonibus Thracibus tantum famæ laudisque consecutus est, ut Athenienses illi Reipublicæ gubernacula committerent. Qui primum omnium multitudinem quaternas divisit in tribus, deinde in quatuor degendæ vitæ vias. Quosdam enim agricultores designavit, alios opifices, aliquos sacrorum faciendorum curæ præfecit, nonnullos civitatis custodes. Talibus quidem ab eo ordinatis amplius regionem sui nominis vocabulo appellatam reliquit. Qua in dies magis* F *mortalibus referta Athenienses intra Peloponnesum ex Ionibus coloniam miserunt, & plagam quam occupaverant pro Ægialea Ioniam nominarunt, eodemque modo pro Ægialensibus Iones appellati in civitates* XII. *dispertiti. At enim post Heraclidarum reversionem ab Achæis expulsi denuo Athenas repetiere. Illinc vero cum Codri prognatis in Asiam Ionicam transmisere coloniam.* Non diversum scribit in VII. Pausanias. *Achaia vero nostra tempestate ab incolis denominatur, olim & ipsa Ægialos, ac qui terram incolunt Ægialenses vocabantur ab*

Doriensium origo. *Ionum in Attica origo.* *Iones in Pelopon.* *Iones in Asiam.*

Ægialenses in Sicyone. Xuthus ex Thessalia in Atticam. Xuthus in Ægialum. Achivi ex Thessalia. TAB. 5. fig. 7. Jones ex Sicyonia.

Ægialo, ut Sicyonii perhibent, Rege Sicyoniæ, quæ ita nunc appellatur. Sunt qui a regionis situ nomen deductum existiment.

Magnam enim ejus partem Ægialum, id est, littus esse. Aliquanto autem post mortuo Hellene, Xuthum reliqui Hellenis liberi Thessalia expulerunt, crimine hoc intentato quasi pecuniæ nonnihil paternis bonis subtractum in suam potestatem convertisset. Hic Athenas cum profugisset, accepta in matrimonium Erechthei filia, Achæum & Ionem filios ex ea suscepit: mortuo deinde Erechtheo, de regni successione arbiter a filiis ejus Xuthus est electus. Cumque Cecropi natu maximo regni successionem adjudicasset, reliqui Erechthei filii e regione eum ejecerunt. Profectus itaque in Ægialum cum aliquandiu ibi habitasset, diem obiit extremum. Ex liberis autem Achæus collectis ex Ægialo & Athenis Thessaliam invasit, & regnum paternum recuperavit. Contra Ægialenses porro & Selinuntem eorum Regem, cum exercitum conscriberet Ion, missis legatis Selinus unicæ quam habebat filiæ Helicæ nuptias ei offerebat, regnique hæredem ipsum Ionem designavit. Hæc quia Ioni non displicebant, Imperium Ægialensium suscepit post Selinuntis mortem. Helicem item oppidum ab uxoris nomine in Ægialo condidit, & Ionas a suo nomine incolas appellavit. Id non mutatio nominis, sed additio fuit; Ægialenses enim Iones appellabantur, magis tamen antiquum in regione nomen permansit. Homero itaque in *Catalogo* eorum qui cum Agamemnone sunt profecti, satis fuit veterem terræ appellationem indicare;

Perque omnem Ægialon, & circa Helicen spatiosam.

Jones in Attica. Jones ex Sicyonia pulsi.

Sub Ionis imperio cum bellum adversus Athenienses gererent Eleusinii, Atheniensium Ionem belli ducem accerserunt: obiitque is in Attica, ejusque monumentum in Potamiorum municipio extat. Posteri vero Ionis Ionum imperium obtinuerunt, donec ipsi cum populo ab Achæis sunt expulsi. Sed evenit tum, ut Lacedæmone, Argisque, ipsi etiam Achæi a Doriensibus expellerentur. Et subdit: *Quibus auspiciis Achæi in Argolidem venerint, & inde in Ægialum (ubi postea Achaia constituta fuit Proconsularis apud Romanos provinciæ) Archander Achæi filius, & Architeles ex Phthiotide Argos sunt profecti, & Danai ibi generi facti, Automaten quidem Architeles duxit, Scæam vero Archander. Cæterum Argis eos permansisse non minimum hoc est argumentum, Metanasten enim, id est, exulem filium suum Archander appellavit. Cum itaque multum & Argis & Lacedæmone Achæi liberi possent, factum est ut ejus loci homines Achæi appellarentur.*

Achæi ex Laconica pulsi. Achæi in Argolidem.

Et iterum qua occasione Argoliden ac Laconicam reliquerint. *Tunc itaque Lacedæmone & Argis ejecti a Doriensibus, misso caduceatore ab Ionibus petierunt, ut communicato incolendi jure ipsos cum Rege Tisameno Orestis filio absque bello in terram reciperent. Ionum autem Regem timor invasit, ne si consociarentur cum suis Achæi, Tisamenum ob fortitudinem & generis gloriam communibus suffragiis Regem crearent. Sic itaque Iones repudiata Achæorum petitione, cum arma cepissent, Tisamenus quidem cecidit in prælio, Achæi vero victos Ionas & Helicem compulsos obsidione cinxerunt, & impetratis postea conditionibus discedere permiserunt. Tisameni ita cadavere Helicæ ab Achæis sepulto.* Hæc Pausanias.

Achæi in Sicyoniam sive Ægialum.

Quæ luculenter ostendunt, quando & quibus cum initiis tum auspiciis, Achæi, post multas transmigrationes ex Attica in Thessaliam, ex Thessalia rursus in Laconicam, & inde quoque in Argolidem proximam, & ex utrisque in Sicyoniam sive Ægialum transmigrarint, ubi illa postrema constituta est Achaia, quam hocce capite describimus. Itaque ut a primo terræ nomine auspicemur, nempe SICYONIA. Hanc non solum, ut ex B. Augustino *de Civitate Dei* constat, vetustissimum omnium Græciæ extitisse regnum multis seculis ante Trojanum bellum, verum ex ipso etiam Homero liquet, qui in *Catalogo* lib. II. *Iliados* ejus nominis expresse meminit, ut habet versio Eobani,

Achaia postrema Sicyoniæ vetustissimum regnum.

Quique Aræthyream cinctam florentibus armis,
Qui Sicyona colunt urbem, quis maximus olim
Rex fuit Adrastus, qui in monte sitam Gonœssam,
Quique Hyperesia Pellenem, Hegion inde,
Omnia quæ curvi sita sunt in littoris ora,
Quique habitant Helicen arcem regionibus amplam,
Navibus hos centum ducebat Rex Agamemnon
Atrides, quem tot populique ducesque secuti
Regem præfecere heroibus omnibus unum.

Itaque cum vetustissimum hoc regnum & regni nomen extiterit, qui factum sit, ut amisso Sicyoniæ nomine Ægialos sit postea illa nominata terra, inquirendum nobis est. Id vero a rege quopiam Ægialo contigit, qui rerum in Sicyoniæ regno potiebatur, quemadmodum similiter apud nos Germanos accidit, qui a Tuiscone rege Teutones sive Tuiscones; deinde vero, a succedentibus Regibus Turingiæ, Sicambri, Franconiæque peculiares appellationes sortiti sumus, manet nihilominus tamen primarium nomen. Sic mansit & Sicyoniæ, sed civitati duntaxat metropoli, agro, ad oram maris & ad utrumque sinum Schœnuntis & Corinthiacum exporrecto aliam denominationem accipiente, primum quidem ab Ægialo Rege Ægialos, inde vero ab occupatoribus populis Ionibus atque Achæis, Ioniæ & Achaiæ. Pausanias tamen in *secundo* a Sicyonibus Antiopæ liberis & fratribus Amphionis & Zethi, puta Regis Thebarum filiis, derivare nomenclaturam videtur.

Reges Sicyoniæ.

Sed placet Sicyoniorum Reges ordine recensere. Ægialus primus ad Isthmum venit, & Ægialon Peloponnesi regionem denominavit, relicto filio Europe, qui Telchinem suscepit, & is Apim, qui, antequam Pelops in Olympiam venisset, totam regionem intra Isthmum a se Apiam denominavit. Cujus filius Thelxion Ægyrum tulit, unde Ægyra eorum finium civitas nomen est sorti-

sortita. Ægyrus Thurimachum genuit, qui Leucippum, Leucipus Calchiniam unicam filiam reliquit, quæ ex Neptuno Peratum genuit. Is Plemnæum, cujus liberis omnibus extinctis illico post partum, Ceres anili habitu amissa Proserpina vagabunda Orthopolin filium conservavit. Ortho polis filiam Chrysorthen tulit, quæ ex Apolline genuit Coronum. Is Coracem suscepit, quem Epopeus ex Thessalia veniens Antiopes Nyctei filiæ conjunx regno privavit. Epopeus de Thessalis victor, ex Antiope Nyctei vel Asopi filia Lamedontem reliquit, & bello Thebano ex vulnere obiit. Lamedon sive filius Epopei sive frater extiterit, Antiopen reliquit, quæ ex Zetho Amphionem genuit. Suscepit & alteram ex Phenone Clytiæ Atheniensis filia. Unde unicam natam habuit, quæ Sicyoni cuidam nupta fuit, filio Melani Antassi nati & Gonoessæ. Is Sicyon non solum nomen provinciæ mutavit, ut pro Ægialo Sicyonia diceretur, verumetiam filiam reliquit Chthonophylam, quæ ex Mercurio Polybum, & ex altera Phlia Andromedontem suscepit, ultimos sui stemmatis Sicyoniorum reges, quibus Adrastus Argivorum rex exul successit, sub quo pessum eunte paulatim regno sive Ægiali sive Sicyoniorum, Iones in ea provincia ad se rerum summam traxerunt.

Locus Pausaniæ de postremis regibus Sicyoniæ.

Unde est quod scribit in *Corinthiacis* Pausanias: *Lamedon regno potitus Athen. mulierem Phenonem Clytiæ filiam duxit uxorem, aliquanto post orto inter ipsum bello & Archandrum atque Architelem Achæos, Sicyonem ex Attica ad belli societatem evocavit, Zeuxippa filia in matrimonium illi tradita. Ab hoc Rege ager Sicyonius, & urbs quæ prius Ægiale fuerat, Sicyon appellatur. Sycionem porro non ex Marathone Epopei filio, sed Metione Erechthei prognatum fuisse pehibent. Eadem est Asii quoque sententia. Hesiodus præterea Erechtheum ei, Ibycus autem Pelopem patrem tribuit. Sicyon Chthonophylam genuit ex Chthonophyla & Mercurio Polybum natum esse ferunt Phlias postea Bacchi filius eam duxit, & filium Androdamantem ex ea suscepit. Polybus autem Talao Biantis filio Archivorum Regi Lysianassam filiam dedit. Quare Adrastus cum Argis exularet, Sicyonem ad Polybum venit, defunctoque Polybo Sicyonis imperium ocrupavit. Adrasto autem Argos reverso Janiscus unus ex familia Clytiæ, quem socerum fuisse Lamedontis diximus relicta Attica regnavit mortuo Janisco Phæstus, qui ipse etiam Herculis filius ferebatur. Oraculo autem admonitus in Cretam cum se contulisset Phæstus, regnasse dicitur Zeuxippus Apollinis filius & Nymphæ Syllidis. Post Zeuxippi obitum Agamemnon exercitum contra Sicyonem eduxit, regemque Hippolytum Rhopali filium & Phæsti nepotem, sed Hippolytus metu adventantis exercitus Agamemnonis se, & Mycenarum potestati subjecit.* Hæc ille.

Polybus rex Sicyoniæ.

Sicyonii regni ruina.

Postremi Reges Sicyoniæ. Phæstus rex Sicyoniæ.

Quo luce clarius ostenditur, ante tempora Troiani belli Sicyonorum amplissimum & nomen imperium extitisse. In quo denique postremi gubernarunt, ex Heraclidis Lacestides Hippolyti filius, Phæsti nepos, Herculis abnepos, & filius Regnidas, qui Phliasiorum principem Hippatum in Samum profligarunt, ubi filius Euphroa, abnepos Pythagoras gubernarunt. Mortuo Regnida Temeni regis Argolidis filius Pamphaes Sicyonem destruxit, & regionem Argolidi subjecit: ita antiquissimum regnum in ruinas concessit. Accessere terræ motus continui & Demetrius Antigoni filius, qui Ægialeon civitatem veterem diruit.

Tyranni & duces Sicyoniorum.

Leguntur tamen, antequam Macedones rerum in Græcia potiti fuissent, Tyranni in Sicyone saltem civitate Rempublicam administrasse Myron, qui Olymp. XXXIII. curuli certamine in Olympia vicerat, & ibi thesaurum duos æneos thalamos consecrarat, Aristonymus & filius Clisthenes, qui portam Clistheniam nominavit, cum Amphictyonum auxilio Scyronem vicisset, Cleon, Euthidemus, & Thimoclides a populo ejecti, Clinias Arati pater, Abantidas qui Aratum in exilium misit, Pasæas pater Abantidæ, Niocles Pasæa interfecto.

Arati Sicyonii res gestæ.

Sed hos omnes & belli studiis & integritate superavit Aratus, Cliniæ filius, qui collectis exulibus & auxiliaribus Argivis, Sicyonem occupavit, Niocle pulso, & patriæ libertatem recuperaverit, & ut eam tueri adversus hostes Ætolos, Locros ac Spartanos posset, Achæorum concilio inscribi curavit, una cum Argivis: quare factum est, ut Ætolos primum ac Locrenses debellaret, deinde adversus Antigonum Philippi illius, qui Demetrii filius fuerat in Achæorum concilio Imperatoris creatus. Corinthum e servitute Macedonica exemit Perseo præfecto præsidii profligato, & Atheniensium e Piræeo, Munichia & Sunio promont. præsidio Macedonico ejecto, Diogene præsidii præfecto corrupto. Eandem operam Argivis præstitit, Aristomacho Tyranno, qui Macedonum nomine tenebat, expulso. Extraxit & Mantineam a Macedonica potestate. Postrema illius adversus Spartanos bella fuere, quorum primo Agidem Eudamidæ filium, qui Pellenam occupaverat, inglorium domum redire coegit, altero licet a Cleomene Leonidis filio Spartanorum rege ad Dymen victus fuisset, recollecto tamen exercitu, & adscito in belli societatem Antigono Demetrii, eundem circa Selasiam ad internecionem cecidit, a finibus progressus Spartam expugnavit, Epiclide filio Leonidis in acie occiso, & tutore illius Cleomene ad Ptolomæum Ægypti fugato. Sed cum nimis fideret Macedonibus, a Philippo Antigoni filio Persei patre veneno e medio aufertur, cui Sicyonii grati Sacellum in urbe construxerunt.

Sicyonis urbis potentia.

Quæ urbs, pessum jam eunte regno illo pervetusto Sicyoniorum, quod totam Ægialiam comprehenderat, quam famigerata ac potens multis seculis manserit, non solum declarant gravissima bella, quæ cum Orneatis, Phocensibus & Eleis Thebanisque gesserunt, quorum illud in X. alterum in XI. cætera in VI. prolixe Pausanias describit.

Bella Sicyoniorum.

Verumetiam testantur tot thesauri, quos partim Delphico, partim Olympico templo dedicarunt, quorum in V. & X. idem author mentionem facit. Ad hæc urbis amplitudo ac magnificentia veteris potentiæ vel imaginem exhibet. In qua videlicet Hadriani adhuc tempestate, cum cætera Græca pene omnia regna ac civitates florentissimæ quondam concidissent, eodem Pausania authore, adhuc Arx in Sicyone, Theatrum, Gymnasium, ac Templa

infinita supererent, quorum is enumerat: Fortunæ Acrææ, id est, montanæ in arce; post theatrum Bacchi, in quo mira consuetudine sacra Deo fiebant ad portam sacram; Minervæ; Dianæ & Apollinis ab Epopeo rege; Junonis ab Adrasto Rege; Suadelæ a Prœto (ubi VIII. pueri & totidem puellæ sacra peragebant) constructa; præterea Dianæ Limnatidis; Dianæ Pherææ; Jovis Milichii; Apollinis Carnei a Phlace Temeni F. conditum; Neptuni Isthmii; Mercurii Forensis; Æsculapii; Veneris Lutrophoræ; Herculisque cui agno sacrificabant partim comeso, & sacra onomata vocabant.

Concilium Achæorum in Sicyone. Confirmat denique veterem urbis gloriam, quod primi concilii Achæorum illi memoratissimi participes facti fuerint, Pausania in VII. autore, & quod Achæorum ipse conventus amplissimus, in quem omnes pene totius Græciæ populi adscripti fuerant, tum Corinthi, Ægio, Rhioque ac Argis, tum præcipue in Sicyone peragebatur. Hinc Livius secundo *Decad.* IV. *Corinthum iis contributuros in antiquum gentis concilium, autore consule legati a fratre ejus Livio Quinctio & Attalo & Rhodiis & Athen. ad Achæos missi, Sicyone datum est iis concilium.* Et *lib.* V. *Achæi non ante ausi capessere bellum, quam a Roma revertissent legati, ut, quid Senatui placeret, scirent. Post reditum legatorum ad Sicyonem concilium edixerunt & legatos ad Titum Quinctium miserunt.* Pausanias in VII. scribit, in Sicyone judicium constituisse, quod omnem Græciam & ipsos etiam Athenienses judicarit: *Confugiunt itaque*, inquit, *ad Romanorum Senatum Oropii, cumque injusta passi viderentur, injunctum est Sicyoniis a Senatu ut propter Oropios mulctam Atheniensium pro magnitudine damni irrogarent.* Ex quibus omnibus, inclinante paulatim Sicyoniorum potentia & Achæorum crescente, liquet Sicyonem in Achæorum potestatem concessisse, post Corinthum tamen existimationem retinuisse. In qua urbe Cicero in *Oratore* ac *Bruto* calceos muliebres extollit, citans versum Lucilii.

Et pedibus levia Sicyonia demit honesta.

Mores Sicyonum & ritus. Plinius *lib.* XXXV. metallorum, ac officinarum omnium patriam vocat, & *capite* X. pingendi arte Sicyones excelluisse testatur his nominatim verbis: *Et hujus autoritate effectum est in Sicyone primum, deinde in Græcia, ut pueri ingenui ante omnia Graphicen, hoc est, picturam in buxo docerentur, recipereturque ars illa in primum gradum liberalium.* Sed tempus est ut concludamus de Sicyoniis sermonem, si morem in sepultura observatum antiquum adjecero ex Pausania: *Ipsi vero Sicyonii simili fere modo sepeliunt. Cadaver terra obruunt, extructaque lapidea crepidine columnas imponunt, fastigio addito templorum, aquilis simillimo, inscriptionem aliam nullam adjiciunt, sed sine patris mentione nomen sepulti solum exprimunt, & valere eum jubent.*

Corinthi reges. Et de Sicyone hactenus, sequitur Corinthus, quondam amplissimum regnum, cum Sicyoniorum desolatum fuisset, & antequam adhuc illa Achæorum ex Laconica & Argolide in Ægialum transmigratio contigisset, qui eam posterius subjugarant, cum reges creare desiissent Corinthii. Et in *Corinthiaci* recentissimos in Peloponneso Corinthios Pausanias appellat. Constat tamen antiquissimos eo in loco rerum fuisse potitos. Et ut de Asopo fileam Oceani ex Thetide nato, qui in finibus regnum tenebat apud Phliuntem & fluvio transeunti nomen reliquit, atque ex Evadne Martis & Thebes filia, vel secundum alios Methope Adonis præter Pelasgum & Ismenum, qui in Hellade regnarant, multas filias susceperat. Æginam Æaci regis Oenones conjugem, raptam a Jove, Synopem raptam ab Apolline, delatamque Synopem.

Unde Syrus genitus, qui in Asia regnavit Corcyram raptam a Neptuno, & in cognominem insulam delatam, unde Phæacus, & ex Phæaco Alcinous, qui Ulyssem in Ithacam deduxit, procreati. Salamen itidem a Neptuno raptam & in sui nominis insulam portatam, matrem Cenchrei, qui serpentem occidit & navalibus Corinthiorum nomen reliquit, & Evadnem uxorem Capanei, qui Adrasti Argivorum Regis dux in obsidione Thebarum, fulmine ictus perierat.

Ut de Asopo igitur, & genere illius fileam, utpote quod in Helladem & proximas insulas, e finibus Corinthi, vel ut tum vocabatur Phliuntis, abierat. Est tamen animadversum ab antiquis autoribus, Reges horum finium proprios, atque adeo primis etiam temporibus extitisse, e multis paucos recensebo. Sol primus traditur ad Isthmum gubernasse, & cum Neptuno pro illa terra certasse, & ex Ephyra Oceani filia tulisse Aloeum. Hic Ephyram civitatem construxit, ex cujus ruinis postea Corinthus a Corintho Marathonis filio fuit condita. Aloeus vero cum abiisset in Colchidem cum Argonautis, Buro Mercurii & Alcidamiæ filio Ephyræ regnum administrandum reliquit. Qui postea reverso filio Aloei Epopei illud restituit. Epopeus Marathonem suscepit, qui relictis his finibus, cum in Atticam se contulisset, Marathone urbe ad Asopum condita, Corintho filio regnum reliquit, qui contempta Ephyra aliam prope urbem majorem in littore maris infra Isthmum construxit, eamque a suo nomine Corinthum appellavit. Emporium insigne posterioribus seculis totius orbis, & quam Philippus Amyntæ intra tres compedes Græciæ recensuit.

Quibus auspiciis Jason & Medea Corinthum petiere. Ad hunc Corinthum Medeam fugisse, cum a Jasone esset repudiata, aliqui tradunt; plerique cum eo Jasonem etiam atque Jasonem adeo ipsum in regno Corinthi, Corintho Regi successisse, atque a Jasone Sisyphum Æoli filium Athamantis regis Bœotiæ fratrem adoptatum. Diversum tamen a Diodoro quinto *Bibliothecæ* traditur, qui Creontem Regem Corintho successisse scribit, ad quem licet Jason cum Medea venerit, sed ob aliam tamen causam, quod videlicet ob senectutem ac veneficium, odio Medeæ cum laboraret Creontis Regis Corinthi, filiam Glaucam superinducere conabatur, idque uxoris voluntate. At Medea cum virum a proposito avertere nequiret, occisis filiis ex Jasone, Thessalo excepto, qui necem effugerat, regiam Corinthi, ubi tum fuerant, una cum Creonte ac filia Glauca in-

flammasset Jasone solo mortem fuga evitante. Placet verba quædam authoris illius referre: *His actis cum Argonautis ad Isthmum Peloponnesi navigans sacra fecit Neptuno, cui navem Argo dedicavit. Cum ingens ei fama esset, apud Corinthiorum Regem Creontem ad eum divertens, secum vitæ reliquum tempus egit Corinthi, cogitantibus Argonautis in patriam abire.* Et subdit: *Hunc Corinthii tradunt, cum annis decem cum Medea vixisset, genuisse ex ea filios priores duos, Didymum, Thessalum, Alcemenum his posteriorem, tertium Tisandrum: quo tempore ajunt, Medeam magno in honore, non solum propter speciem qua eminebat, sed propter prudentiam, cæterasque quibus ornata erat virtutes a viro habitam, paulatim deinde ætate decorem formæ auferente, Jason Glaucæ Creontis filiæ amore captus virginem nuptui a patre petiit annuente Creonte, certumque nuptiarum diem statuente, Jason Medeæ nititur spontaneum divortium suadere. Ait enim cupere se illam uxorem ducere non in ejus contemptum, sed ut filios suos in domum regiam ea cognatione introduceret. Ægre verba hæc ferente Medea, Deosque testes juramenti præstiti appellante, Jason suscepti beneficii oblitus, Creontis filia uxore sumpta, Medeam urbe pellit. Illa cum a recessu diem unum a Creonte petiisset, noctu regiam ingressa certis medicamentis immutata facie domum incendit, radice quadam a Circe inventa, ea virtute, ut incensus ignis nequiret extingui, repente a conflagrante regia Jasonem exilivisse tradunt, Glaucam, Creontemque igne absumptos. His haudquaquam acquiescens Medea, inque Jasonis ultionem intenta, postquam evasisse flammas cognovit, animum morti filiorum in patris calamitatem jacit. Omnes, uno qui aufugit excepto, natos jugulavit: eorumque corpora sepelivit in templo Junonis, deinde fidissimis sociis fugæ assumptis Medea noctu ex Corintho fugiens Thebas ad Herculem venit.* Hæc ille.

Sisyphus rex Corinthi. His igitur auspiciis Jason Corinthi Dominus effectus, Sisyphum Æoli filium, fratrem Athamantis Bœotiæ Regis adoptavit, & in regno successorem reliquit. Hunc ferunt in memoriam fratruelis Melicertæ, Athamantis filii, Isthmia ludicra instituisse, ubi cursu, jaculis & Poetis certabatur, eo loco quo scilicet Ino cum filio Melicerta furorem mariti fugiens, se e saxo in mare præcipitem dederat, excepti a Delphino, ac in Deos marinos Deorum commiseratione versi, nempe Leucotheam & Palemonem, quem Latini Portumnum vocant: ad quæ alludentes cecinere Poetæ. Simonides ex versione Alciati:

Isthmia Philonis Diophon & Pythia vicit,
Et cursu, & jaculo, saltibus, ore, pale.

Pindarus ex ejusdem versione:

Dum disci jactu saltus pediti impetus hastæ
Atque pale & cursus stadium fuit omnibus unum.

Papinius VI. *Theb.*

Prosilit: excipiunt plausu Pisæa juventus,
Eleæque manus: sequitur Sicyonius Alcon,
Et bis in Isthmiaca victor clamatus harena
Phædimus, alipedumque fugam prægressus equorum

Ante Dimas: sed tunc ævo tardante secutus.

Is Sisyphus, quod tyrannidem in Isthmo exercuisset, ex hospitibus alios saxi onere prægravando, alios calce, dum & pedes lavarentur in aquas deturbando, a Theseo bello petitus & occisus, fingitur apud inferos hac pœna a Poetis affici, ut grande saxum supra montem portare, aliud volvere coactus: cum ad apicem deduxerit, continuo ad ima relabatur, canentibus Poetis, & præcipue Ovid. in IV. *Metamorph.*

Viscera præbebat Tityus lanianda, novemque
Jugeribus distractus erat. Tibi Tantale nullæ
Deprenduntur aquæ, quæque imminet, effugit arbos.
Aut petis, aut urges ruiturum Sisyphe saxum.

Et *lib.* XIII.

Æacus huic pater est, qui jura silentibus umbris
Reddit, ubi Æolidem saxum grave Sisyphus urget.

Porro Sisyphus ille plures cum genuisset liberos, Ornitio quidem Phoci pater in Phocidem, sive ut tum vocabatur Orchomenon, abiit, Thersander & Almus ab Athamante patruo in regnum Bœotiæ adoptabantur. Quorum Glaucus tantum, & Thoas in regno Corinthi mansere, qui cum ex ætate imperio nondum apti essent, Phryxum fratris Athamantis filium post obitum patris (cujus furorem in Asiam cum Helle sorore fugerat) reversum filio tutorem ac successorem designavit. Cui adultus postea Glaucus major natu in regno Corinthiorum successit. Is qui bello Trojano interfuit, & arma cum Diomede permutaverat: quæ utrique permutatio exitiosa fuit. Diomedes enim memor veteris hospitii sua arma ænea precio novem boum cum illius aureis precio centum boum æstimatione permutavit, ut Homerus VII. *Iliados* refert, de cujus morte alius alia scribit. Probus Grammaticus & Servius referunt, Glaucum equos aluisse humana corpora pascentes, quos cum a coitu arceret, quo essent velociores, furore a Venere immisso, dum ad currum jungit dilaceratur. Ad quod alludens cecinit Virg. tertio *Georgicorum*: *Fabula de Glauco.*

Et mentem Venus ipsa dedit, quo tempore Glauci
Potniades malis membra absumpsere quadrigæ.

Alii tradunt relicto Corinthiorum regno Thoanti fratri, in Asiam abiisse, atque in Lycia regnasse, ac postea bello Trojano interfuisse, ac arma in ipsa pugna veteris hospitii ergo permutasse, ne alter alterum occideret: occisum tamen ab Ajace cum pro corpore interfecti Achillis pugnaretur, & Deorum miseratione in flumine ejusdem nominis mutatum. Quem tamen alii non Sisyphi, sed Bellerophontis filium faciunt, alii non filium, sed nepotem ex Bellerophonte, filium Hippologi. Sunt & nonnulli qui Bellerophontem Glauci hujus Corinthiorum sive Ephyræ Regis filium putent. Quorum verisimilior est sententia, ut vel ex insignibus ejus Reipublicæ potest confirmari, puta Neptuno Pegasum equum in portum trahente. Quippe cum prius Hipponous vocaretur, postea ab interfecto Corinthio- *Historia de Bellerophonte.*

rum primate Bellero, Bellerophontes dicebatur. Et dum adhuc pater rerum in Corintho potiebatur, interpellatus de stupro a Sthenobœa Prœti Argivorum Regis conjuge, veritus hospitalis Jovis iram, lascivam fœminam repulit, accusatus idcirco innocens hospes apud Prœtum interficiendus acceptis codicillis ad socerum Prœti Jobatem Lyciorum Regem missus est, qui lectis codicillis, ut clam ulcisceretur crimen, ad domandos Solymos in Cretam, & cum hos vicisset ad Chimæram monstrum triforme perimendum transmittit: quod monstrum accepto a Neptuno, equo alato Pegaso, tandem confecit, ideo donatus matrimonio filiæ Archidnes, ex qua genuit Isandrum, Hippolochum & Laodamiam, & cum ascenso Pegaso in cœlum volare conaretur, immisso œstro a Jove equus Bellerophontem excussit, ac interfecit, relatus eapropter inter astra. Et hæc sunt initia insigniorum cum Corinthiorum qui Pegaso sunt usi in moneta, tum Lyciorum qui Chimæra, ut posterius dicemus. Hic monendus est mihi lector, fuisse & Glaucum piscatorem conversum in Deum marinum, de cujus amore Ovid. lib. XIII. *Metam.* Extitisse & alium hoc nomine ferunt, qui primam æris ferruminationem invenit. Unde proverbium est ortum, *Ars Glauci*.

Thoas & Demophon reges Corinthi. Postremi reges Corinthi.

Cæterum Thoas, quem diximus Glauco fratri successisse in regno Corinthiorum, Demophonta filium reliquit. Is Propodam, Propodas rursum Doridam & Hyanthidem postremos Sisyphi familiæ. Hi quippe victi a Doriensibus, qui Heraclidas in Peloponnesum reduxerant, Aletæ filio Hippotis Corinthiorum regnum tradiderunt, cujus posteri per ætates quinque rerum in Corintho potiti sunt, usque ad Bacchin Prumnidis filium, qui abrogato regni nomine, Aristocraticam gubernationem induxit, quæ & ipsa postremo cessavit in Teleste Aristodemi filio, Cypselo quodam Eetionis filio tyrannidem occupante, ejectis Bacchiadis hæredibus (ut verbis Strabonis utamur.) Ipsi quoque Bacchiadæ annis ferme CC. urbem dominatione tenuerunt, & tyranni locupletissimi & numero plurimi, & genere clari evadentes, & emporium ipsum adepto metu fructuosum possidentes.

Cypselus tyrannus.

Cypselus autem hisce distractis tyrannidem occupavit, ejusque domus divitias, oblatum Olympico templo Cypseli donum testatur, eximiæ magnitudinis simulachrum solido ex auro fabricatum, & in tertiam usque generationem domus ejus perduravit.

Periander tyrannus Corinthiorum

Fuit & Periander Corinthiorum tyrannus Olympiade XXXVIII. apud quem Arion Citharœdus Poeta Lyricus insignis, magno in precio fuit, Tragici carminis primus inventor, qui in Italiam profectus grandem pecuniam arte sua promeruit, cumque Lesbon insulam peteret, videretque sibi insidias a sociis parari, propter opes, quas secum ferebat, nautas orasse dicitur, ut ante mortem carmen aliquod sinerent concinere, quod cum impetrasset rapta cithara modulans e navi in mare se conjecit, sed a Delphino illecto ejus cantu dorso exceptus, Tænarum, quod oppidum est Laconicæ, a Tænaro promontorio appellatum, vectus est, antequam nautæ illuc applicuissent, relictoque Delphi- A no Corinthum abiit, omnemque rem gestam Periandro enarravit.

Demarathus rex.

Tyrannis adnumerandus est Demarathus, unde Tarquinii reges Romanorum processere, & Timaleon insignis ille dux Corinthiorum, de quorum primo Dionysius Halicarn. lib. III. *Antiquitatum* hæc annotavit: *Demarathus Corinthius ex Bacchiadarum genere negociationis gratia navigavit in Italiam privato sumptu, instructa nave ac onerata mercibus: quas cum distraxisset in Hetruscis urbibus totius tunc Italiæ florentissimis, noluit posthac alios portus petere, sed* B *per eadem semper maria ultro citroque commeans Græcanicas merces mutabat Thuscanicis. Unde magnis opibus auctus est, orta deinde seditione inter Corinthios oppressis Cypseli tyrannide Bacchiadis, homo prædives, & alioqui principe familia natus, parum tutum se ratus in patria, sublatis quantum potuit rebus, & in naves impositis Corintho abiit, cumque ob commercia continua multos bonos amicos haberet in Hetruria, præsertim Tarquinios, urbe olim florentissima, domicilium in ea sibi elegit, ducta uxore nobili, ex qua duo*C *bus susceptis filiis, Hetrusca nomina indidit, alteri Aruntis, alteri Lucomonis.* Hæc Dionysius. Ex Lucomone porro Romam migrante Tarquinius primus hoc nomine Roman. rex processit.

Timaleon rex.

Facit ad Corinthiacæ urbis laudes & Timaleon, qui prima suæ bellicæ experientiæ fundamenta posuit in liberanda Syracusanorum Repub. deinde fortunæ ac industriæ insistens, patriam quoque tyrannide liberavit tanto ardore, ac vera in patriam pietate, ut adversus proprium fratrem Thymophoontem, qui tyrannidem D arripere conabatur, arma sumpserit, eumque occidi curarit, in summum matris ac cognatorum odium divertens. Accersitus deinde a Siculis Dionysio pulso Dionem restituit. Dionysium vero cum posset interficere salvum navigare Corinthum permisit, ubi & ludum rex ille postea aperuerat. Debellavit & Carthaginenses apud Grimissum fluvium, qui Siciliam occupare conabantur. Præterea Syracusas auxit, ædificiis, muris, & novis ex Corintho colonis adductis, arce & propugnaculis tyrannorum disjectis: & cum regnare Syracusis posset, maluit priva- E tam ducere vitam, in qua Syracusanis interim nihilominus manu & consiliis adsuit, & ita libertatem eorum est tutatus, ut se accusare etiam insontem resistentibus Syracusanis pateretur. Solebat enim dicere, tunc demum se voti compotem factum, & quod a Diis immortalibus efflagitaverat, talem libertatem Syracusanis reddidisset, in qua cuivis liceat, de quo vellet, impune dicere. Sepelitur multo senio in Gymnasio publico sumptu. Et hæc cum de regibus ac tyrannis, tum claris quoque Corinthiacis heroibus.

Corinthi situs.

F Cujus urbis situm Strabo in VIII. depingit: *Ipsius urbis situm talem esse contingit, mons est excelsus stadiis* III. *ac dimidiati altitudinem habens: ad perpendiculum ascensus ad stadia* XXX. *in acutum terminatur acumen. Acrocorinthum autem eam nominant. Cujus quidem pars in Aquilonem versa maxime in arduum recta consurgit. Sub quo ad Acrocorinthi radicem in plano loco instar mensæ jacet oppidum ipsum. Urbis ambitus stadiorum* XL. *erat, ubi a monte*

nuda fuerat urbs, mœnibus vallata fuit. In hoc autem circuitu & mons Acrocorinthus continebatur, ubi murale tutamen admittere potuit. Nobis inter ascendendum manifesta ipsius tractus erant rudera, & universus circuitus stadiis LXXXV. *conficiebatur. Aliis ex partibus mons ipse minus in rectum arduus est. Hinc vero non parum dilatatur in longe lateque prospectum patens. Vertex ipse Veneris sacram habet ædiculam. Infra verticem Pyrenem fontem adesse contingit, haud affluentes aquas habentem, cæterum perspicuas ad imum, potuque suavissimas. Vulgo autem memorant, tum ex hoc, tum ex subterraneis quibusdam locis venulis expressum fonticulum montis radici proximum in urbem defluere, unde aquantur ubertim. Intra oppidum quoque puteorum copia est.*

Pyrene fons.

Sisyphium arx.

Et subdit: *Sub ipsam deinde Pyrenem Sisyphium jacet sive sacellum quoddam sive regale domicilium niveo constructum lapide, in quo non modica servantur adhuc rudera. E summo autem cacumine in aquilone Parnasus conspicitur, & Helicon montes excelsi, atque nivales, Crysseusque sinus utrique suppositus, quem Phocis & Bœotia, Megarensis, & Sicyonia & Corinthia complectitur.*

Non dissimilis Corinthi descriptio extat apud Livium *libro* V. *Decade* V. *Sacrificio Minervæ præsidi arcis in urbe facto profectus Corinthum altero die pervenit. Urbs erat tunc præclara ante excidium, arx quoque & Isthmus, præbuere spectaculum: arx inter omnia in immanem altitudinem edita, scatens fontibus. Isthmus, duo maria ab occasu & ortu Solis finitima, arctis faucibus dirimens. Sicyonem inde & Argos nobiles urbes adiit.* Loquitur de Paulo Æmylio qui Persen debellaverat.

Porro de fontis origine, (cui Pyrene filia Acheloi & Neptuni, mater Lechæi & Cenchreæ nomen indidit) aliam habet Strabo conjecturam, aliam Pausanias. Ille enim a Pegaso Bellerophontis, qui Glauci regis Corinthi fuerat filius, ungula excitatum esse refert. Hic autem, cum Asopus Sisyphum in cacumen montis constituisset, ut e specula raptum Jovis, cum Æginam filiam auferret, exploraret, fonticulum fuisse simul datum, quo sitim toleraret, scribit. Qui præterea sacella ac templa omnia utrinque ad viam ex civitate in Acrocorinthum declinans Parcarum enumerat, Matris Deum, Proserpinæ, Cereris, Veneris, Junonis Bunææ, & in summo cacumine duo Isidis, & totidem Serapidis. Intra civitatem quoque commemorat, Dianæ Ephesinæ, Fortunæ, Minervæ Chalinitidis, Jovis Capitolini: versus theatrum, & Octaviæ sororis Augusti Imperatoris. Extra vero mœnia recenset versus Cenchreas, hoc est, navalia Corinthiorum, Veneris & Dianæ: versus portum Isidis, & Æsculapii, ad portam Teneaticam, Lucinæ: versus lucum Bellerophontis, Veneris Menalidis. In via Sicyonem Palladis, ubi ruinæ apparebant arcis Ægiali Sicyoniæ regis & alterius fani rudera extabant, a Pyrrho Achillis inflammati.

Templa & sacella.

Sarcophagi denique, præter alios cernebantur in Corintho, filiorum Medeæ, quos illa interfecerat, sive odio Jasonis, cum Glaucam Creontis Corinthii superinduxisset, sive ut immortalitatem hoc illis modo compararet, quanquam Mermerum majorem natu in Corcyra a leæna occisum, alii tradant. Thessalum autem cædem fugientem Pelasgos abiisse. Extra mœnia vero tumuli celebriores fuerant Penthei, Echionis terrigenæ ex filia Cadmi nati, a bacchantibus mulieribus lacerati, cum contumelias in Bacchum dixisset, Laidis meretricis insignis ac prædivitis & Diogenis Cynici.

Sarcophagi.

A

De nomine præterea & conditore Corinthi controvertunt autores. Pausanias a Corintho Marathonis filio & nepote Epopei regis Ephyræ, urbem appellatam contendit. Diversum Vellejus Romanus historicus *lib.*I. tradit. *Paulo ante Alethes, sextus ab Hercule, Hippotis filius, Corinthum, quæ antea fuerat Ephyra, claustra Peloponnesi continentem, in Isthmo condidit. Neque est quod miremur ab Homero nominari Corinthum: nam expresse Poeta & hanc urbem & quasdam Ionum colonias iis nominibus appellat, quibus vocabantur ætate ejus, multo post captum Ilium conditæ.*

Conditor & nomen Corinthi.

B

Denique urbem Corinthiorum Homerus divitem ob mercatorum concursum appellat, Thucydides emporium totius Græciæ, Philippus denique Amyntæ Corinthum ob loci munitionem Græciæ totius pedicam vocavit, unam ex tribus compedibus, hoc est, addens Demetriadi Thessaliæ & Chalcidi Eubœæ. Athenæus *lib.*I. vino generoso hanc urbem, Plin. *lib.*XXXIV. ære ac signis ex ære ibi factis, Strabo luxu ac meretricio quæstu extollit, ut de Christianismo ibi per D. Paulum propagato, id quod merito cuncta antecellit, sileam. Sed placet loca recensere.

Vinum Corinthiacum

C

De vino Corinthiaco scribit Athenæus lib.I. *Dipnos. De vino Corinthio meminit Alexis velut aspero, vinum peregrinum aderat, nam Corinthium torquet.* De Corinthio ære ac signis inde confectis Plinius *lib.*XXXIV. *cap.*XII. cum de æris generibus tractat: *Ex illa autem*, inquit, *antiqua gloria Corinthium maxime laudatur hoc, casus miscuit Corintho cum caperetur incensa, miraque circa id multorum affectatio fuit, quippe cum tradatur non alia causa Verrem, quem Cicero damnaverat, proscriptum esse ab Antonio, quam quod Corinthiis se ei cessurum negavisset.* Et subdit: *Sunt ergo vasa tantum Corinthia, quæ isti elegantiores nunc æs sculpendo transferunt, modo in lucernas, modo in trullas, nullo munditiarum respectu. Ejus tria genera: Candidum argenti nitore quam proxime accedens, in quo illa mixtura prævaluit: Alterum in quo auri fulva natura: Tertium in quo æqualis omnium temperies fuit.* Meminit & Florus cum Corinthi a L. Mummio factam expugnationem describit *lib.*II. *cap.*XVI. *Quantas opes & abstulerit & cremaverit, hinc scias, quod quicquid Corinthii æris toto orbe laudatur, incendio superfuisse comperimus. Nam & æris notam preciosiorem ipsa opulentissimæ urbis fecit injuria: quia incendio perustis plurimis statuis, atque simulachris, æris, auri argentique venæ in commune confluxere.* Idem de æris Corinthii origine Eutropius in IV. adnotavit. *Sane cum propter multitudinem & varietatem statuarum simulachrorumque in illo civitatis incendio permixta in unum auri, argenti atq; æris, omniaque simul metalla fluxissent, novum genus metalli factum est. Unde usque in hodiernum*

Æs Corinthium.

D E F

diem sive ex ipso, sive ex imitatione ejus æs Corinthium, & Corinthia vasa dicuntur. A

Emporium Corinthiacum

Porro de emporio & mercatura Corinthiorum Strabo hæc refert libro VIII. *Geograph. Distant autem Cleonæ quidem ab Argo stadiorum* CXX. *a Corintho stadiis* LXXX. *Corinthum sane locupletissimum ajunt, cum Isthmo immineat Emporium, locus negociatoribus frequentatus, & duorum dominus portuum existat, quorum alter quidem Asiæ, alter vero Italiæ est propinquus: utroque ex loco faciles invicem mercium commutationes faciens, tantundem remotis utrinque gentibus. Fuit autem cum fretum esset, non tuta profecto navigatio, quod* B *quidem antiquioribus annis freto contigit Siculo. Itidem & maria ipsa præsertim ad Malæam propter adversos ventorum flatus. Inde est natum vulgo proverbium, cum Malæam deflexeris, domesticos obliviscere. Asiaticis igitur Italicisque mercatoribus gravissimum erat omisso ad Malæam cursu Corinthum divertere advectis eo mercibus, ubi & importatarum & exportatarum e Peloponneso rerum vectigalia vendi contingebat. Illuc etiam in Isthmicorum celebratione ludorum multitudo incolarum conveniebat.* Hæc ille. Ad quod pertinet proverbium: *Non cuivis est adire Corinthum.* C

Idem de meretricum quæstu & luxu Corinthiorum hæc subnectit: *Veneris etiam templum adeo locupletatum Corinthi extitit, ut supra mille Deæ prostitutas puellas caperet, quas Veneri viri mulieresque addixerant. Propter has igitur frequens in urbem multitudo, turbaque conveniebat, unde civitas mirum in modum ditabatur, nautæ etiam leviter sumptus facientes assumebantur. Hinc vulgatur veteri sermone proverbium, Non omnium est virorum Corinthum navigare. Cujusdam quoque meretricis facetum illud posteris vulgatum est responsum: nam cum altera illi exprobraret inertiam,* D *quod nulla operis teneretur industria, nec lanas attingeret: Ego, inquit, talis in hoc brevi tempore ternas disposui telas.* Nomina insignium meretricum quæ prostabant Corinthi, & fama celebres fuerant, traduntur, Laidis, Leænæ, Sinopes, Pyrrhines, Syrenes & Sicyones. Huc referenda sunt sacra Priapi, Ornea dicta, quæ Corinthi celebrabantur. Et quia memorabilia hoc loco recenseo, venit mihi in mentem sacrificii quod Odeum nomine ob mortem filiorum Medeæ celebrabatur, de quo Pausanias hæc scribit: E *Supra montem hunc Odeum ut vocant est extructum juxta Medeæ filiorum monimentum, quorum nomina apud illos referuntur Mermerus & Pheres, qui propter ea quæ Glaucæ obtulerant munera a Corinthiis obruti esse lapidibus dicuntur. Quia autem violentus hic interitus & injustus fuerat, Corinthiorum infantuli ab eis necabantur, donec annua ab eis sacrificia ex oraculo sunt constituta, & metus item adjunctus. Hic ad nostram usque ætatem perduravit exsculpta mulieris imagine formidabili. Corintho autem a Rom. excisa, & e medio sublatis veteribus Corinthiis, non amplius ab his, qui* F *in Coloniam venerunt, sacrificia hæc sunt persoluta, neque pueris in ipsorum honorem detondent capillos, neque atras vestes gerunt.*

Meretrices Corinthiacæ.

Nobilitarunt Corinthum & Isthmia ludicra a Sisypho instituta, ut ante dictum est, quæ qualia fuerint delineat Livius *libro* III. *Decade* IV. *Isthmiorum statum ludicrum aderat semper quidem & alias frequens cum propter spectaculi studium genti insitum, ubi certamina omnis generis artium, viriumque ac pernicitatis visuntur, tum quia propter opportunitatem loci per duo diversa maria omnium Græcorum undique conventus erat.*

Corinthus sub Achæis.

Porro Corinthus una cum ditione proxima postquam reges creare desiissent, sive post Cypselum, sive Periandrum, in Achæorum potestatem venit, unde licet Timaleon liberasset aliquando, tamen viribus fractis, cum proximas ditiones Sicyoniæ, Nemææ ac Argolidis, imo etiam Laconicam sui juris Achæi fecissent, Achæis Corinthus subjicitur. Quibus Philippus Macedoniæ rex Amyntæ pater Alexandri Magni ademit, una cum aliis utriusque Græciæ provinciis, sub quorum potestate usque ad Philippum Persei patrem mansit, quo debellato a Romanis, Quinctius & post eum Flaminius Romanus Duces Corinthum una cum Argolide Sicyoneque liberarunt, ac socios Romani nominis appellarunt, a quo Critolai consiliis cum defecissent, bello petiti primo a Metello Macedonico, deinde a Lucio Mummio & Aristonis cujusdam proditione obsidentur, civitate solo æquata, & pretiosis quibusque Romam transvectis. Quo tamen post seculum Augustus Octavianus Imperator coloniam deduxit, quam libertate Nero donavit, Vespasianus multis prærogativis locupletavit. Hinc est quod scribit Pausanias in VII. *Tunc itaque in castra ut venit Flaminius, & Eretriam, pugna superato Macedonum præsidio, diripuit, & ad Corinthum confestim admoto exercitu, quæ a Philippi præsidio erat occupata, urbem tum ipse obsidione cinxit, tum Achæis nunciavit, ut missis copiis adversus Corinthios suppetias ei ferrent, idque partim eo facerent, quod digni essent habiti, qui socii Romanorum appellarentur, partim benevolentia adducti erga Græcos. Cum itaque in concilio diversa essent invicem dicta, vicerunt denique qui Romanis favebant: missoque exercitu Achæi in Corinthi obsidione Flaminium juverant.* Cæterum Corinthii a Macedonibus liberati continuo se in Achæorum concilium contulerunt. Huc faciunt loca Titi Livii *Decade* IV. *libro* II. *Rhodii Peræam (regio est continentis versus insulam vetustæ eorum ditionis) repetebant, postulabantque præsidia deduci ab Iasso & Bargyliis & Eurotesium urbe, ut in Hellesponto, Sesto atque Abydo, & Panopliæ Byzantiis, in antiqui formulam juris restitui & liberari omnia Asiæ emporia portusque. Achæi Corinthum & Argos repetebant.* Et rursus: *Moverunt eo maxime senatum, demonstrando maris terrarumque regionis situm, ut omnibus appareret, si Demetriadem in Thessalia, Chalcidem in Eubœa, Corinthum in Achaia rex teneret, non posse liberam Græciam esse, & ipsum Philippum non contumeliosius quam verius compedes eas Græciæ appellari.* Et *libro* III. *Nihil contra ea de libertate urbium alii dicebant. Cæterum ipsis tutius esse, manere paulisper sub tutela præsidii Romani, quam pro Philippo Antiochum dominum accipi: postremo ita decretum est, Corinthus redderetur Achæis, ut in Acrocorintho tamen præsidium esset.* Et subdit: *Corinthus & Triphylia ac Heræa (Peloponnesi & ipsa urbs est) reddita Achæis.* Idem *libro* II. *ejusdem Decadis* obsessam Corinthum a Tullio & Lucio Quinctiis commemorat, ut e servitute Macedonica vindicaretur. Cæteri populi Achæorum cum sen-

Corinthus Achæorum.

tentiæ prorogarentur, societatem cum Attalo & Rhodiis præsenti decreto confirmarunt, cum Romanis quia injussu populi non poterat rata esse, in id tempus, quo Romani legati mitti possint, dilata est, in præsentia tres legatos ad Lucium Quinctium mitti placuit, & exercitum omnem Achæorum ad Corinthum admoveri, captis Cenchreis, jam urbem ipsam Quinctio oppugnante. Et ii quidem e regione portæ, quæ fert Sicyonem, posuerunt castra, Romani ad Cenchreas versus portam urbis. Attalus traducto per Isthmum exercitu Lechæo alterius maris portu, oppugnabant, primo segnius, sperantes seditionem intus fore inter oppidanos ac regium præsidium.

Posteaquam uno animo omnes & Macedones tanquam communem patriam tuebantur, & Corinthii ducem præsidii Androsthenem haud secus quam civem & suffragio creatum suo imperio justo patiebantur. Omnis inde spes pugnantibus in vi & armis & operibus erat, undique aggeres haud faciles aditu ad mœnia admovebantur. Hæc ille. Qui tamen soluta obsidione & Romanos & Achæos recessisse scribit, ut ejus utar verbis: Autor erat Attalus incensis operibus omittendæ extemplo oppugnationis, pertinacius Quinctius in incœpto perstabat. Is quoque, ut pro omnibus portis disposita vidit præsidia regia, nec facile erumpentium impetus sustineri posse, in Attali sententiam concessit, ita irrito incœpto dimissis Achæis reditum ad naves est.

Corinthii Rom. socii.

Sic liberata Corinthiorum Respublica ex Achæorum & Macedonum servitute, Romanæ societati accessit, ac libertatis munia liberalissime fovit, donec Critolao quodam duce a Romanis sine causa defecisset, in ruinam concessit. Quam historiam breviter Lucius Florus complectitur *libro* II. *cap.* XVI. *Quasi seculum illud eversionibus urbium curreret, ita Carthaginis ruinam statim Corinthus excepit, Achajæ caput, Græciæ decus, inter duo maria Ionium & Ægæum, quasi spectaculo exposita. Hæc (facinus indignum!) ante oppressa est, quam in numerum certorum hostium referretur. Critolaus causa belli, qui libertate a Romanis data adversus ipsos usus est, legatosque Romanorum, dubium an & manu, certe oratione violavit. Igitur Metello, ordinanti cum maxime Macedoniam, mandata est ultio, & hinc Achaicum bellum, ac primam Critolai manum Metellus consul per patentes Elidis campos toto cecidit Alphæo: & uno prælio peractum erat bellum: jam & urbem ipsam terrebat obsidio. Sed (o fata Reipublicæ!) cum Metellus dimicasset, ad victoriam Mummius venit. Hic alterius ducis dignitate exercitum sub ipsis Isthmi faucibus fudit, geminosque portus sanguine infecit. Tum ab incolis deserta civitas, direpta primum, deinde tuba præcinente deleta est.* Pausanias in VII. eundem quidem belli autorem Critolaum, alium tamen locum facti prælii ostendere videtur, cum scribit. *Metellus simul ac audivit Mummium cum exercitu adversus Achæos adventare, diligentiam adhibuit, ut ipse ante Mummii in Græciam adventum bello finem imposuisse videretur. Missis itaque ad Achæos nunciis e concilio jussit dimittere Lacedæmonios, & quas olim Romani indicaverant civitates: & sic ob priorem contumaciam, nihil grave Romanos ex iracundia facturos promisit. Hæc per præconem ut sunt annunciata, in Macedoniam exercitum traduxit, & per Thessaliam, ac juxta Lamiacum sinum iter fecit. Ac Critolaus & Achæi sermonem, qui concordiæ inserviebat, nullum admiserunt, sed Heracleam obsidione cinxerunt, eo quod concilii Achæorum participes esse detrectarunt. Tunc itaque per exploratores certior factus Critolaus, Metellum cum Romanis Sperchium transiisse, Scarphiam Locrorum aufugit, & licet angustias inter Heracleam & Thermopylas cum Achæorum exercitu occupaverat, Metellum tamen expectare non est ausus, sed tanto terrore perculsus, ut non ex ipso loco quidem melius quid sperare, in quo pro Græcorum salute Lacedæmonii præclara illa facinora ediderant adversus Medos & Athenienses, his non inferiora adversus Galatas: fugientem Critolaum, & cum eo Achæos, paulo ante Scarphiam comprehendunt Metelli milites, ubi multis numero interfectis, circiter mille vivos ceperunt. Critolaus vero post pugnam neque vivus a quoquam est visus, neque inter mortuos repertus.* Et subdit de expugnatione: *Qui ex Achæis post pugnam Corinthum evaserant statim sub noctem effugerunt; effugerunt una ex ipsis Corinthii quam plures. Mummius, licet portæ essent apertæ, primo tamen impetu Corinthum irrumpere noluit, veritus ne quid insidiarum intra mœnia lateret.* Sed die post pugnam tertia vi & cepit Carthaginem & igne devastavit. Eutropius duas pugnas factas tradit, in quarto *Romanorum Historiæ*: unam ad Thermopylas Critolao duce, in qua XL. millia Achæorum cæsa sunt: alteram Dieuco duce in Phocide, qui novum ex Arcadia exercitum eduxerat, in quo VII. millia Græcorum desiderata dicuntur. Factum autem hoc erat a Quinctio Metello Macedone, qui Procos. adversus Pseudophilippum missus fuerat, qui paulo ante P. Juventium Romanum prætorem ad internecionem ceciderat. Et subjiciens de eversione Corinthi. Igitur post extincta totius Achajæ præsidia, destitutarum eversionem urbium Metello prætore meditante, Cos. Mummius repentinus cum paucis venit in castra, qui dimisso statim Metello, Corinthum nobilissimam civitatem Græciæ, propter injuriam legatorum Romanorum, sine mora expugnavit toto tum orbe longe clarissimo omnium. Artificum enim & artificiorum officina & emporium commune Asiæ atque Europæ per multa retro sæcula fuit. Permissa igitur crudeliter est in captivos prædandi licentia, sicque omnia cædibus ignibusque consumpta sunt, ut de murorum ambitu, quasi e camino in unum apicem coarctato, exundaret incendium. Itaque plurima parte populi ferro flammisque consumpta, reliqua sub corona vendita est, urbe incensa, muri funditus diruti sunt, muralis lapis in pulverem redactus, præda vero ingens erepta est. Pausanias in VI. refert partem spoliorum a Mummio esse concessam Philopœmeni Attali duci, eaque Pergamum translata, vectigal non solum Achaiæ, sed uviversæ Græciæ impositum, unde magistratus sustentabantur, contigisseque illam eversio-

Corinthii a Rom. deficiunt.

Corinthus a Romanis deleta.

Locus pugnæ.

nem altero anno post Carthaginis destructionem, ut Plinius in XXXIV. animadvertit, Olympiadis CLVI. anno tertio, Urbis vero conditæ DCVIII. Pauf. in II. ab Octaviano Augusto restitutam una cum Carthagine Corinthum refert: & Romanam coloniam eo deductam Patras. Unde apparet plus quam seculum in ruinis jacuisse. Unde Plinius *libro* IV. *capite* IV. Corinthum Romanam coloniam appellat. Hanc denique Nero & locupletavit pluribus beneficiis, & libertate donavit, ac, ut opinor, primus proconsulatu ornavit. Hinc est quod Divus Paulus sub Nerone ad Corinthios scripsit, & in *Vita Divi Andreæ* legitur apud Abdiam, apud Lesbium proconsulem in Corintho accusatum Beatum Apostolum, cujus uxorem Trophimam Christo vindicaverat. In eadem historia mentio fit Apostolum ab Ægeate Procos. condemnatum, qui tum apud Ægium & Patras habitaverat. Hunc proconsulatum Græci postremi Imperatores in dominium verterunt, quam Despotiam vocabant. Cujus ditio totam Peloponnesum comprehendebat patentem ab ortu & occasu, ut autor est Plinius, stadiis MDCCC & ab Isthmo (quem paulo supra Corinthum Demetrius rex Macedoniæ, & post eum Dictator Cæsar, Cajus Cæsar & Nero Imperator perfodere nequicquam conati sunt, & quem Imperatores Græci postremi Hexamylo complexi sunt) usque ad Tænarum promontorium totius Peloponnesi locum maxime meridionalem. Hinc Æneas Sylvius autor est, Constantinum Palæologum Despotam fuisse Moreæ, antequam ad imperii apicem pervenisset, Amurathi Turcarum tyranno tributarium; e cujus jugo se vendicare conabatur, cum Juliano Cardinale ac Capistrano autoribus, Turcæ in Servia victi fuissent. Post hunc Constantinum, qui paulo post Imperator Constantinopolis expugnatione occisus fuerat, fratres ejus Demetrius ac Thomas Despotæ Moreæ celebrantur Mahometi tyranno vectigales, cui annuos XV. mille coronatos pendere cogebantur, donec Calixto Papa ingentem in Turcas expeditionem meditante, cum se in libertatem asserere voluissent, Despotia illa cessavit. Græcis magna ex parte profligatis, partim vero cum Albanis ac Turcis, Sclavisque mixtis.

Corinthus Rom. colonia. — *Proconsulis Achaiæ.* — *Corinthiacæ ditionis vestigia.* — *Insignia Corint.*

Et de Corintho hactenus, ad insignia ejusdem me recipio, quæ invenio vel Pegasum alatum solum, vel Neptunum solum sedentem, vel Bellerophontem Pegasum introducentem in urbem. De Neptuno res sic habet, ut autor est Pausanias *libro* II. *Neptunus dicitur cum Sole de Isthmo & agro vicino litigasse, Briareum electum arbitrum, Neptuno Isthmum quæque huic adjacent adjudicasse, Soli vero promontorium quod Corintho imminet.* Hinc est quod idem autor Solis templum in Acrocorintho describit, summo scilicet montis acumine. Et addit, cum templa in Corintho enumerat: *Prope omnium Deorum templum colitur, loco vicino fons extructus, & super eum Neptunus æneus, Delphinus item sub pedibus Neptuni, aquam emittens.* Et iterum: *Lavacra multis in locis Corinthii habent, quorum quædam ex publico, quædam Hadriani Imperatoris sumptibus sunt constructa: sed inter alia celeberrimum est, quod juxta Neptuni ædem continetur, Eurycles vir Spartanus patefecit, & lapidibus tum aliis exornavit, tum iis quos Crocis ditionis Laconicæ effodiunt: in aditu ad lævam Neptunus est, & post ipsum venantis vultu Diana. Fontes autem quam plures per universam civitatem sunt extructi. Abundant enim magna aquarum copia, quibus ea insuper accedit, quam Hadrianus Imperator ex Stympbalo derivavit. Sed quæ spectatu maxime digna sunt juxta Dianæ simulacbrum, Bellerophontis est, & aqua per Pegasi equi ungulam profluens.* Addit Strabo in VIII. Pegasi usurpati a Corinthiis rationem reddens, cum de Pirene fonticulo, qui irrigat Corinthum loquitur.

Neptunus Corinth. — TAB. V. fig. 8.

Fama est equum Pegasum cum potaret hoc in loco a Bellerophonte deprehensum esse, alatum inquam caballum, e Medusæ cervice, & de Gorgonis exsecto gutture prosilientem. His adde quod a quibusdam Pegasus Neptuni filius ex Medea traditur, ut Arion alter equus alatus ex Cerere. Hinc Neptunus Hippius, id est, equestris subinde ab antiquis & præcipue Poetis nominatur. Neque mirum est Corinthios hujus equi symbolo usos, cum constet Bellerophontem eum, qui equo Pegaso in domanda Chimæra usus fuerat, Glauci regis Corinthiorum filium extitisse (licet alii falso patrem faciant) qui cum apud Prœtum regem Argolidis esset falso accusatus adulterii, codicillis seu Uriæ literis acceptis, missus ad Jobatem Lyciæ regem socerum Chimæram monstrum illud triforme, post subjugatos Solymos, ut mortem redimeret, conficere coactus est, quo in periculo a Neptuno Pegasum equum illum alatum adjutorem habuit. Sunt qui rem ad historias & veritatem referant, & Chimæram fuisse montem, in cujus summo leones, in medio capreæ, & ad radicem dracones ac serpentes colebant, his pestibus sublatis habitabilem fecisse Bellerophontem, donatum idcirco a Jobate rege Lyciorum matrimonio Archidnes filiæ, & socero in regno Lyciorum successisse. Hinc factum reor, ut Lycii in Asia Chimæræ icone in numismate, Corinthii vero Pegasi, sunt usi. Ad quæ utraque symbola alludunt Poetæ. Ad Pegasum Corinthium Ovid. IV. *Meta.* de Medusa a Perseo occisa locutus:

Pegasus Corinthiacus.

—— passimque per agros,
Perque vias vidisse hominum simulacra, ferarumque
In silicem ex ipsis visa conversa Medusa.
Se tamen horrendæ clypei, quem læva gerebat,
Ære repercusso formam aspexisse Medusæ.
Dumque gravis somnus colubrosque, ipsamque tenebat,
Eripuisse caput collo: pennisque fugacem
Pegason, & fratrem matris de sanguine natos.

Et *libro* V. cum de Helicone fonte loquitur:

Virgineumque Helicona petit; quo monte potita
Constitit: & doctas sic est affata sorores:
Fa-

Fama novi fontis nostras pervenit ad aures;
Dura Medusæi quem præpetis ungula rupit.
Is mihi causa viæ: volui mirabile factum
Cernere: vidi ipsum materno sanguine nasci.
Excipit Uranie, Quæcumque est causa videndi
Has tibi diva domos animo gratissima nostro.
Vera tamen fama est, & Pegasus hujus origo
Fontis, & ad latices deduxit Pallada sacros.
Quæ mirata diu factas pedis ictibus undas.

Et paulo infra de Pyrene fonte idem Ovidius:

Fusca repurgato fugiebant nubila cœlo,
Impetus ire fuit, claudit sua tecta Pyreneus,
Vimque parat, quam nos sumptis effugimus alis.
Ipse secuturo similis stetit arduus arce.

Ad Chimæram alludit Lucretius:

Prima leo, postrema draco, media ipsa Chimæra.

Ovid. VI. *Metamorphos.*

Jamque Chimæriferæ, cum Sol gravis ureret arva,
Finibus in Lyciæ, longo defessa labore,
Sydereo siccata sitim collegit ab æstu.

Et *lib.* IX.

Cares & armiferos Lelegas, Lyciamque pererrat.
Jamque Cragon & Lymiren, Xanthique reliquerat undas,
Quoque Chimæra jugum, mediis in partibus ignem,
Pectus & ora leæ, caudam serpentis habebat.

Idem II. *Tristium:*

Nam quid de tetrico referam domitore Chimæræ,
Quem leto fallax hospita prima dedit.

Idem lib. IV. *Tristium:*

Esse canes utero sub virginis esse Chimæram
A truce quæ flammis separet angue leam.

Idem III. *Fastor.*

Jamque ubi cæruleum variabunt sydera cœlum,
Suspice, Gorgonei colla videbis equi.
Creditur hic cæsæ gravida cervice Medusæ
Sanguine respersis prosiluisse viris.

Achæi domini Corinthi. Ac tametsi posterioribus temporibus eadem Achæorum quæ Corinthi fuerat Respublica, quia tamen Achæi, qui diversi a Corinthiis fuerant, primis seculis neque reges, sed prætores crearant, quos Demiurgos vocabant, summam paulatim ad se rerum traxerunt, Sicyone ac Corintho subjugatis, atque in libera Republica & concilium habuerint, in quo de rebus communi-

A bus consultabant, & præter veterem Ægialii urbem, Lechæum portum, Rhium promontorium, Ægium, Eretriam, Patras, Helicen, Pellenam, Buram, Dymen, & Ænarium possederunt, proximasque gentes partim subjecerunt, ut Argivos & Spartanos, partim ut suos concilio adsciverunt, ut Ætolos, Trachinios: ipsi vero a nemine præter Rom. debellati fuerunt. Itaque de hoc populo seorsim dicendum erit nobis. Cujus liberæ Reipub. statum non solum ex conventu illo famigeratissimo, verumetiam a magistratu annuo, quem Demarchum dicebant, deprehendere licet. B De quo Pausanias *lib.* VII. *E bellis insuper & peste non tantum cladium Achæi ceperunt quantum Græci reliqui. Concilium item habebant Achæi, quod Achaicum est dictum, communicatisque publice rationibus & consilia inibant, & quod erat faciendum, faciebant. Ægium eis convenire est visum, hæc enim post Helicen aquis submersam aliis in Achaja civitatibus gloria semper præstitit, tum vero & potentia excellebat. Ex reliquis Græcis primi Sicyonii Achæorum concilii sunt facti participes: post Sicyonios, &* C *alii Peloponnesii, quidam e vestigio, quidam aliquandiu morati. Cæterum ut in Achæorum se concilium conferrent, monebantur, & qui extra Isthmum incolebant cum Achæos viderent majorem subinde potentiam nancisci.* *Conventus Achæorum.*

Et iterum: *Cæterum Metello, tum & reliquis legatis nequaquam visum est res Lacedæmoniorum negligere, & ab eis qui Achæorum magistratum gerebant, petierunt in concilium Achæos convocari: ut publice edoceant mitius aliquando Lacedæm. esse tractandos. Hi vero responderunt, nec ipsos convocandi Achæorum concilii potestatem habere, nec a-* D *lium quempiam, nisi uno cum negocio propter quod concilium convocet decretum a Senatu Romanorum habebant.* Livius *lib.* IV. *Dec.* IV. *Testata quoque ipso Nemeorum die voce præconis libertas est Argivorum, Achæis quantum restituti Argi in communi Achaiæ concilium lætitiæ afferebant.* Et *lib.* V. *In Achaja legatis Antiochi Ætolorumque coram T. Quinctio Ægii datum est concilium, Antiochi legatus prior quam Ætoli est auditus.*

Florus capite LI. *Epitomæ*, belli Achaici semina referuntur hæc: qui legati populi Romani ab Achaicis pulsati sunt, Co- E rinthum missi erant, ut eas civitates, quæ sub ditione Philippi fuerant, ab Achaico concilio secernerent. Hoc nobile concilium a Lucio Mummio Consule, qui Corinthum evertit, & Achæos debellavit, dissolutum fuit, ut Pausanias in VII. testatur.; concilia in singulis Achæorum gentibus, illud etiam apud Phocenses & Bœotios, aut si quod alibi in Græcia, dissolvit omnia. Porro hoc concilium etsi communem locum designatum habuerit, quem Ænarium appellabant prope Patras: F (ut Strabo scribit in VIII. *Ægiorum juris est & Helice & dicatus Jovi lucus Ænarius nomine; in eo Achæi de Republica consultaturi conventum agitare consueverant.*) tamen, ut ex lectione cum Pausaniæ tum Titi Livii liquet, illum ipsum conventum cum Corinthi, tum in Ægeo, etiam Sicyone, Rhio, & Argis celebravere, de quibus suo loco dicemus. *Aliud item Achæorum concilium expectare jussit* (inquit Pausanias) *quod futurum erat mense sexto. Ipse autem negavit*

ſe quicquam cum illis ſine publico Achæorum conſenſu collocaturum: idcirco hi cum eluſos ſe cognoviſſent, Romam diſceſſerunt. Critolaus autem Corinthi convocatos Achæos hortatus eſt, arma Spartanis ut inferant.

Huc ſpectant quæ de eodem concilio ſcribit Strabo in VIII. Quippe Achæi per annos aſſiduos viginti ſcribam publicum & prætores duos annuos habuere, commune quoque concilium una in curia cogebant, quod Ænarion vocabant. In quo de Republica Senatus conſulta edebantur, & per iſtos & per Ionas antea, poſtea decretum eſt unum tantum prætorem creari. Hæc ſuper illo nobili Achæorum concilio, cujus gratia arbitror illos in numiſmate præter literas A & P conjunctas, & faſciculo unionis uſos fuiſſe. Porro Magiſtratus qui publico nomine præerant, & mutabantur, Demiurgi ſive prætores nominati fuerant, quales in IV. *Decade* Livius multos recenſet, Ariſthenum, Nicoſtratum, Philopœmenem, Menalcidam, Diæum, Damocritum, & ubi concidit Reſpublica Achæorum, Critolaum Pauſanias commemorat. Titus Liv. *Decade* IV. *libro* II. plurium prætorum meminit: *Tum inter magiſtratus gentis (Demiurgos vocant) decem numero creantur, certamen nihilo ſegnius quam inter multitudinem, & quinque relaturos ſe de ſocietate Romanorum ajebant, ſuffragiumque daturos, quinque lege cautum teſtabantur, ne quidquam adverſus Philippi ſocietatem eſſet, aut referre magiſtratibus aut decernere conſilio jus eſſe, hic quoque dies jurgiis eſt conſumptus. Supererat unus juſti conſilii dies, tertio enim lex jubebat decretum fieri, filium Demiurgi nomine Memnonem, habebat partis ejus, quæ decretum recitari, prorogarique ſententias prohibebat. Is diu obteſtatus filium ut conſulere Achæos communi ſaluti pateretur.* Et *lib.* IV. *Hac vaniloquentia primum Ariſthenum Prætorem Achæorum excitavit, ne iſthuc inquit Jupiter Opt. Max. Junoque regina, cujus in tutela Argi ſunt, ut illa civitas inter tyrannum Lacedæmonium & latrones Ætolos præmium ſit.*

TAB. 5. fig. 9. *Magiſtratus Achæorum.*

Helvetiorum Reſpub.

Ex his omnibus apparet Achæorum Remp. non fuiſſe diverſam ab Helvetiorum noſtri ſeculi politia, qui & ipſi conventum habent, ubi de rebus communibus conſultant, eumque Badenæ ſive apud Thermas ſuas conſtituunt, cujus præterea vicinæ civitates participes ſunt, Rotevilla, Mulhuſium, Tigurum, Baſilea, Solodurum, Lucerna, Berna & Epiſcopatus Baſilienſis, Curienſis, ac Sedunenſis, cum plerisque proximis comitibus ac dominis. Sunt etiam in hunc conventum relati Rhæti, Griſones, Engedini.

Quanta porro Achæorum libera iſta Reſpublica, ac quam potens extiterit, declarant opulentiſſimi populi ab his ſubjugati Argivi & Spartani, ut de Sicyoniis & Corinthiis ſileam, de quibus inter initia capitis dictum eſt; unde ſcribit Tit. Liv. *lib.* IV. *Dec.* III. *Achæis quantum reſtitui Argi in commune Achajæ concilium lætitiæ adferebant, tantum ſerva Lacedæmon relicta, & lateri adhærens Tyrannus non ſincerum gaudium præbebant. Ætoli vero eam rem omnibus conciliis lacerare.* Pauſanias *lib.* VII. *Æquum videri Rom. Senatui, ut neque Lacedæmonii participes ſint Achæorum concilii, neque ipſi Corinthii dimittantur: item ex concilio Argos Heraclea ad Oetam ſita, & Orchomenii Arcades; nulla enim generis propinquitate hos eſſe conjunctos cum Achæis, & aliquanto poſt urbes has ad Achæorum concilium ſe contuliſſe.* Et rurſus: *Habebant autem in quo privatis de rebus jam olim Lacedæmones accuſabant, Nabide autem ſublato tyranno crudeliſſimo, quicquid de Lacedæmoniis moleſtiæ conceperant, in medium protulerunt. At temporis progreſſu Achæi in conventum eos Achaicum protrahunt, & judicium de eis accuratiſſime dixerunt. Mœnia item Spartæ ſolo æquant, temere prius ac negligenter extructa.* Et iterum: *Cæterum Metello, tum & reliquis legatis, nequaquam viſum eſt res Lacedæmoniorum negligere, & ab eis qui Achæorum Magiſtratum gerebant, petierunt in concilium Achæos convocari, ut publice doceant mitius aliquanto Lacedæmonios eſſe tractandos.*

Et ſubdit, cum de exulibus duobus Lacedæmoniis Alcibiade & Areo loquitur: *A Nabide enim in exilium actos ſuſceperant Achæi, & mortuo Nabide eoſdem præter ſententiam populi Lacedæmonii, Spartam reduxerant, ergo hi quoque Romam profecti ad Senatum acerrime Achæos accuſarunt, hos ut diſceſſerunt rei capitalis in concilio damnarant.* Hæc ille.

Occaſio belli Achæorum cum Spartanis.

Sed placet bella quoque Achæorum commemorare, quæ multis ſeculis cum Spartanis geſſere victores, ut ea cauſa cenſenda ſit. Quamobrem Spartani deinceps Achæis ſubjecti fuerint, quos e ſervitute Romani demum liberarunt. Qui licet ab omnibus ſemper bellis immunes, nec victoriæ Leonidis ad Thermopylas participes, nec prælio adverſus Philippum Amyntæ ad Cherroneam facto interfuerint, ſed nec Lamiaco, nec contra Galatas reliquis Græcis ullum auxilium tulerint, tamen eo potentiæ excreverunt, ut cæteris, ac præcipue Spartanis ſuſpecti fuerint, maxime vero quod tot populi eorum ſe concilio ſubmitterent. Quocirca, Agidæ Euthamidæ filio Spartanorum Rege bello petiti Pellenam amiſerant, quam tamen Aratus Sicyonius Achæorum dux mox recuperavit, & occurrentem cum copiis Cleomenem principem Spartanum ad Dymen fudit, atque ut vires ſibi a Macedonibus compararent, cum Antigono Rege tutore Philippi Demetrii fratre fœdus percuſſere, qui & ipſe inimicos ſpiritus in Spartanos gerebat, cujus ſuppetiis rurſus Cleomenem ad Sellaſiam Achæi vicerunt, & quo rebus ſuis melius conſulerent, Romanam etiam ſocietatem ambivere, atque idcirco Marco Acilio bellum gerenti adverſus Antiochum & Ætolos auxilio fuerunt, in quorum denique favorem, ſocietati Macedonicæ renunciarunt: utque Corinthus e ſervitute eximeretur, opem tulerunt. Hinc factum eſt, ut communibus armis conſiliisque adverſus Nabim tyrannum Lacedæmoniorum Romani cum Achivis decertarint, quo interfecto & Sparta occupata, tanquam rerum omnium ſecuri, altiores ſpiritus concepere, tyrannidemque in Spartanos exercere non ceſſarunt, quam exules duo Alcibiades, & Areus ad Metellum primo Prætorem, deinde ad Senatum etiam Romanum retulere, qui tametſi intercederent, ac conciliare Achæos Spartanis niterentur, Appio legato miſſo, nihil eſt tamen effectum. Deinde cum Romani a capitali damnatione Achæorum Lacedæmonios ſuo decreto

exuissent. Diæi tamen Prætoris incentivis in sua obstinata contumacia Achæi perstiterunt, quæ ne genti obesset, Agesisthenis alicujus consilio, XXIV. qui adversissimi Spartanis videbantur, in exilium mittuntur, qui Romam profecti Achæos acriter accusabant. Quorum accusationes cum Diæus & Callicrates Romæ refellerent, & legatos mittendos qui causam cognoscerent, Romani censuissent, nondum profectis legatis Democrito duce Achæi adversus Spartanos moverunt, mille interfectis. Quem licet proditionis damnassent, ut fucum causæ suæ circumdarent, tamen mox Diæo Prætore præsidia in Limtanea oppido adversus Spartanos disposuere, quorum unum Jasium, Menalcida duce Spartani expugnarunt, quem tamen ne excitasse bellum viderentur, mutata sententia damnarunt, & ad veneni haustum compulere.

Occasio belli Achæorum cum Romanis. Dum hæc utrinque fiunt, Orestis cujusdam fidi Græci arbitrio Romanorum causam permittunt, quo nihil efficiente, legatos miserunt, quos cum ad concilium admittere Critolaus eorum prætor negasset, ac insuper Callicratis Achivi judicio Romani didicissent, Perseo Macedoni suppetias missas ab Achæis, hostes judicati a Metello Macedoniæ Prætore, & bello petiti ad Scarphiam & Thermopylas vincuntur, quibus auxilio quidem aderat Diæus cum Arcadibus, & Pythias Thebanus cum Bœotiis, quos in belli societatem adsciverant Achivi, sed omnibus fusis & deletis copiis, nemine resistente Lucius Mummius Consul Romanus, qui Metelli victoriæ supervenerat, Corinthum obsessam expugnavit, atque funditus evertit, sublatoque concilio, ac subactis undique non solum Achivis, sed proximis omnibus Græcis Præturam Romanam auspicatus est, quam in Proconsulatum Augustus Cæsar mutavit, restituta Corintho.

Mores Achæorum. Et hactenus de bellis Achæorum, ac everso illius gentis imperio, quam privatam insuper ludo Olympico Pausanias refert in VII. *In regione porro Dyma est Oebotæ cursoris victoria. Is in Olympia Achæorum primus cum accepisset præmium, nullo exiguo honore ab eis est affectus, propterea Oebotas execrationes composuit, ne quis Achæorum victoria Olympica in posterum potiretur. Et fuit sane Deus aliquis, qui Oebotæ imprecationes curavit perficere: propterea Achæi missis qui Oraculum Delphicum consulerent, certiores fiunt, quanam de causa coronis hactenus Olympicis sint defraudati. Postquam igitur tum alia in honorem Oebotæ instituerunt, tum statuam in Olympia posuerunt. Sostratus Pellinensis stadii victoriam inter pueros est adeptus. Usitatum & hodie apud Achæos est, ut qui certaturi sint in Olympiis rem sacram Oebotæ faciant, & Olympia si vincant, Oebotæ statuam coronent.* *Comati Achæi.* Homerus Achæos χαρηκομόωντες vocat, quasi *bene comatos*, cum in pueritia ac luctu deponere capillos tantum consuevissent; Spartani vero perpetuo tonsi incedebant. Hinc cum prælium inter Achæos & Spartanos Pausanias in VII. recenset: *Hi vero auditis Romanis decretis*, inquit, *impetum in Lacedæmonios statim fecerunt, qui forte Corinthi degebant, & quemvis corripuerunt, tum quem Lacedæmonem esse manifeste sciebant, tum qui capillorum tonsura, aut calceamentis, aut veste, aut etiam nomine suspicionem præbebant.*

Fluvii Achaiæ. Sed venio ad reliqua in Achaia conspicua: atque ut omittamus tot fluvios, qui eam irrigant ac fertilem faciunt; quorum Nemea e finibus Argolidis fluens ac Corinthum præterfluens ad navalia illius Cenchream in mare Ægæum exit, Asopus ex Tythone monte per Phliasiam currens infra Lechæum portum in Ionium mare exoneratur, quem sequentes reliqui minores amnes Sythus, Elissos, Crathis & qui Sicyonem ac Pellenam fœcundat Cephisus, Selinus qui Helicen ac Ægyram, Phœnix qui Ægæum, Cyathus, Ægas, Cercinna, Bolineus, Melas, Glaucus, Larissus, Milichius, Cariander, omnes Ionio mari confluunt, & qui contra Zacynthum ingrediuntur ad Olenum Parus, ad Dymas Larissus, & ad Myrtenum Achelous. *Rhium prom.* Sequitur Rhium promontorium. Sed Patris cum in Ægium navigaveris, primum promontorium cernes Rhium nomine. Distat Patris XL. stadiis. Portus præterea Panormus stadiis XV. a promontorio abest, totidem distat a portu murus Minervæ. Strabo lib. VIII. *Est autem Rhium in Achivorum solo protensum longius promontorium in falcis figuram interius curvatum, unde & Drepanum iidem falcem appellant, jacet autem inter Patras & Ægium Neptuni templum habens.* Et rursus: *In medio autem est Rhion a Patris* XL. *distans stadiis, in ea nuper Rom. pop. post Actiacam victoriam nobiliorum militum partem locavit, hodieque præclaris viget civibus, cum Romana sit colonia: habet & mediocrem navium stationem.* Lege Liv. *lib.* VII. *Decad.* III. & *lib.* VIII. In hujus promontorii civitate conventum suæ gentis celebrare Achæi solebant. *Heræis peractis* (scribit Livius) *ab ipso ludicro extemplo Rhium profectus est ad indictum multo ante sociorum concilium.* Et *lib.* VIII. *Cum ab Oreo profectum Attalum Romanosque audiissent, veriti ne in se iretur & intra Rhium (fauces hæ sunt Corinthii sinus) opprimerentur.* Et subdit de concilio: *In concilio tamen dissimulans ægritudinem elato animo disseruit, testatus Deos hominesque, se nulli loco nec tempore defuisse.*

Patræ Colonia Romana. Rhium promontorium ac civitatem sequitur Patrarum colonia Romana, de qua Strabo in VIII. Ex Rhypis sane oriundus fuit Myscelus habitandæ Crotonis autor, ab eisdem fuit & Leuctrum pagus. Inde & Patræ sunt urbs insignis. Cujus quidem urbis ab Augusto Cæsare evectæ ad coloniæ Romanorum prærogativam, primi autores a Pausania memorantur, Eumelus indigena & Triptolemus Atticus Eleusii Regis filius a Cerere educatus, a quibus Aroa est constructa civitas, cujus nomen filius Eumeli Antius mutavit in Anthiam. Quod nomen denique, cum Achæi Iones ex Ægialo expulissent, Patreus Preugenis filius, nepos Agenoris suo permutavit. Erat enim nepos Patreus Arei primi conditoris, Arei vero pater Ampyx fuerat, avus Pelius, proavus Ægineta, abavus Deritus, atavus Harpalus filius Amyclæ Lacedæmonii nepos. Cujus quidem civitatis præter innumera templa duo sacra commemorat Pausanias Patrensibus celebrata, in honorem Dianæ Laphriæ, quibus virgo sacerdos cervorum bigis invehebatur cum magna pompa mulierum accedentium aram magni incensi, cui vivos volucres, capreas, cervos, lupos ac ursos im-

ponebant, ac quotannis vivum puerum ac puellam immolabant. Alia sacra Baccho solennia Æsymneta vocat a IX. viris dignitate præcellentibus sorte electis ac totidem mulieribus celebrata, qui Æsymnetæ vocabantur, quos in pompa præcedebat sacerdos arcam illam Eurypylo Troja allatam præferens, sequentibus a tergo pueris spicis coronatis. Meminit denique & Odei publici loci, in quo Musici certabant, quod constructum a quodam Herode Attico in memoriam uxoris fuerat. Quanta autem existimatione Patræ fuerint, non solum Proconsulis Prætorium ibi constitutum a Romanis ostendit, verumetiam quod Pausan. in IX. scribit, quod Achæi, antequam ad illum apicem pervenissent, societatem ac amicitiam Patrensium ambiverint.

Patris LX. stad. distat Ægium, quod duo amnes præterfluunt Phœnix & Meganites, & ubi suum etiam Achæi conventum celebrabant. De quo in VIII. Strabo. Post Helicen Ægion est & Rhypes & Patrenses & Pharenses, dein Olenus, præter hunc Melas magnus amnis labitur; postmodum Dymæ & Tritaenses. Iones igitur domicilia per pagos habebant; at vero Achæi urbes ædificarunt, in quibus partim habitarunt. Et iterum *eod. libro*, inter Ægas & Ægium distinguit, Ægas desertas ostendit, Ægium vero satis incolarum habere, ubi Jovem a capra lactis alimenta suscepisse Aratus ex vetustate scribit. Fuit præterea celebre Ægium (præter templa, quæ enumerantur a Pausania, Lucinæ, Æsculapii cum nemore Jovis Servatoris, cum nemore Minervæ, Bacchi ad theatrum, Apollinis & Dianæ, in foro Proserpinæ, & in littore maris, Veneris & Neptuni, Cereris Panachææ & Jovis Homagyrii) consultatione Agamemnonis cum Græciæ principibus, cum bellum in Trojanos meditaretur, antequam in Aulide juramento se astrinxissent, deinde & conventu illo Achæorum celebri, qui cum Corinthi ac Sicyoniæ Rhioque fiebat, tum præcipue in Ægio celebrabatur.

Ægium. Inde scribit Pausanias in VII. *In Ægium nostra ætate concilium Achæorum convocatur, quemadmodum & in Thermopylas, & Delphos, Amphictyones conveniebant.* Et rursus: *Concilium item habebant Achæi, quod Achaicum est dictum, communicatisque publice rationibus & consilia inibant, & quod erat faciundum, faciebant, Ægium eis convenire est visum: hæc enim post Helicen aquis submersam aliis in Achaia civitatibus gloria semper præstitit, tum vero & potentia excellebat.* Livius *lib.* VI. *Decad.* IV. *Soluta obsidio est, & exercitus in Phocidem remissus est. Consul cum T. Quinctio ad Achaicum concilium Ægium trajecit.* Et *lib.* VIII. *Decad.* III. Cum expedito agmine profectus per Bœotiam, Megaram atque inde Corinthum descendit. Unde commeatibus sumptis Phliunta, Phæneamque petit, & jam cum Eræam venisset, auditur Machanidam fama adventus sui territum refugisse Lacedæmonem. Ægium se ad concilium Achæorum recepit. Ægium sequuntur Pellena, Helice, Ægyra, Buræ, & Olenus, antiqua municipia & desolata, quemadmodum Strabo scribit *lib.* VIII. e quarum numero fuere Patræ atque Dymæ, cum altera nihil contribueret, alteram fluctus delevis-

A sent. Nam cum terræ motus in sublime pelagus extulissent, & ipsam diluvii instar absorpsit simul & Neptuni templum Heliconii, quod ætate nostra Iones præcipuis honoribus adornant, ibique sacrificium operantur, quod ab universis Ionibus factum Panionia vocant. Et rursus: Secundum Sicyonem Pellena jacet, deinde Ægyra secunda, tertia Ægæ Neptuni templum habentes, quarta Bura, post eam Helice, ad eam Iones ab Achæis bello fracti confugerunt, tandem ex his oris fugati. Et rursus: Oppidum Helice olim erat habitatum, & Ionibus fuit templum sanctissimum Neptuni Heliconii. Sed tum quoque cum ab Achæis ejecti Athenas fugissent, & postea Athenis ad loca Asiæ maritima rediissent, coluisse se ajunt Neptunum Heliconium. Milesii item. TAB. 5. fig. 10. *Helice & Bura.*
B

Adde quæ Strabo in VIII. de Dyma scribit, (cujus numismate, ut lector hic cernes, capra est sculpta ranam conterens, forte a vicino vel Ægio vel Ægis, aut denique Ægyris, aut ipsa denique regione tota Ægialo nominata, quæ omnes a capra derivantur appellationes) deinceps vero Dyma civitas est absque portu inter omnes in occasum magis exposita, unde & nomen adepta est, annis superioribus Stratos appellabatur. Eam vero præterlabitur Larissus fluvius ab Elæa per Buprasium descendens, e monte defluens, quem alii Scolin vocant. Homerus autem Oleniam petram. Cum vero Antimachus Dymam Cauconidem appellet, nonnulli sic approbant a Cauconibus adjectum nomen. Et subdit: Dyma suscipit accolas convenas homines atque promiscuos, quos e numerosa Piratarum colluvie perinde ac reliquos Pompejus habuit, deleta prædonum manu. Quorum partem in Ciliciæ Solis, partem aliis in oris, & hoc in loco habitatores imposuit. Phara Dymæo agro contermina est, a qua Pharienses dicuntur. Meminit Dymarum Titus Livius *lib.* II. *Decade* IV. *Cum terra Nabis & Lacedæmonii mari Romana classis urgebant, unde regiam societatem & præsidia Macedonum implorem? an ipsi nostris armis ab hoste Romano tutabimur urbes, quæ oppugnabuntur? egregie enim Dymas priori bello sumus tutati.* Et subdit: *Dymæi ac Megalopolitani, ac quidam Argivorum, priusquam decretum fieret, consurrexerunt, ac reliquerunt concilium, neque mirante ullo, neque improbante. Nam Megalopolitanos avorum memoria pulsos ab Lacedæmoniis restituit in patriam Antigonus, & Dymæis captis nuper, direptisque ab exercitu Romano, cum redimi eos, ubicumque servirent, Philippus jussisset, non libertatem modo, sed etiam patriam redemerat.* Et tantum dicere voluimus de civitatibus. *Dymæ, & ejus insignia.* TAB. 5. fig. 11.
C
D
E

F Venio tandem ad Colonias ab Achæis ac Corinthiis deductas, quarum quatuor in Italiæ ea ora reperio, quæ Græciæ ac Siciliæ obtenditur, Metapontum, Crotonem, Sybarim, ac Syracusas in Sicilia. De Metaponto meminit Titus Liv. *lib.* V. *Decad.* III. *Hoc idem eadem ora maris & Thurini fecerunt, movit eos non Tarentinorum magis, Metapontinorumque, quibus itidem ex Achaia oriundi, etiam cognatione conjuncti sunt.* Huic opinioni suffragatur etiam Diodorus, ac ex Diodoro Volaterranus. Antiochus vero Metapon- *Coloniæ Achæorum.* *Metapontus.*

tum post Locros a filio Sisyphi ejusdem nominis, quem barbari Metabum cognominabant, appellatam, quandoque Syrim, & a Pyliis esse ædificatam, ac in agricultura fœlices Metapontinos auream æstatem Apollini dedicasse. De Crotone scribit Strabo descriptione Patrarum Achaiæ, *lib.* VIII. *Ex Rhypibus sane oriundus fuit Myscelus habitandæ Crotonis autor.*

Croto.

Adde quæ in secundo *Antiquit.* Dionysius refert. Quin & validius argumentum habeo, non convenire cum supputatione temporum, quæ de hujus disciplina tradunt autores, quia nondum erat Crotoniensium urbs, quando Numa Romam ad regnum accitus est. Integro enim quadriennio post assumptum a Numa principatum Myscelus eam condidit XVII. Olympiadis anno tertio, unde satis apparet eum non potuisse adsectari Pythagoram, qui quatuor post ætatibus exactis floruit, nec Crotone degere cum ad regnum vocaretur, quæ nondum condita fuerat. Et *libro* I. Ab una enim habitantium gentium Achaica tota ea pene insula, in qua sunt Arcades, Iones cum aliquot gentibus aliis, nominatur Achaia. Tempus autem, quo res Pelasgorum cœperunt deficere, incidit in alteram ætatem ante bellum Trojanum. Duraverunt tamen pene ultra ejus belli tempora, donec contractæ sint in gentem minimam. Nam præter Crotonem Umbriæ civitatem memorabilem, & si quid aliud tenuerunt, Aborigenes petierunt reliqua Pelasgorum oppida. Croton vero cum diu retinuisset formam veterem, non multo ante nostram ætatem, & cives mutavit cum nomine, Gertona vocata, & facta Romanorum colonia. Eadem de Crotonis initiis Strabo in VI. adnotavit. Prima Croton est, a Lacinio CL. distans stadiis. Est & Æsatus fluvius & portus, & fluvius alter Neæthus nomine. Nam in Achivorum errore quosdam ab Iliaca classe applicuisse ad locorum explorationem egressos. Et subdit: Ut vero autor est Antiochus, cum Achivi a Deo oraculum cepissent, ut Crotonem conderent, Myscelus ad considerandum locum accessit, qui jam ædificatam cerneret Sybarim.

Insignia Crotonis. TAB. 5. fig. 12.

Hinc factum arbitror, ut in numismate Tripode Delphico Crotoniatæ fuerint usi, ut in hoc numismate videre est. Diodorus in V. a Crotone ab Hercule interfecto si non conditam, ac saltem nominatum locum deducere videtur, cum ait: Hinc Hercules cum bobus in Italiam profectus, cum juxta littus progrederetur, Latinum furem boves furantem peremit. Crotonem vero cum invitus cecidisset, sepulchro ei constructo sepelivit egregie, incolis prædicens, futurum tempus, quo ibi civitas insignis ex mortui nomine conderetur; ipse per Adriaticum sinum circumvectus in Epirum primo transiit, deinde in Peloponnesum. Huc alludens cecinit Ovid. lib. XV. *Metam.*

Nam fuit Argolico generatus Alemone quidam
Myscelos, illius Dis acceptissimus ævi.

Scitum est quod T. Livius *Decad.* III. *lib.* IV. refert, de Crotoniatarum constantia, & quam Græci nominis studiosi fuerint, ut ab Hannibale persuaderi non potuerint, quo cum Brutiis miscerentur. *His conditionibus ad deditionem compellere Crotoniatas conatus, ut coloniam Brutiorum eo deduci, antiquamque frequentiam eorum recipere, vastam ac desertam urbem bellis paterentur, omnium neminem præter Aristomachum movit, morituros se affirmabant citius quam misti Brutiis in alienos ritus, legesque ac mox linguam etiam verterentur.* De Crotonis desolatione eodem ex bello adde ex eodem autore: *Jam hoc ut sibi liceret, impetraverat, & ab Hannibale missis ad ipsum legatis, ita Crotone excessum est, deductique Crotoniatæ ad mare naves conscendunt, Locros omnis multitudo abeat.* Strabo *lib.* VI. Crotoniatas terræ salubritate ac Athletico exercitio, Athenæus lib. XII. *Dipno.* delitiis celebrant. Loca autorum subjiciam: *Antea sane Japyges Crotonem Ephoro teste incolebant. Fuit autem civitas rei bellicæ peritissima, nec parvam exercendis Athletis operam dedit. In uno igitur Olympico certamine septem viri, qui cæteros studio superarunt, Crotoniatæ fuere. Jam igitur dici visum est, Qui Crotoniatarum postremus est, is reliquorum Græcorum primus est. Vetus quoque proverbium alterum, Quid Crotone salubrius. Quod inde ortum esse ajunt, quia locus ipse ad salubritatem & bonas habitudines propter Athletarum multitudinem plurimum conferat; plurimos enim ad Olympia victores.*

De luxu Crotoniatarum adde ex Athenæo: Crotoniatæ postquam Sybaritas deleverunt, ut autor est Tymæus, ad delitias se contulerunt, ita ut eorum principes purpurea veste induti per civitatem incederent, aureaque corona & crepidis albis. Sunt qui hoc non ob delitias factum asserant, sed ob Medicum Damocidem, qui erat Crotoniates, qui Polycratis Samiorum tyranni fuerat familiaris, atque post illius mortem captivus a Persis factus ad regem adductus fuit, cum Polycrates ab Oreta fuisset interfectus. Cum igitur Damocides Arossam Darii regis uxorem sanavisset, Cyrique filiam, quæ ex mamma laborabat, ab hac in munus poposcit, ut mitteretur in Græciam, qui in Crotonem forte delatus est. Strabo denique ac Paus. Crotonem celebrant, duobus præcipue alumnis Pythagora ac Milone illo fortissimo, qui & sextam in Olympia victoriam consecutus fuerat, & taurum humeris gestavit, & quia Pythagoræ fuerat auditor, labentem in auditorio columnam tantisper sustinuit, donec reliqui omnes salvi egrederentur. Granatum præterea malum ita manibus continuit, ut nec vi extorqueri ab aliis posset, nec premendo ipse corrumperet. Inuncto item disco institit, & ludibrio eos habuit, qui facto impetu disco deturbare eum conabantur. Cordam denique cum fronti alligasset compresso intra labra anhelitu, ita sanguine venas replevit, ut præ viribus corda rumperetur. Postremo cum per sylvam iter faceret, incidens in lignum, quod cuneis impactis fuerat divisum, discerpere & illud conatus nimium viribus fidens cuneis elapsis ipse in scissura detentus a feris devoratur. Sed concludam Crotonem Achivam coloniam carmine Nasonis libro XV. *Metamorphoseon.*

Luxus Crotoniatarum.

Milo Crotoniates.

Dives ab Oceano bobus Jove natus Iberis
Littora fœlici tenuisse Lavinia cursu

Fertur, & armento teneras errante per herbas,
Ipse domum magni nec inhospita tecta Crotonis
Intrasse, & requie longum relevasse laborem.

Et paulo infra:

Vixque pererratis quæ spectant littora terris,
Invenit Æsarei fatalia fluminis ora.
Nec procul hinc tumulum, sub quo sacrata Crotonis
Ossa tegebat humus: jussaque ibi mœnia terra
Condidit, & nomen tumulati traxit in urbem.

Sybaris colonia. Sequitur Sybaris in Italia sive Japygum ora, ejusdem gentis Achæorum colonia, ut Strabo in VI. refert, deinceps ab Achivis conditum oppidum Sybaris est ducentis distans stadiis, inter duos situm fluvios Creathidem & Sybaritidem. Ejus autem condendæ autor est Isselicejus. Eo autem excellentiarum & fœlicitatis ea civitas excrevit, ut quaternas proximas rexerit gentes, & quinque ac viginti urbes suo subdiderit imperio, & contra Crotoniatas trecentorum hominum millium exercitum duxerit. Super Crothide vero domicilia habentes L. in circuitu stadia. Totam autem hanc fœlicitatem intra dies LXX. Crotoniatæ illis interceperunt, adeo delitiis & luxuria intemperantes diffluebant. Urbe enim potiti, inducto fluvio cuncta demerserunt, pauci ex ea clade superstites adunati cohabitabant, quos temporis intervallo Athen. aliique Græci prorsus extinxerunt. Nam in societatem civitatis pervenientes, eos per contemptum habitos trucidarunt, & urbem alium in locum prope transpositam ædificarunt. Scitum est quod de luxuria Sybaritarum refert Athenæus XII. *Dipnos. Sed de Sybaritis quid opus est ut pluribus dicam? apud quos balneatores introducti fuerint, effusoresque edocti, ne citius dimitterent, & ne nimium festinantes, eos qui lavarentur, comburerent. Primum etiam Sybaritæ artes quæ strepitum facerent, extra civitatem ejecerunt, veluti fabrorum, ærariorum & lignariorum, horumque similium: ita ut undique imperturbati somni efficerentur, neque sane gallum in civitate nutrire licebat.* Et addit: *Est etiam apud eos consuetudo ut pueri ad impuberem usque ætatem purpuram, capillorumque nodos auro revinctos gestent, apud hos homunculi quidam parvi ac Scopæi, ut inquit Timon, ob delitias reperiuntur, qui Stilpones ac Melitæi catuli dicuntur, qui illos sequuntur in Gymnasia, alludente Poeta:*

Navigas Ionium, Lacedæmoniumque Tarentum,
Præterit & Sybarim, Salentinumque Neæthum,
Thurinosque sinus, Emesenque, & Japygis arva.

Syracusæ Achæorum colonia. Quarta colonia Achæorum in Sicilia traduntur Syracusæ, ubi regnasse potentissimos reges constat, Gelonem, Agathoclem, Dionysium, Hieronem & Hieronymum, & quam urbem in moneta usurpasse vidimus quadrigas Olympicas, itemque currentium hominum & luctantium symbolum. Quod vero ex Achaia oriundi Syracusani fuerint, meminit Strabo in VI. Syracusas quidam Archias e Corintho navigans condidit, quibus temporibus & Naxus & Megara habitari cœperunt, simulque Myscellum & Archiam Delphos, ut Deum consulerent, petiisse, illum interrogasse, utrum opes an salubritatem eligerent. Archiam itaque opes, Myscelum vero salubritatem elegisse, concessumque alteri ut Syracusas, alteri ut Crotonem conderent. Evenit igitur Crotoniatas urbem tam salubrem coluisse, ut diximus. Syracusas vero ad tantum divitiarum cumulum evasisse, ut jam in proverbio disseminetur, cum ad locupletes ac sumptuosos loquimur, vobis ne decima quidem Syracusanorum. Idem Cicero *in Verrem*, Syracusas urbem maximam Græcorum esse scribit, ac pulcherrimam ex quatuor urbibus compositam, quarum una insula nominatur, altera Arcadina, tertia Tychiæ, quarta Neapolis. Lege Titum Livium *l.* IV. *Decad.* III. qui eam ad unguem describit captam a M. Marcell. Rom. ac diu defensam mechanicis Archimedis præstantissimi Mathematici, qui laudem patriæ non minimam comparavit. Cujus summam audire ex XIV. Silii Italici libet, qui similiter ejus initia ex Achaia & Isthmo derivat:

Tum sese Isthmiacis æquassent oppida tectis,
Tot delubra Deum, totque intra mœnia portus:
Adde fora & celsis suggesta theatra columnis,
Certantesque mari moles: adde ordine longo
Innumeras spacioque domos æquare superbas,
Rura: quid inclusos porrecto limite, longis
Porticibus sacros juvenum certamine lucos,
Quid tot captivis fulgentia culmina rostris?
Armaque fixa Deis? aut quæ Marathonius hostis
Perdidit, aut Lybia quæ sunt advecta subacta.

Et mox de luxu ac ornatu Syracusanorum:

Artificum manibus non usquam clarior ullo
Gloria pictura seclo: non æra vocabant,
Quæ scirent Ephyren, fulvo certaret ut auro
Vestis, spirantes referens sub tegmine vultus,
Qua radio celat Babylon vel murice picto,
Læta Tyros quæque Attalicis variata per artem
Aulæis scribuntur acu, aut Memphitide tela.

Quibus versibus & ad ludos Syracusanos alludit, quorum diximus symbolum numismate usurpasse, vel quod Syracusani & Neapolitani, apud quos sacer Agon ille (sic enim ludi vocabantur) celebrabatur, a Græcis oriundi fuerint, ludorum autoribus primis, vel quod Hercules cum ad Geryonem proficisceretur, isthac transierit, quem Olympicorum ludorum in Græcia autorem Pausanias refert V. *Eliacorum*: *Aureo seculo Saturni nato Jove, Rheam Idæis Dactylis sive Curetibus infantis custodiam commendasse.* Ex

Ida autem Cretica tum esse profectos, Herculem, Pæoneum, Epimedem, Iasium & Idam. Herculem porro ludentem cursus certamine commisisse fratres, victoremque ramo oleastri coronasse, & ideo, quinto quoque anno celebrari, quod tot annis Saturnus cum Jove filio luctatus sit. Potest & tertia ludorum istorum ratio reddi, quod Arethusa fons prope Syracusas erumpat, quem subtus terra & mari ex Alpheo Elidis flumine provenire antiquitas credidit. In Elide autem apud Alpheum amnem ludicra ista Olympica celebrabantur ab Hercule inventa, luctatorum tam puerorum quam virorum, idque cæstibus vel manibus armisque & cursu, item & Poetarum artificumque. Hinc de Arethusa illa Syracusana ex Alpheo Elidis orta, ac Archia Corinthio autore Syracusanorum, recte cecinere Poetæ: Ovid. v. *Metamorph.*

Et qua Bacchiadæ bimari gens orta Corintho
Inter inæquales posuerunt mœnia portus:
Est medium Cranes, & Pysææ Arethusæ,
Quod coit angustis inclusum cornibus æquor.

Silius XIV. *Punicorum:*

Sed decus Ennæis haud ullum pulchrius oris,
Quam quæ Sisyphio fundavit nomen ab Isthmo,
Et multum ante alios Ephyræis fulget alumnis.
Hic Arethusa suum piscoso fonte receptat,
Alphæon sacræ portantem signa coronæ.

Et sic causa patet, quamobrem piscium icones symbolis eorundem numismatum Syracusanorum juncti cernuntur, ob piscosam videlicet Arethusam præterfluentem. Et hactenus quidem de coloniis Achæorum ac Corinthiorum; sequuntur insignia, quæ duo Achæi usurparunt, fasciculum unionis & literis initialibus vocis Achæorum complicatis A & P, cujus explicationem supra ex conventu illo Achæorum celebratissimo adduximus, & faciem Jovis, modo Jovis est, & non magistratus, quem præfati sumus Demiurgon vocari, aut denique Achæi Xuthi filii Ionis fratris, quod libentius crederem, nulla enim inscriptio adjecta est, & in eodem numismate ex aversa cernitur. De Achæo supra multa diximus, si Jovis facies erit, causa petenda est a Jove Græcanico, cui Æaci intermissione Græci siccitate, peste ac sterilitate laborantes, sacra instituerunt, ut supra dictum. Ad hæc Jovis Olympici templa cum in Corintho, tum Patris, Ægioque Achæi singulari veneratione colebant, quemadmodum paulo ante diximus.

CAP. IV.

DE ARGOLIDE.

ARGOS ante bellum quidem Trojanum majori fama quam potentia fuit civitas, puta una non satis opulenti latique agri, quam Homerus reliquique antiquiores Poetæ nunc Achæam, nunc Jasiam & Doricam, nunc vero Pelasgiam, itemque Hippiam, hoc est, equestrem, Hippobotam, & Dipsium, ab aquarum copia, epithetis cognominant, antequam reges Ægypti a Belo oriundi ac præcipue Danaus eam extulisset, a Mycenarum regno ac Prosymnæ agro separatam ditionem habebat. Sed nec Epidaurus Trœzenaque Argolici juris extitisse vel carmen Homeri in *Catalogo* ostendit, ex versione Hessi:

——— *Tum qui Junonis Achivæ*
Tecta colunt Argos Tirynthaque mœnibus altam,
Hermionemque Asinemque sinus maris alta tenentem,
Littora Trœzena, Eionasque sacramque Epidaurum
Vinetis celebrem. Qui Æginam cumque opulentam
Et Masetta colunt. Has voce valens Diomedes
Duxerat & Sthenelus Capanei filius alti,

Et de Mycenis seorsim:

Qui claras coluere insignia tecta Mycenas,
Et qui mœnia habent opulentæ celsa Corinthi.

Hinc Mycenarum regno Agamemnon apud eundem extollitur, & seorsim Prœtus septem Cyclopum auxilio, qui γαςρομάγοι, id est, *Ventrimani*, appellabantur, Tirynthen struxisse, & inde excursionem fecisse legitur. Seorsim quoque Danaus ex Ægypto advectus Beli regis filius, condita arce in loco petroso & aquis indigo, Gelanorem Stheneli filium ejecit, & cum multis filiabus abundaret, multosque generos acquireret, agrum primus ampliavit. Ad quem alludens Homerus cecinit, ex versione Hessi:

Argos aquis vacuum Danaæ struxere redundans,
Dii posuere Argos, lympharum protinus expers.

Is adeo, ut inquit Strabo, præcedentes loci illius Reges excelluit, ut qui antea Pelasgi nominabantur, imposita per Græciam lege Danai vocarentur. Et quia Junonis Argivæ templum prope Mycenas ambobus fuerat regnis commune, videlicet Mycenæo vel Laconico, ac Argolidi, evenit posterioribus seculis, Danai jam stirpe deficiente, ut promotis limitibus Laconici Reges sensim Argolidem subjicere inciperent, quemadmodum antea qui de Danao descenderant, eo quod ex Laconicorum Regum sanguine defluxerant, etiam Mycenarum agros subjectos habebant, manente tamen vel Argolidis appellatione, vel Mycenarum nomine. Tanta erat affinitas & commixtio eorum Regum, non solum quod vicini, sed quod sanguine ac matrimoniis quam conjunctissimi essent.

Scitum est quod scribit in VII. Strabo, Mihi sane videtur ut Pelasgi & Danai, sicut & Argivi nuncupantur, quod hujus civitatis gloria & cæteros Græcos a se denominandos compararit. Sic & Jasium Argos Jasidas appellari facit. Sic & ex Apia Apidones recentiores dixere. At Homerus non quidem Apidones appellat, Apiam autem magis longinquam quam prope Peloponnesum dicat Argos, animadverti vel hinc licet, quod Argivam dicit Helenam. Et inde

urbs Ephyræ exiſtit ipſius in Argos ſinu. A hinc eſt Argos medium & inſulas multas, & univerſum Argos regere. Juniores & campos Argos dicunt. At Homerus ne ſemel quidem præcipue Macedonicum & Theſſalicum eſſe arbitrabatur. Cum vero Danai nepotes Argivum excepiſſent regnum: illis ſeſe Amythaonis immiſcente progenie e Piſæo agro atque Triphylia proficiſcente, mirari nemo debet, ſi eadem procreati ſtirpe hoc modo regionem duo in regna diviſere Primo, ut cum duæ in illis urbes eſſent, ipſas principatu eminentes oſtentarent, præſertim intra ſtadia minus quinquaginta inter ſe finitimas, B Argos videlicet atque Mycenas, & dicatum Junoni templum juxta Mycenas, ambabus eſſe commune, in illo ſunt Polyceti ſimulachra artis laude omnium præſtantiſſima ſumpta & magnitudine, Phidiæ ſane imaginibus cedentia. Argos quidem a primordio magis ac magis extitit potentia primatuum, ſubinde Mycenæ ampliora ſuſceperunt incrementa propter commigrantes in illas Pelopidas. Nam cum omnes ad Atrei filios conſiſterent, Agamemnon grandior natu regnum adeptus, duce virtute ac pariter fortuna comite, C regionis paternam poſſeſſionem ampliavit, & Mycenæo Laconicum adjecit imperium: unum Menelaus Laconicæ regimen tenuit. At Agamemnon Mycenarum uſque Corinthum ac Sicyonem. Hæc Strabo. Unde apparet duo regna coluiſſe: unum, illam ipſam Argoliden, ac Mycenarum Laconico tertio acceſſiſſe, ut de quarto Trœzenico nihil addam, e cujus regis Pithoi filia Ægeus rex Athenienſium Theſeum genuit. Et ſic intelligitur verſus Homeri *Odyſſ.*

D *Græciam adit vaga fama viri mediuſque per Argos.*

Et iterum *Iliade*:

In Argos veniemus Achæum.

Ubi vox Argos magnam Græciæ partem includit. Hinc factum arbitror, quod hæ voces Argivus, Achæus, Græcus ac Hellenus paſſim confunduntur, quod hi principes populi acceſſione provinciarum nominiſque gloria tunc fuerint celebrati. E Achæi quidem proximi ab Arcto, ceu domini Argolidis ad ſe nomen traxere, & Spartani ſimiliter a meridie, ut dictum eſt, adeo ut ſub jugo & ſervitute hæc gens præ cæteris orbi inoleverit, utriuſque accolentis populi potentia nixa.

Hinc eſt quod Pauſanias in VII. refert: *Archander & Architeles Achæi filii ex Pthiotide Argos ſunt profecti, & Danai ibi generi facti, Automaten quidem Architeles duxit, Schæam vero Archander. Cæterum Argis eos permanſiſſe non minimum hoc argumentum eſt.* F *Metanaſten enim, hoc eſt, exulem, filium ſuum Archander appellavit. Cum itaque multum & Argis & Lacedæmone Achæi liberi poſſent, factum eſt, ut ejus loci homines Achæi appellarentur.* Hæc cum ita ſint, ſub ſervitute vicinorum, Argolidis nomen ita crevit, ut Mycenarum Trœzeniæque regna veteri paulatim majeſtate decreſcente illi adjuncta fuerint. Quando hoc factum ſit, & quibus auſpiciis, refert Strabo.

Cæterum ſecundum tempora Trojana deſtructo Agamemnonis imperio res Mycenæa humilius attenuata eſt, præcipue poſt reſtitutos Heraclidas. Iſti enim occupata Peloponneſo, priores dominos ejecerunt, quo effectum eſt, ut qui Argos obtinerent, Mycenas quoque ſubjectas in unum conſpirantes haberent, poſteriori tempore eas Argivi ſolo æquatas delevere, adeo ut nunc Mycenæi oppidi ne veſtigium quidem reperiatur.

Placet autem auctæ Argolidis, ac partim affinitate, partim vicinitate locupletatæ, limites ex Strabone referre. Ab oriente quidem Cleone promontorio, quod abeſt a Corintho ſtadiis LXXX. Spyreo promontorio, ſinu Saronico, ſinu Trœzen. a ſeptentrione via ſaltuoſa, quam circa Trettum vocabant, & mons Tython cum Nemea ſylva Corintho ſeparat, ab occaſu adjacet Arcadia & pars Laconicæ, diſtinguentibus Stymphalo, Artemiſio, Parthenio & Caryſto montibus, & fluviis Tano qui Thyræam præterlabitur ab Æginetis cultam, denique in meridiem Argolidis duobus ſinubus excurrit, Argolico & Hermionico, quos Strabo in VIII. ſic delineat. Poſt Malæam autem ſinus excipit Argolicus & Hermionicus. Ille quidem uſque Scyllæum naviganti, ad orientem ſpectat, & ad Cycladas, alter magis ad ortum quam iſte vergit ad Æginam, terramque Epidauriam. Sinus quidem Argolici primas partes habent Lacones, reliqua tenent Argivi, in quibus ſunt & Apoll. templum Delium Laconicum, quo nomine & Bœotium & Minoa caſtellum, quo vocabulo eſt & Megaricum, & Limnera Epulateria, ut inquit Artemidorus. Scribit autem Apollodorus ipſam apud Cytharam eſſe. Quæ cum commodiſſima portu ſit, breviter ac præciſe Limneram, quaſi λιμενήραν, id eſt, *portuoſam*, appellatam eſſe nomine permutato. Ac ipſa Laconicæ navigatio, ſtatim a Malæa inchoans uſque longum in ſpacium aſpera fit, tamen ſtationes & portus habet, reliqua ripa bonis eſt prædita portubus, parvæ quædam illi adjacent inſulæ haud ſane memorabiles: Argivæ autem ſunt Pralia & Temenium, in quo humatus eſt Temenus, & prior locus eſt, per quem Lerna fluvius eodem quo palus nomine fluit, in qua tantas de hydra Poetæ fabulas addiderunt. Ipſum vero Temenium longe ab Argo ſtadiis XXVI. diſtat; a mari ab Argo ad Heræum XL. Hinc uſque Mycenas decem. Secundum Temenium Nauplia eſt Argivorum navale, ſic proprie dicta, quod eo naves navigent, poſt Naupliam ſpeluncæ ſunt & in illis Labyrinthorum ædificia, eas vocant Cyclopæas. Dehinc alia loca & ordine, ſinus Hermionicus ſitus eſt, quem cum in Ægina locus ordinet, ipſam etiam circuitionis partitio haud ſane deſpicienda nobis indicavit. Ejus initium ab Aſina eſt oppido, dehinc Hermione atque Trœzen. Hæc ex Strabone.

Qui præterea montes celebriores per tractum ejus provinciæ enumerat, Tythonem, Chaonem, Artemiſium, Parthenium, Caryſtum, Cynoperam, Lyrcium, & prope Tirynthen, Arachnum, Cynorciam, Tythium, Eubœam, & prope Mycenas, Acræam & Tornacem infra Aſinas & Cuculinum montem. Promontoria vero a finibus Corinthi incipien-

piendo Spiræum, Pharygium, Scyllæum, Bucephalum, Buphortinum, Platonistunta, Strathium, Phalanorium Didymorum, & Apobathmon.

Flumina idem describit, Nemeam qui ejusdem nominis urbem irrigat in Septentrionem labens, Inachum contrario flumine, Asterionem qui & ad Mycenas in Inachum exoneratur, Taurum qui ad Scyllam exit, Phryxum qui Temenium præterlabitur, Lernam ex palude ortam, Pontinum & Erasinum qui in finibus Arcadiæ absorptus emergit, & Tamum qui præter Thyræam descendens Argolida a Laconica distinguit.

Paludes duæ insignes præterea in tractu Argolidis describuntur Lerna & Halaon, & Lucus Sironicus. Ad hæc nemora delineat Pausanias sylvam Nemeam, ubi ludi celebrabantur: Lucus Dianæ versus Stymphalum, Oleastrum Thesei haud procul Trœzena, Rhachus tortilis, sylva Eitani, nemus Platanorum versus Thyræam.

Catalogus urbium Argolidis.

Civitates denique insigniores hac in provincia sive regno ad famam venerunt, Argos ipsum, Nemea ludis celebris, Tirynthus Herculis nativitate, Mycenæ sedes peculiaris regni, cui præfuisse Agamemnonem diximus, Pharigia, Epidauros templo Æsculapii laudata, Trœzena, & littorales Methana, Medæa, Celenderis Thesei regia, Hermione, Didymi, Helice, Asina, Prasia, Nauplia, Cephas, & in Mediterraneis Thyræa, Temenium, Lyrcæa, Oenea, & Hysiæ in limitibus Arcadiæ cum templis laude dignis innumeris, quorum prope Argos erant Junonis Acrææ, Dianæ Orthiæ, Apollinis Diradiotis, Dianæ Artemisiæ, Panos & Bacchi, Minervæ Oxydercis, & inter Tiryntha, Epidaurum & Mycenas Argolidenque Jovis verticalis, Æsculapii, Dianæ Laseæ, Dianæ Nymphæ, Veneris Acrææ, Cereris legiferæ, Dianæ Saronidis, Cereris Eleæ, Martis, Cereris & Proserpinæ, Apollinis aperti, & pleraque Posidia, Neptuni in scopulis & ora maritima templa. Sed relicta provincia recipio me ad principes ac reges Argolidis, quos duplicis stemmatis repetunt, alios quidem antiquiores juvenes & indigenas ab Inacho rege, alios vero a Beli Ægypti regis propagine, Danao ejus filio duce. Inachi vero prosapia sic habet, Oceanus ex Thetide fingitur Poetis procreasse Nereum & Inachum.

Inachi stemma.

Quorum primus ex Doride conjuge Nymphas Nereidas tulit humana specie, quarum nominat Statius III. *Sylv.* Cymothæam & Nysiæam, eidem præterea filiam tribuunt Amphitritem Neptuni uxorem, cum illa fabula, quod servatura virginitatem cum diu postulata Neptuni fugisset tandem arrepta a Delphino, quem miserat ille, circa radices montis Atlantis abducta fuerit, ad quod alludens cecinit Maro:

Margine terrarum porrexerat Amphitritæ.

Huic igitur Amphitritæ ex Neptuno Poetæ filium faciunt Tritonum Deum marinum, a Tritone Aphricæ palude, ubi primum fit conspectus, unde & Minerva nomen sortita est, is concha Neptuno præcinere fingitur, ad quod alludens cecinit Naso I. *Metamorph.*

Nec maris ira manet, positoq; tricuspide telo
Mulcet aquas rector Pelagi, supraque profundum
Extantem, atque humeros innato murice tectum
Cæruleum Tritona vocat, conchaque sonanti
Inspirare jubet, fluctusque & flumina signo
Jam revocare dato, cava buccina sumitur illi
Tortilis

Et *lib.* II.

Æquora celarat medias cingentia terras,
Terrarumque orbem, Cœlumque quod imminet orbi,
Cæruleos habet unda Deos: Tritona canorum,
Protheaque ambiguum, balenarumque prementem
Ægæona suis immania terga lacertis,
Doridaque & natas: quarum pars nare videtur,
Pars in mole sedens virides siccare capillos.

Sed redeo ad Inachum Nerei ex Oceano & Thetide fratrem, qui cum Argos in Argolide haberet ex Melissa conjuge tulit Ægialeum, qui sine liberis mortuus Peloponnesi oræ Septentrionali ad Isthmum nomen reliquit Phoroneum, qui primus dispersis populis in unum collectis, urbem instituisse fertur, Phoronicon appellatam, & ex Laodice conjuge Nioben & Apin genuisse. Horum amborum soror Io Inachi & ipsa filia, a Jove adamata, & a Junone in vaccam conversa, ab Ovidio Phoronides nominatur, ad quam alludit his carminibus I. *Metam.*

Inachus unus abest, imoque reconditus antro
Fletibus auget aquas, natamque miserrimus Io
Luget ut amissam, nescit vita ne fruatur,
An sit apud manes: sed quam non invenit usquam,
Esse putat nusquam, atque animo pejora veretur.
Viderat a patrio redeuntem Juppiter illam
Flumine: & o virgo Jove digna, tuoque beatum
Nescio quem factura toro, Pete, dixerat, umbras
Altorum nemorum, & nemorum monstraverat umbras,
Dum calet & medio Sol est altissimus orbe.
Quod si sola times latebras intrare ferarum;
Præside tuta Deo nemorum secreta subibis.

Et paulo infra de Junone zelotypa:

Quem postquam cœlo non repperit; Aut ego fallor,
Aut ego lædor, ait: delapsaque ab æthere summo
Constitit in terris, nebulasque recedere jussit.
Conjugis adventum præsenserat, inque nitentem
Inachidos vultus mutaverat ante juvencam;
Bos quoque formosa est, speciem Saturnia vaccæ
Quanquam invita probat, nec non, & cujus, & unde,
Quove sit armento, veri quasi nescia, quærit.
Juppiter e terra genitam mentitur, ut autor
Desinat inquiri, petit hanc Saturnia munus.
Quid faciat? crudele suos addicere amores:
Non dare suspectum: pudor est qui suadeat illud.

Phoroneus rex.

Phoroneus Inachi filius, ut diximus, primus incultos homines in formam civitatis collegit, ac Phoronicam appellavit, quæ in finibus Argolidis fuerat, unde & Argos Phoronæum Statio appellatur:

Talia Juno refert, mene, o justissime Divum!
Me bello certare jubes? scis semper ut arces
Cyclopum, magnaque Phoroneos inclyta fama.

Ovidius:

Nec superum rector mala tanta Phoronidos ultra
Ferre potest, natumque vocat, quem lucida partu
Pleias enixa est, letoque det, imperat Argon.
Sceptra juris opibusque juvant, licet improbus illic
Custodem Phariæ somno lethoque juvencæ.

Et iterum:

Mœrent Argolici dejecto lumine manes,
Torvus Abas, Prœtusque nocens, mitisque Phoroneus.
Parva mora est, abeas pedibus, virgamque potentem
Somniferam sumpsisse manu, tegimenque capillis.
Hæc ubi disposuit, patria Jove natus ab arce
Desilit in terras.

Phoroneo patri succedit Apis, a quo Peloponnesus Apia cognominata est, ob tyrannidem interficitur a Telchine, cujus lacera membra in Ægypto Isis uxor invenit, compactaque Ægyptiis tradidit colenda, adjuncto bove, quorum illa Serapis, hic vero Apis Ægyptiis nuncupabatur in maxima apud illam gentem veneratione ac cultu.

De qua re sic Diodorus in *primo* scribit: *Verum ex vetustis sacerdotum arcanis, qui Osiridis tempore fuerunt, postea compertum est Osiridem Ægypto juste regnantem a Typhone fratre impio atque nefario interemtum, quem ille in sex & viginti partes dissectum cuilibet eorum, qui secum tanti sceleris participes fuerant, partem dederat, veluti ejus facinoris consciis, & simul ut ipsos defensores custodesque haberet regni fidos. Isis ob fratis ejusdemque viri mortem auxilio filii, (Orus ei nomen erat) Typhone, & qui cædis conscii fuerant, interemptis, Ægypti regnum cepit. Commissa est pugna juxta fluvium in parte Arabiæ, quam Anthei appellant vicum. Quod nomen ex Anthei morte ab Hercule occisi Osiridis tempore sortitus est locus. Osiridis partes omnes dispersas præter pudenda cum invenisset, cupiens incertum viri esse sepulchrum, ab Ægyptiis autem singulis hominibus honori haberi, ex aromatibus ac cera singulas eas partes in formam hominis viro similem composuit. Convocatis deinceps Ægypti sacerdotibus singulis dedit Osiridis imaginem, asserens eis solis corpus illius creditum, atque adjurans ut nunquam apud se esse sepulturam Osiridis ulli panderent, utque illum, in abditis servatum, ut Deum colerent, eique animal ex suis, quod mallent, dicarent, & quod colerent veluti Osiridem dum viveret, & post abitum simili ceremonia observarent. Ut autem majori beneficio sacerdotes ad hæc sibi promptiores faceret, tertiam eis agrorum partem ad Deorum cultum & sacra concessit. Hi tum meritorum Osiridis memores, tum beneficio Isidis allecti, ejus mandata perfecere. Qua ex re etiam nunc sacerdos quilibet testatur, sic Osiridem sepultum esse. Animantia quoque a principio ei dicata in honore habent, & cum moriuntur in eorum funere renovant Osiridis luctum, tauros autem sacros, hunc quidem Apim, alterum Memphim nominatos, sacrificant Osiridi, quos etiam veluti Deos Ægyptii omnes colunt. Quod autem Osiris is sit qui Serapis dicebatur.* Et subdit: *Osiris vero tum Serapis dicitur, tum Dionysius, tum Pluto, tum Ammon, tum Jupiter. Alii Pana eundem vocant. Multi existimant Serapim esse, quem Græci Plutonem vocant.* Et hactenus de Api filio Phoronei, cujus soror Niobe ex Jove tulit Pelasgon & Argon. Pelasgus Argos condidit, quod ab eo Pelasgicon nominatum est, quo nomine & Homerus vocat II. *Iliad.* Sic & apud Ovidium Hypermnestra ad Lynceum maritum, cui pepercerat, cum generos suos Danaus per filias e medio auferret, inquit: *Pelasgus rex.*

Ducimur Inachides magni sub tecta Pelasgi,
Et socer armatas accipit ense nurus.

Ab hoc igitur Pelasgo Peloponnesii appellati sunt Pelasgi, qui postea in fines Thessaliæ colonias miserunt, ubi & Larissa Pelasgica & Argos Pelasgicum alterum. Sunt tamen qui coloniarum illarum ductorem alium fuisse Pelasgum Jovis & Larissæ filium tradunt, quemadmodum & Apini non Phoronei, sed filium Jovis ex Niobe faciunt. Monendus est mihi lector, aliam fuisse Niobem Tantali filiam, & Pelopis sororem, quæ cum forma præstantes septem haberet filios, & totidem filias, ac se Latonæ præferret, ira numinis, peste absumptis liberis, ipsa diffugit, in saxum prope Sipylum Mœoniæ mutata. Venio igitur ad fratrem Pelasgi Argon, qui adoptatus a seniore avo Phoroneo, ex Evadne filia Strymonis & Nereæ genuit Epidaurum, Pyranthonem, Cressum & Argonautam, qui Æsonis Thessali filius fuerat. Idcirco alii hunc Jasium vocant Argivorum regem, qui tamen & ipse alius est a Jasio altero Argivorum rege, Abanti videlicet filio, Dardani fratre, ac Talaonis patre, Adrastique regis Argivorum avo.

Et sic intelligitur, quod scribit in VIII. Strabo: *Mihi sane videtur ut Pelasgi & Danai, sic & Argivi nuncupentur. Quod hujus civitatis gloria & cæteros a se denominandos compararit.* Sic & Jasium Argos Jasidas appellari fecit. Sic ex Apia Apidones recentiores dixere. At Homerus non quidem Apidones appellat, Apiam autem magis longinquam, quod prope Peloponnesum dicat Argos. Huc quoque alludens cecinit Papinius II. *Theb.*

In lævum prona nixus sedet Inachus urna,
Hunc tegit Jasiusque senex, placidusque Phoroneus.
Et bellator Abas, indignatusque tonantem
Acrisius, nudumque ferens caput ense Chorabus,
Torvaque jam Danai facinus meditantis imago.

Sed redeo ad Argum patrem, sive potius atavum, qui civitati a Phoroneo constructæ auctæque a Pelasgo nomen mutavit, & a suo nomine appellavit, de quo variant autores: alii enim hunc esse, quem Græcis a centum oculis, quibus Io vaccam *Argus rex.*

Inachi filiam custodierat πανόπτην cognominant, alii non hunc Argon oculatum fuisse, & vaccæ custodem, sed Jasonis sive Jasii filii ex Agenore nepotem. Naso sane I. *Metamorphoseon* alium Argum Aristoris filium, qui Io vaccam custodierant, commemorat, cui Juno illam custodiendam promiserat.

Porro Argi regis Argivorum meminit Divus August. lib. XVIII. *de Civitate Dei*, quo cœpit uti fructibus Græcia & habere segetes in agricultura. Idcirco inter Deos relatus, toti Græciæ coli cœpit. Reliquisse hunc Argum filium Tirynthen, Pausanias in II. autor est: *Everterunt & Tirynthios Argivi non alio consilio quam ut eos quoque in civitatem reciperent, Argosque hoc modo augerent. Tirynthem vero heroem, qui civitati nomen indidit, Argi filium, Jovis nepotem fuisse perhibent.* Idem *ibid.* Pirasi filii Argi meminit: *Vetustissimus vero ex pyro sylvestri est fabricatum Junonis simulachrum, quod Tirynthe Pirasus Argi filius consecravit. Sed Argivi Tirynthe eversa in Junonis templum transtulerunt.* Et iterum: *Argus autem Phoronei ex filia nepos, suscepto post defunctum avum regno, terram suo nomine appellavit. Argo Pirasus natus est & Phorbas, Phorbanti Triopas, Triopæ Jasus & Agenor.* Et hactenus de Argo sive unus is fuerit, sive duo, hoc est, Niobes filius & Pelasgi frater, & alter Jasonis sive Jasii ex Agenore nepos. Loquimur autem hic non de Agenore Cadmi filio Thebarum urbis conditore, nec de altero Agenore, qui Eperastem Calydonis filiam Ætoli neptem in matrimonio habuerat, Parathonis pater, de quo in capite de Ætolia plura diximus. Sed a quo descendisse Reges Argolidis post Argum, Phorbantem & Triopam, Pausanias in II. autor est, puta Crotopum, ejusque filium Sthenelum, quem Danaus Ægyptius vicit. Verba subjiciam: *Triopæ filii Jasus & Agenor, Crotopus autem Agenoris filius post Jasi mortem rerum est potitus. Crotopi filius Sthenelus fuit. Danaus autem ab Ægypto contra Gelanorem Stheneli filium cum classe profectus, Agenoris posteros regno exuit.* Hic rursus notandum est, posterioribus seculis alium extitisse Sthenelum Argolidis regem patrem Cylarabis, qui Diomedis uxorem compresserat. Cæterum facta digressione revertimur ad Io vaccam Inachi filiam ab Argo custoditam, quæ in Ægyptum errabunda profecta ibidem formæ humanæ restituitur, nuptaque Nylo Epaphum suscepit, qui ex Memphi uxore Libyam genuit. Ex qua Neptunus Belum generavit Ægypti regem, Busiridem, Lelegem. Porro Lelex frater ex Ægypto ad Nyseam Megarensium navale profectus, exinde in Laconicum agrum pervenit, canente Ovid. in *Metamorph.* lib. VIII.

Hac Ixionides, illa Trœzenius heros
Parte Lelex, raris jam sparsus tempora canis;
Quosque alios parili fuerat dignatus honore
Amnis Acarnanum latissimus hospite tanto.

Et paulo infra:

Ante omnesq; Lelex, animo maturus & ævo,
Sic ait: Immensaq; est, finemq; potentia cœli
Non habet; & quicquid superi voluere peractum est.
Quoque minus dubites; tiliæ contermina quercus
Collibus est Phrygiis, medio circumdata muro

Ipse locum vidi. Nam me Pelopeja Pittheus
Misit in arva, suo quondam regnata parenti.
Haud procul hinc stagnum est, tellus habitabilis olim.

De Lelegis fratre Agenore Cadmi patre dictum est in Bœoticis. Quare in Belo persistentes Ægypti Rege ejus stemma in Argolide continuabimus. Habebat autem is Belus quatuor filios, Ægyptum, Danaum, Cepheum & Cilicem. Quorum Cilix (ut a junioribus incipiam) Cyneram reliquit: cujus filia Myrrha capta amore parentis, dolo nutricis cum eodem concubuit, & ex eo profligata in Arabiam, Adonin tulit, qui dilectus a Venere, in venatione ab apro interficitur, Deorum miseratione conversus in florem sui nominis, cujus lector historiam in *Metamorphos.* leges. Hujus frater Cepheus ex Cassiopea uxore Andromedam suscepit Cœto expositam, & a Perseo liberatam translatam in cœlum cum filio & genero. Horum omnium frater Ægyptus, quem alii Ægisthum dicunt, a patre Belo Arabiæ præfectus, ex multis uxoribus genuit liberos quinquaginta, qui cum inter se digladiarentur de imperio, Danaus patruus accepto oraculo, quod ab uno fratruelium periturus esset, nave instructa, cum filiabus quinquaginta aufugit, & in littore Argolidis appulens Gelanore victo regnum accepit. Sic igitur Danaus Ægyptius Beli regis filius, frater Ægypti, Cephei & Cilicis, rerum in Peloponneso potitus, multas genuit filias, inter quarum procos & Ægypti filii fratrueles fuerant, quibus sorte distribuit filias, duabus sorte exemptis Hypermnestra & Gorphone, quarum Hypermnestram collocavit Lynceo, & Gorphonem Proteo, qui Ægypti Regis filii fuerant ex Argiphia, reliquas vero Danai ex Europa natas sortiti sunt, Busiris, Euceladus, Lycus, Daiphro, nempe Automaten, Agaven, Amymonem, Scæan. Quæ cum convivio sponsos singulæ suos tractarent, noctu jubente patre acceptis pugionibus interfecere. Hinc apud Ovidium Clytemnæstra Lynceo objecit, quod illum contra parentis voluntatem servasset:

Ducimur Inachides magni sub tecta Pelasgi,
Et socer armatas accipit ense nurus.

Et subdit:

Quærenti causam dum nox finit effuge, dixit
Dum nox atra finit, tum fugis ipse moror.
Mane erat & Danaus generos in cæde jacentes
Dinumerat, summi criminis unus abes.

Statius VI. *Theb.*

Tristis Amymone parvoque Alcmena superbit
Hercule, tergemina crinem circumdata Luna.
Jungunt discordes inimica in fœdera dextras
Belidæ fratres; sed vultu mitior adstat
Ægysthus: Danai manifestum noscere ficto
Ore nefas, pacisque malæ, noctisque futuræ.

Porro Pausanias in VII. Danaum & Achæi liberis collocasse duas filias scribit, Scæam quidem Archandro & Architeli Automaten, eosq; apud socerum mansisse, & regnum Argolidis Laconico conjunxisse. Præterea Philidamiam Danai filiam ex Mercurio genuisse Pharin conditorem Phararum in Messenia, & Telegonen Ortelochi conjugem fuisse.

Belus Ægypti rex.

Ægyptius rex.

Strabo præterea refert Amymonem filiarum unam Danai ex Neptuno genuisse Nauplium Regem Eubœæ & patrem Palamedis, quem Græci ad Trojam injuste accusatum ab Ulysse occiderant, a cujus Amymonis nomine fons Argolidis nomen retinuit, & cujus ferunt imaginem Alexandrum magnum in annulo signatorio gestasse. De Danai Regis ex Ægypto in Peloponnesum transfretatione scribit Diodorus in *primo*.

Danaus ex Ægypto in Peloponnesum.

Ferunt etiam Danaum ex Ægypto profectum antiquissimam fere urbium Græciæ Argos condidisse. Scitum est quod de Danao regnum Argolidis obtinente in *secundo* refert Pausanias: *Danaus Lycii Apollinis templum talem ob causam condidit: Argos cum venisset, litem Gelanori Stheneli filio de rerum summa intendit. Cum autem multa utrinque & plausibilia ad populum essent perorata, & nihilominus tamen justam causam dicere Gelanor putaretur, judicium a populo in sequentem diem est dilatum. Mane orta luce boum armenta in pascuis ante mœnia lupus invasit, factoque impetu contra taurum reliquorum ducem pugnavit. Ibi communi consensu Gelanorem Argivi cum tauro, Danaum cum lupo contulerunt, ut fera hæc hominum familiaritate, & convictu est exclusa, ita Danaus quoque eo tempore erat peregrinus. Ut vero lupus taurum prostravit, Danaus imperium obtinuit.* Hinc factum arbitror, quod in numismate quodam Argivorum lupi anterioris pars sculpta cernitur. *TAB. VI. fig. 2.* Strabo in VI. sepulchrum Danai extare in foro Argivo est autor, & Palinthum dici. Sic Danao gener Lynceus succedit ab oculorum acumine nomen adeptus, qui cum Argonautis in Colchidem profectus erat, & ex Hypermnestra Abanta regem Argolidis genuit, qui inter socios Ulyssis in avem conversus est. De quo Poetæ mentionem faciunt. Virgilius III. *Æneidos*:

Lynceus rex. *Abas rex.*

> *Ære cavo clypeum, magni gestamen Abantis,*
> *Postibus adversis figo; & rem carmine signo.*
> *Æneas hæc de Danais victoribus arma.*

Statius lib. II. *Theb.*

> *Hæc tegit Jasiusque senex, placidusque Phoroneus,*
> *Et bellator Abas.*

Ovid. XIV. *Metamorph.*

> *Hunc Lycus, hunc Idas, & cum Rhetenore Nycteus,*
> *Hunc miratur Abas: & dum mirantur, eandem*
> *Accipiunt faciem, numerusque ex agmine major*
> *Subvolat.*

Item lib. XII. *Metamorph.*

> *Et Pholus, & Melaneus, & Abas prædator aprorum:*
> *Quique suis frustra bellum discusserat augur*
> *Astylos: ille etiam metuenti vulnera Nesso.*

Abas is rex Argolidis ex Oecalia genuit Prœtum, Acrisium & Jasium. Quorum Prœtus ætatis prærogativa parenti successit, sed pulsus a fratre Acrisio, exulatum in Lyciam venit, a cujus provinciæ Rege Jobate socero in regnum reductus, Tirynthen occupat, quæ a Cyclopibus per vices laborantibus munita est, unde Strabo in VIII. Tirynthen sane ad excursiones faciendas arcem usurpasse videtur Prœtus, & eam Cyclopum opera atque arte mœnibus roborasse. Hi autem septem erant numero, quos Ventrimanos appellabant; quoniam suo utebantur artificio, quos e Lycia vocatos adventasse traditur. Huc spectat quod Pausanias in II. scriptum reliquit: *Qui Argis in Epidauriam iter faciunt, ædificium ad dexteram vident pyramidi omnium simile, clypeos continet Argolica forma exsculptos. Prœtus ibi de rerum summa dimicasse cum Acrisio dicitur. Æquo autem Marte pugnatum esse ajunt, pactisque deinde induciis cum certam victoriam consequi neuter valeret, pacem confirmatam:* Et subdit cum Tirynthen describit: *Everterunt & Tirynthios Argivi non alio consilio, quam ut eos quoque in civitatem reciperent, Agrosque hoc modo augerent. Tirynthen vero heroem, qui civitati nomen indidit, Argi filium Jovis nepotem fuisse perhibent. Murus qui solus ex ruderibus fuit relictus, Cyclopum quidem opus est, sed ex albis lapidibus factus, quorum quilibet tantæ est magnitudinis, ut ne minimus quidem ex his jumentorum bigis commoveri queat.* Alludit ad hunc Prœtum, fratremque ejus Acrisium, & bellum inter utrosque intestinum, Ovidius lib. V. *Metamorph.*

Prœtus rex.

> *Victor Abantiades patrios cum conjuge muros*
> *Intrat, & immeriti vindex, ultorque parentis,*
> *Aggreditur Prœtum. Nam fratre per arma fugato*
> *Acrisioneas Prœtus possederat arces.*
> *Sed nec ope armorum, nec, quam male ceperat, arce*
> *Torva colubriferi superavit lumina monstri.*

Tradit porro sive fabula, sive historia, Prœtum hunc filias genuisse Iphinoen, Iphianassam, Maeram, & Euryalem, & quæ a Delphino ablata fuit, Neptuno conjuncta Melantho, & unum filium Megapenthem, filiasque furore correptas hac de causa, quod in templo Junonis suam formam Deæ prætulissent, liberatas tamen insania a Melampo Amythaonis filio, qui Iphianassam unam sibi filiarum matrimonio copulaverat, & ex illa Antiphantem genuit Oclidis patrem & Amphiarai Regis ac vatis Argivorum avum, ad quod alludens cecinit in XV. *Metamorph.* Ovidius;

> *Seu vis est in aqua calido contraria vino,*
> *Sive, quod indigenæ memorant, Amythaone natus,*
> *Prœtidas attonitas postquam per carmen & herbas*
> *Eripuit furiis, purgamina mentis in illas*
> *Misit aquas, odiumque meri permansit in undis.*

Virgil. III. *Georg.*

> *Phillyrides Cheiron, Amythaoniusque Melampus.*

Statius lib. III. *Theb.*

> *Sacra movere Deum solers tibi cura futuri*
> *Amphyarae datur, juxtaque Amythaone cretus*
> *Jam senior, sed mente virens Phœboque Melampus.*


ΤΑΡΑΣ

Et licet Prœti filius Megapenthes, quem ferunt & Tirynthi & Argivum regnum usurpasse, tamen Acrisius patruus exul puta a fratre Prœto pulsus, avitum Argolidis regnum recuperavit, & ex Eurydice filia Lacedæmonis Regis Spartæ unicam filiam Danaen genuit, quam Jupiter in auream pluviam versus corrupisse fabulis dicitur, & ex illa Perseum genuisse expositum ab avo cum matre in arca inclusum, quam in proximum mare dejecit, inventam in insula Cycladum Seripho a piscatore Dicte. Ad quod alludentes cecinere Poetæ; Ovidius *libro* IV. *Metamorphos.*

B

India, quem positis celebrabat Achaia templis.
Solus Abantiades ab origine cretus eadem
Acrisius superest, qui mœnibus arceat urbis
Argolicæ; contraque Deum ferat arma, genusque
Non putet esse Deum (neque enim Jovis esse putabat)
Persea: quem pluvio Danae conceperat auro.
Mox tamen Acrisium (tanta est præsentia Veri)
Tam violasse Deum, quam non agnosse nepotem
Pœnitet: impositus jam cœlo est alter; at alter
Viperei referens spolium memorabile monstri,
Aera carpebat tenerum stridentibus alis.

C

Et *lib.* V.

Te tamen, o parvæ rector Polydecta Seriphi,
Nec juvenis virtus per tot spectata labores,
Nec mala mollierant.

Horatius *lib.* III. *Carm.* Od. XVI.

D

Inclusam Danaen, turris ahenea,
Robustæque fores, & vigilum canum
Tristes excubiæ, munierant satis
Nocturnis ab adulteris;
Si non Acrisium virginis abditæ
Custodem pavidum Juppiter & Venus
Risissent: fore enim tutum iter & patens
Converso in precium Deo.
Aurum per medios ire satellites,
Et perrumpere amat saxa, potentius
Ictu fulmineo.

E

Statius V. *Theb.*

Et gravis Acrisius speciesque horrenda Chorœbi,
Et Danaæ culpata sinus.

Sic igitur Acrisio mortuo sine prole virili, & antequam Perseus adolevisset, (quem tamen fabulæ viventem accessisse avum referunt, & eundem vel disci ludo incognitum interfecisse, vel in saxum transformasse, ostenso Medusæ capite) Jasius frater regni gubernacula adipiscitur, qui ex Electra Talaonem genuit Adrasti & Atalantæ patrem. Unde Argos Jasium fuit cognominatum, ut Strabo in VIII. scribit: *Argos quoque Jasium Peloponnense dicit, sicuti si omnes Achæi Argos intuerentur Jasium & Penelopen, ut plures procos acciperet.* Et iterum; *Mihi sane videtur, ut Pelasgi & Danai, sic & Argivi nuncupentur, quod hujus civitatis gloria & cæteros Græcos a se denominandos compararit. Sic & Jasium Argos Jasidas appellari fecit.* Pausanias in *secundo* aliter Jasii natales deducit, cum ait; *Argo Pirasus natus est & Phorbas, Phorbanti Triopas, Triopæ Jasus & Agenor. Io itaque Jasi filia, sive ut Herodotus scripsit, sive ut Græci perhibent, in Ægyptum pervenit. Crotopus autem Agenoris filius post Jasi mortem rerum est potitus, Crotopi filius Sthenelus fuit.*

Jasius frater.

F

A

Cæterum antequam Jasius gubernacula libere usurpasset, adest ex Ægypto cum Gorgonis capite Perseus Acrisii ex Danae filia nepos, expositus olim, & in mare missus, & a Dicte piscatore ad littus Seriphi insulæ in arca cum Danae matre conclusus, repertus: quo tempore eadem in Insula Polydectes Danaes frater regnabat, qui cum sororem non agnovisset, ejus amore accensus, ut ea potiri posset, Persea filium ad caput Medusæ auferendum ablegavit. Qui a Nymphis cum accepisset peram, & talaria ac Orci galeam, ut invisibilis foret, a Mercurio vero gladium adamantinum, profectus late, invenit Gorgonas dormientes, quarum erant nomina Sthenyo, Euryale, & Medusa. Quarum occisa Mercurii gladio Medusa, & capite in peram posito revertitur in Seriphum. Quo itinere cum per Æthiopiam transiret, in qua Cepheus regnabat, invenit ibi Andromedam Cephei filiam expositam, ut eam monstrum marinum devoraret, propter matris Cassiopeæ temeritatem, quæ cum Nymphis de forma certaverat. Hanc cum Perseus visam adamasset, promisit, si nuberet ei, a monstro illam liberaturum. Quo facto, Phineus frater Cephei, & qui eandem amaverat, invidia ductus, Perseo insidias struxit, quem tamen ille ostensa Gorgone in saxum convertit, perfunctusque periculo illo in Seriphum insulam reversus; inde Danaen matrem ac Andromedam conjugem Argos duxit, ubi Acrisio ignotus in funebribus ludis Teutaniri Larissæorum Regis & Penthatli exercitio disco patrem occidit, reque animadversa ad Megapenthem Prœti filium Tiryntha venit, & cum eo Argolida permigravit. Strabo *libro* X. refert Perseum Seriphios omnes in lapides convertisse, ostenso Gorgonis capite, idque in matris ultionem fecisse, quod illis adjutoribus Seriphi rex Polydectes nuptiis invitam adegisset. Idcirco Seriphum insulam tam esse lapidosam, ut qui viderint, fabulæ fidem faciant; ad quod alludit Naso V. *Metamorph.*

Perseus Rex.

Te tamen, o parvæ rector Polydecte Seriphi,
Nec juvenis virtus per tot spectata labores,
Nec mala mollierant: sed inexorabile durus
Exerces odium: nec iniqua finis in ira est.
Detrectas etiam laudem, fictamque Medusæ
Arguis esse necem. Dabimus tibi pignora veri,
Parcite luminibus Perseus ait: oraque regis
Ore Medusæo silicem sine sanguine fecit.

Quod autem Perseus ille Argivorum rex extiterit, vel cognomina ostendunt, & epitheta, quæ a Poetis tribuuntur, Danejus Heros, Abantiades & Lyncides & Inachides, a Danao, Abante, Lynceo & Inacho regibus Argolidis. Ovid. lib. V. *Metamorph.* TAB. 6. fig. 3.

Dumque ea Cepheum medio Danaeius heros
Agmine commemorat: fremitu regalia turba
Atria complentur.

Item *lib.* IV.

Diffudere animos: cultusque genus locorum
Quærit Abantiades; quærenti protinus unus
Narrat Lyncides moresque habitusque virorum.

Et *lib.* V.

Auxilium, Perseus, quoniam sic cogitis ipsi,
Dixit, ab hoste petam, vultus avertite vestros,
Si quis amicus adest, & Gorgonis extulit ora.
Quære alium, tua quem moveant miracula, dixit
Thescelus; utque manu jaculum letale parabat
Mittere, in hoc hæsit signum de marmore gestu.
Proximus huic Ampix animi plenissima magni
Pectora Lyncidæ gladio petit, inque petendo
Dextera diriguit.

Et iterum *lib.* IV. cum certamen Persei cum monstro marino describit:

Occupat aversum: neu sæva retorqueat ora,
Squamigeris avidos figit cervicibus ungues.
Sic celeri missus præceps per inane volatu
Terga feræ pressit, dextroque frementis in armo
Inachides ferrum curvo tenus abdidit hamo.

Plures reges Argivorum simul. De hoc Perseo Rege illud insuper addunt fabulæ, quod præter Acrisium patrem & Seriphios, in saxa converterit Medusæ capite Atlantem, eo quod hospitium ei denegasset, Prœtum præterea regem Argivorum & in bello contra Phineum, qui Andromedam ambiverat, Cephei fratrem, totum exercitum: postremo bellum in Persas suscepisse, & in eo Liberum patrem adversus ipsum consistentem interfecisse, subactamque nationem a se denominasse, condita Persepoli urbe. Et cum ex Andromeda uxore, quam a monstro marino liberaverat, procreasset Sthenelum, Alcæum, Mestorem, Electrionem, Perseum & Cinyram, cum uxore Andromeda inter astra relatus fingitur, qui, ut supra dictum est, ob interfectum Acrisium patrem, cum Megapenthe, qui Tirynthe regnabat, Prœti filius, Argolidis regnum permutaverat, Megapenthi quidem Anaxagoram filium tribuit Diodorus in *quinto*, qui præterea Biantem & Melampum Argivorum regni partem possedisse scribit, ut appareat plures tum Argivorum reges fuisse. Sed locum subjiciam: *Melampus cum esset divinator, Argivas fœminas propter Dionysii iram phanaticas ab insania liberavit, cujus rei gratia Anaxagoras Megapenthi Argivorum Regi eum donavit duabus regni partibus. Hic Argis cum moraretur, Biante fratre consorte regni facto, uxorem accepit Iphianiram filiam Megapenthis, ex eaque protulit Antiphatum, Mantum, Biantem, Pronoen: ex Antiphato ac Zeuxippe Hippocoontis, Jocleus, Amalceusque orti sunt. Jocleus, Hypermnestraque Lesbii Iphianiram, Polybiam, atque Amphianem genuerunt. Hoc pacto Melampus ac Bias, eorumque posteri Argivorum imperium tenuere.* Sed redeo ad Perseum, de cujus nativitate, victoriaque de monstro marino, & matrimonio Andromedæ liberatæ a monstro canit *lib.* IV. *Metamorph.* Ovid.

Hanc ego si peterem Perseus Jove natus, & illa
Quam clausam implevit fœcundo Jupiter auro,
Gorgonis anguicomæ Perseus superator, & alis
Æthereas ausus jactatis ire per auras.

Et paulo infra:

Nec bibulis ultra Perseus talaribus ausus
Credere; conspexit scopulum, qui vertice summo
Stantibus extat aquis, operitur ab æquore moto.
Nixus eo, rupisque tenens juga prima sinistra,
Ter quater exegit repetita per ilia ferrum.
Littora cum plausu clamor superasque deorum
Implevere domos: gaudent, generumque salutant.

Idem mox de victoria, quam de Medusa retulit:

Narrat Agenorides: gelido sub Atlante jacentem
Esse locum, solidæ tutum munimine molis.
Cujus in introitu geminas habitasse sorores
Phorcydas, unius sortitas luminis usum.
Id se solerti furtim dum traditur astu
Supposita cepisse manu, perque abdita longe,
Deviaque, & sylvis horrentia saxa fragosis
Gorgoneas tetigisse domos, passimque per agros,
Perque vias vidisse hominum simulachra, ferarumque
In silicem ex ipsis visa conversa Medusa.
Se tamen horrendę clypei, quem læva gerebat,
Ære repercusso formam aspexisse Medusæ.

Idem victoriam de Phineo *lib.* V. cum nuptias Persei & Andromedæ describit:

Primus in his Phineus belli temerarius autor,
Fraxineam quatiens æratæ cuspidis hastam;
En, ait, en adsum præreptæ conjugis ultor:
Nec mihi te pennæ, nec falsum versus in aurum
Juppiter eripient: conanti mittere, Cepheus,
Quid facis? exclamat: quæ te, germane, furentem
Mens agit in facinus?

Et *lib.* IV.

Dumque gravis somnus colubrosque ipsamque tenebat
Eripuisse caput collo, pennisque fugacem
Pegason, & fratrem matris de sanguine natos.

Recipio me ad liberos Persei, qui Tirynthe rerum potiti, ac Mycenis fuere, relictis Argis Talaoni Jasii filio, de quo mox dicturi sumus. Fuere autem Persei ex Medusa filii, Mestor, Electryon, Alceus, Sthenelus, & secundum quosdam Perseus Junior, qui Persiæ regioni nomen indidit, quorum Mestor ex Lysidice Pelopis filia genuit Hippodoen, quam Nemyrus rapuit, & ex ea Taphium suscepit, qui Ptherelaum, & is Chronium, Antiochum, ac Mestorem Juniorem: Electryon vero ex Alcei filia Alcmenis progenuit Gorgophonem, Philonium, Celenum, Amphimachum, Anactora, Lysimnum, & Archelaum. Sortitus vero erat Electryon Mycenis regnum, quod ab eo ejusque liberis, Taphius Mestoris nepos cum filio Ptherelao ac nepotibus eum repeteret, *Mestor filius Persei.*

ortum est bellum, in quo multis utrinque cadentibus, Taphius boves abegit ad Polixeram regem Elidis. Tertius filiorum Alceus ex Hipponome filia Menœcei Amphitryonem tulit, Herculis vitricum, & Anaxonem filiam. Amphitryoni vero Electryon, mortem filiorum ulturus, qui a Taphio ac ejus filio Ptherelao occisi fuerant, filiam Alcmenem nuptui dedit. Cumque Electryon in expeditione adversus Thebas esset interfectus, Sthenelus Argivorum regnum occupat, Amphitryone cum conjuge Thebas profligato, ubi ex Iphiclo filio legitimo Iolaum vidit nepotem, qui in Siciliam colonias duxit. De Iphiclo Diodorus in V. hæc adnotavit; *Ad prolem vero procreandam alteram minime suspectam quærens, Iolem Eurythi filiam in Oechalia dominantis petiit, qui Megaræ repulsam veritus super eo matrimonio se consultaturum respondit. Hercules frustratus sponsa, injuriaque motus, Eurythi abegit equos. Iphiclus Eurythi factum ut erat suspicatus, cum ad equos investigandos in Tirynthem venisset, jussus est ab Hercule turrim quandam altam ascendere, speculatum sicubi forte equi pascerentur, sed cum nullos aspiceret, dicens falso culpatum se furto, Hercules de turri præcipitem Iphiclum dedit.*

Sthenelus rex.

Historia de Hercule & Iphiclo.

Sthenelus Persei filius.

Sed missis his, ad postremum filiorum Persei Sthenelum me recipio, qui ex Nicippe Ælopis nata genuit Eurystheum regem Mycenarum, Cylarabem Ægialos, Diomedis conjugis adulterum, Alcmeodontem & Medusam. Est autem notandum, fuisse & alium Sthenelum Argivum Capanei filium, quem Poetæ fingunt Jovis Hercæi simulachrum Troja extulisse, cujus in *Catalogo navium* Homerus meminit, & alii Poetæ. Homerus quidem cum copias Argivas ad Trojam ductas describit: versionem Hessi subjiciam:

Alter Sthenelus Capanei.

Littora Trœzenia Eionasque sacramque Epidaurum
Vinetis celebrem, qui Æginam cumque opulentam,
Et Maseta colunt, hos voce valens Diomedes
Duxerat & Sthenelus Capanei filius alti.

Maro II. *Æneid.* cum equum illum fatalem, Sinonisque fraudes describit:

Reddit equus, lætique cavo se robore promunt
Tisandrus, Sthenelusque duces, & dirus Ulysses,
Demissum lapsi per funem, Athamasque Thoasque.

Horatius *lib.* I. *Carmin.* Od. XVI.

Non Laertiadem exitium tuæ
Gentis, non Pylium Nestora respicis?
Urgent impavidi te Salaminius,
Teucerque & Sthenelus sciens
Pugnæ: sive opus est imperitare equis,
Non auriga piger.

Cæterum Stheneli filius Eurystheus rex Mycenarum ex Astidamia filia Pelopis genuit Alexandrum, Iphimedem, Eurybium, Mentora & Perimedem. Is est Eurystheus, qui tot Herculi labores imposuit, quem Heraclidæ bello adorti profligarunt, moriturque apud Iolaum, & regno Mycenarum ad Atreum devoluto, cum Argoliden Adrastus Talaonis filius gubernaret. Ad quem Eurystheum alludentes Poetæ cecinerunt: Ovid. lib. IX. *Metamorph.*

Eurystheus rex.

Sensit Atlas pondus: neque adhuc Stheneleius iras
Solverat Eurystheus, odiumque in prole paternum
Exercebat atrox: at longis anxia curis
Argolis Alcmene questus ubi ponat aniles,
Cui referat nati testatos orbe labores,
Cuive suos casus, Iolem habet. Herculis illam
Imperiis, thalamoque, animoque receperat Hyllus,
Impleratque uterum generoso semine; cum sic
Incipit Alcmene.

Virgil. VIII. *Æneid.*

—— —— qui carmine laudes
Herculeas & facta ferunt; ut prima novercæ
Monstra manu, geminosque premens eliserit angues:
Ut bello egregias idem disjecerit urbes,
Trojamque Oechaliamque: ut duros mille labores
Rege sub Eurystheo, fatis Junonis iniquæ,
Pertulerit. —— ——

Dum Eurystheus Mycenarum regnum gubernat, Argolidem provinciam Adrastus Talaonis ex Eurynome filius usurpat. Is qui cum duas haberet filias Argiam & Deiphilen oraculo monitus, quod leoni & apro esset collocaturus; itaque cum duo exules, Tydeus Oenei Calydoniæ regis filius Calydonii apri exuviis tectus, & Polynices Oedipi regis Thebarum filius exuviis leonis ab Hercule Thebano interfecti ornatus, sub arce Larissa tempestatem fugientes in unam speluncam convenissent, ut peregrini & nocte ad manus venissent, excitato rege vocantur, ac singuli de genere interrogantur, quorum habitum denique cum rex Adrastus conspexisset memor oraculi, filias illis suas, Argiam Polynici Thebano, & Deiphilen Tydeo Calydonio locavit, ac utrumque in regnum reduxit, tametsi in Polynicis reductione læso Bacchi numine Thebano adversam pugnam expertus fuerit, non solum quod ex itinere insolita siti exercitum adflixisset, & vix Langia fonte in regione Nemeæ ab Hypsiphyle Lemnia, quæ apud Lycurgum regem ejus provinciæ nutricem egerat, exercitus partem conservarit, verumetiam quod victus a Thebanis & Etheocle rege Polynicis fratre, duces omnes amiserat, Capaneum fulmine ictum ad mœnia, & Amphiaraum vatem, Alcmæonis patrem, terra absorptum prope Thebas, reliqui Parthenopeus ac Hippomedon in acie occisi sunt. Quod bellum Argivorum difficilimum Papinius describit libro *Thebaidos* XII. Et de quo Diodorus lib. V. *Bibliothecæ* sic nominatim refert: *Oedipus ignotam matrem uxorem sumpsit, quatuorque ex ea liberos genuit, Etheoclen, Polynicen, Antigonem & Ismenen. Hi cum ad ætatem pervenissent, domestica impietate cognita Oedipum coegerunt ob dedecus non egredi domo, ipsi sumpto regno, fœdere invicem sanxerunt, ut singuli alternis annis imperarent, primus imperii annus Etheocli cederet majori natu. Is acto anno petendi*

Adrastus rex.

ex fœdere renuit tradere regnum fratri. Qua ex caufa in Argos ad Adraftum regem confugit. Hoc tempore Tydeus Oenei, cum in Calydone Alcbathum Lycotheumque nepotes occidiffet, ex Ætolia aufugit in Argos. His Adraftus benigne fufceptis, quodam refponfo motus, utrique filias uxores dedit, Polynici Argiam, Deiphilen Tydeo. Adolefcentes cum a rege probarentur, magnaque eorum virtutis expectatio videretur, ambos in patriam pollicitus eft reducturum. Hunc Adraftum Statius a Tantalo deducit, & a patre Talaonidem cognominat libro II. *Theb.* in oratione Polynicis ad Adraftum:

Te penes Inachiæ dotalis regia dono
Conjugis, & Danae (quid enim melioribus actis
Invideam?) cumulentur opes, fœlicibus Argos
Aufpiciis Lernamque regas: nos horrida Dirces
Pafcua, & Euboicis arctatas fluctibus oras,
Non indignanti miferum dixiffe parentem
Oedipoden, tibi larga Pelops & Tantalus autor.

De filiabus Adrafti idem lib. I. *Theb.*

In fenium vergens populos Adraftus habebat
Dives avis & utroque Jovem de fanguine ducens.
Hic fexus melioris inops, fed prole virebat
Fœminea, gemino natarum pignore fultus.
Cui Phœbus generos (monftrum exitiabile dictu)
Mox adaperta fides ævo ducente canebat,
Setigerumque fuem & fulvum adventare leonem.

Idem de genere, qui Jafidem & Talaonidem a regibus antiquis vocat, & a Danao ac Phoroneo deducit:

Jafides pateram famulos ex more popofcit,
Qua Danaus libare Deis feniorque Phoroneus
Affueti hæc operum cælata figuras.

Et lib. v. *Theb.*

Hic rurfus fimili procerum vallante corona
Dux Talaonides antiqua ut forte fub orno
Stabat & admoti nixus Polynicis in haftam.

Diodorus in V. Amphiaraum certaffe de regno Argivorum fcribit cum Adrafto, & ideo cum bellum infœliciter contra Thebanos geffiffet, pulfum exulaffe in Sicyone, & illi Alcmæonem Amphiarai filium fucceffiffe, & Thebanos viciffe, quo pofterius in Ætoliam profecto Therfander Polynicis filius Argivorum regnum confecutus eft. Verba fubjiciam: *Eo tempore Amphiaraus Adraftusque de regno diffidentes ad Eriphylem, Amphiarai conjugem, Adrafti fororem, omne diffenfionum judicium retulerunt. Illa pro Amphiarao fententiam tulit, adjiciens ut belli Thebis inferendi focius adjutorque effet. Amphiaraus exiftimans fe ab uxore proditum ad bellum fpopondit fe adjuturum, fed Alcmæoni filio imperavit, ut poft fuum obitum Eriphylem perimeret, quod patris mandatum poftea executus facti confcientia in infaniam verfus eft.* Adrafto in exilium pulfo, ut autor eft in *Corinthiacis* Paufanias, & Amphiarao abforpto in bello Thebano prope Thebas, fuccedit in regno Argivorum Alcmæon Amphiarai filius. De cujus regni aufpiciis hujufmodi quædam refert Diodorus in *quinto*. At vero filii mortem parentum ulturi communi confilio contra Thebanos moverunt arma. Dederat refponfum Apollo, eam civitatem expugnaturos, fi Alcmæonem Amphiarai filium Imperatorem fibi conftituiffent. Hic ab illis dux factus Deum & de Thebano bello confuluit, & an matrem Eriphylem puniret, refpondit Apollo, ut utrumque faceret, non folum quia monile aureum mater in necem paternam, fed & peplum quoque ob filii interitum receperit. Venerem ajunt quondam Hermioniæ Cadmi & monile donaffe & peplum. Ambo hæc habuit Eriphyle, alterum a Polynice, alterum a Therfandro Polynicis filio, quo filium ad expeditionem Thebanam hortaretur. Alcmæon igitur cum milites ad bellum plurimos ab Argis paraffet, ab urbibus quoque finitimis accerfito præfidio exercitum contra Thebas duxit, acerrima cum Thebanis pugna commiffa. Alcmæon victoria potitus eft, Thebanorum attritis viribus multisque amiffis civibus, cum effent impares viribus omni fpe deftituti confilium a Tirefia, qui divinator erat, exquifivere. Is Thebanos ex urbe juffit abire, hoc folum modo illos confervari poffe. Juxta Tirefiæ dictum urbem linquentes aufugere noctu in oram Bœotiæ, quæ Tylphofia appellatur. Thebæ captæ ac dirutæ funt. Hic igitur Alcmæon Amphiarai filius Argolidis regnum confecutus, relata de Thebanis victoria Diomedi regi Ætoliæ, in auxilium profectus adverfus hoftes Oenei Acarnaniam in precium auxilii accepit, ubi & Argos conftruxit, & illud a nomine fratris Amphilochicum appellavit, & cum Diomedes ob adulterium uxoris in Italiam abiiffet, totius Ætoliæ poffeffionem adeptus eft. Unde fcribit in X. Strabo. Alcmæonem enim filium Amphiarai, una cum Diomede reliquisque Epigonis fufcepto contra Thebanos prælio, reque bene gefta cum Diomede focietatem iniiffe, & cum illo de Oenei hoftibus ultionem fumpfiffe, cumque illis Ætoliam tradidiffet, ipfum Acarnaniam invafiffe, eamque proftratam fubjugaffe.

Alcmæon rex.

Et *lib.* VII. addit: Cæterum cum poftea illos ad bellum Trojanum Agamemnon accerferet, ad id proficifcente Diomede, Alcmæonem in Acarnania manfiffe, & Argos ædificaffe, ipfumque a fratris nomine Amphilochicum vocaffe: habebat enim duos fratres Alcmæon, Amphilochum & Amphimachum, qui expeditioni Trojanæ interfuere, & Amphimachum quidem Achæos duxiffe, & Meandri accolas in Afia, Homerus in *Catalogo* autor eft. Amphilochum vero cum Calchante vate miffum ad oraculum Apollinis in Colophoniam, confectoque bello (ut ejus verbis utar) cum res Argi ei nequaquam animo federent, in Ætoliam abiiffe ad fratrem Alcmæonem, eique fucceffiffe in partem regni, Strabo fcribit. Alcmæonis enim filius Acarna alteram partem Acarnaniam a fuo nomine appellavit, ita Amphiarai ftemma in Argolide defecit, quod ab Amythaone defcenderat, cuf-

Amphiarai ftemma

ejusque filio Melampo vate, qui Prœti regis Argivi filias ab insania liberaverat, earumque unam uxorem acceperat, ut supra præfati sumus: ad quod alludens scribit Pausanias in *Corinth. Ab Melampo & ætates sex, & viri totidem ad Amphilochum usque Amphiarai filium. Anaxagoridæ autem patrio ibi loco nati, diutius imperium obtinent. Iphis enim Alectoris filius Anaxagoræ nepos, Sthenelo Capanei fratris filio regnum reliquit. Post eversum vero Ilium, ut Amphilochus ad Amphilochos, qui nunc ita vocantur, commigravit, & Cyanippus sine liberis defunctus est, Cylarabes solus Stheneli filius, regnum suscepit*. *Cylarabes rex Argolidis.* Hac occasione & his auspiciis, Cylarabes Stheneli filius Argolidis regnum occupavit, is qui adulterium cum Ægiale uxore Diomedis commiserat. Erat enim Eurysthei Regis frater, quem historiæ tradunt ab Heraclidis regno pulsum, quod tot Herculi labores imposuisset, antequam vero Heraclidæ rerum cœpissent in Argolide potiri, & antequam denuo essent a Doriensibus reducti, regnarunt in Argolide Apeus Pelopis, & Cyanippus Ægialei filius, Biantis nepos, ob merita Melanippi admissus, ut qui Prœti filias ab insania liberaverat. *Apeus rex. Cyanippus rex.* Cui succedit Menestheus Cyanippi filius, quem fabulæ tradunt cum filio Euryalo Trojano bello interfuisse. *Menestheus rex.*

Hic non est ignorandum, cum eodem tempore, mox videlicet post excidium Trojanum, plures reges Argivorum historiis celebrantur, puta Anaxagoras, Bias Amphiarai filii, Alcmæon & Amphilochus, Cylarabes, & Orestes Agamemnonis, intelligendum hoc esse de triplici Argivorum regno, quorum unum Argis, secundum Tirynthi, tertium apud Mycenas fuerat. Tirynthi Prœti stemma rerum potitum est, puta Megapenthes filius, Argeus nepos, Anaxagoras pronepos, abnepos Alector, cujus filius Iphis Sthenelo Capanei fratris filio regnum tradidit. *Tres subinde reges simul in Argolide.* Apud Argos vero Melanippi prosapia summam rerum vertebat, post Adrastum Talaonis, puta Amphiaraus bello Thebano absorptus, & ejus filii Alcmæon ac Amphilochus, qui cum in Ætoliam ac Acarnaniam sedes mutassent, Biantis posteritas, qui Melampi frater extitit, gubernacula consecuta fuit, usque ad Cyanippum Ægialei filium. In tertio denique regno apud Mycenas constituto, Pelopis stemma floruit. Atreus Agamemnon, ejusque filius Orestes, & nepos Tisamenus, quem Temenus Heraclida pepulit.

Hinc est quod scribit in II. Pausanias: *Ex Græcis solos Argivos in tria regna fuisse divisos. Regnante enim Anaxagora, qui Argei filius Megapenthis nepos fuit, furore mulieres correptæ, relictisque domibus per agros vagabundæ errabant, donec Melampus Amythaonis filius morbo eas liberavit. Hujus meriti causa & ipse, & frater Bias parem cum Anaxagora dignitatem sunt consecuti*. Hæc ille.

Sic igitur postremo deficiente Anaxagoræ stemmate in Iphi & Capanei in Cylarabe, & Biantis in Cyanippo, abeuntibus quoque Amphiarai filiis in Ætoliam & Adrasto in Sicyoniam. Tria iterum regna conjuncta ab uno administrantur Oreste Agamemnonis filio. *Tisamenus Rex.* Cui succedit Tisamenus

A Orestis, & Hermionis filiæ Menelai natus ex Achaja & Laconica ejectus a Temeno & Cresphonte Aristomachi nepotibus, filiis Heraclidis, sed ex Argis quoque pulsus ab iisdem exulatum abiit Athenas Argolidis regno ab Heraclidis & Doriensibus occupato.

De Tisameno, qui ante Heraclidas, Argis regnabat, & ab iis, & Argis, & Sparta ejectus refert Pausanias in II. *Post Orestis mortem Tisamenus Hermiones (quæ Menelai fuit, & Orestis filia) regnavit. Penthilum vero nothum Orestis esse, ex Erigone* B *Ægisti filia susceptum autor est Cinæthon. Sub Tisameno porro in Peloponnesum revertuntur Heraclidæ, Temenus & Cresphontes Aristomachi filii. Ex illorum numero tertius Aristodemus fuit, qui jam olim excesserat e vivis, cujus liberi tum sequebantur Heraclidas, qui Tisamenum Lacedæmone atque Argis ejiciunt*. Porro primus quidem Aristomachus nepos Herculis ex Hyllo filio, frater Eurichmiæ conjugis Polycaonis Butæ reducere Heraclidas adversus Eurystheum, ejusque fratrem Cylarabem conatus erat, C sed rebus infectis Cleolaum reliquit, cujus nati Temenus, Aristodemus & Cresphontes a Doriensibus reducti, possessionem Peloponnesi consecuti sunt, quorum Temenus Argolida, Aristodemus Laconicam, & Cresphontes Messeniam impetraverunt.

Temenus igitur primus ex Heraclidis Rex Argolidis Temenion civitatem condidit: de quo Pausanias, sub finem lib. II. scribit: *Temenium civitas Argolidis.* *A Lerna cum in Temenium iter facias (Temenium hoc Argivorum conditum a Temeno Aristomachi filio sic appellatum, qui occupato* D *hoc & communito castello bellum ibi adjutoribus Doriensibus contra Tisamenum & Achæos gessit.) Huc igitur cum iter facias, & Phrixus fluvius in mare exoneratur, & Neptuni in Temeno templum est extructum, Veneris alterum. Temeni item monumentum visitur, quem Argivi Dorienses venerantur.*

Strabo *lib.* VIII. Argivi item sunt Prasii & Temenium, in quo humatus est Temenus. Et prior locus est per quem Lerna fluvius eodem quo palus nomine fluit, in qua tantas de hydra Poetæ fabulas ediderunt: ipsum vero Temenium longe ab E Argo VI. & XX. stadia distat a mari, ab Argo ad Heræum XL. hincque Mycenas decem. Is Temenus quinque genuit liberos, Cerynem, Phalcem, Cinum, Agræum, & Cisum, quorum primi duo insecuti Deiphontem, qui sororem Hyrnetho abripuerat, cum vivam abducere nequirent, gravidam interfecere. *Cerynes & Phalces fratres.* Horum frater Cinus Apyti reductionem in Messenia adjuvit. Ita junior natu Cisus postremus in Argo regnavit, cujus filii seditione ejecti in Macedoniam profecti sunt Olympiade vicesima secunda. F Hinc est quod scribit in II. Pausan. *Temenus autem* (ait) *Deiphontem filium Antimachi, qui Thrasyanoris, qui Ctesippi, qui Herculis fuit, belli ducem præ filiis suis aperte designavit* (loquitur de bello adversus Tisamenum) *eumque consiliis adhibuit omnibus, quem ipsum prius etiam in generum adsciverat, cum ex filiabus Hyrnetho maxime placuisset. Quia vero suspectus erat de transferenda ad Deiphontem & uxorem regni successione, insidias ei parabant filii, ex quibus natu maximus Cisus re-* *Cisus rex ultimus Argolidis.*

gnum suscepit. Sunt qui Cisi fratres nominent Perdiccam, Areum & Philippum. Vellejus Paterculus Caranum appellat *lib.* I. scribens: *Hoc tractu temporum ante annos quinque & sexaginta, quam urbs Romana conderetur ab Elissa Tyria, quam quidam Didonem autumant, Carthago conditur, circa quod tempus Caranus, vir generis egregii, sextusdecimus ab Hercule, profectus Argis, regnum Macedoniæ occupavit: a quo Magnus Alexander, cum fuerit septimus decimus jure materni generis Achille autore, paterni Hercule gloriatus est.*

Huc alludens nimirum scribit *lib.* II. *Decade* IV. Livius, cum de Philippo Persei regis Macedoniæ fratre loquitur: *Dymæis captis nuper, direptisque ab exercitu Romano, cum redimi eos ubicumque servirent, Philippus jussisset, non libertatem modo, sed etiam patriam reddiderat. Nam Argivi præterquam quod Macedonum reges ab se oriundos credunt, privatis etiam hospitiis, familiarique amicitia plerique illigati Philippo erant.* Et rursus *lib.* VII. *Dec.* III. De eodem Philippo rege Macedoniæ tractans: *Profectus ipse cum paucis equitum levisque armaturæ, Argos venit: ibi curatione Nemeorum Hereorumque suffragiis populi ad eum delata, quia se Macedonum reges ex ea civitate oriundos referunt.*

Porro an fuerit Cisus ille vel alius antiquior, cujus meminit Strabo in X. Lectoris judicio relinquo. Verba Strabonis sic habent: *Lycurgum quidem Spartanarum legum latorem Althemone, qui coloniam misit in Cretam, quinque ætatibus minorem fuisse constat. Hunc enim Cisi filium qui Argos ædificavit, quo tempore Patrocles Spartam condidit, rerum scriptores adserunt.* Est vero verisimile Macedonum reges originem traxisse a postremis Argolidis regibus ab Heraclidis descendentibus, quod Amyntæ nomen Argivis familiare fuerit, quod plerique reges Macedonum gessere. Hinc Statius lib. VIII. *Theb.* cum Argivorum nomina occisorum recenset, cecinit:

Phædimon Jasidem arcu Dyrcæus Amyntas
Destinat (heu celeres Parcæ) jam palpitat arvis
Phædimus, & certi nondum tacet arcus Amyntæ.

Et hactenus de Argivorum regibus, quos heroas Antiquitas appellavit, sub quibus summa fuit Argolidis potentia ante bellum Trojanum potissimum, & parum postea, attestante Pausania in VII. *Argos quidem ad maximam potentiam heroum temporibus,* ut vocant, *excreverat; sed una cum mutatione facta a Doriensibus, fortunæ eos benevolentia deseruit.*

Quomodo regnum Argivorum in Cisi liberis defecerit, meminit etiam Pausanias in II. *Argivi vero bonorum æqualitatem & pristinam illam libertatem jam dudum desiderantes, regum licentiam ita compresserunt, ut Cisi liberis atque posteris præter nomen ex regia potestate relictum fuerit nibil. Meltam vero Lacidai filium ex Medonis posteris unum populus damnavit, eique regnum prorsus abrogavit.* (*Argolidis regni finis.*) Sic igitur amplissimum & antiquissimum regnum desolatum postremo, proximis Achæis ac Spartanis præda relicta in servitutem incidit, a quibus denique Macedonum æges adseruere. Pausanias *lib. cit.* Laphais tyranni meminisse videtur scribens: *Ante tumulum de Laphae Argivo erectum, cernitur trophæum lapideum: hunc enim tyrannide potitum populus commota seditione ejecit. Ut vero Spartam profugit, ad tyrannidem eum reducere Lacedæmonii tentaverunt. Sed in pugna victores Argivi cum Laphaen ipsum, tum multos ex Lacedæmoniis occiderunt.*

Quomodo vero in servitutem inciderit Achæorum, Spartanorum ac Macedonum, legitur apud Livium, qui *lib.* II. *Decade* IV. ita scribit: *Ætolis Pharsalum Larissamque reddere. Thebas non reddere. Achæis non Argis modo, sed etiam Corintho cessurum.* Et *libr.* IV. ejusdem *Decad. An ut ab Iasso & Bargyllis præsidia Philippi deducantur, curæ erit nobis? Argos & Lacedæmonem, duas clarissimas urbes, lumina quondam Græciæ sub pedibus tuis relinquemus, quæ titulum nobis liberatæ Græciæ servientes deforment. At enim cum Philippo Argivi senserunt.* Et iterum: (*Argivi sub Achais.*) *Achæos Philippi quondam milites, postremum ab inclinata ejus fortuna transfugas, & Corinthum recepisse, & id agere, ut Argos habeant.* Et rursus in oratione Nabidis Spartanorum tyranni: *Tempus autem eo me liberat, quod cum jam Argos haberem, societas mihi nobiscum convenit, & ut nobis mitterent ad bellum auxilia, non ut Argis præsidium deducerem, pepigistis.* Idem *lib.* II. ejusdem *Decad.* Argos a Macedonibus occupatum commemorat, (*Argivi sub Maced.*) cum Elatiæ expugnationem describit: *Ita urbe potitur Cos. qua direpta missis in arcem qui vitam regiis si abire vellent inermes, libertatem Elatiensibus pollicerentur, fideque in hæc data, post paucos dies arcem recipit. Cæterum in adventu in Achaiam Philoclis regii præfecti, non Corinthus tantum liberata obsidione, sed Argivorum quoque civitas per quosdam principes Philocli prodita est, tentatis prius animis plebis. Mos erat, comitiorum die primo veluti ominis causa Prætores pronunciare Jovem Apollinemque & Herculem: additum legi erat,* ut iis Philippus rex adjiceretur. *Cujus nomen post pactam cum Rom. societatem, quia Præco non adjecit, fremitus primo multitudinis ortus: deinde clamor subjicientium Philippi nomen, jubentiumque legitimum honorem usurpare, donec cum ingenti assensu nomen recitatum est. Hujus fiducia favoris Philocles accersitus, noctu occupat collem imminentem urbi (Larissam eam arcem vocant) positoque ibi præsidio cum lucis principio signis infestis ad subjectum arcis forum vaderet, instructa acies ex adverso occurrit, præsidium erat Achæorum nuper impositum, quingenti ferme juvenes delecti omnium civitatum.*

Et subdit: *Tum jussu præfecti a Thracibus conjecta tela, interfectique omnes. Et post pactam inter Achæos & Romanos societatem, duæ nobiliss. civitates Argi & Corinthus in potestate regis erant.* Antequam tamen in Macedonum potestatem Argos venisset, Achæis parebat, ubi illi suæ gentis conventum magna ex parte, uti apud Rhium, & Ægium, Corinthumque, ita etiam Argis celebrabant.

Unde Livius *lib.* I. *Dec.* IV. scribit: Et classem a Piræeo subsidio venire, omisso incepto Megaram ac protinus Corinthum ducit, & cum Argis Achæorum esse audisset

inopinantibus Achæis concioni ipse supervenit. Livius *lib.* III. *Decad.* IV. a Philippo Macedoniæ rege Nabidi Spartanorum tyranno traditum Argos refert. Philippus cum acie decernendum videret, & undique ad se contrahendas vires maxime de Achajæ urbibus regionis ab se diversæ, & magis tamen de Argis quam de Corintho solicitatur optimum ratus Nabidi Lacedæmoniorum tyranno veluti fiduciarium dare ut victori sibi restitueret, si quid adversi accidisset. Et *lib.* IV. *ejusdem Dec. Testata quoque ipso Nemeorum die voce præconis libertas est Argivorum, Achæis quantum restitui Argi in commune Achaiæ Concilium lætitiæ adferebant, tantum serva Lacedæmon relicta, & lateri adhærens tyrannus non sincerum gaudium præbebant.*

B

Est vero verisimile per Romanos Argivos & e potestate Achæorum, Spartanorumque, & e tyrannide Macedonum liberatos fuisse, quo tempore hi bellum adversus Philippum regem Macedoniæ & postea Perseum ejus filium atque Achæos, victores gessere, T. Quinctio, L. Metello, L. Mummio & Æmilio ducibus. Ex Livio sane apparet *lib.* III. *Decad.* IV. Argivorum tellurem Achæos Philippo Macedoni, & rursus Philippum Nabidi tyranno Spartanorum prodidisse, Nabidemque inita societate cum Achæis & Rom. contra Macedones: spoliatum tamen Romanis prodidisse intercedente Attalo rege Asiæ, qui insulam objectam Æginam præmium laboris acceperat.

C

Argivi Rom. subjecti.

Huc alludens nimirum in VIII. Strabo: *Priscis profecto seculis*, inquit, *Argos amplius illustre nomen sparserat, postea vero Lacedæmonii gloria omnino superarunt, perseverantes suas leges ac instituta conservare, nisi si quid paululum ab illis aberrare contigit. Argivi Pyrrhum quidem regem non admiserunt, sed ante illorum mœnia mortem obiit, cum tegula ab anicula quadam (ut ajunt) in caput superne directa fuisset: aliorum autem subditi fuere imperio, in societatem quoque Achæorum communiter ducti, una cum illis Rom. potentiam subiere. Et nunc civitas ipsa consistit secundum post Spartam dignitatis locum obtinens.* Et hactenus de Argivorum principibus, & quod iis deficientibus Achæorum primum, deinde Macedonum servituti subjecti extiterint, a quibus Spartanis proditi ac a Spartanis Romani fuere.

D

E

Nemea Argivorum.

Venio ad sacra & consuetudines quasdam. Sacra duplicia reperio, Nemea, & Heræa. In Nemeis cursu tam hominum quam equorum quadrigarumque certabatur. Quos nimirum ludos Lycurgus rex quondam Nemeæ in memoriam filii Archemori a serpente occisi instituerat, eodem eventu quo Admetus rex apud Thessalos in honorem uxoris Alcestis, & in Halicarnasso Artemisia in memoriam conjugis, Poetarum congressus, aliaque ludicra instituerant. Quippe quo tempore Adrastus rex Argivorum illam insignem adversus Thebanos, illorumque regem Etheoclem expeditionem susceperat, ut generum Polynicen reduceret, insolita siccitas totum Peloponnesum corripuerat, ut siti Argivorum tunc exercitus pene periisset, nisi Hypsiphyle Lemnia exul ac captiva, quæ Lycurgo Nemeæ regi Archemorum filium lactabat in nemore oc-

F

A currens, Longiam fontem ostendisset, puero in herba relicto, & a serpente occiso, cujus morte pater Lycurgus ita affectus erat, ut nutricem ad supplicium postularet, ni Argivi defendissent, & ludicra ista de quibus diximus instituerit, quæ cum sacris quibusdam in saltu quodam Nemeæ prox. celebrabantur, ut Strabo in VIII. scribit, cum Cleonas delineat: *Hic surgit sylva Nemea inter Cleonas & Phliuntem, in qua Argivi sacra celebrare consuevere Nemea. Ibi quoque quædam de leone Nemeo gesta fabulis prodita sunt.*

Adde quæ Pausanias in VI. de horum ludicrorum ritibus commemorat: *Longitudine autem Hippei cursus duos Diaulos adæquat, hunc Nemeis ablatum ac Isthmiis, Imper. Hadrianus in hibernorum Nemeorum certamen ad Argivos transtulit.* Meminit & Livius *l.* IV. *Dec.* IV. *Læta civitas celeberrimum festorum dierum ac nobile ludicrum Nemeorum, die stata propter belli mala prætermissum, in adventu Rom. exercitus, ducisque indixerunt: præfeceruntque ludis ipsum Imperatorem.* Ad hos ludos alludit subinde Statius, & cursuum certamina locumque affabre depingit *lib.* VI. *Thebaid.*

Vallis in amplexu nemorum sedet, hispida circum
Stant juga, & abjectus geminis umbonibus agger
Campum exire vetat, longo quem tramite planum
Gramineæ frondes, sinuat aque cespite vivo
Mollia non subitis augent fastidia clivis.
Illic consertum jam Sole rubentibus armis
Bellatrix sedere cohors, ibi corpore mixto
Metiri numerum, vultusque habitusque suorum.

Et mox:

Mille dehinc species, tandem satiata voluptas,
Præstantesque viros vocat ad sua præmia virtus.
Primus sudor equis: dic inclyte Phœbe regentum
Nomina, dic ipsos (neque enim generosior unquam
Alipedum collata acies) ceu præpete cursu
Confligant densæ volucres, aut littore in uno
Æolus insanis statuat certamina ventis.

Et iterum:

Haud procul Herculeam Nemeen clamore reductus
Aspicit, atque illic ingens certaminis instar
Quadrijugi, noscit cunctos & forte propinquo
Constiterant Admetus & Amphiaraus in arvo.

Et subdit:

Oedipodionidem jam illinc a lumine discors,
Iratusque oneri insolito truculentior ardet.
Inachidæ credunt accensum laudibus: ille
Aurigam fugit: aurigæ furiale minatur
Efferus: & campo dominum circumspicit omni.
Ante tamen cunctos, sequitur longeque secundus
Amphiaraus agit: quem Thessalus æquat eundo

Admetus: juxta gemini, nunc Euneus ante,
Et nunc ante Thoas: cædunt, vincuntque: nec unquam
Ambitiosa pios collidit gloria fratres.

Heræa sacra.

Cæterum alia erant sacra in honorem Junonis Argolidis terræ patronæ celebrata Argis, ubi celeberrimum ejus fuerat Deæ fanum, de quo Pausanias in II. scribit, cum de Mycenis loquitur: *Quindecim stadiis Heræum seu Junonium templum ad lævam Mycenis distat; in itinere aqua manat, quam Eleutheron,* (id est, liberam) *appellant, qua utuntur ad piaculorum purgationes templi ministræ, quique sacrificiis occulte adstant. Ipsum autem templum in loco Eubœæ depresso est. Montem enim hunc Eubœam nominant, & Asterionem fluvium filias habuisse ajunt Eubœam, Prosymnam & Acræam, easque Junonis nutrices fuisse: ab Acræa montem nominant e regione templi Junonis situm: ab Eubœa quicquid templo adjacet: Prosymnam totam super templum Junonis regionem. Asterion autem super Junonis templum fluens faucibus quibusdam exceptus absconditur; nascitur ibidem ad ripas herba, quam Asterionem nominant. Hanc cum ipsi Junoni offerunt, tum ex foliis ejus serta componunt.*

TAB. 6. fig. 4.

Et delineans simulacrum Junonis illius Argivæ; *Junonis,* inquit, *simulachrum solio insidet magnitudine ingens auro atque ebore, Polycleti opera elaboratum: corona ei imposita est, cui Gratiæ insculptæ sunt, & Horæ: altera manu malum punicum gerit, altera sceptrum, cui cuculus insidet. Jupiter enim cum Junonis virginis amore captus esset, in hanc se avem permutavit, eamque Juno ut ludicrum quoddam venata comprehendit.*

Meminit & Strabo in VIII. Ipsum vero Temenium longe ab Argo XXV. stadiis distat a mari, ad Heræum XI. hinc usque Mycenas decem. Et sic intelligitur locus Titi Livii *lib.* VII. *Decade* IV. *Profectus ipse cum paucis equitum levisque armaturæ Argos venit, ibi curatione Nemeorum Heræorumque suffragiis populo ad eum delata.* Et *lib.* IV. *Ne isthuc,* inquit, *Jupiter maxime sinas, Junoque regina, cujus in tutela Argi sunt.* Intelliguntur præterea loca Poetarum ex his locis. Statius IX. *Theb.*

En meus Hippomedon, cui gentis origo Mycenæ,
Argolidisque Lares, numenque ante omnia Juno,
(Sic ego fida meis) Pelagi crudelibus ibit
Præda feris?

Et *lib.* X.

At procul Argolici supplex in limine templi
Cœtus, & ad patrias fusæ Pelopeides aras
Sceptriferæ Junonis opem, reditumque suorum
Exposcunt, pictasque fores, & frigida vultu
Saxa terunt, parvosque docent procumbere natos.
Compulerant jam vota diem, nox addita curas
Jungit, & aggestis vigilant altaria flammis.
Peplum etiam dono, cujus mirabile textum
Nulla manus sterilis, nec dissociata marito
Versarat calathis, castæ velamina divæ
Haud spernenda ferunt, variis ubi plurima floret
Purpura picta modis, mixtoque inceditur auro.

A Horatius I. *Carm.* Od. VII.

—— Plurimus in Junonis honorem
Aptum dicit equis Argos, ditesque Mycenas.

Hinc apud Maronem lib. I. *Æneid.* Juno defendens suos Argivos Trojanis ac Æneæ naufragium procurat. Et Ovidius lib. XV. *Metamorph.*

Cognovi clypeum lævæ gestamina nostræ
Nuper Abanteis templo Junonis in Argis.
Omnia mutantur, nihil interit, errat & illinc
B *Huc venit, hinc illuc, & quoslibet occupat artus*
Spiritus.

Silius Italicus lib. I. *Punicor.*

Hic Juno ante Argos (sic credidit alta vetustas)
Ante Agamemnoniam gratissima tecta Mycenen
Optavit profugis æternam condere gentem.

Quamobrem vero Junonem colant Argivi, scitum est quod scribit in II. Pausanias: C *Magnam enim ditionis partem undis Neptunus dicitur obruisse, eo quod Inachus atque reliqui arbitri terram non ipsi, sed Junoni adjudicaverant, sed precibus Juno effecit apud Neptunum ut mare retrocederet. Argivi autem in eo loco, quo undarum impetus resederat, Neptuno Proclystio ædem erexerunt.*

Sacris ac ludis accedit celeberrimum illud Amphictyonum Concilium simul ac Sacrificium & Asylum, quod Argivi Calauria insula habebant Senatum, qui de rebus gravissimis judicabat. Erat autem Amphictyonum & alter conventus Delphis. De Am- D phictyonibus quidem Argivorum hæc adnotavit Strabo *lib.* VIII. Fuit Amphictyonum conventus ex septem constans civitatibus, ad hoc faciendum sacrificium commune habentibus officium, quæ fuerant Hermoniæ, Epidaurus, Athenæ, Prasium, Nauplia, Orchomenus, Miryus, pro Naupliis Argivi, pro Prasiis Lacedæmonii conferebant. Tantopere autem ipsius Dei veneratio valuit apud Græcos, ut potiti etiam rerum Macedones tutum securumque loci profugium inviolatumque servarent, locique supplices revelli sint veriti, qui ad Calauriam ipsam E confugerunt, adeo ut Archias comitatu septus militum Demosthenem violare minime sit ausus, cui jusserat Antipater, ut eum vivum reliquosque oratores similibus obnoxios accusationibus ad se perduceret. Pausanias duo sacra templa ac inviolata recenset, Apollinis unum, alterum Neptuni, in quo dicit Demosthenis monumentum extare. Idem *lib.* X. describens alterum conventum Amphictyonum apud Delphos ab Amphictyone Deucalionis filio nomen sortitos testatur, & illius fuisse participes Ionas, Dolopas, Thessalos, Ænianas, Magnetas, Ma- F leenses, Phthiotas, Dorienses, Phocenses, Locros; numerat quoque Amphictyones numero triginta; quorum habebant Macedonia & Thessalia binos: Bœotia & Phocis item binos; Doris unum: Locri Cnemides, ac Locri Ozolæ item binos: Attica unum: Eubœa unum. Et cum Phocenses Delphicum spoliassent templum, fuisse exclusos Concilio isto. Ad Calauriam alludit Naso VII. *Metamorph.*

Amphictyonum senatus.

Inde Calaurea Latoidos aspicit arva;
In volucrem versi cum conjuge conscia regis.

Consuetudo Argivorum. Sed hactenus. Recipio me ad consuetudines quasdam ac ritus ejus populi. Ælianus in *Varia Historia* refert, consuetudinem fuisse apud Argivos, ut si quem in otio vidissent, ab eo rationem quærerent vitæ. Comatos porro extitisse ac longos aluisse crines Statius lib. IX. *Theb.* hoc carmine testatur:

Addidit Abantiades insignem crinibus Argum.

Athenæus lib. I. *Dipnos.* vinum Argivum celebrat, & lebetes ferreos. Strabo *lib.* VIII. B & Horatius I. *Carm.* od. VII. equis generosis Argos extollunt. Argos, inquit, & per se & addito epitheto cum vocet interdum priscum, alias Jasium equestre, quandoque Pelasgicum vel equorum alumnum. Huc alludunt Poetæ. Horatius I. *Carm.* od. VII. cum canit:

Aptum dicit equis Argos, ditesque Mycenas.

TAB. VI. fig. 6. Et Papinius, cum Nemeos ludos describit, ad Neptunum equestrem & ejus filium Ariona equum alludit, cum canit libro *Theb.* VI. C

Ducitur ante omnes rutilæ manifestus Arion
Igne jubæ: Neptunus equo (si certa priorum
Fama patet) primus teneris læsisse lupatis
Ora, & littoreo domitasse in pulvere fertur.
Verberibus parcens: & enim insatiatus eundi
Ardor, & hyberno par inconstantia ponto.
Sæpe per Ionium, Libycumque natantibus ire
Interjunctus equis, omnesque assuetus in oras
Cæruleum deferre patrem.

Herculis labores in Argolide. Spectant ad Argolidis celebritatem, & tres præcipui Herculis labores ab Eurystheo rege Argolidis injuncti. D Nam & in finibus Nemeæ leonem illum vastatorem occidit, cujus exuviis perpetuo tectus fuit; TAB. VI. fig. 7. & in finibus Argolidis versus Tegæam aprum confecit, Argosque intulit; denique ad Lernam paludem in limite provinciæ meridionali Hydram illam, cui tot succrescant capita, interemit. De quibus canunt Poetæ. Virgil. VII. *Æneid.*

Prodigia, & vastis Nemeæ rupe leonem.
Te Stygii tremuere lacus, te Janitor Orci
Lernæus, turba capitum circumstetit anguis. E

Silius Italicus lib. III. *Punicorum*:

In foribus labor Alcidæ Lernæa recisis
Anguibus hydra jacet, nexuque elisa leonis
Ora Cleoneï patulo celantur hiatu.

Statius lib. VII. *Theb.*

Qualis ab Arcadio rediit Tirynthius antro,
Captivumque suem clamantibus intulit Argis.

Ovid. lib. IX. *Metamorph.*

Arcadiæ vastator aper? nec profugit Hydræ F
Crescere per damnum, geminasque resumere vires?
Hic elisa jacet moles Nemeæa lacertis

Idem *Epistola Deianiræ ad Herculem*:

Nempe sub his animam pestis Nemeæa lacertis
Reddidit, unde humerus tegmina lævus habet.

A Et paulo infra:

Ut Teggæus aper cupressifero Erymantho
Incubat, & vasto pondere lædit humum.

Et iterum:

Quæque redundabat fœcundo vulnere serpens
Fertilis, & damnis ditior ipsa suis.

Nolo hic prolixe describere tria maxima bella, quæ Argivi gessere, duobus victi, tertio victores. *Bella Argivorum.* Nam Adrasto Rege sunt Argivi in Bœotia ad Ismenum victi, rursus Alcmæone Imperatore ad Tanagram Thebanos & ceciderunt, & urbe destructa e finibus ejecerunt. Iidem ad Hysiam a Spartanis vincuntur. Quæ bella prolixe describit Papinius Poeta XII. libris, & Pausanias in VII. *Sinus Argolidis.* Omissis igitur tot sinubus, quorum habuit celebres, Saronicum, Trœzen, Hermion & Argolicum, tot promontoriis, quorum enumerant Geographi a finibus Corinthi Spyræum, Scylleum, Methana, Bucephalum, Buporthmus, Plataniftuntis, Struthuntis, & Phalanorium, *Promontoria Argol.* tot præterea montibus ac collibus (quorum describuntur in finibus Nemeæ Tython, Chaon, & versus Arcadiam Artemisius, Parthenius, Lyrcius, & contra mare Orientale Arachneus, Acræa, Tythius, Cenoricius, Saronicius, & versus Prasias, Thornax, ac Cuculinus, & in finibus Laconicæ Carystus & Cynosura) *Montes Argolidis.* fluviis denique præteritis Inacho, Nemea, Tauro, Phryxo, Tano & Pontino, lacubusque Lerna, & Alcyonia (unde Semelen ex inferis revocasse Bacchus fertur) *Fluvii Argolidis & lacus.* His, inquam, omnibus silentio transmissis, ad civitates me confero, quarum erant metropoles, & ubi reges quondam gubernabant, Argos, Mycenæ, Tirynthus, & Trœzena. Cæteræ ignobiliores fuere Nemea ludicro celebris, Epidaurus, Æsculapio & vino, Methana, thermis pariter & vino, Scylla, Hermione, *Metropoles Argolidis. Civitates Argol.* Masete, Asina cujus incolæ profligati a Spartanis Messeniam commigravere, Prasia Argivorum navale, Temenium Temeni primi Heraclidæ sarcophago cognitum, Nauplia, cujus originem ex Ægypto autores repetunt, cujusque incolæ expulsi Methone Messeniæ recepti fuere, & Thyrea ab Æginatis pulsis ab Atheniensibus condita in finibus Laconicæ.

Argos. Argos prima provinciæ civitas, delineatur a Strabone *lib.* VIII. Argivorum Urbs magna ex parte planis in locis sita est. Promontorium Larissam nomine habens, collem valde septum, in quo Jovis phanum est, fluvium juxta labitur, Inachus nomine, inter saxosas convalles, qui oritur ex Lyrcio ad Cynuriam montem Arcadiæ. Quæ de illius fontibus fabulosa vulgantur, Poetica sunt commenta. Argos quoque aquis carere commenta sunt, cum dicitur:

Dii posuere Argos lympharum protinus expers.

Templa Argis. Celebris quondam Argos fuerat, Deum innumeris templis heroumque tumulis, qui inibi humati fuere. Templa commemorat Pausanias in II. intra mœnia quidem Dianæ Pheræ, Lucinæ ab Helena conditum Thesei captiva, Junonis Antheæ a floribus, Minervæ Salpingis, Cereris, Latonæ, Castoris & Pollucis, Herculis, Neptuni Pro-

clyſtii, Æſculapii, cum nemore Jovis Mechanei, Bacchi Creſii, Bacchi Euboici, a Græcis naufragium ad Eubœam facientibus exciſo Ilio, cum in antrum veniſſent, repertis capris, iiſque mactatis conditum, Veneris cœleſtis, Amphiarai, Hegelei. Et in aſcenſu in arcem, quæ Lariſſa Argivis nominabatur, Junonis Acrææ, Apollinis Diradiotis, Minervæ Oxydercis ab acie oculorum, Jovis Lariſſæi & Triocularis, & in monte Lycone proximo Dianæ Orthiæ. Sarcophagi præterea deſcribuntur Argis in civitate Gorgonis Meduſæ capitis a Perſeo ablati, in foro Gorgophoniæ Perſei filiæ, Cedronis Phoronei uxoris, Niobes filiæ Phoronei regis, Hypermneſtræ matris Amphiarai, Ariadnes Theſei conjugis, Biantis ejuſque filii Talai, Epimenidis, Licymni filii Electryonis, occiſi a Tlepolemo Herculis filio, Sacadæ, qui primus tibia in Pythiacis Delphis cecinerat, Stheneli & Cylarabis filii regum in ſuo gymnaſio, Pyrrhi regis Epirotarum ab anicula tegula Argis occiſi, Eriphyli, Syrnethis, Crotopi. In arce vero Lariſſa filiorum Ægypti, qui frater Danai regis fuerat, tumuli. Oſtendebatur Argis & thalamus æneus ab Acriſio filiæ cuſtodiæ deputatus, & Adraſti domus, & alia memorabilia: quæ brevitatis cauſa omitto. *Sepulchra Arg.* Meminit hujus antiquiſſ. civitatis Titus Livius *lib.* III. *Decade* IV. *In duobus veluti cornibus Græciæ Nabin a Peloponneſo concitaturum omnia, repetentem Argivorum urbem, repetentem maritimas civitates, quibus eum depulſum Romani Lacedæmonis muris incluſiſſent.* Strabo in VII. a Ciſo Temeni Heraclidæ filio Argos civitatem conſtructam autor eſt. Quam veriſimile eſt deſtructam in bello, quod Rom. cum Nabi Spartanorum tyranno geſſerunt, qui illam dono Philippi Macedonis poſſederat & ſpoliaverat. Livius *lib.* II. *Dec.* IV. *Et Nabis firmato præſidio Argis Lacedæmonem regreſſus, cum ipſe viros ſpoliaſſet: ad fœminas ſpoliandas uxorem Argos remiſit, ea nunc ſingulas illuſtres, nunc ſimul plures genere inter ſe junctas, domum accerſendo blandiendoque ac minando, non aurum modo iis, ſed poſtremo veſtem quoque, mundumque omnem muliebrem ademit.* Ad Argos illam antiquiſſimam civitatem & incolas Danaos alludunt Poetæ. Virgilius lib. II. *Æneid.*

Si patrios unquam remeaſſem victor ad Argos.

Et mox:

Nec poſſe Argolicis exſcindi Pergama telis,
Omina ni repetant Argis.

Et iterum:

—— Ferus omnia Jupiter Argos
Tranſtulit: incenſa Danai dominantur in urbe.

Ovid. II. *Metam.*

—— tum Nymphæ paſſis, fonteſque lacuſque
Deflevere comis: quærit Bœotia Dircen,
Argos Amymonen, Ephyre Pyrenidas undas.

Statius ad Argos & arcem Lariſſam alludit III. *Theb.*

—— & nos his turribus æquæ
Theſpiadæ, totos raperent mihi funditus Argos.

Et *ibid.*

—— quæ vos furiarum verbera cœcos
Exagitant? adeo ne animarum tædet? & Argos
Exoſi, nil dulce domi: nulla omina curæ?
Quid me Perſei ſecreta ad culmina montis
Ire gradu trepido.

Et *lib.* I.

Emicuit, lucem devexa in mœnia fundens
Lariſſæus apex: illo ſpe concitus omni
Evolat.

Et *libro* IV.

Prima manu rutilam de vertice Lariſſæo
Oſtendit Bellona facem.

Sequuntur Mycenæ altera Argolidis metropolis ac regia ſedes, utpote ex qua Pelopis ſtemma, Atreus, Agamemnon, Oreſtes & Tiſamenus partem Argolidis & Laconicam Elidemque adminiſtrarunt, ut eſt apud Strabonem VIII. *Geographiæ:* Primum ut cum duæ in illis urbes eſſent, ipſas principatu eminentes oſtentarent, præſertim intra ſtadia minus quinquaginta inter ſe finitimas, Argos videlicet atque Mycenas, & dicatum Junoni templum juxta Mycenas ambabus eſſe commune, in illo ſunt Polycleti ſimulachra artis laude omnium præſtantiſſima, ſumptu & magnitudine Phidiæ imaginibus cedentia. Argos quidem a primordio magis ac magis extitit potentia primarium, ſubinde Mycenæ ampliora ſuſceperunt incrementa, propter commigrantes in illas Pelopidas. *Mycenæ.* Nam cum omnes ad Atrei filios conſiſterent, Agamemnon grandior natu, regnum adeptus duce virtute & pariter fortuna comite, regionis paternam poſſeſſionem ampliavit, & Mycenæo Laconicum adjecit imperium. Verum Menelaus Laconicæ regimen tenuit, ac Agamemnon Mycenarum uſque Corinthum ac Sicyonem, ac Ionum & Ægialarum (ſic enim vocabantur ea ætate, cum poſterius Achæi dicti ſunt) regnum ſuſcepit. *Pelopis ſtemma Mycenis.*

Cæterum ſecundum Trojana tempora deſtructo Agamemnonis imperio, res Mycenæa humilius attenuata eſt, præcipue poſt reſtitutos Heraclidas. Iſti enim occupata Peloponneſo priores dominos ejecerunt, quo effectum eſt, ut qui Argos obtinerent Mycenas quoque ſubjectas in unum conſpirantes haberent. Hinc eſt quod Pauſanias in II. tumulos Atrei, Agamemnonis, ac Ægiſti, ad Mycenas commemorat, ſic nominatim ſcribens: *Inter Mycenarum rudera & fons viſitur qui Perſeus appellatur, & Atrei atque filiorum ſubterranea ædificia, quibus ad recondendas pecunias ſunt uſi.*

Adeſt præterea Atrei ſepulchrum & illorum omnium quotquot cum Agamemnone ab Ilio reverſos, convivioque exceptos Ægiſtus trucidavit. De Caſſandræ monumento diverſa ſentiunt Lacedæmonii, qui Amyclas accolunt, unum Agamemnonis eſt, alterum Eurymedontis aurigæ. Teledamus ac Pelops eodem tumulo ſepulti jacent. Gemellos hos Caſſandra ut fama eſt peperit, & infantulos adhuc, occiſis parentibus, Ægiſtus jugulavit.

Adeſt Electræ tumulus, quæ Oreſte promittente Pyladi nupſit. Id quod confirmatur & a Poetis, qui Tantali ac Pelopis genus in Mycenis commemorant. Statius *lib.* IV. *Theb.*

———————— Sed ecce
Mœrent Argolici dejecto lumine manes,

A
Torvus Abas, Prœtusque nocens, mitisque Phoroneus,
Truncatusque Pelops, & sævo pulvere sordens
Oenomaus.

Idem *lib.* XI.

Tantaleæ & fontes vidisse Lycaonis arces,
Et festina polo ducentes astra Mycenas.

Idem *lib.* VI.

Tantalus inde parens, non qui fallentibus undis
Imminet, aut refugæ sterilem rapit aera sylvæ,
B
Sed pius, & magni vehitur conviva Tonantis,
Parte alia victor curru Neptunia tendit
Lora Pelops, pressitque rotas auriga natantes
Myrtilus, & volucri, jamjamque relinquitur axe
Et gravis Acrisius, speciesque horrenda Chorœbi.

Autor Mycenarum. De conditore primo Mycenarum diversa tradunt autores. Strabo *lib.* VIII. a Perseo conditam refert, cum scribit. Mycenæ quidem nunc extinctæ jacent, verum urbem a Perseo conditam esse constat. Cui Sthenelus successit. Suffragatur Pausanias *lib.* II.
C
Perseus vero Argos reversus (pudore enim ob famam cædis afficiebatur) filio Prœti Megapenthi persuasit, ut regnum sibi committeret. Suscepto hoc Mycenas condidit. *Desolatio Mycenarum.* Cæterum quando sunt destructæ Mycenæ, quæ magnitudine & rerum gestarum excellentia, regumque potentia cum Argis certabant, adnotavit Pausanias *dicto loco*: *Mycenas Argivi æmulatione quadam diripuerant.* Sub Xerxis enim expeditionem Argivi cum ocium agerent, Mycenæi octoginta viros ad Thermopylas amandarunt, qui præclari illius facinoris una cum Lacedæmoniis participes fuerunt. Hoc tam gloriosum facinus ob irritatos Argivos perniciem eis intulit. Ex ambitu cum aliæ adhuc extant reliquiæ, tum porta quoque cui leones insistunt, quæ ipsa quoque Cyclopum opera esse ajunt, qui Prœto olim Tirynthi mœnia extruxerunt. Quæ autem & quorum divorum Mycenis templa extiterunt, non satis perscripserunt autores, nisi quod Jovis Mycenæi Strabo in VIII. meminisse videtur, & Eionis vici, ubi navalia habebant.
D
E
Porro extabant rudera Mycenarum multis seculis, nam & Titus Livius *lib.* III. *Decad.* IV. Mycenarum meminisse videtur scribens: *Iis ipsis forte diebus Lucius Quintius frater adduxerat ex hybernis Corcyræ Sicyonem transmisit. Jam ibi Attalus erat, qui cum tyranno ad Rom. Imp. non Rom. ad tyrannum eundem dicebat, in sententiam suam Quinctium traduxit, ne urbem ipsam Argos iret, haud procul urbe Mycenica vocatur, in eo loco ut congrederentur convenit.* Ad hanc urbem denique alludentes cecinerunt Poetæ. Virgil. II. *Æneid.*
F

Huc se profecti deserto in littore condunt,
Nos abiisse rati & vento petiisse Mycenas.

Et iterum:

Millia quod magnis nunquam venere Mycenis.

Et rursus:

Scilicet hæc Spartam incolumis patriasque Mycenas
Aspiciet, partoque ibit regina triumpho?

Statius lib. I. *Theb.*

Et Samon & veteres armis excinde Mycenas.

Et paulo infra:

Tunc sedet & Inachias urbes Danaiaque regna,
Et caligantes abrupto Sole Mycenas.

Ovid. VI. *Metamorph.*

Argosque, & Sparta, Pelopejadesque Mycenæ.

Sequitur Tirynthus altera sedes regia Argolidis, in qua Prœtus gubernabat, ejusque successores, Megapenthes filius, Argeus nepos, Anaxagoras pronepos, Alector & Iphis Alectoris filius. In eadem urbe & Perseus Acrisii filius cum patrem disci ludo occidisset, & Amphitryo Herculis vitricus habitasse traduntur. Strabo Cyclopum opera mœnia Tirynthi constructa refert, ut qui e Lycia in hoc accersiti a Prœto fuerant, de cujus eversione scribit Pausanias in II. *Everterunt & Tirynthios Argivi non alio consilio, quam ut eos quoque in civitatem reciperent, Argosque hoc modo augerent. Tirynthen vero heroem qui civitati nomen indidit Argi filium, Jovis nepotem fuisse perhibent, murus qui solus ex ruderibus fuit relictus Cyclopum quidem opus est, sed ex albis lapidibus factus, quorum quilibet tantæ est magnitudinis, ut ne minimus quidem ex his mulorum jugo commoveri queat. Ad mare cum descendas filiarum Prœti thalami visuntur: in viam postea publicam reversus in sinistra Midyam pervenies. Electryonem ibi Alcmenæ patrem regnasse perbibent.* Poetæ passim Herculem Tirynthium cognominant, quod ibi sub vitrico Amphitryone educatus fuerit. Virgil. VII. *Æneid.* *Tirynthus.*

Mista Deo mulier: postquam Laurentia victor
Geryone extincto Tirynthius attigit arva.

Statius VI. *Theb.*

Primus anhelantem duro Tirynthius ingens
Pectoris attritu sua frangit in ossa leonem.

Ovid. VII.

Est via declivis per quam Tirynthius heros
Restantem contraque diem radiosque micantes
Obliquantem oculos nexis adamante catenis
Cerberon attraxit.

Statius IV. *Theb.*

Antiquam Tiryntha Deus non fortibus illa
Infœcunda viris.

Sequitur Trœzena quarta sedes regia Argolidis, ut cujus Regis Pitthei filiam Ægeus rex Athen. uxorem duxerat, & ex ea Theseum progenuerat. Pausanias in *lib.* II. plures ejus reges commemorat, Orum Ægyptium; Althepum filium Neptuni ex Leide filia Ori; Saronem submersum in lacu ex mari stagnante quem Saronidem vocant, cum in venatione cervum insequeretur; Hypereten; Antham Neptuni filium, qui Antham civitatem condidit; Ætium filium Anthæ qui Posidoniadem construxit; Trœzenem, qui nomen civitati indidit, cujus filii Anaphlystus & Sphettus in Atticam commigraverunt. Idem refert Pelopis filios regnasse in Trœzena, & Theseum, utpote natum ex Regina Trœzen, denique & Dio- *Trœzen.*

medem. Reversis, inquit, Heraclidis recesserunt & Trœzenii in civitatem Dorienses Argivos, cum Argivis prius etiam parerent. Diomedem quoque imperasse eis Homerus in Catalogo scripsit. Diomedes enim & Euryalus Mecisthei filius Cyanippi Ægialei filii curatores Argivorum in Trojana expeditione duces fuerunt.

Adde quæ Strabo in *lib.* VIII. de hac civitate scribit: Trœzen sacra Posidoni, id est, Neptuno fuit, a quo & Posidonia olim appellata, ea stad. XV. a mari eminet, urbs & ipsa insignis. Ipsius portui quod Mentum vocant, parva imminet insula Calauria nomine, cujus ambitus est ad CCC. stad. Idem & vado transiri a Trœzena in aliam insulam propinquam Sphetam nomine autor est. Pausanias tradit in moneta tridenti usos Trœzen, & Minervæ imagine, quod regnante quondam Althepo rege, de ditione Pallas & Neptunus controvertissent, sed lite composita, ex æquo eam obtinuissent, hinc Minervam Trœzenos colere Poliadem nomine.

Ab eodem templa commemorantur intra mœnia quidem Dianæ hospitæ a Theseo cum victor e Creta huc navigasset posita. Musarum ab Ardalo filio Vulcani, Dianæ Lyciæ ab Hippolyto Thesei filio conditum, Apoll. Thearii a Pittheo rege, Apoll. Epibaterii a Diomede positum, Jovis Servatoris, ab Ætio Anthæ Regis nato, Veneris Speculatricis, unde Phædra Hyppolitum privignum observare solebat, Mercurii Polygii, ubi clava Herculis infixa terræ in oleastrum excrevit.

In arce porro Minervæ Stheniadis & Lyterii Panos delubra, & ante mœnia Veneris Ascrææ ab Halicarnass. conditum, Eneris Nymphæ a Theseo cum Helenam rapuisset, Neptuni Phytalmii, Cereris legiferæ ab Althippo Rege positum, Dianæ Saroniæ a Rege Sarone, qui & in prox. fuerat mari submersus, & versus Celenderim portum in via, Martis templum fuerat, ubi Amazonas vicisse Theseus ferebatur.

Recenset idem & alia quædam Trœzenæ digna memoratu fontem Hippucrenem a Pegaso, itidem ut Pyrenem Corintho & Heliconem in Phocide excitatum, cum Bellerophon Æthram peteret uxorem, quæ postea Ægeo Athen. nupsit. Thermæ prætereа insignes ibi fuerant, Hippolyti sacrificia quibus virgines ante nuptias coronam detonsæ ac zonam dedicare solebant, & Lithobolia sacra instituta in memoriam duarum virginum Lamiæ ac Auxesiæ in seditione lapidibus obrutarum. Ad hanc Argolidis urbem alludunt Poetæ. Ovidius lib. VI. *Metam.*

Orchomenosque ferax, & nobilis ære Corinthos,
Messenaque ferox, Patræque, humilesque Cleonæ,
Et Nelea Pylos, neque adhuc Pittheia Trœzen.

Statius lib. IV. *Theb.*

Ægion, Aranemque, & quas Theseia Trœzen
Addit opes; ne rara movens inglorius iret
Agmina, vel raptos patriæ sentiret honores.

Ovidius lib. VIII. *Metam.*

Discubuere toris Theseus, comitesque laborum:
Hac Ixionides, illa Trœzenius Heros.

F I N I S.

JOSE-

JOSEPHI LAURENTII,

LUCENSIS,

DE

REBUSPUBLICIS, SUFFRAGIIS, CONCILIIS, AC ALIIS AD EANDEM REM SPECTANTIBUS,

DISQUISITIO.

AD LÆLIUM ALTOGRADIUM JURISCONSULTUM.

INDEX CAPITUM.

runt. Varia alia tormentorum genera enumerantur. Aqua & igne interdicti quinam. Arboribus quondam laniati. Balnei supplicium. Barba usta. Bestiis objecti crucifixi. Bojæ quæ vincula. Bovis ænei inventor quis. Calamis acutis olim torti. Camelo insidebant rei. Camus quale vinculi genus. Capillis suspensæ mulieres Christianæ. Capite plectendi qui. Carceris etymon. Ejusdem varia nomina. Catabulum, Vivarium quid. Catapulta qualis machina. Catasta quid, & quotuplex. Censio hastaria quorumnam pœna. Catomo qui cædebantur. Diversa supplicia recensentur. Crux varia significat: duplex fuit. Affixio & Infixio qui differant. Cruces diversæ. Crucis usus apud quos. Quorum fuerit pœna. Liberorum supplicium. Figendi cruci modus duplex. Ante fixionem quid adhibitum. In deductione quid peractum. Rei nudati suspendebantur. Clavi ubi, & quot fixi. Titulus præfixus. Post fixionem quæ fiebant. Lanceis cur transfixi cruci affixi. Crurifragium a quibus usurpatum. Crucifixi insepulti apud Gentiles. Furca duplex. Patibulum a cruce qui differat. Furca moderna distincta ab antiqua. Suspensi olim in carcere. Crucifixorum habitus varius. Mortui ob quid cruci appensi. Materia, ac locus crucis. Culleus Parricidarum pœna. Iidem apud Ægyptios ac Lusitanos quomodo puniti. Iterum varia supplicia enumerata. Deportatio in quo discrepet a relegatione. Equuleus quid, & ejus etymon. De eo variæ sententiæ proponuntur & expenduntur. Fidiculæ, & Scamnum Hippocratis quid. Equulei vera descriptio, ac originatio. Modus in eo torquendi qualis. Exiliorum varia genera. Ab Exilio qui differat Ostracismus. Tormenta diversa denuo afferuntur. Gladii jus quis habere dicatur. Tunica molesta quæ. Stigmatici servi quinam. Lapidatio in varios usurpata. Virgo qui strangulata. Scaphismus quid, & unde dictum. Supplicia quæ a Mezentio, Caligula & Attilio Regulo excogitata. Martyres radiis solis expositi. Rotæ supplicium quale. Semaxii *cur Christiani dicti. Longa enumeratio Tormentorum. Militaria quæ.*

JOSEPHI LAURENTII,

Lucensis,

DE

REBUSPUBLICIS,

SUFFRAGIIS, CONCILIIS,

AC ALIIS AD EANDEM REM SPECTANTIBUS,

DISQUISITIO.

AD LÆLIUM ALTOGRADIUM, JURISCONSULTUM.

Cap. I.

Discrimen inter Aristotelem & Platonem de Rebuspublicis. Platonis ratio de Rerumpubl. distinctione: ut &. Aristotelis de earundem formis. Reipubl. bonæ & malæ triplex forma. Monarchia, Tyrannis, Oligarchia, Democratia, &c. quæ, & earum etymon. Bona administratio a mala in quo discrepat. Monarchiæ laus. Tyrannis omnium pessima. Tyrannorum vita mors infelicissima. Optimatum administratio quam bona. Reipubl. forma quam humanæ naturæ conformis. Belli tempore unius imperium optimum: Pacis vero illud Optimatum. Origo Rerumpublicarum. Magistratuum quinque genera. Imperia varia enumerantur. Qui imperio nati, qui servituti. Oeconomiæ & Politiæ ordo. Homines juxta Platonem qui creati. Ex ejusdem sententia metalla quibus contigere. Magistratus electio triplex. Monarchiæ præstantia. Finis Reipubl. omnis. Reip. rectæ species tres: non rectæ totidem. Respub. mixta optima. Veneta commendata. Monarchiæ variæ. Respubl. antiquæ celebres. Hebræorum illa qui administrata. Triplex fuit. Atheniensium Respubl. describitur. Draconis & Solonis legisl. dotes. Senatores quomodo electi apud Athenienses. Areopagitæ qui, & quot. Archontes, Thesmothetæ, Polemarchus quales, & eorum munia. Anni per Archontem numerati. Prytanes qui. Prytaneum qualis locus. Sortitio Athenis per litteras. Dicasterium quid. Stationes decem Athenis. Tribus totidem. Pancratiastarum sortitio quæ. Ephedrus quis. Sortitio Syracusanorum. Lacedæm. Reipublicæ descriptio. Scopus Spartanæ disciplinæ. Imperator Spartan. quis. Ephori Laced. Æqualitas bonorum Spartæ. Ibidem Syssitia. Hilotæ qui. Reipubl. Spartanæ parens. Lycurgus a quibus edoctus. Cretensis Reip. forma. Cosmi Cretens. qui. Andria eorumdem. Periœci qui. Romanæ Reip. forma. Tyrannis, Democratia, Romæ quando. Populi Rom. auctoritas. Ordo civium Rom. triplex a quo institutus. Senatoris Rom. conditiones. Aristocratia Romæ; quæ non in Senatus auctoritate. Senatus Rom. vis quando imminuta. Tyrannis, Oligarchia, Democratia, Romæ quando. Seditiones ibidem unde ortæ. Resp. Domestica quæ. Resp. interna qualis.



PLATO externas notiones, & magis populares, Aristoteles internas magisque genuinas rationes sequutus, uterque metam assequutus triplicis Reipublicæ rectæ, & simplicis; cum mistis non me misceo. A numero imperantium, sic Plato ratiocinatur, multi, vel unus dominatur; si unus bonus, Monarchia: si malus, Tyrannis; si pauci boni, Aristocratia; si mali, Oligarchia; si plures boni, populi administratio; si mali, perturbatio popularis constituitur. Aristoteles autem III. *Politic.* non a numero, sed a conditione, & fine venatur. Si quidem numerus ex eventu potius longe petitus, & fortuito existimandus; finis autem, & quæ ad finem faciunt, publicæ rei naturam rimantur, & perscrutantur. Esse plures, aut pauciores, prorsus ab re, nec ad rem. E re autem, & ad rem publicam multum conducunt virtutes, nobilitas, divitiæ. Si pauperes, ignobiles qui ad Reipublicæ clavum assident, etsi pauciores, popularem constituunt administrationem. Si nobiles, divites, studiosi, etsi plures, paucorum, seu optimatum (paucis enim plerumque divitiæ, nobilitas, virtus contingunt) hinc fortasse Platonis petitæ rationes; Aristotelis inde.

Triplex igitur (ut ut res se habeat) Reipublicæ administratio bona, quæ bono publico consulit, & mala triplex, male consulens populo, quæ defectio, seu Reipublicæ labes nuncupatur. Itaque si unus omnium optimus uni omnium saluti prospiciat, Monarchiam; si pessimus, suæ tantum saluti, Tyrannidem constituit. Deinde si pauci nobilitate, virtuteque insignes, Aristocratiam: Si vero pauci viribus superiores, inferiores autem virtute, Oligarchiam efficiunt. Demum, cum multi regibus freti communem inquirunt utilitatem, Democratiam, seu communi nomine, Rempublicam: sin autem ex leges, licentiam usurpant; Timocratiam, Anarchiam, seu Ochlocratiam, labefactatam scilicet Rempublicam, intrudunt.

Tacitus lib. IV. *Annal.* hanc triplicem administrationem tacitus non præteriit. *Nam cunctas* (inquit) *nationes, & urbes populus, aut primores, aut singuli regunt.* Tyrannis itaque regno opponitur; Paucorum potentia procerum Imperio; Populi furor, justæ multitudinis potestati. In his, Magistratus boni, mali in illis. In his commune bonum, proprium in illis inquiritur. In his civium libertas, servitus in illis. Prudentia, Clementia, Justitia, cæteræque virtutes in his; In illis temeritas, sævitia, injustitia grassantur. Hæc attende, & æqua judicii lance perpende:

Βασιλεία,	Αριςοκράτεια,
Τυραννὶς,	Ολιγαρχία,
Δημοκαρτία,	Αναρχία,
Τιμοκρατία,	Οχλοκρατία.

Dicta *βασιλεία*, quasi basis, & fundamentum, *λαῦ populi*. Αριςοκρατία, quasi *ἐκ τῶ ἀρίςων ἐκλεγμένων κράτος, ex optimis electum Imperium*. Δημοκράτεια, *ἀπὸ τῶ δήμου*, scilicet *populi, ὡς δεδεμένου*, communi quasi libertatis vinculo colligati. Τυραννὶς, honestum olim apud Priscos vocabulum, & *ἀδιάφορον*, *indifferens* apud Philosophos: at Romanis maxime odiosum: a verbo *τρύω*, scilicet, *vexo, exagito*, ut dicatur quasi *τρύανος*: vel a Tyrrhenis, latrociniorum infamia maxime laborantibus, quod non admitto. Ολιγαρχία *ἀπὸ τῶ ὀλίγων*, scil. *paucorum*, in qua optimates, pauci, mali, divites tantum imperant: cu-

A jus nullo pacto pauperes, etsi boni, participes fiunt. *Τιμοκρατία ἀπὸ τῶ τιμήματος*, scilicet, *censu*, in quo a censu, id est, divitiis, magistratus creantur, nec virtutis ratio publice habetur, contra optimates; suisque tantum locupletandis censibus student. Aliis fortasse melius dicta *ἀναρχία*, id est, populus sine magistratu, civitas sine Imperio, vel *ὀχλοκρατία ἀπὸ τῶ ὄχλου*, quod *turbam*, tumultumque populi innuit.

Optima omnium vulgo censetur regia; seu Monarchia, ut quæ valde similis divinis actionibus, humanisque maxime consentanea: hinc dictus Rex viva Dei imago, animata imago Dei
B Rex. Homerus subscribit, Claudianus, & alii.

Non bonum est multorum imperium,
Sit dominus unus.
Fallitur, egregio quisquis sub principe credit
Servitium; nusquam libertas gratior extat
Quam sub rege pio.

Quapropter Antiquis sæpe in ore, *ἐκ Διὸς βασιλῆες*, quibus, quia optimis, imperium jure debetur. Ex Democrito, *Natura imperare proprium præstantiori*. Eloquentissimus, & sapientissimus Isocrates non refragatur. *Non immerito Monarchiam tanto faciliorem esse judicaverimus, quanto*
C *facilius est animum suum unius viri instituto accommodare, quam multis, variisque opinionibus placere conari.* At optimi corruptio, quia pessima, & regni labes tyrannis, quæ optimæ administrationi ex adverso opponitur: ubi nequissimus, funestissimus, ex libidine, imperii habenas rapit, tenet per fraudem, & sævitiam, divina & humana jura perturbat, virtutes conculcans, servitutis jugo pressos conficit: *Oderint, dum metuant*, clamat *τυραννὶς ἀδικίας μήτηρ, tyrannis mater injustitiæ*. Demosthenis divinum de hac elogium, *τυραννὶς ἅπας ἐχθρὸς ἐλευθερίας, καὶ νόμοις ἐναντίος; Omnis tyrannis hostis libertatis, ac legibus adversatur.*
D Illorum exitus attende, qui nunquam senescunt. Seneca.

Qui sceptra duro sævus imperio regit,
Timet timentes, metus in auctorem redit.

Claudianus.

Qui terret plus iste timet: Sors ista Tyrannis
Convenit, invideant claris, fortesque trucident,
Muniti gladiis vivant, septique venenis,
Ancipites habeant acies, trepidique minentur.

Optimatum administratio, ut quæ bonorum, optima jure putanda, ob virtutum cumulum, Senatus magnificentiam, consiliorum vim pluri-
E mam, qui ad imperia, ad sceptra nati, ex Aristotele, propter *ὑπεροχὴν*, & *virtutis excellentiam* videntur. Ita ille. *Qui in universum vitæ degendæ scientiam est assecutus, quid aliud eum esse oportet, nisi rectorem, & dominum? namque difficillimum, unum tantum omnium omnes virtutes nancisci.* Ideo ille optimus consultor monet, *προςάτης*, & cætera: Latine refero apud Latinos. *Et unus Princeps urbi periculosus, adjungi vero & alium, non malum civitati.* At sinistra avis Tacitus libro IV. *Annal.* occinit. *Delecta ex his, & constituta Reipublicæ forma facilius laudari, quam evenire, aut si evenerit, haud diuturna esse potest:*
F quam, vel illo reclamante, serenissimus, atque fortunatissimus Senatus Venetus, & Luca mea dulcissima patria jactat; illa ad Italiæ; hæc ad Etruriæ invidiam; quæ quia rara, ideo præclara.

Multitudinis legitimum imperium humanæ naturæ legibus non multum videtur dissentire, cui, virtutibus nempe exornatæ, libere vivere naturæ jura permittunt ab ipsis incunabulis, ad quod naturæ impetu fertur. Plautus ait, *omnes profecto liberi libentius sumus, quam servimus.* Illud enim

veriſſimum. *Quid optimum hominibus*, ille interrogatus, *Libertas*, reſpondit. Senecam audi. *Inæſtimabile bonum, ſuum fieri*.

Sed poſt vindemiam racematio, poſt ſegetem, ſpicilegium ſupereſt. En ſpicæ, en racemi. Marte furente, tumultuantibus populis, unus imperii habenas moderetur: bellabit, debellabit; fortior unita virtus vehementius uno ex capite erumpit. Pallade in urbe furente, optimates Rempublicam adminiſtrent, ut virtus perturbata in integrum reſtituatur, feliciſſimaque pace cives perfruantur: ita ſago, togaque, domi, & foris recta æquitatis lance res peragentur.

Sed altius rem totam publicam indagemus, originem, progreſſum, & finem Rerumpublicarum excutiamus. Laertius in *Platone* quinque magiſtratuum genera adducit; Legitimum; naturale; æquum, ſeu rectum; per ſucceſſionem generis; violentum, ſeu tyrannicum. Per primum imperant, quos cives initis ſuffragiis creant. Per alterum mares fœminis in omnibus animantibus. Per tertium Rectores Academicis, & Præceptores diſcipulis. Per quartum Lacedæmoniorum Reges, Macedonum, & quotquot hæreditaria ſucceſſione ad Magiſtratum perveniunt. Per poſtremum, qui invitis, coactiſque civibus imperant. Hinc a natura ex Ariſtotele jure imperare, & obedire ortum ducit; alii enim nati imperio, quibus ingenium liberale, & excellens: alii ſervituti, quibus ingenium ſervile, & ſtolidum. Quare in domo uxores, mariti, parentes, filii, heri, & ſervi, ab orto uſque humano genere reperti. Uxor ſiquidem marito, filius patri, ſervus hero, familia denique patrifamilias, naturali impulſione, obſequium præſtat. Ex familiis compluribus vicus; ex vicis pluribus pagus; ex pagis pluribus Civitas conſtat. Civitas magiſtratu regitur; ſi bona, ab optimo; optimus enim natura imperare debet. Socrates apud Platonem III. *de Rep.* homines a Deo ita creatos aſſerit, ut, qui eſſent ad imperia futuri, iis aurum; qui eorum curæ participes futuri, iis argentum; Agricolis autem, & opificibus futuris, æs, ferrum admiſcuerit. Magiſtratus, cui imperium traditur, vel ſucceſſione, vel ſorte, vel ſuffragio eligitur. Vel ſunt plures, vel unus: (de bonis loquor) Si plures aut omnes, aut multi: omnes conſtituunt politiam, in qua viget *juris æquabilitas*, quæ ἰσονομία dicitur. Hinc leges conduntur; magiſtratus creantur: in medium conſulitur; atque ut incommodorum, ſic viciſſim commodorum, omnes participes. Si multi imperent, Ariſtocratia vocatur, id eſt, optimatum, cum optimi præſunt cæteris, qui veluti oculi plures plus vident, prudentius conſultant. De his a me paulo ſuperius. Si unus imperat, Monarchia, cujus præſtantiam nobis aſtruunt cœli, elementa, animalia, quæcumque in orbe latent, ad unum, tanquam ad caput referuntur. Finis horum omnium eſt bene, beateque vivere inter ſe cives, felicitateque frui politica.

Tres igitur tantum ſpecies rectæ Reip. a qua deflectentes totidem non rectæ. Recta, quæ dirigitur ad bonum commune, aut per unum, & ſic eſt Monarchia, talis olim apud Perſas: aut per paucos, eoſdemque bonos, & ſic eſt Ariſtocratia, talis apud Spartanos; aut per multos, & ſic eſt Democratia, talis apud Athenienſes. Non recta, quæ detorquetur ad bonum privatum, aut per unum, unde Tyrannis; aut per paucos unde Oligarchia; aut per multos, unde Anarchia naſcetur.

Ex tribus rectis coaleſcit alia, quæ mixta Reſpublica appellatur, qualis nunc Veneta. Hæc omnium bonarum adminiſtrationem in ſe continet; nam Regiam majeſtatem in Ducis unius capitis civili ordine tuetur; Ariſtocraticam ſapientiam in optimatum adminiſtratione; Univerſum populi conſenſum in magno illo Senatu, concilioque, ubi æque ſorte, atque electione omnia cenſentur: ſuſpicit, & veneratur, & ſuos habet Tribunos plebis populus, quos vocant *Avogadores*. Hæc Reipublicæ mixtio videtur feliciſſima, in qua Regia dignitas; optimorum prudentia; vis Reipublicæ ita fulgent, ut ſint tanquam multi Duces in uno Rege, quibus conſpirantibus in finem honeſtum, Regia dignitas in tyrannidem labi non poteſt. De hac forma Plato in lib. *de Regno* diſſerit, vocatque ſeptimæ ſpeciem, eàmque omnium optimam cunctis numeris abſolutam, divinitus inſtitutam, mixtam ex omnibus tribus adminiſtrationibus; Regiæ, ob munus Principis; Ariſtocratiæ, ob munus majorum Senatorum, potiſſimorumque Magiſtratuum, quibus tantum ſeniores, & prudentiores præſunt; demum Reipublicæ, ob munus pene innumerorum nobilium, publico conſilio pro publico bono conſpirantium. Cæteras Reipublicæ mixtiones vide in Franciſci Piccolominei *ſcientia de moribus*, Gradu decimo, ex Ariſtotele in *Politicis*, & aliis Auctoribus.

Monarchiarum, & Regnorum paſſim exempla apud Aſſyrios, Perſas, Ægyptios, Macedonas, deinde Romanorum Imperatorum, aliorumque Regum habemus. Rerumpublicarum vero præcipuarum antiquarum, Judæorum, Athenienſium, Spartanorum, Cretenſium, ac demum Romanorum.

Apud Hebræos primum penes optimates poſita fuit adminiſtratio, quæ dicta Ariſtocratia, ſub Moſe, Joſue, Senioribus, qui viris bonis, ſapientibus lectis in conſilium ex divinæ legis præſcripto, univerſam gentem illam gubernarunt ſapientiſſime. Sub Regibus vero Monarchiam, ſeu Regnum obtinuerunt. Omnis Reſpublica Hebræorum triplex, nimirum univerſi populi; ſingularum tribuum; & ſingularum urbium; propterea magiſtratus in varia diſtributi genera fuerunt; Magiſtratus univerſi populi primum fuere Judices; deinde Reges; tum Principes; denique iterum Reges. In ſingulis autem Tribubus, Phylarchi, & Patriarchæ. In ſingulis Urbibus Principes Civitatum, ſive Judicum, nempe Tribuni, Centuriones, Quinquageſimarii, & Decani: de quibus Sigonius, aliique conſulendi.

Athenienſium Reſpublica regnum prius habuit, ut notat Juſtinus *lib.* XI. ante Deucalionis tempora, fueruntque non ex populi colluvie, ut alia regna, aliunde aſciti, ſed incolæ, & indigenæ a Cecrope primo Rege ad Codrum uſque ſeptemdecim; poſt quem nemo Athenis regnavit. Subſecuta eſt Anarchia, ſeu Ochlocratia, mixta cum Oligarchia; quam corrigere conatus eſt Draco ſeveriſſimus legiſlator. Deinde Solon omnium optime leges ſanctiſſimas Reipub. inſtituit, veramque ſtatuit bonæ Democratiæ formam; ideo non immerito Romani, ex tanti viri legibus ſuas decem tabulis exaratas Athenis Romam per Decemviros exportarunt. Athenis ergo ſortiebantur, qui Senatores, aut magiſtratus fieri cupiebant, populus eligebat per ſuffragia eos. Quare alii ſorte, alii ſuffragio, alii delectu creabantur: Sorte, ut Judices; ſuffragio, ut Impeſatores; delectu, ut Ædiles. Areopagitæ, ſive ſenatores quingenti capitalia dumtaxat judicabant. Archontes, ſummus magiſtratus Athenis, ſicut Suffes apud Carthaginenſes; Romæ Dictator. Fuerunt (teſte Suida) Archontes novem, quo-

rum sex, Thesmothetæ, hoc est, legislatores dicebantur; unus Rex, id est, sacrificulus, seu Rex sacrorum; unus Polemarchus militiæ; & præter hos unus, qui per excellentiam Archon dicebatur, a quo anni numerabantur, de quo a me alibi. Prytanes, potissima Reipublicæ sustentacula, erant quinquageni, decimam partem Senatus facientes, qui ejus munera omnia per successionem sortito obibant, in loco dicto *Prytaneo*, ubi publice alebantur; (qui honos maximus Athenis) & de Republica bene meriti. Sortiebantur, qui Senatores, qui Magistratus fieri cupiebant; quæ sortitio, ex Aristotele, est popularis, dum omnes pares volunt esse. Ante magistratum, in vitam eorum inquirebant, & post etiam in eorum gesta; quibus probe perfuncti in Senatum Areopagitarum lecti; sin male, repulsi.

Quoniam sortitionis Atheniensium mentio facta, de hac cum Rhodig. *lib.* XXII. *cap.* XVIII, quædam recensenda, Athenis plura erant Dicasteria, seu loca judicialia, & stationes judicum. In aliis expendebantur, quæ φονικὰ Græci vocant, ubi agebatur de vita; In aliis civiles tractabantur lites, hoc est, περὶ δημοτικῶν. Unicuique stationi de elementorum serie appellatio indebatur; erat enim quæ diceretur Alpha, quæ Beta, quæ Gamma, & ita deinceps, usque ad litteram K, quippe decem fuere stationes. Januæ porro uniuscujusque coloris rubri superpictum erat elementum, ex quo loco nomen foret. Quotquot erant Athenis, qui juridiciali munere fungerentur, pro stationum ratione pugillare habebant singuli, in quibus exaratum servabatur, tum ipsorum, tum stationis nomen: habebant & virgulam inscriptam pariter. Ubi igitur judicandi appeteret tempus, in forum commeabant omnes judices, conjectisque in vas sortibus, qui sortitus mox foret eam, quæ præferret Alpha, in stationem pergebat ejus litteræ cognominem, atque deinceps serie eadem. Quod si quis ad judicandum nulla sortitionis habita cura perrexisset, gravis irrogabatur mulcta. Quum vero forent Athenis decem tribus, ex omnibus seligi judices, mos irroborarat. Ex unaquaque ergo quinque secernebantur illustrissimi; ex quibus unus modo judicaret, quem sors selegisset. Celebratur quoque a Luciano consimilis inter athletas, & pancratiastas sortitio. In argenteam (inquit) Calpin, id est, urnam, conjiciebantur minutulæ sortes, faba non ampliores. Eo sempre ordine servato, ut binis eadem inscriberetur nota elementis, pro athletarum numero, sortibus item auctioribus. Quum impenderet certandi tempus, prodibant ex athletis, singuli sortem educturi, nec inspectandi productum jus erat, quando id prohiberet assistens Mastigophorus. Peracto autem orbe, ambiens Alytarches, inspectabat sortes, atque ita dispensabat, ut qui Alpha esset sortitus, cum eo componeretur, qui eandem esset sortitus litteram, atque ita deinceps, homogrammi certaturi prodibant. Quod si quinque, seu impares essent, conjiciebatur in urnam solitaria littera, quæ antigraphon, seu antigramma non haberet. Qui vero eam eduxisset residebat expectans, quam diu certarent alii, congressurus mox fatigatis, vigens ipse, atque integer viribus, quod erat fausti ominis, hic dicebatur Ephedrus.

Sortitionis aliud genus peractum Syracusis, eorum, qui in concionem erant prodituri, suis litterarum notis designati, hæ ducebantur sorte, ac ubi quis litteram suam foret indeptus, alloquendi populum potestatem nanciscebatur. Vide eundem Rhod. *eodem libro capite* XVII.

Lycurgus Græcorum sapientissimus, institutis optimis, Reipublicæ formam Lacedæmone posuit, & ex pessima optimam reddidit: unde quamdiu leges illius viguerunt, D. amplius annos, tamdiu viguit Spartanorum Resp. quam in Democratiæ formam, seu Reipublicæ redigere tentavit legibus optimis. Quare totus ad militarem disciplinam collimavit, hinc severa puerorum institutio; quare ad bellum gerendum, quia optime ab uno administratur, Regem eligi voluit, seu Imperatorem perpetuum ex familia Heraclidarum, qui, & legum custos, & justitiæ vindex perpetuus, legibus tamen populi obnoxius; Populus sanciebat, magistratus creabat; ex quo populo illi lecti, & potissimum Senatores LVIII. Senatum constituentes, ex lectissimis, & sapientissimis senioribus. Hic senatus medius, & quasi arbiter, nimirum populi licentiam coercebat, Regumque potentiam temperabat, penes quos judicia omnia. Quæ Reipubl. forma, sine perturbatione floruit; donec populi cupiditas effrænata suos Tribunos plebis legit, Ephoros, ad quos provocatio ab omni Magistratu dabatur. Hinc variæ perturbationes. Nam Reges domi sub Ephororum imperio, quasi privati Cives agebant, at foris αὐτοκράτορες, id est, neque legibus, neque Ephororum obnoxii censuræ. Ad firmius hanc Democratiæ formam corroborandam, bonorum æqualitatem, puerorum institutionem communem, Syssitia, seu comessationes publicas instituit, ut cives inter se mutuo, arctoque vinculo societatis adstringerentur. Mechanica; & rustica opera tantum ab Hilotis, seu servis publicis, bello captis peracta; cæteri cives magistratibus, & militiæ dediti. Hanc Reipublicæ formam maxime exagitat Aristoteles II. *Polit.* & tanquam infirmam refellit; quod foris tantum rebusque militaribus operam navaret, in postremis habitis civilibus, quæ cum bellicis civilem felicitatem constituunt.

Spartanæ Reipublicæ parens Cretensis censetur. Lycurgus enim, antequam Spartæ Rempubl. ordinaret, in Cretam se contulit, ut a Lyctiis olim Laconum colonis edoceretur, quibus a Minoe leges datæ. Hinc & Cretensis Respublica Regem habuit, Senatum βουλὴν dictum, Ephoros suos, dictos Cosmos, decem ex certis tantum familiis. Convivia etiam publica, dicta Andria; servos publicos dictos Periœcos, id est, circumvicinos, & vectigales.

Romana Respublica varia est sortita regimina, sub Romulo Monarchiam, seu regnum. Deinde mixta est forma Reipublicæ. Sequentes Reges sola patrum auctoritate lecti, & confirmati. Numa populi requisivit assensum; ut & tempore posteriorum factum est regum. Tyrannidem sensit sub Tarquinio Superbo, & sub quibusdam Dictatoribus.

Deinde alia secuta Reip. forma, quæ potius Democratica existimanda: nam a summis magistratibus appellatum ad populum. Publicolæ post expulsos Tarquinios Reipublicæ reformandæ potestas tradita, sic dicto quod in Republica constituenda populum coluit, ejusque studium aucupatus, cui judicium rerum potissimarum permisit; hinc penes populum auctoritas condendarum legum, belli indicendi, legendorum magistratuum, in quibus Reipublicæ summa versatur. Penes populum Romanum ergo jam inde a Romulo judicandi potestas ad Augustum usque, at non eodem modo; Curiatis Comitiis sub Regibus; Centuriatis, Tributisque vigente Rep.

Ordinum varietatem, senatorii scilicet, equestris, & plebeii, instituit Romulus; Senatum potissimum legit diligenter, ad quem ipse de summa Reip. referebat, & ex eorum consilio, & au-

ctoritate omnia agebat; lecti deinde Senatores a Regibus, a Coss. & Censoribus, habita ratione *generis*, Senatorii scilicet: *ordinis*, equestris scil. ex quo Suffecti: *Census* 800000. sester. *Ætatis*, XLIII. ann.

A At Aristocraticum imperium in senatu fuisse, cum videlicet auctus ejus numerus, & vis, censeo; penes quem summa auctoritas in negotiis maximi momenti præter magistratuum creationem, legum lationem, & belli, pacisque arbitrium, cætera omnia delicta, præmia, pœnasve unus Senatus dijudicabat, ut refert Polybius *lib.* VI. non minima etiam potestas Senatus fuit, quod in Comitiis majoribus, & legibus ferendis necessaria fuit ejus cognitio, & auctoritas: ejus decretis, quicquid in Romano Imperio faciendum, sanciebatur: Hinc Salustius Crispus monet Liviam Augustam apud Tacit. lib. I. *Annal. Ne Tiberius potentiam dominandi resolveret, cuncta ad senatum vocando*. B

Hæc potestas sub Imperatoribus paulatim imminuta, & in Monarchiam conversa. Tyrannicum dominatum passa Romana Resp. sub Tarquiniis, Syllis, Mariis, Cæsaribus.

Oligarchiam, sub Decemviris a recto rationis tramite recedentibus; sub Tribb. pl. Tribunis Reip. constituendæ, vel potius destruendæ debacchantibus. C

Cæterum Democratia, & popularis Reip. forma Romæ viguit priscis, & primis temporibus, quam sartam tectam diu conservarunt adversum Patricios per Tribunos plebis. Nec tamen hæc Reip. forma penitus intercidit, nisi, cum a bello ad pacem conversa, suis viribus ruit: quæ enim bello innutriuntur, pace pereunt; & quæ militaribus destinantur, otio marcescunt, & pessum eunt. Seditiones subinde ortæ ob nimiam potentiam quorundam. Administrandi normam non omnibus numeris absolutam patefaciunt illius bella civilia, seditiones intestinæ: unde Romæ Anarchia, seu Ochlocratia, labes teterrima, & ultimus interitus. D

A rebus publicis ad res privatas digredior, & Rempublicam privatam, seu domesticam tantum innuo, ne garrulus audiam. Domi, nostrisque in ædibus Monarchia, patris ad liberos. Tyrannis, heri ad servos. Aristocratia, viri, & uxoris simul in totam familiam. Democratia, æquo jure domesticorum sine domino agentium; aut contubernalium. Ochlocratia, immoderata libertate fratrum debacchantium.

In nobis ipsis despoticum tenet imperium animus in corpus: ille tanquam Dominus, hoc servus. Aristocratia est in mente, & appetitu, qui tanquam maritus, & uxor se mutuo amoris vinculo obstringunt. Regium imperium exercent, ut pater in filios, potentiæ in habitus, quos progignunt. Tyrannicum vero usurpat appetitus in rationem. Democratia relucet in singulis animæ partibus, & potentiis. Ochlocratia, cum partes inferiores appetitus sensitivi debacchantur in superiores rationis participes. E

CAP. II.

An singuli Cives Romani suffragium ferrent. Sententia Auctoris singuli Cives suffragium ferebant: quod probatur auctoritate Dionysii ac Livii. Triplex Comitiorum genus. A quo primum Comitia instituta. Centuriata quis instituit. Tributa quæ, & unde dicta. Livii & Dionis loca de Tributis suffragiis. Eadem tantum ex plebe constabant. Romani jurati sententiam ferebant. Vix credibile singulos Cives suffragium tulisse, & cur. Quinam jure suffragii privati. Ærarii qui. Jure civitatis donati qualia jura consequebantur. Tabellæ cur institutæ. Eædem per pontem in cistulas datæ. De magnitudine Romæ mira apud Dionysium. Difficultas an singuli Cives Rom. viritim suffragia tulerint. Sententiæ latæ per discessionem. Quot cives Romæ tempore Augusti. Formula sententiæ ferendæ. Quis primus Nobilium in plebejos ascitus, & cur. Adoptio quid, & quotuplex. Adrogatio quæ. In eadem quæ intercederent. Adoptio quot modis fiebat, & ubi. Populi Rom. distributio. Adoptio per arma, & per comam qui peracta. Prima tonsura. Varia genera Adopt. recensentur. Plebeii adoptati a Patriciis. Gentiles qui. Patricii Plebeiis asciti quæ jura amittebant. Horum & illorum auctoritas. Provincia quid. Ejusdem jus deterius Italiæ. Ipsius vectigales. Provinciæ immunes. Vectigal certum, Portorium, Scriptura, Decuma, Frumentum, quid. Servitus civitatum qualis. Provinciæ formam accipere quid. Gallia Narbon. quando in Provinciam redacta, & a quo. Provincia unde dicta. In Provinciam redigere quid. Prima Prov. quæ. Provinciarum divisio. Discrimen Prov. Cæsaris & Populi. Proconsules, Legati, qui. Jus quintæ relationis. Magistratus qui Senatum habere poterant. Jus referendi in Senatum penes quos. Senatus consulta faciendi modus duplex. Atheniensium ritus quidam. Finium speculatores. Peripoli qui dicti. Episcopi Urbis qui. Ephebi quales, ac eorum juramentum. F

SCISCITABARIS deinde, nunquid singuli cives Romani suffragium viritim in Comitiis ferrent? & qui hoc in tanta urbe fieri poterat?

Dico ergo omnibus omnino Scriptoribus mihi suffragantibus, singulos cives Romanos, tam in urbe natos, quam extra (dum in numero civium essent ascripti) ut primum per ætatem illis licebat, neque aliqua infamiæ nota inustos, aut suffragii jure privatos, in Comitiis Curiatis, Centuriatis, & Tributis viritim suffragium tulisse. Sed prius, oro, mihi liceat, proloqui quædam, de triplici Comitiorum genere, deque eorum institutione, in quibus suffragii lationem singulis civibus Romanis permissam, ex gravissimis auctoribus colligam.

Primum a Romulo Romæ instituta Comitia feruntur, qui totam civitatem in triginta curias divisit, quarum suffragiis decernebatur, quicquid ad bonum publicum spectabat; hinc dicta Curiata. Ita Pomponius *lege* 2. *de origine juris*: *Postea aucta aliquem in modum civitate, ipsum Romulum, traditur, populum in triginta partes divisisse, quas partes Curias appellavit, propterea quod tunc reipublicæ curam per sententiam partium earum expediebat, & ita leges quasdam, & ipse Curiatas ad populum tulit*. Quibus in Comitiis Curiatis singulos cives suffragium tulisse, Halicarnasseus *lib.* II. apertissimis his verbis demonstrat: *Plebi autem tria hæc commisit, magistratus creare, leges sancire, de bello, (Rege referente) decernere, ita tamen, ut Senatus quoque in his accedat auctoritas; ferebat autem suffragium non universus populus, sed per Curias, & quicquid visum fuisset pluribus Curiis, id ad Senatum referebat, qui mos nostra ætate mutatus est*.

Idem Dionysius de Tullo loquens *lib.* IV. inquit: *Hæc dicentem, & de tribunali descendere parantem, clamor undique ingens excipit, mixtæque lachrymis preces; maneret, rerumque habenas retineret, timore posito; deinde subornati quidam passim turbæ inserti vociferabantur, creandum eum Regem postulantes, vocari ad suffragium Curias, a quibus initio facto mox plebs universa in eam inclinavit sententiam. Id animadvertens Tullus occasionem oblatam cupide arripuit, se vero illis maximas habere gratias professus, quod beneficiorum essent memores majora inju-*

insuper pollicendo, si Rex ab eis declaretur, simulque diem indicit Comitiis, quibus agrestium quoque multitudinem universam interesse voluit. Fiunt Curiata Comitia, & distribuuntur calculi. Itaque omnium curiarum consensu, dignus regno judicatus. Livius quoque *lib.* v. *dec.* I. Ita Fabium Maximum loquentem ad populum facit: *Quid alia, quæ auspicato agimus, omnia fere intra pomœrium, cui oblivioni, aut negligentiæ damus? Comitia Curiata, quæ rem militarem continent, Comitia Centuriata, quibus Coss. Tribunique militares creati; ubi auspicato, nisi ubi adsolent, fieri possunt? Veiosne hæc transferemus? an Comitiorum causa populus tanto incommodo in desertam hanc ab Diis, hominibusque urbem conveniet?* Vide quæso, quam Dionysii, & Livii verba, apertissime fatentur, singulos cives in Curiis suffragium tulisse, multitudinemque illam, non ad spectandum, sed ad suffragandum convocatam convenisse. At a Curiatis ad Centuriata gradum facio.

Centuriata Comitia a Servio Tullo instituta, ut Livius *lib.* I. *Decad.* I. palam facit dicens: *Aggreditur inde pacis longe maximum opus, & quemadmodum Numa divini auctor juris fuit, ita Servium conditorem omnis in Civitate discriminis, ordinemque, quibus inter gradus dignitatis, fortunæque aliquid interlucet, posteri fama ferrent. Censum enim instituit rem saluberrimam tanto futuro imperio, ex quo belli, pacisque munia, non viritim, ut ante, sed pro habitu pecuniarum fierent. Tun classes, centuriasque, & hunc ordinem ex censu descripsit, vel paci decorum, vel bello; qui mos usque ad Coriolani judicium anno urbis conditæ* CCLXIII. *perduravit.* In quibus Comitiis viritim suffragia a populo lata. Id Livius *loco cit.* quoque confirmat: *Sed gradus*, inquit, *facit, ut neque exclusus quisque suffragio videretur*, & quæ sequuntur. *Nemo*, inquit, *exclusus*: quisque igitur viritim ferebat. Subscribit Dionysius his verbis *lib.* IV. *Omnes enim putabant se æquari, dum viritim suffragia ferunt in sua quisque Centuria.* Idemmet Livius *lib.* VI. *Decad.* III. loquens de Scipione Procos. destinato in Hispaniam: *Jussi deinde inire suffragium ad unum omnes, non centuriæ modo, sed etiam homines, P. Scipioni imperium esse in Hispaniam jusserunt.* Et *lib.* VIII. *ejusdem Decad. Comitia deinde creandis Coss. P. Scipionem dixerunt.* Et infra: *Cæterum Comitia majore, quam ulla per id bellum, celebrata frequentia, proditum memoriæ est; convenerunt undique, non suffragandi modo, sed etiam spectandi causa P.Scipionis.* Quæ omnia loca luce meridiana merius, & clarius indicant, vel in Comitiis Centuriatis cuilibet jus suffragium ferendi permissum. Nunc ad Tributa.

Tributa Comitia sic dicta a Tribunis, vel a Tribubus, instituta anno V. C. CCLXIII. Coriolani occasione, ita refert Dionys. *lib* IV. his verbis. *Cæterum Tribb. accepto S. Cons. progressi in Comitium, concionem advocarunt, & valde laudato Senatu, lectoque ejus decreto, diem Martio dixerunt, ad quem jusserunt omnes cives adesse, cognituros de rebus maximis.* Et infra: *Ubi vero affuerunt tertio nundino die, agrestium turba, quanta in urbem nunquam antea confluxerat, summo mane forum occupat; Tribb. multitudine convocata, loca fori funiculis distincta, cuique assignaverunt Tribuum. Primumque tunc Romanus Populus tributus Comitium viritim tulit suffragia, multis reclamantibus Patriciis, & Centuriata ex more fieri postulantibus* Et infra (Nota tamen: dicit, *viritim*) prosequitur item de eodem enucleate: *Itemque Martii factiones poscebant Centuriata Comitia, sperantes, fore ut, a prima classe, aut certe a secunda, tertiaque absolveretur; Tribb. vero idem suspicantes, Tributa maluerunt agere, quibus committeretur judicium, ne, vel divitibus pauperes cederent, proletarii classicis; neve extrema plebs excluderetur a suffragiis. Sed æquum jus calculorum esset omnibus tribulibus pariter, videbaturque æquum postulari, quod populi judicium penes plebem potius debeat esse, quam penes factionem optimatum, & læsæ Reipublicæ trimen ad omnium cognitionem pertineret.* Livius quoque de his Comitiis loquens *lib.* v. *Decad.* III. *Si me*, inquit, *Quirites omnes Ædilem facere volunt, satis annorum habeo. Tanto inde favore ad suffragium ferendum in Tribus discursum*, &c. Idem quoque *lib.* VIII. *Decad.* I. *Ea multitudo, veste mutata, & specie reorum, Tribus circumivit, genibus se omnium advolvens*, &c. Et paulo infra: *Tribus omnes, præter Poliam antiquarunt legem*, &c. Claudit agmen Dionis testimonium de Romana historia, *lib.* XXXVIII. *Q. autem Furius Calenus Prætor cum cerneret in certaminibus forensibus promiscue ab omnibus suffragia ferri, & deinde quemvis meliora suo ordini adscribere, absurdiora aliis impingere, legem tulit, qua singulos seorsim* (singulos, inquit, seorsim) *sua suffragia ferre jussit*, an. V. C. DCXCIV. Ex quibus, aliisque quamplurimis locis infero, viritim singulos cives Romanos tam in urbe, quam extra degentibus, quibus jus suffragii permissum, in Comitiis, id tulisse. Mihi in hoc nullo pacto refragantibus gravissimis auctoribus, de hoc exactissime, eruditissimeque scribentibus, Manutio, Sigonio, Rosino, aliisque, qui tam bene de hoc disseruerunt, ut si plura adderem, aquæ guttam mari addere, & soli lumen, splendoremque mutuo dare viderer.

Corollarium addo. Tributa non vera fuisse Comitia, sed plebis concilium, quod ad eam non universus populus vocaretur, sed plebs tantum Patriciis exceptis. Gradum repono in Comitiis de suffragiorum jure. Priusquam ad id probandum, gradum faciam, dico, juratos Romanos sententiam tulisse. Dionys. *lib.* VII. his verbis: *Utque omnes post legitimum jusjurandum, juratam, quemadmodum in judiciis fieri solet, sententiam suam dicerent*, &c. Et paulo post: *Sed quamvis hoc probe sciremus, non dubitavimus tamen ad vos accedere, jure freti, & jurejurando fidentes, quo jurati sententias ferretis.* Et paulo post: *In quo totus Populus per Tribus divisus, facta rogantibus dicendi potestate, juratus suffragia feret*, &c.

Mihi tamen (clarissime vir) suffragii jure, ut opinor, non destituto, in his Comitiis, & in mea tribu, liceat, obsecro, meam tabellam, in qua scriptum illud, N. L. in cistulam conjicere; cum nondum discessio facta, nec sententia divisa, ut disertissimos hac de re oratores audiam: neque me fugit pedarios quosdam senatores in meam sententiam ituros, sed etiam rationes mihi suffragatura, ut jure exclamen, *Non liquet*, (quæ mea ingenii imbecillitas) qui singuli cives viritim ferrent suffragium. Lius *Decad.* I. *l.* II. hæc habet: *Occupant Tribb. templum; postero die Coss. nobilitasque ad impediendam legem in concione consistunt, summoveri Lætorius jubet, præterquam qui suffragium ineant:* nunquid igitur quidam in Comitium descenderant, quibus nullum jus suffragii: scirem libenter. Eos, dicent, omnes summotos, qui in Cæritum tabulas a Censoribus relati, infamiaque notati, civitatis jure privabantur, ita Rosinus *lib.* I. *cap.* X. Panvinius *lib.* I. *de Comitiis Centuriatis*. Sigonius, *de antiquo jure Romanorum* cap. XVII. lib. I. apertissimis verbis id palam facit, cum inquit: (ne te pigeat tam erudite differentem audire) *Profecto qui tribum non habuit, is suffragio caruit, ex hoc autem numero pueros, & senes sexagenarios, & ærarios excipio; pueros, quia consentaneum non videtur, qui ante* XVII. *annum in legione non meruerint, eos in tribu*

suffragium pertulisse; sexagenarios autem, quia de his ita proditum est a Varrone, de vita pop. Romani, (teste Nonio) cum in quintum gradum pervenerant, atque habebant LX. *annos, tum denique erant a publicis negotiis liberi, atque expediti, & ociosi, ideo in proverbium quidam putant venisse, sexaginarios de ponte dejici oportere, id est, quod suffragium non ferant, quod per pontem ferebant.* Ovidius in suis *Fastis*, lib. v.

Pars putat, ut ferrent juvenes suffragia soli,
Pontibus infirmos præcipitasse senes.

Ærarios autem voco, qui a Censoribus, notæ causa, in ærariorum numerum erant relati, quibus, ut ait Osconius, nullum munus erat relictum, nisi, ut essent in albo centuriæ suæ tantummodo, ut tributi nomine æra penderent.

Subnecto hæc non aliena. Jure civitatis donati hæc jura consequebantur. 1. Magistratus cum cæteris civibus creabant. 2. Leges ferebant. 3. Judicia exercebant. 4. In censum deferebantur. 5. Romæ, si libitum sit, cohabitabant. 6. Hæreditates & legata adibant. 7. Jure gentilitatis, agnationis, & adoptionis, togæ ferendæ utebantur 8. In legionibus Romanis militabant. Vide Sigonium, Franc. Patricium, & alios.

Noto tamen ex Sigonio olim primo tempore Reip. Romanæ, voce suffragia tulisse, ne vero palam, & aperte hæc ferrent, quod libertas delibaretur, latas fuisse leges tabellarias, ut colligit ex multis locis Ciceronis, & aliorum, lege Cassia, Lepido, & Mancino Coss.

At, esto: rationi tamen aliquid tribuendum, imo plurimum, & hæc auctoritate nititur optimorum scriptorum: ideo vix adducor, ut credam singulos cives potuisse illas tabellas per pontes in cistulam dejicere, ac suum quemlibet suffragium ferre. Si vera refert, fide historica (ut credo) Dionys. Halic. *lib.* IV. de Roma, mira, dictu incredibilia, refert: *Hic*, inquit, *regum ultimus Urbis pomœria protulit, duobus ad quinque colles additis, auspicato & re divina rite peracta, ut mos fuit. Ulterius non processit ejus ambitus, religionibus (ut fertur) non permittentibus, suburbia, quam late patent, immunita sunt, & hostium incursionibus obnoxia, quæ adeo ubi conjuncta sunt, ut magnitudinem eorum considerantes fallantur, nec certe discernere queant, ubinam ea vel incipiant, vel desinant. Ita urbanis ædificia suburbana perpetuo nexu cohærent, infinitam longitudinem porrectæ urbis existimationem spectantibus præbentia.* Livius quoque *lib.* IV. *Dec.* IV. præter alia multa loca de censu inquit: *Claudius Marcellus Censor sorte superato T. Quinctio, lustrum condidit: censa civium capita* 258. *millia*, & 307. Ex quibus collige illius populi numerum immensum, illiusque Urbis magnitudinem. Quibus rebus, vix mei ingenii tenue judicium cogitatione complectitur, qui tantus populus in hunc locum coire (nulla interea habita a me ratione eorum, qui urbe donati, in eam, Comitiorum gratia, confluebant) atque ibi, quæ agerentur percipere, eaque perficere, singuli sigillatim per tabellas ante solis occasum possent. Hallucinor ob mei ingenii aciem, maxime hebetem. Dio antiquitatum promocondus, tanquam Hermes me manu ducit, de modo suffragiorum diverso, qui non ab re, cum compendii opus esset, sic ait *lib.*XLI.*Cum sententiæ essent ferendæ, eæ non a singulis pronunciatæ sunt (metuebant enim, ne quis verecundia timoreve compulsus, secus, quam sentiret, diceret) sed in diversas curiæ partes descessum est; ibi, qui Pompejum ab armis discedere juberet, repertus est nemo*: per discessionem hic modus dictus. Hic subnecto, quæ meus eruditissimus Justus Lipsius habet, in lib. III. *de magnitudine Rom.* cap. III. qui pluribus auctoritatibus adductus, apertissime fatetur, *quatuor milliones Romæ fuisse*: neque ab hoc dissentit ille, qui Tacitum illustravit dicens, *tempore Augusti Romæ quatuor milliones, & 63. millia civium fuisse.* Quod si Marii, Syllæque infames proscriptiones, neces civium Cæs. Pompeii, Bruti Cassiique, atque Triumviratus M. Antonii, Lepidi, & Augusti innumera pene civium capita internecione non delevissent, ad quotam hic numerus excrevisset multitudinem? Quare iterum jure exclamo, N.L. refragante licet mihi prærogativa omnium bene, & erudite sentientium de Comitiis, in quorum sententiam ego quoque totis pedibus descendere cogor, cujus tantum omen, tanta quoque vis, ut, quicquid illa decerneret, ratum cæteræ haberent. Sed quia (ut dixi) prærogativa ita censet, ego quoque censeo, atque palam prædico. *Qui hæc sentitis, in hanc partem: qui alia omnia, in illam ite. Nunquid hæc pars major videtur? Nihil vos moramur. In vestra tecta* (inquam) *discedite.* Atque ita in tanto suffragiorum concursu Justitium mihi indico. Tuque, mi Calydoni, cui prærogativa cessit, si quid addere velis, *Hoc amplius cense*, cujus censura Catoniana, cujus suffragium omnium instar.

Ad alteram itaque dubitationem, mutata velificatione, contendam, sed cursoris oculis perlustrandam, & per transennam, ut dicunt, quia vix mihi licuit quasdam schedulas inspicere; non tamen (ut par erat) sedula disquisitione indagare, quod tertio mihi a te propositum. De nobilibus in plebejum ordinem translatis & quis primus. Livius *lib.* VI. *Dec.* I. mihi obviam procedit, manumque mihi titubanti supponit, cum inquit: *Consensu opprimi popularem virum* (loquitur de P. Manilio) *quod primus a patribus ad plebem defecisset.* De ritu vero, & fine hujus defectionis, ne *Gry* quidem, quod tu potissimum percontaris.

De adoptionibus hæc pauca præmitto, a proposito non aliena. Adoptio est legitimus actus naturam imitans, quo liberos nobis quærimus. Adoptio in duas dividitur species, quarum altera adoptio dicta; adrogatio altera. Adoptio eorum est, qui in aliena sunt potestate, & a patris naturalis in adoptivi familiam transferuntur: eaque apud Prætorem Urb. vel Provincialem, vel quemlibet alium magistratum, apud quem legis actio esset, parente naturali filium emancipante, fiebat. Adrogatio autem est, cum aliquis patrem non habens in potestatem se adoptivi patris tradebat, quod ille, qui adoptabat, rogaretur, utrum illum, quem adoptaturus erat, justum filium sibi esse vellet; & ille qui adoptabatur, rogabatur, utrum id fieri pateretur. In adrogatione Augures aderant, &, captatis auguriis, Deorum voluntas exquirebatur. Deinde a Pontificibus quæsitum, quæ ratio generum, quæ sacrorum: Adoptionem enim hæreditas nominis, pecuniæ, sacrorum sequebatur. Duobus modis fiebat adoptio, aut lege Curiata apud Pontifices, quæ ad Principis auctoritatem translata, lege Regia: aut Magistratus imperio. Fuit & alterum adoptionis genus, quæ testamento fiebat, sed lege Curiata confirmabatur. Privatorum itaque adoptiones semper factæ lege Curiata apud Pontifices. Sub Imperatoribus vero ab iisdem in Senatu, vel in castris. Rem, ut fieri potest, apertius innuo. Populus Rom. universus ingenuus a Romulo distributus in Patricios, & plebejos, quorum singulorum singula gens diversa, sacra diversa, cuique enim genti sua privata sacra. Quare qui ex duobus ingenuis ortus erat, sive patricius ex patricio, sive plebejus ex plebejo, gen-

tem habebat. Gens minuebatur enuptione, si patritia plebejo enubebat; ita patricius adoptatus a plebejo, e patriciis exibat, gentemque amittebat, de quibus hic sermo. Varias adoptionum species colligit Pontanus in *Atticis Bellariis* ex Pithœi *Adversariis*. *Bellicosæ*, inquit, *gentes per arma sibi filios ascifcebant, armorum traditione videlicet*. Fiebat item adoptio per comam, sive per capillos, quos præcidebant adoptandis, qui adoptabant, ex Paulo Diacono *lib.* VI. *cap.* LIII. Cujus moris hodie adhuc umbra reliqua est, in conferenda prima Tonsura Clericali sacris initiandis. Barbæ etiam tactu Alaricum Clodovæo regi filium factum Aimonius scribit *lib.* I. *cap.* XX. Meminit quoque, Theodorum Balsamonem alicubi notare, per sacras preces, sive per Baptismum adoptionem fieri, quod apud nos jampridem in usu est. Antiquissimum Celticæ gentis morem fuisse Aimonius scribit *lib.* I. ut cujus barbam comiter tangerent, eum haberent parentis loco, adoptionis prope imagine. Cujus moris ignarus M. Papirius senator, Roma a Gallis capta, scipionem eburneum in caput victoris incussit. Inde cædis initium a Gallis factum, patribus misere trucidatis, ac senatu penitus extincto. Forcatulus ex Livio.

Nonnulli a Patriciis in liberorum locum assumpti in Patricios per adoptionem transiere, & tunc in adoptantium familiis (ut habet Georgius Vauchopius tractatu *de P. R.*) esse cœpere, adsumptis patrum adoptantium nominibus, familiæ Patriciatum, dignitatis videlicet jura, & privilegia assecutis, cum adoptatus adoptantis conditionem sequatur. Mauritius Brutus plebejus a Q. Cœpione patricio adoptatus, Q. Cœpio Brutus dictus, nam adoptatus retento suo gentilitio nomine adoptantis nomina sumebat; etsi revera patricius dici non poterat, quippe patricii omnes Gentiles, quod hi soli Gentem haberent. Gentiles vero dicuntur, qui inter se eodem sunt nomine, & ab ingenuis oriundi. Ita Patricii a plebeiis adoptati desinebant esse Patricii, etsi revera erant Patricii sanguine, cujus jura dirimi non possunt. Amittebant igitur hi Patriciatum, id est, jus, honores ac Magistratus adipiscendi, curiam adeundi, quod privilegiis sanguinis a Romulo institutis, ac reliquis deinceps a regibus confirmatis, a populo receptis, renunciabant, ut factum a Clodio, qui se M. Fontejo plebejo adoptandum tradidit, ut Trib. pl. factus plebis tutelam susciperet plebejus Ciceronemque exagitaret. Patricii dicti fuere, qui primis patribus, & adscriptis geniti fuere. Nam Romulus c. patres, seu Senatores legit Reipublicæ administrandæ, qui majorum gentium. Totidem addit Tarquinius Priscus, qui minorum gentium, & C. Brutus, liberata Republ. qui patres conscripti dicti fuere, hi omnes gentem, & familiam Patriciam constituebant: ex his oriundi Patricii dicti, reliqui omnes Plebeii. Illi Curiam & Senatum soli constituebant, Magistratus obibant: hi pacis, bellique arbitri, leges sanciebant, Magistratus eligebant, penes quos omne Comitiorum jus erat.

Audi obsecro, si lubet, si vacat, de adoptione, quid doctissimus Sigonius cap. VII. lib. I. *de antiquo jure Romanorum* eloquatur. Hoc autem factum esse existimo, (ait) vel patriciorum jura repudiando, vel se in diversam gentem adoptando, quo pacto effectum est, ut aut plebejus in patricii familiam transiret, ut Livius in Mamerci Lepidi, & Brutus in A. Albini: aut patricius in plebeii, ut P. Clodius in M. Fonteii, P. Dolabella in Lucii transmigrarint, qua una ratione Patricii ad Tribunatum plebis aspirarunt, id est,

A si patriciorum jure ante se abdicassent, ac jura plebis sumpsissent. Cicero noster totus ferme de hoc in oratione *pro domo sua*.

In medium prodeat Alexander ab Alexandro non incuriosus rerum antiquarum indagator lib. VI. *Genialium dierum* cap. XXIV. *Tribunatum vero*, ait, *plebis longo tempore nihil cum patribus consociatum habuisse comperimus, nisi cum finito decemvirali Imperio novos Tribb. pleb. cooptari oporteret Sp. Tarpeium, & A. Annum patricios, & consulares in collegium Tribb. asciverunt, & mox Minutius magister Equitum, qui de Sp. Melio sumpsit pœnas, & postea Appius Pulcher, ut Ptolomæo bellum indiceret, & deinde P. Clodius, ut Trib. pl. fieret a patribus ad plebem transivere, donec post Syllæ tempora tribunatus pleb. a Patriciis, & summis honoribus functis appeti cœpit*, &c. ex Livio *Dec.* I. *libro* III. Et idem *lib.* IV. *cap.* XI. *Senatoribus ad plebem transire, & plebeja subire licuisse, quod præter M. Manilium, qui primus a patribus ad plebem defecit, aliis pluribus datum, & permissum fuit.* Ex quibus nil colligo de ritu, & modo hujus adrogationis, neque ex alio excalpere potui, an fieret per modum adoptionis, de quo Scriptores mussitant. Hæc potius vos J. C. e vestris legalibus formulis, vel e legum penetralibus aliquid eruetis, cujus fieri particeps exopto.

B

C

Quarta, & postrema velitatio me habet. De Gallia Narbonensi Provincia: fuga salutem peterem, nisi pudor vetaret: nam turpissimum, in extremo fabulæ actu, ac toto devorato bove (ut dicitur) in cauda deficere: quam brevissime tamen me maxime impeditum expediam, motus enim in fine velocior. Ex obliterata ferme lectione colligo tantum analecta.

Provincia est regio, hoc loco, quam, aut armis devictam, aut quocumque modo in potestatem adductam, ipse P. R. Magistratui suo administrandam subjecit. Jus Provinciæ deterius, quam Latii, atque Italiæ: nam Italia vectigalis facta quidem, sed tamen in universum libertate donata.

D

Provinciæ vero non solum vectigalibus, sed etiam servitute mulctatæ, quippe quæ legibus suis, ac Magistratibus, jus dicentibus spoliatæ sunt: ideo semper Provincia Romanum Prætorem, ac Quæstorem habuit. Harum quædam vectigales, quibus vectigal impositum. Aliæ immunes, quibus nullum. Idem dicendum de civitatibus, quarum etiam aliæ servitute affectæ, quas Magistratui Romano parere voluerunt, Aliæ liberæ a Magistratuum jurisdictione. Vectigales, aut certum, aut incertum vectigal solvebant; certum vectigal erat tributum, seu stipendium impositum. Incertum quod portubus, rebus venalibus, pascuis, & agris constabat. Portorium ergo ex importatione, & exportatione rerum venalium capiebatur.

E

Scriptura ex pastione, & pascuis publicis. *Decuma* ex agris. *Frumentum* ex provincia extractum, aut æstimatum. *Decumanum* ex Decuma arationum exigebatur. *Emptum* quod emebant ab aratoribus necessario ad alendos pauperes Romæ. *Æstimatum*, quod æstimabat Magistratus in usum illius familiæ; cum interdum pro frumento pecuniam acciperet.

F

Servitus tota civitatum in eo posita, ut legibus, & Magistratibus Romanis obtemperarent. Itaque Provinciæ formam eæ regiones subibant, quæ ademptis, aut immutatis legibus, omnino magistratui Romano, quotannis ab urbe mittendo subjectæ; quibusque vectigalia, conventusque constituti, exceptis civitatibus iis, quæ propter sua merita, aut immunitate, aut liberta-

te donatæ, atque in amicorum formulas redactæ. Ad rem.

Galliam Narbonensem, quæ modo Provincia dicitur, in provinciam redactam a Q. Fabio Maximo Allobrogico censeo. ita Florus *lib.* III. *cap.* II. de bello Allobrogico scribit: *Prima* (ait) *trans Alpes arma nostra sensere Salii; cum de incursionibus eorum fidissima atque amicissima civitas Massilia quereretur, Allobroges deinde, & Arveni, cum adversus eos, similes Heduorum querelæ opem, & auxilium nostrum flagitarent.*

Idem in *Epitome* ad Livium LXI. *Allobroges in deditionem accepti. Q. Fabius Maximus Cos. Pauli nepos adversus Allobroges, & Bituitum Arvenorum regem pugnavit*, &c. Quæ loca etsi non apertis tibiis innuunt redactam esse in Provinciam: ex his tamen, quæ habet idem Sigonius, & Jul. Cæs. deduci hoc potest. Ita enim Sigonius lib. I. *de antiquo jure Provinciarum: Q. Fabius, qui Allobrogibus, & Arvernis ad Isaram superatis, & gente in deditionem accepta sibi cognomen Allobrogici peperit, atque omnes in Provinciam retulit*, &c.

Cæsar quoque *de bello Gallico* lib. I. *Bello superatos esse Arvernos, & Rutenos a Q. Fabio Maximo, quibus populus Romanus ignovisset, neque in Provinciam redegisset, neque stipendium imposuisset.*

De reliquis autem Galliæ Narbonensis locis ita edisserit. *Quod si ea, quæ in longinquis nationibus geruntur, ignoratis, respicite finitimam Galliam, quæ in Provinciam redacta, jure, & legibus commutatis, feris securibus subjecta, perpetua premitur servitute.*

Neque ab hoc Manutius discrepat in lib. *de Legibus*, quod factum anno V. C. DCXXIII Provinciæ appellatæ, ex Festo, quod Populus Romanus eas provicit. Sumitur hoc nomen aliquando pro regione, quam, aut armis devictam, aut quocunque modo in potestatem adductam, populus Romanus Magistratui suo administrandam subjecit, vel pro quacunque regione, in qua bellum Romanus Imperator administraret: Priorem acceptionem hic intelligimus, qua Provincia regio fuit, quæ tum vectigalia populo Romano pependit, cum Magistratui populi Romani ex fœderis lege obtemperavit, exceptis civitatibus iis, quæ propter merita sua, aut immunitate, aut libertate donatæ, quo factum, ut aliæ civitates vectigales, aliæ immunes relictæ; aliæ servitute, aliæ libertate affectæ.

In Provinciæ igitur formam redigere, est adimere, aut immutare leges omnino, easque subjicere Imperio Romano, & ad eam gubernandam mittere Præfectum quotannis, ad vectigalia, conventusque peragendos. Sicilia prima omnium Provincia est appellata, ut docet Cicero *Verrina* IV.

Provinciarum aliæ Consulares, aliæ Prætoriæ: Consulares septem, Prætoriæ octo; de quibus videndus Manutius, Sigonius, & alii.

Provinciarum divisio, ut optime Lipsius in *Excursu*, a Cæsare Augusto duplex facta. Aliæ populo datæ, aliæ Cæsari. In eas, quæ populo proprie dicti Procoss. mittebantur: In Cæsaris, Legati, aut Propr. Discrimen inter Procoss. & Legatos. 1. Quod illi in populi Provincias missi, quæ fere inermes: hi in Cæsaris, quæ copiis instructæ. 2. Quod illorum annua tantum administratio, horum longior, contractiorve, ut Cæsari visum. 3. Procoss. sorte missi, at Legati Cæsaris delectu. 4. Procoss. statim ab Urbe Imperii insignia sumunt, puta, lictores, fasces, nec deponunt, nisi ingressi iterum Urbem; at Legati non antequam Provinciam attigerint, & in ipsa Provincia deponunt. 5. Procoss. pacato habitu, & gladio non accincti fuerunt; Legati paludamentum gestarunt, & gladium, ut qui bus jus esset in milites animadvertendi. 6. Procoss. sex lictoribus, fascibusque usi; Legati, qui Consulatum nondum gessissent quinque dumtaxat. 7. Procoss. tres Legati fuere. Legato unus. Mutato Reipub. Romanæ statu, legeque Regia, omnis Senatus populique jure translato ad Imperatores, Triumviratu deleto, mitiore vocabulo dicti sunt Imperatores, Augusti, Tribb. pl. ut refert Tacitus, in quorum manu, Imperioque omne jus decernendi, leges ferendi, & abrogandi; ideoque jus quintæ relationis sibi adscivere: namque propemodum in confesso est, quatuor diversis temporibus genera magistratuum fuisse, quæ ordinarie Senatum habere poterant, relationem quoque facere, & decretum postulare, sive rogare, nempe Dictatorem, Coss. Prætores, Tribunosque pl. nam Interrex, & Præfectus Urbis, Consulis locum tenebant, & Prætorum. Primum igitur jus habendi Senatum, erat Dictatoris, ejusque Magistri equitum: Secundum Consulum, & iis non existentibus, Interregum: nam de Decemviris & Tribb. mil. nulla est difficultas, quin locum tenuerint Coss. Tertia vero relatio erat Prætorum, qui & ipsi majores magistratus censebantur. Quarta autem Tribb. pl. qui plerumque per intercessionem Senatus decreta rescindebant.

Cum vero Imperatores omnibus prædictis magistratibus, quæ quatuor recensentur, majores essent; quatuor illis relationibus Imperatores quintam addebant, tanquam eminentioris Imperii, & dignitatis: non solum enim habebant jus referendi ad Senatum post omnes, sed etiam discessionem faciendi, id est, sanciendi, statuendive potestatem, & sua voce comprobandi, quicquid ratum esse vellent. Senatus enim consulta duplici modo decernebantur, aut sententiis singulorum in urnam collatis enumerandis, aut discessione, dum omnes e loco suo discendentes pedibus in sententiam decernentis descendebant, unde discessionem faciebant, qui approbabant; qui secus, in alia omnia ire censebantur. Pertinax vero, quia non excessit quartæ relationis jus, hoc est, Tribunitiæ, ominosum fuit ejus Imperium, ut refert Capitolinus in *ejus Vita*. Vide Loensem *lib.* VIII. *cap.* XX.

Hæc pauca aliena fide protuli, ne quis evictionis nomine in jus me vocet.

Fimbriam huic vesti attexo ex Postello *de Magistr. Athen.* cap. XVIII. occasionem nactus tibi gratulandi auctum congiarium a Serenissimo Principe Veneto, una cum tuis ex fratre nepotibus, pro finium tutela, tam vigilanter, & prudenter administrata. Et cui melius hæc Provincia poterat demandari, quam tibi Polytropo? quod olim de Ulysse jactitatum, qui multorum hominum mores, & urbes vidisti. Ad hanc rem Athenienses facem mihi præferunt, quorum filii, ut ex ephebis excesserant, *ἐπίσκοποι τ χώρας* dicebantur *speculatores*, scilicet *regionis*: nam priusquam ipsi, *τ λήξεων ὄρχον*, id est, rei hæreditariæ, & bonorum suorum possessionem haberent, biennio cogebantur circumire vicinas regiones, hoc est, a XVIII. anno, usque ad XX. Ideoque appellabantur *περίπολοι*, id est, *circumitores*, *ἔφοδοι*, ob viam & peregrinationem, in qua versabantur: *ἐπίσκοποι τ χώρας*, *regionis inspectores*, non veluti magistratus, sed ut, cum ingrueret necessitas, essent regionum, viarum, & locorum periti. Inter ephebos (ut colligo ex Pollucis *Onom.* lib. VII. cap. IX.) censebantur XVIII. annos nati, duo vero ad circuitum numerabantur. XX. autem anno in Lexiarchicum librum inscribebantur, & sub dio jurabant. Arma non dehonestabo, nec astantem, quisquis is fuerit, socium relinquam: pugnabo quoque pro focis, & aris solus, & cum multis,

patriam nec turbabo, nec prodam: navigabo contra quamcumque deſtinatus fuerim regionem; ſolemnitates perpetuas obſervabo; receptis conſuetudinibus parebo: & quaſcumque alias populus prudenter ſtatuerit, & ſi quis leges receptas ſuſtulerit, niſi comprobaverit, non omittam. Tuebor denique, & ſolus & cum reliquis omnibus, atque patria ſacra colam. Hæc mantiſſa ſi tibi arriſerit, Apollinem mihi arriſiſſe putabo. Nec amplius verbum addo: obmuteſco ST.

C A P. III.

Concilium, & Conciliabulum quid, & quod diſcrimen intercedat. Forum qualis locus. Conciliabulum in bonam & in malam partem ſumitur. Apud Græcos ubi habitum. Syllabæ pro litteris. Comes quid. quinam dicti. In duplici differentia apud Rom. Palatini ſcil. & Comitatenſes. Eorumdem munia. Marchio *quis, & ejus etymon. Limenarchæ quinam apud Græcos.* Baro *unde dictus.* Conneſtabilis *quis, & ipſius originatio.* Mareſchallus, Amiralius, Gravius, *quænam officia. Vaſalli qui.*

GALBÆ inertiſſimi dictum ſtolidum mihi ſemper improbandum: *Nemo cogendus ad rationem ſui otii reddendam.* O ruditum ſibilo explodendum, ſannaque poſtica ridendum; non minus enim ocii, quam negocii præſtanda ratio: *Turpiſſima profecto*, ait Seneca, *jactura, quæ per negligentiam fit.*

Quare in negocio ocioſus cum eſſe ſoleo, & in ocio literario negocioſus, utriuſque rationem ad calculos, ad amuſſim revoco, utriuſque exactiſſimam rationem redditurus: te imitatus, quando mihi per negocia libet, qui ſanctorum Patrum volumina non ceſſas

Nocturna verſare manu, verſare diurna.

Ego vero illa tanquam mella ſubinde ſummis delibo digitis. O, ſi mihi aliquando ocium! totis faucibus delibanda, in illis enim promptuarium refertiſſimum pietatis, & doctrinæ cæleſtis, quam plenis ſiphonibus haurit meus amiciſſimus Novarinus, cujus ingenium pene divinum ſemper ſuſpexi.

A Critico quodam male feriato ego ſugillatus, quod Conciliabulum autumarim aliquando in bonam interpretandum partem. Hac noxa me eximo.

Concilium, Græce σύνοδος, eſt cœtus diverſorum in unum coeuntium, a conciliando, id eſt, convocando, ſeu concalando dictum, unde Conciliare, eſt convocare in concilium. *Conciliabulum*, referente Feſto, eſt locus ubi convenitur in Concilium, in quo jus dicitur; quod erat Foro inferius.

Forum locus erat, ut ait Feſtus, primo, negotiationis; deinde, judicationis, in quo judicia exercebantur, cum populo agebatur, & conciones haberi ſolebant; tertio, ipſe conventus. Ita Concilium, & Conciliabulum & pro loco, pro hominum conventu ſolitum uſurpari. Quare Forum locus erat nundinationis, unde dictum Forum Julii, Livii, Licinii, & hujuſmodi, ab iis, qui ea fora conſtituenda curarunt. Municipia itaque Coloniis præferebantur, Coloniæ Præfecturis, Præfecturæ Foris, Fora Conciliabulis: quæ quia infima, ideo viliora, ut refert eruditus Turn. *Adverſ.* lib. I. cap. XI. Ne autem interdictus foro videar cedere, aſſero Conciliabulum primo in malam uſurpari partem: Plautus *Bacbid.*

Ut ſolet in iſtis fieri Conciliabulis.

Item in *Trin.*

Ne penetrarem me uſquam, ubi eſſet damni Conciliabulum.

An in bonam partem Adhelmus Occidentalium Saxonum Epiſcopus lib. I. *De laudibus Virginitatis* cap. I. in hæc profert: *Jamdudum ad Pontificale proficiſcens Conciliabulum, fraternis ſodalium catervis comitatus.*

Conciliabula proprie erant omnia majora, minorave oppida, caſtella, & loca, in quibus erant conventus aliqui juridici, ut colligitur ex verbis Livii, *Decemviri ſupplicationem in biduum, valetudinis cauſa, in urbe, & per fora omnia, & Conciliabula edixerunt.* Quare Conciliabulum fuit extra urbem, quod nec Municipii, nec Coloniæ, nec Præfecturæ jure cenſeretur, & a Foro diſcreparet, ut dictum. *Conciliabulum Græcorum in Delo habitum*, ut ait Pauſanias in *Arcadicis*, *Delos commune omnium Græcorum Conciliabulum.* Conciliavi, necne? tu ipſe teſtis. Conciliant homines mala, ut adagio fertur. Quemadmodum e literis diverſis ſyllabas conglutinamus; Ita *Syllabæ* aliquando pro literis integris uſurpatæ apud ſacros Scriptores; & σύλλαβαι ſunt literæ Epiſcopi, quæ dantur Clericis, & Monachis de ſuis Civitatibus ad alias urbes, negocii vel religionis gratia, proficiſcentibus Id colligitur ex Zachariæ Papæ *Epiſtola* Vuittæ Barbaroſſæ in hæc verba: *Flagitavit autem a nobis per ſuas Syllabas jam dictus SS. Vir.* Eadem phraſi uſa eſt Romana Synodus ad Bonifacium Moguntinum Archiepiſcopum: *Ante hos dies Syllabas Reverendiſſimi Bonifacii Archiepiſcopi verbis retuliſti.* Et *epiſt.* CXLIV. *quæ* nomina, *in ſuis Syllabis nobis conſcripta direxiſti.*

Moveamus talum; a ſacra linea, ad prophanam pergamus, ne lineis excidamus.

Comes proprie is dicitur, qui una it ſocius itineris: eſt vero etiam nomen dignitatis, alias ſpeciale, alias generale, adeo ut quilibet Præfectus cœperit Comes appellari, ſive in militia, ſive in pace, ſive in rebus privatis. Comites dicti olim qui Proconſules, aut Prætores in provincias euntes comitabantur, vel Senatus, vel ipſorum voluntate Magiſtratuum, coadjutores illorum in publicis negotiis, cujuſmodi fuerunt Quæſtores, Legati, Scribæ, Accenſi. Deinde vox Comitis ad Magiſtratus cum urbanos, tum provinciales referri cœpit, fueruntque Comites Orientis &c. Hi primum locum tenebant poſt Reges, & Imperatores.

Horum alii *Palatini* in Comitatu Principis: alii per provincias, de quibus optime eruditiſſimus Bulengerus, *De Imperatore* lib. IV. cap. XXIV.

Comites igitur erant in duplici differentia apud Romanos, inde apud Gallos; vel enim in Palatio militabant, circa corpus Principis continuo verſantes; vel Provincialia munera obibant. Primi ordines dicebantur *Comites Palatii*, *Domeſtici*, *Excubitores*, *Conſiſtoriani*, & hujuſmodi, ut videre licet apud prædictum Buleng. Secundi generis erant Comites, qui ab aula recedentes viri titulo illuſtri, provincias, civitates, aut pagos regebant, judiciaque exercebant.

Palatini ergo Comites proprie dicti Comites Principis: *Palatium* enim dictum domus Principis, & Imperatoris. *Comitatenſes* autem, quicumque de Comitatu, quos tamen omnes Palatinos dictos cenſeo, Jo. Saliſberienſis refert duo genera Comitum fuiſſe; alterum eorum, qui in Principis ſuprema aula juſtitiam adminiſtrabant, qui dicti *Palatini*: Alterum provincialium in Provinciis, e quibus *Marchiones* ii dicti, qui limites Imperii cuſtodiebant; Quare Marchiones erant Comites finibus regendis deſtinati. Legenda Mattilda eruditiſſimi mei Franciſci Mariæ Florentini archiatri, *lib.* III. quare deinceps qui limitibus

Præerant Marchiones; alii vero Comites nomine Primigenio nuncupati.

Marchio igitur dicitur princeps, qui præest Marchiæ; *Marchia* enim terminus, finis, limes, Gallice & Germanice dicitur: a Græcis Marchio *Limenarcha* dictus, qui limiti certo præerat. Hoc officium Germani a Romanis mutuati; hi enim in Imperii finibus, seu limitibus ad hostium incursiones, & barbarorum arcendas, custodes limitum cum præsidiis firmissimis habebant, quos vocabant Limenarchas: Marchiones vero deinceps a Gallis dicti. Idem Bulengerus vir naris emunctæ, opinatur hoc nomen Marchionis deductum a voce Marcha, quæ Gallice significat equum, idem ex Pausania colligit: ut Marchiones equitatus fuisse Præfectos censuerit, qui custodiendis finibus ad Limites alebantur, contra hostium incursiones, & præcipue ad oras maritimas, ubi hi limites; ut elicitur ex D. Petro Damiano dicente de Hugone: *Utramque Marchiam obtinebat, & quæ Tyrrhenum, & quæ Adriaticum mare alluit.*

Baronis nominis etymon si spectetur, variant auctores, ut variat etymon. Alii deducunt a Varus, seu Varo, unde Baro, mutata litera V. in B. ut fieri solet. Ut homines, inquit Scaliger *ad Festum*, rustici *rupices*, a rupium duritie, & similiter *petrones* a petrarum incultu, sic *Varones* a Varis, qui sunt stipites non dolati, præduri, ac enodes Persius *sat*.v. Baronis nomine in probri loco pro servo militari utitur. Lingua enim Gallorum, ut est in veteris Grammatici glossa, Varones dicuntur servi militum, qui utique stultissimi. Isid. *lib.* IX. *cap.* IV. *Mercenarii*, inquit, *sunt, qui serviunt accepta mercede: idem & Barones Græco nomine, quod sint fortes in laboribus; βαρὺς enim dicitur gravis, quod sit fortis.* Quare hoc vocabulum unum censetur ex illis, quod temporis intervallo factum est mollius, & melius, & pro milite forti usurpatum. Hirtius de bello Alexandrino: *Concurritur ad Cassium defendendum, semper enim barones, compluresque evocatos cum telis secum habere consueverat.* Hic pro viris fortibus Barones interpretantur, ut dictum. Quod si hoc nomen a Latino deducamus, dicetur Baro, quasi Vir a virtute, & fortitudine; unde hoc nomen maximæ fuit dignitatis & nobilitatis clarissimæ, demum habentis auctoritatem jurisdictionemque.

De *Connestabili*, *Comitestabili*, vel *Comite stabuli* divinare libet, licet mihi non Oedipo: fortasse hic dictus a Græcis ἱππόδαλος, quasi *equorum administrator*. Apud nos militiæ dux, & magister Comes stabuli, præsertim cum apud Ammianum Marcellinum Tribunum stabuli legam, & apud Volaterranum, in aula Constantinopolitana Comitem stabuli fuisse. Videndus Buleng.

Marescballi, tanquam majores Caballi, sic Seneschalli senes Caballi nuncupati, id est, equitatus, quasi Magistri equitum, Tribuni militares. Quod verbum a militia armata ad civilem transiit, reseditque in iis, qui hodie provinciarum præfecturas, jurisdictiones urbanas, & vicanas exercent. Ab hoc, per catachresin, deductum est vocabulum illud apud nostrates, *Marescalcbo*, quod significat veterinarium, medicum equarium, & qui clavos pedibus equorum, & soleis ferreis suppingit.

Amiralius magistratus amplissimus, Græce ἀρχιθάλασσος, oræ maritimæ marisque præfectus, aliqui putant hanc vocem Arabicam, alii vero Græcam ab ἀμήρας, quo nomine, ut otime Turn. *Adverf.* lib. XXVIII. cap. II. Præfectus oræ maritimæ nuncupatur.

Gravius, præses Graviæ, unde Landgravius regionis præses, Marchgravius limitis præses. Gravia enim Germanice comitatus. Gravius Saxonice Præpositus, Judex, Præfectus, seu senex, A cui capilli cani; ab ætate provecta dictus, ut presbyter, quasi senior. Unde vox nostras Italica *segnore*, *o signore*, quasi senior, ita Gravius γεραιός, senex, judex, ætatis canitie venerandus.

Vasalli dicti quasi Vasarii. Vasarium est omnis illa supellex, omneque instrumentum, quo magistratus in provinciam proficiscens instruebatur: hodieque nobilium clientes Vasalli, tanquam in vasario eorum sint, & vasa eorum censeantur, appellantur.

CAP. IV.

B *Juramenta Antiquorum varia, vana, ridicula quædam. Juratum olim per brassicam, & hujusmodi absurda, & cur. Brassica adorata. Jurantes ferrum, seu lapidem in aquam projiciebant. Militum ac rusticorum jusjurandum. Juramenta quonam loco olim peracta. Juramentum maximum Rom. quale; sanctissimum quod apud eosdem. Brassica sacra, & antipharmacum puerperis. Scythæ qui jurarint. Per canem, per platanum quis jurarit. Jurisjurandi religio quanta apud Veteres. Ejusdem explorandi ritus. Juramentum per Deos quis vetuit. Ipsius custos quis. Sol varie a variis veneratus, ac invocatus. Juramenta Deorum, &* C *hominum qualia. Diversa alia recensentur. Militare quondam. Nomina Deorum in Juram. omissa. Juramenta apud varios populos qui concepta. Formula jurandi Græcorum quæ. Eorumdem jurandi locus. Nasamonum jusjurandum. Quinam Dii Juramentis præerant. Honor habitus Platoni: in ejus honorem cœna quotannis, Lycurgus, Homerus, &c. honorati. Hippocratis Jusjurandum. Præceptorum honos.*

NON tantum per superos, & Inferos, aliaque per numina Ethnicos jurare solitos lego; sed & per olera, & alia inanima, & inania, & D potissimum per brassicam, ut refert Athenæus *l.* IX. his verbis: *Ex multis hominibus, per brassicam, te maxime diligo, inquit Ananius Telecbides in Prætoribus; per brassicas hoc juro, dixit Epicharmus in terra, & mari; itidem per brassicam hoc assevero; Eupolis, per brassicam ita est. Jusjurandum Ionicum hoc videbatur, nec absurdum fuit per brassicam dejerare quosdam. Cum Zeno Cittiensis, qui sectam Stoicam condidit, imitatus jusjurandum Socratis, per canem, conceptum, per capparim juraverit.* Hæc ille. Rationem affert, nisi me fallit locus supra, cum ait: E *Non autem solus Alexander brassicam appellavit sacram; est enim apud Hipponacteum in jambis,*

Elapsus ille supplex brassicam adorabat, &c.

Jurisjurandi concipiendi ritum reperio non tritum apud Antiquos; Massam scilicet ferri sumebant, jurabantque firma fore pacta, conventa; dum ea massa appareret, quam in profundum abjiciebant, ut æterna religione pacta essent devincta, quod colligitur ex Callimacho:

Φωκειων μέχρις κε μένει μέγας εἰν᾽ ἁλὶ μύδρος.

Hæc Herodotus *l.* I. Horatius vero pro ferro saxum F posuit, his verbis, *Epod.* od. XVI.

Sed juremus in hæc, simul imis saxa renarint,
Undis levata, ne redire sit nefas.

Plutarchus in *Aristide: Porro Aristides adegit omnes Græcos jurejurando, & Athenienfium nomine juravit ipse, ac post imprecationes, projecit in mare candentes massas ferreas*, &c. Eodem modo jugulatus verres, & in mare projectus, Homerus *Il.* XV.

Milites jurantes interdum gladios cervicibus admoverunt, ut mortem sibi oppetendam, priusquam sacramenti fides desereretur, ostenderent, ex Ammiano *lib.* XXI. Buleng. *de Imperat. Rom.*

Juramentum rusticum refertur a Plauto in *Trucul.* Sc. II. Act. II.

—— *Ita me amabit sarculum.*

Juramenta olim in Jovis templo facta Plautus in *Curcul.* his verbis indicat:

Namque incubare satius fuerat Jovi,
Qui tibi auxilio in jurejurando fuit.

Et paulo infra:

Locus non præberi potis est in Capitolio, qui pejeraverunt.

Jurabant etiam in Comitio, ut idem Plautus in *Curcul.*

Qui perjurum hominem vult convenire, mitto in Comitium.

Ad puteal enim Libonis ara extabat in gradibus ipsis ad lævam Curiæ sitam.

Maximum omnium jusjurandum Fidei, dicit Plutarchus in *Numa* his verbis: *Primum autem ferunt, & Fidei, & Termini templum condidisse, per Fidem jusjurandum demonstrasse Romanis maximum, quo etiam nunc utuntur.*

Sanctissimum Romanis jusjurandum fuisse per Jovem Lapidem puto, adeo ut etiam in proverbium (*Jovem Lapidem juro*) cesserit, inde natum, quod Jovis simulacrum erat in Capitolio lapideum.

Repeto brassicam. Nicander brassicam appellavit sacram *μάντιν*, id est, *divinam*, ideo sic jurabant, *ναὶ μάντιν κράμβην*, *per divinam brassicam*. Hanc in cibum parari Athenis consuevisse mulieribus, quæ peperissent, veluti antipharmacum, lego apud Ananium. Sed crambe bis cocta venenum.

Lucianus in *Toxari* refert Scythas jurasse per ventum, & acinacem. Causam affert hanc. *Nil majus mortalibus vita, & morte: quoties igitur jurabant per ventum. jurabant per eum, qui vitæ author esset; per acinacem vero, mortis.* Ast per canem, & per platanum Socratem jurasse idem Lucianus Dialogo, *Vitarum auctio*, asserit, rationem ipsemet referens mercatori sciscitanti, *Quid vis; an non tibi videtur canis Deus, non ne vides, quantus sit in Ægypto Anubis, atque ille in Cælo Sirius, necnon apud inferos Cerberus?* Per canem etiam jurat conviva apud Plutarchum *Symp* l. III. quæst. VI.

Tanta vero olim juramenti religio, proh, nostram impietatem! ut si quis aliquem re, aut verbo læsisset, interpositione jurisjurandi, quo eum, qui læsus erat, adjurabat, indignum ea injuria esse, & ei nolle factam, satisfaceret, atque purgaret. Plautus *Amph.*

Aut satisfaciat mihi atque adjuret insuper
Nolle esse dicta, quæ in mare insontem protulit.

Nos contra quam cavillosi, & difficiles in condonanda injuria, quam malumus legare hæredibus. Aliud juramenti genus lego hujusmodi in Plauti *Asin.*

Neque Divini, neque humani quicquam accreduas.

Item *bona fide*. Idem in *Capt.*

Bona fide tu istbæc verba mihi dixisti?

Item *per Dium Fidium*, & hujusmodi.

Jurandi ritum novum tradit Stephanus, ἐν τῷ παλικῇ, &c. Latine dicam. *Juramentum sanctum ibi est: quæcumque jurat aliquis, inscripta abjicit in aquam, in qua si supernatat pro legitime jurato habetur, sin vero subsidit, tunc ipse uritur.* Omitto jusjurandum Tyndarei conceptum super exsecti equi testibus coram Helenæ procis, de vindicanda injuria, si qua fieret Helenæ marito, ut refert Pausanias in *Lacon.* Juratum per oculos lego in Plauti *Menæch.*

Si voltis per oculos jurare, nihilo hercle ea causa magis
Facietis.

Alia jurisjurandi genera vide apud Alexandrum ab Alex. *lib.* V. *cap.* X. A quonam jussi antiqui talia præstiterunt juramenta? credo a Rhadamanto.

A Qui primus vetuit, ne in jurejurando Dii nominarentur, sed jurari voluit, teste Suida, anserem, canem, arietem, & similia. Primique Socratici per anserem, & alia soliti fuerunt jurare. Jupiter custos juramentorum semper habitus.

Ne vero Sol solus a nobis indictus abeat, quem tanquam Deum Antiqui venerabantur: Hæc noto cum eruditissimo Novarino in *Sched.* l. IV. c. V. & VI. Solem Jovis oculum antiquitas appellavit, ut notat Macrobius I. *Sat.* XXI. Plutarchus tradit de quibusdam populis, inhibuisse scilicet iis, qui Solem statis diebus solemnibus venerabantur, ne corpore aurum gestarent, neve asino pabulum præberent. B Debitores debita non reddentes soli olim exponebantur, licet istud supplicium & de aliis sumptum; ut notat S. August. l. II. *de Civit.* c. IV. Idem *in Psalm.* CXIII. ita inquit: *Itaque homines talibus superstitionibus obligati plerumque ad ipsum Solem dorsum ponentes, preces fundunt statuæ, quam Solem vocant, & cum sonitu maris a tergo feriantur, Neptuni statuam, quam pro ipso mari colunt, quasi sentientem gemitibus feriunt.* Præterea Solem adoratum a quibusdam sole ipso clarius est, Plut. *de Iside & Osiride*: ubi postquam de circuitione egerat, statim addit: *Ad hæc quotidie Soli ter adolent, resinam sub ejus exortum, myrrham, quando medium æthera, circa obitum Cyphi appellatum.* C Soli sacra circa meridiem obiisse observat Rhodig. *l.* XXIV. *c.* IV. At a Persis in spelæis a suis cultoribus adoratum refert Julius Firmicus *l.* V. Apud quosdam, ut refert Lucianus *de Dea Syria*, Soli, & Lunæ nulla simulacra fabricata, quod non indigeant sua imagine repræsentari, quod de aliis Diis non dicendum: repugnet licet Solis ille colossus Rhodi percelebris, quem in linteo depictum refert Tertul. c. VI. *Apolog.* Ejus tamen simulacrum nefas fuisse contingere refert Serv. *in* VII. *Æneidos*. Sol etiam invocabatur in juramentis firmissimis, ut qui rerum omnium sciens, & lustrans; hinc dictus Sol Justitiæ D arbiter. Et quia in XII. *Æn.* Virg. lego, *Vimque Deum infernam*, colligo, uti Deorum juramentum erat per Stygem, hominum fuisse per Manes, Infernum, Ditem; quod Virg. innuit per, *vim infernam*. Aristoteles VII. *Politicorum* c. XIV. hæc habet: *Controversias disceptabant, hoc autem faciebant, alii injurati, alii jurati. Jusjurandum porro erat sceptri sublatio.* Ilioneus apud Virg. VII. *Æn.* Fata per Æneæ jurat. Plutarchus in *Demost.* alia refert juramenta, scilicet, per Terram, per Fontes, per Flumina, per Latices, & per alia, quæ tibi auctores volutanti facile occurrent. In E nomen Imperatoris solemniter milites jurantes, ex more, admotis ad cervices gladiis, fecisse colligitur ex Marcellino, *lib.* XXI. Tartari super frameas jurant, & aquam, qua eorum gladii frameæque eluuntur. Jac. Dur. *Var.* lib. I. cap. VIII.

Juramentum militare factum elevatis pollicibus, strictis gladiis, cervicibus admotis, observat Marcell. Donat. & eo non obstringebantur milites in funere familiæ Feriis Vindemialibus, & Kalendis. Thyterium, ex Thoma *in Aratum*, sacrificium, & herba Libanotidi similis, quam juraturi manu comprehendebant. Juramenti in conjuratione non absimilis Catilinario, referente F Salustio, meminit Plut. in *Poplicola*, his verbis: *Ut igitur hi adolescentes pellecti in colloquium cum Aquiliis venerunt, omnibus visum est, hominis jugulati sanguine libato, & visceribus tactis magnum jusjurandum, & dirum concipere*, &c. De juramentis Carthagin. Athen. Græcorum, vide Gyrald. *Synt.* II.

Ex Pindari Scholiaste, Veteres interdum, metu pejerandi, Deorum nomina omittebant, & formula tantum jurisjurandi contenti erant, ὦ μὰ τ,

vel *νὴ τὸν*, interdum simpliciter per *ὅρκον*. Orpheus per octo numina jurare permisit, Ignem, Aquam, Terram, Cælum, Lunam, Solem, Phanem, & Noctem. Numa maximum jusjurandum statuit Romanis per Fidem. Vestales per Vestam: Romani per Deos, & Deorum numina, per Terram, Mare, Sydera. Mecastor mulierum, Mehercle virorum juramentum. Siculi per Proserpinam: Pœni per patrios Deos. Mox etiam juratum per Manes defunctorum, & Heroas, qui pro patria fortiter pugnando obiere. Philosophi per Socratem. Imperatorum tempore, per salutem, & Genium principis. Græci per caput alterius. At Rhadamantus per anserem: Socrates per canem: Ægyptii per allium, porrum, cæpas: Zeno per capparim: Teleclides per brassicas: Cappadoces per montem: Massagetæ per Tanaim, & Mæotidem paludem. Per sceptrum olim Græci jurabant: Scythæ per solium regis, per ventum, & acinacem: Pythagoras per quaternionem. Heroum tempore per Deos primum, deinde proprias calamitates subjiciebant.

Demum universe, hoc omnibus fere gentibus familiare, ut per ea jurarent, quæ quibusque clara, ut notat Serv. II. *Æn.* Juramenta Imperatoris minio subscripta, Novar. *Sched.* lib. VIII. Jurantes per aquam Stygiam manu altera terram contingebant, altera mare, ut notat ex Hom. *Iliad.* XIV. Novar. *Sched.* lib. VIII. cap. VII.

Græcorum formula jurandi hujusmodi refertur ab Alex. *l.* IV. *c.* X. Verrem apprehendunt, & stricto in jugulum gladio, Cœlum, Terram, Solem, & ultrices furias advocant testes, moxque verre immolato, & in mare dejecto jusjurandum perficiunt. Syracusani fidem juramento daturi, templum Cereris & Proserpinæ ingrediuntur, & sacris quibusdam peractis (ex Plutarcho in *Dione*) vestem Deæ purpuream induunt, sumptaque ardenti tæda adjurant. Samnites ara in medio constituta, ac cæsis victimis, omni aditu septo jurantes introducebantur, & furiali carmine dira execratione se devovebant. Romani jurantes terram tenentes, Cœlum, Deosque contestabantur; se, caput suum, familiam, fortunas devoventes; apud quos erat & illa formula per lapidem Jovem jurandi in fœderibus sanciendis, de quo Livius *l.* I. & XX. & Polybius.

Græci in Jovis Olympii templo, & in arce Athenis jurabant, atque Athenienses nonnunquam in Isthmo, aut ludis Pythiis fœdera icere. Romani cum jurant Herculem, id facere prohibentur sub tecto; hujus causam pete ex Plutarcho. Nasamones per eos viros, qui justissimi, atque optimi apud illos fuisse dicuntur, jurant, illorum sepulchra tangentes. Divinant ad suorum accedentes monumenta, & illic ubi preces peregerunt indormiunt: ubi quodcumque per quietem insomnium viderunt, eo utuntur, &c. Herodotus *lib.* IV.

Jurantes, ut docet Thomas comment. *in Aratum*, manu comprehendebant herbam Thyterium dictam, similem Libanotidi. Vide Lex. *θυτέϛιον*. Juraturi olim, & potissimum Platonici reverentiæ causa, & boni ominis duntaxat dicebant, *Μὰ τὸν*, Deum omittentes. Suidas.

Jurantes, Horcium colebant, Horcii enim Dii, qui juramentis præerant. Hetærium ejusdem decuriæ, & Symmoriæ; Philium amici, Aræum precantes, Xenium hospites, Hicetium supplices, Homognyon fratres, Ephestium contubernales. Erat & Romæ ara in gradibus Curiæ ad lævam, in qua jurari solebat, dicta puteal Libonis, a puteo, in quo Accii Nævii novacula cum cote fuerat defossa: ibi solemne hoc juramentum concipiebat jurans: Jovem Lapidem, di-

A cens, si ego sciens te fallo, ita me ejiciat Diespiter bonis, salva urbe, arce, ut ego hunc lapidem: & sic jurantes lapidem, seu aram tenebant, ut dictum. At jusjurandum solemne in Capitolio semper factum notat Dempsterus.

Pausanias tradit in *Eliacis*, Veteres solitos fuisse hostiam per quam aliquis jurasset, non amplius inter edulia, & cibaria homini apponere; unde Homerus præconem inducit aprum in mare projecisse, per quem Agamemnon juraverat Briseida sui lecti esse expertem, Novar. *Sched.* l. VIII. c. VII.

De honore vero Platoni habito, qui divinus
B semper nuncupatus, ac tanquam semideus etiam coronatus, ita refert D. Augustinus, *de Civitate Dei* cap. XV. *Platonem, quem semideum colunt, nulla ædicula sacra dignum putarunt.* Addit de Romulo: *Romulum suis Diis multi prætulerunt, quamvis & ipsum semideum potius, quam Deum. Cœna quoque quotannis instituta in honorem Platonis.* Eusebius Cæs. *de Præpar.* lib. X. cap I. ex Porphyrio lib. *de studioso auditu*: *Apud Longinum*, ait, *ad honorem Platonis, ut singulis annis fieri solet, multi simul philosophi cœnabamus*, &c. Defuncto Platoni immolatum fuisse Seneca asserit *epist.* LVIII. & si quem laude dignum efferre volebant, Plato-
C nem dicebant: hinc Virg. poetarum Plato dictus. Lampridius in *Alex. Severo*, ait: Platonem poetarum vocabat Virgilium, ejusdem imaginem cum Ciceronis simulacro in secundo Larario habuit. Novar. *Sched.* Lycurgo etiam tanquam optime merito de disciplina civili summus honos habitus. Plutarchus in *ejus Vita* refert, templum ei conditum a Lacedæmoniis, & singulis annis, ut Deo sacra facta. Cleanthes quæ a Zenone audierat, ossibus boum, & testis fictilibus perscribere solitus, cum pecunia non suppeteret ad cartas emendas, hujus eximia censura, & industria abiit in proverbium, *Cleanthea Lucerna*. Vide
D Adagiographum. Enituit Astronomia Berosus, cui ob divinas prædictiones Athenienses publico in Gymnasio statuam inaurata lingua posuere, Plin. *lib.* VII. *cap.* XXXVII.

Homero quoque summus honos habitus ab Atheniensibus, ut quinto quoque anno in Panathenæis carmina illius recitarentur publice. Tyrtæo etiam apud Lacedæmonios, qui cum hostibus dimicaturi, in procinctu convocati in tabernaculum regium ejus carmina audiebant, ut incitarentur ad spernendam vitam pro patria. Æschylo idem honos ab Atheniensibus tributus: Unius enim
E ex omnibus Tragicis fabulæ, ipso etiam mortuo, ut docerentur decreto publico statutum est, ex *Atticis Bellariis* Pontani.

Capitolinus scribit, M. Ant. Philosophum Imperat. tantum honoris magistris suis tribuisse, ut imagines eorum aureas in Larario haberet. Alex. Severus, teste Lampridio, bina habuit Lararia, alterum majus, minus alterum, in majori Alexandrum magnum, in minori Aristotelem, Virg. & hujusmodi custodiebat. Jurisjurandum Hippocratis sic a D. Hieronymo describitur, Hippocrates adjurat discipulos suos antequam doceat, & in verba sua jurare compellit, extorquet sacra-
F mento silentium: sermonem, incessum, habitum, moresque præcribit. Hac disciplina in bonos evadunt discipulos.

Cassiodorus *Var.* VI. ait, *Reverendum honorem sumit, quisquis Magistri nomen acceperit.* Inter patritios numerabantur: postea quoque longe supra eos habiti, & ad *συωτεκνίαν* imperatorum nonnunquam asciti. Itaque consanguinei Imperatoris hoc quoque titulo ornabantur: etiam Fratres, quin etiam Filii. Meurs. Lex. Philol. Refert Casaub. *ad Athen.* lib. VI. cap. V. multos disci-

discipulos olim a præceptoribus suis gloriosum nomen assumpsisse. Sic Herodicus *Crateteus* cognominatus; Diodorus & Artemidorus, Aristophanis Grammatici discipuli *Aristophanei* dicti; Ister *Callimachius*; Rholus *Democriteus*: tanti faciebant nomen præceptoris.

Auctarium addo, præceptores, seu duces, quos in doctrina sequuntur, ἄνακτες, & βασιλεῖς, reges, & dominos appellabant. Euripides, Ὀρφέατ' ἄνακτ' ἔχων, *Orpheum regem putans*. Gebhard. *Grepund.* lib. I. c. IX.

Præceptores olim in Ecclesia quatuor, qui Evangelistas, qui Apostolum, qui Psalmos interpretarentur, dicti διδάσκαλοι; dignitate maximus quartus, οἰκουμενικὸς dictus, qui apud cisternam regiam in palatio habitabat cum duodecim discipulis, juris in omni scientiarum genere insignibus, tantaque auctoritate res divinas tractabant, ut absque eorum consilio, ne ipsi quidem Imperatores temere aliquid aggrederentur, Cedrenus. Docebant autem auctoritate Patriarchæ, quo defuncto, neque alio suffecto, non poterant docere. Stipendium illis decrevit Imperator libras trecentas tres, & frumenti modios L. Balsam. Adsistebant statim Patriarchæ post ἄρχοντας, *Lex. Gr. Barb.* CXXVII. Magistri magno in honore olim apud Imperatores, adeo ut intimos a consiliis ascivêrint. Imo inter Patricios numerarint, ut colligitur ex Codino in *Orig. Const.* inde ante eos habiti, dignatique nomine consanguinei, & fratris Imperatorum.

His in creatione vestis dabatur, erantque plures usque ad num. XXIV. ut referunt Euagrius, & Luitprandus, quos citat *Lex. Gr. Bar. Variar.* & Cassiodorus VI. *Variar.*

CAP. V.

Accusati sub patrono sedebant: Provocantes ad populum rei itidem. Resecrare quid. Execrabiles quinam. Rei absoluti quid agebant. Iidem ad Judicum genua devoluti. Calcei ob quid olim positi. Areopagitarum ritus in judicio. Injuriæ & Innocentiæ lapides qui. Cur argentei. Cruenta Judicum subsellia. Levato velo causæ cognitæ. Controversiæ in templis compositæ. Accusatores stabant dicentes: Iisdem custodes appositi. Stare in judiciis quid. Dixi, *cur dictum in fine Orationis. Rei a quibus custoditi. Eosdem flagellandi mos apud Hebræos. Fasces, arma, & scuta inversa quando.*

AUDI quid in Seneca lib. III. *Contr.* XVII. legerim. *Impius es, ingratus, & audeo dicere, parricida, respice forum; hic sub Cicerone sedisti: respice rostra, hic super Ciceronem stetisti.* Quæ verba mihi lucem præferunt ad morem paucissimis observatum; accusatos apud Senatum reos sedisse sub patrono. Instituta ad pop. provocatione super eundem collocatos stetisse obsecraturos, ut eo periculo liberarentur, & continuo resecrare cogebantur a Magistratu. Plautus in *Persa*, Act. I. Sc. I.

Obsecro te, resecro, operam da hanc mihi fidelem.

Heraldus *in Arnobium*, resecrationem aliter interpretatur, dicens. *Execrabiles erant, quos arcebant a sacris, tanquam impios pollutos, & magno scelere impuratos, quos si restituebant, resecrare illos dicebantur, quales ἐναγεῖς apud Græcos, & qui diris publice devovebantur κατάρατοι, quales Christiani habiti olim apud Ethnicos.*

Eruditissimus Turnebus optime, ut solet, ita explicat: si quis, *obsecro*, dixerat eum, quem alloquebatur, obstringere, obligareque quodam sacramento, & jurejurando videbant, & si ea persona erat, cui pudorem deberet, cuique omnia libera in utramque partem esse vellet, ut ea religione solveret, subjiciebat, *Resecro*, quo verbo obsecratione solvebat: hinc Plautinum illud,

Resecroque mater, quod dudum obsecraram.

Etiam qui obsecrabatur, ne religione ea obligarentur, *Resecro*, dicere solebat. Ita rei in Comitiis, cum populum supplices obsecrarant, continuo resecrabant. Versius apud Festum, *resecrare, solvere religione, ut cum reus populum Comitiis oraverat, ut eo periculo liberaretur, jubebat magistratus eum resecrare.* Tanta erat Veterum religio in juramentis, contra, o nostri temporis impietas! Modus execrandi aut imprecandi a Cicer. *in Ant.* exprimitur ita: *Igitur est patronus Antonius, Malam quidem illi pestem, clamori enim vestro assentior.*

Rei capillos alebant, & barbam: soluti tondebant. Novar. *Sched.* l. III. cap. XIII. reorum enim vultus aucta coma tegebat, ut necesse fuerit, ut viderent, capillos in tergus rejicere, ex Luciano.

Rei absoluti sinistrum pedem Regibus, aut Imperatoribus gratias agentes osculabantur. Seneca II. *de Benef.* cap. XII. *Cæsar dedit vitam Pompilio Penno, si dat, qui non aufert, deinde absoluto, & agenti gratias, porrexit osculа dum sinistrum pedem. Qui excusant eum, negant insolentiæ causa factum; ajunt, socculum auratum, imo aurum margaritis distinctum ostendere eum voluisse. Ita prorsus,* &c. Et in fine capitis subjungit: *Invenit aliquid infra genua, quo libertatem detruderet:* (ad genua enim devolvebantur supplices) *non hoc est rempublicam calcare? & quidem dicet aliquis, (nam potest ad rem pertinere,) sinistro pede. Parum enim fœde, furioseque insolens fuerat, qui de capite consularis viri soccatus audiebat, nisi in os senatoris ingessisset Imperator pedes suos.* Soccatum dicit; quod insolens; quia in publico, & in judiciis non nisi togati, & calceati prodibant. Lego tamen, ut in religionibus ita in superstitionibus obeundis calceos olim positos ex Plinio *libro* XVII. *capite* XXVIII. Idem etiam observatum in funeribus ex Suetonio in *Aug.* cap. C. Neque tantum Romanis hic ritus peculiaris, ut discalceati luctum funebrem testarentur, sed etiam Hebræi, ut habet sacra Historia. In sacris ero magicis veneficæ unum tantum pedem exuebant ex Virgilio IV. *Æneid.* Ætoli quoque in bellum prodibant uno pede discalceati, sinistro duntaxat; dextrum enim crus promotum in digladiando perone munibant. Detractio demum calcei fuit nota infamiæ, ignominiæque militaris, de quo alibi.

Ad Atheniensium me verto institutum judiciarium. In consessu Areopagitarum (mos non negligendus) lapides duo argentei, unus reo, alter accusatori, in quibus consisterent positi, iisque propriis nominibus cognitionem jucundam insinuantes; nam Injuriæ, & Contumeliæ lapidem accusatorum dicebant; Impudentiæ (melius Innocentiæ) reorum alterum, quod colligitur ex Pausania in *Atticis* ita dicente. *Martius, cujus nomen sortitus est, quoniam Mars ibi primus judicio stetit (nam ἄρειος πάγος, Martis vicus sonat) interfecto Halirrhotio. Itidem, & Orestem absolutum fuisse a cæde matris ferunt, estque illic Minervæ ara, quam illic Orestes Judicum sententiis absolutus vovit, posuitque; lapides vero argenteos, quibus insisterent & rei, & accusatores, unum Injuriæ, Contumeliæve; alterum Impudentiæ:* emendo, *Innocentiæ*. Causam hujus pete a doctissimo Hadriano Junio *Animadversorum* libr. I. cap. I.

In Areopago ergo erat ara Minervæ Deprecatricis Ἀρείας, quam erexerat Orestes, ut refert Pausanias in *Atticis*, judicio solutus. Argentei

A præterea lapides, in quibus rei, & accusatores sedebant, & hunc quidem contumeliæ, illum impudentiæ vocabant. Proxima ædes Eumenidum, quibus tamen in forma nihil erat horribile. Denique Plutonis, Mercurii, & Terræ simulacra, quibus sacra faciebant, qui in causa capitis fuerant absoluti. Mysticum sensum lege in Causini *Symbolicis*.

Postulat enim ratio, ut quomodo accusatores, & rei causam sustinentes; ita injuriæ, contumeliæve accusatorum, qui tametsi veras causas defendant, ad opprimendos tamen reos eas persequuntur, opposita sit reorum innocentia. Ex argento B autem conflati sunt illi lapides, quod æruginem non contrahit, ut innuerent, integritatem utrobique tam in accusando, quam in defendendo spectari debere; nihil affectibus illic tribuendo, crimenque gravando: hic vero nihil dissimulando: nam, ut negare non solum sufficit, ita neque accusare solum satis est.

Gradum promoveo ad alium Atheniensium ritum, qui ante consessum Judicum mactari porcellum jubebant, tanquam expiatoriam victimam; mox rore sanguineo sedilia leviter respergebant, ex Sigonio *de Rep. Athen.* ut memores essent, se de vita, & sanguine hominis decernere: quem si C injuste profunderent, scirent, se ita respersum iri eo cruore, ut subsellia, in quibus considebant, porcelli sanguine. Demum non statim ad supplicium rei damnati mittebantur, ut habet Clemens Romanus, sed per plures dies quæstiones exercebant cum multo consilio; & velo interjecto. Verum cum levior esset causa; quæ hujusmodi indagine non indigeret, tunc eo amoto velo causa cognoscebatur judicio. Hinc leviores causæ cognitæ levato velo, de quo a me alibi. Postremo controversiæ in templis compositæ ex Isocrate in *Trapezitico*, Plinio *ep.* I. *l.* V. & Dione. Distrahebantur aut componebantur potius jurejurando interposito D ex Suetonio in *Julio*, & jurabant per Deos, Heroas, magnosque viros defunctos, etiam per vivos, ex Luciano.

Præterea notem necesse est, morem judiciorum; ut in subselliis patroni adversi sedeant, accusator contra defensorem: &, quando dicebat accusator, stabat. Cicero *pro Sex. Amerino*: *Credo ego vos, judices, admirari, quid sit, quod cum tot summi oratores, hominesque nobilissimi sedeant, ego primum surrexerim*. Hinc illud Juvenalis *Sat.* III.

Stat contra, starique jubet; parere necesse est.
Judice non opus est nostris, nec vindice libris; E
Stat contra, dicitque tibi tua pagina, fur es.

Appositos custodes accusatori, ne quid improbe moliri posset, reperio in Plutarchi *Catone minore*: *Cum autem lege quadam reus apponere accusatori posset custodem, ne quid clam compararet, & institueret ad accusationem, qui adjunctus a Muræna assectator, & observator fuerat, ubi nihil insidiose*, &c. Stare enim contra, est surrexisse, vel accusatorem, vel reum. Absoluta autem vel accusatione, vel defensione, jus erat oratori sedere, ideo finiebat hoc verbo, *Dixi*, ne videretur sedere contra morem, antequam absolveret orationem. F

Notior at non est canibus jam Delia nostris.

Rei custoditi a Tribb. Centurionibus, & militibus. Videndi auctores.

Antequam reos ad supplicia mittam, eosque dimittam, quædam noto cum eruditiss. Novarino in *Schediasmatis* aureis, gemmeisque. Flagellatos fuisse nocentes ante mortem, neminem latet. Apud Hebræos, ne in flagellis quadragenarium numerum excederent, triginta tantum novem verbera incutiebant. Quo respiciebat Paulus dicens. *A Judæis quinquies quadragenas, una minus accepi*. Ne autem excederent hunc numerum, in tres vices eas partiebantur, XIII. in singulas, ne scilicet nimis in reos sæviretur. Bovis nervo hæc flagellatio facta, detractis prius vestibus, & apud Hebræos ad columnam manibus ligati. Dum flagellis reus cæderetur, qui primus inter judices aderat quosdam versus recitabat: alius numerabat plagas, ne scilicet quadragenarium numerum excederent: tertius atque postremus lictorem ferire jubebat. Apud Romanos Equester Ordo a flagellationis pœna liber erat. Flamini pedes, genuaque si quis amplexus esset, verberari non poterat, Novar. *Sched.* lib. I. cap. I.

Hæc mitto, & in semitam revertor. Sed in hoc luctu, more prisco lugentium, fasces inverto, ut innuit Pedo *ad Liviam*:

Quos primum vidi fasces in funere versos.

Versa etiam scuta, & arma. Virgilius, *Versis Arcades armis*, quod non solum luctus, sed etiam transfugii & defectionis fuit indicium ex Ammiano *lib.* XXVII. & Lipsio *ad* III. *Annal. Taciti*.

Hæc mea, & aliorum conjectanea sunto. Veteris enim monetæ pretium, & æstimatio a nobis plerumque ignoratur; ita priscorum verborum significatio, quæ lucifuga, ex ipso veluti Acheronte revocanda, luci, Solique reddenda, & superis oris restituenda censeo. Neque mihi Suada aliter suadeat, ut aliter sentiam, & abeam a comico choragio Plautino, tametsi summa vi renitantur investes ex Arpinati schola pueri, & gentis Juniæ quidam, confirmantes Plautinum sermonem præ Ciceroniano, allium & fungos putidos olere, & nautarum nauteam resipere. Vos ipsissimi Musarum Pompilii, ingenii vestri fascibus eos submovete, qui ad pannuceas Baucides vocabula relegant antiqua. Horatii elogium de hoc celeberrimum *ad Florum*, libro II. epist. II.

Obscurata diu populo bonus eruet, atque
Proferet in lucem speciosa vocabula rerum,
Quæ priscis memorata Catonibus, atque Cethegis,
Nunc situs informis premit, & deserta vetustas.

CAP. VI.

Prætor reum damnaturus prætexta deposita tunicam induebat. Classicum cantatum ante ostium damnati, alibique. Præco causam supplicii edebat. Damnatorum vestes mutatæ, ac laceratæ a lictoribus. Eædem cur in dolore laceratæ. Damnatorum nomina ad Ærarium quando delatæ. Morte damnati apud Athenienses quomodo efferebantur: Primus ex iis qui dictus. Mercurius pictus in carcere. Damnatorum nomina columnis inscripta; ut & obæratorum. Advocati in judiciis damnatorum pœna gravis. Supplicantium varii ritus apud varias gentes. Barba reorum cur prolixa dicta. Iidem absoluti tonsi ibant in Capitolium. Amicorum & Inimicorum tumuli quomodo habiti. Arbores quæ infelices. Tumuli divitum cum titulis.

TRISTEM sententiam Prætores laturi, & capitalem, tristem etiam induebant tunicam, prætexta deposita, quæ lætitiam præseferebat ob coloris dignitatem. Quare tunicatus ille condemnabat reos, vel in toga sordidiore, aut pulla, quam Seneca vocat togam perversam lib. I. cap. XVI. *de Ira*, his verbis. *Itaque & si perversa induenda magistratui vestis, & convocanda*

classico concio est. Crediderim positam prætextam togam, ut perversam induerent, id est, partem floridiorem ejus intus converterent. Hæc toga perversa dicta. Quare in condemnando non solum erat vestis mutatio, sed & classicum canebatur ante ostium damnati; circa muros, & in arce, ut pop. conveniret, & tristi periculo, atque exemplo interesset. Valerius Max. *cap*. I. *lib*. II. de C. Mario. *Cum M. Ciceronem, qui ad judicium cogebat, ponentem prætextam vidisset*. Et lib. III. cap. IV. inquit: *M. Cato Prætor M. Scauri, cæterorumque judicia reorum nulla indutus tunica, sed tantummodo amictus prætexta egit*, &c. Lege Lipsium *ad Taciti Ann*. in Germanici funere, item Roam, *Singul*. III. *cap*. VI. Inter cædendum præco causam dicere solebat supplicii, ex Petronio.

Damnatorum quoque vestes mutatas, quinimo laceratas per contemptum a lictoribus reperio, & colligo ex eodem Seneca, *de Ira* lib. I, cap. XVI, *Quid si videns eum, scilicet Cn. Pisonem, sua vestimenta scindentem, quia tardius scindebantur aliena*. Livius *lib*. VIII. *Fabius fidem militum implorans, lacerantibus vestem lictoribus, ad triarios se recepit*. Eumdem morem scindendi vestes refert Tacitus X. *Ann*. de Herennio Gallo agens. Plutarchus de Bruto in *Publicola*, in *Camillo*, *Mario*, *Crasso*, & in *Nicia*. Suetonius in *Vitellio* cap. XVII. *Donec religatis post terga manibus, injecto cervicibus laqueo, veste discissa, seminudus in forum tractus est*. In summo dolore vestes etiam laceratas, ut corpus nudum pateret planctibus, colligitur ex multis, ex Virgilio etiam V. *Æn*.

Damnatorum pœna decreto patrum (ut refert Tacitus III. *An*. Suetonius in *Tib*. cap. LXXV. Dio) ante diem decimum ad ærarium non deferebatur. Mansisse videtur hoc decretum, donec Thedosius Imperator clementissime, convicto, & damnato reo dies indulsit XXX. vitæ. Apud Athenienses damnati morte non omnes die uno efferebantur, sed sorte quadam dies illis contingebat. Miser ille, cui prima sors contingebat, dicebatur Mercurius, ut colligitur ex Scholiaste Aristoph. *in Irena*. Et mos alius huic affinis apud Græcos, ex Polluce *lib*. VIII. In janua carceris depictus Mercurius, quem *προπύλαιον τροφαῖον*, quasi Janitorem vocabant. Damnatorum nomina columnis inscripta probat Plutarchus in *Apophtheg*. de Epaminonda dicens: *Postulo ut, si me interficitis, inscribatis damnationem columnæ alicui, ut scire possint Græci*, &c: Reperio etiam in agris eorum, qui ære alieno obruti solvendo non erant, columnas defixas, in quibus descripta erat debiti magnitudo, & debitoris nomen, quod eo fine ab iis factitatum, ut ne quis ei postea imprudens fœnus locaret. Atque istæ columnæ *ὅροι* appellatæ ex Suida. Ager vero, qui ejusmodi columnas non haberet, *ἄστικτον χωρίον* dicebatur, Etymolog. Capitis postulati ita damnati, referente Plutarcho in *Gracchis*. *Et quidem more majorum, si quis rei capitalis postulatus ad judicium non accurrerit, hujus ad januam profectus, mane tubicen tuba eum citat; neque ante ferunt sententiam judices, adeo religiosi, & circumspecti fuerunt*. Magnam pietatem sapit lex Imperatoria, qua jubetur, ut severius aliquos puniturus, eorum sententiæ executio in trigesimum diem differatur, *lege* XX. *cap. de pœnis*, olim tamen pœna damnatorum in decimum diem dilata. Suet. in *Tiberio*. *Cum Senatusconsulto cautum esset, ut damnatorum pœna in decimum diem differretur*. Insolens fere de reis noctu supplicium sumi. Seneca III. *de Ira*, cap. XIX. *Quid tam inauditum, quam nocturnum supplicium?* In omnibus urbibus locus supplicii extra urbem. In solemnitatibus, & Augustorum natalitiis olim magistratus cavebant, ne in quempiam animadverterent. Ita notat Novar. in *Schediasmatum* lib. I. cap. VIII.

Rei supplicantes manus Prætorum, sive Judicum ad suum os applicabant osculantes, ut innuit Seneca *de Ira* cap. XXXIII. lib. I. his verbis: *Funestam, perfusamque filii manum ad os suum retulit, & cœnavit*. Sed tamen sine unguento, & corona, quod erat lugentium (idque factitatum a victis in prælio ad suos victores) vel pedibus illorum prostrati advolvebantur, & ad genua supplicantes. Idem Seneca *de Ira*: *Quam sæpe veniam, qui negavit, petit; quam sæpe pedibus ejus advolutus est, quem a suis repulit*. Qui ad capitale supplicium adducebantur, iis licebat cibo, & potu plenis, tria dicere quæ vellent, deinde, ore obturato ad necem ducebantur, Suidas 366. Sed de hoc a me alibi, & a pluribus plura.

Priusquam condemnarentur advocabant amicos insignes, ut sibi advocati præsto essent, & ad misericordiam judices moverent. Quod si rei fiebant alicujus gravis criminis non ipsi solum afflicti, se nomen, memoriaque eorum, ex Lipsio.

Varios subtexo ritus supplicantium ex *Atticis Bellariis* Pontani.

1. Apud Persas, si supplex sumpto igne flumen ingressus, minatus fuisset, se ignem aquæ immissurum, nisi voti compos fieret: hoc eo spectabat, quod apud eos sacrosancto in honore ignis esset.

2. Apud Assyrios, supplicans incurvatis membris humum pene vultu contingebat, manibus post tergum rejectis, connexisque.

3. Apud Scythas, maximum supplicandi genus erat, si quis extento humi corio bubulo, rejectis in dorsum manibus resideret.

4. Apud Judæos, supplex manum subjiciebat femori ejus cui supplicabat.

5. Apud Græcos, oleaginas virgas ore, manuque præferebant supplices, lana circumdatas: unde *ἱκετήριοι κλάδοι* apud Æschylum, supplices rami, & *ἱκετηρίαν* olivæ ramum a supplicando Græci dicunt.

6. Macedones *ἐχεσάρκῳ* tunica, quam subuculam dicimus, sola induti supplicasse dicuntur.

7. Antiquæ Græciæ in supplicando mentum ejus quem deprecabantur, attingere mos erat. Apud Homerum, & mentum, dexteram, & genua contingunt supplices.

8. Ad forum sedentes verbum nullum faciebant, silentio animi demissionem contestati. De his Adrianus Junius. Qui ad aliquem opis gratia confugerat, ad focum sedebat, quemadmodum Coriolanus apud Actium Tullum Volscum. Themistocles apud Admetum Molossorum regem, ejus liberis manu sumptis. Ulysses vero auxilium petens ab Arete Alcinoi uxore, manibus elatis ad ejus genua stat, mox sedet humi inter cineres, quem sublatum Alcinous ad mensam cum filio collocat, quod hospitalitas contraheretur ad mensam. Hospitibus his primum apponebant sal, quo gustato nefas erat eos violare. Græci primo die eos convivio excipiunt, mittunt extremo pullos, ova, olera, ceteraque dicta xenia, ut ex variis colligit Vardus. Rei barbam, & capillum promittebant, hinc barba reorum dicitur prolixa a Martiale, & Seneca *epist*. LXXVIII. *Dimissa usque in pectus vetere barba, rogaret mortem*. Ita etiam absoluti tondebant capillum, barbamque radebant. Exuti demum vestes lugubres, Jovi Capitolino gratias acturi in Capitolium ascendebant. Martialis *lib*. II. *epigr*. LXXIV.

Ad alta tonsum templa cum reum misit. A

Ita Plutarchus in *Cic.* & apud Hebræos *Geneseos* cap. XLI. *Protinus ad regis imperium eductum de carcere Joseph totonderunt, & veste mutata obtulerunt ei.* Quapropter depulsionis periculi argumentum fuit capillorum abrasio, de quo a me alibi.

A suppliciis ad feralia gradum facio, & noto amicorum sepulcra purgata stirpibus, & sentibus, inimicorum vero derelicta, inculta, & horrida, quare dumos, & sentes exscindebant, exurebant in amicorum tumulis: Propertius, *Pelle ederam tumulo.* B Contra optabant caprificos eorum tumulis, quos oderant; idem Propertius, *libro* IV. *eleg.* V.

Urgeat hunc supra vis caprifice tua.

Quin & saxis eorum sepulchra cædebant, additis imprecationibus. Idem Propertius *ibidem*:

Quisquis amas scabris hoc bustum cedito saxis,
Mistaque cum saxis addito verba mala.

C Quæ verba, uti inserti per fenestram radii solis, totum conclave, ita illustrant, enucleant versiculum Catulli de Volusini Poetæ carminibus, *Infelicibus ustulanda lignis;* Macrobius *lib.* III. *capite* XX. Arbores, quæ inferum Deorum, avertentiumque in tutela sunt, eas infelices nominant, quibus portenta, prodigiaque comburi jure oportet; Græci ea spinosis lignis, quæ infeliciora videbantur, comburere solebant, & cinerem in profluentem projicere. Theocritus subscribit, qui videndus. Infelicia etiam ad mala averruncanda exusta. Tumulos divitum cum titulis: pauperum sine titulis fuisse lego in Ovidio:

D *—— tumulo quoque nomen habenti*
Inferias dederat.

Virg. lib. VII. *Æn.*

—— Ossaque nomen
Hesperia in magna, si qua est ea gloria, signat.

C A P. VII.

Tormentum, & supplicium quid. Pœna triplex. Acus tormentum. Ab bestias damnati qui. Ad easdem dati quinam. Ad aquariam, antliam, ferrum, gladium, metallum quales damnabantur. E *Ad metallum & ad opus damnati quomodo differunt. Varia alia tormentorum genera enumerantur. Aqua & igne interdicti quinam. Arboribus quondam laniati. Balnei supplicium. Barba usta. Bestiis objecti crucifixi. Bojæ quæ vincula. Bovis ænei inventor quis. Calamis acutis olim torti. Camelo insidebant rei. Camus quale vinculi genus. Capillis suspensæ mulieres Christianæ. Capite plectendi qui. Carceris etymon. Ejusdem varia nomina. Catabulum, Vivarium quid. Catapulta qualis machina. Catasta quid, & quotuplex. Censio* F *hastaria quorumnam pœna. Catomo qui cædebantur. Diversa supplicia recensentur. Crux varia significat: duplex fuit. Affixio & Infixio qui differant. Cruces diversæ. Crucis usus apud quos. Quorum fuerit pœna. Liberorum supplicium. Figendi cruci modus duplex, Ante fixionem quid adhibitum. In deductione quid peractum. Rei nudati suspendebantur. Clavi ubi, & quot fixi. Titulus præfixus. Post fixionem quæ fiebant. Lanceis cur transfixi cruci affixi. Crurifragium a quibus usurpatum. Crucifixi insepulti apud Gentiles. Furca duplex. Patibulum a cruce qui differat. Furca moderna distincta ab antiqua. Suspensi olim in carcere. Crucifixorum habitus varius. Mortui ob quid cruci appensi. Materia, ac locus crucis. Culleus Parricidarum pœna. Iidem apud Ægyptios ac Lusitanos quomodo puniti. Iterum varia supplicia enumerata. Deportatio in quo discrepet a relegatione. Equuleus quid, & ejus etymon. De eo variæ sententiæ proponuntur & expenduntur. Fidiculæ, & Scamnum Hippocratis quid. Equulei vera descriptio, ac originatio. Modus in eo torquendi qualis. Exiliorum varia genera. Ab Exilio qui differat Ostracismus. Tormenta diversa denuo afferuntur. Gladii jus quis habere dicatur. Tunica molesta quæ. Stigmatici servi quinam. Lapidatio in varios usurpata. Virgo qui strangulata. Scaphismus quid, & unde dictus. Supplicia quæ a Mezentio, Caligula & Attilio Regulo excogitata. Martyres radiis solis expositi. Rotæ supplicium quale. Semaxii cur Christiani dicti. Longa enumeratio Tormentorum. Militaria quæ.*

TORMENTUM est cruciatus, qui infligitur alicui ad pernoscendam veritatem; Supplicium vero est pœna pro delicto inflicta; hæc (ex Paulo Jurisconsulto) vel summa est, vel mediocris, vel minima: summa, quæ & dicitur ultimum supplicium, mortem inferens, ut crux, crematio, decollatio, &c. Mediocris, metallum, deportatio, &c. Minima, relegatio, opus publicum, vincula, & hujusmodi, de quibus sigillatim ordine alphabetico, paucis, & succincte.

Acus sub unguibus infigebantur ad veritatem extorquendam a noxiis. Hæ vel ferreæ, vel calami præacuti.

Ad bestias damnabantur nequissimi servi, aut hostes infestissimi, plerumque homines perniciosi, & immanes, qui ob multiplicia crimina, defectionesque, indigni venia fuere; quibus in theatro, ut cum immanissimis belluis depugnarent, negotium datum est, ut ab iis dilaniarentur, puta, ursis, apris, leonibus, & hujusmodi fere animalibus: hinc dicti *Bestiarii*, qui his bestiis damnati subjiciebantur. Ad bestias autem dari dicebantur, qui extra damnationem cum bestiis depugnadi causa in aream intrudebantur, ad populi, principumque delectationem.

Ad aquariam parasitos damnavit Alexander, ut notat Lampridius in *ejus Vita*, ut ejus vertigine circumvolverentur, tamquam Ixiones.

Ad antliam damnabantur, seu ad aquas exhauriendas, & aquæductus exsiccandos, ut modo ad triremes.

Ad ferrum damnati dicuntur, qui, cum gladiatoribus ut pugnent, damnantur: itaque Suetonius de munere gladiatoris loquens in *Nerone*, inquit: *Exhibuit ad ferrum etiam quadringentos Senatores.* Dicitur hæc pœna, & ad gladium, quæ abrogata a Constantino Magno.

Ad metallum, ad aurifodinas, & lapidicinas condemnabantur, qui vincti perpetuo opus faciebant; hinc metallici, seu metallarii dicti, qui in latomiis, & ad eruendas metallorum venas damnabantur. Inter eos autem, qui in opus metalli damnabantur, differentia tantum in vinculis est, quod, qui ad metallum damnantur, graviorum vinculis permuntur, quam qui in opus metalli; quodque refugæ ex opere metalli in metallum dantur: refugæ vero metalli gravius, ac durius exercentur. Idem pœnæ genus erat ad calcariam, arenariam, sulphurariam, ad salinas, & hujusmodi.

Ænea Tormenta erant, Scorpiones, quibus Sancti lacerabantur.

Alapis, id est, manibus dilatatis, seu palmis; pugnis, colaphis, seu manibus in vulnus compressis; calcibus corpora, facies Martyrum ac demum lapidibus contusa nemo nescit, qui Martyrologium lectitarit, aut sævitiam norit antiquorum tyrannorum.

Anchora (ex Plutarcho) *ferrea* cervicibus eorum inflicta, quos crudelius castigare volebant, & ad totum diem ludibrio stare cogebantur.

Anconisci instrumenta tortoria erant.

Anguilla est, qua coercentur pueri in scholis, vulgo scutica dicitur.

Aqua, *& igne* interdicti apud Romanos illi, quibus commercium, societasque hominum interdicebatur, & ne quis eos urbe, mensa, tecto, aut lare reciperet, vetabatur: quod genus pœnæ, hodie *excommunicationem* vocant.

Aquæ ferventis indicium factum olim refert Cod. *ll. antiq. Ferrum calidum*, ait, *ferant, vel in aquam bullientem brachium usque ad cubitum mittant.* Vide *Glossarium* ejusdem.

Arboribus quondam immaniter corpora dilaniabant, quod supplicium vocant *Diasphendona*; cum incurvatis violenter duarum erectarum arborum acuminibus, alligatum corpus, missis arboribus, scinditur, atque in diversa distrahitur: ab Aureliano Imperatore hoc mortis genus usurpatum, adversus militem violantem thorum hospitis, author est Flavius Vospicus in *Aureliano*.

Auris fissio, seu incisio mulctæ genus. Item capillorum, Cod. *ll. antiq.*

Balnei calore, in Laconico videlicet, noxii vita privabantur; namque in eo opprimebantur vapore, magna lignorum strue suggesta.

Barba aliquando pice illita, deinde combusta, vexati noxii Martyresve.

Bestiis objecti dum starent; cruci, & stipitibus affixi, ut notat Lipsius.

Bojæ, vincula lignea, vel ferrea, seu torques damnatorum, quod iis essent, quasi jugum in bobus.

Bos æneus, candens, Perilli inventum satis decantatum historicis, in quo ipse Perillus a Phalaride tyranno cruciatus; cui bovi lentus ignis subjiciebatur, ut inclusus lentam sentiret mortem, & mugitum ederet horrendum.

Calamis acutis parricidas Ægyptii, ut eos per singula membra torquerent, impetebant, mox minatissimis ictibus consauciatos super spinarum acervos comburebant. Sub unguibus etiam calami infixi, sive acus acutissimæ ad magis torquendum, ut dictum.

Calibæ, sive *Caliba*, manicæ ex ferro astrictiores.

Camelo insidere cogebatur ignominiæ ergo, ac per urbem circumducebatur omnibus visendus Byzantii proditor convictus sub Justiniano, ut refert Rhodiginus.

Camus vinculi genus: hunc Plaut. in *Cas.* posuit pro fune, quo damnati furcæ alligantur.

Canis tormenti genus, quod collo circumducebatur instar collaris, ignominiæ causa & pœnæ, Fest. *L. I. C. Prat.*

Capillis mulieres Christianæ aliquando suspensæ, vel privatæ, & circumductæ ignominiæ causa.

Capite plectendi (ut colligitur ex Martyrum historia) genua flectebant, virgis prius cæsi, oculisque sudario velatis, securi deinde cædebantur.

Capitis rasio, & tonsio ignominiosum tormentum, Jac. Dur. *lib.* 1. *cap.* XVIII. Vide infra *Rasio*.

Carcer, ita dictus a coercendo, quod vincti in eo custoditi prohibentur exire noxii, ideo carcer alius est ad custodiam, alius ad pœnam, de quo a me alibi. Hujus varia nomina, & species, nempe, Corvus apud Athenienses: Lethes apud Persas: Latomiæ apud Syracusios: Thesaurus apud Messenios: Barathrum apud Romanos: Decas apud Spartanos; Ceadas apud Lacedæmonios: Tullianum, Scalæque Gemoniæ apud Romanos: Ançon apud Carthaginenses: Ceraunum apud Cyprios; Heliotrapeza apud Æthiopes. Sed de his, & aliis a me alibi.

Catabulum, id est, stabulum jumentorum, quod publicæ utilitati ad vehenda onera deserviebat. Catabulum opponitur vivario; illud domesticorum, hoc silvestrium animalium stabulum; hinc damnati ad Catabulum.

Catacumbe, sive *Catatumbe*, *κατὰ τύμβας*, locus ad fores cœmeterii. *κατακώμβη*, locus cavus, & profundus, ut solebant esse cœmeteria in arenariis profundis, & cryptis excavata, in quibus S. S. Martyres latebant, ad Tyrannorum crudelitatem devitandam.

Catapulta nonnunquam sumitur pro machina bellica, ad jaciendas sagittas fabricata, sicut balistæ ad jaciendos lapides, hic autem sumitur pro instrumento torquendi; hinc Suidas ait, catapultam esse tormenti genus pedum, ut vincula manuum. Plautus ait,

Te nervo torquebo, itidem ut catapulta solent.

Catasta erat publicus suggestus lignis compactus, quem vulgo *tabulatum* dicimus, non uno tantum, sed multis distinctus gradibus, & sublimi ascensu, super quem cruciandi exponebantur. Catasta interdum sumitur pro compedibus magnis, quibus servi detenti venales exponebantur. Catasta præterea erat instrumentum tortorium, diversum tamen ab Equuleo. Hanc esse crediderim cratem ferream, ad comburendum paratam: de qua Prudentius *Peristeph.* in *Laurentio*, hymno II. ita canit:

Postquam vapor diutius
Decoxit exustum latus,
Ultro e catasta Judicem
Compellat affatu brevi;
Converte partem corporis,
Satis crematus jugiter.

Censio hastaria, pœna erat militaris, cum militi mulctæ nomine ob delictum indicitur hasta reddenda.

Catomo cædebantur, ad humeros alicujus appensi, capite deorsum, aliquando natibus denudatis, & severissime flagellatis, ut solet hodie fieri a ludimagistris, contra pueros refractarios; hinc *Catomidiare*.

Climax, *scala*, tormenti genus quo corpora torquentur, scalis alligata, suspensa, flagris cæsa, cute direpta, distenta, aceto in nares infuso, lateribus impositis, Suidas ex Aristophane.

Clitellæ tormenti genus, Jan. *Gul.* 88.

Cochlea, seu torculari rei aliquando premebantur, eo modo, quo uva & olivæ prælo.

Collare, vinculi genus, quo collum astringitur, Lucil.

Columbar, vinculi colli genus, Plautus *Rud.*

Columnis, arboribus, truncis arborum funiculis alligatos, clavis confixos Martyres legimus.

Colus, tormenti genus, quod fit ex corio, Festus.

Cratis, supplicium apud Carthag. cum quis A dejectus in aquam, crate superne injecta, saxisque congestis mergebatur.

Crux, nomen pro omni angore, tormento, & morte. Aliquando strictius pro morte in ligno. Crux, infelix arbor, lignum, stipes, infamis dicta. Crucifigere, configere, cruciare. Cruciarius dictus is, qui in cruce, vel qui ea dignus.

Crux duplex, simplex, & compacta. Simplex, cum in uno, simplicique ligno fit affixio. Affixio erat, cum ad arborem, sive stipitem, seu crucem alligabant, figebantve hominem. Infixio vero, cum nudum hominem erecto, acutoque stipiti insigebant per obscœna, quæ dicta sudifixio, Σκόλοψ: hoc dicunt, *Impalare*. Compacta crux, quæ manu facta, idque e duplici ligno. Hæc crux, sive patibulum triplex. 1. decussata, 2. commissa, 3. immissa. B

1. Decussata, in qua duo ligna directa, & æqualia inter se obliquantur; decussare enim est per medium secare, veluti duæ regulæ concurrunt ad speciem litteræ X. quæ figura est crucis D. Andreæ.

2. Commissa est, cum ligno erecto brevius alterum superne, & in ipso capite comitatur, sic, ut nihil extet, T. hæc Tau dicta.

3. Immissa crux, cum ligno erecto transversum alterum injungitur, atque immittitur, sed sic, ut ipsum secet, †. In hac postrema Christus Dominus pependit, quæ quadrangula, ut videtur in antiquis lapidibus, & ritus universæ habet Ecclesiæ Catholicæ. C

Crucis usus Syris, Judæis, Ægyptiis, Persis, Afris, Græcis, & Romanis statim sub primis regibus usurpatus.

Servorum hoc erat supplicium, utpote vilissimum, aut plebejorum; hinc dictum servile supplicium; gladius ac securis liberorum.

Omnium suppliciorum crux teterrimum crudelissimumque Antiquis habitum, atque infame. D

Duplex figendi modus, vulgaris, & rarus. Vulgaris, qui receptissimus, & quo vulgo utebantur. Rarus, qui magis sepositus, nec in tam assiduo usu. In vulgari, seu ordinario tria spectanda, quæ ante fixionem, quæ in ipsa, & quæ post ipsam. Duo adhibita, flagellatio, & deductio, ante fixionem. Virgæ honestiores; ideo flagra propriora cruciariis, quæ insitis talis, & officulis exasperabantur. Flagellabantur ante deductionem, aut domi, aut in Prætorio, aut in ipsa deductione per viam; si domi, ligabantur interdum ad columnam, ut factum Christo Domino. E

In deductione duo, ludibrium, & tormentum: ludibrium, quod ipsi coacti crucem suam ferre, aut certe ejus partem. Tormentum etiam erat trahi, divexari, & stimulis agi, per viam impelli, & hujusmodi tolerare.

In ipsa fixione tria, suspensio, adstrictio, inscriptio.

Ante suspensionem, nudatio: deinde in crucem dati aliquando jacentem, aliquando erectam. Adstrictio in ea aliquando funibus.

Clavi, & funes in manibus, pedibusque. Clavi tres, aut quatuor, prout libitum. Manus prius fixæ, inde pedes, initium a dextera. F

Inscriptio, seu titulus præfixus; crimen, seu caussa supplicii: qui titulus damnatis præferebatur: loco ejus sæpe vox præconis addita.

Post fixionem tria, mors, corruptio, custodia.

Mors lenta molesta, vel stillante paulatim sanguine, & fame; vel avium, ferarumque laniatu. Interdum & lanceis transfossi, vel ad accelerandum fatum, vel ad explorandum.

Crurifragium factum, a cruce ut erant depositi. Judæis usurpatum; ne fraus legi fieret jubenti ante Solis occasum suspendiosos deponi; at deponi non nisi mortui debebant: diutius autem plerique vivebant. Vide Durand. *Variar.* lib. II. cap. XV. de crurifragio.

Custodia, & miles ad crucem, ne quis noxios detraheret: in Natali autem Imperatoris, aut simili die festo, quidam etiam crucibus deponebantur.

Inter Gentiles, & Judæos hoc intererat post crucifixionem, quod illi mortua corpora absque sepultura, putredine absumenda relinquerent, Hebræi vero eadem die sepelirent, Cerda in *Adversariis*.

Hactenus de vulgari crucifigendi modo, nunc ad rarum.

Furca Romanis usitata duplex, ignominiosa, & pœnalis. Ignominiosa, qua collo imposita servi circumduci solent ob culpam aliquam irrisui, & ostentui; hinc furciferi ignominiæ magis, quam supplicii caussa ob levia delicta. Furca pœnalis, qua item collo imposita circumducti; sed cum verberibus, & pœnæ caussa, atque ideo plerumque mors sequebatur, sive sub ipsa furca ad necem reis cæsis, sive cum ea in crucem latis, vel ad eam fixis, & in crucem sublatis.

Videntur patibulum, & crux idem: distinguitur tamen aliquando: nam patens, & transversa pars, ubi brachia distendunt, patibulum dicitur: inferior, defixusque stipes, Crux; hinc dicitur quis patibulo crucis affixus. Isidor. *lib.* 1. ita scribit: *Patibulum, vulgo furca appellatur, sed patibuli minor pœna, quam crucis, nam patibulum appensos statim exanimat, crux autem affixos diu excruciat*.

Furca nova instrumentum e ligno triplici, forma jugi veteris, cui appensos homines strangulant. Hæc similis nostræ, a veteribus Romanis in publico non usurpata, frangebant enim laqueo gulam in carcere damnatis: hæc substituta in locum crucis, a Constantino lege sublatæ, in honorem Servatoris cruci affixi.

Alio atque alio schemate, seu habitu cruci affigebantur, puta inverso capite, ut D. Petrus; oblique etiam, capite inverso, distractis, & divaricatis cruribus, manibus confixis simul.

Deinde alii flamma, fumoque necati, bestiis objecti. Aliquando mortui in ea appensi ad infamiam, notamque sceleris nefandi.

Ægyptii, Persæque excoriabant. Imagines etiam damnatorum aliquando in crucem sublatæ.

Materia crucis ex obvio quolibet ligno.

Nostri Servatoris e quercu, ut ex reliquiis apparet, quia lignum obvium, & in Judæa durissimum.

Locus crucis passim; sed potissimum in conspectu juxta vias, ubi loca erant destinata, sæpe in monte.

Crucis signum post Constantinum non solum in Labaro, & signis Imperatorum, sed in militum armis. Hæc ex Lipsio *de Cruce*. Lege etiam Gretserum.

Crurifragium, supplicium distinctum a crucifixione, ita describitur a S. Adriano: *Incus parabatur, una cum vecte, ac malleo ferreo; jubebantur miseri ponere tibias super incudem, quas ferus carnifex, vecte, vel malleo, validis ictibus confringebat*. Hoc supplicium irrogatum vilioribus personis ob aliquod immane scelus, quod factum latronibus cum Christo crucifixis.

Culleus, sive Culleum, sive Culeus, saccus erat e lino, vel cannabi, vel corio factus, ab occulendo, vel claudendo dictus, sumitur aliquando pro utre

coriaceo, in quo Parricidæ cum ſimia, & gallo, & ſerpente incluſi in mare præcipitabantur, ut in rixa infenſorum animalium, & fœda laceratione corporis, ob tanti ſceleris immanitatem, diro cruciatus vulnere interimerentur, utque ab omni elemento repudiatum cadaver, irrequieto labore, & perpetuis fluctibus agitaretur. Sed antequam pararetur Culleus, os Parricidæ involvebatur quodam t egmento ex lupina pelle confecto, ut hoc modo velato capite in carcerem conjectus duceretur; moxque culleo comparato inſueretur. Hæc pœna Parricidarum apud Romanos.

Apud Ægyptios, Parricidarum membra ſingula acutis calamis impetebantur, mox minutiſſimis ictibus conſauciati ſuper ſpinarum acervos comburebantur.

Apud Luſitanos e finibus ejecti ſaxis obruebantur. Solon, & Romulus nullam Parricidis pœnam ſtatuerunt, quod nullum tam nefandum ſacrilegum reperiri poſſe fuerint opinati, qui auſurus ſit manus inferre violentas in parentem vitæ auctorem.

Cyphon, ex Rhodigino, *κυφὼν* genus ſupplicii, Cataſtæ ſimile, eratque ſtipes ligneus, in quo vinciuntur nocentes, vulgo *berlinam* vocant; Cyphoniſmus pro ſupplicio ponitur. Dicitur cyphon *ἀπὸ τῦ κύφειν*, id eſt, *a capitis proclinatione*, nam & incurvati dicuntur Cyphalei.

Decimatio, pœna militum tumultuantum, cum decimum quemque pœna afficiebant mortis.

Decollatio, capitis de collo amputatio. Suet. in *Calig. Miles decollandi artifex, quibuſcumque e cuſtodia caput amputabat.*

Deportatio, ſpecies erat exilii atrociſſima, cum ſcilicet quis ita civitatem amittebat, ut nervo, aut compedibus vinctus in aliquam navim imponeretur, & ſervis publicis, ut eum in inſulam certam transferrent, traderetur: & quia jus omne civitatis, & agnationis adimebat, ideo ſummum putabatur ſupplicium. Differebant a relegatis deportati; tum quia deportati capite minuebantur; itaque civitatem, & bona omnia amittebant. Relegati vero ſæpe ad tempus: Tum quia deportati (ut verbi vis notat) ſervis publicis tradebantur vincti deportandi, ut eos in navim impoſitos in ſolas terras transferrent, ſeu deportarent. Relegati vero exire jubebantur, his verbis, *Illum provincia illa, inſuliſque eis relego, excedereque non debebit intra illum diem*, Hotomanus.

Aliter vero relegabantur ſervi, ac liberi: ſervi enim in agros, liberi in provincias relegabantur.

Diſtentio in pavimento pœnæ genus, cui adjungebatur crurum manuumque effractio & cervicis conculcatio, mox in Aſinum impoſitio, Cedrenus.

Diaſphendon, tormentum, cum arbor duobus ramis incurvatis, acceptum in medio corpus humanum abrumpit, ramis in diverſa trahentibus. Vide *Arbor*.

Eculeus, ſive *equuleus*, ob ſimilitudinem parvi equi, tormenti genus immaniſſimum. Qualis fuerit, nullus, quod ſciam, clare indicat, & ego, qui id facere potero? referam quid legerim. Equuleum dictum fuiſſe ob ſimilitudinem parvi equi, & ipſum nomen indicat, & authores aſſerunt. Fr. Hotomanus lib. v. *Antiquitatum* ſub litera E. *Equuleus, vel Eculeus ſtipes cenſetur fuiſſe in equis formam inciſus, cui imponebantur rei, ut nervis utraque parte diſtentis cruciarentur*. Idem Turneb. lib. IV. *Adverſ.* cap. III. innuit, quem vide. In equuleo ungulis laniati, Jac. Dur. *lib.* I. *cap.* XV.

Aliqui putarunt eſſe laminam candentem, qua homines torquebantur.

Alii materiam quandam in equi formam, in quam conjiciebantur rei. Alii tormentum in modum Crucis diſpoſitum.

At Magius fidiculas, & equuleum idem fuiſſe cenſet. De fidiculis Laurentius Valla lib. I. *Elegant.* cap. I. Fidicula, id eſt, parva cithara, vel chordula. In plurali numero tortorium (ut dixi) inſtrumentum ex duobus (ut reor) obliquatis lignis compactum, vel ab extorquenda fide, ac veritate, vel a nervis, fidibus, vinculiſque, quibus ad illum modum homines torquendi alligabantur.

Raphael Regius Volaterranus lib. XXX. *Comm. Urbin.* putavit, equuleum idem fuiſſe ac funem, vulgare noſtri temporis tormentum, nititurque loco illo Senecæ in *epiſt.* LXVII. dicentis, *aut podagra diſtortus, aut equuleo longior factus*. Opinio tamen hæc a Magio, & aliis improbatur. Junius in *Nomenclatore*, Fidiculas idem eſſe, ac funem, aſſeverat. Itaque de equuleo lis adhuc ſub Judice, ejus deſcriptionem ex Magio habe. Equuleum exiſtimamus fuiſſe ligneum ſcamnum, aut ligneam arcam, pedibus quatuor conſiſtentem, fundoque carentem, quæ utrinque capiebat tympana, & funes, quibus manus, pedeſque ſontium, & torquendorum obligarentur, & protraherentur, non ſine magno, ut conjecturæ locus eſt, dolore totius corporis.

Similem equuleum organo, ſeu ſcamno Hippocratis, dicit Magius, quod Hippocrates *ξύλον*, Paulus *μέγα ξύλον*, recentiores *βάθρον* vocarunt. Hujus ſcamni inventor fuiſſe fertur Paſicrates, cujus meminit Corn. Celſus *lib.* VIII. *capite* XX. Etiamnum valentius intenditur membrum ſuper ſcamnum, cui ab utraque parte axes ſunt, ad quos habenæ illæ deligantur, qui, vi in torcularibus converſi, rumpere quoque ſi quis perſeveraverit, non ſolum extendere nervos, & muſculos poſſunt; collocandus autem homo ſuper id ſcamnum eſt, aut pronus, aut in latus: ſic ut ea ſemper parte ſuperior ſit, in quam os prolapſum eſt: ea etiam inferior, a qua receſſit.

Sigonius vir eruditus, & antiquarius admirandus, lib. III. *de Judiciis*, cap. XXXVIII. ita diſſerit. Eculeus cataſta fuit lignea cochleata, ad intendendum, & remittendum apta, atque ad torquendum hominem, ut facti veritas eliceretur, inſtituta. Tormenti vero genus erat hujuſmodi. Ubi cataſtæ huic brachia, pedeſque ejus, qui torquendus erat, nervis quibuſdam, quæ fidiculæ dicebantur, alligaverant, tum cataſta intenta, atque in altum erecta, ut ex ea quaſi ex cruce quadam miſer ille penderet, primum compagem ipſam oſſium illius divellebant; deinde candentibus ejuſdem corpori laminis admotis, atque biſulcis ungulis ferreis lateribus laniatis, doloris acerbitatem augebant: quam deſcriptionem elicit ex Prudentio, Sozomeno, Nonio Marcello, ex quo infert, eumdem eſſe eculeum, cum cataſtafidiculis, & compedibus quibuſdam, quibus pedes torquebantur ad IV. vel V. foramen.

Verum Baronius in *Martyrol.* ad XXII. Jan. Sigonium redarguit, hæc confundentem: nam poſt verbera, rei in compedibus ligneis poſiti erant, & pedes alter ab altero ad quartum foramen diſtenti, diſtrictique adeo, ut neceſſario ſupini jacerent, nec poſſent propter plagarum vulnera recens toto corpore inflicta, ſe ullo modo commovere. At in equuleo totum corpus diſtendebatur ad foſſionem ungularum, manibus a tergo religatis. Prudentius:

Vinctum retortis brachiis
Surſum, ac deorſum extendite,
Compage donec oſſium
Divulſa membratim crepet.

Idem in *Romano Martyre*, Hymno x.

Miserum putatis, quod retortis pendeo
Extentus ulnis, quod revelluntur pedes,
Compage nervis quod sonat crepitantibus.

Sunt hæc Romani Martyris verba, pendentis in Eculeo: quare Sigonius putat idem, torqueri fidiculis, ac eculeo: quod diversum ostendam. Eculeus a tergo describi poterit, Eculeus est stipes erectus validus, *noxialis stipes* dictus, *Tortorium lignum*, & cochleatus, qui transversum habeat lignum, quod intendatur, ac remittatur, ad quod ligata membra distendantur, tortoris arbitrio.

Ita dictus ex Isidori *Orig.* lib. v. quod extendat culeum, id est, corium, pellem, ex quo infero unicum fuisse lignum, & stipitem erectum.

Ammianus Marcellinus *l.* xv. ait, *Incurvos sub Eculeo torqueri:* ex quo deducere possumus vocis Etymon, ut dicatur Eculeus, ab eculeo, seu equulo, quod homo ad eum alligatus, atque distentus, rursusque quodammodo equi formam præseferat, ita tamen, ut cœlum versus faciem convertat, liberumque ei sit, sursum oculos tollere, & cœlum aspicere.

Gallonius hanc equulei descriptionem assignat. Equuleus, apud Veteres, machina fuit lignea, ad veri equi similitudinem fabricata, cum duabus striatis rotulis, in extremis, excavatisque ejus partibus inditis, quæ, cum erat aliquis in ea torquendus, per axiculos ductoriis funiculis trajectis, versabantur: quocirca fiebat, ut illis alligatus varie excruciaretur, atque distenderetur: hæc omnia Gallonius probare ex variis authorum locis contendit.

Equulei constructio hujusmodi erat ex eodem Gallonio. Præparabant initio operis faciundi stipitem rectum longitudinis, latitudinisve convenientis; in cujus extremis partibus, ipsorum industria aliquantulum excavatis, duas striatas rotulas, quæ per axiculos verti possent, indebant; tum deinde, ut ex omni parte elevatus remaneret e terra, desumebant quatuor ligna eo paulo arctiora, atque minora, quæ deinceps clavis ferreis non longe ab ultimis stipitis partibus affigentes, fabricabant machinam, quatuor quasi pedibus, veri equi instar, insistentem, vulgo *cavalletto*. Quo peracto, si quis ibi equuleo torquendus aderat, in ipsum, cruribus divaricatis, conjiciebatur. Post hæc tortores funiculos aliquos sumentes, illorum altero cruciandi pedes, altero manus post tergum rejectas, atque distortas vinciebant. Tunc rotulis, sive orbiculis funiculos prædictos immittentes, & ad machinulam aliquam equulei pedibus affixam, suculæ (ut nobis probatur) similem, eosdem referentes, efficiebant, brachiorum ductu machinulam versantes, ut funiculi circa eam se involventes, extenderentur: & deinceps ut illis alligatus, dorso super equuleum, & facie ad Cœlum versa pariter extenderetur. Verum, cum iterum, ac sæpius in machinula vertenda defatigari non desisterent, & ex hoc singula jam vincti membra, cunctis compagibus resolutis, essent distracta, longo temporis spatio, vel sic eum permanere sinebant, vel Judice annuente, funiculos relaxantes, incurvum, ac pendulum sub equuleo cadere, non sine maximo dolore permittebant. Quamobrem arbitratus tunc Judex amplam condemnandi, aut absolvendi reum se nactum esse occasionem, de actis ejus acerrime inquirere, & cognoscere prosequebatur. Quod si rei constantia spem ipsius fefellisset, atque superasset, jubebat continuo igneas laminas, lampades, aut tædas ardentes afferri, vel etiam ungulas, uncos, & consimilia: & his, vel horum saltem altero ejus latera, cæterasque corporis partes aduri, atque excarnificari, ut sic novi doloris acerbitas veritatem extorqueret.

Eruditiss. Caraciolus asserit dicendum & scribendum *eculeum*, non *equuleum* ab extendendo culeum, seu corium, aut pellem, & fuisse unicum stipitem terræ depactum, & crucis speciem simplicis. In cruce compacta rei aut funibus alligati, aut clavis confixi, at in cruce simplici, seu eculeo trochleis manus, & pedes trahebantur in longum, manus post terga revinctis. Quare eculeus fuit unicum, & simplex lignum, sed trochleatum, ex quo quandoque pendentem non distendebant, sed trochleis in sublime elatum, ictu celeri super silices demittebant, quod Sigonius ferme assecutus, sed deceptus, confundens cum crassa compede. Eculeus aliquando dictus catasta, a qua tamen differt, ut species a genere, & simplex a multiplici: catasta enim continet eculeum, & alia tormenta.

Atque hæc de Equulei forma, & usu. Tutte cense. Ego in tuam ibo sententiam.

Eunuchi multi facti ob Christi fidem, ut notat Eusebius: hinc eunuchare. Eunuchi facti adulterii Athenis in pœnam adulterii.

Exilium, quasi extra solum missio, seu habitatio. Exilium, erat pœna capitalis, & exilio mulctatus capite damnatus dicebatur. Quoties autem civitas retinebatur, relegatio proprie, non exilium dicitur. Triplex autem enumeratur exilii genus: nam aut certorum locorum interdictio est; aut lata fuga, cum certi loci exitu quis prohibitus est, hoc est, ab omnibus locis fugatus, præterquam ab uno; hæc dici potest relegatio; & relegatum se fatetur Ovidius, non exulem. Aut demum relegatio in Insulam vocatur exilium. Paulus Manutius *de Legibus* ita differit.

Exilii duo sunt genera, voluntarium, & legitimum: & voluntarii rursus duo sunt genera, unum, cum reus ante latas a judicibus sententias in exilium abibat, vel ut legis pœnam vitaret, vel quia, cum se damnatum iri perspicue videret, sponte vellet eam subire.

Alterum genus exilii voluntarii fuit, cum reus post damnationem, quia mulctam a judicibus dictam solvere non posset, ex urbe discedebat. Hinc exilium dictum Ciceroni perfugium, non pœna. Legitimum autem exilium erat, cum reus, non ille quidem verbo, re tamen ipsa in exilium mittebatur, nullaque exilii facta mentione, tecto, aqua, & igne interdicebatur, quasi elementis necessariis destitutus, ex quo exulare cives Romani dicebantur, quibus aqua & igne interdicebatur.

Ostracismus, erat exilium decennale Athenis, quod differebat ab exilio Romano, tum quia exules bonis mulctabantur, nec tempore, aut loco circumscribebantur: qui vero Ostracismo erant damnati bona retinebant sua, & certo loco, & tempore, definiebantur: tum quia exilium flagitii pœna fuit, Ostracismus vero quædam nimiæ potentiæ diminutio. Syracusii pro testulis usi oleæ foliis, ad quinquennale exilium statuendum pro Ostracismo, de quo a me alibi.

Extensio Martyrum erat, cum proni inclinabantur ad verbera sustinenda.

Fame, atque *siti* enecari, nullum potentius tormentum conjectis in vincula. Ut vero miserius morerentur, cibi aliquantulum apponebatur, vel panis salsus, ut sic aliquo modo explerentur, & magis sitirent, quod innuit Sophocles in *Antigone*

ne. Arentibus siti, situla vel aqua, vel vino plena ostenditur; liquor ipse de vase in vas transfunditur, sic ut internam cupiditatem visus, & auditus exterior magis accendant.

Ferro vel *gladio* damnati ii dicebantur, qui intra annum, ludis gladiatoriis, erant consumendi, vel in quos gladio erat animadvertendum, capite scilicet plectendos. Hæc Decollatio dicebatur; quæ mitior, si gladio; immitior, si securi.

Fidiculas a fidibus quidam derivatas putarunt, nihilque aliud esse, quam vincula nervea, quibus ad Eculeum, manus, pedesque hominis ligantur; atque torquere fidiculis reum nihil aliud esse, quam in eculeo torquere, ossiumque commissuras cum immenso dolore distrahere, ita sentiunt Sigonius & Valla. Isidorus tamen lib. III. *Originum*, quid fidiculæ essent, monstravit, cum dixit, Fidiculæ dictæ, quod effodiant: quasi findiculæ, quod iis rei in eculeo torquentur, ut fides inveniatur. Ex quibus colligimus, Fidiculas idem esse cum ferreis ungulis, quod reorum latera finderent, quasi Findiculas. Prudentius subscribit *Hymno* X. Hæ fidiculæ inveniuntur sæpe cum eculeo conjunctæ, ea de caussa, quod extento corpore in eculeo fidiculis, vel ungulis a tortoribus membra sulcarentur, quibus aliquando succederet ignis tormentum; unde Cyprianus *de Lapsis*: *Nunc eculeus extenderet, nunc ungula effoderet, nunc flamma torreret*. Tiberii subnecto cruciamentum notatum a Suetonio: *Excogitaverat*, inquit, *inter genera cruciatus etiam, ut larga meri potione per fallaciam onerator, repente veretris deligatis, fidicularum simul, urinæque tormento distenderet*.

Flagellum, sive *flagrum* proprie erat servorum, quod aliquando taxillatum, id est, talis, & ossiculis refertum. Flagellorum nomine continentur, lora, flagra, fustes, virgæ, scorpiones, nervi atque plumbatæ.

Flagra erant fustibus tenuiora, ac subtiliora, virgisque crassiora, quibus viliores personæ verberatæ; & quædam tamdiu, donec expirarent.

Forcipes ferreæ, destinatæ suppliciis: harum aliæ ad incidendum, aliæ ad comprimendum, & contorquendum compositæ, de quibus Synesius Episcopus *epistola* LVIII. Aliæ apprehendendis auribus, & labiis obtorquendis. Demum, aliæ forcipes erant dentatæ, quæ quidem tribus ferreis aculeis cutem Martyrum perforabant, cum stringerentur, quæ crudeliter nimis membra carpentes, vellebant. Huic similis erat palus dentatus, ex Victore de persecutione Vandalica hæc dicente: *Illico palis minoribus dentatis jactis in capite, crinibusque ejusdem colligatis, ac vehementius stringentes, simul cum capillis pelliculam capitis auferebant*.

Fragmentis super *testaceis* sive vitreis factis nudi Martyres volutati. Fragmentis his etiam testaceis carnes Martyrum discerpebant Tyranni, uti ungulis laniabant.

Fumo etiam excruciati, & enecti: hinc illud Domitiani, *Fumo pereat, qui fumos vendidit*.

Furcis ferreis usi in carnificina sartaginis, & cratis ferreæ.

Fustes, unde *fustuarium*, & *fustuarium mereri*, vulgo dicimus, *meritar delle bastonate*, erat pœna militum deferentium castra, aut signa: quod supplicium ex Polybio ita inflictum. Accepto fuste, Tribunus vix tantum attingit damnatum: quod ubi factum, omnes, qui in castris sunt, cædentes fustibus, lapidibusque plerosque in ipsis castris conficiunt, ac si evaserint, nec sic quidem servari possunt: etenim quonam pacto? quibus neque in patriam redire licet, neque aliqui ex necessariis domi excipere auderent. Fuste cæditur quoque, qui furto quippiam ex castris sustulerit, quique falsum testimonium dixerit, & si quis ætatis flore abutatur. Marcellus sentire videtur, liberum cæsum fustibus, flagellis servum. Hæc flagella dicta, *Virgæ*; unde Virgatores, lorarii, carnifices, qui virgis cædunt.

Apud Romanos morti addictus virgis cædebatur, deinde necabatur; interim, cum facinus non erat grave, satis habebant virgis cædere. Tum etiam, qui creditoribus addicebantur, multa turpia, & miseranda patiebantur nexi apud creditores, multasque servili more, in tergo plagas. Huic malo subvenere leges Porcia, & Sempronia, quæ liberum corpus Romani civis, virgis, aut aliis verberibus, aut securi cædi vetant: unde illa exclamatio D. Pauli ad Virgatorem, *Civis Romanus sum*. Sed bonorum, & exilii pœna mulctabatur (excepto parricidio) cum antea cervix furcæ insereretur, virgisque cæsus securi feriretur. In *Deuteronomio* minus quadraginta plagis cædi permissum, ideo D. Paulus gloriatur, se una minus XL. accepisse a Judæis. Olim milites externi delinquentes, fuste, & virgis cæsi, at Romani cives vite, ut delicti pœnam honorarent, ut alibi dictum a me.

Galea ignea capitibus Martyrum aliquando imposita.

Gemoniæ scalæ, diritate supplicii jam diu infames; dictæ Gemoniæ, quod locus esset gemitus, & calamitatum: quoniam illuc per Hamotrahones raptarentur unco damnatorum cadavera, Tacitus ait: *Tunc confossum, collaceratumque, & abscisso capite truncum corpus Sabini in Gemonias trahunt*. Gradus, vel scalæ dicebantur, ut refert Rhodig. quantum conjectura assequor, quod surrectus foret locus, ac gradibus quibusdam conscenderetur.

Hic locus Romæ erat in Aventino, juxta templum Junonis Reginæ, quod, Veiis captis, Camillus dicavit. Sed de carceribus alibi.

Gladio damnati dicebantur servi fugitivi, & reperti, hoc est, ludo addicti gladiatorio, ubi a gladiatoribus gladio confodiebantur; hinc gladii pœna sumitur, cum quis gladio, aut ense occiditur, vel, cum quis gladiatoribus objiciendus damnatur. Gladii jus habere ille dicitur, qui vitæ, necisque habet potestatem: differebat a capitis punitione, quæ securi fiebat, de qua infra. Gladiis, & lanceis aliquando corpora transfigebantur.

Graphiis, & minutissimis ictibus quidam torti, & confossi ex Suetonio, Dione, &c.

Habena, erat lorum, quo servi impuberes pro quæstione cædebantur. Horatius epistola *ad Julium*.

In scalis, inquit, *latuit metuens pendentis habenæ*.

Hecate, lignum erat in custodiis, ad quod delinquentes, ac noxii ligabantur, flagellabanturque, Gyraldus.

Hyperboli, dicti lapides, quibus ad cervicem religatis conscelerati in profundum demergebantur, ut colligit Cœlius Rhodiginus *lib.* XXI. ex Aristophane.

Hystriches, erant instrumenta, quibus discutiebantur nocentes; quod videtur ex setis suillis flagellum fuisse (ex Rhodigino) unde & conflatum nomen, quasi ex ὑείων τριχῶν.

Igne & fumo ex aggestis lignis excitato ad pedes, cruci affixos Martyres, aliosque cruciatos, notat Lipsius III. *de Cruce*: unde Christiani olim

A in ludibrium *Semaxii* dicti a stipite cui astringebantur, & *Sarmentarii* a sarmentis, quibus urebantur. Genus supplicii Avidius Cassius Imperator excogitasse fertur (ex Lampridio) ut stipitem prælongum poneret pedum CLXXX. & a summo usque ad imum damnatos ligaret, & ab imo focum apponeret, incensisque aliis, alios fumi cruciatu, timore etiam necaret. Et in *Nerone* refert Tranquillus, ad scalas Gemonias tractos multos, vel in arenam inserto gutturi unco protractos, ubi postea pendentium crura frangebantur, & igne injecto ardebant; quin truculentissimus Nero Christianis in usum luminis ardentibus est usus in vicis Romæ: Domitianus etiam faces per obscœna immitti jubebat.

B *Ignita* quoque *tunica*, quæ & *molesta* dicta, ignis alimentis illita, & contexta, mox succensa, cruciabiliter obvolutos nocentes amburebat. Pedes quoque Martyrum involutos lino, in oleum intincto, ac deinde incensos, refert Martyrologium.

Inscriptione damnabantur olim ignominiæ caussa, cum hominum facies liberorum, notis atris perpetuo permansuris, profundisque characteribus inurebantur. Meminit hujus supplicii Seneca lib. III. *de Ira* cap. III. cum ait: *Varia vinculorum genera, varia pœnarum, lacerationes membrorum, inscriptiones frontis.* Hæ pœnæ servos decebant. Suetonius in *Caio*, cap. XXVII. *Multos honesti ordinis deformatos prius stigmatum notis ad metalla, & munitiones viarum, aut ad bestias condemnavit.* Hujusmodi servi dicebantur Stigmatici, στιγματίαι servi videlicet ob crimina in facie notati: nam Veteres (ut a me quoque alibi notatum) servorum faciem, si quid gravius deliquissent, pœnæ nomine, aut litteris, aut aliis quibusdam notis per ignominiam inurebant.

C *In stagno* jussos rigere, tempore hyemali, supplicii loco Sanctos viros, notat Baronius in *Martyrologio*, ex Sancto Basilio, & Sancto Gaudentio. Plutarchus in *Lucullo*, inter genera tormentorum recenset Stationem sub dio, ardente Sole, & frigoris tempore in luto, & glacie.

Jugulationis pœna lenissima, quod mors, jugulo effracto, statim consequeretur.

D *Lacerationis* membrorum factæ a barbaris exemplum præbuit Marius Junior Frater Marii majoris, de quo Julius Firmicus *lib.* I. *cap.* I. *Prætorio*, inquit, *viro, minori scilicet Mario Syllana jussione elidunt crura prius; deinde dejecta de statu corporis brachia, humerorum tenus dissoluta reciderunt; tertio amputata lingua vocem reliquit in faucibus: ad postremum omni parte corporis mutilata, oculi, qui fuerant spectatores & superstites, eruuntur: & vix anima tantis vulneribus est erogata, cum hinc inde membris fluentibus minutatim spiritus carperetur.* De hoc vide Lucanum *lib.* I.

E *Laconicum*, id est, calidarium in balneis nimis calidis enecabat inclusos, supplicii ergo: de quo alibi.

Laminæ ferreæ candentes admotæ corporibus noxiorum ex Prudentio:

Nec sic inusta laminis ardet cutis,
Ut febris atro felle venas exedit.

F Cicero *Verrina* IV. *Quid? cum ignes, candentesque laminæ, cæterique cruciatus admoverentur?* Lamina ergo erat metalli cujusvis frustum, bractea crassius, quod igne calefactum noxiorum corporibus imponebatur, ut ea torrerentur.

Lampades ardentes admotæ interdum noxiis: hæ erant vasa, vel terrea, vel ferrea, lata palmo circiter, quæ pyramidis instar contrahebantur, & hastulis quibusdam quadratis colligata, igne flammam emittente replebantur.

Lapidationis nocentium sacra Historia passim meminit, & Lege Mosaica in adulteros, & blasphemos. Lapidatio usurpata, in proditores, eorumque cognatos apud Macedones. Apud Lusitanos neci destinati, lapidibus obruti, & parricidæ. In Perside veneficos vi eo compellebant, ut in amplo lapide caput impingerent, rursusque alio super inducto illud effringerent, Alex. ab Alex. *lib.* III. *cap.* V.

Lapidibus cæsas facies militum peccantium, refert Polybius *lib.* VI. dum recenset supplicia militaria, & non tantum illos cædi fustibus, sed etiam contundi lapidibus solitos narrat; quod factum apparet in SS. Quadraginta Martyribus sub Licinio Imperatore. Lapidibus ingentibus aliquando contundebant corpora, aut distrahebant ad pedes suspendentes. Lapidibus aliquando obruebant.

Lapidicinis, seu *Latomiis* damnatos olim servos, lapidibus scilicet cædendis, alibi a me judicatum. Res palam est.

Laquei pœna omnium vilissima, & ignominiosissima; & id genus mortis passim apud scriptores infame vocatur. Plinius *lib.* II. *cap.* XXV. hanc pœnam scite præposteram vocat, qua scilicet includitur spiritus, cui debet quæri exitus. Apud Romanos, more tradito, nefas virginem strangulari (ut a me alibi notatum) nisi prius a carnifice fuisset vitiata. In libris Pontificalibus (ut ait Servius) tantum erat, ut qui laqueo vitam finisset, insepultus abjiceretur, quod non ita intelligendum, ut suspensis fune fauces constringerentur, fieretque suffocatio; sed intelligendum est eorum, quorum brachia, & crura funibus cruci alligari solita.

Lebetes ferventes oleo, pice, & hujusmodi admotos Martyribus nemo ignorat.

Lectus ferreus, diversus a craticula, erat enim veri strati instar longus, paulisper elevatus, ut ignis posset supponi, cum ferri frustis in obliquum ductis, tabularum loco, paulum inter se distantibus.

Lingua quibusdam excisa linguario; hinc Linguarium dare.

Lora, vincula, quibus rei vinciebantur, hinc lorarii servi loris destinati, hæ corrigiæ erant ex corio factæ, quibus non solum vincti, sed & verberati, & discerpti crudeliter.

Lumbifragium. Vide Durand. Casel. *lib.* II. *cap.* XIII.

Mala mansio, genus videtur fuisse tormenti. Ulp. *in l.* 7. *ff. depos. Si hominem apud se depositum, ut quæstio de eo haberetur, ac propterea vinctum, vel ad malam mansionem extensum, sequester solverit*. Idem in *l.* 15. *§.* 3. *ff. de injur. Quæstionis verbo etiam ea quam malam mansionem dicunt, continebitur*. Quidam eculeum hac periphrasi significari volunt. Alii tamen metaphoricôs intelligi arcas volunt, in quas conjiciebantur servi, & alii malefici, de quibus erat quæstio habenda: quarum meminit Cic. in *Miloniana*: *Subito*, inquit, *arrepti in quæstionem, tamen separantur a cæteris, & in arcas conjiciuntur, ne quis cum his colloqui possit*: Robur, has videtur Festus, & Valerius appellasse, quoniam erant in robore. *Robur*, inquit, *hic in carcere dicitur locus is, in quo præcipitatur maleficorum genus. quod ante robusteis arcis includebatur*. Sed suo loco, de Robore.

Manibus, *pedibusque* milites desertores præcisos fuisse Avidii Cassii Tyranni invento, Volcatius narrat in *ejus Vita*.

Manicæ, manuum vincula, ut pedicæ, & compedes pedum.

Metallum, ut dictum, genus pœnæ mediocris, cum nocentes ad eruendas metallorum venas damnabantur. Hujus pœnæ inventor (ex Eutropio) Tarquinius Superbus, quanquam legatur Semiramidem ante ad metalla captivos exercuisse. Discrimen quoque addidi, de his, qui in metallum damnati, & qui in opus metalli: illi enim gravioribus, hi levioribus vinculis premebantur, qui omnes dicti metallarii.

Murices, sunt tribuli, seu machinulæ ferreæ, tetragona forma, in quamcunque partem cadentes, aculeos protendunt; hi sparsi non solum contra equites hostes, sed sub nudatis Martyribus una cum testis fractis, & vitris, suppositi.

Muscarum aculeis noxios expositos olim in pœnam ex variis colligo, & Apul. *lib.* VIII. ubi hæc habet: *Arreptum servulum ejus, qui caussam tanti sceleris luxuriæ suæ præstiterat, nudum, ac totum melle perlitum firmiter alligavit arbori ficulneæ, cujus in ipso carioso stipite inhabitantium formicarum nidificia bulliebant, & ultro, citroque commeabant multivaga scaturigine, quæ simul, ac dulcem, mellitumque corporis nidorem persentiscunt, parvis quidem, sed numerosis, & continuis morsiunculis penitus inhærentes, per longi temporis cruciatum, ita carnibus, atque ipsis visceribus adesis homine consumpto membra nudarunt, ut ossa tantum viduata pulpis nitore nimio candentia funestæ cohærerent arbori*. Hæc ille.

Huic non absimilis Cyphonismus, de quo etiam supra, a Cyphone, quod erat vinculum ligneum, sive ferreum, quo quis ad ignominiam ligatus, detinebatur melle delibutus, expositusque muscis. Dicitur cyphon ἀπὸ τȣ κυφίζειν, id est, *caput proclinare*. Unde etiam Cyphon, est collare, seu vinculum ligneum, quo nocentes vinciuntur. Apud quosdam ita cautum animadverto, ut quisquis per audaciam, legum placita risui habuisset, diebus viginti in Archivio vinctus Cyphone perseveraret nudus, melle, & lacte delibutus, ut apibus, muscisque esset pabulum; dilapsis vero his, muliebri indutus veste, deturbaretur in præceps. Hæc Cœl. Rhodig. *antiquar. Lect.* lib. x. cap. v. in fine.

Delibuti etiam lacte, & melle exponebantur muscis, qui patiebantur *Scaphismum*, sic dictum id genus cruciamenti, quod damnatus ad scaphismum, inter duas scaphas inclusus, prominentibus capite, manibus, ac pedibus tantum, ad volatilium aculeos sic perunctis, ad Solis radios exponeretur: cumque in eodem vase corporis fæces exonerare cogeretur, vermibus ex putredine exortis intus infelix depascebatur. Agit Eunapius Sardianus de Scaphismo pluribus in *Vita Philos.* At quoniam ejusmodi genus tormenti non semper scaphis exhibitum reperitur; sed corio bovis arido; quo miser sic consumendus insuebatur, dictum puto scaphismum, non a scaphis. sed a scaphio, quod est vas stercoriarum; ut est in *l.* 29. §. *penult. ff. de auro & argento legat.* Habemus de Chrysantho Martyre, hunc obvolutum corio, expositumque Soli, scaphismi supplicium passum esse; itidem alios nonnullos Martyres.

Huic simile erat illud cruciamenti genus, cum quis non scaphis, vel corio claudebatur, sed intra mortuum animal, solo capite prominente, insuebatur, quale genus supplicii Maximinum in miseros sontes exercuisse, auctor est Julius Capitolinus in *Vita ipsius*, de quo etiam Valer. Max. *lib.* IX. *cap.* II. de crudel. exter. his verbis: *Mactatarum pecudum intestinis, & visceribus egestis, homines insuere, ita ut capitibus tan-*

A *tummodo emineant, atque, ut diutius pœnæ sufficiant, cibo, & potione infelicem spiritum prorogare, donec intus putrefacti sint animalibus, quæ tabidis corporibus innasci solent*. Hæc ille.

Huic simile est supplicium illud, quod Apulejus libro *de Asin. aur.* in fine narrat in hunc modum: *Hinc asinum jugulare crastino placeat, totoque evacuato præcordiis per mediam alvum nudam virginem insuere, ut sola facie prominente, cæterum corpus puellæ nexu firmo coerceat: tunc super aliquod saxum scrupulosum, insititium, & fartilem asinum exponere, & Solis ardentis vaporibus tradere*, &c.

B *sic enim patebat inclusa volucrum, & canum morsibus, ac scatentibus vermibus*. Id fere generis erat portentosum illud a Mezentio excogitatum supplicium, cum vivorum corpora cadaveribus adversa, adversis alligaret, atque conjungeret, ita ut singulæ membrorum partes singulis essent accommodatæ, simulque tabescerent, Valerius Max. Virg. *Æn.* VIII.

> *Mortua quin etiam jungebat corpora vivis,*
> *Componens manibusque manus, atque oribus ora:*
> *Tormenti genus, & sanie, taboque fluentes*
> C *Complexu in misero sic longa morte necabat.*

Sed ut ad Scaphismum redeamus. Speciem quamdam Scaphismi præseferebat cruciamentum illud a Cajo Caligula excogitatum, de quo Sueton. scribit in *Cajo* cap. XXVII. quo miserius homines perbrevi caussa coercebat, uti suarum egestionum putredine consumerentur. Quod autem hic habetur de Christianis vinctis ad radios Solis expositis: Simile cruciamentum refert Gellius *lib.* VI. *cap.* IV. dum agit de Attilio Regulo, quem a Carthaginensibus apertis oculis sursum, ac deorsum diductis, consutis palpebris ad Solis radio-

D fuisse expositum tradit. Porro supplicium Reguli hoc amplius habuit, quod erat arca clausus, undique extrinsecus clavis confixa, ut testatus, post alios, Tertullianus lib. *ad Martyres*.

Navibus fractis sine velo, atque remigibus quosdam impositos legimus, & sic vastissimo mari ad certissimum naufragium commissos.

Nervi appellantur ferrea vincula, quibus impediuntur pedes, aut cervices. Plautus quoque cervices vinciri ait; hinc apud Gellium Catonis festivum adagium: *Privati fures in nervo, & compedibus ætatem agunt; publici in auro, & purpura visuntur*. Quandoque vero nervus erat flagelli genus,

E quo noxii verberabantur.

Nervo bovino a fronte ad aures circumacto, seu chorda oculos eruebant & trucidabant, ut refert Procopius.

Numellæ, genus vinculorum ligneorum ad discruciandos noxios paratum, quo & collum, & pedes immittuntur, κύφων. Plautus in *Asin.* Act. III. Sc. II.

> *Qui adversum stimulos, laminas, cruces, compedesque,*
> *Nervos, catenas, carceres, numellas, pedicas,*
> F *bojas.*

Festus Numellam vinculi genus asserit, quo canes solent alligari. Varro *de re rustica* lib. II. *Consuefaciunt canes, ut alligari primum possint levibus numellis*. Numella aliquando vinculum, quo quadrupedes alligantur, aliquando varia vinculorum genera.

Obeliscis ferreis accensis sub alis, vel lateribus aut suris Martyres aliquando torti.

Ocrea crurifragia.

Oleo etiam ebullienti perfusi Martyres, ut D. Joannes.

Oculi aliquando effossi in contumeliam, ut D. Luciæ.

Ollam æneam, Josephus de Machabæis in eorum martyrio ita describit: *Hæc loquens, jussu Regis raptus, carnificum manibus ollæ æneæ imponitur* (hoc pœnali supplicio nomen est) *prælo gyrato sanctum caput ad genua pellitur, sicque corpore deorsum redacto, pugil in ea, quam diximus, olla miserrime delituit*: hanc Martyrologium vocat ollam ferventem.

Palis acuta cuspide per viscera transfixis torquebant aliquando noxios; aliquando per obscæna more Turcarum.

Paratilmos, supplicii genus erat, quod pauperioribus in adulterio deprehensis irrogabatur; siquidem ditiores pecunia se redimebant. Inopi expilabatur podex, unde & nomen: nam παρατιλλεσθαι *evelli* significat. Erat eorundem *Aporaphanidosis* quoque, cum in anum intruderentur raphani, aut quid ejusmodi, ut est apud Catullum.

Pectinibus ferreis carnes dilaniabant, similibus iis, quibus lana pecti solet.

Pedicæ (ex Isidoro) laquei, quibus captivorum pedes illaquebantur, sic dictæ a pedibus capiendis, ut manuum vincula manicæ dictæ.

Pentesyringon, ex Rhodig. *lib.* XVII. *cap.* VIII. Pollux ait fuisse lignum, & item Sphalon, sicut tympanum, inter carnificis instrumenta.

Plumbatæ, erant flagelli genus ex funiculis, aut loris factum, quorum summitatibus glandes plumbeæ alligabantur, quo postea terga, ac collum damnati hominis verberabantur; hæc pœna tantum viliorum personarum, & debitorum, quos exemit Constantinus Magnus. Plumbo quoque utebantur ad excruciandum, vel liquente per totum corpus perfuso, vel appenso brachiis revolutis sublime, & pedibus, quæ dicta pondera plumbea, hæc erant aliquando lapidea. Supradicta plumbata flagella licet non essent ad inferendam mortem (nam ex legum præscripto citra mortem verbera permissa) complures tamen inter ictus plumbatarum expirasse legimus: verberabatur tergum, & cervix plumbatarum ictibus.

Podastrabe, instrumentum tortorium, quo torquetur aliquis manibus pedibusque ligatis. Schol. Demosthenis.

Pollicibus aliquando digitorum Martyres suspensi pro tormento summo feruntur.

Pondera lapidum tormentum erat, cum nimirum parabantur ingentis ponderis lapides rotundi, vel oblongi ferreum anulum saxo impactum habentes, quo immittatur funiculus ad alligandum, ac suspendendum ad pedes, vel manus in sublime. Josephus de Machabæis ita: *Inhumana crudelitate aliquid majus excogitat: orbiculare in medium afferri jubet: hinc cum pedes, una cum manibus deorsum colligati fuissent, sanctum quoque chorda orbiculari ventrem circumcingit, in altum usque contrahit. Nec mora separatur a sede sua dorsi junctura, crura cum brachiis trahuntur, ejiciuntur humeri, sicque, singulis nervis districtis, solvitur Martyr invictus*. Diversa ab his erant illa pondera, quæ lege XII. *Tabularum* exhibebantur debitoribus; erant enim compedes, de quibus Gellius *l.* XX. *c.* V. ubi hæc habet: *Vincito autem nervis, aut compedibus* XV. *pondo non minore, aut si volet, majore vincito*, &c. Vetuit Constantinus Imperator admoveri pondera debitoribus.

Prælum est pressorium instrumentum, quo Martyres pressi, atque plicati in ollam ferventem projiciebantur.

Pudendorum truncatio erat pœna pædiconum, videndus Procopius in *Hist. arcana* cum *Notis* Alemanni.

Punctis creberrimis utebantur non ad cruciandum tantumodo, sed & ad ingerendam necem; cujusmodi supplicium excogitatum est a C. Caligula severissimo Principe; de quo hæc Suetonius *cap.* III. *Non temere in quemquam, nisi crebris, & minutis ictibus animadverti passus est, perpetuo, notoque præcepto ita fieri, ut se mori sentiant*. Et in *Galba* c. XVII. minutissimis ictibus ipsum Galbam fuisse excarnificatum testatur. Porro diversum erat hoc supplicium ab illo, quod ad excruciandum tantum, non autem ad occidendum inferri solitum, de quo Plautus.

Neque nisi supplicium stimuleum de te datur. &c.

Prudentius:

Illiaque infestis perfodiunt stimulis.

Puteo demergi consuevisse, qui cruciabiliter punirentur, ex Plauto, & aliis licet cognoscere.

Radiis Solis objecti Martyres, aliquando simpliciter palis ligati, aliquando sportis ex junco confectis sublati in altum, postremo humi positi manibus post terga ligatis.

Rasura capitis ignominiæ, & supplicii caussa fuit olim, ut colligitur ex Apulejo, quæ dicebatur Decalvatio, quam usurparunt etiam tyranni in sanctas Virgines Christianas, ut habet Martyrologium ex Baronio, hinc Moniales nostræ rasuram capitis admittunt, ut quæ opinione hominum viderentur contemptibilia, si vera religione fierent, honesta, ac sancta haberentur, vel (a me alibi ut dictum) ut se victimas Deo dicatas ostenderent, neque amplius in profanos usus usurpandas.

Orientales Imperatores cum viam ad dignitates præcludere volebant, vel invitos sacris initiandos curabant, uno autem verbo dicebant *Detondere*. Procop. Jo. Curopalata.

Rotæ supplicium fuisse antiquissimum, ostendit Aristophanis Interpres in *Pluto*: *Rota*, inquit, *torqueri te illic necesse est, ut exculpatur, quod operum fecisti*. Inibi Interpretes adnotarunt servile id supplicium fuisse. Alioqui Rotæ inferuntur noxii & membratim rotarum convulsi radiis, lentitudine mortis, maximo cruciatu perimuntur. In *Nicia* Plutarchus scribit, tonsorem rotæ alligatum amplius torqueri cœpisse. Josep. de Machabæis ita scribit: *Decretum dat, ut si quis eorum in patria consistens, ad sacrificia migrare noluisset, districtus rotæ impetu disrumperetur*. Et inferius: *Illi igitur mole pedibus appensa, atque innecti rotæ jubet Machabæus, ita etiam in gyrum circuli porrectus, ut solutis hinc inde visceribus, venisque distentis dolores ipsius, & pœnæ crescerent*. Et infra: *Ut erat affixus rotæ, ignis in catasta objicitur, atque ita tendentibus corpus radiis, & contrahentibus flammis, costis deinde patentibus vitalia rumpuntur*. Ex quibus infertur, rotæ tormentum non ad incidendum corpus, sed ad extendendum & dissolvendum esse compositum. Rotis quatuor in diversum actis, ut manus, & pedes a corpore discerperentur cum brachiis, & cruribus. Aliud rotæ supplicium teterrimum fuisse lego, sed idem cum quadrigis, quibus Mætius Suffetius fuit dilaceratus, quare crediderim rotæ supplicium diversum valde.

Rota (ex Suida) erat instrumentum tortorium, & ex tendens corpora, eaque convellens; & servi in rota ligati flagellabantur. Rota Ixionis jam satis est decantata. Apul. *lib.* III. *nec mora, cum ritu Græciensi ignis, & rota, tum omne flagitiorum genus inferuntur*. Virg. VI. *Æneid.*

—— Radiisque rotarum
Districti pendent.

Rota ergo in loco alto locata primum. Deinde cruciandi in ea illigabantur radiis ipsius, ut colligitur ex Virg. Plut. Josepho de Machabæo, & aliis. Hæc alligatio fiebat ad axem in radiis, ut esset axi proxima. Tertul. *Apol. Licet nunc Sarmentitios* (ita vocabantur Christiani, ut a me alibi) *& Semaxios appelletis, quia ad stipitem dimidii axis revincti, tormentorum ambitu exurimur*. Inde necessario magis flectendum corpus, quod non sine summo cruciatu.

Semaxii dicti, quia ad medium axem essent ligati. Hæc illigatio funibus facta, in qua tria inerant ad cruciatum. Primum, ita nocens illigabatur, ut innecteretur radiis. Hic cruciatus summus: cum, miserum corpus ut aptaretur, deberet necessario frangi, exossari, exvertebrari. Alterum, corpus in hac illigatione tendebatur quantum poterat, ut loca supra citata, & alia probant. Tertium, non corpus tantum, id est, truncus ipse ligabatur, sed etiam manus, & pedes. Præter illigationem, corpus misero spectaculo pendebat.

Deinde in gyrum rotabatur velocissime, & rota (ut innuit Pindarus) ita erat artificio compacta, ut jam in unam partem versaretur, jam conversim in aliam mutato motu. In hac conversione, viscera, ac membra omnia, miserum in modum, divellebantur. Sequebantur pœnæ, comites hujus carnificinæ. Primo pedibus alligati hominis appendebatur saxum, quo corpus mole illa magis premeretur Deinde ista carnificina non fiebat sine igne. Rationem affert Josephus: *Ut tendentibus corpus radiis, & contrahentibus flammis, costis deinde patentibus, laterum vitalia rumperentur*. Tertio comitabatur flagellatio. Quarto mutilatio membrorum. Vide Cerdam *ad* VI. *Æneid. Virg.*

Rotarum præterea duo erant genera, aliud latum, & magnum, aliud arctum. Rota lata adinventa, ut in montem aliquem excelsum allata, ibi convexo ejus reus vinciretur, & deinde ex ejusdemmet montis cacumine simul cum damnato per præcipitem, lubricamque viam vi deorsum ad singula alligati membra comminuenda demitteretur. Aliæ rotæ latæ habebant in convexo gladios, clavosque acutos, quibus in aere pendentibus funiculis Martyres vincti, quos deinceps simul cum ipsismet rotis supra ferrea acuta quædam terræ affixa cum impetu iterum atque iterum volvebantur, ut exterius corpus dilaniaretur: ita B. Catharina dilaniata fertur. Addebantur præterea virgæ, fustes, dum rotabantur corpora in sublime, & ignis supponebatur ad corpora torrenda. Aliud arctum, in quo singulis rotarum interstitiis prædictis adhuc arctioribus sic membra noxiorum primum vectibus ferreis confracta immittere, atque inserere tentabant, ut quasi intexti radii viderentur. Deinde rotas in rectorum stipitum terræ fixorum eminentiori parte collocantes, diu hoc prorsus modo, eos vivere sinebant. Rotas præterea, quibus Martyres torti, fuisse aliquando vel trochleas, vel equuleum negare non ausim. De Rotæ tormento vi de Junium *lib.* III. *cap.* XII. *Sagittis* confecti Mar-

A tyres, quod in uno Sebastiano satis liquet.

Sarmentitium, supplicium adversus Christianos usurpatum testatur Rhodiginus *lib.* X. *cap.* IX. unde dicti Christiani Sarmentitii, & Semaxii probrose, quod ad stipitem dimidii axis revincti sarmentis circumjectis amburerentur, ut supra dictum est.

Sartagine olei ferventis tortos fuisse Martyrologium innuit. Sartaginis ignitæ meminit Hieron.

Scaphismus supplicium apud Persas Derbices tale est, quod σκαφευθῆναι vocant. Scaphas duas inter se congruentes accipiunt. In altera supinum
B eum, qui pœnæ est destinatus, locant: inde inducunt alteram, & coaptant ita, ut caput, manus, & pedes exerantur, reliquum fit inclusum corpus, tum cibum homini præbent, quem si rejiciat, compellunt, oculos fodicantes, eum sumere. A cibo, mel, & lac confusum, ad potum infundunt, tum ad solem obvertunt assidue oculos ejus, ut incubantium examine muscarum tota integatur facies. Cum autem intus faciat, quæ homines, qui edunt & bibunt, necesse habent: tineæ, & lumbrici ex tabe, & putredine excrementorum proveniunt, a quibus corpus in viscera
C penetrantibus consumitur. Postquam constat expirasse hominem, ablata superiore scapha, carnem cernunt corrosam, ejusmodi vermium examina mordicus affixorum visceribus, atque adedentium. Ad hunc modum Mithridates, qui Cyrum Regis fratrem in prœlio vulneraverat, & hujus facti gloriam sibi, non Regi vendicabat, septendecim dies tabescens, tandem interiit. Plutarchus in *Artoxerxe* ait, hoc supplicium datum etiam insutis in utre, aut corio Soli expositis.

Schœnismus, torturæ genus, quod fit per funes; σχοῖνος enim Latine *funis* dicitur: hinc *Schœnobatæ*,
D funambuli.

Secabantur debitores membrorum extremitatibus.

Scorpio, aliquando est machina bellica, de qua, & aliis, consule Lipsium meum, de Machinis eruditissimum, hic vero interpretamur pro flagello. Isidorus præit mihi his verbis: *Virgæ sunt summitates frondium, arborumque dictæ, quod virides sunt, vel quod vim habeant arguendi, quæ si lenis fuerit, virga est, si certe nodosa, vel aculeata, Scorpio, rectissimo nomine vocatur, quia arcuato vulnere in corpus infligitur*. Jeroboam III.
E *Reg.* cap. XII. Cædam scorpionibus. Vide Jac. Dur. *lib.* I. *cap.* XV. His similes erant virgæ palmeæ aculeos habentes, qui inhærerent cæsorum lateribus.

Securi cervices reis fractas, tam notum quam quod maxime; & Legibus Romanis ea prælata, vitæ, necisve imperium innuebat: quare libertate vindicata, securis e fascibus sublata, ut lenitatem Coss. præseferrent.

Sedes ferrea, seu *sella* Agathoclis tyranni ad necandos homines, ex historiis satis est nota, ut etiam galeæ, tunicæ, crates ignitæ, de quibus alibi.

Sudaculum, flagellum fuit, quod sudare facie-
F bat vapulantes, sic dictum.

Serra, instrumentum ligneum, quo trahentibus bobus homines torquebantur.

Serris ferreis sectos Martyres legimus in historia sacra.

Solarium expositionis erat locus, ubi rei exponebantur, inspiciendi per cancellos ab Imperatoribus.

Solis radiis pluribus modis expositi, ut excæcarentur, & torquerentur simul.

Soricibus rodendi Martyres aliquando traditi in caveis, locisque subterraneis.

Spoliarium, spoliorum significat receptaculum; aliquando tamen sumitur pro loco ubi excarnificantur nocentes. Rhod. *lib.* XVII. *Stimulis* agebantur, & vexabantur patibulati, ut cum Plauto loquar, dicente:

O carnificinum cribrum? quod credo fore,
Ita te forabunt patibulatum per vias
Stimulis, si noster huc reveneris senex.

Stimuli oblongi facti, sive e subibus praeacutis, sive ferro praefixis: sumptum id a bobus, qui sic extimulantur.

Stipitis tormentum, quale fuerit, dictum supra. Ad stipites quoque nudati clavis ferreis affixi, vel sagittis confixi; aut ungulis, uncis, pectinibus excarnificati, morsibus ferarum objecti.

Streblæ instrumentum erat ad luxandos artus accommodatum: sicut etiam Arthrembolæ: deinde vectibus eos detruncabant.

Subulis, id est, instrumentis sutoriis ad calceos, & corium perforandum, vel quibus linum pectitur, tortos fuisse, lego in Josepho, de Machabæis, ita dicente: ***Subulis etiam ferire pendentis latera ad viscera usque jubet, ut per eas, quæ bis ductæ erant in longum tramitem, rimas, ad intimas fibras flamma perveniret, atque ut dolor simul ipse major increfceret, tactu vulnerum, ac subustione membrorum cruor scaturiens ardore in spumas decoctus, miro modo ad caput ejus descendit.***

Suspendii pœna notissima ad arborem infelicem, capite obnupto, ex veteris carminis lege. Infelicem arborem existimabant damnatam religione, quæ neque feritur, neque fructum facit. Tarquinius vero Priscus in Ostentario Arborario sic ait, Arbores, quæ inferum Deorum, avertentiumque in tutela sunt, eas infelices nominant, ut quæ baccam nigram, nigrosque fructus ferunt.

Suspendebantur aliquando noxii altero pede, aliquando capillis, aliquando oneribus collo, & pedibus ligatis, aliquando altero brachio, aliquando utroque, aliquando suspensi virgis cæsi, vel diris aliis modis excarnificati.

Tabularia tormenti genus. Seneca *lib.* III. *de Ira* cap. XIX.

Tædis adusti Martyres, & telis confixi, Terebris excruciati; Terra obruti; Testis concisi.

Talifragium pœna servorum, quibus tali fracti ex Plauto, ut crurifragium.

Tarpeja rupes erat saxum Capitolii, e quo deturbati sontes. Id notum omnibus.

Taurea, est scutica ex taurino corio facta, Græcis ταυρέη dicta. Juvenalis *sat.* VI.

—— *Taurea punit*
Continuo flexi crimen facinusque capilli.

Tarquinii Superbi inventum, ex Eutropio, una cum vinculis, fustibus, compedibus, latumiis, & metallis.

Torculari compressi olim per summam sævitiam miseri nocentes.

Tauro objecti Martyres dilaniandi vel in caveis, vel in arena, seu Amphitheatro.

Trochlea est tota illa machina, quæ continet rotulam, & axiculum per rotulam trajectum, circa quem rotula versatur. Aliquando sumitur pro instrumento tortoris, per quod funis tortorius immissus ligatum brachiis revinctum reum sursum trahit, vel demissum deorsum relaxat: extensio vero ad trochleas erat diversa; nam in terra extensus ad trochleas virgis, ac fustibus cædebatur: Ex Gregorio Turon. Trochlea (teste Vitruvio) est tractorii generis machina cum æreo, aut lineo orbiculo, sive rotula, quæ per axiculum versatur, trajecto fune ductario. Hoc instrumento olim torquebantur ita. Desigebantur primum humi tot stipites, quot erant hoc supplicio afficiendi: deinde a constitutis ministris rei manibus quandoque, quandoque pedibus, hinc funibus trochlearum, hinc stipitibus alligabantur: quo facto tractis jussu judicum funiculis misere ipsorum corpora extendebantur. Interim fustibus cædebantur; aut denique sulphure, resina, oleoque ferventibus perfundebantur. Postremo sublimes iidem elevabantur, eo modo, quo nunc rei mortis, revinctis post terga manibus, extorquendæ caussa veritatis, fune elevari solent; aliquando ita elevati ictu celeri super silices pondere corporis demissi, & lapidibus acutissimis animam efflabant. Trochleis plerumque torti malefici, impiique homines, & homicidæ.

Tunica molesta, erat vestis ignis alimentis illita, & intexta, ac mox succensa obvolutos noxios incendio adsumens. De hac Sen. *epist.* XIV. aliique. Aliquando etiam in usum nocturni luminis destinata fuere noxiorum corpora. Tacitus *An.* lib. XV. *Ea præeuntibus* (Christianis) ***addita ludibria, ut ferarum tergis contecti, laniatu canum interirent, aut crucibus affixi, aut flammandi; atque ubi defecisset dies, in usum nocturni luminis uterentur.***

Tympanum in Aristophanis *Pluto*, ex Rhodigino, lignum erat, quo cædebatur reus. In Tympano apud Græcos homines tortos refert Turnebus: unde Tympanotribam hominem nequam vocat Plautus in *Trucul.* quodnam vero, & quale fuerit, nullus, quod sciam, innuit. Cerda vero in *Adversariis* annuit esse tormentum, quo valide distendebantur; & pulsabantur uti pelles distentæ in tympano.

Hic dictus eculeus, qui est tympani species: sub tympano enim multa intelliguntur instrumenta tortoria, sc. Cochleæ, fidiculæ, crux, catasta, eculeus quandoque: sicuti nomine catastæ eculeus, lectus ferreus, scala, compedes, crates ferrea, tortorium tabulatum & pegmata publica, seu tortoria tabulata. Tale supplicium Anaxarchi.

Veneni, seu *cicutæ* extremum supplicium tam notum est, quam quod notissimum.

Vestis injectu enecti olim aliquando, ut Tiberio contigit, ex Tacito *Annal.* VI.

Vinculorum genera hæc recensentur, boiæ, camus, catenæ, collare ferreum, manicæ, nervi, numellæ, pedicæ, & alia supra narrata.

Virgæ (de quibus etiam supra) licet ignominiosum esset genus supplicii, levius tamen cæteris fuit.

Erant virgæ ulmeæ propriæ servorum, ut colligitur multis ex locis Plauti.

Virgas Magistratuum ex betulla, seu (ut Plinio placet) ex salice, factas, a me indicatum.

Virgæ etiam erant sanguineæ, quibus parricidæ, antequam culeo insuerentur, verberabantur; arbores vero, ex quibus virgæ sumebantur, ab illis dicebantur infelices, ut quæ essent infrugiferæ, & non satæ. Virgarum ergo universarum materia ex betulla, ex fraxino, ex salice, ex quercu, ex sanguineo, ex ulmo, ex vite, ex ferro, ex plumbo, ex spinis.

Uncini ferrei, sive unci ad torquendum, & excarnificandum parati. Erat & uncus instru-

mentum ad trahendum reum ad pœnas. Juvenalis *Sat.* x

— *Sejanus ducitur unco.*

Cadavera quoque uncis tracta. Uncus ergo est hastula oblonga ab altero latere habens ferramentum incurvum, quo damnati tracti ad scalas Gemonias.

Ungulæ ferreæ bisulcæ instrumenta erant tortoria, ita dicta, quod ferarum imitentur vestigia, quarum meminit Tertul. uti & asciæ, & runcinæ. Josephus de Machabæis, his verbis: *Exhibentur itaque rotæ, ungulæ, rutabula, catapultæ, lebetes, catastæ, frixoria, digitalia, pugillaria, manus ferreæ, subulæ, succensoria, ollæ æneæ, sartago.*

A Hæc de Suppliciis, Tormentisque reorum, & innocentum tyrannice excarnificatorum.

Præter Tormenta pœnalia, erant & militaria, scilicet, Aries, Catapulta, Ballista, & Scorpiones, &c. de quibus abunde satis, & erudite, præ cæteris, Lipsius, aliique non infimæ classis auctores. Lipsianum compendium nuper typis mandatum palmam mihi præripuit multorum, quæ muginabar ab obitu illius clarissimi viri, quem uti Lovanii docentem audivi, ita morientem epicediis, lacrymisque condecoravi: cujus fama superstes æternum florebit, vigebit, in meique pectoris adytis tanti viri memoria tamdiu virebit, quamdiu Phœbea lampas in Cœlo lucebit.

F I N I S.



EVERARDI FEITHII

ANTIQUITATUM HOMERICARUM

LIBRI IV.

IN QUIBUS FERME OMNES EORUM TEMPORUM PER GRÆCIAM RITUS, CEREMONIÆ, AC MORES, TAM IN SACRIS, QUAM IN PROFANIS, EXPONUNTUR ET ILLUSTRANTUR.

CLARISSIMO, DOCTISSIMOQUE VIRO,

JOHAN. COCCIO,

HUMANIORUM LITTERARUM IN ACADEMIA LUGD. BAT. PROFESSORI,

HENR. BRUMANUS

S. D.



MAJORUM nostrorum memoria, cum post diuturnum exilium Græcæ litteræ in Italiam, atque inde in cæteram Europam essent reversæ, nihil prius habuere Doctissimi quique, quam veteris Græciæ Geographiam, sacra, res politicas & militares e vetustatis tenebris eruere: egregiamque inter plures operam præstitere Sophianus, Gerbelius, Sigonius, Cragius, Meursius, Emmius, Sopingius, Laurenbergius, Palmerius, beneque hoc labore de posteritate meriti fuere. Perrexit eadem via hic, quem in lucem edimus, Everhardus Feithius. Qui natus superiori sæculo Elburgi Gelrorum, honesta familia, quæ summos in patria gessit, etiamque nunc gerit honores, postquam aliquot annos Philosophiæ, præsertim quam Peripateticam vocant, impendisset, relictis velut asperis inamœnisque sylvis, ad elegantiores litteras animum applicuit, tanto studio & diligentia, ut brevi in intima non tantum Græcæ, sed & Hebrææ linguæ adyta penetrarit. Cujus amplissimum ei perhibuere testimonium Clarissimi Benearnensis Academiæ Professores. Post longam peregrinationem in patriam redux, offendit fœderatum Belgium terrificis Hispanorum, Spinola ductore, exercitibus perculsum: &, nisi egregia, constansque etiam in adversis nostrorum virtus obstitisset, in infelicissima fueramus fata projecti. In hoc armorum strepitu Feithius patria excessit, & in Gallia larem fixit, Græcamque linguam est professus, clarus amicitia doctissimi Casauboni, Puteani, Illustrisque Thuani. Rupellæ vero in Santonibus famulo comitante obambulans, in civis Rupellani ædes vocatur: ac magistratu diligenter licet inquirente, nusquam post a suis conspectus est, ingenti litterarum detrimento. Certe, si ad justam senectutem, quem fata tantum sæculo ostendisse visa sunt, pervenisset, celeberrima ingenia adæquasset. Testantur hoc plurima ejus opera inchoata, quæ post ejus interitum, tanquam tabulæ e naufragio, in Belgium & manus hominum minus curiosorum pervenerunt, hæredumque incuria perierunt. Ingens viri eruditio apparet etiamnunc ex fragmentis, in quibus Hesychium, Suidam, alios, & veterum Poetarum Græcorum Scholiastas illustrat, integritatique restituit. Inchoaverat inter cætera, vel potius ultimam manum imposuisse videtur Antiquitatum Atheniensium libris octo: quorum primus Athenarum descriptionem continens, nitide auctoris manu descriptus ad nos pervenit; spesque etiam superest reliquos non omnino periisse. Damus interea, ut auctor eos inscripsit, ANTIQUITATUM HOMERICARUM libros quatuor. Elegans sane argumentum, & quod doctissimum quemque antiquorum exer-

cuit: ſed quod dolendum, monumenta ea poſteritati invidit temporum injuria. Hermiæ, Stratocliſque, qui de Homerica armorum regnique diſciplina commentati fuere, ſolum extant nomina. Atque hæc potiſſimum cauſa fuit, quæ te, Cocci vir clariſſime, aliiſque hortantibus (inter quos collega tuus, meuſque, dum fata Deuſque ſinebant, affinis J. Fred. Gronovius) hunc librum in lucem emiſit. Accedebat, quod hominis mihi tam propinqui (avo meo materno frater fuit) labores perire ſinere, de ſuis male merentis videretur. Tuum itaque eſt, hunc fœtum patrocinio tueri, cujus cura prodit dias in luminis auras. Interea ſedulam operam navabo, ut conſequar ea omnia a Feithio elucubrata, quæ rem litterariam illuſtrare poſſint. Dabam Svollæ a. d. v. Kal. Aug. A. cIↃ IↃ C LXXVII.

L E C T O R I S.



Uantum fuerit ingenium Everhardi Feithii, & eruditio quam elegans, ex hoc ejus Libello de Homericis Antiquitatibus *intelligi poteſt: ubi cum ſibi poetarum principem ornandum ſumpſiſſet, complures etiam ſcriptores alios, omneſque, propemodum eorum temporum ritus ac mores illuſtrat. Videre licet hic amœnam varietatem ac ſilvam; in qua ſacræ & profanæ res, publicæ privatæque, regum eiſque parentium, pacis bellique negotia, ratio victus & veſtitus, & omnia, quorum in vita mortalibus uſus eſt, ſeſe offerunt. In ea multarum rerum diverſitate diffundit quidem aliquantum ſe noſter; verum hoc etiam utitur judicio ac temperantia, ne laſciviat ac luxuriet; utque non Latinam tantum & pulchram, ſed puram quoque, terſam, & caſtam dicendi rationem teneat. Juſtiſſime vero dolebunt literarum amantes, quod indoli tantæ perennare non licuerit. In ipſo enim ætatis flore & adoleſcentia raptus eſt: cui ſi fata dediſſent majores in luce moras, viros, quos eruditione maximos unquam tulit Belgium, æquiparaſſet. Nunc eum dolorem utcunque ſolemur his* Antiquitatibus, *exſpectantes & alia Feithii Scripta, quæ præſtantiſſimus Brumanus, Rector Scholæ Zuollanæ, colligit.*

INDEX CAPITUM.

EVERARDI FEITHII ANTIQUITATUM HOMERICARUM

LIBER I.

CAP. I.

DE DIIS VETERUM GRÆCORUM.



OMNIS hominum vita sacris, aut profanis rebus occupata est. Ordinem ducunt Sacræ, natura cuique præeunte, ac dictante, principem omnium esse Deum, & supra alia curandum. Eundem nos quoque sequi par est in priscis Græcorum moribus describendis: præsertim cum nihil prius, antiquiusve habuerint religiosa Numinis veneratione. Singularis profecto eorum hac in re fuit *περιεργία curiositas*; qua factum, ut in varias, ac pene infinitas superstitiones sint distracti. Etenim, dum *ἀθεότητος, ejurationis Deorum*, crimen quam longissime declinare conati sunt, in immensam *πολυθεΐαν*, *Deorum multitudinem*, inciderunt. Usque adeo, ut qui inter eos fuerunt *δεισιδαιμονέστεροι*, *superstitiosiores*, Athenienses, etiam *Ἀγνώστων Θεῶν*, *Ignotorum Deorum*, cultum publicis monumentis sint professi: uti videre est apud Pausaniam *Atticis*, & Philostratum lib. VI. *de Vita Apollon.*

Antiquitus quidem Græcos idem error habuit, qui plerasque alias nationes, ut insigniores mundi partes, loco numinis venerarentur. Testis Plato in *Cratylo*, ubi *φαίνονταί μοι*, inquit, *οἱ πρῶτοι τῶν ἀνθρώπων τῶν περὶ τὴν Ἑλλάδα τούτους μόνους Θεοὺς ἡγεῖσθαι, ὥσπερ νῦν πολλοὶ τῶν Βαρβάρων, ἥλιον, καὶ σελήνην, καὶ γῆν, καὶ ἄστρα, καὶ οὐρανόν*. *Videntur mihi primi hominum circa Græciam hos quidem solummodo Deos putare, quos nunc plerique Barbarorum, solem, & lunam, & terram, nec non sidera, & cœlum*. Indeque Θεοὺς primum nominasse illos existimat, quod viderent *πάντα ἀεὶ ἰόντα δρόμῳ καὶ θέοντα*, *omnia in perpetuo esse cursu*. Quam notationem laudat Plutarch. lib. I. *de Placit. Philosophor.* c. VI. ubi Græcorum Deos ab eodem fonte arcessit. Translatus postea hic divinitatis honos in illustres virtute ac meritis homines, quos a morte variis mundi partibus, ac vitæ humanæ usibus præfecere. At Herodotus *Euterpe* narrat se accepisse a Dodonæ sacerdotibus Pelasgos antiquitus vota, sacrificiaque, Diis nullo cuiquam imposito nomine, aut cognomine, fecisse, quod necdum audissent usurpatum; Θεοὺς modo appellasse, *ὅτι κόσμῳ θέντες τὰ πάντα πράγματα καὶ πάσας νομὰς εἶχον*, *quod res omnes omnesque regiones ordine dispositas tenerent*. Exin multo tempore prolapso, ex Ægypto perlata Deorum nomina, quæ, Dodonæi oraculi auctoritate recepta, postmodum Diis invocandis adhibuerint aliisque Græcis communicarint. Porro unde singuli Deorum extiterint, an cuncti semper fuerint aut qua specie, id ipse hactenus refert ignoratum nisi heri & nudius tertius, *πρώην τε, καὶ χθὲς, ὡς εἰπεῖν λόγῳ*, *& nuper & heri, ut sic dicat*. Etenim quadringentis non amplius ante se annis Homerum, ac Hesiodum, primos fuisse censet, qui Deorum gentilitatem Græcis introduxerint, iisque cognomina dederint, honores, ac artificia distribuerint, figuras etiam designarint. *Οὗτοι δέ εἰσιν*, inquit, *οἱ ποιήσαντες θεογονίην Ἕλλησι, καὶ τοῖσι θεοῖσι τὰς ἐπωνυμίας δόντες, καὶ τιμάς τε, καὶ τέχνας, διελόντες, καὶ εἴδεα αὐτῶν σημήναντες*. *Hi autem sunt, qui Græcis Deorum genituram introduxerunt, Diisque cognomina dederunt, & honores artificiaque distribuerunt, eorumque formas signaverunt*. Quod ut controversia non careat, propter ea quæ de Orpheo, Musæo, allisque vetustioribus sunt prodita, illud certe extra omnem dubitationem positum, priscam Græcorum *θεολογίαν*, *doctrinam de Deo*, eorum præcipue monumentis fuisse consecratam. Princeps in poesi Homerus, idemque nobis dux, & auctor, in universa hac Commentatione futurus.

Longum est Deos omnes, quos variis locis Homerus dispersit, in unum hic colligere, & suis quemque elogiis sigillatim describere. Summa legere capita, & generatim in ordinem redigere, sat erit. Eum Poeta delineat *Iliad.* III. ubi Agamemnon, in sanciendo fœdere Deos adhibiturus testes, invocat post Jovem Opt. Max. Solem, Fluvios, Terram, & eos, qui puniunt defunctos. Ita nimirum pro variis mundi partibus, quibus Divinitatem affinxerunt, alii Deorum habiti cœlestes, alii aquatici, terrestres alii, denique subterranei, seu inferi.

In his principes fuerunt duodecim, quos *Μεγάλους*, *Magnos*, dixerunt, & primum ab Ægyptiis traductos coluerunt, uti censet Herodotus in *Euterpe* cap. IV. *Δώδεκά τε θεῶν ἐπωνυμίας ἔλεγον πρώτους Αἰγυπτίους νομίσαι, καὶ Ἕλληνας παρὰ σφέων ἀναλαβεῖν*. *Duodecimque Deorum cognomina dicebant primos statuisse Ægyptios, & Græcos ab illis accepisse*. Eos complexus vetus poeta his versibus:

> Δώδεκά εἰσι Θεοὶ μεγάλοι, Ζεὺς, Ἥρα, Ποσειδῶν,
> Δήμητηρ, Ἑρμῆς, Ἑστία, Κυλλοποδίων,
> Φοῖβος, Ἐνυάλιός τ' Ἄρης, Παλλάς τ', Ἀφροδίτη,
> Ἄρτεμις, εἰσι θεοὶ δώδεκα οἱ μεγάλοι.

> *Duodecim Dii magni sunt, Jupiter, Juno, Neptunus,*
> *Ceres, Mercurius, Vesta, Vulcanus,*
> *Phœbus, Bellicus Mars, Pallas, Venusque,*
> *Diana, suntque hi duodecim Dii magni.*

Ennius vero apud Apulejum Latine ita expressit, ut sex Dii a totidem Deabus distinguantur:

> *Juno, Vesta, Minerva, Ceres, Diana, Venus, Mars,*
> *Mercurius, Jovi, Neptunus, Vulcanus, Apollo.*

Nimirum apud Romanos, etiam duodenarius hic Deorum numerus religiose ex Græco ritu fuit observatus; uti luculenter docet Dionysius Halicarnasseus *Antiq. Rom.* lib. VII. in solemnis Pompæ descriptione. Illic hos, tanquam medios, collocat inter vetustiores, ac recentiores Deos. Anti-

quiſſimi ab eo ſtatuuntur Saturnus, Rhea, Themis, Latona, Parcæ, Mnemoſyne, aliique. Ex his deinde orti Jupiter, Juno, Minerva, Neptunus, cæterique ex duodenario illo choro. Hos deinde ſequuntur geniti, ex quo Jupiter accepit imperium, Proſerpina, Lucina, Nymphæ, Muſæ, Horæ, Gratiæ, Liber Pater, aliique ſemidei, quorum animæ relictis corporibus mortalibus in cœlos adſcendiſſe, Diiſque pares honores adeptæ eſſe perhibentur, uti Hercules, Æſculapius, Caſtores, Helena, Pan, & alii infiniti. Inde ψήφισμα, *decretum*, illud Luciani de Diis præter eos duodecim, prioreſque illos Saturno coævos, cœlo dimovendis.

Cæterum, poſtremum hoc Deorum genus ἥρωας, *heroes*, dixerunt: eoque titulo ſinguli pene Græciæ populi ſuos coluerunt auctores, potiſſimum reges, vindices etiam, ac propugnatores, omninoque meritis præſtantes viros, ac fœminas; quibus defunctis, τιμὰς quas vocant ἡρωϊκὰς, *honores heroicos*. Tales fuerunt Athenienſibus decem illi ἥρωες ἐπώνυμοι, *Heroes nomen dantes*, Pauſan. *Atticis*, unde Tribus ſuas denominarunt. Inter quos Erechtheus, eorum princeps, ab Homero in Bœotia celebratus; cujus Cicero ſe Athenis vidiſſe delubrum, & Sacerdotem teſtatur, lib. III. *de Nat. Deorum*.

CAP. II.

DE DEORUM SINGULORUM OFFICIO.

IN hac Deorum turba aliis aliæ partes, ac munera fuerunt diſtributa. Jupiter quidem cœlum ſortitus eſt, & tempeſtatum moderamen; Unde tonitrua, imbres, aliaque μετέωρα, *ſublimia in aere*, ſubinde Homerus ab eo derivat; etſi totius vitæ humanæ, atque adeo univerſitatis imperium illi etiam aſſignet. Apollini commiſſa fuit Morborum cura; cujus ſpecimen edidit in ſanando Hectore, *Iliad*. XV. Eandem exeruit in Marte Pæon, *Iliad*. V. Sed eidem in *Hymno* adſcribitur Divinatio, ac cantus; itemque ſagittandi peritia, cujus nomine paſſim ἑκατηβόλος, *longe jaculans*, audit. Mercurius artibus omnibus ad rem accommodatis præfectus fuit, lucri Deus habitus, uti ex *Iliad*. XIV. obſervat Pauſanias, ubi Phorbanti poſſeſſiones ſuppeditaſſe dicitur; etiam furti, quod docuiſſe Autolycum fertur, *Odyſſ*. XIX. indeque ipſe appellatus in *Hymno* ἀρχὸς φηλητέων, *princeps furum*. Idem ducere homines creditur in via, *Iliad*. XXIV. mortuorum quoque animas ad Orcum abigere, *Odyſ*. XXIV. atque adeo noctu ſomnos, ac ſomnia, immittere, unde ἡγήτορα ὀνείρων, *ſomniorum ductorem*, eum poeta nuncupat. Marti aſſignatum fuit bellum; quod ideo ἔργον Ἄρηος, *Martis opus*, paſſim vocatur. Neptunus mare ſortitus eſt, *Il*. XV. ſed & certamina equeſtria in *Hymno*; quod etiam in *Achaicis* notavit Pauſanias, eum εὑρετὴν ἱππικῆς, *inventorem artis equitandi*, exiſtimans. At Vulcano Homerus artes fabriles tribuit, deſcripta ejus officina *Iliad*. XVIII. Artes omnifarias habuit Minerva, ſapientiæ Dea, *Odyſ*. XIII. quanquam & cum Marte ſortita belli curam, *Iliad*. V. ipſamet etiam ſociam habens Ἐνυὼ *Bellonam*, quod confirmat in *Meſſenicis* Pauſanias. Diana arcum habuit communem cum fratre Apolline; eademque venatui addicta, in *Hymno*. Cereris munus fruges terræ, quæ ideo Δημήτερος ἀκτὴ, *donum Cereris*, Poetæ dictæ, *Iliad*. XIII. uti Liberi Patris, vinum. Venus, amoris Dea, nuptialium operum curam exercuit, *Il*. V. Proſerpina inferorum umbris præfecta, eodem cum Plutone munere, *Odyſ*. XI. Lucinæ vitæ ortus fuit aſſignatus, *Iliad*. XI. Parcis interitus, *Odyſ*. V. Muſis canendi facultas tributa cum Apolline, *Iliad*. I. Æſculapio medendi, in *Hymno*. Caſtoribus etiam navigatio communis cum Neptuno. Denique Themidi judicia, ac conciones fuerunt aſſignatæ, *Iliad*. V. Et reliquis, ſi qui ſunt, Diis, vel Deabus, varia officia, in varios vitæ uſus, demandata.

Sed enim regiones quoque integræ, ac civitates certis Diis apud Græcos antiquitus fuerunt tributæ, quibus veluti numina tutelaria præſidebant, ac ſingulari religione colebantur. Inde Apollo dicitur Chryſam, ac Cyllam tueri, & Tenedo imperare, *Iliad*. I. Venus Κύπροιο ἐϋκτιμένης μεδέουσα, *Cypri bene ædificatæ domina*, in *Hymno*. Juno præ cæteris ait tres ſibi caras civitates, Argos, Spartam, & Mycenas, *Iliad*. IV. Ac Argivi quidem eam ſibi πολιοῦχον ducebant, teſte Palæphato, velut *urbis ſuæ cuſtodem*. Quo nomine Athenienſes quoque indigetabant Minervam; cui non urbs modo ſacra erat, ſed & ager Atticus univerſus, teſte Pauſania. Hinc Lucianus *de Sacrificiis*: Μετὰ δὲ, νειμάμενοι, κατ' ἔθνη σέβουσι, καὶ πολίτας αὐτῶν ἀποφαίνουσι. Ὁ μὲν Δελφὸς τὸν Ἀπόλλω, καὶ ὁ Δήλιος· ὁ δ' Ἀθηναῖος τὴν Ἀθηνᾶν. μαρτυρεῖται γοῦν, καὶ τὴν οἰκειότητα τῷ ὀνόματι. καὶ τὴν Ἥραν ὁ Ἀργὸς, καὶ Μυγδόνιος τὴν Ῥέαν, καὶ τὴν Ἀφροδίτην ὁ Πάφιος. *Poſt hæc vero, partiti per gentes ita colunt, eoſque in civitatem ſuam recipiunt. Apollinem Delphus Deliuſque; Minervam Athenienſis: unde teſtatur etiam nomine domeſticam familiaritatem: Argus Junonem, Mygdonius Rheam, & Paphius Venerem*. In quam ſententiam Minutius Felix diſſerit per univerſa imperia, provincias, oppida, ſingulos ſacrorum ritus gentiles, & Deos colere municipes.

Quinimo omnium urbium curam generatim ad Minervam pertinere cenſebant; unde ἐρυσίπτολις, *urbium cuſtos*, Homero dicta paſſim, & *Iliad*. VI. a Trojanis obſeſſis hoc nomine invocata; ubi Euſtathius Φύλακα πόλεως, *urbis Servatricem*, interpretatur. Idem munus tributum Jovi, qui Πολιεὺς inde dictus apud Ariſtotelem *de Mundo*; & ara Διὸς Πολιέως celebrata a Pauſania *Atticis*. Sed & in ſingulis ædibus, præſertim magnatum, ara poſita Διὸς Ἑρκείου, *Jovis Hercei*, velut earum cuſtodis, ac defenſoris, *Odyſ*. XXII. Quo officio functi apud Romanos Dii Penates, auctore Dionyſ. Halicarnaſ. *Antiq. Rom.* lib. II.

Homines etiam ſingulares Deos Præſtites crediti habere. Id utique notavit Homerus, cum Ulyſſi, Diomedi, Achilli, Agamemnoni, aliiſque heroibus certos Deos comites ſubinde adjungit. Poſteriores Δαίμονας *Dæmones* dixerunt; quos credebant ſtatim in lucem editis ſociari, & vitæ curſum regere, ut loquitur Ammianus Marcellinus *lib*. XXII. auctorem laudans Menandrum, qui ejuſmodi numen μυσταγωγὸν βίου, *vitæ arcanum ductorem*, appellat. Unde & in *Tabulis* Cebetis mox januæ adſtare fingitur. Romani ea de cauſa *Genios* dixerunt; quod cum unuſquiſque genitus fuerit, ei ſtatim obſervatores deputantur, inquit Servius *in* VI. *Æneid*. Addit autem homines, cum naſcuntur, ſortiri duos, unum qui hortatur ad bona, alterum qui depravat ad mala: cujus opinionis principem Empedoclem laudat Plutarchus περὶ Εὐθυμίας, *de animi tranquillitate*.

Creditum quoque Deos ſingulares ſui partes homini contribuiſſe, quas ſibi vindicarent, & ſuæ tutelæ proprias agnoſcerent, ut refert Tiberianus in Prometheo. Atque eo ſpectaſſe Homerum cenſent in Agamemnonis deſcriptione, ubi ait:

Ομματα καὶ κεφαλὴν ἴκελος Διὶ τερπικεραύνῳ,
Αρεϊ δὲ ζώνην, στέρνον δὲ Ποσειδάωνι.
Oculos, & caput similis Jovi flumine gaudenti,
Marti vero cinctum, pectus Neptuno.

Ubi caput Jovi assignatum, Neptuno pectus, cinctus Marti. Sic utique Servio frons dicitur sacra Genio, digiti Minervæ; & Sexto Pompejo supercilia in Junonis tutela collocantur. Democritus etiam pedes asserit Mercurio, puta viali Deo; Artemidorus dorsum Plutoni, lib. I. Ονειροκρ.

Postremo censebant Apollini ac Dianæ potestatem quandam singularem esse in vitam hominum, ut, qui subita morte opprimerentur, eorum telis confecti putarentur. B Ac Apollinem quidem viros interimere censebant, uti dicitur *Iliad.* XXIV. & confirmatur exemplo Phrontis gubernatoris Agamemnonis *Odyss.* III. & Rhexenoris, qui similiter confossus ab Apolline in regia, *Odyss.* VII. Dianam vero leonem mulieribus a Jove constitutam, ut conficiat, quas velit, ait Homerus *Iliad.* XXI. atque ejus sagittis domitam matrem suam dicit Andromache, *Iliad.* VI. Eumæus mulierem, qua cum a Phœnicibus erat abductus, *Odyss.* XV. Ita quoque apud Pindarum *Pyth.* III. Coronis, Phlegyæ filia, cum subjecisset se hospiti, C *δαμεῖσα χρυσέοις τόξοισιν ὑπ' Αρτέμιδος, aureis domita telis ab Artemide.* Meminit Strabo hujus *δεισιδαιμονίας*, aitque Veteres ita censuisse occidere, qui vel dicto, factove, Apollinem, aut Dianam offendissent.

CAP. III.

DE LOCIS SACRIS.

Diis hunc in modum constitutis, suisque muneribus distinctis, primum certæ agrorum portiones fuerunt a Græcis consecratæ; quæ *τεμένη*, quasi *τετμημένα dissecta*, ac *amputata* Homero dicuntur. Tale *τέμενος Δήμητρος Cereri ager sacratus* refertur, *Iliad.* II. Jovis etiam in Ida *τέμενος βωμός τε θυήεις ager sacratus, & ara sacris culta*, *Iliad.* VIII. uti Sperchii ad fontes, *Iliad.* XXIII. & denique Veneris Paphiæ, *Odyss.* VIII. Ejusmodi multos agros sacros commemorat Pausanias in Græciæ descriptione. Cicero etiam laudat apud Thebanos, III. *de Nat. Deorum*, qui lege Censoria a vectigalibus excepti. Fructus inde colligi, & in sacros usus reponi solitos a quæstoribus notat Plato VI. *de Leg.* quamquam ager ille sacer, qui erat inter Megaram, & Atticam, Eleusiniis Deabus dedicatus, non colebatur, ut videre est apud Thucydidem *lib.* I. Quod & in aliis sæpius factum.

Arbores etiam plantatæ, ac sylvæ cæsæ in Deorum honorem, Αλση vocat Homerus, quos Latini *lucos*, Plutarcho in *Romulo* interprete. Ejusmodi *ἄλσος Αθήνης ἄγχι κέλευθον αἰγείρων, lucus Minervæ ex populis constans prope viam* apud Phæaces, *Odyss.* VI. Similiter ante Ithacensium urbem *ἄλσος πάντοτε κυκλοτερὲς, lucus undiquaque rotundus*, *Odyss.* XVII. ubi & forma indicatur, nempe orbicularis, quæ omnium perfectissima, ac pulcherrima, huic rei fuit delecta. Ac septo moris erat circundare; quod *περίβολον*, *septum*, vocat Pollux.

Causa, ne aditu promiscuo violarentur: quod in luco *Αρτέμιδος Σωτείρας*, *Dianæ Servatricis* singulari religione factum notat Pausanias *Achaicis*; quippe qui, muro circundatus, nonnisi sacerdotibus patebat. Quos ad custodiam inibi quoque habitasse argumento est Maron ille, de quo *Odyss.* IX. Antiquissima superstitio, quam in Hebræis gen- A tium obsequentibus mori, subinde graviter notat Deus. Germanis etiam priscis familiaris, quos scribit Tacitus non parietibus, ac tectis, sed apertis lucis censuisse immensum Numen sibi colendum. Et difficulter cessit fidei Christianæ, ut constat ex Concilio Hanetensi, & Bracharensi, quæ refert Burchardus lib. X. *Decretor.* hodieque apud Pilappios, & Livonos ejus extant reliquiæ.

Sed & singulares arbores honorem, ac cultum, apud Græcos, habuerunt. Qualis apud Dodonam illa quercus, cujus meminit Homerus *Iliad.* XVI. Et palma ad aram Apollinis in Delo, *Odyss.* XII. B Quam antiquitate venerabilem suo etiam tempore commemorat Pausanias *Arcadicis*, subjungens eadem ratione oleam illam in arce Atheniensi sacram, itemque viticem apud Samios ad ædem Junonis. Non absimili modo illa apud Virgil. *Æneid.* II. antiqua cupressus,

Religione patrum multos servata per annos.

His accesserunt templa, quorum parietibus veluti conclusos Deos propius colerent. Unde & Ναὺς vocarunt, *παρὰ τὸ ναίειν*, quod in iis crederent habitare. Itaque Homero etiam *θεῶν μακάρων ἱεροὶ δόμοι*, *Deorum beatorum sacræ domus*, C dicuntur; uti Theocrito *θεῶν ἐρικυδέες οἶκοι*, *Deorum gloriosæ domus*; quo nomine in designandis templis Herodotus passim usus. Explicat hoc salse ut cætera, Lucianus *de Sacrif.* *Ναὺς ἐγείραντες, ἵν' αὐτοὶ μὴ ἄοικοι, μηδ' ἀνέστιοι, δῆθεν ὦσι. Templa exstruentes iis, quo scilicet neque sine domo habitarent, neque sede carerent.* Eaque princeps causa, cur Xerxes templa Græciæ inflammarit: quod scilicet parietibus includerent Deos, quibus omnia deberent esse patentia, ac libera, quorumque hic mundus omnis templum esset, ac domus, ut exponit Cicero II. *de Leg.* Non placet illi hæc Persarum opinio, magisque probantur Græci, D & Romani, qui, ut augerent, inquit, pietatem in Deos, easdem illos urbes, quas nos, incolere voluerunt.

Ergo templa præcipue in urbibus exstructa, & quidem celebriore loco, potissimum foro. Ita situm Neptuni templum apud Phæaces, *Odyss.* VI.

Ενθα δέ τε σφ' ἀγορὴ καλὸν Ποσιδήϊον ἀμφίς.
Illic autem eis forum circa egregium templum Neptuni.

Apud Pausaniam passim in Græciæ urbibus eodem loco Deorum templa videmus collocata. E Atqui idem laudat in *Bœoticis* Tanagræos, singulari præ aliis Græcis religione, quod seorsim a profanis ædibus Deorum templa haberent posita in pura area, & ab hominum negotiatione remota: *Χωρὶς μὲν τὸ οἰκίας σφίσι, χωρὶς δὲ τὰ ἱερὰ ὑπὲρ αὐτὰς, ἐν καθαρῷ τε ἐστι, καὶ ἐκτὸς ἀνθρώπων. Quod separatim quidem apud illos domus, separatimque templa super eas, in puro sunt, & procul ab hominibus.*

Sed nec pauca quoque templa foris erant ædificata, in agris præsertim sacris, ac lucis; uti quam plurimis apud eundem scriptorem constat exemplis. Quo factum, ut *τέμενος* sæpe accipias pro *delubro*; F unde Pollux *τεμένη καὶ σηκὸς*, *delubra & templa*, ait esse loca, *ἔνθα καθιδρύονται οἱ θεοὶ*, *ubi Dii collocantur*. Nec difficulter concedam quibusdam Interpretibus *τέμενος templum* illud Jovis in Ida, & Veneris Paphi, ita usurpare Homerum, quando utrobique fanum extitisse certum est.

Omnino vero templa erant loco editiore potissimum constructa, ut ex iis, quæ commemorat Homerus, patet. Diis hoc convenire censebatur, quos superiorem locum incolere putabant; Jovi præcipue, veluti Deorum summo, teste Melan-

the de sacrificiis; qui refert priscos illius nomine omnes montes appellasse, eosque sacrificatum conscendisse. Πᾶν δὲ ὄρος τοῦ Διὸς ὄρος ὀνομάζεται· ἐπεὶ ἔθος ἦν τοῖς παλαιοῖς, ὑψίστῳ ὄντι τῷ θεῷ ἐν ὕψει θυσίας ποιεῖσθαι. *Omnis mons Jovis mons vocatur, quoniam mos erat apud antiquos, summo Deo in summitate sacrificia fieri.* Exemplo luculento mons Ida apud Homerum, quo Jupiter ait Hectorem sibi multos obtulisse boves. *Iliad.* XXII.

—— Ὅς μοι πολλὰ βοῶν ἐπὶ μηρί' ἔκηεν
Ἴδης ἐν κορυφῇσι πολυπτύχου, ἄλλοτε δ' αὖτε
Ἐν πόλει ἀκροτάτῃ. ——

—— *qui mihi multa boum femora adolevit*
Idæ in verticibus cacuminosæ, nonnunquam etiam
In urbe summa. —— ——

In hanc rem templa quoque erant erectiore fastigio, quod ἀετὸν, *aquilam*, Græci vocant; cujus passim mentio apud Pausaniam. Inde Aristophanes *Avibus*, in commendationem suæ reipublicæ ait omnes domos templorum instar fore fastigiatas:

Εἶτα πρὸς τούτοισιν, ὥσπερ ἐν ἱεροῖς οἰκήσετε·
Τὰς γὰρ ὑμῶν οἰκίας ἐρέψομεν πρὸς αἰετόν.
Postea ad hæc, tanquam in templis habitabitis;
Vestras autem domos cooperiemus ad aquilam.

Nonnulla etiam erant tecto aperto, quæ ὕπαιθρα *loca sub dio* dixerunt; quale Athenis laudat Vitruvius. In universum vero ita erant disposita, ut orientem solem statim exciperent, quemadmodum docet Plutarchus in *Numa Pompilio*, & ita libera forent, ut patefactis foribus undequaque illustrarentur; prout testatur Promachidas Heracleota, atque Dionysius Thrax *lib.* III. Διαιρέσεων. Οἱ γὰρ ναοὶ τῶν παλαιῶν καὶ τὸν ἥλιον ὑπερκύψαντα εὐθὺς ὑποδέχεσθαι εἰώθεσαν, καὶ τοῦ φωτὸς εὐθὺς ἐμπιμπλᾶσθαι τῶν θυρῶν ἀναπεπταμένων, ὅπου καὶ τὰ ἱερὰ ἔρρεζον. *Templa enim apud antiquos sic exstruebantur, ut Solem orientem statim exciperent, & statim lumine repleri foribus apertis, ubi etiam sacra faciebant.*

Cæterum templa hæc vel singularibus Diis erant dedicata, vel pluribus; etiam universis; sic enim Pausanias *Laconicis* apud Marium refert fuisse ἱερὸν ἀρχαῖον θεῶν ἁπάντων. *Templum antiquum omnium Deorum*, & *Corinthiacis* apud Torneates ναὸν θεοῖς πᾶσιν ἐς κοινὸν ἀνειμένον. *Templum universis Diis in commune consecratum.* Ac tale Atheniensibus struxit Ælianus Imperator; cujusmodi fuit & Pantheon Romæ, hodieque integrum. At Homerus singularium Deorum templa commemorat; uti Minervæ Athenis, *Iliad.* II. & in Pergamo, *Iliad.* VI. Neptuni apud Phæacas, *Odyss.* VI. Apollinis in Pytho, *Iliad.* IX. & *Odyss.* VIII. ac alia. Inscribere autem moris erat Deorum nomina, & quidem patrio casu, ut ex antiquis constat monumentis, & luculenter confirmat Cicero III. *de Nat. Deorum.* Jam mensas argenteas de omnibus delubris jussit auferri, in quibus quod more veteris Græciæ inscriptum esset BONORUM DEORUM, uti se eorum bonitate velle dicebat.

CAP. IV.

DE SIMULACRIS.

PARUM fuit hominibus superstitiosis Deos habere certis locis definitos, nisi etiam conspicerent oculis objectos. Itaque eorum simulacra sibi effinxerunt, ac in sacris locis veneranda collocarunt. Initio tamen religionis, quæ ab Ægyptiis transiit ad Græcos, illis vacua erant templa, ut affirmat Lucianus *de Dea Syria.* Τὸ παλαιὸν καὶ παρ' Αἰγυπτίοις ἀξόανοι νηοὶ ἦσαν. *Antiquitus etiam*

A *apud Ægyptios templa sine simulacris erant.* Idem apud priscos Romanos obtinuisse testis Varro; qui, referente August. lib. IV. *de Civit. Dei*, cap. XXXVI. prodidit eos plusquam annos centum & septuaginta sine simulacro Deos coluisse: Numæ utique Pompilii instituto, quod in *ejus Vita* laudat Plutarchus. Confirmat hanc sententiam Tertullianus lib. *de Idololatria: Idolum*, inquit, *aliquandiu retro non erat. Priusquam hujus monstri artifices ebullissent, sola templa & vacuæ ædes erant; sicut in hodiernum quibusdam locis vetustatis vestigia permanent.* Verum enim vero antiquissimus hujus superstitionis usus; quippe quam jam inde a Mosis temporibus repetit Euse-

B bius *Chron.* lib. II. Huic enim æqualem statuit Cecropem Atheniensium regem, qui primus simulacrum apud Græcos fabricarit.

Antea quidem lapides Græci plerique rudes pro simulacris colebant, ut asserit Pausanias *Arcadicis:* Τὰ δὲ ἔτι παλαιότερα καὶ τοῖς πᾶσιν Ἕλλησι τιμὰς θεῶν ἀντὶ ἀγαλμάτων εἶχον ἀργοὶ λίθοι. *Antiquitus vero etiam apud omnes Græcos cultum divinum pro simulacris lapides habebant nudi.* Cujus moris extabat vestigium apud Pharenses, qui triginta lapides quadrangulares totidem Deorum nominibus venerabantur. Ab hoc sensu Clemens Alexandrin. *Stro-*

C *mate* primo: Πρὶν γοῦν ἀκριβωθῆναι τὰς τῶν ἀγαλμάτων σχέσεις, κίονας ἱστάντες οἱ παλαιοὶ ἔσεβον τούτους ὡς ἀφιδρύματα τοῦ θεοῦ. *Priusquam igitur accurate fabricarent simulacrorum habitus, statuentes columnas antiqui coluerunt eas tanquam Dei simulacra.* Itidemque Eusebius lib. I. *de Præpar. Evang.* observat initio columnas pro simulacris erectas ac cultas fuisse.

Accesserunt postea formæ, & quidem potissimum humanæ; illis enim præditos Græci censebant Deos, uti docet Herodotus *Euterpe*, ubi narrat Persas simulacrorum, templorum ac altarium usum improbasse, ὅτι οὐκ ἀνθρωποφυέας ἐνόμισαν τοὺς θεοὺς, καθάπερ οἱ Ἕλληνες. *Quod neque censebant*

D *Deos humana forma prædit os, tanquam Græci.* Variæ autem variis Diis fuerunt affictæ, prout mente, atque intelligentia concipiebant. Qua in re ducem plerique secuti Homerum, ut, qua ille Deos specie effingit, eadem illi simulacra efformarent. Testantur quam plurima apud Pausaniam exempla; & non obscure indicat Lucianus *de Sacrific.* Ἀναπλάττουσι μὲν γενειήτην τὸν Δία, παῖδα δ' ἐς ἀεὶ τὸν Ἀπόλλωνα, καὶ τὸν Ἑρμῆν ὑπηνήτην, καὶ Ποσειδῶνα κυανοχαίτην, καὶ Γλαυκῶπιν τὴν Ἀθηνᾶν. *Jovem quidem barbatum fingunt, Apollinem vero semper puerum, & Mercurium pubescentem, & Neptunum cæruleis crinibus, & Mi-*

E *nervam cæsiam:* quibus omnino epithetis Homerus eos insignit.

Vetustissima autem simulacra erant *indistincta pedibus*, τοῖς ποσὶ συμβεβηκότα. Primus Dædalus ἀνεπέτασεν, καὶ τοὺς πόδας διέστησεν, *explicavit, & pedes distinxit*, ut tradit Harpocration. Situs autem erat varius: nam stantis specie alia erant collocata, alia sedentis. Sic enim & Porphyrius scripsit gentes solitas Deos ἀνατυποῦν σχήμασι διαφόροις, καὶ ἡλικίαις, καθέδραις τε, καὶ στάσεσι, καὶ ἀμφιάσεσι, *delineare cultibus discrepantibus, & ætatibus, & sedilibus, & statu, & vestibus*, prout ex eo refert Eusebius. Arnobius *lib.* VI. *Ergo si hoc ita est, & in sedentibus signis*

F *Deum sedere dicendum est, & in stantibus stare, in procurrentibus currere, jacularier in jacientibus tela.* Sedentis Minervæ simulacrum fuisse in arce Trojana, ad quod supplicarunt Trojanæ mulieres *Iliad.* VI. vero simile est; quando in genibus ejus dicuntur posuisse peplum. Eadem mens Strabonis lib. XIII. *Geographiæ;* additque multa antiquorum Minervæ simulacrorum sedentia conspici, ut Phocææ, Massiliæ, in Chio, Romæ, aliisque locis compluribus; etsi, quod suo tempore in altera Troja exstabat, stantis specie fuisse tradat.

Quod ad materiam, ſimulacra antiquitus fere erant lignea, quæ *ξόανα* dixerunt, ut explicat Clemens Alexandrinus in *Protreptico*. Tale *ξόανον* pervetuſtum, a Danao dedicatum in templo apud Achivos, de quo Pauſanias *Corinthiacis*; *Ξόανα γὰρ δὴ τότε*, inquit, *πείθομαι πάντα, καὶ μάλιστα τὰ Αἰγύπτια*. *Simulacra tunc vero omnia fuiſſe opinor lignea, maxime quidem Ægyptia*. Quod idem clarius ac uberius exponit in *Arcadicis*, connumeratis etiam arborum generibus. *Τοῖς δὲ ἀνθρώποις τὸ ἀρχαῖον, ὁπόσα καὶ ἡμεῖς καταμαθεῖν ἐδυνήθημεν, τοσάδε ἦν, ἀφ' ὧν τὰ ξόανα ἐποιοῦντο, ἔβενος, κυπάρισσος, αἱ κέδροι, τὰ δρύϊνα, καὶ σμίλαξ, καὶ ὁ λωτός*. *Antiquitus vero hominibus, quæcumque nos potuimus addiſcere, hæc erant, ex quibus lignea ſimulacra faciebant, ebenus, cypreſſus, cedri, quernea, taxus, & lotus.* Idem in Italia primum obtinuiſſe auctor eſt Plinius lib. XXXIV. *Nat. Hiſtor.* cap. VII. *Mirumque mihi videtur*, inquit, *cum ſtatuarum origo tam vetus in Italia ſit, Deorum ſimulacra lignea potius, ac fictilia, in delubris dicata, uſque ad devictam Aſiam, unde luxuria irrepſit*. Sed ea non minor fuit apud poſteriores Græcos, quorum religionem hoc nomine amplificat Pauſanias *Eliacis*, quod ex India, & Æthiopia ebur etiam conquiſierunt ad facienda ſimulacra. Unde promanavit illa Platonis, quam in ſuas leges Cicero retulit, ſanctio, ne aurum, argentum, ebur, æs, aut ferrum inveheretur fanis, ſed lignea, aut lapidea, dedicarentur. Invaluerat jam hæc magnificentia temporibus heroicis: videmus enim aurum, argentum, æs aliaque majoris pretii, in ſacris ab Homero laudari: Plutarchus quoque memoriæ prodidit, Theſeum, inſtitutis Ariadnæ in Cypro ſacris, duas parvas ſtatuas erexiſſe, unam argenteam, æneam alteram. Et Pauſanias *Arcadicis* tradit Pheneatas habuiſſe ſimulacrum æneum *Ποσειδῶνος Ἱππίου*, *Equeſtris Neptuni*, quod ab Ulyſſe dedicatum perhiberent. Id tamen ipſe vererer credere, quod tum temporis non ſolerent fabricari ex ſolido ære ſtatuæ, ſed ita, ut e plurimis pannis pertexitur veſtis: *Οὐ γὰρ πώποτε τοῦ χαλκοῦ τὰ ἀγάλματα διὰ παντὸς ἠπίσταντο ἐργάσασθαι, καθάπερ ἐσθῆτα ἐξυφαίνοντες*. *Non enim tunc ſimulacra in totum noverant ex ære facere, quemadmodum veſtem texentes*. Cæterum apud Homerum nullius ſimulacri materia diſtincte indicatur, nec adeo nomen, niſi generale *ἀγάλματος*. Quod cum ille ad ornamenta, ac donaria, extenderit, poſteriores Græci ad ſimulacra potiſſimum ſculptilia reſtrinxerunt.

CAP. V.

DE SACRIS DEORUM MINISTRIS.

AD res divinas rite obeundas deſignabantur *Sacerdotes*, quos *ἱερεῖς* Poeta vocat. Hi peculiarem ipſorum ſacrorum, lucorum, templorum, ac ceremoniarum gerebant curam. Cujus variæ partes in celebrioribus locis variis quoque demandabantur perſonis; in aliis etiam uni: uti docet Ariſtoteles VI. *Polit.* cap. VIII. *Συμβαίνει δὲ τὴν ἐπιμέλειαν ταύτην ἐνιαχοῦ μὲν εἶναι μίαν, οἷον ἐν ταῖς μικραῖς πόλεσιν. ἐνιαχοῦ δὲ πολλὰς καὶ κεχωρισμένας τῆς ἱερωσύνης, οἷον ἱεροποιοὺς, καὶ ναοφύλακας, καὶ ταμίας τῶν ἱερῶν χρημάτων*. *Contingit autem alibi hanc unam quidem eſſe curam, utpote in oppidulis; alibi vero plures & diſtinctas per ſacerdotia, ut ſacrificos, & templorum cuſtodes, & pecuniæ templorum quæſtores*.

Admittebantur autem apud Græcos ad hoc munus promiſcue, tam fœminæ, quam viri. Ex quo ritu Plato VI. *de Leg.* ſancit *τοῖς ἱεροῖς νεωκόρους τε, καὶ ἱερέας, καὶ ἱερείας δεῖν γίγνεσθαι*. *Templis & æditūos & ſacerdotes tam feminas quam viros decet eſſe*. Herodotus vero *Euterpe* Græcis hac in re, ut multis aliis, diſſimiles pronunciat Ægyptios, quod apud illos *ἱερᾶται γυνὴ μὲν οὐδεμία, οὔτε ἄρσενος θεοῦ, οὔτε θηλέης· ἄνδρες δὲ πάντων τε, καὶ πασέων*. *Mulier neque Dei, neque Deæ ulla ſacerdos eſt: ſed viri Deorum omnium & Dearum*.

Quod quidem divinis Hebræorum inſtitutis conſentaneum, quibus ſequior ille ſexus a rerum divinarum adminiſtratione prorſus arcetur.

Fungebantur ſacro officio etiam matrimonio juncti, uti Maron ille, Apollinis ſacerdos, quem cum uxore, ac liberis, propugnavit Ulyſſes, *Odyſ.* IX. Sic Chryſes filiam habuit Briſeidem, *Iliad.* I. Dares, Vulcani apud Trojanos antiſtes, duos filios, *Iliad.* V. Eodem *libro* commemoratur Hypſenor, filius Dolopionis, ſacerdotis Scamandri, uti *lib.* XV. Laogonus, Onetoris, qui præerat Jovis fano in Ida. Conſimiliter in fœminis Theano, Antenoris uxor, Minervæ templo apud Trojanos præfecta, *Iliad.* VI. Poſtea tamen, Euſtathio teſte, frequentius delectæ virgines, vel perpetua indicta caſtitatis lege, uti apud Theſpios in Herculis delubro *παρθένος ἱερᾶται, ἔς' ἂν ἐπιλάβῃ τὸ χρεὼν αὐτήν*. *Virgo ſacerdos eſt, donec eam mors abripiat*, referente Pauſania in *Bœoticis*, vel uſque ad nuptiarum tempus; qualis illa apud eundem in *Corinthiacis*, Neptuni templo apud Trœzenios ſacrata, *ἔς' ἂν ἐς ὥραν προέλθῃ γάμου*. *Donec venerit ad nuptiarum tempus*.

Porro adibant ſacra miniſteria primum, ac potiſſimum, ſucceſſione, nempe in parentum locum; quod apud Ægyptios perpetuum fuiſſe aſſerit Herodotus *Euterpe*. Plato quoque VI. *de Leg.* ſtatuit *ἱερέων ἱερέας, οἷς μέν εἰσι πάτριαι αἱ ἱερωσύναι καὶ αἷς μὴ κινεῖν*. *Sacerdotia quæ a parentibus tradita ſunt viris ſeu mulieribus, non movenda*. Alias extranei adſciti ſeu electione, ſeu ſorte; uti idem legiſlator pronunciat; *Τούτων δὲ πάντων τὰ μὲν αἱρετὰ χρὴ, τὰ δὲ κληρωτὰ ἐν ταῖς κατὰ στάσεσι γίγνεσθαι*. *Quorum quidem omnium alia electione cedunt, alia ſorte pro temporibus*. Et teſtis locuples Dionyſius Halicarnaſſeus *Antiquit.* lib. II. ſolitos Veteres *κλήρῳ διαιρεῖν τοὺς ἱερεῖς*, *ſacerdotes ſorte diſcernere*. Sed & ſubjungit, *ἀξιοῦντας ἀργυρίου τὸ τίμιον ἀποκηρύττειν*, *licitatoribus ſacerdotii honorem proponere*. Scribit autem Euſtathius, Veteres cenſuiſſe Theano ſacerdotem Minervæ fuiſſe a Trojana multitudine conſtitutam, *οὔτε κληρωτὴν, οὔτ' ἐκ γένους, οὔτε ἑνὸς ψήφῳ, ἀλλ' ἣν, ὡς οἱ παλαιοὶ φασι, τὸ πλῆθος εἵλετο*. *Nec ſorte, neque genere, neque alicujus decreto, ſed quam, ut antiqui dicunt, multitudo elegit*. Etenim de ea ait Homerus, quod *Τρῶες ἔθηκαν*, *Trojani conſtituerant*.

Plerumque ſedes illis ac domicilium erat prope templa ac loca ſacra; ut conſtat de ſacerdotibus Apollinis Delphici, in *Hymno*: de illis Dodonæi Jovis, *Iliad.* XVI. Maron etiam ſacerdos Apollinis degebat in luco. Illic res ad victum neceſſariæ his ſuppetebant ex iis quæ Diis ſolita offerri; quod Delphiis peculiariter promittit Apollo in *Hymno*. Divitiis alioqui etiam polluiſſe, exemplo Dares, *ἀφνειὸς ἀμύμων ἱρεὺς Ἡφαίστοιο*, *Locuples ac inculpatus Vulcani ſacerdos*, *Iliad.* V. Opes etiam laudantur Eurydamantis, quas filiis occiſis *Χηρωσταὶ δατέοντο*, *hæredes dividebant*. Et Chryſes offert Græcis pro filiæ redemptione *ἀπερείσι' ἄποινα*, *innumerabile pretium*. Atque adeo certum eſt, complures ex his familia fuiſſe illuſtri, qualis Theano Priami regis nurus; Helenus etiam filius. Imo ipſi reges Heroicis temporibus ſacrum obiere miniſterium, auctore Ariſtotele lib. III. *Polit.* cap. XIV.

A
C a p. VI.

DE LUSTRATIONIBUS.

AD ipsum Deorum cultum deinceps propius accedamus. Cujus initio observanda venit singularis puritas, qua tractandas sibi res sacras duxerunt. Etenim lavare manus religiose soliti, quoties erant vota Diis libanda, aut sacra facienda. Nestor *Iliad.* IX. pro felici legationis exitu Jovem precaturus, φέρτε δὲ χερσὶν ὕδωρ, inquit, εὐφημῆσαί τε κέλεσθε. *Ferte & aquam manibus, lin-*
B
guisque favere jubetote. Achilles oraturus pro salute Patrocli, νίψατο δ' αὐτὸς χεῖρας, *lavavit vero ipse manus*, *Iliad.* XVI. Hector quoque veretur χερσὶν ἀνίπτοισιν Διὶ λείβειν αἴθοπα οἶνον, *illotis manibus libare nigrum vinum Jovis*; quod totidem verbis cavet Hesiodus Ἔργοις. Achivi quoque sacra facturi χερνίψαντο, *manus lavabant*, *Iliad.* I. & II. Ex eo ritu Plautus *Amphitruone*:

Invocat Deos manibus puris,

Et *Aulularia*:

Ego nisi quid me vis eo lavatum, ut sacrificem.

Sed enim vestes quoque mundæ ad sacras res fuere adhibitæ; uti Penelope,

C
—— Ὑδρηναμένη καθαρὰ χροῒ εἵμαθ' ἑλοῦσα
Εὔχετο

—— *Lota puraque cutem circumdata veste*
Orabat. ——

Odyss. VI. Sic poeta Latinus;

Casta placent superis, pura cum veste venite.

Et Virg.

—— *pura cum veste sacerdos.*

Inde Polluci ii, qui ad Deos accedunt περιῤῥαινόμενοι, ὑπὸ νεουργῷ στολῇ καὶ νεοπλυνεῖ ἐσθῆτι. *Circum adspergentes, sub nova & nuper lota veste.* Ad hæc ipsa vasa sacro usui destinata moris erat pur-
D
gare; quod ab Achille libaturo factum in cratere, *Iliad.* XVI.

Utebantur in Purgationibus aqua potissimum salsa, ob igneam, ut ait Proclus, portionem, quam maxime καθαρτικὴν, *purgantem*, existimabant. Hinc aqua marina prælata. Telemachus χεῖρας νιψάμενος πολιῆς ἁλὸς εὔχετ' Ἀθήνῃ. *Lotis aqua cana marina manibus Minervam precabatur*, *Odyss.* II. Alias sal aquæ dulci injectum. Menander: Ὕδατι περιῤῥάνας ἐμβαλὼν ἁλὸς φακῆς: *Injiciendo spargebat aquæ marinæ hydrias.* Theocritus, *Parvo Hercule*:

——Ἅλεσσι μεμιγμένον, ὡς νενόμισται,
E
Θαλλῷ ἐπιῤῥαίνειν ἐστεμμένον ἀβλαβὲς ὕδωρ.

—— *Mixtum sale, ut constitutum est,*
Ramo circumdatum injicere innoxiam aquam.

Præmittit ibidem sulphur; quod & Homerus dicit ab Achille lavando cratere adhibitum, ἐκάθηρε θεείῳ πρῶτον, ἔπειτα δὲ νίψ' ὕδατος καλῇσι ῥοῇσι. *Sulphure primum purgavit, postea vero lavit aquæ puris fluctibus.* Itemque ab Ulysse in lustranda domo, *Odyss.* XXII. Sed hic præterea adsumpsit ignem, cujus singularem in expiatione facultatem credebant. Conjunxit pariter Juvenalis, *sat.* II. *v.* 158.

F
—— *Cuperent lustrari, si qua darentur,*
Sulphura cum tædis. ——

Et Ovidius:

Terque senem flamma, ter aqua, ter sulphure lustrat.

ubi tria illa dicta concurrunt.

Præcipue vero lustrandos eos censebant, qui se polluissent sanguine. Hinc illud Hectoris *Iliad.* VII.

—— Οὐδέπη ἔστι κελαινεφεῖ Κρονίωνι
Αἵματι καὶ λύθρῳ πεπαλαγμένον εὐχετάασθαι.

A
—— *Neque ullo modo fas est nubes atras cogenti Saturno*
Sanguine & pulvere pollutum vota facere.

Cujus imitatione Virgilian. Æneas *lib.* II,

Me bello e tanto digressum & cæde recenti
Attrectare nefas, donec me flumine vivo
Abluero.

Sic domus quoque Ulyssis lustranda fuit ob cædem procorum in ea patratam. Idem fecerunt Romani post interemptos conjuratos instituta solenni lu-
B
stratione apud Dionys. Halicarnass. *lib.* V. Ὡς οὐ θεμιτὸν αὐτοῖς ἐφ' ἱερὰ παρεῖναι, καὶ θυσιῶν κατάρχειν, πρὶν ἀφοσιώσασθαι τὸ μίασμα, καὶ τὴν συμφορὰν λῦσαι τοῖς εἰωθόσι καθαρμοῖς. *Quum nefas esset iis ad sacra accedere, & victimas immolare, antequam facinus expiatum esset, luesque solitis lustrationibus abolita.* Ita gravis visa etiam justa sanguinis humani effusio. Sed in qualibet alia manus ad expiationem lavare erat consuetudo, ut docet Sophoclis Interpres. Ἔθος ἦν τοῖς παλαιοῖς, ὅτε ἢ φόνον ἀνθρώπου, ἢ ἄλλας σφαγὰς, ἐποίουν, ἀπονίπτειν τὰς χεῖρας εἰς κάθαρσιν τοῦ μιάσματος. *Mos obtinebat apud ve-*
C
teres, quando aut homicidium, aliasve cædes, patrassent, manus lavare ad piaculi expiationem. Mirum proinde illud expiationis genus apud Apollonium lib. IV. *Argon.* Ubi porcelli mactati sanguine manus homicidæ cruentæ abluuntur a Sacerdote.

Sed aliis quoque de causis Lustrationes a priscis usurpatæ. Cujusmodi illa Agamemnonis jussu solenniter facta in exercitu Græcorum, cum Apollo ob injuriose habitum Sacerdotem esset placandus, *Iliad.* lib. I.

Λαοὺς δ' Ἀτρείδης ἀπολυμαίνεσθαι ἄνωγεν.
D
Οἱ δ' ἀπελυμαίνοντο καὶ εἰς ἅλα λύματ' ἔβαλλον.

Populos autem Atrides lustrari jussit.
Illi autem lustrabantur & in mare sordes jaciebant.

Pausanias vero *Arcadicis*, ob *pestem* id vult susceptum, quæ λύμη Græcis dicta. Agit ibi de flumine Lymace ita appellato, quod Nymphæ, cum Rheam post sedatos ejus partus, quo Jovem enixa est, dolores, aquis lustralibus purgassent, λύματα illa ac piamina in eum fluvium abjecissent. Unde constat de more abjiciendi in aquam sordes; quem
E
hic observarunt Græci. In terra tamen solita defodi καθάρματα, *sordes*, indicat idem Pausanias *Corinthiacis*, in expiatione Orestis μητροκτόνου, *matricidæ*, apud Trœzenios peracta.

C a p. VII.

DE PRECIBUS AC VOTIS.

ITA rite lustrati ad pietatis officia se conferebant. Quam omnem Plato *Euthyphrone* positam esse differit ἐν τῷ Εὔχεσθαι, καὶ τῷ Θύειν. Hoc qui-
F
dem δωρεῖσθαι τοῖς θεοῖς, *munera Diis offerre*; illud αἰτεῖν τοὺς θεοὺς, *a Diis petere.* Sic dando ac petendo universa conficitur religio. De petitione priori loco agemus; ita disponente humanæ necessitatis lege, quam ad omnes extendit Homerus *Odyss.* III. πάντες δὲ θεῶν χατέουσ' ἄνθρωποι. *Omnes homines divina ope indigent.* Ut autem varii sunt communis vitæ usus, ita quoque variæ fuerunt preces, variisque factæ Diis, prout singulorum officia distinguebant. Trojani *Iliad.* VI. de civitate sua periclitantes Minervam ἐρυσίπτολιν, *urbis custodem*,

invocant. Proci Penelopes in arcus certamine Apollinem, *Odys.* XXI. Navigantes Neptunum ac Castorem, in *Hymno*. Alii alios, quos peculiari religione venerabantur, ut Minervam Ulysses. Omnes communiter & persæpe Jovem, e cujus gemino dolio bona malaque omnia censebant depromi, *Iliad.* XXIV.

Omnino vero in re alicujus momenti suscipienda, primum omnium Diis supplicabant, sine quorum ope nihil feliciter peragi cogitabant. Id observat Nestor legationem obiturus ad Achillem, *Iliad.* IX. Priamus ab eodem conquisiturus filii cadaver, *Iliad.* XXIV. Ulysses exploraturus castra Trojanorum, *lib.* X. Denique Telemachus navigationem Pylum versus suscepturus. Legem inde generalem fert Pythagoras, Ερχου ἐπ' ἔργον Θεοῖσιν ἐπευξάμενος, *Ad opus accede, quum Deos precatus fueris.* Quam religiose Græcos observasse constat ex eorum monimentis. Operi quippe se accingentes, Θεὸς, Θεὸς, *Deus, Deus*, soliti pronunciare. Unde felicem exitum gratiarum solennis actio subsequebatur; cujus exempla apud ipsum etiam Homerum videre est.

Porro quo Deos facilius exorarent, munera se daturos pollicebantur. Sic Theano, cum aliis matronis Trojanis Minervam precata, offert peplum, & simul promittit duodecim boves salute parta immolandos, *Iliad.* VI. Eidem Nestor pro incolumi ad Græcos reditu novem tauros vovet. Simili ratione Æneas supplicans Veneri, *Æneid.* I.

Multa tibi ante aras nostra cadet hostia dextra.

Et *lib.* III.

Vobis lætus ego hoc candentem in littore taurum
Constituam voti reus.

Hæc nimirum Latinis proprie Vota dicta, quæ cum precibus ut plurimum conjuncta, a Græcis una eademque Εὐχῆς voce exprimuntur. His usi Græci ut & Romani aliique populi apud quosvis auctores leguntur; præsertim, cum in graviori aliquo discrimine versarentur. Unde Scholiastes Homeri: Δυστυχίας ἐπίτασις, καὶ σωτηρίας ἀπόγνωσις, εὐχὴ θεῶν. *Calamitatis ampliatio, & salutis desperatio, votum ad Deos.* Et Plinius *lib.* VIII. *cap.* XVI. *Tum præcipuus votorum locus est, cum spei nullus est.*

In hisce votis persolvendis, summa utebantur religione: gravissime quippe Deos rati succensere, si promissis deessent. Unde duriores casus protinus ad hanc culpam referebant. Achilles *Iliad.* I. utique hinc derivat pestem ab Apolline Græcis immissam:

Εἴτ' ἄρ' ὅγ' εὐχωλῆς ἐπιμέμφεται, εἴθ' ἑκατόμβης.
Sive hic ob vota incusat, sive ob hecatomben.

Æneas etiam Trojanorum cladem *Iliad.* V.

Εἰ μή τις θεός ἐστι κοτεσσάμενος Τρώεσσιν,
Ἱρῶν μηνίσας.
Nisi quis Deus est iratus Trojanis,
Ob sacrificia succensens.

Atque ita apud Theocritum *Idyl.* XXV. Hercules ait, nulli Achivorum patere, unde Leo ille cuncta vastans extiterit; se tamen conjectari Deorum quempiam ἱρῶν μηνίσαντα Φορωνήεσσιν ἐφεῖναι, *ob sacrificia succensentem Phoronensibus immisisse.*

Quin etiam sacrificia aut dona alias oblata Diis supplicantes commemorabant. Chryses ita Apollinem obtestatur, *Iliad.* I. si unquam templum coronarit, aut pingues coxas adoleverit. Similiter eundem compellasse narrat Herodotus *Thalia* (non *Thalia* sed *Clio* cap. LXXXVI.) Crœsum, cum in pyra locatus jam jam esset comburendus, εἴ τι οἱ κεχαρισμένον ἐξ αὐτοῦ ἐδωρήθη παραστῆναι. *Si quod donum ab eo illi gratum fuisset oblatum, ut adesset ei.* Irridet hoc nomine Græcos Lucianus, ac si Deos nihil censeant gratis concedere; sed bona omnia hominibus divendere: peculiariter insultat Chrysæ, qui non impetrata ab Agamemnone filia, ὡς ἂν καὶ προδανείσας Ἀπόλλωνι τὴν χάριν δικαιολογεῖται καὶ ἀπαιτεῖ τὴν ἀμοιβήν. *Tanquam qui Apollini mutuum dedisset beneficium, ita etiam imputat ac reposcit vicem.*

Quod ad supplicandi ritum attinet, oculos manusque in cœlum attollebant: ut infinitis apud Homerum locis apparet. Omnibus hoc hominibus veluti ingenitum testatur Aristoteles *de Mundo*: Πάντες ἄνθρωποι ἀνατείνομεν τὰς χεῖρας ἐς τὸν οὐρανὸν εὐχὰς ποιούμενοι. *Omnes homines precantes manus in cælum attollimus.* Nimirum quia omnibus persuasum, divinitatem sublimiore mundi regione residere. Unde Cœlum θεῶν ἕδος, *Deorum sedes*, Homero aliisque poetis dictum; & Aristoteles vocat θεοῦ οἰκητήριον τοῦ κόσμου τὸ ἄνω, *habitaculum Dei superior mundi pars.* Qua de re præclare Tertullianus *Apologetico* cap. XVII. disceptat.

Alioquin in templa Deorum solenniter oraturi se recipiebant; quod iis magis præsentes se habere crederent. Unde Hesychio, Ναὸς, οἶκος ἔνθα θεὸς προσκυνεῖται. *Templum, domus est, ubi Deus adoratur.* Et qui illuc concedebant, προσιέσθαι θεοῖς *adire Deos*, dicti. Quod Ciceroni intellectum, cum ait in *Legib.* *Ad divos caste adeunto.* Et Tibullus:

Non feror incestus sedes adiisse Deorum.

Propter simulacra utique ad quæ tanquam oculis subjectos Deos moris erat supplicare. Unde his sublatis templa simul deserta; quod Pausanias *Bœoticis* accidisse refert Minervæ Alalcomeniæ ædi extracto Deæ signo. Ita quoque apud Livium *lib.* XXXVIII. queruntur Ambracenses, *simulacra Deum, Deos demum ipsos convulsos ex suis sedibus; ablatos esse parietes, postesque nudatos; quos adorent, ad quos precentur & supplicent, Ambracensibus non superesse.*

Exemplum hujus supplicationis *Iliad.* VI. ubi Trojanæ mulieres solenni pompa, præeunte Theano, ad Minervæ fanum contendunt cum ululatu manus ei pro afflictis Trojæ rebus tendentes; deposito etiam ad genua ejus peplo; quod expressit Virgil. *Æn.* II.

Interea ad templum non æquæ Palladis ibant
Crinibus Iliades sparsis, peplumque ferebant.

Mos utique tritus, ut mulieres in magnis casibus per templa irent supplices. Polybius *lib.* IX. Αἱ δὲ γυναῖκες περιπορευόμεναι τοὺς ναοὺς ἱκέτευον τοὺς θεοὺς πλύνουσαι ταῖς κόμαις τὰ τῶν ἱερῶν ἐδάφη. *Mulieres vero delubra circumeuntes, Diis supplicabant pavimenta templorum capillis suis verrentes.* Ululatus vero in supplicationibus mulieribus Græcis admodum familiares esse, colligitur ex multis Homeri locis. Quem a Libyssis traductum testatur Herodotus *Melpomene*: Δοκέει δ' ἔμοιγε καὶ ὀλολυγὴ ἐν ἱροῖσι ἐνταῦθα πρῶτον γενέσθαι. *Videtur autem mihi etiam muliebris ululatus ibi in templis primum factus fuisse.* Pepla quoque ferre solitas testis Æschylus: Πέπλων καὶ στεφέων ποτ' εἰ μὴ νῦν ἀμφὶ λιτᾶν ἕξομεν. *Peplos quoque & velamenta quando, nisi nunc in supplicatione habebimus.* Ubi Scholiastes: Παρετίθησαν γὰρ καὶ πέπλους καὶ ἐνέδυον καὶ πέπλους τὰ ἀγάλματα. *Apponebant enim quoque peplos, & induebant etiam peplos imaginibus.* Hoc vero etiam observatum, ut genibus applicarent, quæ supplicationi sacra omnium gentium religione. Inde Arnobius *lib.* VI. *Signa quorum plantas contingitis ac contrectatis orantes.*

Cap.

CAP. VIII.

DE LIBAMENTIS, SUFFITIBUS, AC MOLIS.

QUÆ Diis homines viciſſim dabant, in univerſum erant aut ſacrificia aut donaria. Utrumque conjungit Hector *Iliad.* VI. cum jubet Troadas offerre Minervæ peplum, & ſimul duodecim boves. Similiter Ægiſthus pro initi conjugii felicitate multas adolevit coxas, multaque donaria appendit, *Odyſ.* III. Plato II. *de Rep.* loquens de officio Diis præſtando, copulat in hanc rem θυσίας ϰ̀ ἀναθήματα, *ſacrificia & donaria*, uti ſub finem libri *de Votis*, δῶρα ϰ̀ θυσίας, *dona & ſacrificia*. Reſtringens utique δῶρα ad ea, quæ ornatus gratia in templis donabantur. Quo ſenſu & a Latinis eadem munera ac donaria appellata, prout ſcite diſtinguit Lactantius lib. VI. *de vero Dei cultu* cap. ult. *Apud iſtos qui nullo modo rationem Divinitatis intelligunt, donum eſt quicquid auro argentove fabricatur, item quicquid purpura & ſerico texitur; ſacrificium, victima & quæcunque in ara cremantur.*

In ſacrificiis primo loco conſideranda veniunt Libamenta, Suffitus ac Molæ; quæ ſola initio obtinebant; poſteaque diſpoſita fuere in omni divini officii parte.

Libationes potiſſimum apud Græcos fiebant vino. Sic enim paſſim Homero dicti λείβειν αἴθοπα οἶνον, *libare nigrum vinum*. Erat autem purum ac merum; unde σπονδαὶ ἄκρητοι, *mera libamenta*, appellatæ, *Iliad.* X. Quod ita religioſe a Romanis etiam obſervatum, ut vinis Græcis prolibare Diis nefaſtum putarent, teſte Plinio *Natural. Hiſt.* lib. XIV. cap. XIX.

In hunc uſum comparata pocula, quæ apud beatiores conſtabant ex auro. Tale Pelei χρύσειον ἄλεισον, *aureum poculum*, *Iliad.* XI. Itemque Menelai χρύσεον δέπας, *Odyſ.* XV. His vino repletis leviter aliquid de ſummis labris effundebant in Deorum honorem, reliquum ipſi ebibentes, uti conſtat ex multis Homeri locis. Singulare vero illud poculum Achillis erat, ex quo nulli alii viro propinabat; nec ulli Deo, niſi Jovi libabat, *Iliad.* XVI.

Erant autem hæ Libationes fere cum precibus conjunctæ; quales hic Achilles nuncupat pro Patrocli ſalute. Idem obſervatum a Neſtore, iter Achillem verſus ſuſcepturo, *Iliad.* IX. & a Priamo *Iliad.* XXIV.

Suffitibus etiam magnam in Diis placandis vim Græci tribuebant. Unde cum libationibus ac precibus eos Homerus conjungit, *Iliad.* IX.

Καὶ μὲν τὰς θυέεσσι ϰ̀ εὐχωλῆς ἀγανῇσι,
Λοιβῇ τε, κνίσῃ τε παρατρωπῶσ' ἄνθρωποι.
Et quidem hos ſuffimentis & votis benignis,
Libamineque, nidoreque convertunt homines.

Heſiodus quoque Ἔργοις, jubet agricolas oriente ac occidente die illos

Σπονδῇσι θυέεσσί τε ἱλάσκεσθαι.
Libamentis & ſuffimentis placare.

In hanc ſententiam Hector matri ſuæ auctor eſt, ut in templum Minervæ concedat ad vota ſuſcipienda cum ſuffimentis, *Iliad.* VI.

— — Πρὸς νηὸν Ἀθηναίης ἀγελαίης
Ἔρχεο σὺν θυέεσσιν. — —
— — *ad templum Minervæ prædatricis*
Vade cum ſuffimentis. — —

A quo ritu *templa ac altaria* Homero θυώδη ϰ̀ θυήεντα dicta: uti peculiariter illud Veneris in Cypro, *Iliad.* V. de quo Virgil. *Æneid.* I.

— Ubi templum illi, centumque Sabæo
Thure calent aræ, ſertiſque recentibus halant.

Quanquam hic thus per προλῆψιν videatur dictum: Siquidem, ut aſſerit Plinius *lib.* XIII. *cap.* I. *Iliacis temporibus thure non ſupplicabatur: Cedri tantum & citri ſuorum fruticum in ſacris fumo convolutum nidorem verius, quam odorem, noverant.* In eandem rem Arnobius lib. VII. *adverſus Gentes* thuris novitatem diſceptat: *Nam neque in iis temporibus, quemadmodum creditur & perhibetur, heroicis quidnam eſſet thus ſcitum eſt, ſcriptoribus ut comprobatur a priſcis, quorum in libris nulla mentio ejus reperitur.*

Superſunt *Molæ*, quas Homerus vocat οὐλὰς vel οὐλοχύτας, e frugibus ſaxo aut mola fractis conſtantes. In hanc rem antiquiſſimo ritu a Græcis adhibebatur hordeum, uti apud Romanos far, teſte Dionyſio Halicarnaſſeo *lib.* II. Καὶ ὥσπερ Ἕλληνες τὸν κρίθινον καρπὸν ἀρχαιότατον ὑπολαμβάνοντες, ἐπὶ τῶν θυσιῶν κριθαῖς καταρχόμεθα, οὐλὰς αὐτὰς καλοῦντες. οὕτω Ῥωμαῖοι τιμιώτατόν τε καρπὸν ϰ̀ ἀρχαιότατον εἶναι νομίζοντες τὰς ζέας, διὰ τούτων ἁπάσης ἐμπύρου θυσίας κατάρχονται. *Et quemadmodum Græci antiquiſſimam hordeaceam frugem rati, hordeo ad victimas initiamus*, οὐλὰς *illas, hoc eſt*, molam ſalſam, *nominantes; ita Romani quamvis hoſtiam igne adolendam reſpergunt farre, quippe qui hoc frugum genus antiquiſſimum exiſtimant & honoratiſſimum.* Additum fuiſſe ſalem docet Homeri Scholiaſtes: Οὐλαὶ κριθαὶ μετὰ ἁλῶν μεμιγμέναι, ἃς ἐπέχεον τοῖς ἱερουργουμένοις ζώοις, πρὸ τοῦ θύεσθαι. *Molæ hordeaceæ ſale mixtæ, quas infundebant victimis cæſis, ante ſacrificandum.* Inde Virgilius etiam *Fruges ſalſas* dicit. Et Plautus *Amphitruone:*

Sed mulier poſtquam experrecta es, prodigiali Jovi
Aut mola ſalſa hodie, aut thure comprecatum oportuit.

Ita vero & Penelope, impoſitis caniſtro molis ſalſis, Palladi ſupplicat, *Odyſ.* IV.

Ἐν δ' ἔθετ' οὐλοχύτας κανέῳ, ἠρᾶτο δ' Ἀθήνῃ.
Impoſuit molas caniſtro, ſupplicavit autem Palladi.

Omninoque maximus fuit earum uſus in ſacris, adeo ut Plinius *Hiſtoriæ Natur.* lib. XXXI. cap. VII. *nulla ſine his confici*, aſſerat: illis frons victimæ, ac partes adolendæ conſpargebantur; ipſa etiam altaria ac cultri.

Obtinuit hic ritus ex veteri more ſacrificiorum, quæ initio ex ejuſmodi frugibus duntaxat conſtabant, ut notat Homeri Scholiaſtes: Inde Ovidius I. *Faſtor.*

Ante Deos homini quod conciliare valeret
Far erat & puri lucida mica ſalis.

Atque hoc fuiſſe ex Numæ inſtituto antiquitas apud Romanos teſtatur. Plutarchus: Ἀναίμακτοι γὰρ ἦσαν, αἵ τε πολλαὶ δι' ἀλφίτου ϰ̀ σπονδῆς ϰ̀ τῶν εὐτελεστάτων πεποιημέναι. *Fiebant enim ſine ſanguine, & plerumque farina, libatione rebusque viliſſimis conſtabant.* Et Pauſanias *Arcadicis* affirmat, Cecropem vetuſtiſſimum Athenienſium Regem nihil ſacrificaſſe animatum, ſed *liba* tantum patria, quæ πελάνους vocarunt, obtuliſſe. Ejus verba hæc ſunt: Ὁ μὲν γὰρ Δία τε ὠνόμασε ὕπατον πρῶτος, ϰ̀ ὁπόσα ἔχει ψυχὴν, τούτων μὲν ἠξίωσεν οὐδὲν θῦσαι, πέμματα δὲ ἐπιχώρια ἐπὶ τοῦ βωμοῦ καθήγισεν, ἃ πελάνους καλοῦσιν ἔτι ϰ̀ ἐς ἡμᾶς Ἀθηναῖοι. *Ille* (Cecrops) *enim quum primus Jovem cognomine ſupremum appellaſſet, nihil vita præditum ei immolandum duxit, ſed liba tantum patria (Pelanos etiamnum Attici vocant) ut ad aram porricerentur ſanxit.*

Serius utique apud nationes invaluit mactatio hoſtiarum; quippe quæ religioni ducebant ſanguinis effuſionem. *Unde* ῥέζειν ϰ̀ ἔρδειν *dicti, qui primi victimas Diis mactarunt, quaſi magnum aliquid patraſſent.* Ταραττόμενοι ϰ̀ δειμαίνοντες, ἔρδειν

ἐκάλων καὶ ῥέζειν, ὡς τι μέγα δρῶντες τὸ θύειν ἔμψυχον, ait Plutarchus.

CAP. IX.

DE VICTIMIS.

DEINCEPS de oblatione animalium agendum, quæ posterioribus seculis sola pene sacrificii nomen servavit. In iis summus habitus delectus, ut essent quam optima ac perfectissima. *Odyss.* XI.

—— Ῥέζειν στεῖραν βοῦν ἥτις ἀρίστη.
—— *Sterilem bovem optimam sacrificaturum.*

Et *Iliad.* I.

—— Ἀρνῶν κνίσσης, αἰγῶν τε τελείων.
—— *Ovium nidorem, caprarumque integrarum.*

Scholiastes: Ἤτοι τῆς ἡλικίας ὁλοκλήρων, λελωβημένον γὰρ οὐ θύεται, ἀλλ' ὑγιὲς ἢ τῶν τελειμένων θυσία. *Quæ sani sunt vigoris, ea autem quæ mutilata sunt non sacrificantur, sed victima perfecta sit.* Inde Polluci, ἱερεῖα ἄρτια, ἄτομα, ὁλόκληρα, ὑγιῆ, ἀπηρα, παμμελῆ, ἀρτιμελῆ, μὴ κολοβά. *Victimæ perfectæ, nullis sectionibus incisæ, integræ, sanæ, illæsæ, omnimembres, integrimembres, neque mutilæ.* Quare Athenienses criminati Lacedæmoniorum in re divina incuriam, eo quod etiam ἀνάπηρα θύουσιν ἑκάστοτε, *identidem sacrificiis prorsus læsa adhibuerint animalia*, ut est apud Platonem *Alcibiade* II. Cui similis illa Tertulliani in *Apologet.* expostulatio adversus Gentes sui seculi: *Volo & ritus vestros recensere, non dico quales sitis in sacrificando, cum enecta & tabidosa quæque mactatis; cum de optimis & integris supervacua quæque truncatis, capitula & ungulas, quæ domi quoque pueris vel canibus destinassetis.*

Animalia priscis Græcis ad sacrificandum potissimum adhibita sex, ovis, sus, bos, caper, gallus, anser, ut notat Suidas in Θυσία. Homerus tamen non nisi priora quatuor in sacris, ut & victu communi ab Heroibus usurpata commemorat. Princeps locus assignatus bovi, quem maximo olim in pretio fuisse subinde Poeta significat, & Plinius *lib.* VIII. *cap.* XLV. Hinc optimæ victimæ & lautissima Deorum placatio. Unde vox βουθυτεῖν, *bove placare*, qua boum mactatio proprie notatur, ad alia quævis animalia traducta. Aristoph. *Pluto*:

Βουθυτεῖ ὗν καὶ τράγον καὶ κριὸν ἐστεφανωμένος:
Coronatus suem, hircum & arietem immolat.

At lege Solonis non erat mactandus bos, teste Plutarcho. Quod Ælianus *lib.* V. *cap.* XIV. de bove aratore interpretatur, ὅτι καὶ οὗτος εἴη ἂν γεωργὸς καὶ τῶν ἐν ἀνθρώποις καμάτων κοινωνός. *Quoniam ille etiam agricola est, & humano generi laborum socius.* Certe alii quoque Græci ejus mactationem habuerunt religioni.

Nec vero promiscue quælibet animalia cuilibet Deo mactare erat fas; sed quæ singulis de more erant dicata. Sic enim Aristoteles IX. *Ethic.* cap. II. contendit, non omnibus eadem, nec patri omnia præstanda, uti nec Jovi omnia sacrificantur. Quod explicans lib. V. cap. X. νομικὸν, ait, αἶγα Διῒ θύειν, ἀλλὰ μὴ πρόβατα, *capram non oves ei mactari lege receptum.* Contra capram non immolatam Minervæ apud Athenienses, testatur Athenæus *lib.* XIII. *Deipnosoph.* Et in universum Plinius ait observatum, nec claudicante, *nec aliena hostia* Deos placari, *lib.* VIII. *cap.* XLV.

Porro Jovi mactari solitus bos, ætate major, πενταέτηρα dixit Poeta *Iliad.* II. Polyphemus ei facit ariete, sed non litat, *Odyss.* IX. Eidem quoque cum Sole immolatus verres, *Iliad.* XIX. Apollini tauri & capræ oblatæ, *Iliad.* I. Itemque agni primogeniti, *lib.* XXIII. Neptuno sæpius tauri παμμέλανες, *nigrantes*, *Odyss.* III. nempe ad maris ferociam ac obscuritatem significandam; etsi apud Pindarum, ἀργάντες ταῦροι, *feri tauri* ei immolati, quod ad spumam maris forte referendum. Quin etiam fluviis Alpheo & Xantho factum tauris, *Iliad.* XI. & XXI. At Sperchio ovibus. Minervæ sæpius mactabant juvencam, *Iliad.* XI. & quidem,

Ἦνιν, ἀδμήτην, ἣν οὔπω ὑπὸ ζυγὸν ἤγαγεν ἀνήρ.
Legitimam, indomitam, quam nullus sub jugum duxit vir.

Odyss. III. quam *injugem* dixit Festus, *casta cervice* Silius. Ovis quoque ei oblata, *Odyss.* IV. Sed non tenella apud Athenienses, auctore Athenæo, *lib.* IX. Mercurio sacrificati agni & hœdi, *Odyss.* XIX. uti & Nymphis, *lib.* XVI. Inferis denique sterilis vacca, *Odyss.* XI. Ita pro variis Diis variæ quoque victimæ distinguebantur, specie, ætate, colore, sexu; quemadmodum eleganter disputat Arnobius *lib.* VII.

Boves autem ornatus gratia solebant auro obducere, *Iliad.* X.

Τήν τοι ἐγὼ ῥέξω χρυσὸν κέρασιν περιχεύας.
Hanc ego tibi sacrificabo, aurum cornibus circumfundens.

Quod imitatus Virgil. *Æneid.* IX.

Et statuam ante aras aurata fronte juvencam.

Modus inaurandi describitur *Odyss.* III. ubi Laerceus χρυσοχόος, *aurifex*, acceptum a Nestore aurum instrumentis fabrilibus ἀσκήσας, *aptans*, bovis cornibus offudit,

Ἵν' ἄγαλμα θεὰ κεχάροιτο ἰδοῦσα.
Quam videns Dea simulacrum gavisa est.

Plato id solenne fuisse Atheniensibus dicit *Alcibiade* II. ubi inter alia magnificentiæ eorum testimonia ponit βοῦς χρυσόκερως, *bos cornibus inauratus.* Romanis quoque solennem hunc ritum adscribit sæpius in eorum historia Tit. Liv. Et quidem a Græcis tractum nominatim scribit Macrobius *lib.* I. *Saturnal.*

Mactabantur Diis vel singulares victimæ, vel plures; sive unius generis, sive diversi. Huc pertinent illæ, quarum tam crebra mentio, Ἑκατόμβαι, ex *centum* proprie *bobus* constantes, ut indicat vocis ἐτυμολογία, & testatur Eustathius, ἐξ ἑκατὸν δηλονότι κυρίων βοῶν. *Nimirum ex centum præstantibus bobus.* Quanquam abusive sæpius ex centum aliis animalibus, ἐξ ἑκατὸν ζώων ἢ κυριώτερον εἰπεῖν βοσκημάτων. *Ex centum animalibus vel ut melius pecudibus.* Sic enim Homerus nominat ἑκατόμβας ταύρων, ἠδ' αἰγῶν, *centum victimas taurorum, sive caprarum.* *Iliad.* I. & ἀρνῶν πρωτογόνων, *agnorum primogenitorum*, *Iliad.* XXIII. Sed & de centenario numero olim controversum, addit Eustathius, dicens fuisse, qui censere ἑκατόμβην constitisse ex viginti quinque quadrupedibus, quæ efficiunt ἑκατὸν βάσεις ἢ πόδας, *centum gradus vel pedes*; alios accepisse ἀορίστως ἀντὶ πολλῶν ζώων, *indefinite pro multis animalibus.* At enim illius aliquam habitam rationem, notat ἑκατόμβη illa Nestoris *Odyss.* III. ubi quater mille quingenti boves Neptuno immolantur a Pyliis. Testatur & ipsa ἑκατόμβης origo, quam a Laconibus repetit Strabo, qui cum olim centum urbes habitarent, centenos quotannis boves immolabant. Atque ita narrat, Lusitanos victimarum centurias quotannis ritu Græco instituisse, *lib.* III.

Cæterum sacrificari victimæ solebant editioribus locis, quos βωμοὺς, *aras*, Homerus vocat, Latini *altaria*, quasi *altas areas*, inde dixerunt. Eorum situs præcipue fuit in Templis, ubi religiosius

ad Deorum simulacra apposita faciebant. In littore etiam maris structum altare, *Hymno in Apollinem*. Apud naves quoque erant Græcorum altaria in obsidione Trojana, *Iliad.* XI. Sic Argonautæ apud Apollonium βωμὸν ἀνασήσαντες ἐπάκτιον, *erigentes aram in littore*. Quod de more faciebant, qui navigaturi Neptuno supplicabant. Sæpe etiam in præruptis montibus posita altaria; quod Anchises pollicetur Veneri in *Hymno*. Frequenter quoque in lucis, agris sacris, atque apud fontes. Tale ad fontem vicinum urbi Ithacensium, ubi viatores Nymphis sacrificabant, *Odys.* XVII. Itemque ad Sperchii scaturiginem τέμενος βωμός τε θυήεις, *templum & ara sacrificiis scatens*, ubi Peleus voverat se oblaturum hecatomben, *Iliad.* XXIII. Ea fecerunt Ithacenses ἄλσος ὑπὸ σκιερὸν ἑκατηβόλου Ἀπόλλωνος, *nemore sub umbroso Apollinis longe jaculantis*, *Odys.* XX. Et Achivi *Iliad.* II. ἀμφὶ περὶ κρήνην ἱεροὺς κατὰ βωμοὺς, *circumcirca fontem ad sacras aras*. Et Sacra adeo Historia testatur fuisse morem Gentium, adolere incensum super lucis ac ligno nemoroso, II. *Reg.* XVII.

Sed & in privatis ædibus extructa erant altaria, quibus victimas mactabant. Quo in genere potissimum celebrata ara Διὸς Ἑρκείου, *Jovis Hercei*; de qua *Odys.* XXII. Eustathius ait extitisse extra αὐλὴν, *sub dio*. Pollux in medio domus, cui concinit Virgil. *Æneid.* II. vers. 512.

Sedibus in mediis, nudoque sub ætheris axe,
Ingens ara fuit.

Ad quam Hecuba cum natis confugerat; & ipse Priamus tandem occisus. Quod Euripides *Troadibus* ait factum ad aram Jovis Hercei. Athenæus etiam *lib.* V. dicit, αὐλὴν vocari Homero *locum subdivalem*, ubi ara Jovis Hercei. Eoque refert, quod ille canit *Iliad.* VI. Peleum deprehensum sacrificantem αὐλῆς ἐν χόρτῳ, *loci subdialis in gramine*. Eumæus vero etiam suem immolavit ἐπ' ἐσχάρῃ, *super altare*, *Odys.* XIV. Ad quam in regia Phæacum quoque supplex consedit Ulysses, *Odys.* VII. Ut multi censeant, ibidem aram de more in foco sitam. Atque adeo passim videre est victimas mactatas a privatis hominibus intra parietes privatos. Quod cum Platoni minus placeret, lib. X. *de Legib.* inde sustulit ἱερὰ θεῶν *loca sacra Deorum*, publice quemque jubens sacrificare, hostia tradita Sacerdoti; ut cum eo simul vota precesque concipiantur. Id vero apud Persas fuisse perpetuum, testis est Herodotus *Clio*, ut sine Magis non facerent rem sacram; ἄνευ γὰρ δὴ Μάγου, οὔ σφι νόμος ἐστὶ θυσίας ποιέεσθαι. *Sed absque Mago, non illis fas est sacra facere*. Sic Diodor. Sicul. *lib.* V. de Gallis: ἔθος δ' αὐτοῖς ἐστὶ μηδένα θυσίαν ποιεῖν ἄνευ φιλοσόφου. *Mos autem est apud illos sacra non fieri absque Philosopho*.

CAP. X.

DE RITU SACRIFICANDI.

SACRIFICANDI ritus plene ab Homero describitur, *Iliad.* I. & II. itemque *Odys.* III. & XIV. Quem suo etiam tempore observatum, usu cum Romanis communi, scribit Dionysius Halicarnasseus, & simul ex citatis Homeri locis demonstrat, *Antiq. Rom.* lib. VII. Nos ejus vestigiis insistentes, singulas sacrificii partes ordine referemus.

Principio lavabant manus, ut in omni officio sacro; quod χερνίψασθαι Homerus appellat. Sic & Lysias, ἐχερνίψαντο ἐκ τῆς ἱερᾶς χέρνιβος, *lavabant manus ex lebete sacro*. In eum usum habebant aquam lebete paratam. *Odys.* III.

Χέρνιβα δέ σφ' Ἄρητος ἐν ἀνθεμόεντι λέβητι
Ἤλυθεν ἐκ θαλάμοιο φέρων.

Pelvim vero ipsis Aretus in florido lebete
Venit ex thalamo ferens.

Imo & χέρνιβα posita *in templorum vestibulis* ἐν προτεμενίσμασι, ait Synesius. Ac in limine collocatus Sacerdos, qui ramo felicis olivæ introeuntes adspergeret, ut est apud Sozomenum *Hist. Eccles.* θαλλοὺς τινας διαβρόχους κατέχων, νόμῳ Ἑλληνικῷ περιέῤῥαινε τοὺς εἰσιόντας. *Ramos quosdam uvidos continens, secundum Græcorum legem aspergebat introeuntes*.

Parabatur autem aqua hæc lustralis, intincto titione ardente ab ara desumpto. Athenæus *lib.* IX. Ἔστι δὲ (χέρνιψ) ὕδωρ εἰς ὃ ἀπέβαπτον δαλὸν ἐκ τοῦ βωμοῦ λαμβάνοντες, ἐφ' οὗ τὴν θυσίαν ἐπετέλουν, καὶ τούτῳ περιῤῥαίνοντες τοὺς παρόντας ἥγνιζον. *Est autem (pelvis ad lavandam manum) aqua, cui intingebant titionem ex ara sumentes, in qua peragebant sacrificium, eaque circumspargentes purificabant eos qui aderant*. Exemplum apud Euripidem *Hercule Furente*:

Μέλλων δὲ δαλὸν χειρὶ δεξιᾷ φέρειν
Εἰς χέρνιβ' ὡς βάψειεν Ἀλκμήνης γόνος.
Dextra vero manu titionem laturus
In pelvim ut tingeret Alcmenæ proles.

Deinde molæ salsæ e canistro in victimæ caput ac tergum effundebantur, quod proprie Latinis *immolare*. Homerus *Iliad.* I.

Χερνίψαντο τ' ἔπειτα καὶ οὐλοχύτας ἀνέλοντο.
Et lavarunt manus deinde & molas salsas extulerunt.

Addebant pilos e victimæ fronte exsectos, conjiciebant in ignem prima, ut ait Homerus, libamina, *Odys.* III.

Χέρνιβά τ' οὐλοχύτας τε κατήρχετο: πολλὰ δ' Ἀθήνῃ
Εὔχετ' ἀπαρχόμενος κεφαλῆς τρίχας ἐν πυρὶ βάλλων.
Pelvimque & molas salsas sacrabat: multa vero Minervam
Orabat adolens capillos in ignem jaciens.

Similiter *Odys.* XIV.

Ἀλλ' ὅγ' ἀπαρχόμενος κεφαλῆς τρίχας ἐν πυρὶ βάλλων
Ἀργιόδοντος ὑὸς καὶ ἐπεύχετο πᾶσι θεοῖσι.
Sed ille immolans capillos in ignem jaciens
Albidentis suis, etiam Deos omnes comprecabatur.

Preces hic factæ, sine quibus non constabat sacrificium, teste Plinio *lib.* XXVIII. *cap.* I. Petebant vero ea, pro quibus sacrificium potissimum offerebant, uti Chryses pro pestis amolitione, *Iliad.* I. Eumæus pro reditu Ulyssis, *Odys.* XIV.

Exin ad mactationem se conferebant. Ac primo quidem victimam securi percutiebant, *Odys.* III.

—— Πέλεκυς δ' ἀπέκοψε τένοντας
Αὐχενίους, λῦσεν δὲ βοὸς μένος. ---
—— *Securis vero abscidit nervos*
Cervicales, solvitque bovis robur.

At Eumæus usus in hanc rem stipite querno, Κόψε δ' ἀνασχόμενος σχίζῃ δρυὸς, ἣν λίπε κείων. *Efferens autem icit stipite quercus, quem liquit urens*. Morem hunc Cappadociæ patrium scribit Strabo *lib.* XV. ut non cultro, sed stipite mactentur, tanquam malleo verberantes. Idem adhibitus apud Suetonium *Caligula* cap. XXXII.

Percussæ deinde victimæ jugulum cultro supposito insecabant, *Iliad.* I. Αὐ ἔρυσαν μὲν πρῶτα καὶ ἔσφαξαν. *In altum levarunt primo & mactarunt*. *Odys.* III.

Οἱ μὲν ἔπειτ' ἀνελόντες ἀπὸ χθονὸς εὐρυοδείης,
Ἔσχον, ἀτὰρ σφάξεν Πεισίστρατος ὄρχαμος ἀνδρῶν.

Hi quidem postea tollentes ab lata terra
Tenebant: sed mactavit Pisistratus princeps virorum.

Fiebat hoc μαχαίρᾳ, *Hymno in Apoll.*

Δεξιτερῇ μάλ' ἕκαστος ἔχων ἐν χειρὶ μάχαιραν
Σφάζειν αἰεὶ μῆλα. ——
Dextra præsertim quisque tenens in manu machæram
Ad mactandas semper oves.

Pausanias *Messeniacis*: Μαχαίραις τε αἷς αἱ γυναῖκες τὰ ἱερὰ ἔθυον. *Et machæris, quibus mulieres sacra mactabant.* Eaque simul cum οὐλοχύταις, *molis*, aliisque rebus sacro usui destinatis, ferebantur canistro, ut docet Aristophanes *Pace*. Sed enim in jugulatione peculiariter notandum, quod monet Scholiastes Homeri, solitos αὖ ἐρύσαι retrorsum inflectere cervicem victimæ, εἰς τοὐπίσω ἀνακλάσαι τὸν τράχηλον τοῦ θυομένου ἱερείου, ὡς προσέχειν εἰς οὐρανὸν τοῖς θεοῖς, οἷς καὶ ἐθύοντο, ὡς καὶ αὐτῶν ὄντων ἐν τῷ οὐρανῷ, *retro reflectere cervicem immolandæ victimæ, ut admoverent in cœlum diis, quibus etiam sacrificabant, utpote & illis in cœlo morantibus.* At contra Heroibus, ut defunctis ἔντομα ἔθυον ἐπιβλέποντα κάτω εἰς γῆν, *incisa immolabant spectantia deorsum in terram.* Quod annotat Apollonii Interpres in I. *Argon.* Cæterum sanguis in vas quoddam recipiebatur, quod ἀμνίον vocat Homerus *Odys.* III.

—— Περσεὺς δ' ἀμνίον εἶχε.
—— *Perseus vero habebat receptaculum sanguinis.*

Scholiastes: ἀγγεῖον ὅπου τὸ αἷμα τοῦ ἱερείου δέχονται, *vas, quo sanguinem victimæ excipiunt.* Attici σφάγιον vocant.

Jugulatas victimas excoriabant; tum in partes discindebant; coxas exemptas omento cooperiebant, iisque crudas particulas ex omnibus membris decisas imponebant, quod ὠμοθετεῖν vocat Homerus *Iliad.* I.

—— ἔσφαξαν καὶ ἔδειραν
Μηρούς τ' ἐξέταμον, κατά τε κνίσῃ ἐκάλυψαν,
Δίπτυχα ποιήσαντες, ἐπ' αὐτῶν δ' ὠμοθέτησαν.
—— *mactarunt & deglubierunt*
Femoraque exsecuerunt, & adipe operuerunt,
Duplicantes, iisque cruda imposuerunt.

Et *Odys.* XIV.

Αἶψα δὲ μιν διέχευαν· ὁ δ' ὠμοθετεῖτο συβώτης
Πάντοθεν ἀρχόμενος μελέων ἐς πίονα δημόν.
Subito autem eum diffuderunt: sed cruda indidit subulcus
Undique incohans membra ad pinguem adipem.

Coxæ hunc in modum adipe & variis particulis, tanquam primitiis ex universo animali, contectis, igne imponebantur adolendæ, despersa farina. *Odys.* XIV.

Καὶ τὰ μὲν ἐν πυρὶ βάλλε καλύψας ἀλφίτου ἀκτῇ.
Et ista quidem jecit in ignem obtegens farinæ dono.

Superfundebantur coxis libamenta e vino. *Iliad.* I.

Καῖε δ' ἐπὶ σχίζῃς ὁ γέρων, ἐπὶ δ' αἴθοπα οἶνον
Λεῖβε. —— ——
Cremabat vero in lignis multifidis senex, super autem rubrum vinum
Libabat. —— ——

Et XI. de Peleo sacrificante:

—— ἔχε δὲ χρύσειον ἄλεισον
Σπένδων αἴθοπα οἶνον ἐπ' αἰθομένοις ἱεροῖσι.

Ita coxæ præcipue ex omni victima Diis offerebantur. Unde frequentissime illud ab Homero ad notandum sacrificium usurpatum, πίονα μηρία καίειν. Sic apud Theocritum *Idyl.* XVII.

Πολλὰ δὲ πιανθέντα βοῶν ἐπὶ μηρία καίειν.

Et Bacchilides:

Δαιδαλέων τ' ἐπὶ βωμῶν θεοῖσιν αἴθεται βοῶν
Ξανθῇ φλογὶ μηρία.

Certe hunc morem Græcis fuisse peculiarem liquido testatur Pausanias *Atticis*: Τοὺς μὲν μηροὺς κατὰ νόμον ἐκτεμὼν τῶν Ἑλλήνων ἐς αὐτοὺς καιομένους ὁρᾷ.

Porro cæteræ partes victimæ ab iis discissæ assabantur verubus, ac in convivio manducabantur. *Iliad.* I.

Αὐτὰρ ἐπεὶ κατὰ μῆρ' ἐκάη, καὶ σπλάγχν' ἐπάσαντο
Μίστυλλόν τ' ἄρα τἆλλα, καὶ ἀμφ' ὀβελοῖσιν ἔπειραν,
Ὤπτησάν τε περιφραδέως, ἐρύσαντό τε πάντα.
Αὐτὰρ ἐπεὶ παύσαντο πόνου, τετύκοντό τε δαῖτα
Δαίνυντ'. οὐδέ τι θυμὸς ἐδεύετο δαιτὸς ἐΐσης.

Ita etiam factum *Odys.* XIV. nisi quod singulari ritu septem dispositæ portiones, quarum una Nymphis oblata, altera Mercurio; reliquæ singulis tributæ. Ita Deos, conviviorum in sacrificiis participes credebant. Quod multis locis testatum facit Homerus, nominatim *Iliad.* I. ubi Jupiter dicitur ivisse convivatum ad sacrificia Æthiopum, comitatus cæteris Diis. Ex quo ritu & mensæ antiquitus in Græciæ templis ad simulacra dispositæ, quibus varia fercula Diis suis apponebant. Maximam tamen victimæ partem sibi asservabant, genialiter cibo potuque indulgentes. Unde Athenæus refert, μέθην Aristoteli dictam, quasi sit μετὰ τὸ θύειν. Quod consentaneum dicto Epicharmi: Ἐκ μὲν θυσίας, θοίνη, ἐκ θοίνης πόσις ἐγένετο, ἐκ δὲ πόσεως κῶμος. Id præcipue fiebat in solemnibus Deorum Festis, quæ instituta a priscis ait Athenæus *lib.* IX ut recreationem aliquam homines haberent; sed simul luxuriam refrenarent, Deos veriti convivas. Plato quoque II. *de Leg.* censet, Deos laboriosam mortalium vitam miseratos, in laborum remissionem solemnia sacra festaque instituisse; quin etiam Musas & Apollinem Bacchumque dedisse ξυνεορταστὰς ἵν' ἐπανορθῶνται τὰς γινομένας τροφὰς ἐν ταῖς ἑορταῖς μετὰ Θεῶν. Cæterum usque adeo a rebus laboriosis abstinebant in Festis, ut Antinous *Odys.* XXI. pronunciet, ne arcum quidem tendendum, quia Apollini Festus sit dies:

Τίς δὲ κε τόξα τιταίνοιτ', ἀλλὰ ἕκηλοι
Κάτθετ'.

Ὡς τῆς ἑορτῆς ἀργίαν ἐθελούσης, inquit Eustathius. Inde illud παροιμιῶδες Theocriti in *Bucolicis*: Ἀέργοις αἰὲν ἑορτά, *Inertibus semper festum.*

Cum autem diversis temporibus festivitates hæ celebrabantur, tum maxime post messem: uti videre est *Iliad.* IX. ubi Minerva irata dicitur, quod ei non sacrificarat Oeneus θαλύσια γουνῷ ἀλωῆς; reliquis Diis epulantibus Hecatombas. Scholiastes: Τὰς ὑπὲρ εὐθαλείας καὶ εὐφορίας τῶν καρπῶν διδομένας θυσίας μετὰ τὴν συγκομιδὴν τῶν καρπῶν τοῖς τε ἄλλοις καὶ τῇ Δήμητρι. Cereri potissimum velut Deæ frugum hoc factum, ut constat ex Theocrito.

Atque hæc de universo sacrificiorum ritu dicta sufficiant. Quæ enim ad singularia Deorum sacra pertinent infinita sunt, nec ab Homero attinguntur, quem in hac Commentatione ducem insequimur.

CAP. XI.

DE DONARIIS.

SUPERSUNT in Deorum cultu Donaria variaque munera, quæ iis dedicabant. In his primo loco apud Pollucem censentur στέφανοι coronæ; qua-

rum *antiquitus nulla nisi Deo dabatur*, ait Plinius *lib.* XVI. *cap.* XIV. His ornasse se templum Apollinis dicit Ulysses *Iliad.* I.

Εἴποτέ τοι χαρίεντ' ἐπὶ νηὸν ἔρεψα.

Scholiastes, ἐστεφάνωσα: eodemque modo interpretatur Lucianus *de Sacrif.* Εγὼ μέν σου τὸν νεὼν τέως ἀστεφάνωτον ὄντα πολλάκις ἐστεφάνωσα. Quamobrem idem dictus:

Στέμματ' ἔχων ἐν χερσὶν ἑκηβόλου Απόλλωνος.

Quæ quidem Scholiasta censet constitisse e lauro, arbore ei sacra. Sic Baccho solitæ fieri coronæ ex hedera, quem inde κισσοκόμην Homerus appellat in *Hymno*; Jovi e quercu; Minervæ ex olea. Ac de his forte accipiendum, quod ipsa dicit in *Batrachomyomachia*, mures στέμματα sua corrodendo læsisse.

Succedunt vestes, quas maxime pretiosas Diis appendebant. Factum ab Ægistho *Odyss.* III.

Πολλὰ δ' ἀγάλματ' ἀνῆψεν ὑφάσματά τε χρυσόν τε.

Sic Trojanæ mulieres *Iliad.* VI. peplum Minervæ obtulerunt. Eidem peplum ab Atheniensibus quinto quoque anno in Panathenæorum festo apparabatur, in quo pictus Enceladus Gigas, a Dea interfectus, & nomina eorum qui strenue in bellis se gessissent, ut liquet ex Suida. Simile in foro Eleorum a sedecim mulieribus contextum in honorem Junonis tradit Pausanias. Atque huc pertinet illa Platonis sanctio, *In delubris communibus textione operosius, quam mulieris opus menstruum*, ut refert ex eo Cicero II. *de Leg.* In simulacrorum præcipue usum hæc constat dedicata, quæ vestire antiqui moris. Findebant autem ejusmodi vestes, ne rapacibus manibus essent obnoxia, ut observat Hesychius: Οἱ ἀνατιθέντες ἱμάτια κατέσχιζον αὐτὰ, ἵνα μὴ ἀρθῶσι παρά τινων.

Maximam partem ἀγαλμάτων constituebant vasa aurea, argentea, ænea, ferrea & id genus alia. In quibus celebrati potissimum Tripodes: & quidem in Apollinis maxime honorem, ut constat ex Delphico templo, de quo Homerus in *Hymno Mercurii*:

Ενθεν ἅλις τρίποδας περικαλλέας ἠδὲ λέβητας
Πορθήσω, καὶ χρυσὸν, ἅλις τ' αἴθωνα σίδηρον.
Καὶ πολλὴν ἐσθῆτα. ——

Consecrabantur præcipue ab iis, qui victores obtinuerant præmia in ludis; ut in certamine Triopii Apollinis docet Herodotus *Clio*. Quos inde χορηγικοὺς τρίποδας vocarunt.

Sed enim victores quoque soliti detracta hostibus spolia Diis similem in modum appendere. Ita Ulysses ablata Doloni arma Minervæ Ληΐτιδι cum solenni precatione dicavit, lib. X. *Iliados*. Hector etiam vovet, se superiorem in certamine, hostis arma in templo Apollinis appensurum:

Καὶ κρεμόω ποτὶ νηὸν Απόλλωνος ἑκάτοιο.

In eundem modum Timoleon arma Carthaginensibus exuta in templis Corinthiorum consecravit, auctore in *ejus Vita* Plutarcho. Phocenses dimidium hostilium scutorum apud Abas, alterum apud Delphos dedicarunt, ut narrat Herodotus *Urania*. Nec dissimili ritu ille Goliathi Palæstini a Davide interfecti gladius in sacro tabernaculo fuit repositus, I. *Sam.* II. Alioqui frequentius decimam partem argenti, ex hostilibus spoliis confecti, Diis sacrabant. Cujus moris infinita exempla in Græca, atque adeo Romana externa historia.

Solebant autem elogia inscribere donariis qui dedicabant, ut antiquissima docent monumenta, quæ collegit ex universa Græcia Pausanias. Phanias quoque lib. *de Tyrannis Siciliæ*, pugionem narrat dicatum in templo Pythii, cui inscriptum tetrasticho, gestasse olim Antenoridem Ilio obsesso, addit etiam Tripodem extitisse, cui Diomedes inscripserat; se dicasse præmium ab Achille acceptum in ludis funebribus Patrocli.

Hinc ingentes illæ antiquorum templorum divitiæ, quas passim laudant scriptores. Apollinis præsertim apud Delphos, cujus fanum omnium pene gentium muneribus fuit decoratum. In quibus primas obtinuit Gyges Lydiæ Rex, & qui ei successit Crœsus, uti narrat Phanias Eresius & Theopompus lib. XLVIII. *Philippicorum*. Et illum quidem affirmant fuisse primum, qui donaria aurea ac argentea Delphis dedicavit, cum antea tantum essent ex ære; nec quidem statuæ, sed lebetes tripodes. Sed enim Homeri seculo etiam magna erat Delphici templi opulentia, adeo ut hoc Achilles inter pretiosissima quæque ab Agamemnone oblata, ac a se repudiata ponat,

—— Οὐδ' ὅσα λάϊνος οὐδὸς ἀφήτορος ἐντὸς ἐέργει
Φοίβου Απόλλωνος Πυθοῖ ἐνὶ πετρηέσσῃ.

Iliad. IX.

CAP. XII.

DE CULTU HEROUM MORTUORUM ATQUE ADEO OMNIUM INFERORUM.

HEROES, ut inferiores divinitate sunt habiti, ita quoque inferiores honores sortiti, qui ἡρωϊκοὶ dicti. Ac majoribus quidem Diis dicebatur θύειν; heroibus ἐναγίζειν. Herodotus *Euterpe*: Δοκέουσι δέ μοι οὗτοι ὀρθότατα Ελλήνων ποιέειν, οἳ διξὰ Ηράκλεια ἱδρυσάμενοι ἔκτηνται, καὶ τῷ μὲν ὡς ἀθανάτῳ Ολυμπίῳ δὲ ἐπωνυμίην θύουσι, τῷ δ' ἑτέρῳ ὡς ἥρωϊ ἐναγίζουσι. Cui non absimile, quod a Phæsto refert factum Pausanias *Corinthiacis*. Hic cum animadverteret Sicyonios Herculi ὡς ἥρωϊ ἐναγίζοντας, nihil simile faciendum censuit, sed ὡς θεῷ θύειν. Unde hic mos postea apud eos inolevit, ut agnos jugulantes eorumque femora super altari adolentes, τὰ μὲν ἐσθίουσιν, ὡς ἀπὸ ἱερείου, τὰ δὲ ὡς ἥρωϊ τῶν κρεῶν ἐναγίζουσι. Ubi diversus in sacrificando ritus aperte connotatur. Alium quoque non procul ab hoc loco idem auctor indicat; Τῷ δὲ Αλεξάνορι καὶ Εὐαμερίωνι, τῷ μὲν ὡς ἥρωϊ μετὰ ἥλιον δύντα ἐναγίζουσιν. Εὐαμερίωνι δὲ ὡς θεῷ θύουσι. At Homerus *Iliad.* II. ait, Athenienses solitos Erechtheum tauris, & agnis in Minervæ templo singulis annis placare:

Ενθάδε μιν ταύροισι καὶ ἀρνειοῖς ἱλάονται
Κοῦροι Αθηναίων, περιτελλομένων ἐνιαυτῶν.

Cujusmodi anniversaria sacra Æneas apud Virgilium *lib.* V. exhibet Anchisæ parenti, cæsis victimis, libamentis fusis, adeoque ludis solenni pompa celebratis. Sed enim hic honos mortuis quibusque hominibus delatus a superstitibus, pro affectu quo sibi colendos illos ducebant. Amphipolitani Brasidæ defuncto tanquam Heroi, τιμὰς δεδώκασιν, ἀγῶνας καὶ ἐτησίους θυσίας, καὶ τὴν ἀποικίαν ὡς οἰκιστῇ προσέθεσαν, apud Thucyd. *lib.* IV. Phigalenses Orestasiis ὡς ἥρωσιν ἐναγίζουσιν ἀνὰ πᾶν ἔτος, ait Pausanias *Arcadicis*. Plato quoque lib. IV. *de Leg.* in universum jubet, τὰς κατ' ἐνιαυτὸν τῶν ἤδη τέλος ἐχόντων ἐπιμελείας ἀποδιδόναι, curas annuas defunctis reddere. Et diserte idem Philosophus lib. V. *de Repub.* ex Hesiodi auctoritate contendit, eos fieri Δαίμονας; eodemque cum eis ritu colendos, καὶ τὸν λοιπὸν δὴ χρόνον ὡς δαιμόνων οὕτω θεραπεύσομεν καὶ προσκυνήσομεν αὐτῶν τὰς θήκας. Unde Δαίμονος voces expresserunt Deos Manes, quos vocabant Romani; de quibus Cicero ex antiquissimis eorum legibus: *Deorum Manium jura sancta sunt; Eos*

letho datos Deivos habento. Ita divinitatem aliquam animis a corpore solutis adscribebant: quam secuta veneratio, aliis majore delata affectu ac ritu, prout meritis habebantur insignes.

In mortuorum sacris libationes principem locum obtinebant; unde & χοαὶ *effusiones* appellabantur. Illis usus Ulysses *Odyss.* XI. facta prius scrobe, circa quam mulsum, vinum, aquam admixta farina diffundit. Solennem ejusmodi ἐναγισμοῦ ritum notat Clidamus libro Ἐξηγητικῶν; ubi scrobs facta vespertino tempore circa sepulchrum, & defusa aqua cum hac loqutione: Ὑμῖν ἀπόνιμμα οἷς χρὴ καὶ οἷς θέμις, indeque affusum unguentum. At vero apud Virgil. *Æneid.* V. Æneas:

Hic duo rite mero libans carchesia Baccho
Fundit humi, duo lacte novo, duo sanguine sacro.

Sanguinis magna habita ratio, ad quem bibendum avide convolare animos exsangues putabant, uti videre est in tota Homeri Νεκύα. Hinc parentationes vocabant Αἱμακορίας: uti Pindarus *Olymp.* ode I. Et sic ille apud Euripidem *Hecuba*:

Ἐλθὲ δ' ὡς πίῃς μέλαν
Κόρης ἀκραιφνὲς αἷμ' ὅσοι δωρούμεθα.

Eo fine cæsæ victimæ, qualis aries ac ovis nigra mactata Ulyssi evocanti mortuorum umbras; itemque sterilis vacca, quam se iis sacrificaturum vovet. Hinc in funere simul jugulare animalia erat mos, ut constat ex Patrocli, Achillis, ac Hectoris apud Homerum exsequiis. Qua de re Plato *Minoe*: Καὶ ἡμᾶς αὐτοὺς οἶσθά που καὶ αὐτὸς ἀκούων οἵοις νόμοις ἐχρώμεθα πρὸ τοῦ περὶ τοὺς ἀποθανόντας, ἱερεῖά τε προσφάττοντες πρὸ τῆς ἐκφορᾶς τοῦ νεκροῦ καὶ ἐγχυτιστρίας μεταπεμπόμενοι. Moris autem erat ejusmodi victimas jugulatas comburere, ut ex locis citatis liquet. In pyram vero collata varia munera, quæ notat Ulysses, cum simul mortuis pollicetur,

Πυρήν τ' ἐμπλησέμεν ἐσθλῶν.

Ita in parentatione Anchisis, Æneæ socii, *Æn.* V.

Dona ferunt, onerantque aras, mactantque juvencos.

Et ab eo mos similis venit ad Romanos in anniversariis parentationibus, quæ mense Februario peragebantur, uti docet Ovidius II. *Fastorum*;

Est honor & tumulis animas placare paternas,
Parvaque in extructas munera ferre pyras.

Ea vero explicans, satis ait esse, si offerantur coronæ, molæ salsæ,

Inque mero mollita Ceres violæque solutæ.

Græci sæpius τῶν ὡραίων ἀπαρχὰς insignioribus viris offerebant, uti factum a Platæensibus in eos Lacedæmonios, qui bello Medico occubuerant, apud Thucyd. *lib.* III. & a Trojanis Achilli apud Philostratum lib. IV. *de Vita Apollon.* Fiebant autem hæc ἐναγίσματα in tumulis seu plenis, seu inanibus ac honorariis. Ibi Heroibus plerunque aræ structæ; ut sepulcro Achillis apud Philostratum, & Pelopis apud Pindarum *Olymp.* I. In aliis fovea sufficiebat. Lucianus *Charonte*: Καὶ βόθρον τινὰ ὀρύξαντες καίουσί τε ταυτὶ τὰ πολυτελῆ δεῖπνα, καὶ εἰς τὰ ὀρύγματα οἶνον καὶ μελίκρατον, ὡς γοῦν εἰκάσαι, ἐγχέουσι. Nec absimilis ritus in Inferorum Deorum sacris. Philostrat. *lib.* VI. Θεοὶ μὲν γὰρ χθόνιοι βόθρους ἀσπάζονται καὶ τὰ ἐν τῇ κοίλῃ γῇ δρώμενα.

CAP. XIII.

DE RELIGIONE FUNERANDI.

NON alienum erit hoc loco subjungere ritum, quem in funerandis mortuis Græci observarunt. Quando in eo non exiguam religionis partem posuerunt. Ac primum quidem obnixe curabant, ut ejus, qui animam agebat, oculi clauderentur, & os reliquaque corporis decore componerentur. Queritur id sibi per summum scelus ab uxore denegatum Agamemnon, *Odyss.* XI.

—— Οὐδέ μοι ἔτλη ἰόντι περ εἰς Ἀΐδαο
Χερσὶ κατ' ὀφθαλμοὺς ἑλέειν, σύν τε στόμ' ἐρεῖσαι.

Dolet etiam non factum Ulyssi ab uxore Laertes, eum existimans peregre obiisse, *Odyss.* XXIV.

—— φίλον πόσιν ὡς ἐπέοικεν.
Ὀφθαλμοὺς καθελοῦσα· τὸ γὰρ γέρας ἐστὶ θανόντων.

Alias pater & mater hoc officio functi, *Iliad.* XI.

—— Οὐ μέν σοί γε πατὴρ καὶ πότνια μήτηρ
Ὄσσε καθαιρήσουσι θανόντι. ——

Sic mater Euryali, *Æneid.* IX.
—— *Nec te tua funera mater*
Produxi, pressive oculos ——

Hinc ille apud Lucanum III. *Pharsal.*
—— *Tacito tantum petit oscula vultu,*
Invitatque patris claudenda ad lumina dextram.

Cui consentanea illa apud Euripidem:

Αἲ αἲ κατ' ὄσσων κιχάνει μ' ἤδη σκότος·
Λαβοῦ πάτερ μου καὶ κατόρθωσον δέμας.

Exhalata anima cadaver lotum ac unctum. In eum usum jubet Achilles λοετροχὸν τρίποδα ad ignem statui, ut fervente aqua corpus Patrocli ablueretur & inungeretur:

Καὶ τότε δὴ λοῦσάν τε καὶ ἤλειψαν λίπ' ἐλαίῳ.

Idem jussit ancillas Hectori præstare,

Δμῳὰς δ' ἐκκαλέσας λοῦσαι κέλετ' ἀμφί τ' ἀλεῖψαι.

Iliad. XXIV. Ipsique adeo Achilli mortuo Græci καθήραντες χρόα καλὸν ὕδατι λιαρῷ καὶ ἀλείφατι. Imitatus Virgilius in funere Miseni, *Æn.* VI.
—— *Corpusque lavant frigentis & ungunt.*

Ubi Servius ex Ennio:
Tarquinii corpus bona fœmina lavit & unxit.

Tum linteo involutum in lecto ferali deponebant. *Iliad.* XVIII.

Ἐν λεχέεσσι δὲ θέντες ἑανῷ λιτὶ κάλυψαν
Ἐς πόδας ἐκ κεφαλῆς, καθύπερθε δὲ φάρεϊ λευκῷ.

Ubi alba vestis; quasi etiam amictum strati corpus ex Ægeo in urbem intulerunt Sicyonii, teste Plutarcho. Solebant autem in hunc usum peculiariter texere, uti agit Penelope sua illa tantopere laudata tela, *Odyss.* II.

—— Εἰσόκε φᾶρος
Ἐκτελέσω Λαέρτῃ ἥρωϊ ταφήϊον.

Sic mater illa Euryali, *Æneid.* IX.

Veste tegent tibi quam noctes festina diesque
Urgebam, & tela curas solabar aniles.

Collocabant in atrio domus, ita ut pedes essent in portam versi. Sic Patroclus in tentorio Achillis κεῖται ἀνὰ πρόθυρον τετραμμένος. Quo significabatur vitæ exitus, ut ait Eustathius: Οἷα ἔθους ὄντος οὕτω προτίθεσθαι τοὺς νεκροὺς, ὡς ἐπὶ ἐξόδῳ τοῦ βίου γεγονότας. Hesychius: Τοὺς νεκροὺς οὕτω φασὶν ἑδράζεσθαι ἔξω τοὺς πόδας ἔχοντας πρὸς τὰς αὐλείους θύρας. Dicebant hæc Græci προτίθεσθαι. Uti Lucianus *de Luctu*: Μετὰ ταῦτα δὲ λούσαντες αὐτοὺς καὶ μύρῳ τῷ καλλίστῳ χρίσαντες τὸ σῶμα καὶ στεφανώσαντες τοῖς ὡραίοις ἄνθεσι προτίθενται. Plato XII. *de Leg.* πρόθεσιν vocat, multusque est in ea statuenda. Romanis idem fuisse in more luculenter testatur Persius:

—— *tandemque beatulus alto*
Compositus lecto, crassisque lutatus amomis,
In portam rigidos calces extendit.

Ita composito ac collocato cadavere circumfusi ordiebantur solennem luctum. *Iliad.* XXI.

—— Οὐδέ σε μήτηρ
Ενθεμένη λεχέεσσι γοήσεται.

Odyss. XXIV.

Κώκυσ' ἐν λεχέεσσι φίλον πόσιν.

Sic & Ovidius:

Depositum nec me qui fleat, ullus erit.

Philo *de Josepho*: Τελευταίων ἀσπασμάτων ἐκοινώνησα, τοὺς ὀφθαλμοὺς συνέκλεισα, ἐπεδάκρυσα κειμένῳ τῷ νεκρῷ. Adhibiti in hanc rem cantores, qui lugubri voce aliis præirent. *Iliad.* XXIV.

—— —— Τὸν μὲν ἔπειτα
Τρητοῖς ἐν λεχέεσσι θέσαν παρὰ δ' εἷσαν ἀοιδοὺς
Θρήνων ἐξάρχους, οἵ τε στονόεσσαν ἀοιδὴν,
Οἱ μὲν ἄρ' ἐθρήνεον, ἐπὶ δὲ στενάχοντο γυναῖκες.

Quod non multum abludit a Præficis Romanorum, quæ næniam cantabant ad tibiam, ut ait Varro. Magnus utique tibiæ in funere usus, non apud Græcos & Romanos solum, sed & apud Hebræos; uti constat ex *Matthæi* cap. IX.

Ad fletum ac lamentationem accedebant alia complura doloris signa, Græcis usitata. In quibus præcipuum, quod demebant sibi comam. *Odyss.* IV.

Τοῦτό νυ καὶ γέρας οἶον ὀϊζυροῖσι βροτοῖσι,
Κείρασθαί τε κόμην, βαλέειν τ' ἀπὸ δάκρυ παρειῶν.

Observarunt hoc Achivi in Achillis προθέσει:

—— Πολλὰ δέ σ' ἀμφὶς
Δάκρυα θερμὰ χέον Δαναοὶ κείροντό τε χαίτας.

Sic apud Bionem in *Adonide mortuo*, Amores κειράμενοι χαίταν. Antipater in *Epigram.* ait, Græciam universam lugere Alcæum,

Ἀπλεκτον χαίταν ἐν χροῒ κειραμένην.

Hinc Xenophon I. *Hellen.* ait, post occisum Theramenem subornatos homines pullatos; καὶ ἐν χρῷ κεκαρμένους, ἵνα πρὸς τὴν ἐκκλησίαν, ὡς δὲ ξυγγενεῖς ὄντες τῶν ἀπολωλότων. Atque adeo Herodotus refert, solenne esse aliis omnibus, ἅμα κήδεϊ κεκάρθαι τὰς κεφαλὰς τοὺς μάλιστα ἱκνέεται: contra quam factitabant Ægyptii, capillum promittentes, raso duntaxat mento.

Porro crines abscissos cadaveri solebant injicere, *Iliad.* XVII.

Θριξὶ δὲ πάντα νέκυν καταείνυσαν ἃς ἐπέβαλλον
Κειράμενοι. ——

Ipseque Achilles comam suam, licet Sperchio devotam, in Patrocli manus deponit. Quem imitatus Alexander Magnus in funere Hephæstionis, apud Plutarchum; & Antoninus Imperator in

A fratris exsequiis, apud Herodianum *lib.* IV. Quin etiam postea consueverant in tumulis offerre; sicuti Euripidis Orestes noctu ad Agamemnonis patris sepulcrum κόμης ἀπήρξατο: & Helena ad sororis tumulum,

Κόμης ἀπαρχὰς καὶ χοὰς φέρουσα.

Luctus illius domestici tempus erat varium ac indefinitum. In Achille lugendo septem dies Achivi consumpserunt, decima octava combusserunt, *Odyss.* XXIV. At Hectoris universa funeratio duodecim diebus a Trojanis peracta. Apud Apollonium

B II. *Argonaut.* tres dies in hanc rem adhibiti:

Ηματα δὲ τρία παντᾶ γόων, ἑτέρῳ δέ μιν ἤδη
Τάρχυον μεγαλωστί. ——

At Plato XII. *de Leg.* sancit τριταίαν πρὸς τὸ μνῆμα ἐκφέρεσθαι νεκρὸν, tertia post collocationem die. Quod & Thracibus in more esse scribit Herodotus *Terpsichore*.

CAP. XIV.

DE CADAVERIS COMBUSTIONE.

C ANTEQUAM sepelirent cadaver, in cineres redigere Græcis erat consuetudo. Hanc illis peculiariter assignat Lucianus *de Luctu*: Ὁ μὲν Ἕλλην ἔκαυσεν, ὁ δὲ Πέρσης ἔθαψεν, ὁ δὲ Ἰνδὸς ὑάλῳ περιχρίει, ὁ δὲ Σκύθης κατεσθίει, ταριχεύει δὲ ὁ Αἰγύπτιος. Quamquam nec ipsa omni tempore, nec ab omnibus observata. Antiquissimum humandi ritum refert Cicero, & jam inde a Cecropis apud Athenienses temporibus usitatum, II. *de Leg.* Ita funeratus apud Thucydidem *lib.* IV. Brasidas: apud Herodotum *Erato*, Periandri uxor, aliique, quos recensere longum. Ita quoque sero apud Romanos receptam cremandi consuetu-

D dinem tradit Plinius *lib.* VII. *cap.* LIV. nec adeo in multis familiis obtinuisse. Apud Homerum tamen omnia Græcorum ac Trojanorum cadavera videmus comburi; uti *Iliad.* VII. omnium vero amplissime *lib.* XXXIII. & XXIV. itemque *Odyss.* XXIV. ubi funera Patrocli, Hectoris, & Achillis fusius describuntur.

Postquam cadaver satis defleverant, cum lecto suo in locum, ubi erat comburendum, efferebant, & in edita lignorum strue collocabatur, πυρὴν Homerus vocat, quam Pindarus *Pyth.* III. τεῖχος ξύλινον dixit, loquens de funeratione Coronidis. *Iliad.* lib. XXIII.

E Ποίησαν δὲ πυρὴν ἑκατόμπεδον ἔνθα καὶ ἔνθα.
Εν δὲ πυρῇ ὑπάτῃ νεκρὸν θέσαν ἀχνύμενοι κῆρ.

Similiter *lib.* XXIV.

—— Εξέφερον θρασὺν Εκτορα δακρυχέοντες.
Εν δὲ πυρῇ ὑπάτῃ νεκρὸν θέσαν. ——

Ad pyram mactatæ complures victimæ ab Achille, ac combustæ; quod & in ejus exsequiis præstiterunt Achivi:

—— Πολλὰ δέ σ' ἀμφὶς
Μῆλα κατεκτάνομεν μάλα πίονα καὶ ἕλικας βοῦς.

F Sed hoc singulare, quod Achilles adipe ex cæsis animalibus sumpto cadaver Patrocli oblevit, circumquaque excoriata corpora accumulans. Adjecit mellis & olei amphoras quatuor; uti & ipse combustus fuit.

—— Εν τ' ἐσθῆτι θεῶν καὶ ἀλείφατι πολλῷ
Καὶ μέλιτι γλυκερῷ. ——

Arma quoque in rogum conjecta; quomodo Achilles Thebarum regem Eetionem a se bello interfectum κατέκηε σὺν ἔντεσι δαιδαλέοισι, *Iliad.* VI. Et Elpenor petit ab Ulysse, ut se cum armis comburat, *Odyss.* XI.

Ἀλλά με κάκκηαι σὺν τεύχεσιν ὅσσα μοί ἐστι.

Sic apud Virgilium in funere Miseni:

—— *Decorantque super fulgentibus armis.*

Omninoque res quævis in vita caræ, simul cum mortuo cremabantur. Inde quatuor equi ab Achille in rogum Patrocli immissi, canes etiam duo τραπεζῆες. Hoc præterea in magnorum virorum funere obtinuit, ut homines jugulati in pyram conjicerentur. Sic Achilles Patroclo mactat duodecim lectissimos juvenes Trojanos a se captos: & Græci in ejus funere idem observasse dicuntur apud Q. Smyrnæum. Similiter ille apud Virgil. *Æneid.* XI.

Vinxerat & post terga manus quos mitteret umbris
Inferias cæso sparsuros sanguine flammas.

Interea dum pyra ardebat, lugubri voce mortuum supremum compellabant; uti Achilles Patroclum vino sæpius libato:

Οἶνον ἀφυσσόμενος χαμάδις χέε, δεῦε δὲ γαῖαν,
Ψυχὴν κικλήσκων Πατροκλῆος δειλοῖο.

Postquam flamma desævierat, rogus extinguebatur vino, & ossa quæ supererant legebantur. *Iliad.* XVIII.

Πρῶτον μὲν κατὰ πυρκαϊὴν σβέσατ᾽ αἴθοπι οἴνῳ
Πᾶσαν, ὁπόσσον ἐπέσχε πυρὸς μένος. αὐτὰρ ἔπειτα
Οστέα Πατρόκλοιο Μενοιτιάδαο λέγωμεν.

Idem in Hectore factum dicitur totidem pene verbis. At Achillis ossa lecta οἴνῳ ἐν ἀκρήτῳ καὶ ἀλείφατι, *vino & oleo, seu unguento delibuta.* Præstabant hoc officium maxime necessarii; sicut apud Pindarum Ode VIII. *Pyth.* Adrastus, θανόντος ὀστέα λέξαις υἱοῦ. Tibullus:

—— *Non hic mihi mater*
Quæ legat in mœstos ossa perusta sinus.

Cæterum non erat difficile distinguere ossa ac cineres cadaveris, a reliquis pyræ aggestis; quandoquidem hoc situ cremabatur, ut esset ab aliis omnibus separatum, sicuti Achilles docet de Patroclo:

Εὖ διαγινώσκοντες· ἀριφραδέα δὲ τέτυκται,
Ἐν μέσσῃ γὰρ ἔκειτο πυρῇ τοὶ δ᾽ ἄλλοι ἄνευθεν
Ἐσχατιῇ καίοντ᾽ ἐπιμὶξ ἵπποι τε καὶ ἄνδρες.

Quod æque clare notat in funere Achillis Q. Smyrnæus *lib.* III. non permista videlicet illius ossa cum aliis, qui

Βαιὸν ἄπωθε κέοντο περὶ νέκυν. ὃς δ᾽ ἐνὶ μέσσοις
Ῥιπῇ ὑφ᾽ Ἡφαίστοιο δεδημένος, οἷος ἔκειτο.

Ossa lecta in urnam reponebantur, uti de Hectore:

Καὶ τάγε χρυσείην ἐς λάρνακα θῆκαν ἑλόντες
Πορφυρέοις πέπλοισι καλύψαντες μαλακοῖσι.

At Achilles Patrocli ossa in auream phialam duplici adipe recondidit, subtili linteo contecta; & quidem in tentorio jussit reponi, donec sui mortui ossibus conjuncta eodem tumulo inferrentur. Quod re ipsa effectum in Achillis funeratione dicitur *Odys.* XXIV. ubi ejus ossa lecta

—— Ἐς χρύσεον ἀμφιφορῆα
Μίγδα δὲ, Πατρόκλοιο Μενοιτιάδαο θανόντος.

CAP. XV.

DE SEPULTURA.

HUNC in modum lecta ac deposita ossa inferebantur in fossam, quam Homerus κάπετον vocat, loquens de Hectore:

Αἶψά δ᾽ ἄρ᾽ ἐς κοίλην κάπετον θέσαν.

Scholiastes: τάφρον, ὄρυγμα. Tum complures lapides superstrati: αὐτὰς ὕπερθε πυκνοῖσιν λάεσσι κατεστόρεσαν. At Patrocli sepulcrum torno designatum jactis circa pyram fundamentis:

Τορνώσαντο δὲ σῆμα, θεμείλιά τε προβάλοντο
Ἀμφὶ πυρήν. ——

Postremum terra superfusa:

—— Εἶθαρ δὲ χυτὴν ἐπὶ γαῖαν ἔχευαν.

Qua in re præcipua apud Græcos posita ratio sepulturæ; quippe qui non censebant eam rite peragi, nisi injecta erat terra. Nestor inde insepultum notans, οὐδὲ θανόντι χυτὴν ἐπὶ γαῖαν ἔχευαν, *Odys.* III. Contra Tydeus tumulatus, *Iliad.* XIV. Ὃν Θήβῃσι χυτὴ κατὰ γαῖα κάλυψε. Sic Virgilius *Æneid.* VI.

Aut tu mihi terram injice.

Horatius I. *Carm.* XXVIII. Ode:

Injecto ter pulvere curras.

Atque hoc pacto infusam terram τύμβον & σῆμα Homerus vocat, Latini *tumulum* a tumente terra. Imposita huic de more στήλη, *columna*, uti *Iliad.* XVII.

Ἀλλ᾽ ὥστε στήλη μένει ἔμπεδος, ἥτ᾽ ἐπὶ τύμβῳ
Ἀνέρος ἑστήκει τεθνηότος ἠὲ γυναικός.

Talis στήλη ἀνδροκμήτῳ ἐπὶ τύμβῳ Ἴλου Δαρδανίδαο, *Iliad.* XI. Et vero moris fuit Græcis inscribere elogium defuncti. Alias statua posita, quæ mortuum referret; ut illa Mediæ in opusculis Homeri; & Achillis apud Philostratum lib. IV. *de Vit. Apollon.* Accedebant præterea & arma, aliaque viventis insignia; ut patet de Elpenore socio Ulyssis, *Odys.* XII.

Τύμβον χεύαντες καὶ ἐπὶ στήλην ἐρύσαντες
Πήξαμεν ἀκροτάτῳ τύμβῳ εὐῆρες ἐρετμόν.

Similiter Æneas tumulato Miseno,

Imponit suaque arma viro, remumque tubamque.

Ita quoque apud Philostratum *lib.* I. pervetusta memorantur Erethriorum sepulcra, in quibus ait scripta Græcis literis mortuorum nomina, & naves insculptas; ὡς ἕκαστος ἐν Εὐβοίᾳ ἔζη πορθμεύων, ἢ πορφυρεύων, ἢ θαλάττιον, ἢ καὶ ἁλουργὸν πράττων. Hæc Homero designatur sepulcrorum antiquorum forma. Laudat vero illud Ægypti Regis in Bœotia tanquam celeberrimum, quod ipse vidisset, ait Pausanias *Arcadicis.* Qui illud studiose contemplatus, Ἔστι μὲν οὖν, inquit, γῆς χῶμα οὐ μέγα, λίθου κρηπῖδι ἐν κύκλῳ περιεχόμενον.

Struebantur autem sepulcra fere extra urbes, ubi etiam cadavera comburebantur. Quod videmus a Trojanis factum in publica illa funeratione, *Iliad.* VII. atque adeo in Hectore; quem Dares Phrygius narrat ante portam more solito tumulatum. Sic erat situm antiquissimum illud Ilii monumentum; cujus etiam meminit Theocritus *Idyl.* XVI.

Ἐν πεδίῳ Σιμόεντος ἔθι Φρυγὸς ἠρίον Ἴλου.

Idem simili ratione dicit in campo extitisse columnam Lyncei patris sepulcro impositam, *Idyl.* XXII.

Ubi

Ubi & ſtatuam Plutonis *ἄγαλμ' Ἀΐδαο ξεστὸν πέτρον* collocat Pindarus *Nem.* Od. x. Virgilius quoque commemorat tumulum regis Latinorum extra urbem, *Æneid.* XI. Eoque pertinet, quod in maris littore ſubinde apud Homerum ſtatuuntur ſepulcra, uti Elpenoris, Patrocli, Achillis, aliorumque. Ita vero apud poſteriores Græcos in agris quoque ſepulta conſtat cadavera. Quod ſimiliter obtinuiſſe apud Romanos indicat lex XII. *Tabularum*, quam laudat Cicero, *Hominem mortuum in urbe ne ſepelito, neve urito.*

Porro inanes quoque tumuli & cadaveribus vacui apud Græcos ſæpe ſtruebantur, quæ *κενοτάφια* dixerunt. Talis communiter ſtructus Græcis bello cæſis, *Iliad.* VIII. ſiquidem oſſa ſeparatim locata, quo quiſque domum reverſus tranſportaret. Et vacuus fuit ille Patrocli tumulus *Iliad.* XXIII. quando ejus oſſa fuerunt repoſita in Achillis tentorio. Sed & abſentibus prorſus mos erat celebrare exſequias tumulis erectis. Id facere jubet Telemachum Pallas, ſi patrem audiat mortuum, *Odyſ.* I.

Σῆμά τε οἱ χεῦσαι, καὶ ἐπὶ κτέρεα κτερεΐξαι.

Similiter Menelaus in Ægypto Agamemnonis fratris morte:

Χεῦ Ἀγαμέμνονι τύμβον, ἵν' ἀθάνατον κλέος εἴη.

Quod ipſum præſtitit Deiphobo Æneas *lib.* VI. verſ. 505.

—— tumulum Rhetæo in littore inanem
Conſtitui, & magna Manes ter voce vocavi.
Nomen & arma locum ſerva; te amice nequivi
Conſpicere & patria diſcedens ponere terra.

Omninoque moris erat, uni eidemque homini defuncto varios tumulos variis ſtatuere in locis; præſertim ab iis, qui genere eſſent propinquiores, aut inſignioribus meritis obnoxii; uti luculenter docet Dionyſius Halicarnaſſeus lib. I. *Antiq. Rom.*

Maximum porro honorem Græci ponebant in ſepultura. Unde *γέρας θανόντων* ſubinde Homerus vocat. Quare Agamemnon non videtur ſibi gravius Trojanis imprecari, quam ut pereant *ἀκήδεστοι καὶ ἄθαπτοι*, *Iliad.* VI. Similiter Dido Æneæ apud Virgilium *Æneid.* IV. verſ. 620.

Sed cadat ante diem mediaque inhumatus arena.

Et in ſummam contumeliam paſſim relicta hoſtium cadavera feris ac avibus devoranda. Quanquam etiam acceſſit ſuperſtitio; cenſentibus pleriſque, inſepultorum animas Orco prohibitas incertis ſedibus divagari; quod queritur umbra Patrocli, Achilli apparens, *Iliad.* XXIII. Inde Ulyſſi manes evocanti primus occurrit Elpenor, funerationem contendens, *Odyſ.* XI. uti apud Virgil. Palinurus *Æneid.* VI. apud Silium Appius.

Tertullianus *de Anima* illud ab Homero cenſet confictum, ut inſtantia funeris & honor corporis conſervetur, & mœror affectuum temperetur. Ut ut ſit, conſtat Græcos religioſiſſime mortuorum ſepulturam curaſſe, veluti injunctam a Diis, quorum indignationem gravem verebantur, ſi officio ſuo hac in parte deeſſent: ut liquet ex Elpenoris oratione:

Μή μ' ἄκλαυστον ἄθαπτον ἰὼν ὄπιθεν καταλείπειν
Νοσφισθεὶς, μή τοί τι θεῶν μήνιμα γένωμαι.

Poſt funerationem mortui, qui proxime attingebant, convivium ſolemniter parabant: ut a Priamo factum tumulato Hectore, extrema *Iliad.* At Achilles ante Patrocli funerationem etiam epulum ferale inſtruit, quod *τάφον* vocat Homerus initio *Iliad.* XXIII. Vetus Scholiaſtes *τὸ περίδειπνον* interpretatur, *τὸ ἐπὶ τοῖς τετελευτηκόσι παρασκευαζόμενον.* Sed contra Euſtathius: *Τάφος οὐ κατά τινας ὁ μετὰ τὸ ταφῆναί τινα περίδειπνος, ἀλλ' ὡς ἐπὶ νεκρῷ, ἐπὶ γοῦν Πατρόκλου μήπω ταφέντος.* Sane & *τάφον* ait Homerus celebratum ab Oreſte, poſt interfectum Ægiſthum ac Clytæmneſtram, *Odyſ.* III.

Ἤτοι ὃς τὸν κτείνας δαίνυ τάφον Ἀργείοισι
Μητρός τε στυγερῆς καὶ ἀνάλκιδος Αἰγίσθοιο.

Proinde non modo ante inhumationem, ſed & poſt, epulæ factæ. Quanquam hoc frequentius obtinuit, nec apud Græcos modo, ſed & apud Romanos, aliaſque gentes, ut quamplurimis conſtat exemplis.

Accedebant poſtremo in funere inſigniorum virorum ſolennes ludi, ac certamina omnis generis. Quod toto libro XXIII. *Iliadis* ampliſſime narratur præſtitum Patroclo. Ibi & obtinuiſſe dicitur in funere Oedipi regis Thebani, quo primas tulit in certamine Euryalus. Achilli etiam ſepulto varios ludos exhibuerunt Achivi, *Odyſ.* XXIV. & quidem majori pompa, quam ulla Heroum aut principum virorum. Idem feciſſe Herculem mortuo Pelope ſcribit Dionyſius Halicarnaſſ. *lib.* V. Conſecutus etiam hunc honorem Braſidas apud Thucydidem, Miltiades apud Plutarchum, aliique infiniti. Primum vero omnium inſtitutos ludos funebres Azani defuncto tradit Pauſanias in *Arcadicis*: *Ἐπὶ δὲ Ἀζᾶνι τῷ Ἀρκάδος τελευτήσαντι ἆθλα ἐτέθη πρῶτον· εἰ μὲν καὶ ἄλλα, οὐκ οἶδα. ἱπποδρομίας δὲ ἐτέθη.* Ritus hic, ut alii multi, a Græcis ad Romanos tranſiit, cujus plurima exempla extant, præſertim in hiſtoria Imperatorum.

CAP. XVI.

DE DIVINATIONIBUS.

EXPLICATIS Diis, eorumque ſolenni cultu, ſupereſt, ut aliquid dicamus de *divinationibus*; quarum frequentiſſima apud Homerum mentio. Paſſim enim *μάντεις, οἰωνόπολοι, ὀνειρόπολοι* celebrantur, etiam apud Cyclopas, *Odyſ.* IX. Præſtantiſſima quidem divinatio, quæ fiebat arcano nominis inſtinctu, plerumque cum furore, unde *μάντεις* nomen habuerunt, teſte Platone in *Phædro*, & Cicerone I. *de Divin.* Quo in genere certa erant loca, quibus reddebantur oracula conſulentibus. Eorum omnium in Græcia antiquiſſimum Jovis Dodonæi ſcribit Herodotus in *Euterpe*. Quo etiam iviſſe conſultatum Ulyſſem ait Homerus *Odyſ.* IX. & XIX. Amphinomus quoque vult accedere procos Penelopes, antequam cædem Telemachi patrent, *Odyſ.* XVI. Alterum celeberrimum Apollinis Pythii oraculum, quod conſuluiſſe Agamemnonem dicit Homerus, *Odyſ.* VIII.

Sed enim magis apud Homerum celebratur ea divinatio, quæ conſtabat arte, ac e ſignis præcedentibus fiebat. Quam & Pauſanias in *Atticis* potiſſimum in uſu fuiſſe priſcis vatibus contendit: *Χωρὶς δὲ πλὴν ὅσους ἐξ Ἀπόλλωνος μανῆναι λέγουσι τὸ ἀρχαῖον, μάντεών γ' οὐδεὶς χρησμολόγος ἦν· ἀγαθοὶ δὲ ὀνείρατα ἐξηγήσασθαι, καὶ διαγνῶναι πτήσεις ὀρνίθων καὶ σπλάγχνα ἱερῶν.* Ipſum quoque Amphiaraum divinitate donatum vatem ſomniorum conjectatione maxime uſum affirmat. Cicero vero eum, & Tireſiam tantopere Homero laudatum avibus & ſignis admonitos futura dixiſſe refert. Et Plinius Tireſiam auſpiciorum auctorem celebrat.

Principem in hoc divinationis genere locum obtinuerunt auſpicia ac auguria; unde *οἰωνιστικὴ* tota hæc pars Platoni appellata. Ea ſumebantur ex avium volatu ac cantu, *φωνῇ καὶ πτερύγεσσι τελνέντων οἰωνῶν*, ait Homerus in *Hymno Apollinis*, quod Virgilius *Æneid.* III.

Et volucrum linguas, & præpetis omina pennæ.

Qua in re dextræ partes faustæ a Græcis habitæ; unde toties Homero laudatus δεξιὸς ὄρνις, quem advolantem feliciter interpretantur Achivi, *Iliad.* XIII. Telemacho Helena, *Odys.* XV. Contra Hectori male ominatur Polydamas, quod advenisset αἰετὸς ὑψιπετὴς ἐπ' ἀριστερὰ λαὸν ἐέργων, *ad sinistram*, *Iliad.* XII. Est autem dextra pars quæ ortum spectat habita, sinistra quæ occasum; ut *ibidem* exponit Hector,

Εἴτ' ἐπὶ δεξί' ἴωσι πρὸς ἠῶ τ' ἠέλιόν τε,
Εἴτ' ἐπ' ἀριστερὰ τοίγε ποτὶ ζόφον ἠερόεντα.

Atque ita ab Homero intelligi has partes, confirmat doctissimus Pindari Interpres in *Prolegom.* Δέξια καλεῖ ὁ Ὅμηρος τὰ ἀνατολικά, ἀριστερὰ δὲ τὰ δυτικά. Et vero Philosophorum præstantissimi Pythagoras, Plato, Aristoteles dextram mundi plagam orientalem esse dixerunt, occiduam lævam, ut videre est apud Plutarchum *de Plac. Philos.* lib. II.

Idem observatum in tonitru, *Iliad.* IX. Ajax querens de Trojanorum ferocitate ait:

Ζεὺς δέ σφιν Κρονίδης ἐν δεξί' ἐναίσιμα φαίνει,
Ἀστράπτων. ——

Prospera Jupiter his dextris fulgoribus edet, uti vertit Cicero II. *de Divinat.* At contra Ennius:

Intonuit lævam bene tempestate serena.

nimirum ex Romanorum consuetudine, quos hoc nomine a Græcis dissidere Tullius disceptat. *Ita nobis*, inquit, *sinistra videntur, Grajis & Barbaris dextra meliora.* Quam rem fusius persequitur Plutarchus *Probl. Rom.* LXXVII.

Proxima est divinatio ex somniis, quam qui profitebantur ὀνειρόπολοι dicti. Talem advocari vult Achilles, qui iræ Apollinis causam edisserat, καὶ γὰρ τ' ὄναρ ἐκ Διός ἐστι, inquit, *a Jove somnium*, ut ei constet sua auctoritas. Exemplum *Odys.* XIX. ubi Penelope petit sibi dijudicari ab Ulysse somnium de anseribus domesticis, ab aquila discerptis; quod ille de futura procorum cæde interpretatus est.

Pervetusta quoque apud Græcos divinatio ex inspectione victimarum, quam *extispicium* Romani dixerunt. Ejus tamen nullum apud Homerum extat exemplum. Notare tantum videtur nomine ἱερῆος, quem cum μάντει conjungit *Iliad.* I.

Ἀλλ' ἄγε δή τινα μάντιν ἐρείομεν ἢ ἱερῆα.

Atque ita interpretatur Eustathius, *Iliad.* XXIV. ubi Poeta:

Οἱ μάντιές εἰσι θυοσκόποι ἢ ἱερῆες.

Ait enim ex Veterum sententia duo genera μάντεων constitui, θυοσκόπους, qui ex suffitu divinarentur, τοὺς διὰ τῶν ἐπιθυμιωμένων μαντευομένους. Id est: ἐμπυρομάντεις, seu λιβανομάντεις, ut alio nomine vocantur. At ἱερεῖς, τοὺς διὰ σπλάγχνων, qui ex visceribus ac extis futura præviderent; quos alio nomine ἱεροσκόπους refert vocari. Apulejus lib. *de Dæm. Socr.* etiam hoc extispicii titulo laudat Calchantem, quem in exercitu Græcorum vatum præstantissimum celebrat Homerus.

Fuerunt & aliæ res superstitiose observatæ, uti sternutatio. Plinius *lib.* VII. *cap.* VII. *Atque etiam, parva dictu, in auguriis sternutamenta & offensiones pedum.* Exemplum *Odys.* VIII. ubi Penelope:

— — Οὐχ ὁράας ὅμοι υἱὸς ἐπέπταρεν.

Hoc veluti omine prosperiori votum suum de procorum cæde confirmat. Sic Theocritus *Idyl.* XVII.

Ὄλβις γάμβρ' ἀγαθός τις ἐπέπταρεν ἐρχομένῳ τοι
Ἐς Σπάρτην. ——

Et apud Xenophontem III. *Anabas.* milites sternutamento repente facto salutem sibi promiserunt. At enim in sternutatione quoque aliquid infaustum nonnunquam cogitarunt; sicut illa apud eundem Theocritum *Idyl.* VII.

Σιμιχίδᾳ μὲν ἔρωτος ἐπέπταρον' ἦ γὰρ ὁ δειλὸς
Τόσσον ἐρῇ Μύρτως, ὅσον εἴαρος αἶγες ἔρονται.

Ubi Scholiastes sternutationum alias utiles, alias noxias esse dicit. Eustathius vero etiam *in* VII. *Iliad.* affirmat in bonam partem accipi solitum, si quis dextrorsum sternuisset: Cujus rei exemplum apud Plutarchum in *Vita Themistoclis*. Ut proinde sinistræ sternutationes male forte audierint.

Atque hæc de Divinatione, apud priscos Græcos usitata, dicta ex Homero sufficiant. Cujus etsi magna extitit vulgo auctoritas; non tamen apud omnes fuit indubitata. Maxime utique celebrata fuit ea, quæ fiebat ex avibus aut somniis. At illam prorsus elevat Hector, *Iliad.* XII. & Eurymachus, *Odys.* II. Hanc vero controvertit Penelope, *Odys.* XIV. Denique in universum Euripides vatem definit virum, *qui multa falsa, pauca vera dicit:*

—— Τίς δὲ μάντις; ἔστ' ἀνὴρ
Ὃς ὀλίγ' ἀληθῆ, πολλὰ δὲ ψευδῆ λέγει.

CAP. XVII.

DE MAGICIS ARTIBUS.

DIVINATIONI cognata est Magia; quippe cujus magna pars in rerum abditarum inquisitione posita est, cum reliqua in rerum mirabilium effectione versetur. Creberrimus hujus usus in Homeri *Odyssea*, adeo ut totum opus non aliunde constare dicatur Plinio *lib.* XXX. *cap.* I. *Siquidem*, inquit, *Protea & Sirenum cantus apud eum non aliter intelligi volunt; Circes utique & inferorum evocatione hoc solum agi.* Atque in hac postrema occupatur totus liber undecimus *Odysseæ*, quem inde Νεκυίαν Prisci appellarunt. Ibi Ulysses, nigris pecudibus in scrobem jugulatis, post libamina quædam circumfusa, invitat ad sanguinem ebibendum animas defunctorum; peculiariter vero Tiresiæ vatis, & variis de rebus interrogat. Idem factitasse hunc Tiresiam dum in vivis esset, tradit Statius; Æsonem Valerius Flaccus; Plinius Neronem; nec atri coloris pecudibus solum, sed & immolatis hominibus. Quomodo & Gregorius Nazianzenus *in Julianum* meminit τῶν ἀνατεμνομένων παρθένων τε καὶ παίδων, ἐπὶ ψυχαγωγίᾳ καὶ μαντείᾳ. At vero Apollonius Thyaneus apud Philostratum *lib.* IV. ait, se evocasse animam Achillis, non cæsa in fossam victima, sed puris precibus: Ἀλλ' οὐχὶ βόθρον, εἶπεν, Ὀδυσσέως ὀρυξάμενος, οὐδ' ἀρνῶν αἵματι ψυχαγωγήσας ἐς διάλεξιν τοῦ Ἀχιλλέως ἦλθον, ἀλλ' εὐξάμενος ὁπόσα τοῖς Ἥρωσι, οἱ Ἰνδοί φασὶ δεῖν εὔχεσθαι. Factum hoc ad tumulum illius, ex consueto ritu. Ibi enim animas corporum suorum studio libentius credebant versari. Inde Virgilius *Eclog.* VI. ait:

Mærin animas imis excire sepulcris.

Et Erichtho saga apud Lucanum *lib.* VI. magicam suam evocationem ad sepulcrum provocat. Quæ causa cur ἐπιτυμβάδες, bustuariæ ejusmodi mulieres dicantur. At Homericus Ulysses apud inferos id agit, ubi potissimum mortuorum umbræ,

—— Ἔνθάδε νεκροὶ
Ἀφραδέες ναίουσι βροτῶν εἴδωλα καμόντων.

Alioqui erant a primis inde temporibus in Græcia etiam certa loca, ubi de more animæ evocabantur. Cujusmodi Νεκυομαντήιον illud apud Thesprotos, ad

quod misit nuncios Periander Corinthiorum Tyrannus sciscitatum de hospitis deposito, apparuitque uxor Melissa, quæ negavit se responsuram, quod nuda algeret, ut est ab Herodoto proditum *Terpsichore*. Apud eosdem Νεκυομάντιον laudat Pausanias *Bœoticis*, quo Orpheus evocasse fertur Eurydicen, inde ad inferos dictus descendisse. Tale ψυχοπομπεῖον celebrat Plutarchus apud Heracleam, ubi Pausanias ἱλασμοῖς τισὶ καὶ χοαῖς animam Byzantinæ puellæ a se interfectæ evocavit, quæ ei finem vitæ prædixit. Cicero *Tusculan.* I. idem refert factitatum apud lacum Avernum. *Inde*, inquit, *tota Homeri* Νεκυία; *inde ea quæ meus amicus Appius* νεκρομαντεῖα *faciebat; inde in vicinia nostra Averni lacus, unde animæ excitantur obscura umbra, aperto ostio alti Acherontis; falso sanguine imagines mortuorum*. Denique tritissima fuit Veteribus hæc Νεκυομαντεία; adeo ut Appion etiam Homeri animam evocarit, sciscitatus qua patria, quibusve parentibus esset genitus, teste Plinio.

Porro varii quoque & admirandi extant magiæ effectus; non in homines solum ac bestias, sed & in ipsamet mundi elementa, quæ carminibus magicis ope Dæmonum nefarii homines varie afficiunt. Ἐπῳδὴν Græci dixerunt, Latini *Incantationem*, quæ ab Homero pellaci Sirenum cantu expressa est. Hac mentem hominum alienari, ac veluti de sede sua dejici, creditum est; uti liquet ex Theocriti *Idyl.* II. & Virgil. *Eclog.* VIII.

Sed maxime admiranda potestas Magorum in transformationibus, cum sui, tum aliorum, quam in Proteo & Circe exhibuit Homerus. Familiare hoc Arcadibus fuisse narrat Plinius *lib.* VIII. ut transnatato stagno in lupos, & vicissim in homines permutarentur, quos λυκανθρώπους Græci dixere. Quod hodie de more obtinere apud Pilappios Boreales populos, tradit ex testibus ἀξιοπίστοις Peucerus. Sic Virgilius *Eclog.* VIII. refert,

Mœrin illum sæpe lupum fieri & se consistere sylvis.

A Et notum ex Luciani *Asino*, quantum hæc μεταμόρφωσις usitata fuerit apud Thessalos, omnium Græcorum μαγικωτάτους.

Verum enim vero, adversus noxiam hanc Magorum vim, ἀντίδοτα quoque nonnulla Veteres habuerunt; qualis herba Μῶλυ a Mercurio Ulyssi adversus Circes incantationes data. Quam & Plinius *lib.* IV. *cap.* XXV. ait valere contra incantationes. Et Apulejus cap. VII. libri *de virtute herbarum*, agens de verbasco: *Hanc herbam*, inquit, *dicimus Mercurium invenisse, & Ulyssi dedisse, cum devenisset ad Circen, ut nulla maleficia ejus timeret. Herbæ verbasci*
B *virgultum qui secum portaverit nullo metu terrebitur; neque bestiæ, neque occursus mali molestabunt hunc*.

Cæterum adhibitæ quoque in salutem incantationes, depellendis morbis; ut ab Autolyci filiis in Ulyssis vulnere factum refert Homerus *Odyss.* XIX.

Δῆσαν ἐπισταμένως· ἐπαοιδῇ δ' αἷμα κελαινὸν
Ἔσχεθον —— ——

Quod & Plinius commemorat *lib.* XXVIII. *cap.* II. etsi lapsus memoria, dum ait: *Profluvium sanguinis vulnerato femine Ulyssem inhibuisse carmine. Sic Theophrastus ischiadicos sanari: Cato prodidit luxa-*
C *tis membris carmen auxiliari, Marcus Varro podagris, ut idem subjungit*. Cælius quoque Aurelianus ait: *Philistionis fratrem scribere, quendam fistulatorem loca dolentia decantasse*. Sed hoc, ut & superiora pleraque, referri potest ad arcanam Musici concentus vim, quam magnam in componendis animi corporisque affectibus a Theophrasto libro περὶ ἐνθουσιασμῶν celebratam prodidit Apollonius in *Historiis Mirabilibus*. In aliis Magica fuit adhibita incantatio, quam antiquissimis Græciæ Medicis familiarem fuisse liquet ex Chirone, de quo Pindarus *Pyth.* Ode III.

D —— Λύσαις ἄλλον ἀλλοίων ἀχέων
Ἐξᾶγεν· τοὺς μὲν μαλακαῖς
Ἐπαοιδαῖς ἀμφέπων,
Τοὺς δὲ προσανέα πι-
νοντας, ἢ γυίοις περιάπτων πάντοθεν
Φάρμακα, τοὺς δὲ τομαῖς ἔστασεν ὀρθούς.

EVERARDI FEITHII ANTIQUITATUM HOMERICARUM

LIBER II.

CAP. I.

DE STATU IMPERII.



POST sacra, consideranda veniunt profana. Ac primum quidem ea quæ publici sunt juris, & ad communem hominum societatem pertinent. Primis utique seculis sparsim habitabant singuli, & suis familiis imperabant. Quod Cyclopum descriptione expressisse Homerum notat Aristoteles lib. I. *Polit.* cap. II. ubi, θεμιστεύει δὲ ἕκαστος παίδων ἠδ' ἀλόχων. Primus Phoroneus Inachi filius in unius civitatis jus homines compulit, σποράδας πῶς καὶ ἐφ' ἑαυτῶν ἑκάστοτε οἰκοῦντας,

E ait Pausanias *Corinthiacis*. Qui ea de causa primus regnandi potestatem apud Græcos habuisse dicitur Hygino.

Inde antiquitus in singulis Græciæ civitatibus constituti Reges, qui postea habuerunt gentes, uti confirmat Aristoteles: Διὸ καὶ τὸ πρῶτον ἐβασιλεύοντο αἱ πόλεις, καὶ νῦν ἔτι τὰ ἔθνη· ἐκ βασιλευομένων γὰρ συνῆλθον· Subscribit Dionysius Halicarnasseus *Antiq. Rom.* lib. V. Κατ' ἀρχὰς μὲν γὰρ ἅπασα πόλις Ἑλλὰς ἐβασιλεύετο. Quod Platæensium exemplo contestatur Pausan. *Bœoticis*: Ὅτι μὲν δὴ καὶ οὗτοι τὸ ἀρ-
F χαῖον ἐβασιλεύοντο, δῆλά ἐστι. Βασιλεῖαι γὰρ πανταχοῦ τῆς Ἑλλάδος, καὶ οὐ δημοκρατίαι πάλαι καθεστήκεισαν. Homerus vero clarissime omnium hoc probat, dum passim Græcarum civitatum βασιλεῖς καὶ ἄνακτας collaudat. Nec multorum imperium censet bonum, unico tantum admisso dominatu, præclara illa, & omnium sermonibus celebrata sententia, *Iliad.* II.

Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω,
Εἷς βασιλεὺς, ᾧ ἔδωκε Κρόνου παῖς ἀγκυλομήτεω
Σκῆπτρόν τ' ἠδὲ θέμιστας, ἵνα σφίσιν βασιλεύῃ.

Conferebat autem populus sponte hoc munus in eos, qui eximiis meritis essent illustres; & in posteros successione transmittebant. Sic enim regna Heroicis temporibus constituta docet Aristot. lib. 3. *Polit.* cap. v. Τέταρτον δὲ εἶδος μοναρχίας βασιλικῆς. αἱ κατὰ τοὺς Ἡρωϊκοὺς χρόνους ἑκούσιαί τε καὶ πάτριαι γενόμεναι κατὰ νόμον. Διὰ τὸ τοὺς πρώτους γενέσθαι τοῦ πλήθους εὐεργέτας κατὰ τέχνας ἢ πόλεμον, ἢ διὰ τὸ συναγαγεῖν ἢ πορίσαι χώραν ἐγίνοντο βασιλεῖς ἑκόντων, καὶ τοῖς παραλαμβάνουσι πάτριοι. Thucydides quoque initio suæ *Historiæ*, loquens de antiquo Græciæ statu, πρότερον, inquit, ἦσαν ἐπὶ ῥητοῖς γέρασι πατρικαὶ βασιλεῖαι. Id est, ut ait Scholiastes, ἀπὸ τῶν πατέρων παραλαμβανόμεναι κατὰ διαδοχὴν γένους, *quæ a parentibus tradita successione generis filii accipiebant*. Exempla hujus rei passim obvia sunt in priscis historiis, in ipso adeo Homero. Uti cum Telemachus dicitur ab Antinoo jure hæreditario habere regnum Ithacensium, *Odys.* I.

—— Ὅ τοι γενεῇ πατρώϊόν ἐστι.

Et magnam habitam regii generis rationem liquet ex oratione Amphinomi, *Odys.* XVI.

—— Δεινὸν δὲ γένος βασιλήϊόν ἐστι
Κτείνειν. —— ——

Accidit tamen nonnunquam, ut filii ad successionem paterni regni non admitterentur; utique ob aliquod oraculum. Quod observavit Eustathius *ad Odys.* III. ubi Nestor miratus Telemachum a procis rejectum rogat, num eum odio habeant populi ἐπισπόμενοι θεοῦ ὀμφῇ. Idemque repetit Ulysses *Odys.* XVI. Magnam profecto vim habuerunt apud priscos oracula in constituendo imperio. Sic enim Pythia consulta Medonti Codri filio arrogavit regnum Athenarum, repulso Neleo fratre, qui cum eo de hac dignitate contendebat, ut est apud Pausaniam *Arcadicis*, & Ælian. *lib.* VIII. *cap.* V. Eadem confirmavit Gygem imperio potitum cæde Candaulis, teste Herodoto in *Clio*. Jussit etiam utrumque Aristodemi filium Eurysthenem & Proclem reges a Lacedæmoniis agnosci, eodem referente in *Erato*. Atque hæc causa, cur Amphinomus censeat consulendam Jovis Dodonæi voluntatem, antequam Telemacho regis filio ac hæredi necem inferant, *Odys.* XVI. Nimirum quia a Jove regnum tribui credebant:

Σκηπτοῦχος βασιλεὺς, ᾧ τε Ζεὺς κῦδος ἔδωκε.

Iliad. I. Indeque reges Homero passim dicti Διογενεῖς, Διοτρεφεῖς, *a Jove geniti ac nutriti*. Quare apud Lacedæmonios etiam, quorum imperium antiquæ Græciæ maxime conforme, Ephori nono quoque anno, serena nocte, cœlum taciti inspectare consueverant: Quod si trajiciebatur stella, reges offendisse Deos judicabant, & imperio privabant, donec Delphis vel Olympia affereretur oraculum, quod eos sublevaret, ut narrat Plutarchus in *Vita Achidis*.

CAP. II.

DE REGIA POTESTATE ac OFFICIO.

NON erat libera ac absoluta priscorum Græciæ regum potestas; sed certis legum terminis circumscripta. Ita namque Dionysius Halicarnasseus *Antiquit. Rom.* lib. v. cum dixisset singulis Græciæ civitatibus olim præfuisse: Πλὴν οὐκ, inquit, δεσποτικῶς, ἀλλὰ κατὰ νόμους τε καὶ ἐθισμοὺς πατρίους. *Non barbarica licentia dominabantur, sed juxta leges ac mores patrios regnum exercebant*. Eratque optimus rex, qui esset justissimus & legum servantissimus, nusquam ab institutis patriis discedens. Quod notat Homerus cum reges vocat δικασπόλους & θεμιστοπόλους, *juris tractatores*. Denique regnatum est ἐπὶ ῥητοῖς γέρασι, *certis honoribus, & conditionibus*, uti apud Lacedæmonios. Atque hunc in modum explicat Aristoteles III. *Polit.* XIV. cap. regum statum, qualis erat temporibus Heroicis; Αὗται δ' ἦσαν ἑκόντων μὲν, ἐπί τισι δ' ὡρισμένοις· Στρατηγὸς γὰρ ἦν καὶ δικαστὴς ὁ βασιλεὺς, καὶ τῶν πρὸς θεοὺς κύριος. Id est, *Dux belli erat rex, judex controversiarum, & dominus ceremoniarum erga Deos*. Demonstrat vero hoc e Repub. Lacedæmoniorum, apud quos ait, εἶ βασιλείαν μάλιστα τῶν κατὰ νόμον. Illic rex non habebat potestatem omnium, nisi cum gereret bellum, sacrorum præterea princeps. Idemque apud antiquiores obtinuisse colligit ex Homero; qui Agamemnonem quidem scribit in concionibus asperioribus verbis impetitum, at in prælio mortem fugacibus interminantem; πὰρ γὰρ ἐμοὶ θάνατος, inquit. Ergo prima ac maxima fuit regum potestas in bello: altera strictior quidem, sed nobilior in pace, justitia administranda; unde θεμιστοπόλοι dicti. Nimirum hæc iis originem dedit; uti luculento exemplo patet apud Herodotum in *Clio*, ubi narrat Deiocem, juris dicundi ergo, ad regnum a Medis esse evectum. Quod & apud Romanos antiquitus factum censet Cicero: *Mihi quidem non apud Medos solum, (ut ait Herodotus) sed etiam apud majores nostros servandæ justitiæ causa videntur olim bene morati reges constituti, Offic.* II. Postremo & rebus sacris præerant, κύριοι θυσιῶν, ὅσαι μὴ ἱερατικαί, ait Aristoteles. Quod adeo convenire censuerunt regiæ dignitati, ut ea remota in multis Græciæ civitatibus Βασιλεῖς ἱερῶν *Reges sacrorum* permanserint. Uti apud Athenienses peculiariter factum docet Demosthenes *in Neæram*, & Plato in *Politico*: Τῷ γὰρ λαχόντι βασιλεῖ φασὶ τῇδε τὰ σεμνότατα καὶ μάλιστα πάτρια τῶν ἀρχαίων θυσιῶν ἀποδεδόσθαι. Idem instituerunt Romani, ut est apud Dionysium Halicarnass. *lib.* IV. cum exactis regibus, ut eorum aliquod extaret simulacrum, designarunt aliquem ex senioribus quam maxime idoneum, ὃς οὐδενὸς ἔμελλεν ἕξειν ἑτέρου, πλὴν τῆς περὶ τὰ θεῖα σεβασμάτων προστασίας, ἁπάσης λειτουργίας πολεμικῆς ἀφειμένος, ἱερῶν καλούμενος Βασιλεύς. Omnino ex Græco ritu; qui etiam a Romulo in constituendis regibus antea erat observatus. Triplex enim regis munus esse voluit. Primum, ut sacrificiorum & reliquorum sacrorum penes eum esset principatus, per eumque gereretur, quicquid ad placandos pertineret Deos. Deinde, ut legum ac consuetudinum patriarum haberet custodiam, omnisque juris, quod vel natura dictat, vel pacta & tabulæ sanciunt, curam ageret; utque de gravissimis delictis ipse decerneret, leviora permitteret senatoribus, providendo interea, ne quid in judiciis peccaretur; utque senatum cogeret, populum in concionem convocaret; primus sententiam diceret; quod pluribus placuisset, ipse ratum haberet. Denique summum ei tribuit in bello imperium, *Antiq.* lib. II. Quæ quidem officia antiquis Græciæ regibus erant demandata.

CAP. III.

DE DOMINIO REGIO.

REGIÆ dignitatis veluti auctoramentum fuit Τέμενος, certa agri portio, quam populus honoris ergo principi dicabat ac donabat. Aristides Orat. *in Minervam*: Τοῖς Βασιλεῦσι καὶ τοῖς ἡγεμόσι τεμένη καὶ χώρους ἐξαιροῦσι. Unde & γέρας præmium honorificum vocat Poeta *Odys.* XI. Sic Sarpedon Glaucum incitans ad pugnam, inter alia, quibus primi apud Lycios reges insigniebantur,

Καὶ τέμενος, inquit, νεμόμεσθα μέγα Ξάνθοιο παρ' ὄχθας
Καλὸν φυταλιῆς καὶ ἀρούρης πυροφόροιο.
Iliad. XII. Sed & Prœtus cum Bellerophontem post multa insigniter gesta didicisset divino semine prognatum, & ei dedit τιμῆς βασιληΐδος ἥμισυ πάσης, *dimidium regii honoris*; & Lycii τέμενος τάμον ἔξοχον ἄλλων, *Iliad.* IX. Nec absimili modo Ascanius præmium bellicæ virtutis pollicetur Niso,

—— *campi quod rex habet ipse Latinus.*

Æneid. IX. vers. 274. Ubi Servius: *Mos fuerat, ut viris fortibus seu regibus pro honore daretur aliqua agri particula, ut habuit Tarquinius Superbus in Campo Martio, quod spatium ab Homero* τὸ Τέμενος *dicitur.* Hoc ergo quod Latinus pro honore de Repub. habuit ab Ascanio, intelligamus esse promissum. Et vero initio apud Romanos ager erat peculiaris regum, ex cujus reditibus & sacra diis faciebant, & domi victitabant; quem Romulus armis partum Numæ tradidit possidendum; Tullius postea inopibus viritim distribuit, uti est apud Dionys. Halicarnas. *lib.* III.

Atque hujus agri culturæ reges ipsi studiose erant intenti. Sic enim *Iliad.* XVIII. Τέμενος βαθυλήιον, quod famulis metentibus rex ipse intererat,

Σκῆπτρον ἔχων ἐπ' ὄγμου γηθόσυνος κῆρ.

De hoc etiam accipiendum quod *Odys.* XXIV. Laertem regem Poeta dicit λιστρεύοντα φυτόν. Et quod toties Telemachus ruri esse dicitur apud oves ac boves aliaque, quæ ibi possidebat; quippe qui τεμένη νέμει), *Odys.* XI. Eodem egreditur Augias rex apud Theocritum:

Κτῆσιν ἐποψόμενος ἥ οἱ νήριθμος ἐπ' ἀγρῶν.

Erat hoc regum veluti patrimonium non procul ab urbe situm, ut liquet de illo Alcinoi, *Odys.* VII.

Sed & tributa fuerunt regibus persoluta, ut constat ex *Iliad.* IX. ubi Agamemnon Achilli pollicetur, se cum filia daturum septem oppida, viris divitibus ac opulentis habitata, qui eum multis muneribus prosecuturi sint:

Καί οἱ ὑπὸ σκήπτρῳ λιπαρὰς τελέουσι θέμιστας.

Scholiastes: Ὅσα δεῖ βασιλέα λαμβάνειν παρὰ τῶν ὑπηκόων, εὐκόλως δώσουσι· τοῦτ' ἔστι καὶ ὑποταγέντες αὐτῷ κατὰ τὸ δίκαιον, λαμπροὺς τελέσουσι φόρους. Ita jampridem apud antiquissimos etiam reges certa onera fuerunt subditis sustinenda. Quæ belli urgentis tempore ingravata fuisse colligitur ex *Iliad.* XVII. ubi Hector ait, se donis ac commeatu exhaurire Trojanos ad alendos milites auxiliares:

Τὰ φρονέων δώροισι κατατρύχω καὶ ἐδωδῇ
Λαούς. ——

Cæterum primus rex Orchomeni Minyas, collecto ampliore thesauro, ærarium construxit, teste in *Bœoticis* Pausania: Πρόσοδοι δὲ ἐγίνοντο τῷ Μινύᾳ τηλικαῦται μέγεθος, ὡς ὑπερβαλέσθαι τοὺς πρὸ αὐτοῦ πλούτῳ, θησαυρόν τε ἀνθρώπων ὧν ἴσμεν Μινύας πρῶτος ἐς ὑποδοχὴν χρημάτων ᾠκοδομήσατο. Unde Scholiastes Homeri in *Odys.* XI. ἀσυλίας nomine Orchomenon celebrat, ubi ποτὲ καὶ οἱ κοινοὶ ἐτίθεντο τῶν πόλεων θησαυροί.

CAP. IV.

DE REGUM INSIGNIBUS.

INSIGNE regni antiquitus potissimum fuit sceptrum, quod βασιλικὴν ῥάβδον, *regiam virgam* seu *baculum* interpretatur Etymologicus: παρὰ τὸ σκήπτεσθαι, seu σκηρίπτεσθαι, ut aperte notat Homerus *Odys.* XVII. quod eo fulcirentur ac inniterentur: quemadmodum Agamemnon constitit τῷ ὅγ' ἐρεισάμενος, *Iliad.* II. sicuti apud Ovidium *Metam.* I.

—— *Jupiter sceptroque innixus eburno.*

Ac Homerus quidem Agamemnonis sceptrum maxime celebrat, a Vulcano fabrefactum, & jam inde a majoribus sibi in manus traditum. Ait vero ex arbore demptis foliis recisum, quem in modum Virgilius *Æneid.* XII. vers. 210. illud regum Latinorum sceptrum composuit:

Olim arbos, nunc artificis manus ære decoro
Inclusit, patribusque dedit gestare Latinis.

Sic Hesiodus θεογονίᾳ ait; Musas sibi dedisse sceptrum δάφνης ἐριθηλέος ὄζον, virgultum lauri. Pindarus vero *Olymp.* VII. commemorat σκᾶπτον σκληρᾶς ἐλαίας, oleæ, quo occisus Licymnius. Accedebat huic ligno ornamentum, aurei clavi; unde χρυσείοις ἥλοισι πεπαρμένον Homero dicitur. Aureo etiam sceptro insignitus Minos dicitur:

Χρύσεον σκῆπτρον ἔχοντα, θεμιστεύοντα νέκυσσι.

Odys. XI. Similiter Tiresias apud inferos χρύσεον σκῆπτρον ἔχων: & Chryses χρυσέῳ ἀνὰ σκήπτρῳ, *Iliad.* I.

Porro Justinus *Hist.* lib. XLII. dictat sceptra regum antiquissimorum fuisse hastas: *Per ea adhuc tempora reges hastas pro diademate habebant, quas Græci σκῆπτρα dixere. Nam & ab origine rerum pro Diis immortalibus Veteres hastas coluere.* Hoc utique nomine Agamemnonis illud avitum sceptrum colebant Chæronei, ut est apud Pausaniam in *Bœoticis*: Τοῦτο οὖν τὸ σκῆπτρον σέβουσι, δόρυ ὀνομάζοντες. Et eo trahit Turnebus, quod ille apud Euripidem in *Hecuba* dicitur, λαὸν εὐθύνων δορί. Sed enim quo minus id ἁπλῶς recipiatur, facit manifesta distinctio, quam in utroque passim Homerus notat; peculiariter *Odys.* II. initio, ubi Telemachus in concionem abit, hasta in manus sumpta; ac dein locuturus accipit a præcone sceptrum. Ad minoris hastæ seu ἀκοντίου formam, sceptrum forte accessit, ut inde denominatum sit.

Porro sceptrum hoc in manus sumebant reges, quoties publico aliquo munere erant functuri. Sic Nestor *Odys.* III. mane egressus domo consedit præ foribus σκῆπτρον ἔχων, circumstantibus undequaque natis, uxore aliisque, cum solenne Palladi sacrificium esset oblaturus. Agamemnon vero etiam populum ad concionem vocaturus,

— Εἵλετο σκῆπτρον πατρώϊον, ἄφθιτον αἰεί.

Idque Ulysses ab eo sumptum, velut regia potestate insignis, Græcis discedentibus ostendit, atque eos Agamemnonis nomine permanere in castris hortatus est, *Iliad.* II. Potissimum vero hoc usi reges, cum jus dicerent, tanquam justitiæ ac veritatis insigni; ut ejus erectio sacramenti obtinuerit vim. Aristoteles III. *Polit.* cap. XIV. Καὶ πρὸς τούτοις τὰς δίκας ἔκρινον· τοῦτο δ' ἐποίουν, οἱ μὲν οὐκ ὀμνύοντες, οἱ δ' ὀμνύοντες. ὁ δ' ὅρκος ἦν τοῦ σκήπτρου ἐπανάτασις. Cujus rei exemplum luculentissimum *Iliad.* X.

Ἀλλ' ἄγε μοι τὸ σκῆπτρον ἀνάσχεο, ἠδὲ ὄμοσσον.

Ab hoc ritu Poeta scribit, Minoem inferorum judicem

Χρύσεον σκῆπτρον ἔχοντα, θεμιστεύοντα νέκυσσι.

Hinc apud Philostratum lib. I. *de Vita Apoll.* Τὰ λεγόμενα ἠχὼ ἔχειν, ὥσπερ ἀπὸ σκήπτρου θεμιστευόμενα. Quare Pindarus θεμιστεῖον vocat *Olymp.* I. loquens de Hierone Siciliæ rege, θεμιστεῖον ὃς ἀμφέπει σκᾶπτρον. Ita vero etiam Virgil. *Æneid.* VII. vers. 246.

Hoc Priami gestamen erat, cum jura vocatis
More daret populis, sceptrumque, sacerque tiaras.

Diadema etiam connotari vult Servius, *fasciolam*, qua regum capita antiquitus redimita constat. In

eo corona maxime fuit conspicua, quam cum sceptro conjunxit in Æete Colchorum rege Orpheus:

Ἀμφὶ δ᾽ οἱ στέφανον κεφαλῇ ἔχε θυσανόεσσα
Ἀκτῖσιν φλογέαις· σκῆπτρον δ᾽ ἐν χερσὶν ἐνώμα.

Homerus tamen coronam regibus non ascribit, ad Deos ac cælestia magis referens, auctore Plinio. Vestis porro regia, non multum ab aliis distincta; uti videre est initio II. *Iliad.* ubi Agamemnon surgens induit tunicam, pallio humeris circumposito, subligatis pedibus calciamentis, gladioque accinctus, ac sceptro munitus egreditur. Idem Græcos ad prælium incitans in manu habuit πορφύρεον μέγα φᾶρος, vestem purpuream; ἕνεκα τοῦ εὐχερῶς ἑαυτὸν σημᾶναι τοῖς Ἕλλησιν, ait Scholiastes, ut posset facilius seipsum Græcis indicare. Alioqui notum purpuram antiquorum regum fuisse insigne; atque adeo pugnæ signum, non apud Græcos modo, sed & Romanos.

CAP. V.

DE REGIIS MINISTRIS.

Ut omnia priscorum illorum regum tenuia fuerunt, & exigui apparatus; ita quoque non magnifico stipati erant satellitio ac comitatu. Certe Telemachus, ad quem pertinebat Ithacæ regnum, duobus tantum sequentibus canibus egreditur ad concionem. *Odyss.* II.

Οὐκ οἶος, ἅμα τῷ γε δύω κύνες ἀργοὶ ἕποντο.

Apud Theocritum etiam Augias agrum petit, Hercule ac filio comitatus:

Σὺν δ᾽ υἱός τε βίη τε πολύφρονος Ἡρακλῆος.

Similiter apud Virgilium *Æneid.* VIII. vers. 461. Evandro cum Ænea exeunte:

Nec non & gemini custodes limine ab alto
Procedunt, gressumque canes comitantur herilem.
Filius huic Pallas, olli comes ibat Achates.

In bello quidem adjuncti passim θεράποντες tota *Iliade*, qualis Patroclus Achillis, Meriones Idomenei, Lycophron Ajacis, aliique permulti, quos veluti ὁπλοφόρους *armigeros* fuisse Hesychius censet. Hujusmodi apud Virgilium *Æneid.* XI. vers. 31. Acetes, qui

—— — *Parrhasio Evandro*
Armiger ante fuit. ——

Sed enim in publico ministerio præcipue celebrati Κήρυκες *Præcones*, qui operam præstabant regibus in omni officii parte. Unde Hesychio dicti οἱ διάκονοι, οἱ τὰς ὑπηρετικὰς ὑπετέλουν τῆς πράξεις. Hi populum regis nomine in concionem convocabant. *Iliad.* II.

Αὐτὰρ ὁ κηρύκεσσι λιγυφθόγγοισι κέλευε
Κηρύσσειν ἀγορὴνδε καρηκομόωντας Ἀχαιούς.

Quod & repetitur *Odyss.* II. Silentium quoque indicebant, ut audientiam dicturis facerent, quibus sceptrum tradebant, *Iliad.* II.

Κήρυκες βοόωντες ἐρήτυον, εἴποτ᾽ ἀϋτῆς
Σχοίατ᾽, ἀκούσειαν δὲ διοτρεφέων βασιλήων.

Et *Iliad.* III.

—— Ἐν δ᾽ ἄρα κῆρυξ
Σκῆπτρον χερσὶν ἔθηκε, σιωπῆσαί τ᾽ ἐκέλευσε.

Sic Plautus in *Pœnulo:*

Exurge præco, fac populo audientiam.

Et Apulejus III. *Milesia: Jamque sublimi suggestu magistratibus considentibus, jam præcone publico silentium clamante.* Soliti autem in Græcia dicere, Σιγῆ πᾶς ἔσω λεώς· Ἀκούετε λεώς· Εὐφημεῖτε, & similia, quæ passim obvia.

A Mittebantur & Κήρυκες ad perferenda nuntia, vel ad aliquem accersendum. Sic Agamemnon mittit Talthybium & Eurybatem ad Briseidem ab Achille traducendam, *Iliad.* I. *Odyss.* etiam VIII. præco abit ad accersendum Demodocum, κῆρυξ δὲ μετῴχετο θεῖον ἀοιδόν. Porro socii Telemachi adventantis præmiserunt κήρυκα, ἀγγελίην ἐρέοντα περίφρονι Πηνελοπείῃ, *Odyss.* XVI. Sic Plutarchus in *Theseo:* Κήρυκα δ᾽ ἐπέστειλε τῆς σωτηρίας ἄγγελον εἰς ἄστυ. In bello hæc officii pars maxime fuit usitata, ubi κήρυκες caduceatorum functi munere.

Quin & comites erant viris principibus, aut iis quos ad obeundum aliquod munus ipsi mittebant.
B *Odyss.* IV. Ulyssi

—— Κῆρυξ ὀλίγον προγενέστερος αὐτοῦ
Εἵπετο. ——

Priamus etiam ad Achillem profectus jubetur unum tantum assumere Κήρυκα. At Agamemnon, legatis ad Achillem missis, addit Hodium & Eurybatem, *Iliad.* IX. Et Ulysses mittens duos ex sociis ad Læstrygonas, κήρυκα addit:

Ἄνδρε δύω κρίνας, τρίτατον κήρυχ᾽ ἅμ᾽ ὀπάσσας.
Odyss. XX.

Cæterum erant quoque Κηρύκων partes in sacris. Soliti enim per urbem circumducere victimas, solemniter immolandas, *Odyss.* V.
C
Κήρυκες δ᾽ ἀνὰ ἄστυ θεῶν ἱερὴν ἑκατόμβην
Ἦγον. ——

Idem factum *Iliad.* III. in sanciendo fœdere, ubi Κήρυκες vinum ferunt & miscent, affunduntque regibus post manus ablutas. *Odyss.* II.

—— Σὺ δὲ κηρύκεσσι κέλευσον
Οἶνον ἐπικρῆσαι, ἵνα καὶ Διὶ τερπικεραύνῳ
Σπείσομεν. ——

Atque hoc primum fuisse Κηρύκων munus dictat Herodotus, ut nimirum sacris libationibusque præessent. Unde promanavit illa Κηρύκων familia nobilis apud Athenienses: cujus quidem λειτουργίαν
D potissimum in mactandis victimis fuisse scribit Cleidamus lib. I. *Protogon.* Οἱ δὲ τὸ μαγείρων καὶ βουτύπων ἐπεῖχον τάξιν; quales fuere popæ ac victimarii apud Romanos. Omnino apud Homerum in epulis Heroicis operam præstant, *Iliad.* VI.

Κήρυκες δ᾽ ἀπάνευθεν ὑπὸ δρυῒ δαῖτα πένοντο,
Βοῦν δ᾽ ἱερεύσαντες μέγαν ἀμφεπον.

Similiter Eumæo accumbenti κῆρυξ præbet μοῖραν, & vinum infundit, *Odyss.* XVII.

Quanquam & ipsorum regum hac in parte αὐτοδιακονίαν est videre. Sic enim Agamemnon:
E
—— Ἀπὸ στομάχους ἀρνῶν τάμε νηλέϊ χαλκῷ.

Iliad. III. Thrasymedes quoque Nestoris filius sumpto cespite bovem ferit, *Odyss.* III. nempe quia pater senio præpediebatur, ait Athenæus *lib.* XIV. Ita quoque in supplicationibus publicis Patroclus & Achilles omnia, ut rite fiant, procurant, *Iliad.* IX. Nuptias celebrante Menelao, Megapenthes sponsus a poculis est, *Odyss.* IV. Atque adeo ἐπιτήδειον τὴν αὐτοδιακονίαν, καὶ ἐκαλλωπίζοντο τῇ ἐν τοιούτοις εὐστροφίᾳ, ait Chrysippus. Quod Thessalibus antiquitus maxime fuisse solenne, scribit au-
F ctor ἀνώνυμος, cujus extant Dorici quidam sermones *de Moribus:* Θεσσαλοῖσι καλὸν τὼς ἵππως ἐκ τᾶς ἀγέλας λαβόντι αὐτῶς δαμάσαι, καὶ τὼς ὀρέας βῶς τε λαβόντι, αὐτὼς σφάξαι, καὶ ἐκδεῖραι, καὶ κατακόψαι.

CAP. VI.

DE CONCIONIBUS.

ERANT quoque priscis regibus adjuncti viri ætate ac judicio præstantes, quorum consilio domi militiæque rem publicam administrabant. Docet hoc luculenter ex Homero Dionysius Halicarnasseus *lib.* II. Τοῖς γοῦν βασιλεῦσιν, ὅσοι τε πατρίους ἀρχὰς παραλάβοιεν, ϗ ὅσους ἡ πληθὺς αὐτὴ καταστήσαιτο ἡγεμόνας, βουλευτήριον ἦν ἐκ τῶν κρατίστων, ὡς Ὅμηρός τε ϗ οἱ παλαιότατοι τῶν ποιητῶν μαρτυροῦσι, ϗ οὐχ ὥσπερ ἐν τοῖς καθ' ἡμᾶς χρόνοις αὐθάδεις ϗ μονογνώμονες ἦσαν αἱ τῶν ἀρχαίων βασιλέων δυναστεῖαι. Atque ex hoc ritu tradit Romulum constituisse Senatum ex Patribus, qui dicti *conscripti*. Homerus vocat Βουλὴ γερόντων *Consilium senum*, quo primum deliberabatur, quæ populo erant pro concione dicenda: ut videre est *Iliad.* II.

Βουλὴ δὲ πρῶτον μεγαθύμων ἷζε γερόντων.

Ubi somnium principibus Græcorum Agamemnon enuntiat, & consilium de tentandis fuga proposita Græcorum animis, ut cum optimatum assensu in populum evulgentur, quod fit statim coacta concione. Quod observavit etiam Aristoteles *Ethic. lib.* III. *cap.* V. Δῆλον δὲ τοῦτο ϗ ἐκ τῶν ἀρχαίων πολιτειῶν, ἃς Ὅμηρος ἐμιμεῖτο· οἱ γὰρ βασιλεῖς ἃ προέλοντο ἀνήγγελλον τῷ δήμῳ.

In concionibus porro cathedris dispositis considebant universi, stante eo, qui verba facturus erat, & quidem in medio. *Iliad.* II.

Σπουδῇ δ' ἕζετο λαὸς, ἐρήτυθεν δὲ καθέδρας.
Παυσάμενοι κλαγγῆς, ἀνὰ δὲ κρείων Ἀγαμέμνων
Ἔστη σκῆπτρον ἔχων. ——

Sic *Iliad.* XIX. in concione primi consederunt Diomedes & Ulysses, posteaque Agamemnon, etsi ille concionatus sit,

—— Ἐξ ἕδρας, οὐδ' ἐν μέσσοισιν ἀναστὰς,

certa de causa præpeditus. Similiter congregatis Ithacensibus *Odyss.* II. Telemachus consedit in patris sede, ἕζετο δ' ἐν πατρὸς θώκῳ. Et postea concionaturus στῆ δὲ μέσῃ ἀγορῇ, sceptro tradito, ut & fit a Menelao, *Iliad.* XXIII. Postquam essent locuti, in sedem se recipiebant, alio consurgente; quemadmodum *Iliad.* VII. in concione Trojanorum Antenor,

Εἰπὼν κατ' ἄρ' ἕζετο, τοῖσι δ' ἀνέστη
Δῖος Ἀλέξανδρος Ἑλένης πόσις ἠϋκόμοιο.

Fiebat hoc in arce, ubi forum Trojanorum diserte collocatur, *Odyss.* VIII. In aliis etiam urbibus celebriore erat loco, ut videre est veteris Græciæ monimentis. Formam vero luculenter describit Philostratus *lib.* VI. *de Vita Apollon.* Τὸ δὲ χωρίον ἐν ᾧ ἵδρυται φασὶ προσεοικέναι ἀγορᾷ ἀρχαίᾳ, οἵαι τῶν ἀγορῶν ἐν πόλεσί ποτε οἰκηθείσαις λείπονται στηλῶν παρεχόμεναι τρύφη, ϗ τειχῶν ἴχνη, ϗ θάκους ϗ φλιάς. Ἑρμῶν τε ἀγάλματα, τὰ μὲν ὑπὸ χειρῶν διεφθαρότα, τὰ δὲ ὑπὸ χρόνου.

Habebantur autem conciones non solum de iis rebus, quæ ad reipublicæ statum pertinebant, sed etiam quæ spectabant ad privatos. Ita namque concione Telemachus queritur de procorum violentia ac injuria, *Odyss.* II. & ipsi metuunt, ne de cæde sibi intentata referat ad concionem, *Odyss.* XVII.

CAP. VII.

DE JUDICIIS.

OMNINO vero quævis controversiæ disceptabantur solenni ritu in Foro; judicibus in hanc rem considentibus, qui suum cuique jus redderent. Sic *Odyss.* XII.

— Ἦμος δ' ἐπὶ δόρπον ἀνὴρ ἀγορῆθεν ἀνέστη,
Κρίνων νείκεα πολλὰ δικαζομένων αἰζηῶν.

Et *Iliad.* XVI. Judices
Ἐν ἀγορῇ σκολιὰς κρίνωσι θέμιστας.

Eaque de causa eodem apud naves loco dicuntur Achivis fuisse ἀγορή τε θέμιστε, *Iliad.* XI. Locus vero τοῦ δικαστηρίου peculiariter indicatur circulo fuisse comprehensus, *Iliad.* XVIII. ubi ἱερὸς κύκλος dicitur, nempe διὰ τὸ πολυχώρητον τοῦ τοιούτου σχήματος, ait Eustathius. Unde & Sophocles κυκλόεντα θρόνον ἀγορᾶς dicit. Ibi in sedibus lapideis θρόνοις λιθίνοις collocantur judices, quos γέροντας Poeta vocat *senes*, ἢ τῷ χρόνῳ οἱ συνέσει ϗ πολυπειρίᾳ πραγμάτων προέχουσιν, ἢ ϗ ἁπλῶς ἄλλως ἔντιμοι, κἂν μὴ τῇ ἡλικίᾳ γέροντες εἶεν. Insigniti quoque sceptris, sicuti reges: ἐστι γὰρ τὸ σκῆπτρον οὐ μόνον βασιλείας, ἀλλὰ ϗ Θέμιδος σύμβολον. Quare *Iliad.* I.

—— Νῦν δ' αὖτέ μιν υἷες Ἀχαιῶν
Ἐν παλάμαις φορέουσι δικασπόλοι, οἵτε θέμιστας.
Πρὸς Διὸς εἰρύαται. ——

Obtinuit vero hic mos perpetuo apud Athenienses, ut judices gestarent baculos, quorum descriptionem videre est apud Aristophanis Interpretes, aliosque veteres Grammaticos. Hodieque etiam apud plerasque gentes observari eandem consuetudinem constat. Dabantur autem hæc σκῆπτρα illis a præconibus in manus, eaque inter dicendum subinde commovebantur, ὡς τὰ σκῆπτρα τοῖς λόγοις συνδιαφέροντες. Unde Ulysses imperitiæ ac dementiæ arguebatur a Trojanis, quod immoto sceptro diceret,

Φαίης κεν ζάκοτόν τινα ἔμμεναι, ἄφρονά δ' αὔτως.

Iliad. III. Singulare vero est, quod duo auri talenta proposita in præmium ac mercedem illis persolvendam, qui quam rectissime sententiam dicerent. Causam vero ipsi, inter quos erat controversia, agebant, testibus utrinque sui juris collaudatis.

Atque hac in parte illustre fuit quoque regum munus. Forum namque & ipsi frequentabant, & jura singulis dicebant. In foro utique rex Læstrygonum fuisse dicitur *Odyss.* X. Illic etiam Crœsus apud Herodotum in *Clio*: Τεοῖσί με χρὴ ὄμμασι ἔς τε ἀγορὴν, ϗ ἐξ ἀγορῆς φοιτέοντα φαίνεσθαι. Thronus variis ornamentis insignis hunc in finem regibus erat stratus. Ejusmodi laudatur a Pindaro Od. IV. *Pyth.*

Ὥποτε Κρηθεΐδας ἐγκατίζων ἱππόταις
Εὔθυνε λαοῖσι δίκας.

Herodotus in *Clio* quoque narrat, Midam dedicasse Delphis τὸν βασιλήιον θρόνον ἐς τὸν προκατίζων ἐδίκαζε. Idem Athenæus scribit de rege Persarum, Alexandro Magno, Gelone Syracusarum rege, aliisque *lib.* XII. Usque adeo vero regia antiquitus habita fuit juris tractatio, ut ipsæ etiam reginæ litibus dirimendis vacaverint; quod de ea Phæacum ait Homerus *Odyss.* VII. ἀνδράσι νείκεα λύει. Cæterum ex æquitate rationis ac consuetudine potissimum dijudicabantur controversiæ; quando raræ

aut nullæ priſcis erant leges. Unde & Homero nuſpiam celebres νόμους obſervarunt Critici, ſed θέμιστας.

CAP. VIII.

DE HOMICIDIIS.

FREQUENTISSIMUM eſt apud Homerum crimen homicidii; cujus pœna exilium. Solum enim paſſim vertunt, qui ei ſe obſtrinxerunt. Medon utique Ajacis frater habitavit in Phylace,

—— γαίης ἀπὸ πατρίδος ἄνδρα κατακτὰς.

Iliad. XV. Apud eundem degebat Lycophron,

—— ἐπεὶ ἄνδρα κατέκτα Κυθήροισι ζαθέοισι.

Omninoque ſoliti patrata cæde in præpotentis alicujus viri domum ſupplices ſe recipere, ut dicit Poeta *Iliad.* XXIV.

—— Ὅς' ἐνὶ πάτρῃ
Φῶτα κατακτείνας ἄλλον ἐξίκετο δῆμον
Ανδρὸς ἐς ἀφνειοῦ.

Sic Epigeus, occiſo conſobrino, dicitur veniſſe ſupplex ad Achillem, *Iliad.* XVI. Theoclimenus in fidem ſe dat Telemachi, fugiens ob cædem contribulis, a cujus conſanguineis ſibi metuit vindictam, *Odyſ.* XV. Ita vero & Ulyſſes anxie dubitat, quid facturus ſit, tot interfectis procis; cum is etiam, qui unum interemit hominem, cui pauci auxiliares, aufugiat,

—— πηοὺς τε προλιπὼν καὶ πατρίδα γαῖαν.

Odyſ. XXIV. Ac Homerus quidem ait, concione hac de re habita interfectorum cognatos armis Ulyſſem fuiſſe inſecutos; quibus poſtea Minervæ ſtudio depoſitis pacate regnavit. At alii pervetuſti Hiſtorici narrant, eum hac de cauſa exactum fuiſſe Cephallenia, Ithaca & Zacyntho, uti memoriæ prodidit Plutarchus *Probl. Hellan.* XIV. Et ſane Adraſtus Phrygiæ regis filius, interempto per imprudentiam fratre, ab ipſomet patre ejectus fuit in exilium, & omnibus rebus privatus, apud Herodotum *Muſa* I. Unde ad Crœſum confugit, qui eum priſco ritu expiatum in ædes recepit. Id vero maxime obtinuiſſe in cædibus involuntariis ſcribit Homeri Scholiaſtes in *Iliad.* XV. Ἔθος ἦν παρὰ τοῖς παλαιοῖς τὸν ἀκούσιον φόνον ἐργαζόμενον φεύγειν ἐκ τῆς πατρίδος, καὶ παραγίνεσθαι εἰς τέμενον καθαρίῳ δεόμενον. Notat hunc morem Pauſanias in *Eliacis* prioribus in Ætolo rege, quem ait ἐκ Πελοποννήσου φυγεῖν, ὅτι αὐτὸν οἱ Ἄπιδος παῖδες ἐφ' αἵματι ἀκουσίῳ δίκῃ εἷλον. Et paulo poſt in Oxylo viro etiam principe, cui accidit φυγάδι ἐξ Αἰτωλίας εἶναι διωκόμενον· γὰρ φασιν αὐτὸν ἁμαρτεῖν. αὐτὸν καὶ ἐξεργάσασθαι φόνον ἀκούσιον. Ita vero etiam in ludo talorum occidit Patroclus Amphidamantis filium νήπιος οὐκ ἐθέλων, eoque exulare apud Achillem coactus, *Iliad.* XXIII. Quod in hanc rem notavit Juriſconſ. Claudius Saturninus *Digeſt. de pœnis: Apud Græcos*, inquit, *exilio voluntario fortuiti caſus luebantur, ut apud præcipuum Poetarum ſcriptum eſt, Iliad.* ψ. Cæterum, exilii hujus tempus fuiſſe annum, tradit Scholiaſtes Euripidis in *Hyppolito*: Ἔθος γὰρ τοῖς ἐφ' αἵματι φεύγουσι ἐνιαυτὸν ποιεῖν ἐκτὸς τῆς πατρίδος. Antiquiſſima utique homicidii pœna; quæ haud dubie a primo ejus auctore Caino in cæteros divino jure derivata eſt.

Sed enim redemta quoque pretio pœna illatæ cædis a cognatis occiſi. Sic enim *Iliad.* IX. Ajax obſtinatum Achillis animum ex eo arguit, quod alius pro fratris cæde, etiam accepta ſatisfactione, interfectorem ſinat domi remanere:

—— καὶ μέν τις τε κασιγνήτοιο φόνοιο
Ποινὴν ἢ οὗ παιδὸς ἐδέξατο τεθνειῶτος·
Καί ῥ' ὁ μὲν ἐν δήμῳ μένει αὐτοῦ πόλλ' ἀποτίσας,
Τοῦ δέ τ' ἐρητύεται κραδίη καὶ θυμὸς ἀγήνωρ
Ποινὴν δεξαμένου. ——

Ita quoque accipiendum eſt, quod *Iliad.* XVIII. duo litigantes εἵνεκα ποινῆς ἀνδρὸς ἀποφθιμένου, quam alter perſolviſſe ſe ait, alter negat. Euſtathius: Ἦν δὲ παλαιὸν ἔθος καὶ ποινὴν ἐθέλειν ὅτε δίδοσθαι ὑπὲρ φόνου, καὶ μὴ ἀνάγκην φεύγειν εἶναι ἀεὶ τὴν πατρίδα τὸν πεφονευκότα. Scholiaſtes autem ὑποφόνια interpretatur ab Atticis dicta, ἃ ἐδίδοσαν τοῖς οἰκείοις τῶν ἀνῃρημένων οἱ ἀνελόντες. Multa utique hujus redemptionis monumenta extant apud Demoſthenem aliosque Oratores Græcos. Et mos idem hodieque paſſim obtinet apud ſeptentrionales nationes; uti olim Longobardis fuiſſe in uſu ex multis quæ ſuperſunt legibus apparet.

CAP. IX.

DE FURTIS AC RAPINIS.

CREBERRIMA quoque erant antiquitus in Grecia furta ac rapinæ, non terra modo, ſed & mari. Teſtantur complures boum abactiones, hominum plagia, urbium ac agrorum direptiones, quibus tota Homeri Poeſis referta. Factitarunt hoc viri non ignobiles, ipſi adeo Heroes, non probro, ſed laudi rem ducentes. Οὐκ ἔχοντός πω αἰσχύνην τούτου τοῦ ἔργου, φέροντος δέ τι καὶ δόξης μᾶλλον, ait Thucydides initio ſuæ *Hiſtoriæ*. Id vero ex eo confirmat, quod multis ſuo etiamnum tempore decori ſit hoc exercere; tum quod apud vetuſtiſſimos Poetas qui aliquo appellunt, interrogant ſubinde an latrones ſint, ὡς οὔτε ὧν πυνθάνονται ἀπαξιούντων τὸ ἔργον, οἷς τ' ἐπιμελὲς εἴη εἰδέναι οὐκ ὀνειδιζόντων. Exemplum luculentum *Odyſſ.* III. ubi Neſtor Telemachum ac ſocios e mari adventantes hunc in modum excipit:

Ὦ ξεῖνοι, τίνες ἐστέ, πόθεν πλεῖθ' ὑγρὰ κέλευθα;
Ἦ τι κατὰ πρῆξιν, ἢ μαψιδίως ἀλάλησθε
Οἷά τε ληϊστῆρες ὑπεὶρ ἅλα, τοί τ' ἀλόωνται
Ψυχὰς παρθέμενοι, κακὸν ἀλλοδαποῖσι φέροντες.

Hinc apud Orpheum Jaſon regi Æetæ dubitanti, quinam eſſent Argonautæ, reſpondet, οὔτι νυ ληϊστῆρες ἱκάνομεν. Et in univerſum teſtatur Philoſtratus *lib.* II. *de Vita Apollon.* in omnibus aliis hoc obtinuiſſe: Οἱ μὲν παλαιοὶ τὰς ἐρωτήσεις τῶν καταπλεόντων ἐποιοῦντο, εἰ λῃσταί εἰσι.

Itaque τὸ λῃστικὸν antiquitus ex frequenti more non erat in vitio. Inde forte eſt, quod ab Homero laudatur Autolycus,

—— ὃς ἀνθρώποις ἐκέκαστο
Κλεπτοσύνῃ θ' ὅρκῳ τε ——

furto ac perjurio. Quod ab Mercurio dicitur edoctus, quem priſci Græci furibus præſidere ac præire cenſuerunt. Hinc & Samii Mercurio Charidotæ rem divinam facientes, furari ac latrocinari permittebant volenti: quia oraculo relicta inſula cum Mycalen migraſſent, ex rapto decem annis vixiſſent, teſte Plutarcho *Problem.* At enim major furti laus habita, ſi ita caute fieret, ut non deprehenderetur auctor. Unde Suidas; Τὸ παλαιὸν οὐ διεβέβλητο ἡ κλοπή, εἰ μὴ φωραθεὶς ὁ κλέπτων ὑπῆρχεν. Atque hac re potiſſimum laudatus Autolycus, Siſyphus, aliique vetuſtiores; ut in Lycurgi inſtitutis apud Lacedæm. etiam hic mos poſtea celebratus.

Cæterum etſi furta ac rapinæ in more erant illius temporis, atque adeo in laude; de iis tamen actiones fuerunt intentæ repetundis. Cum enim Meſſenii

Itha-

Ithacensibus trecentas boves abstulissent, Ulysses communi Senum consilio ac auctoritate pro legatione eas ivit repetitum ὑπὲρ χρέος, ac si rerum ablatarum dominium non esset ad eos translatum voluntate possidentium, sed veluti a repetituris ad tempus commodatum, *Odyss.* XXI. Alioquin etiam pari rapina sibi satisfaciebant; uti Nestor *Iliad.* XI. ait Pylios, ab Epeis injuria affectos, magnam ex illorum agro egisse prædam, quam expeditionis principes diviserunt; πόλεσιν γὰρ Ἐπειοὶ χρέος ὄφειλον: ea quidem lege, ut, quibus plus erat ab hostibus ablatum, majorem sortirentur partem; quemadmodum Neleus rex, pro abreptis sibi quatuor ἀθλοφόροις equis, habuit armentum boum, gregem ovium cum pastoribus. Inde Antonini pater insequutus prædones Taphios, rapinis infames, *Odyss.* XVI. etsi idem iram Ithacensium subiit, quod socios Thesprotos læsisset, parumque abfuit, quin facultatibus suis omnibus mulctaretur. Primus vero prædones mari persecutus dicitur Minos Cretensium rex apud Thucydidem *lib.* I.

CAP. X.

DE EMPTIONIBUS AC VENDITIONIBUS.

PRIMIS temporibus nulla erat inter Græcos negotiatio, singulis ex agro sibi in diem parantibus quæ ad cottidianum victum pertinebant, ut testatur initio suæ *Historiæ* Thucydides. Post instituto commercio, ac mari aperto, navigationes lucri causa susceptæ. Unde nautæ πρακτῆρες dicti, *Odyss.* VIII. & navigantes ἐπὶ πρῆξιν καὶ χρήματα, in *Hymn. Apollin.* Præiverunt iis Phœnices, qui, ut canit Dionysius lib. *de situ orbis*:

—— πρῶτοι νήεσσιν ἐπειρήσαντο θαλάσσης,
Πρῶτοι δ' ἐμπορίης ἁλιδίνεος ἐμνήσαντο.

Inde Cicero III. *de Repub.* ait: *Eos primos mercatores mercibus suis avaritiam, magnificentiam & inexplebiles cupiditates in Græciam intulisse*. Quare iidem *Odyss.* XV. dicti

—— ναυσίκλυτοι ἤλυθον ἄνδρες
Τρῶκται, μυρί' ἄγοντες ἀθύρματα νηὶ μελαίνῃ.

Atque ideo piratica maxime olim celebrati, teste Philostrato lib. III. *de Vita Apoll.*

Constabant autem commercia fere permutatione, sicut apparet *Iliad.* VII. ubi e Lemno in Græcorum castra appellunt naves onustæ vino, quod illi ære, ferro, pellibus, bobus ac servis coemunt:

Ἔνθα δ' ἄρ' οἰνίζοντο καρηκομόωντες Ἀχαιοί,
Ἄλλοι μὲν χαλκῷ, ἄλλοι δ' αἴθωνι σιδήρῳ,
Ἄλλοι δὲ ῥινοῖς, ἄλλοι δ' αὐτοῖσι βόεσσιν,
Ἄλλοι δ' ἀνδραπόδεσσι. ——

Quem locum in hanc sententiam laudat Jurisconsultus *Digest. de contrab. empt. & vend.* Plinius etiam *lib.* XXXIII. *cap.* I. *Quantum*, inquit, *felicioreævo, cum res ipsæ permutabantur inter se, sicut & Trojanis temporibus factitatum Homero credi convenit. Ita enim, ut opinor, commercia victus gratia inventa. Alios coriis boum, alios ferro captivisque rebus emptitasse tradit*. Ejusmodi permutatione usus Αἰπόλος Theocriti, cum nautæ pro poculo dedit ὦνον capram, *Idyl.* I. Lacones etiam Polydori regiam post ejus mortem ab uxore bobus coemerunt: unde βοώνητα dicta, teste Pausania in *Laconicis*. Addit autem ideo factum, quod necdum obtineret numisma aureum, vel argenteum: Ἀργύρου γὰρ οὐκ ἦν πώποτε, οὐδὲ χρυσοῦ νόμισμα, κατὰ τρόπον δὲ ἔτι τὸν ἀρχαῖον ἀντεδίδοσαν βοῦς καὶ ἀνδράποδα καὶ ἀργὸν τὸν ἄργυρον καὶ χρυσόν. Atque hoc Indorum exemplo confirmat, qui ejus ætate pro rebus a Græcis comportatis merces suas reponebant, nummum plane ignorantes, etsi auri ac æris affatim haberent. Ita vero & Livius *lib.* XXIX. narrat, Massylos Africæ populos pecudibus, non numis contraxisse. Sed & Lycurgus hoc inter leges, quas Spartanis tulit, obtinere voluit: *Emi singula non pecunia, sed compensatione mercium jussit*, auctore Justino.

Quanquam & nummorum in commerciis usum fuisse ex ipsomet Homero videatur colligi; cum meminit ἑκατομβοίων, uti in permutatione armorum Glauci ac Diomedis:

Χρύσεα χαλκείων, ἑκατόμβοι' ἐννεαβοίων.

Iliad. VI. & alibi. Scholiastes enim ait nomismata fuisse, quæ ex veteri ritu ab una parte haberent bovis imaginem, ab altera regis. Pollux vero *lib.* IX. *cap.* VII. etiam scribit, Athenienfibus fuisse antiquitus nomisma, quod Βοῦς vocaretur, ὅτι βοῦν εἶχεν ἐκτυπώμενον; idque ab Homero intellectum *loco citato* plerisque censeri. Additque in Draconis legibus esse repertum δεκάβοιον; & ἐν τῇ παρὰ Δηλίας θεωρίᾳ præconem inclamare solitum, cum donum aliquod conferebatur, ὅτε δοθήσονται αὐτῷ τοσοῦτοι βόες, καὶ δίδοσθαι καθ' ἕκαστον βοῦν δύο δραχμὰς Ἀττικάς, ut proinde Βοῦς valuerit didrachmum. Sed enim Plutarchus quoque in *Theseo* ait, hunc cudisse primum nummum bovis figura, vel ob Marathonium taurum, vel ob memoriam ducis Minois, vel quod ad agriculturam cives vellet vocare. A quo numo & nomen ἑκατόμβοιον, & δεκάβοιον eidem deductum. Auri quoque talenta sæpius Homerus collaudat, quæ signata apud Græcos fuisse, satis notum. Quanquam pondere potius quam figura apud illum videntur censa; eoque non ita magno: uti liquet ex ludis habitis in funere Patrocli; ubi ultimi præmii loco ponuntur δύο χρύσεια τάλαντα. Quod post Scholiastem Homeri etiam notavit Servius *ad Æneid. lib.* V.

Ut ut sit, certum est, priscis temporibus non magnam fuisse numorum copiam, unde illorum ἀχρηματίαν queritur Thucydides. Etiam apud principes viros, ut testatur Herodotus in *Urania*: Ἦσαν γὰρ τὸ πάλαι καὶ αἱ τυραννίδες τῶν ἀνθρώπων ἀσθενέες χρήμασιν, οὐ μόνον ὁ δῆμος. Omnes vero divitiæ in pecudibus etiam positæ, maxime bobus; qua ratione χρήματα dicti in *Hymno Mercurii*. Cujus rei infinita apud Homerum extant testimonia; quæ collaudans Pausanias in *Messeniacis*: Ἐσπουδάκεσαν δέ, inquit, ἄρα οἱ τότε πλοῦτόν τινα συλλέγεσθαι τοιοῦτον ἵππων καὶ βοῶν ἀγέλας.

CAP. XI.

DE DONATIONIBUS.

DONATIONES apud Jurisconsultos aliæ sunt inter vivos, aliæ mortis causa. Utriusque apud Homerum non pauca vel obscura extant exempla. Ad eam, quæ inter vivos fit potissimum, pertinent munera illa hospitalia, quæ ξεινήια passim vocat. Ea varia sunt, sæpius vasa ac vestes; uti Telemacho abeunti dat cratera aureum, Helena vestem nuptialem, *Odyss.* XIV. Sic Ulyssi discedenti a Phæacibus dati tripodes, lebetes, aurum, vestes textæ, *Odyss.* XIII. Arma etiam soliti donare; ut Amphidamas Molo galeam, *Iliad.* X. Cinyrus Agamemnoni thoracem, *Iliad.* XI. Iphitus arcum patris dedit Ulyssi; qui vicissim ei donavit ensem ac hastam, *Odyss.* XXI. Simili quoque compensatione Oeneo danti balcheum Bellerophon reddidit craterem, *Iliad.* VII. Moris hujus quamplurima extant apud alios scriptores indicia; veluti cum Orpheus Argonautis ait, Chironem sibi dedisse Νεβρίδα παρδαλέαν ξεινήιον: Cyzicum regem Argonautis χλαίνας τ' ἠδὲ τάπητας, εὐννήτους τε χιτῶνας. Sic Pollux apud Theo-

critum *Idyl.* XXII. muneribus invitat Amycum regem in ædes ſuas:

Ελθοις ἐκ ξενίων γε τυχὼν πάλιν οἴκαδ᾽ ἱκάνοις.

Jaſon quoque apud Pindarum ode IV. *Pyth.* fratribus ac cognatis ξείνι᾽ ἁρμόζοντα τεύχων. Plutarchus vero etiam ſcribit Amazonas Theſeo adventanti ξένια miſiſſe. Ita Xenophon de Lacedæmonis *Hellan.* VII. Αλλως τε ἐτίμων αὐτὸν καὶ βοῦν ξένια ἔπεμψαν.

Ad donationem inter vivos referenda etiam ea, quæ fiebat propter nuptias. Εδνα Homerus vocat, τὰ ὑπὸ τῶν μνηστήρων ταῖς μνηστευομέναις διδόμενα ait Heſychius. Ita Ulyſſes beatum fore ait, qui Nauſicaam ducat, ἐέδνοισιν βρίσας, *Odyſ.* VI. Polymelam duxit Echecleus, ἐπεὶ πόρε μυρία ἔεδνα, *Iliad.* VI. Quomodo & Hector Andromachen habuiſſe dicitur, *Iliad.* XXII. & Neleus Chlorin, *Odyſ.* XI. Hinc proci Penelopes dona certatim conferebant, ut is conſequeretur, qui plura daret, — ὅς κεν πλεῖστα πόροι καὶ μόρσιμος ἔλθοι, *Odyſ.* XVI. Patri vero tradere erat moris, ut liquet ex eo, quod *Odyſ.* VIII. Vulcanus vult ſibi reſtitui a patre uxoris adulteræ dona:

Εἰσόκε μοι μάλα πάντα πατὴρ ἀποδώσει ἔεδνα
Οσσα οἱ ἐγγυάλιξα κυνώπιδος εἵνεκα κούρης.

Ita quoque Ctimenem ſororem Ulyſſis parentes acceptis donis elocarunt:

—— Σάμην δ᾽ ἔδοσαν καὶ μυρί᾽ ἕλοντο.

Odyſ. XV. Sic ſpecies quædam emptionis ac venditionis in nuptiis Græcorum fuit; quæ hodie aperte fit apud Turcas, ubi numerato pretio a parentibus filiæ quaſi divenduntur. Et vero Thucydides, itemque Ariſtoteles in *Politic.* lib. II. cap. VIII. non verentur dicere, uxores antiquitus in Græcia ſolitas emi. Cujus moris veſtigium apud Romanos veteres non obſcure apparet.

Potiſſimum vero hæc donatio, poſt muliebria ornamenta, conſtabat ex pecoribus, præcipue bobus; unde puellæ ἀλφεσίβοιαι dictæ. Exemplum luculentum in Iphidamante, qui ſponſæ Theano *Iliad.* XI.

Πρῶθ᾽ ἑκατὸν βοῦς δῶκεν, ἔπειτα δὲ χίλι᾽ ὑπέστη
Αἶγας ὁμοῦ καὶ ὄϊς, τά οἱ ἄσπετα ποιμαίνοντο.

Similiter apud Theocritum *Idyl.* XXVII. puella a Daphni petente nuptias poſtulat:

Καὶ τί μοι ἕδνον ἄγοις γάμον ἄξιον ἢν ἐπινεύσω.

Is vero reſpondet:

Πᾶσαν τὰν ἀγέλαν, πάντ᾽ ἄλσεα καὶ νομὸν ἕξεις.

Cæterum & ἀνάεδνοι filiæ fuerunt elocatæ certo privilegio, ſine donatione ejuſmodi, propter nuptias. Sicuti Agamemnon pollicetur, ſe daturum Achilli filiarum unam ἀνάεδνον, *Ilid.* IX. Et Othryon ſtipulatur a Priamo Caſſandram ἀνάεδνον, ſervandæ Trojæ conditione, *Iliad* XII. Ita vero moris fuit, ut, certaminibus præclare ſuſceptis ac peractis, filiæ in matrimonium darentur, quemadmodum Pelops curuli ad Elinem victoria Hippodamiam a Piſate obtinuit, poſt tredecim alios perditos amantes, ut eſt apud Pindarum *Olymp.* I. In eundem modum Icarius Penelopem filiam, vocatis ad curſum procis, deſpondit vincenti, qui fuit Ulyſſes. Quod imitatione Danai factum refert Pauſanias in *Laconicis*; qui cum nanciſci non poſſet, qui ejus filias duceret, parricidio pollutas, promiſit ſe ἕδνων ἄνευ daturum cui forma placeret. Multis vero convenientibus, non ita multis curſus certamen inſtituit, quo qui ſuperiores eſſent, ordine omnes elocavit.

Supereſt donatio mortis cauſa, ea facta conditione, ut, ſi obeat donator, res donata poſſeſſione perpetua a donatario retineatur; ſin ſuperſtes ſit, reſtituatur; ut videre eſt Telemachi & Piræi exemplo, *Odyſ.* XVII. quod in hanc ſententiam laudat Juſtinianus *Inſtitut. de Donationibus*, & Martianus Jureconſ. *Digeſtis de mortis cauſa Donationibus*:

Πείραι᾽, οὐ γάρ τ᾽ ἴδμεν ὅπως ἔσται τάδε ἔργα,
Εἴ κεν ἐμὲ μνηστῆρες ἀγήνορες ἐν μεγάροισι
Λάθρῃ κτείναντες πατρώϊα πάντα δάσονται,
Αὐτὸν ἔχοντά σε βούλομ᾽ ἐπαυρέμεν, ἤ τινα τῶνδε·
Εἰ δέ κ᾽ ἐγὼ τούτοισι φόνον καὶ κῆρα φυτεύσω,
Δὴ τότε μοι χαίροντι φέρειν πρὸς δώματα χαίρων.

CAP. XII.

DE HEREDITATIBUS

NATURÆ jus poſtulat, ut liberi bona a genitoribus relicta conſequantur. Illuc etiam feruntur parentum deſideria ac ſtudia, *cum omnia, quæ noſtra ſunt, liberis noſtris ex voto paremus*, ait Tryphonius *l.* 50. *de bon. libert.* Εἰς τίνας γὰρ ἄν τις ἀναγκαιότερον δέξαιτο περιουσιάζειν γυναικὸς ἢ παιδὸς οὐκ ἐπιμεληθείς, inquit Phalaris *epiſtola* LIV. ad Erythiam uxorem. Grave nimirum extraneis ſpes a ſe partas relinquere, ut affirmat Pindarus *Olymp.* od. X. Πλοῦτος ὁ λαχὼν ποιμένα ἐπακτὸν ἀλλότριον συγερώτερος. Itaque Ulyſſes inter alia, quæ Phæacum proceribus optat, addit,

—— καὶ παισὶν ἐπιτρέψειεν ἕκαστος
Κτήματ᾽ ἐνὶ μεγάροισι ——

Odyſ. VIII. ut quiſque liberis ſuas poſſeſſiones relinquat.

Fiebat autem bonorum patriorum diſtributio æqualiter, jacta ſorte inter liberos: uti videmus factum *Odyſ.* XIV. a Caſtoris Hylacidæ filiis:

—— τοὶ δὲ ζωὴν ἐδάσαντο
Παῖδες ὑπέρθυμοι καὶ ἐπὶ κλήρους ἐβάλοντο.

Ulyſſi tamen, qui ſe etiam in eorum numero ponit, pauca data; quod eſſet natus e pellice. Sortes autem factæ potiſſimum apud Antiquos ligno; unde Herodianus Grammaticus κλῆρον deducit παρὰ τὸ κλάδον. In eo ſymbolum ſuum vel teſſeram inſcribebant: ut liquet ex *Iliade* VII. ubi optimates Græcorum ſortituri pugnam cum Hectore ineundam, κλῆρον ἐσημαίνοντο ἕκαστος.

Conjecerunt autem in galeam, & poſtquam nonnihil concuſſiſſent, extrahebant: quod etiam factum a ſociis Ulyſſis in adeunda Circe, *Odyſ.* X. Et ſic Virgilius *Æneid.* V. verſ. 490.

—— *conjectamque ærea ſortem*
Accepit galea. ——

Alias κάλπη, ſeu *urna*, fuit in hanc rem adhibita.

Quod ſi carerent liberis, ad remotiores devolvebatur ſucceſſio; ſicut apparet ex *Iliad.* V. ubi Phœnops, occiſis duobus filiis, nullum generaſſe dicitur,

—— ἐπὶ κτεάτεσσι λιπέσθαι,
Χηρωσταὶ δὲ διὰ κτῆσιν δατέοντο· ——

Euſtathius apud Græcos refert extitiſſe quoddam τάγμα ἐν ταῖς πόλεσι τὸ διοικοῦν τὰς ἀκληρονομήτους, ἤγουν τὰς χηρεύοντας διαδόχων. Sed non videtur convenire, ut ad magiſtratus quoſdam ejuſmodi bona, ſuis heredibus carentia, reciderent, non ad cognatos; quando præſertim hic mentio fit *diviſionis*. Itaque rectius, opinor, Heſychius, cui χηρωσταὶ ſunt οἱ μακρόθεν συγγενεῖς, οἱ μακρόθεν κατὰ γένος προσήκοντες. Et Pollux: οἱ τῷ ἐρήμῳ γένει προσήκοντες. Qui generi alicui & familiæ ſuis hæredibus viduatæ ſanguine ſunt juncti. Ita vero etiam Heſiodus in *Theogonia* loquens de vita cælibe, in qua quis a re familiari ſatis paratus; tamen adventante ſenecta, caret eo, qui opem ac fomentum adhibeat:

Ος κε γάμον φεύγων ϗ μέρμερα ἔργα γυναικῶν,
Μὴ γῆμαι ἐθέλῃ, ὀλοὸν δ' ἐπὶ γῆρας ἵκηται
Χήτει γηροκόμοιο· ὅ δ' ἐ βιότε ἐπιδευὴς
Ζώει. ἀποφθιμένε ἢ διὰ κτῆσιν δατέονται
Χηρωσαί.

Quæ verba enarrans Scholiastes, χηρεύοντος, inquit, τῦ οἴκε κ ἐρήμε ὄντος τέκνων κληρονόμων τῆς ἐσίας τῆς πατρικῆς· οἱ πόῤῥωθεν, συγγενεῖς, οἱ δημόσιοι τινες ἅρπαγες καὶ ἀλλότριοι τῦ γένες διαμερίζοντες τὴν τοιαύτην ἐσίαν. Quanquam fieri poteſt, ut magiſtratus certi conſtituti fuerint, qui ejuſmodi bona proximis genere diſtribuerent. Alioqui non eſt novum ac inuſitatum, ut bona ἀδέσποτα ac ἀκληρονόμητα fiſco principis addicantur.

CAP. XIII.

DE NUPTIIS

NUPTIÆ, apud veteres Græcos, inter quaſvis perſonas contrahebantur, præterquam parentes ac liberos. Hanc enim conjunctionem nefariam habitam, vel unius Oedipi & Jocaſtæ tragica hiſtoria oſtendit, quam Poeta attingit *Odyſ.* XI In aliis exigua aut nulla habita ratio conſanguinitatis. Sic enim initio X. *Odyſ.* Æoli ſex filii cum totidem filiabus matrimonio ſociati dicuntur. Tyro quoque fratri Cretheo nupſit, *Odyſ.* XI. Iphidamus duxit amitam, Ciſſei materni avi filiam, uti & Diomedes, *Iliad.* XI. Alcinous Aretam neptem ex fratre, *Odyſ.* VII. Similiter Deiphobus habuit uxorem fratris demortui Helenam; Helenus Andromachen, Hectori nuptam.

In nuptiis rite obeundis ab Homero laudatur *pubertas*. Ita namque Æoli filii dicuntur ἡβώοντες, *pubeſcentes.* Iphidamanti etiam Ciſſeus dedit filiam,

—— ἐπεί ῥ' ἥβης ἐρικυδέος ἵκετο μέτρον.

Euſtathius καίριον γάμον ſignificari docet, ὅτε δὴ φίλτατος ἂν εἴη τῇ νύμφῃ ὁ γαμέτης, κ ἡδὺς ἐν τοῖς ἐρωμασι. Οὖπερ κατὰ τὸν Ομηρον χαρακτὴρ ἡ ἥβη κ ἡ ἰδέα. Hinc Sapho puellam vocabat ἄχαριν, quæ nondum eſſet apta conjugio: contra Daphnis χαρίεις dictus Theocrito *Idyl.* VIII. Sic apud Pindarum *Olymp.* I. florente prima lanugine, nuptias Pelops cogitavit,

Πρὸς εὐάνθεμον δ' ὅτε φυὰν
Λάχναι νιν μέλαν γένειον ἔρεφον,
Ετοῖμον ἀνεφρόντισεν γάμον.

Similiter *Pyth.* IX. multi proci ambientes puellam Libyſſam,

———— ἥβας
Καρπὸν ἀνθήσαν τ' ἀποδρέψαι ἔθελον.

In hanc ſententiam quoque Romanorum legibus cautum, ne ante pubertatis tempus matrimonia contraherentur, quod in maribus decimo quarto anno definitum, in mulieribus duodecimo: etſi plena pubertas decem & octo annis etiam deſcribatur a Modeſtino *l.* 40. *Digeſt. de Adoption.* Quod Philoſtratus quoque apud Græcos habitum docet lib. II. *de Vita Apoll.* Ita vero etiam apud Theocritum celebratur ὀκτωκαιδεκέτης, ἢ ἐννεακαιδέχ' ὁ γαμβρὸς, *Idyl.* XV. *gener octodecim aut novendecim annorum.*

Contrahebantur matrimonia parentum voluntate. Sic Achilles recuſat filiam Agamemnonis, quia pater Peleus domi aliam ſibi ſit adſciturus:

Πηλεύς θήν μοι ἔπειτα γυναῖκα γαμέσεται αὐτός.

Iliad. IX. Briſeis maritum occiſum deflens inquit:

Ανδρα μὲν ᾧ ἔδοσάν με πατὴρ κ πότνια μήτηρ.

Iliad. XIX. Nauſicaa ait, ſe ſuccenſere ei quæ

—— ἀέκητι φίλων πατρὸς κ μητρὸς ἐόντων
Ανδράσι μίσγηται. ——

Odyſ. VI. Antimachus denique jubet Telemachum matrem dimittere, ut nubat,

Τῷ ὅτεῳ τε πατὴρ κέλεται κ πότνια μήτηρ.

Odyſ. II. Ita vero apud Muſæum Hero:

Αμφαδὸν ἐ δυνάμεσθα γάμοις ὁσίοισι πελάσσαι,
Οὐ γὰρ ἐμοῖς τοκέεσσιν ἐπεύαδεν.

Idem apud Xenophontem Cyrus VII. *Pæd.* Τότε γένος ἐπαινῶ, ϗ τὴν παῖδα, κ δῶρα· βέλομαι δέ σὺν τῇ τῦ πατρὸς γνώμῃ κ τῆς μητρὸς ταῦτά σοι συναινέσαι. Tertullianus III. *ad Uxorem: Nec in terris filii ſine conſenſu patrum rite & jure nubant.* Quamobrem Imperator Juſtinianus *Inſtit. de Nuptiis* pronunciavit: *Rationem civilem & naturalem hoc ſuadere in tantum, ut parentis juſſus præcedere debeat.*

Porro ut ſponſus ἕδνα dabat ſponſæ, ita viciſſim illa huic afferebat a parentibus προῖκα *dotem.* Ejus nomine Andromacha dicta πολύδωρος, quod magnam attulerit Hectori dotem, *Iliad.* VI. Hecuba quoque ait, patrem multa dediſſe, *Ilyad.* XXII.

Πολλὰ γὰρ ὤπασε παιδὶ γέρων ὀνομάκλυτος Αλτης.

Sic Alcinous optat Ulyſſem ſibi generum, & ſpondet ſe daturum domum ac poſſeſſiones,

—— οἶκον δέ κ' ἐγὼ κ κτήματα δοίην.

Odyſ. VII. Agamemnon vero etiam Achilli pollicetur filiam ampliſſime dotatam,

—— ἐγὼ δ' ἐπιμείλια δώσω
Πολλὰ μάλ', ὅσσ' ὔπω τις ἑῇ ἐπέδωκε θυγατρί.

nempe ſeptem pulcras ac bene cultas urbes. Scholiaſtes προῖκα intelligit, & τὰ μείλια exponit οἷς μειλίσσονται τὰς ἄνδρας. At Heſychius interpretatur τὸ ἐπίπροικον *dotem adventitiam*, dotiſque acceſſionem, præter dotem profectitiam, ut loquitur Ulpianus. Et videtur hoc poſtulare τὸ ἐπὶ, quod in compoſitione habet vim amplificandi. Proinde hæ urbes erunt τὸ προικὸς ἐπίβλημα, κ προσθήκη, Græci παράφερνα vocant, quæ vox in Jus Romanum translata, l. 9. §. 11. *Digeſt. de jure dotium.* Cujus rei illuſtre exemplum apud Livium *lib.* XVI. ubi Scipio, capta Carthagine, virginem nobilem Allucio principi deſponſatam ita reddit, ut τὰ λύτρα a parentibus accepta doti adjiciat: *Super dotem*, inquit, *quam accepturus a ſocero es, hæc tibi a me dotalia dona accedunt, aurumque tollere ac ſibi habere juſſit.*

Atque hanc dotem ſoluto matrimonio referre ſolitæ uxores, uti patet ex *Odyſ.* II. ubi Telemachus inter alia incommoda, quæ a matris dimiſſione metuit, hoc etiam ponit, quod cogatur Icario ejus patri reſtituere,

—— κακὸν δέ με πόλλ' ἀποτίνειν
Ικαρίῳ, αἴ κ' αὐτὸς ἑκὼν ἀπὸ μητέρα πέμψω.

Quod Imperatorum ſanctionibus cautum apud Romanos, lib. V. *Codicis tit. Soluto matrimonio, quemadmodum dos petatur.*

CAP. XIV.

DE RITU NUPTIARUM.

SPONSAM in ædes ſuas ſolenni ritu ducebat ſponſus. Sic Ægiſthus Clytæmneſtram,

—— ἐθέλων ἐθέλεσαν ἀνήγαγεν ὅνδε δόμονδε.

Odyſ. III. Et quod *lib.* VI. de Nauſicaa,

Ος κε σ' ἐέδνοισι βρίσας οἶκόνδ' ἀγάγηται.

Inde Heſiodus in *Scuto Herculis*,

—— τοὶ μὲν γὰρ εὐσσώτρε ἀπ' ἀπήνης
Ηγον τ' ἀνδρὶ γυναῖκα ——

In curru nimirum vehi potiſſimum ſolebant, uti etiam obſervavit Pollux *lib.* III. *cap.* III.

Domus plerunque nova in hanc rem a marito extruebatur. *Odyſ.* XV.

Ενθάδ' ἔγημε γυναῖκα κ ὑψιρεφὲς θέτο δῶμα.

Sic *Illiad.* II. ϗ δόμος ἡμιτελὴς, de Protesilao recens conjugato. Scholiastes: ἔθος ἦν τοῖς γήμασι θάλαμον οἰκοδομεῖσθαι. Ita etiam apud Theocritum nova nupta,

Τεύχεις μοι θάλαμον, τεύχεις ϗ δῶμα ϗ αὐλάς.

Idyl. XXX.

Præferebantur de more lampades ac faces, cum duceretur sponsa. *Iliad.* XVIII.

Νύμφας δ' ἐκ θαλάμων δαΐδων ὑπολαμπομενάων
Ηγίνεον ἀνὰ ἄστυ. ——

Sic Hesiodus:

Τῆλε δ' ἀπ' αἰθομένων δαΐδων σέλας εἰλύφαζε
Χερσὶν ἐνὶ δμώων. ——

Apud Euripidem quoque mater queritur, se filio non accendisse facem nuptialem:

Εγὼ δὲ οὔτε σοι πυρὸς ἀνῆψα φῶς
Νόμιμον ἐν γάμοις,
Ως πρέπει ματρὶ μακαρίᾳ.

Similiter Agave apud Nonnum *Dionys.* XLVI.

Οὔπω τοῖς θαλάμοισιν ἐκούφισα νυμφοκόμον πῦρ.

Cantus etiam accedebat *ὑμέναιος* dictus; sicuti locis citatis ab Homero & Hesiodo subjungitur, *πολὺς δ' ὑμέναιος ὀρώρει.* Sic Agave, *οὐ ζυγίων ἤκουσα τεῶν ὑμέναιον ἐρώτων.* Pollux: *Τὸ δὲ ᾆσμα τὸ γαμήλιον ὑμὴν ϗ ὑμέναιος.* Quæ vox cum ipsa re ad Romanos transit, ut pleraque alia solennia nuptiarum. Terentius, in *Adelphis*, Act. V. Sc. VII. vers. 9.

Hymenæum, turbas, lampadas, tibicines.

Puellæ vero sociæ potissimum cantitabant, ut notat Pindarus ode III. *Pyth.*

Οὐκ ἔμειν' ἐλθεῖν τράπεζαν νυμφιδίαν,
Οὐδὲ παμφώνων ἰαχὰν
Υμεναίων, ἅλικες
Οἷα παρθένοι φιλέοισιν ἑταῖραι
Εσπερίαις ὑποκου-
ρίζεσθ' ἀοιδαῖς.

Cujus rei luculentum exemplum in *Helenæ Epithalamio* apud Theocritum.

Saltatio quoque Musicis consonantibus organis in nuptiis usitata. *Iliad.* XVIII.

Κοῦροι δ' ὀρχηστῆρες ἐδίνεον, ἐν δ' ἄρα τοῖσιν
Αὐλοὶ φόρμιγγές τε βοὴν ἔχον.

Sic in nuptiis Megapentus *Odyss.* IV.

—— δοιὼ δὲ κυβιστητῆρε κατ' αὐτοὺς
Μολπῆς ἐξάρχοντες ἐδίνευον κατὰ μέσσον.

Ulysses etiam cum simulare in ædibus nuptias vellet, cantorem accersi jussit, qui desiderium curet:

Μολπῆς τε γλυκερῆς ϗ ἀμύμονος ὀρχηθμοῖο.

Odiss. XXIII. Atque ita etiam apud Hesiodum in nuptiarum descriptione:

Τοὶ μὲν ὑπαὶ λιγυρῶν συρίγγων ἵεσαν αὐδὴν,
Αἳ δ' ὑπὸ φορμίγγων ἄναγον χορὸν ἱμερόεντα.

Fiebant hæc convivio magnifice parato, quod *γάμον* etiam Homerus vocat, sicuti Latini *nuptias.* Pollux: *Ομηρος μέντοι οὐ τὸ ἔργον μόνον, ἀλλὰ ϗ τὴν ἑστίασιν γάμον καλεῖ.* *Odyss.* I.

Εἰλαπίνη ἠὲ γάμος; ἐπεὶ οὐκ ἔρανος τάδε γ' ἐστίν.

Ita Telemachus Spartam appellens, invenit Menelaum

—— δαινύντα γάμον πολλοῖσιν ἔτῃσιν
Υἱέος ἠδὲ θυγατρὸς ἀμύμονος ᾧ ἐνὶ οἴκῳ.

Odyss. IV. Briseis quoque deflens Patroclum mortuum, ait eum sibi pollicitum Achillis nuptias,

—— δαίσειν δὲ γάμον μετὰ Μυρμιδόνεσσι.

Iliad. XIX.

Vestis etiam ad nuptias celebrandas mutata, adhibita lavatione. Jubet hoc Ulysses *Odyss.* XXIII.

Πρῶτα μὲν ἂρ λούσασθε ϗ ἀμφιέσασθε χιτῶνας
Δμῳάς τ' ἐν μεγάροισιν ἀνώγετε εἵμαθ' ἑλέσθαι.

Hinc Minerva ad Nausicaam *Odyss.* VI.

Σοὶ δὲ γάμος σχεδόν ἐστιν, ἵνα χρὴ καλὰ μὲν αὐτὴν
Εννυσθαι, τὰ δὲ τοῖσι παρασχεῖν οἵ κέ σ' ἄγωνται.

Morem hunc Orientis populis patrium fuisse, docet clare Historia Evangelica, ubi e convivio ejicitur, qui veste nuptiali haud erat accinctus. Cæterum solitæ sponsæ dari a sponso vestes nuptiales, ut liquet ex ea, quam dat Helena Telemacho in hunc usum, *πολυηράτου ἐς γάμου ὥρην σῇ ἀλόχῳ φορέειν,* *Odyss.* XV.

Postremum lecto geniali in thalamo parato, solvebat sponsus sponsæ zonam. Eo pertinet quod Neptunus, rem habens cum Tyro, *λῦσε δὲ παρθενίην ζώνην,* *Odyss.* XI. Et in *Hymno Veneris* Anchises,

Λῦσε δέ οἱ ζώνην ἰδὲ εἵματα σιγαλόεντα.

Sic apud Theocritum puella compressa a Daphni, *Idyl.* XXVII.

Φεῦ, φεῦ, ϗ τὴν μίτραν ἀπέσχισες, ἐς τί δ' ἔλυσας.

Moschus de Europa avecta, *Idyl.* II.

Οὐδ' ἄρα παρθενικὴν μίτρην ἄχραντον ἐρύσθαι.

Sic vero & illa apud Ovid. in *Epist.* II.

Cui mea virginitas avibus libata sinistris,
Castaque fallaci zona revincta manu.

CAP. XV.

DE SECUNDIS NUPTIIS.

ITA sancte conjugalis thori castitas a priscis observabatur, ut alii viro, secundo voto, se addicere mulieres haberent religioni. Exemplum luculentum in Penelope, quæ ad secundas nuptias a multis sollicitata procis strenue restitit, verita mariti lectum, & populi famam, ut ipsa ait, *Odyss.* XVI.

Αἰδομένη εὐνήν πόσιος, δημοῖό τε φῆμιν.

Ex voto hoc est maritorum, qui a morte etiam crediti Veteribus integras sibi cupere uxores. Quemadmodum Justinianus pronunciavit: *animam mariti defuncti secundis nuptiis contristari.* §. *Qua vero*, *Authent. de Nupt.* Hinc illa apud Virgilium *Æneid.* IV. vers. 28.

Ille meos primum qui se sibi junxit amores
Abstulit, ille habeat secum, servetque sepulcro.

Maxime vero hoc obtinuit cum relinquebantur liberi, quibus censebant non perinde favere mulieres iterum conjugatas, ut est *Odyss.* XV.

Κείνου βούλεται οἶκον ὀφέλλειν ὅς κεν ὀπυίοι
Παίδων δὲ προτέρων ϗ κουριδίοιο φίλοιο,
Οὐκ ἔτι μέμνηται τεθνηότος, οὐδὲ μεταλλᾷ.

Intemperantiæ quoque ac lasciviæ opinionem præbebant, quæ ad secunda vota convolarent. Unde Valerius Maximus dicit: *Multa matrimonia legitimæ intemperantiæ signum esse.* Quintilianus vero *Declamat.* CVI. *nubendi quandam esse impudicitiam.*

Jure tamen non fuisse prohibitas secundas nuptias liquet eo, quod parentes ac amici Penelopis, rati Ulyssem demortuum, denuo nubere jubent, *Odyss.* XIX. Atque hac re cæteris apud Græcos præiisse fertur Gorgophone Persei filia, quæ Periere Æoli filio, qui cum virgo nupta fuerat, mortuo, alteri viro Oebalo nupsit, cum antea sanctum ac solenne fœminis esset, priore viro mortuo, se-

cundis nuptiis abstinere, ut est apud Pausaniam in *Corinthiacis*: Πρότερον δὲ καθεςήκει ταῖς γυναιξὶν ἐπὶ ἀνδρὶ ἀποθανόντι χηρεύειν.

Cæterum illud singulare, quod Homerus ait, Ulyssem ad expeditionem Trojanam discedentem uxori Penelope dixisse, incertum sibi esse, an rediturus sit, an captivus ad Trojam permansurus; itaque servaret domum ad filii usque pubertatem, tum nuberet, cui vellet:

Γήμασθ᾽ ᾧ κ᾽ ἐθέλησθα τεὸν κατὰ δῶμα λιποῦσα.

Ulpianus quidem respondet, donec certum est, maritum vivere in captivitate constitutum, nullam habere licentiam uxores eorum migrare ad aliud matrimonium, nisi mallent ipsæ mulieres causam repudii præstare. Sin autem in incerto est, an vivus apud hostes teneatur, vel morte præventus; tunc, si quinquennium a tempore captivitatis excesserit, licentiam habet mulier ad alias migrare nuptias *l. 6. Digest. de Divort. ac Repud.* At vero Justinianus *Novell.* CXVIII. cap. XI. decrevit, ob quantumvis longam mariti absentiam, uxorem alteri nubere non posse, nisi audierit eum certo mortuum. Eo pertinet illud Petronii: *Si absente per aliquot annos marito potiri non licebat, amare certe licebat.* Atque hac de causa Penolope noluit, licet jussa, alteri in matrimonium se tradere, variis artibus procorum vota ad prioris mariti reditum suspedens. Eoque nomine ab omnibus scriptoribus celebrata:

Penelope poterat bis denos salva per annos
Vivere, tam multis fæmina digna procis.

ait Proper. *lib.* I. *elegia* VI. Cæterum non videtur omittendum, quod Pausanias in *Arcadicis* apud Mantineos vulgo jactatum refert: Πηνελόπην ὑπὸ Ὀδυσσέως καταγνωσθεῖσαν, ὡς ἐπισπαστὰς εἰσαγάγοιτο ἐς τὸν οἶκον καὶ ἀποπεμφθεῖσαν ὑπ᾽ αὐτοῦ, *damnatam ac repudiatam fuisse ab Ulysse, quod procos ultro allexisset & invitasset in ædes suas.*

CAP. XVI.

DE ADULTERIO.

GRAVE cumprimis & animadversione dignum crimen patrare existimati, qui alienum thorum violassent, exemplo Ægisthus, qui Agamemnonis absentis uxorem Clytæmnestram nefario conjugio sibi junxit, eumque advenientem trucidavit. Sed & idem cum ipsa filii Orestis vindicem manum expertus est, quem ideo rei bene gestæ laudaverunt in Deorum concilio Jupiter & Pallas, *Odys.* I. Sic ejusdem pater Thyestes, cum Atrei fratris uxorem Europam stuprasset, ita vehementer eum irritavit, ut ultionis vice & proprios liberos in convivio apposuerit edendos.

Imo cum Phœnix matris impulsu pellicem patris iniisset, Furias, quas ille imprecabatur, habuit ultrices, *Iliad.* IX. Sed omnium clarissimum exemplum Paridis, qui cum Helenam Menelai uxorem e Sparta abduxisset, universam Græciam adversus se ac Trojanos concitavit, a quibus ipse cum suis internecione deletus. Et quidem Hector eum lapidea tunica induendum censuit, tam immanis sceleris nomine:

Λάϊνον ἕσσο χιτῶνα κακῶν ἕνεχ᾽ ὅσσα ἔοργας.

Iliad. III. Quæ adulterii pœna apud Orientales populos perantiqua; ut constat ex Lege Dei, *Deuteron.* XXII. & *Johan.* VII. Ac omnium pene gentium moribus pœna capitalis imposita adulteris; quam deprehendens maritus ipse poterat inferre, ut liquet ex Demosthene *contra Neær.* & *Digest. ad legem Juliam de Adulter.*

Alioquin & pecunia quandoque apud Græcos redempta adulterii pœna: quo pertinent *μοιχάγρια*, quæ Homerus celebrat, *Odyss.* VIII. Quæ Scholiastes interpretatur τὰ ἀποτινόμενα ὑπὸ τοῦ ἐν μοιχείᾳ ἀγρευθέντος. Loquitur ibi de furtivo Martis ac Veneris concubitu; illum cum uxore deprehensum Vulcanus cupit detinere in vinculis, donec sibi persolvat χρέος *debitum*. Pro quo Neptunus, cum se obtulisset fidejussorem, solvit. Postulat autem omnia sibi reddi ἔδνα, quæ patri dederat ob puellam. Apud Romanos utique etiam maritos solitos lucrari dotes adulterarum uxorum, & contra uxores donationes propter nuptias adulterorum maritorum, constat ex sanctione Theodosii & Valentiniani, *l. 8. Cod. de Repudiis; Quæ simul facta.* Imo nec licuit marito retinere in adulterio deprehensam uxorem, *l. 2. Cod. ad leg. Jul. de Adulter.* Cui consentanea illa lex Attica apud Demosthenem *in Neær.* Ἐπειδὰν δὲ ἕλῃ τὸν μοιχὸν, μὴ ἐξέστω τῷ ἑλόντι συνοικεῖν τῇ γυναικὶ, ἐὰν δὲ συνοικῇ, ἄτιμος ἔστω.

CAP. XVII.

DE CONCUBINIS.

PRÆTER legitimas uxores, fuerunt antiquioribus Græcis etiam in usu aliæ feminæ, quibuscum cubabant. Talis Achilli Briseis, quam lecti sui gratia se servaturum pronunciat, *Iliad.* I.

Ἱστὸν ἐποιχομένην, καὶ ἐμὸν λέχος ἀντιόωσαν.

Ἄλοχος uxor inde dicta *lib.* IX. Ibi quoque absente Briseide cubat cum Diomeda Lesbia muliere uti Patroclus cum Ipi. etiam Nestori ac Phœnici suæ sunt fæminæ, lecti sociæ. Erant illæ plerumque servæ in bello captæ, aut pretio coemptæ: cujusmodi illæ mulieres Lesbiæ, quæ dicuntur fuisse in tentoriis Agamemnonis, *Iliad.* II. & IX. Serva item, ex qua Menelaus suscepit Megaphentem, cum non amplius esset pariendo Helena, *Odys.* IV. Similiter ea, qua se natum fingit Ulysses, *Odys.* XIV.

—— ἐμὲ δ᾽ ὠνητὴ τέκε μήτηρ,
Παλλακίς. ——

Postremum hoc genus *παλλακίδες pellices* Hebræa voce dixerunt, quæ legitimis uxoribus superinducebantur. Quanquam apud Græcos ægre admittebantur ejusmodi sociæ: uti videmus factum a matre Phœnicis, quæ pellicem exosam stuprare filio suasit, *Iliad.* IX. Indeque Ulysses noluit cum serva Euryclea rem habere, metu uxoris:

Εὐνῇ δ᾽ οὔποτ᾽ ἔμικτο, χόλον δ᾽ ἀλέεινε γυναικός,

Odys. I. Hac de causa quoque irritata Clytæmnestra, Agamemnoni ac Cassandræ manus cruentas intulit, quod hanc ille lecti sociam fecisset. Medea Jasoni parem struxit interitum, liberis interfectis, quod Creusam sibi superinduxisset; uti notatum ab Athenæo *lib.* XIII. At apud Barbaros facilius ab uxoribus pellices illæ tolerabantur, sicuti videre est in Priamo, cui præter Hecubam aliæ mulieres quam plurimæ; quod ipse dictat, *Iliad.* XXIV. filios nempe sibi fuisse quinquaginta, ex quibus novendecim uno ventre editi sint, cæteri ex aliis mulieribus. Eorum alii γνήσιοι Homero dicti, alii νόθοι; uti distinguuntur *Iliad.* XI.

Υἷε δύω Πριάμοιο νόθον καὶ γνήσιον, ἄμφω
Εἰν ἑνὶ δίφρῳ ἐόντας.

Et quidem νόθους interpretatur Scholiastes τοὺς ἐκ παλλακίδος, qui e pellice essent editi. Quanquam

revera πολυγαμία in Priamo videtur fuisse, ut multas habuerit uxores matrimonio legitimo junctas. Etenim magnorum principum filiæ illi sociatæ, & quidem allata dote; qualis Laothoe, Altæ Lelegum regis filia, ex qua natus Lycaon, *Iliad.* XXI. Ita vero etiam ab antiquissimis Græcis factum, exemplo est Ægeus Thesei pater, qui, ut testatur Athenæus, primum Opletis filiam duxit: post unam ex natis Chalcodontis, quas cum amicis dedisset, multas alias sine nuptiis inivit, dein Pitthei filiam Æthram connubio junxit, ac postremo Medeam. Ipse quoque Theseus complures habuit uxores, partim rapto, partim amore, partim legitimis nuptiis sibi sociatas, ut scribit Ister lib. XIV. *Rer. Attic.* Idem constat factum ab Hercule; unde numerosa illa proles enata.

Cæterum, etsi non eodem ordine censerentur nothi apud priscos, accurate tamen cum aliis filiis legitimis a parentibus educabantur. Quemadmodum comprobatur exemplo Phædri, qui nothus erat Antenoris, *Iliad.* V. & Teucri, qui Telamonis, *lib.* VIII. Quinimo & in partem aliquam venerunt paternæ hæreditatis; uti Ulysses sibi ait obtigisse, *Odyss.* XIV. Megapenthes vero, ut & Nicostratus, a regno Spartæ, quod pater possederat Menelaus, ab Oreste fuerunt exclusi, quia ἐκ δούλης essent suscepti, ut ait Pausanias in *Corinthiacis*. At Neoptolemus, quem ex Deidamia furtim sustulerat Achilles, patrium regnum suscepit. Sed matris conditione hoc forte factum, quæ rege Lycomede erat prognata.

CAP. XVIII.

DE LIBERORUM EDUCATIONE.

SINGULARIS cura veterum Græcorum passim apud Homerum elucet in liberis domi educandis *Iliad.* XVI.

> Τὸν δ' ὁ γέρων Φύλας εὖ ἔτρεφεν, ἠδ' ἀτίταλλεν
> Ἀμφαγαπαζόμενος ὡσεὶ θ' ἑὸν υἱὸν ἐόντα.

Lib. XXIV.

> Υἱέες ἐν μεγάροις ἣ μὲν τράφον, ἠδὲ γένοντο.

Odyss. XI.

> —— καὶ πατρὸς, ὅς ἔτρεφε τυτθὸν ἐόντα.

Matris præcipue commendata diligentia, *Iliad.* II.

> —— Ἥ μ' ἔτεκ', ἥ μ' ἔθρεψε.

Odyss. σὺ δὲ τοὺς κομέειν, ἀτιταλλέμεναί τε ait Neptunus ad Tyro gravidam. Sic apud Hesiodum Ἔργοις puer:

> —— παρὰ μητέρι κεδνῇ
> Ἐτρέφετ' ἀτάλλων. ——

Similiter Hercules apud matrem nutritus νεὸν φυτὸν ὡς ἐν ἀλωᾷ, ut ait Theocritus *Idyl.* XXIV. Atque ab hoc officio eidem γύνη dicitur τοκήων τροφὸς, *Idyl.* XXVII. Et quidem hac parte ita defungebantur matres, ut suo potissimum lacte liberos alerent; cujus rei exempla in illustribus fæminis etiam apparent; ut in Hecuba, mammam ostentante Hectori:

> —— εἴ ποτέ τοι λαθικηδέα μαζὸν ἀνέσχον.

Iliad. XXII. Penolope etiam dicta Telemachum lactasse:

> —— παῖς δέ οἱ ἦν ἐπὶ μαζῷ
> Νήπιος ——

Sic Alcumena Herculem & Iphiclum liberos ipsamet lavisse ac lactasse dicitur:

> Ἀμφοτέρους λούσασα καὶ ἐμπλήσασα γάλακτος.

apud Theocr. *Idyl.* XXIV. Aristodemi quoque regis Spartani uxor geminos λούει καὶ σιτίζει, ut est apud Herodotum in *Erato*. Plutarchus etiam narrat Catonis Majoris uxorem idem præstitisse, αὐτὴ γὰρ ἔτρεφεν ἰδίῳ γάλακτι. Multus ille est in hujus rei commendatione tractatu περὶ παιδῶν ἀγωγῆς; uti Phavorinus apud Gellium *lib.* XII. *cap.* I. Cæteroquin haud inficior, nutrices etiam adscitas ab antiquioribus: veluti Euryclea illa Ulyssis, cui ipse *Odyss.* XII.

> —— σὺ δέ μ' ἔτρεφες αὐτὴ
> Τῷ σῷ ἐπὶ μαζῷ.

Sic etiam nutrix Nausicaæ, *Odyss.* VI. & Astyanactis Hectoris filii commemoratur, *Iliad.* VI. Sed lactis materni inopia hoc fieri potuit, ut sæpe contingit. Ut ut sit, constat singularem a parentibus adhibitam curam in liberorum educatione; quam & leges Atheniensium, uti & Romanorum, sanxerunt.

Hinc in delitiis conjugii positum, quod puelli in genibus parentum comedebant, ut patet *Iliad.* XXII. ubi Andromache, occiso Hectore, queritur de Astyanacte:

> —— ὃς πρὶν μὲν ἑοῦ ἐπὶ γούνασι πατρὸς
> Μυελὸν οἶον ἔδεσκε καὶ οἰῶν πίονα δημόν.

Sic in genibus Autolyci avi Ulysses positus, *Odyss.* XIX.

> Τόν ῥά οἱ Εὐρύκλεια φίλοις ἐπὶ γούνασι θῆκε
> Παυομένῳ δόρποιο. ——

Itaque Amyntor filio diras imprecatus addit, ne genibus suis imponat filium:

> Μήποτε γούνασιν οἷσιν ἐφέσσεσθαι φίλον υἱὸν
> Ἐξ ἐμέθεν γεγαῶτα. ——

Iliad. IX. Illic soliti ludere pusiones παππάζοντες, *Iliad.* V.

> Οὐδ' ἔτι μιν παῖδες ποτὶ γούνασι παππάζουσιν.

Πάππα nempe subinde dictitantes, qua voce Nausicae patrem alloquitur. *Odyss.* VI.

In illustrioribus familiis adhibiti præterea viri, qui filios educarent ac bonis artibus imbuerent. Quam operam præstit Peleo in educatione Achillis Phœnix, *Iliad.* IX. Ubi refert, se ei infanti genibus suis imposito cibum præcidisse, & vinum infudisse, quo evomito sæpe vestem suam conspurcavit; deinde concionandi ac bellandi disciplina eum informasse:

> Μύθων τε ῥητῆρ' ἔμεναι, πρηκτῆρά τε ἔργων,

ut eum efficeret oratorem verborum, actoremque rerum, sicuti vertit Cicero I. *de Oratore*. Idem Chironi Centauro traditus quoque in disciplinam, apud Orpheum in *Argonaut.* & Pindarum ode III. *Nem.* ubi artem canendi, medendi, venandi, aliasque edidicit. Et Pausanias in *Bœoticis* narrat, Hesiodum conscripsisse præcepta Chironis ad Achillem instruendum, ubi inter alia ejus opera ponitur Παραίνεσίς τε Χείρωνος, ἐπὶ διδασκαλίᾳ ἧ τοῦ Ἀχιλλέως. Plutarchus quoque in *Theseo* ait, illi a patre datos præceptores, qui liberalibus artibus ac heroicis disciplinis eum informarent. Herculem quoque ab Atlante rerum naturalium scientiam edoctum scribit Servius. At apud Theocritum *Idyl.* XXIV. Linus fertur eundem docuisse literas; artem sagittandi Eurytus; cantandi cithara Philammonides Eumolpus; pugillatus ac luctæ artem Harpalycus Phanopeus; certamina curulia Amphitryo; bellica Castor. Ita Alexandro Magno varii fuerunt magistri & præceptores; quibus omnibus impositus

Leonidas Olympiadis propinquus, qui nutritius ejus ac rector dictus. At Cato Romanus ipse filium suum omnibus artibus voluit erudire, *οὐ μόνον ἀκοντίζειν οὐδ᾽ ὁπλομαχεῖν οὐδ᾽ ἱππεύειν διδάσκων τὸν υἱόν, ἀλλὰ καὶ τῇ χειρὶ πὺξ παίειν, καὶ καῦμα καὶ ψῦχος ἀνέχεσθαι, καὶ τὰ δινώδη καὶ τραχύνοντα τοῦ ποταμοῦ νηχόμενον ἀποβιάζεσθαι*, ut refert Plutarchus.

CAP. XIX.

DE OFFICIO LIBERORUM ERGA PARENTES

MAXIMUM parentibus honorem a liberis exhibitum, apud Homerum infinitis locis patet. Verebantur religiose eos offendere, quod Ἐρινῦς *Furias* crederent vindices sibi instare, quæ Scholiastæ dicuntur *καταχθόνιοι δαίμονες, τιμωρητικοὶ τῶν πατρικῶν ἀσεβημάτων*. Sensit hoc Phœnix *Iliad.* IX. cui violanti pellicem suam pater *στυγερὰς ἐπεκέκλυτ᾽ Ἐρινῦς*. Eodem modo cavet sibi Telemachus ab expellenda matre,

—— *ἄλλα γὰρ δαίμων*
Δώσει, ἐπεὶ μήτηρ στυγερὰς ἀρήσετ᾽ Ἐρινῦς.

Odyss. II. Timoleon quoque apud Plutarchum inedia se conficere paravit, cum videret matrem *φωνάς τε δεινὰς καὶ κατάρας ἐπ᾽ αὐτὸν ἀρᾶσθαι φρικώδεις*. Nec fortiore ratione commovendum filium Marcium Veturia sibi putavit, quam injecto imprecationis maternæ metu, apud Dionys. Halicarnas. *lib.* VIII. *Βαρεῖαν ἀρὰν καὶ δεινὰς Ἐριννύας ἀντ᾽ ἐμοῦ καταλιποῦσά σοι τιμωρούς*. Multus in hac re declaranda est Plato XI. *de Leg.* Ubi Oedipodis, Amyntoris, Thesei, ac aliorum exemplis ostendit, *ἐπηκόους εἶναι γονεῦσι πρὸς τέκνα θεούς*. Deos parentum adversus filios injurios exaudire preces, contraque exaudire si quid precentur boni: atque inde honorem illis & quidem a Diis proximum censet tribuendum; quod præcepit Pythagoras:

Πρῶτα θεοὺς τίμα, μετέπειτα δὲ σεῖο γονῆας.

Imprimis vero antiquis Græcis curæ fuit *θρεπτήρια*, quæ Homerus vocat, *nutricationis præmia*, parentibus rependere; uti cum de Simoisio & Hippothoo, immatura morte præreptis, ait *Iliad.* XVII.

—— *οὐδὲ τοκεῦσι*
Θρέπτρα φίλοις ἀπέδωκε· μινυνθάδιος δέ οἱ αἰὼν
Ἔπλεθ᾽.

Hesiodus quoque in Ἔργοις, describens seculi postremi scelera, ait nullum honorem senibus parentibus iri delatum, nec vicissim a filiis nutriendos;

—— *οὐδὲ μὲν οἵ γε*
Γηράντεσσι τοκεῦσιν ἀπὸ θρεπτήρια δοῖεν.

Tales etiam igne extremo cremandos prædicit Sibylla:

—— *ὅσοι δὲ γονεῖς ἐνὶ γήρᾳ*
Κάλλιπον οὐδὲ τίσαντες ὅλως οὐ θρέπτρα γονεῦσιν
Ἀντιπαρασχόντες. ——

Commendat hanc rem serio Aristot. lib. IX. *Ethic* cap. II. *Δόξειε δ᾽ ἂν τροφῆς μὲν γονεῦσι δεῖν μάλιστ᾽ ἐπαρκεῖν ὡς ὀφείλοντας καὶ τοῖς τοῦ εἶναι καλλίον, ἢ ἑαυτοῖς ἐς τοιαῦτ᾽ ἐπαρκεῖν*. Leges ipsæ apud Athenienses sanxerunt, ut refert Æschines *in Timarchum*; quibus simile responsum Ulpiani *si quis a liberis. D. de agnosc. lib.* At diversum institutum Ægyptiorum, quod refert Herodotus in *Euterpe*: Τρέφειν τοὺς τοκέας *τοῖσι μὲν παισὶ οὐδεμίη ἀνάγκη μὴ βουλομένοισι. τῇσι δὲ θυγατράσι πᾶσα ἀνάγκη καὶ μὴ βουλομένῃσι.*

In laude quoque positum, injuriam parenti illatam ulcisci, *Odys.* III. Telemachus loquens de Oreste, qui ultus erat necem patri ab Ægistho illatam:

—— *καί οἱ Ἀχαιοὶ*
Οἴσουσι κλέος εὐρὺ καὶ ἐσσομένοισιν ἀοιδήν.

Eadem quoque de causa matrem occiderat; cujus nomine absolutus fuit in Areopago, Palladis judicio, ut est apud Demosthenem *in Aristocr.*

Sed & contra injuria parentum in filiis vindicata est. quod Agamemnon fecit in Antimachi natis, qui Menelao & Ulyssi cædem proditione erant moliti;

Νῦν μὲν δὴ τοῦ πατρὸς ἀεικέα τίσετε λώβην.

Iliad. XI. Ejusmodi exempla quam plurima in historiis reperiuntur, præsertim crimine in principes commisso. Iniquitas tamen aliqua huic vindictæ videtur subesse. Etenim, ut recte Cicero: *Acerbum est parentum scelera filiorum pœnis lui, ut ad liberos, qui nil meruerunt, pœna perveniat.* Εἰ μὲν *ξυνεξήμαρτον, καὶ συγκολαζέσθωσαν*, ait Philo: *Nimirum, quia unusquisque ex suo admisso sorti subjicitur, nec alieni criminis successor constituitur*, uti retulit Callistratus *l. Crimen. D. de pœnis.*

CAP. XX.

DE SERVITUTE.

SERVI Græcis erant plerunque capti bello, quos victores ab occidione servabant; unde *δμῶες* dicti, *παρὰ δαμᾶσθαι a domando*; quia videlicet, *ᾧ τις ἥττηται, τούτῳ καὶ δεδούλωται*, ut ait Petrus II. *Epist.* cap. II. Tales *δμῶες* Ulyssis, de quibus Telemachus *Odys.* I.

Καὶ δμώων οὓς μοι ληΐσσατο δῖος Ὀδυσσεύς.

Sic Lesbiæ illæ mulieres, quas in tentoriis servabat Agamemnon, armis erant servituti addictæ; uti & Briseis Achillis. Idem suæ uxori metuit Hector, ne quis se mortuo eam abducat,

—— *ἐλεύθερον ἦμαρ ἀπούρας,*

ut cogatur alienam telam texere, & aquam e fonte afferre. Et vero *δεδουλωμένην* se dicit apud Virgilium *Æneid.* III. vers. 326.

Stirpis Achilleæ fastus, juvenemque superbum
Servitio enixæ tulimus. ——

Sic Herodotus in *Thalia* narrat, Atossam, cum maritum Darium ad bellum Græciæ concitaret, se velle sibi *Λακαίνας γενέσθαι θεραπαίνας, καὶ Ἀργείας, καὶ Ἀττικὰς, καὶ Κορινθίας*. Et in *Erato* Pythia minata vastitatem Milesiis:

Σαὶ δ᾽ ἄλοχοι πολλοῖσι πόδας νίψουσι κομήταις.

Captos sæpius moris erat in servitutem divendere, quod in multis se fecisse dictat Achilles:

—— *πολλοὺς ζωοὺς ἕλον, ἠδ᾽ ἐπέρασσα.*

Iliad. XXI. Priamus de suis natis pronunciat, exemplo Lyaconis, quem ex horto patris abreptum divendidit Achilles: & de aliis queritur Hecuba;

Ἄλλους μὲν γὰρ παῖδας ἐμοὺς πόδας ὠκὺς Ἀχιλλεὺς
Πέρνασχ᾽ ὅντιν᾽ ἕλεσκε.

Iliad. XXIV. Ita vero integræ quoque civitates servituti mancipatæ, quod *ἐξανδραποδίζειν* dixerunt Græci; ut Achivi fecere potiti Mycenis, apud Diod. Siculum *lib.* XI. Alexander Thebis, apud Arrianum *lib.* I. Mummius Corinthi, apud Plutarchum, & alios.

Sed enim non justo tantum bello servi vendebantur ab hostibus capti, verum etiam a latrunculis, ac prædonibus, aliisque, qui quomodocunque poterant esse superiores. Ita vendita mulier illa, quam cum Eumæo abduxerant Taphii latrones, *Odys.* XV. ipseque a Phœnicibus pretio traditus Laer-

ti. Ulysses quoque *Odys.* XIV. idem sibi parasse dicit veteratorem Phœnicem, quicum in Libyam navigabat, & Thesprotos, cum esset mittendus regi Acasto,

Αὐτίκα δούλιον ἦμαρ ἐμοὶ περιμηχανόωντο.

Minatur denique etiam Laomedon, se Apollinem ac Neptunum ligatos deportaturum in longinquas insulas, ibidemque venditurum, *Iliad.* XXI. Moderatius Romani, apud quos ad hostibus justo bello, non a latrunculis aut prædonibus capti, servi efficiebantur, ut respondet Ulpianus *l.* 24. *D. de captiv. & postlim.*

Quod attinet ad eos servos, qui citra bellum aut latrocinium vendebantur, iis antiquitus non usam Græciam tradit Timæus Tauromenites apud Athenæum: Οὐκ ἦν φασὶ πάτριον τοῖς Ἕλλησιν ὑπὸ ἀργυρωνήτων τὸ παλαιὸν διακονεῖσθαι. Primi e Græcis commemorantur Chii barbaros servos numerata pecunia mercati. Quos ideo Deorum iram contraxisse idem censet, siquidem oppressi sunt ab iis tædio dominicæ potestatis.

In iis præcipui fuerunt Cares; unde pro servilibus hominibus Græco proverbio usurpati. Quo referunt Interpretes illud Homeri *Iliad.* IX. ἐν Καρὸς αἴσῃ. Frequenter etiam jam inde priscis temporibus in hanc rem adhibebantur, Pontici, Lydi, Phryges, & similes, qui suos soliti nullo negotio divendere exteris, uti narrat Philostratus lib. VIII. *de Vita Apollon.*

Magna fuit dominorum in servos potestas; unde illorum *ἄνακτες reges* dicti, uti Telemachus, οἴκοιο ἄναξ ἔσομ' ἡμετέροιο καὶ δμώων, *Odys.* I. & Andromache metuens filio, ne fit ἀεθλεύων πρὸ ἄνακτος ἀμειλίχου, *Iliad.* XXII. In vitam utique ac necem eam patuisse, apparet ex eo, quod Ulysses, impetitus conviciis a Melantho, minatur, se renunciaturum hero Telemacho, ut eum in frusta concidat, ἵνα σ' αὖθι διαμελεϊστὶ τάμῃσιν, *Odys.* XVIII. Quod postea factum narratur *lib.* XXII. ubi nares & aures ei præcisæ, extracta genitalia ac canibus pro-

A jecta, manus denique ac pedes amputatæ. Servis quidem peculiarem fuisse hanc mutilationis pœnam, liquet ex eo, quod Laomedon minatus Diis servitutem, ait se aures illis præcisurum:

—— ἀμφοτέρων ἀποκόψεμεν οὔατα χαλκῷ.

Eo pertinet, quod famulæ etiam pervicaces ac sceleratæ funibus ex trabe suspenduntur, quem οὐ καθαρὸν θάνατον vocat Telemachus, *non puram mortem*. Eustathius: Καθαρὸς θάνατος ὁ διὰ ξίφους· μιαρὸς δὲ ὁ ἀγχονιμαῖος. *Informe lethum* dixit Virgilius.

Liberabantur quoque nonnunquam dominorum potestate. Quod pollicetur bubulco ac subulco B Ulysses, interfectis eorum ope procis, *Odys.* XVI. Et Plutarchus *Hellan. Problem.* XIV. narrat, Telemachum Eumæum ac socios libertate donatos civibus inseruisse; unde Coliadarum ac Bucoliorum genus in Ithace celebratum permansit.

Cæterum præter servos etiam fuerunt Græcis homines liberi, qui mercede operam suam aliis elocabant; θῆτες dicti Homero; sicuti Telemacho egrediente, θῆτές τε δμῶές τε ἕποντο.

Sic *Odysseæ* XVIII. Penelope ab Ulysse hospite petit, an ad rustica officia mercede velit locari:

Ξεῖν', ἦ ἄρ κ' ἐθέλοις θητευέμεν, εἴ σ' ἀνελοίμην
Ἀγροῦ ἐπ' ἐσχατιῆς· μισθὸς δέ τοι ἄρκιος ἔσται.

C Et Achilles mavult

—— ἐπάρουρος ἐὼν θητευέμεν ἄλλῳ
Ἀνδρὶ παρ' ἀκλήρῳ,

quam omnibus mortuorum umbris imperare. Præstiterunt hoc Laomedonti Apollo & Neptunus, ille in pascendis bobus, hic in muro ædificando. Unde & θητείας θεῶν παρ' ἀνθρώποις in Græcorum Theologia recensentur a Dionysio Halicarnass. *Antiq.* lib. II. Ita vero etiam Herodotus in *Urania* narrat, tres fratres a Timeno oriundos, Gavanum, Æropum & Perdiccam, ex Argo in Macedoniam transfugisse, ubi ἐθήτευον ἐπὶ μισθῷ apud regem; ac primum equos pavisse, secundum boves, tertium minores pecudes.

EVERARDI FEITHII
ANTIQUITATUM HOMERICARUM
LIBER III.

CAP. I.
DE CIBO VETERUM GRÆCORUM.



SUPERIORI Libro ea quæ magis publica sunt tractavimus, privata deinceps persequamur: & in iis primo victum ac amictum. Victus ab Aristotele lib. III. *Ethic.* cap. X. in humidum & siccum distinguitur, nempe cibum & potum; quomodo & Homerus sæpe describit,

Αὐτὰρ ἐπεὶ πόσιος καὶ ἐδητύος ἐξ ἔρον ἕντο.

D In cibo primum locum tenet panis, σῖτος Homero; usque adeo ut pro quovis edulio usurpetur, quemadmodum apud Hebræos לחם. Constabat e tritico vel hordeo; hæc enim duo frumenti genera apud Homerum usitata. Ita quoque Herodotus in *Euterpe*: Ἀπὸ πυρέων καὶ κριθέων ὧ ἄλλοι ζώουσι, Αἰγυπτίων δὲ τῷ ποιευμένῳ ἀπὸ τούτων τὴν ζωὴν ὄνειδος μέγιστόν ἐστι, ἀλλ' ἀπὸ ὀλυρέων ποιεῦνται σιτία, τὰς ζέας μετεξέτεροι καλέουσι. Solebant autem panes ferre in canistris, quos κανέους Homerus appellat, *Odys.* I.

Σῖτον δὲ δμῶες παρενήνεον ἐν κανέοισι.

Sic apud Theocritum *Parvo Hercule*:

—— ἐν κανέῳ μέγας ἄρτος
Δωρικός. ——

Similiter Virgilius *Æneid.* I. vers. 705.

Cere-

—— *Cereremque canistris*
Expediunt.

Donatus: *Mos enim fertur apud Veteres fuisse, ut panis non argenteis vasculis inferretur, sed canistris, hoc est, sportulis factis ex vimine*.

Accedebant carnes; & quidem boum præcipue, ovium, caprarum, suum. Hoc enim Homericis Heroibus duntaxat in usu; & quidem assa, ὀπτά. Athenæus *lib*. I. Παρετίθεντο δὲ οἱ μὲν ἄρτοι σὺν τοῖς κανοῖς, τὰ δὲ δεῖπνα κρέα μόνον καὶ ὀπτά. ζωμὸν δὲ οὐκ ἐποίει Ὅμηρος, θύων βοῦς οὐδ' ἧψε κρέα, οὐδ' ἐγκέφαλον, ὤπτα δὲ τὰς κοιλίας. Οὕτω σφόδρα καὶ ἀρχαῖος, Ἀντιφάνης φησί. Hinc Servius *ad* I. *Æneid. Heroicis temporibus non vescebantur carne elixa*. Unde & Varronem ait scripsisse, Romanis primum in usu fuisse assa, secundo elixa, tertio jurulenta. At enim elixæ quoque carnis antiquioribus temporibus aliquem usum fuisse, ex Homero notat ipse Athenæus; Ὅτι δὲ καὶ ἑφθοῖς ἐχρῶντο κρέασιν, ἐμφανίζει ἐν οἷς λέγει,

—— Ὡς δὲ λέβης ζεῖ
Κνίσσῃ μελδόμενος ἁπαλοτρεφέος σιάλοιο.

Eoque refert quod pes bubulus in Ulyssem conjectus sit; πόδα γὰρ βόειον οὐδεὶς ὀπτᾷ.

Erant vero animalia illa ad victum apta provectioris ætatis. Huc pertinere dicit idem Athenæus, quod apud Homerum Priamus objiciat criminis loco filiis, quod sint ἀρνῶν ἠδ' ἐρίφων ἐπιδήμιοι ἁρπακτῆρες. *hædorum ac agnorum tenerorum raptores*. Sobolis conservandæ gratia hoc factum, quo nomine etiam apud Athenienses vetitum fuisse scribit Philochorus, ne quis intonsum agnum comesset, ἀπέχεσθαι ἀρνὸς μηδένα γεύσασθαι, ἐπιλοιπούσης ποτὲ τῆς τῶν ζώων τούτων γενέσεως. Cui affinis ea lex, quam Imp. Valens per Orientem dederat, *Ne quis vitulorum carnibus vesceretur*, utilitati agriculturæ providens, ut ait Hieronymus lib. II. *adversf. Jovian*.

Cæterum feras quoque nonnunquam ab Heroibus manducatas constat ex frequenti venatione, uti *Odyss*. IX. capræ sylvestres captæ in cibum, *lib*. XI. cervus, & id genus alia animalia. Sic vero aves quoque eos consuevisse captare liquet ex *Iliad*. XXIII. quo loco columbam e malo navis suspensam sagittis petunt. Idem de piscibus factum constat, ex eo quod socii Ulyssis dicuntur piscati, *Odyss*. XII. Quod arte diu consueta factitasse illos censet Athenæus. At Plutarchus in *Symposiacis* extrema fame coactos censet ad piscandum se contulisse; cum illis temporibus mortales piscibus abstinerent, quod ad gulæ voluptatem faciant. Heroibus utique nullibi pisces videmus appositos; etsi ad Hellespontum, quem ἰχθυόεντα, *piscosum*, Homerus vocat, castra haberent. Quod etiam observavit Plato lib. III. *de Repub*. Ἐπὶ στρατιᾶς ἐν ταῖς τῶν Ἡρώων ἑστιάσεσιν, οὔτε ἰχθύσιν αὐτοὺς ἑστιᾷ, καὶ ταῦτα ἐπὶ θαλάττῃ ἐν Ἑλλησπόντῳ ὄντας, οὔτε ἑφθοῖς κρέασιν, ἀλλὰ μόνον ὀπτοῖς.

Lactis usum Homerus peculiarem fuisse ait Hippomologis, quos ideo γαλακτοφάγους vocat, *Iliad*. XIII. Polyphemo quoque attribuit, *Odyss*. IX. simul cum caseo, quod similiter scribit de eadem Theocritus, *Idyll*. XI. Circe quoque caseum cum farina & melle exhibuit Ulyssi, sed vino mixtum, *Odyss*. X. qua ratione quoque compositum Nestoris cocetum, κυκεῶν, de quo *Iliados* lib. XI. Fructuum quoque & olerum Heroibus aliquem fuisse usum, liquet ex eo, quod Nestor jubet afferri in canistro κρόμυον ποτῷ ὄψον, ἠδὲ μέλι χλωρόν, *cæpe obsonium potioni, & mel recens*, *Iliad*. XI. Ulysses quoque ait data sibi puero a Laerte patre poma, *Od s*. XXIV. Hinc & in horto Alcinoi laudantur pira, mala, uvæ, porrum, & id genus alia, *Odyss*. VII. Et Tantalo apud inferos arbores multæ fructus ostentant, piri, mali punicæ, aliæque; ficus, oleæ, *Odyss*. XI. Quo argumento Athenæus *lib*. I. etiam ante Trojana tempora fructuum usum obtinuisse concludit. Usus pomorum maximus fuit in mensis, quas dicunt secundas. Unde Servius: *Duas habebant mensas, unam carnis, alteram pomorum*. Eas tamen Heroibus non apponit Homerus; etsi ab antiquissimis jam inde temporibus in usu fuisse contendat Athenæus *lib*. XIV.

Postremo salis quoque in omni cibatu permagnus fuit usus, quem ideo laudans alicubi Homerus θεῖον *divinum* vocat; Plato vero in *Timæo* θεοφιλές. Notavit hoc Plutarchus *Problem. Symp*. lib. V. cap. IX. Ubi multus in illius commendatione; aitque condimentum esse condimentorum, nec cedere luci, aquæ, terræ utilitate. Itaque apud vetustissimos Græcos cum mensa semper sal conjunctum; ut liquet proverbio, ἅλα καὶ τράπεζαν μὴ παραβαίνειν. Et tenuiores homines dicti ἅλα λείχειν *salem lingere*, seu, ut loquitur Persius *Sat*. V. vers. 138.

—— *digito terebrare salinum*.

At singulare est, quod Homerus quosdam refert Græciæ populos, qui οὐδὲ θ' ἅλεσσι μεμιγμένον εἶδαρ ἔδουσι, quos Pausanias vult fuisse Epirotas, qui rudiores ea ætate, orare perinde ac sal ignorabant.

CAP. II.

DE POTU.

Potus omnium primus aqua, quam omnibus animantibus communem suffecit natura. Itaque *Iliad*. II. Trojani dicuntur πίνοντες ὕδωρ μέλαν Αἰσήποιο. Pindarus quoque de urbe patria Thebarum, τᾶς ἐρατεινὸν πίομαι, *Olymp*. VI. Idemque ὕδωρ ἄριστον pronunciat omnium optimam aquam *ode* I.

Accessit hominum industria vinum; cujus in potione usus maximus apud Homerum; cui passim σῖτος καὶ οἶνος conjunguntur. Τὸ γὰρ μένος ἐστὶ καὶ ἀλκή inquit Ulysses, utriusque necessitatem in vita collaudans, *Iliad*. XIX. Nec viri modo, sed & fœminæ etiam juvenculæ usæ vino, ut apparet ex Nausicaa, ac sociis puellis, *Odyss*. VI. Præter morem utique Romanorum, ac aliorum populorum, apud quos nefas mulierem vinum gustare, quemadmodum testatur Athenæus *lib*. X. qui & Græcas mulieres temulentiæ accusat. Quinimo puerulis quoque vinum propinari solitum; uti Achilli a Phœnice, *Iliad*. IX. Quod non placet Platoni II. *de Leg*. Παῖδας μέχρι ἐτῶν ὀκτὼ καὶ δέκα οἴνου τὸ παράπαν μὴ γεύεσθαι, μετὰ δὲ, γεύεσθαι μὲν, μὴ μεθύσκεσθαι δέ.

In utre caprino moris plerumque fuit Græcis vinum habere, ἀσκῷ ἐν αἰγείῳ, *Iliad*. III. *Odyss*. VI & IX. Quod hodieque in Hispania aliisque finitimis regionibus usitatum. Alioquin & πίθοι dolia vini veteris in Ulyssis thalamo erant:

Ἐν δὲ πίθοι οἴνοιο παλαιοῦ ἡδυπότοιο
Ἕστασαν. ——

Odyss. II. Tale vinum Nestoreum undecim annorum, τὸ οἶνον ἡδυπότοιο τῷ ἐνδεκάτῳ ἐνιαυτῷ ᾦξε ταμίη, *Odyss*. III. In magno utique fuit pretio apud Græcos vini vetustas; uti constat etiam ex Pindaro, qui laudat παλαιὸν μὲν οἶνον ἄνθεα δ' ὕμνων νεωτέρων. Et Athenæus *lib*. I. ait, vinum vetus non ad voluptatem modo, sed ad sanitatem quoque conferre. Potissimum vero niger color in vino celebratur ab Homero, qui passim αἴθοπα οἶνον laudat. Δυναμικώτερος γάρ ἐστι καὶ μένων ἐν ταῖς ἕξεσι τῶν πινόντων πλεῖστον χρόνον, ait Athenæus. Ejus generis est vinum Maroneum, quod supra alia effert Homerus, & ἡδὺν, ἀκηράσιον, θεῖον ποτὸν dicit, cujus unum poculum aquæ viginti temperabatur mensuris, *Odyss*. IX Meminit Plinius, & sua etiam ætate nobile fuisse asserit, *lib*. XIV. *cap*. IV Pramnium quoque Poeta col-

laudat, quod idem Auctor nasci regione Smyrnæ juxta delubrum Matris Deum refert, ita ut ejus honos tum quoque duraret.

Solebant vero plerumque vinum aqua in cratere temperare; uti videre est *Odyſ.* I.

Οἱ μὲν ἄρ' οἶνον ἔμισγον ἐνὶ κρητῆρσι καὶ ὕδωρ.

Hinc utique hæc vaſa appellata παρὰ τὸ κεράσασθαι *a miſcendo*; quam notationem ipſemet Homerus ſæpe indicat, & confirmat Athenæus *lib.* V. Οἱ δὲ κρατῆρες αὐτοῖς, ὥσπερ ἔχει καὶ τοὔνομα, κεκραμένοι παρέστησαν. Hos crateras vino coronabant; unde ἐπιστεφέας οἴνοιο vocat Poeta *Iliad.* VIII. & *Odyſ.* VII. & ſæpe:

Κοῦροι μὲν κρητῆρας ἐπεστέψαντο ποτοῖο.

Sic apud Virgilium *Æneid.* III. verſ. 525. Anchiſes

—— *magnum cratera corona*
Induit, implevitque mero. ——

Nempe ita ad marginem uſque replebant, ut coronam præ ſe ferrent; quemadmodum interpretatur Athenæus *lib.* I. Ἐπιστέφονται δὲ ποτοῖο οἱ κρατῆρες ἤτοι ὑπερχειλεῖς οἱ κρατῆρες ποιοῦνται, ὥστε διὰ τοῦ ποτοῦ ἐπιστεφανοῦσθαι. Additque hoc bonæ ſcævæ cauſa ab Heroibus factum, καὶ ταῦτα ἔπρασσον πρὸς οἰωνοῦ τιθέμενοι.

E crateribus vinum in pocula a ſingulis ebibendum effundebatur, *Odyſ.* IX.

—— μέθυ δ' ἐκ κρητῆρος ἀφύσσων
Οἰνοχόος φορέησι καὶ ἐγχείη δεπάεσσι. ——

Erant autem varia, tum materia, tum forma, de qua accurate tractat Athenæus *lib.* XI. Ait autem priſcos mortales boum cornibus bibiſſe, unde & Bacchus κερατοφυὴς pictus, & κρατὴρ cenſetur multis dictus, quaſi κερατὴρ. Exempla apud vetuſtiſſimos Scriptores extant hujus moris quamplurima. Poſtea aurum & argentum in hunc uſum fuit apparatum; ut apud Homerum paſſim apparet in conviviis Heroum. Serius tamen in Græcia obtinuiſſe auctor eſt Anaximenes Lampſacenus in primis *hiſtoriis*, ubi Eriphylis aureum monile tradit ideo fuiſſe celebre, quia tum auri magna foret apud Græcos penuria. Quin & argenteum poculum illa ætate non ſine admiratione velut novum & inſolens viſum fuiſſe; at poſtquam Bœoti Delphos occuparunt, illa omnia tum abundaſſe, & antea vero qui credebantur ditiſſimi, poculis æneis bibiſſe, quorum loculos χαλκοθήκας vocabant. Solebant autem pocula ſua variis emblematis diſtinguere ac exornare; cujus exemplum in Neſtoris illo ciſſybio, *Iliad.* XI. Sic Herodotus Heracleotes Atreo ſcribit, fuiſſe phialam auream, in cujus medio aurea agni imaguncula. Notum quoque illud Daphnidis Caprarii ciſſybium, multis imaginibus inſigne apud Theocritum, *Idyl.* I. & quod Anacreon deſcribit ποτήριον ἀργυροῦν.

Cæterum erant Heroum pocula ampliora, ut illud Neſtoris, quod vix ac ne vix quidem juvenis ſuſtinebat; illud item, quo ter exhauſto obrutus immanis Cyclops docet. Quoties vero genio indulgebant, majora pocula, eaque meracius miſta, flagitabant. Factum ab Achille, cum exciperet legatos, *Iliad.* IX.

Μείζονα δὴ κρητῆρα Μενοιτίου υἱὲ καθίστα,
Ζωρότερον δὲ κέραιρε. δέπας δ' ἔντυνον ἑκάστῳ.

Poſteriores Græci hoc vocarunt τὴν μείζονα αἰτεῖν. Alexis: Κυάθους προπίνων ἴσον ἴσῳ, πάλιν τὴν μείζον' ᾔτει. Quo pertinet illud Ciceronis *in Verrem: Fit ſermo inter eos & invitatio, ut Græco more biberetur; poſcunt majoribus poculis.* Quinimo & mero utebantur, nulla admiſta aqua. Sophilus apud Athenæum *lib.* X. Συνεχὴς ἄκρατος ἐδίδοτο ἴσον ἴσῳ, πάλιν τὴν μείζον' ᾔτησεν. Et non deſunt, qui ζωρότερον illud Achilleum ἄκρατον interpretati ſint, ut idem ſcriptor docet. Profecto vino impenſius indulſiſſe etiam priſcos illos Heroas, non uno Homeri loco patet; etſi ebrietatis crimen idem habuere probroſum.

CAP. III.

DE TEMPORE VICTITANDI.

VARIA fuit ac multiplex τροφῆς ratio apud priſcos Homeri Heróas. Etenim ſæpius de die ſoliti victitare. Homerus quidem commemorat ἄριστον, δεῖπνον, δόρπον, quibus totidem ſignificantur cibationes, mane, meridie, veſperi factæ. Ἄριστον μέν ἐστι τὸ ὑπὸ τὴν ἕω λαμβανόμενον· δεῖπνον δὲ μεσημβρινὸν, ὃ ἡμεῖς ἄριστον· δόρπον δὲ τὸ ἑσπερινὸν, ait Athenæus *lib.* I. Atque ita digeſſiſſe videtur Æſchylus, cum ait: σῖτον δ' εἰδέναι διώρισα Ἄριστα, δεῖπνα, δόρπα θ' αἱρεῖσθαι τρίτα. Non defuerunt, qui quartum etiam adjicerent, pomeridiano tempore ſumptum, quod ἑσπέρισμα dixit Philemon, *merendam* Latini. Et quidem nixi loco illo Homeri *Odyſ.* II. Σὺ δ' ἔρχεο δειελιήσας. Sed rectius Athenæo *lib.* V. illi cenſentur errare, οὐ νοοῦντες, inquit, ὅτι λέγει τὸ δειλινὸν διατρίψας χρόνον: ut ſenſus ſit, non *ubi merendaveris*, ſed *ubi ad ſolis occaſum commoratus fueris.*

Cæterum obſervat idem Auctor, nullum oſtendi apud Homerum, qui ſimul eodem die ter cibum ſumpſerit; Ὅμως δὲ οὐδεὶς δείξει παρὰ τῷ ποιητῇ τρίς τινα λαμβάνοντα τροφάς. Diverſis tantum temporibus a viris diverſis factum apparet. Ac in bello ſæpe tantum fuit δεῖπνον ac δόρπον; ante pugnam mane, & poſt noctu, ita ut tota die dimicarent. Sic *Iliad.* II. Agamemnon Græcos ad prælium excitans:

Νῦν δ' ἔρχεσθ' ἐπὶ δεῖπνον, ἵνα ξυνάγωμεν Ἄρηα,
Ὥς κε πανημέριοι στυγερῷ κρινώμεθ' Ἄρηϊ.

Nocte vero adventante prælium direptum. Simili modo Hector ſuos veſperi a pugna jubet cibum ſumere:

—— νῦν μὲν πειθώμεθα νυκτὶ μελαίνῃ,
Δόρπα τ' ἐφοπλισόμεσθα. ——

Iliad. VIII.

Verum enim vero parcus ac exiguus erat apud Græcos antiquitus de die victus: pleriſque contentis pane mero intincto, ut eſt apud Plutarchum *Sympoſ.* VIII. Φασὶ γὰρ ἐκείνους ἐργατικοὺς ἅμα καὶ σώφρονας ὄντας ἕωθεν ἐσθίειν ἄρτον ἐν ἀκράτῳ, καὶ μηδὲν ἄλλο· διὰ τοῦτο μὲν ἀκρατισμὸν καλεῖν, διὰ τὸ ἄκρατον. Alii olivis, melle, atque id genus aliis rebus uſi in prandium, teſte Galeno lib. VI. *de tuenda valetud.* Ut inde promanarit proverbium Græcis uſitatum, δεῖπνον ἀφελὲς, ἄριστον ἄπυρον. Sic & Romanos victitaſſe docet Plinius *Epiſt.* lib. III. *Poſt cibum, quem interdiu levem & facilem Veterum more ſumebat.* Et Cicero V. *Tuſcul. Non placet bis in die ſaturum fieri.* Plutarchus vero affirmat lib. VIII. *Sympoſ.* parce veteres Romanos καθ' ἑαυτοὺς pranſos, cœnas vero large conviviis adhibitis iniviſſe. Καθ' ἑαυτοὺς γὰρ ἀρίστων ἐπιεικῶς οἱ πάλαι Ῥωμαῖοι, συνδειπνοῦντες τοῖς φίλοις. unde & cœna quaſi κοινὴ dicta, διὰ τὴν κοινωνίαν, *ob communionem* veſcentium, ut interpretatur Iſidorus *lib.* XX. *cap.* II. Atque hunc in modum priſcos Græcos convivia agitaſſe potiſſimum veſperi, ex ipſo etiam Homero liquet; unde δεῖπνα poſtea convivia dicta, quaſi διαπεπονημένα, *laborioſa.*

C A P. IV.

DE CONVIVIIS.

IN conviviis prisci Græci non minimam beatitudinis partem posuerunt: quod infinitis locis demonstrat Homerus; peculiariter initio IX. *Odyss.* ubi Ulysses apud Phæaces epulatus, nihil ait sibi pulcrius videri aut gratius, quam ad mensam vino ac dapibus onustam convivari;

Τῦτόν τι μοι κάλλισον ἐνὶ φρεσὶν εἴδεται εἶναι.

Trium generum convivia ad Homero proponuntur Veteribus usitata. *Odyss.* I. ubi Minerva veniens in ædes Ulyssis, quas proci epulantes occupabant, quærit:

Τίς δαίς; τίς δὲ ὅμιλος ὅδ᾽ ἔπλετο; τίπτε δέ σε χρεώ;
Εἰλαπίν᾽, ἠὲ γάμος, ἐπεὶ ἐκ ἔρανος τάδε γ᾽ ἐςίν.

Quod ipsum repetitur *Odyss* XI. ubi Agamemnon narrat, socios suos mactatos fuisse, perinde ac sues solent in viri ditis,

Η γάμῳ, ἢ ἐράνῳ, ἢ εἰλαπίνῃ τεθαλυίῃ.

Ac *ἔρανος* quidem Scholiastæ dicitur *τὸ ἐκ συμβολῆς δεῖπνον*, cœna quæ fiebat a symbolarum collatoribus, ut loquitur Plautus; quum convivæ viritim aliquid in eam parandam expenderunt. Athenæus *lib.* VIII. *Ερανοι δέ εἰσιν αἱ ἀπὸ τῶν συμβαλλομένων εἰσαγωγαί, ἀπὸ τῦ συνερᾶν καὶ συμφέρειν ἕκαςον.* Fuit autem tenue ac parcum hoc convivii genus; ut vel ex eo constat, quod Pallas, visa lautitia ac apparatu procorum, colligit non esse *ἔρανον*. Et Aristoteles *Ethic.* lib. IV. cap. VI. hominis nimium magnifici exemplum ponit, *οἷον ἐρανιςὰς γαμικῶς ἑςιῶν*, qui ex collatitiis convivas nuptiali ritu tractet. Ergo reliqua duo erant *πολυτελῆ* magisque sumptuosa, unius hominis facta expensa; & vel fiebant ob nuptias, vel alia quavis de re. Illud *γάμον* Homerus, hoc *εἰλαπίνην* vocat. Eoque referendus *τάφος*, de quo supra.

Præcipua conviviorum caussa antiquitus fuit Religio, uti docet Athenæus *lib.* V. *Πᾶσα δὲ συμποσίου συναγωγὴ παρὰ τοῖς ἀρχαίοις τὴν αἰτίαν εἰς θεὸν ἀνέφερε. καὶ ςεφάνοις ἐχρῶντο τοῖς οἰκείοις τῶν θεῶν, καὶ ὕμνοις καὶ ᾠδαῖς.* Inde est, quod nullum apud Homerum extat convivium, in quo non Diis fiunt sacra. Si quod mactatur animal, ejus perpetuo conservatur aliqua pars Diis adolenda. Hinc ipsum *ἱερεῖον* dictum; qui mactant *ἱερεύειν*, trita apud Homerum & alios auctores phrasi. Omninoque quovis alio cibo observatum videmus apud Homerum, ut primitiæ Diis offerantur, *ἀπαρχὰς τῶν βρωμάτων νέμειν*, ait Athenæus *lib.* IV. Fecit hoc Ulysses cum sociis inclusus in Cyclopis spelunca:

Ενθα δὲ πῦρ καίοντες ἐθύσαμεν, ἠδὲ καὶ αὐτοὶ
Τυρῶν αἰνύμενοι φάγομεν. ——

Similiter observatum in potu, quo non usi, nisi Diis etiam libaretur. Idem videre est in Platonis *Symposio*; ubi convivæ libationibus ac honoribus solennibus Deos venerantur. Contra vero apud Epicurum Diis non libatur, nullæ offeruntur primitiæ, verum quod Simonides ait de muliere inhonesta, *ἄθυτα δ᾽ ἱερὰ πολλάκις κατεσθίει.* In sacro autem hoc officio hunc ordinem servabant, ut a Vesta inciperent; ut testatur Homerus in *Hymno*:

—— οὐ γὰρ ἄτερ σῦ
Εἰλαπίναι θνητοῖσιν, ἵν᾽ ἐ πρώτῃ πυμάτῃ τε
Εςίῃ ἀρχόμενος σπένδει μελιηδέα οἶνον.

Quo pertinet illud Aristophanis in *Vespis*:

—— ἀλλ᾽ ἵνα
Αφ᾽ Εςίας ἀρχόμενος ἐπιτρίψω τινά.

Caussam hujus ritus exponit Aristocritus *lib.* II. quod Jupiter victis Titanibus, ac regno pacate suscepto, optionem hanc Vestæ dederit petendi, quodquod vellet: illam vero postulasse virginitatem, & primitias omnium quæ sacrificarentur: *Καὶ μετὰ ταῦτα*, inquit, *ἔτω νενόμιςαι ἐν τοῖς ἱεροῖς, τὰς ἀπαρχὰς ἁπάντων τῶν θυομένων πρώτῃ δῦναι Εςίᾳ.*

Porro convivium præcipue exhibere solebant viri principes. Nestor id ab Agamemnone ex more & æquo fieri postulat, *Iliad.* IX.

Ατρείδη, σὺ μὲν ἄρχε, σὺ γὰρ βασιλεύτατός ἐσσι.
Δαίνυ δαῖτα γέρησιν· ἔοικέ τοι ὐδέ᾽ ἀεικές.

Sic Alcinous Phæacum rex optimatibus convivium parat, *Odyss.* VII. & seq. Telemachus etiam,

—— δαῖτας ἐίσας
Δαίνυται, ἃς ἐπέοικε δικασπόλον ἄνδρ᾽ ἀλεγύνειν.

Odyss. XI. Honori autem maximo ducebant hanc invitationem; ut liquet ex eo, quod præmii loco exploratori promittitur, *Iliad.* IX.

Αἰεὶ δ᾽ ἐν δαίτῃσι καὶ εἰλαπίνῃσι παρέςαι.

Numerus fuit indefinitus. Eustathius tamen antiquitus convivia non ex pluribus quam decem conviis constitisse tradit, *Iliad.* II. ubi Agamemnon in decurias vult disponi Achivos, & singulis assignari pocillatorem:

Ημεῖς δ᾽ εἰς δεκάδας διακοσμηθεῖμεν Αχαιοί,
Τρώων δ᾽ ἄνδρα ἕκαςον ἑλοίμεθα οἰνοχοεύειν.

Idem observatum a Pythagoreis narrat Jamblichus.

C A P. V.

DE RITIBUS CONVIVIORUM.

SEDENTES apud Homerum convivantur, *Εὐωχῦνται δὲ παρ᾽ Ομήρῳ καθήμενοι*, ait Athenæus *lib.* I. Sic *Iliad.* IX. Ulysses ac Diomedes *δείπνῳ ἐφιζανέτην*. & *Iliad.* XXIV. Achilles adveniente Priamo adsidebat mensæ, atque *ἐκ θρόνυ ὦρτο surrexit*. Nempe in eam rem erant paratæ sedes, quas *θρόνυς* & *κλισμὺς* Poeta vocat, *Odyss.* IX.

Εξείης ἕζοντο κατὰ κλισμύς τε θρόνυς τε.

Est autem *θρόνος* Athenæo *lib.* IX. *μόνον ἐλευθέριος καθέδρα σὺν ὑποποδίῳ*, cum pedum fulcro, quod *θρῆνυν* Homerus vocat, ut videre est *Iliad.* XIV. ubi Juno pollicetur Somno

Θρόνον χρύσεον· ὑπὸ δὲ θρῆνυν ποσὶν ἥσει,
Τῷ κεν ἐπισχοίης λιπαρὺς πόδας εἰλαπινάζων.

Et *Odyss.* IX. Circe Ulyssem collocavit

—— ἐπὶ θρόνυ ἀργυροήλυ
Καλῦ, δαιδαλέυ, ὑπὸ δὲ θρῆνυν ποσὶν ἦεν

Sic & Telemachus *Odyss.* I. Minervam adventantem,

—— ἐς θρόνον εἷσεν ἄγων, ὑπὸ λῖτα πετάσσας
Καλὸν, δαιδάλεον, ὑπὸ δὲ θρῆνυς ποσὶν ἦεν.

Ubi & stragulum sedi injectum. Ipse vero sibi posuit *κλισμὸν* minorem, qui *περιττοτέρως κεκόσμηται ἀνακλίσει*, in quem recumbimus, ait Athenæus. At vero Ulyssi vilissimum sedile *δίφρος* positum cum exigua mensa; scamnum utique aliquod iners alibi in *Odyss.* Sed enim Alexander Magnus aliquando quadringentos duces convivio excipiens, *ἐκάθισεν ἐπὶ δίφρων ἀργυρῶν καὶ κλιντήρων ἁλυργοῖς περιεςρώσας ἱματίοις*, ut memoriæ prodidit Duris. Primus utique & maxime antiquus sedendi hic ritus, vel testimonio Philonis libr. *de Josepho*: *Εξῆς δὲ προςτάξαντες κατὰ τὰς ἡλικίας καθίζεσθαι. μήπω γὰρ ἀνθρώπων ἐν ταῖς*

συμποτικαῖς συνουσίαις κατακλίσει χρωμένων. Priscos quoque Romanos sedisse, non accubuisse inter epulandum, testis Servius *in* VIII. *Æneid.* & Isidor. *lib.* XX. *cap.* II.

Situs autem differentia non potest certo apud Homerum indicari. Nisi quod *Iliad.* X. Achille cum legatis epulante, ex adverso ei consedit Ulysses: & cum Priamus eum accederet in tentorio, socii loco nonnihil remoto considebant, *Iliad.* XXIV. Alioqui certum est, honorem aliquem in sessione apud Heroas positum, quam ἕδρην Poeta vocat:

Ἕδρῃ τε κρέασίν τε ἰδὲ πλείοις δεπάεσσι.

Προεδρίαν interpretatur Eustathius. Et Plutarchus lib. I. *Sympos.* cap. III. apud Græcos ait honestissimum locum esse primum; cum Persis sit medius. At apud Indos nihil tale observari scribit Philostratus, unoquoque accumbente, prout advenit.

Sedentibus convivis, ancilla aquam ex gutto affundebat super lebete, ad lavandas manus; uti factum Minervæ, *Odyss.* I.

Χέρνιβα δ' ἀμφίπολος προχόῳ ἐπέχευε φέρουσα
Καλῇ, χρυσείῃ, ὑπὲρ ἀργυρέοιο λέβητος
Νίψασθαι. ——

Quod *Odyss.* IV. etiam obtigit Telemacho. Sic apud Virgilium *Æneid.* I. vers. 705.

Dant famuli manibus lymphas. ——

Plautus in *Persa*:

Date aquam manibus; apponite mensam.

Cicero II. *de Orat. Illud egregium Sextii: manus lava & cœna.*

Mensa deinde apponebatur cuique convivæ; uti locis supra dictis subjungitur,

—— παρὰ δὲ ξεστὴν ἐτάνυσσε τράπεζαν.

Oblongam fuisse inde patet; ita quoque censente Eustathio: Ἐμφαίνει μήπω κυκλοτερεῖς εἶναι τὰς τραπέζας, ἀλλὰ τετανυσμένας εἰς μῆκος. Initio tamen rotunda forma constructas fuisse mensas, mundanæ figuræ exemplo, contendit Myrleanus apud Athenæum *lib.* XI. Διὸ τὴν τράπεζαν κυκλοτερῆ κατεσκευάσαντο, πειθόμενοι τὸν κόσμον εἶναι κυκλοτερῆ. Ex ligno constabant, ut ferri possent; & quidem polito, unde τράπεζα ξεστὴ εὔξοος dicta, *lævigata.* Non artificis modo dolabra, sed spongiæ assidua perfrictione hoc fiebat. *Odyss.* I.

Οἱ δ' αὖτε σπόγγοισι πολυτρήτοισι τραπέζας
Νίζον καὶ προτίθεντο, ἰδὲ κρέα πολλὰ δατεῦντο.

Jubet id ipsum ancillas facere Euryclea, instructura domum adventui procorum:

—— ἐν δ' ὁρόνοισι εὐποιήτοισι τάπητας
Βάλλετε πορφυρέους· αἱ δὲ σπόγγοισι τραπέζας
Πάσας ἀμφιμάσασθε. ——

Odyss. XX. Sic Arrianus Epictet. *lib.* VII. *cap.* XXVI. Ἆρον τὰς τραπέζας σπόγγισον. Martialis *lib.* XIV. *epigram.* CXLIV.

Hæc tibi sorte datur tergendis spongia mensis.

Hæc lintei præstabat vicem, quale nullum priscis Græcis ad sternendas mensas.

Convivarum cuique sua carnis portio æqua distribuebatur; Καὶ τῶν κρεῶν δὲ μοῖραι ἐνέμοντο, ait Athenæus. Unde δαῖτα vocat Homerus ἐΐσας, ἀπὸ τῆς ἰσότητος *ab æqualitate*, ut idem censet, καὶ ἀπὸ τοῦ δατεῖσθαι *a dividendo*, *lib.* I. Faciebat hoc δαιτρὸς seu δαιτύμων Homero dictus, ὁ διανέμων τὰ κρέα, ait Plutarchus in *Sympos.*

Πὰρ δὲ Βοηθοΐδης κρέα δαίετο καὶ νέμε μοίρας.

A *Odyss.* XV. & XX.

Μοίρας δασσάμενοι δαίνυντ' ἐρικυδέα δαῖτα.
Πὰρ δ' ἄρ' Ὀδυσσῆϊ μοῖραν θέσαν οἳ πονέοντο
Ἴσην, ὡς αὐτοί περ ἐλάγχανον. ——

At Achilles ipse carnes dividebat, *Iliad.* XXIV.

—— ἀτὰρ κρέα νεῖμαν Ἀχιλλεύς.

Et Eumæus *Odyss.* XIV.

Καὶ τὰ μὲν ἕπταχα πάντα διεμμοιρᾶτο δαΐζων.

Unam quidem portionem Nymphis, alteram Musis dedicavit, reliquas singulis convivis distribuit.

B At Ulyssi tergum suis dedit,

Νώτοισιν δ' Ὀδυσῆα διηνεκέεσσι γέραιρε.

Ita honoris causa etiam factum Ajaci reduci a pugna, *Iliad.* VII.

Νώτοισιν δ' Αἴαντα διηνεκέεσσι γέραιρε.

Sic apud Virgil. *Æneid.* VIII. vers. 182.

Vescitur Æneas simul & Trojana juventus
Perpetuo tergo bovis. ——

Simile quid a Gallis observatum scribit Diodorus Sicul. *lib.* V. Largiebatur quoque de sua portione

C quisque cui libitum esset Ἐδωροῦντο δὲ καὶ ἀπὸ τῶν αὐτῶν μοίρας, οἷς ἐβούλοντο, ait Athenæus *lib.* I. Ita Ulysses dat Demodoco cantori de tergo, quod sibi appositum fuerat, rescissam partem, *Odyss.* VIII.

Vinum singulis convivis affundebant pueri adstantes, Κοῦροι δὲ νέμουσι πᾶσιν ἐπαρξάμενοι δεπάεσσιν. Erant ii ingenui ac liberi, ut notat Athenæus *lib.* V. Δοῦλος οὐδεὶς ὑπὸ διακονήσων, ἀλλ' οἱ νέοι τῶν ἐλευθέρων ᾠνοχόουν. Qualis Menelai filius, licet sponsus, ipso nuptiarum die, *Odyss.* IV. Distribuebant etiam pocula ex æquo; ita tamen ut honoris ergo viris principibus majora ac pleniora darentur: quemadmodum idem Auctor observavit: Ἐξ ὧν οἱ κοῦροι δια-

D κονούμενοι τοῖς μὲν ἐντιμοτάτοις ἀεὶ πλῆρες παρεῖχον τὸ ποτήριον· τοῖς δὲ ἄλλοις ἐξ ἴσου διένεμον. Hoc argumento Agamemnon incitat Idomenea ad pugnam; quippe cum alii Achivi mensuram bibant δαιτρὸν πίνωσιν, illi

—— πλεῖον δέπας αἰεὶ
Ἑστήκ' ——
—— *plenum poculum semper adstat.*

Iliad. IV. Similiter *Iliad.* VIII. Diomedes stimulatur ad prælium,

Ἕδρῃ τε, κρέασίν τε, ἰδὲ πλείοις δεπάεσσι.

E *Iliad.* VIII. quod de Glauco & Sarpedone simili ratione repetitur, *lib.* XII.

Porro invitabant quoque sese ad bibendum poculo dextra tradito, quod δειδίσκεσθαι dicit Homerus. Sic Dii

—— χρυσείοις δεπάεσσι
Δειδέχατ' ἀλλήλους. ——

Iliad I. Hoc est, ἐδεξιοῦντο προπίνοντες ἑαυτοῖς ταῖς δεξιαῖς, ait Athenæus *lib.* V. Similiter *Iliad.* IX. Ulysses πλησάμενος δ' οἴνοιο δέπας δείδεκτ' Ἀχιλῆα. Id est, ἐδεξιοῦτο, ὅ ἐστιν προπίνων τῇ δεξιᾷ διδοὺς τὸ ποτήριον, *propinans poculum dextra obtulit.* Sed *l.*

F XI4. clarius rem exponit Athenæus, πληροῦντες γὰρ προσέπινον ἀλλήλοις μετὰ προσαγορεύσεως; idque exemplo Alexandri docet, qui αἰτήσας ποτὲ ποτήριον δίχουν καὶ πιὼν προὔπιε τῷ Πρωτέᾳ. Ut proinde propinantes prægustatum leviter poculum sibi mutuo porrigerent: quo pertinet illud Plauti *Curculione* Act. II. Sc. III. vers. 80.

—— *propino magnum poculum, ille ebibit.*

Et Juvenal. *Sat.* V. lib. I. vers. 27.

—— quando propinat
Virro tibi, sumitque tuis contacta labellis
Pocula. ——

Cæterum propinatio hæc sæpius fiebat initio facto a dextra, quod ἐπιδέξια dixerunt. Pollux *lib.* II. Παρὰ Εὐπόλιδι προπόσεως σχῆμα (καλεῖται ἐπιδέξια) ὅταν ᾖ πίνωσι τὴν ἐπιδέξια. Exemplum aut vestigium potius, *Iliad.* I. Ubi Diis convivantibus Ganymedes

—— ἐνδέξια πᾶσιν
Ὠνοχόει. ——

Sic Critias *epigram. in Anacreontem.*

Παῖς διαπομπεύσῃ προπόσεις τ' ἐς δεξιὸν ὦμον.

Inter convivandum varia serebantur variis de rebus colloquia; etiam de rebus seriis, veluti *Iliad.* IX. ubi consilium habitum de re bellica. Quem morem Persis fuisse peculiarem scribit Herodotus, referente Athenæo *l.* IV. Et Ammianus Marcellinus *l.* XVIII. *Inter epulas de apparatu bellorum & seriis rebus apud Persas Grajorum more veterum consultari tradit.* Accedebant & alia ludicra, tesseræ, cantus, saltatio, aliaque id genus oblectamenta, de quibus suo loco.

Ubi jam satis epulati erant convivæ, discessionem petebant. Athenæus *lib.* V. Διδάσκει δὲ ἡμᾶς Ὅμηρος, ὅτι δεῖ τοὺς κεκλημένους ἐφ' ἑστίασιν παρακαλεῖν ἀπαυλίσασθαι τοὺς κεκληκότας. Ita compellat Telemachus Menelaum, *Odyss.* III.

Ἀλλ' ἄγετ' εἰς εὐνὴν τράπεθ' ἡμέας.

Minerva Nestorem κοίτοιο μεδώμεθα· τοῖο γὰρ ὥρη. Vult autem ante discessum linguas de more incidi ac Diis libari. Linguas quidem secare ac Diis adolere, consuetos fuisse potissimum eos, qui eloquentiæ studerent, sumpto ab Atticis ritu, tradit Scholiastes. Ideoque convenienter hic factum a Nestore disertissimo Græcorum. At libationes fiebant perpetuo a surgentibus convivis: præsertim vero Mercurio, uti Phæaces *Odys.* VII.

Ὧ πυμάτῳ σπένδεσκον ὅτε μνησαίατο κοίτου.

Meminit Athenæus *lib.* I. Ἔσπενδον δὲ ἀπὸ τῶν δείπνων ἀναλύοντες, καὶ τὰς σπονδὰς ἐποιοῦντο Ἑρμῇ, καὶ οὐχ ὡς ὕστερον Διὶ τελείῳ· δοκεῖ γὰρ Ἑρμῆς ὕπνου προστάτης εἶναι; *quoniam Mercurius somno præest.*

Solebant autem convivæ ante noctem fere discedere. Athenæus *lib.* V. οἱ δειπνήσαντες ἀπελύοντο φωτὸς ὄντος. Quod die festo præcipue obtinuisse docet Minerva, *Odys.* III.

Ἤδη γὰρ φάος οἴχεθ' ὑπὸ ζόφον, οὐδὲ ἔοικε
Δηθὰ θεῶν ἐν δαιτὶ θαασσέμεν, ἀλλὰ νέεσθαι.

Lege etiam cautum in quibusdam sacris Athenæus confirmat: Καὶ νῦν δὴ νόμος ἔκ θυσιῶν τινῶν, πρὸ ἡλίου δύνοντος ἀπιέναι. Idem de Domitiano scribit Suetonius: *Convivabatur frequenter ac large, sed pene raptim; certe non ultra solis occasum.* Aliquando tamen etiam in magnam noctis partem productæ commessationes, ut apud Phæaces *Odys.* VII. ubi aurei juvenes in suggestis stantes lucem convivis præferunt. Lucretius sub initium *lib.* II.

Si non aurea sunt juvenum simulacra per ædes,
Lampadas igniferas manibus retinentia dextris,
Lumina nocturnis epulis ut suppeditentur.

Similiter *Odys.* XVIII. Procis epulantibus prælucent tres lampades, quas alternatim famulæ ferebant. Et apud Virgil. *Æneid.* I. vers. 730. in Didonis convivio:

—— dependent lychni lanquearibus altis
Incensi, & noctem flammis funalia vincunt.

Cæterum convivis discedentibus removebantur mensæ. Athenæus *lib.* I. Μετὰ δὲ τὴν ἀναχώρησιν αἱ δμωαὶ ἀπὸ μὲν σῖτον πάλιν ᾖρον καὶ τράπεζαν καὶ δέπας. Unde de Achille adhuc manducante dicitur *Iliad.* XXIV. Ἔτι δὲ παρέκειτο τράπεζα, *adhuc apposita erat mensa.* Plautus in *Truculento* Act. II. Sc. vers. 12.

—— Cedo soleas mihi:
Properate, auferte mensam.

Et Virgilius *Æneid.* I. vers. 220.

Postquam epulis exempta fames, mensæque remotæ.

Si quid supererat cibi, ab ancilla penuaria recondebatur, ut si qui novus hospes advenerit, huic in promptu esset, quod daret; uti quoque notat Athenæus. Quod ita religiose observatum a Romanis scribit Plutarchus *Probl.* LXIV. ut nunquam mensam tollerent vacuam, αἰνιττόμενοι τὸ δεῖν τι τοῦ παρόντος ἐς τὸ μέλλον ἀπολιπεῖν, καὶ τὸ αὔριον ἐν τῇ σήμερον μνημονεύειν.

CAP. VI.

DE VESTIBUS.

A Victu transeamus ad amictum. Is aut promissior est ac amplior, ad totum corpus tegendum, aut brevior ac minor cooperiendis partibus quibusdam aptus. In priori genere principem obtinent locum χιτὼν ac χλαῖνα.

Χιτὼν vestis ea erat, quæ proxime corpori circumponebatur, τὸ προσεχῶς κεχυμένον τῇ σαρκὶ ἱμάτιον; unde & Athenæus ἐχέσαρκον dixit *lib.* XIII. ubi de Phryne loquens, ἐχέσαρκον γὰρ, ait, χιτώνιον ἠμπείχετο. Et clare liquet ita se habere ex eo, quod Ulisses *Odyss.* XIX. ait, se χιτῶνα sensisse circa corpus velut cæpe tunicam,

Τὸν δὲ χιτῶν' ἐνόησα περὶ χροῒ σιγαλόεντα,
Οἷόν τε κρομύοιο λοπὸν κάτα ἰσχαλέοιο.

Tunicam interiorem dixit Valerius Maximus. Ovidius *tunicam* simpliciter vocat lib. I. *Amor.* eleg. V.

Pugnabat tunica se tamen illa tegi.

Et lib. III. *Amor.* eleg. XIV.

Illic nec tunicam tibi sit posuisse pudori.

Nimirum, quia hæc corporis verenda tegit: quemadmodum etiam indicatur *Iliad.* II. Ubi Ulysses minatur Thersiti se detracturum,

Χλαῖνάν τ' ἠδὲ χιτῶνα, τά τ' αἰδῶ ἀμφικαλύπτει

Eoque pertinet, quod ait Herodotus in *Clio*: Ἅμα δὲ χιτῶνι ἐκδυομένῳ ἐκδύεται καὶ τὴν αἰδῶ γυνή, *cum tunica simul pudorem exuit mulier.*

Post χιτῶνα veniebat χλαῖνα, *lana* Latinis, si credimus Jubæ apud Plutarchum: Καὶ γὰρ ἃς ἐφόρουν οἱ βασιλεῖς λαίνας, Ἰόβας χλαίνας φησὶν εἶναι. Quod etiam censet Servius *in* IV. *Æneid.* Vestis erat crassior, proprie ad arcendum frigus comparata, χιτῶνος παχύτερον περίβλημα, ait Eustathius: unde Homerus χλαίνας ἀνεμοσκεπέας & ἀλεξανέμους vocat. Res manifesta est ex *Odyss.* XIV. ubi Ulysses subulco queritur, se unicum habere χιτῶνα, ac frigore hiberno premi, χλαίνης penuria:

—— ἀλλά με χεῖμα
Δάμναται, οὐ γὰρ ἔχω χλαῖναν. παρά μ' ἤπαφε δαίμων
Οἰοχίτων' ἔμεναι. ——

Unde διπλῆν *duplicem* sæpius Poeta vocat, ut *Iliad.* XI.

> Ἀμφὶ δ᾽ ἄρα χλαῖναν περονήσατο φοινικόεσσαν
> Διπλῆν, ἐκταδίην.

Et *Odyss.* XIX.

> Χλαῖναν πορφυρέην οὔλην ἔχε δῖος Ὀδυσσεὺς
> Διπλῆν, αὐτάρ οἱ περόνη χρυσοῖο τέτυκτο,

duplicatam, quæ aurea fibula adstringebatur. Quanquam & ἁπλοΐδας χλαίνας dicit *Iliad.* XXIII. simplici e licio constantes. Unde Pollux *lib.* VIII. *cap.* XIII. Εἰσὶ δὲ χλαῖναι, αἱ μὲν ἁπλοΐδες, αἱ δὲ διπλαῖ. Unde & sæpius deposita, remanente tunica interiore: sicuti Ulysses arcum intenturus,

> —— ἀπ᾽ ὤμοισιν χλαῖναν θέτο φοινικόεσσαν.

Odyss. XXI. & proci Penelopes intrantes domum *lib.* XVII.

Pro læna etiam fuit φᾶρος, quod ἱμάτιον interpretatur Scholiastes, *pallium* Latini Interpretes Sic Agamemnon, mane e lecto surgens, cum molliorem tunicam induisset,

> —— περὶ δ᾽ αὖ μέγα βάλλετο φᾶρος.

Iliad. II. Similiter Telemachus *Odys.* XV.

> —— χιτῶνα περὶ χροῒ σιγαλόεντα
> Δῦνεν, καὶ μέγα φᾶρος ἐπὶ στιβαροῖς βάλετ᾽ ὤμοις.

Calypso quoque *Odys.* V.

> Ἀργύφεον φᾶρος μέγα ἕννυτο.

uti Circe *lib.* X.

Sed mulieribus in hanc rem frequentius erant πέπλοι, ἔνδυμα γυναικεῖον, ait Hesychius, quod e subtili stamine confectum cæteris vestibus superinduebant; unde Achivæ mulieres εὔπεπλοι dictæ, *Iliad.* V. & Τρῳάδες passim ἑλκεσίπεπλοι, *longa peplorum syrmata trahentes*; quia promissi erant pepli. Sic *Iliad.* VI. in Helenæ thalamo erant

> —— πέπλοι παμποίκιλοι ἔργα γυναικῶν
> Σιδονίων. ——

E quibus unum Minervæ dedicat Theano. Minerva quoque *Iliad.* V.

> Πέπλον κατέχευεν ἑανὸν πατρὸς ἐπ᾽ οὔδει.

Venus suum obtendit Æneæ adversus tela. Eoque induta dicitur in *Hymno*:

> Πέπλον μὲν γὰρ ἕεστο φαεινότερον πυρὸς αὐγῆς,

splendidius igne. Sæpe etiam ἑανὸν lucidum simpliciter dictum, ut *Iliad.* XIV. de Junone,

> Ἀμφὶ δ᾽ ἄρ᾽ ἀμβρόσιον ἑανὸν ἕσαθ᾽.

Quanquam nonnulli apud Pollucem distinguant variegationes, quæ sæpius in peplis.

Conjungantur & ζῶστρα cum peplis, *Odyss.* VII. ubi Nausicaa it lavatum

> Ζῶστρά τε δὲ πέπλους καὶ ῥήγεα σιγαλόεντα.

vestes nempe ad cingendum comparatas; fortean χιτῶνας & similes promissi amictus, qui ζώνῃ *cingulo* solebant adstringi. Ita Calypso post sumptum φᾶρος, περὶ δὲ ζώνην βάλετ᾽ ἰξυῖ καλὴν, χρυσείην. *Odys.* V. Imo quoque se vestiens Ζώσατο δὲ ζώνην ἑκατὸν θυσάνοις ἀραρυῖαν, *accepit zonam fimbriis aptatam*, *Iliad.* XIV. Hæc zona παρθενικὴ, quam Tyro solvit Neptunus, *Odyss.* XI. & μίτρα παρθενικὴ apud Moschum, de Europa. Et sub zona gestare dictæ mulieres gravidæ, ut Venus in *Hymno*:

> Παῖδα δὲ ὑπὸ ζώνῃ ἐθέμην βροτῷ εὐνηθεῖσα.

Euripides in *Hecuba*:

> Τῶν ποτ᾽ ἔτεκον κάρφεων ζώνης ὕπο.

Deponebant cum parerent. Pindarus *Olymp.* VI. Ἁ δὲ φοινικόκροκον ζώναν καταθηκαμένα τίκτε θεόφρονα κοῦρον. Sic Apollonius II. *Argon.*

> —— ᾧ ἔπι μοῦνῳ
> Μίτρην πρῶτον ἔλυσα καὶ ὕστατον, ——

quem primum & ultimum peperi. Inde Pausanias in *Atticis* narrat, Latonam parturientem deposuisse zonam eo loco, qui postea Ζωστὴρ dictus.

Viri etiam cingebantur, præsertim in prælio; ut videre est de Agamemnone, *Iliad.* XI. Aut alioqui cum iter essent suscepturi; quomodo Eumæus, ζωστῆρι θοῶς συνέεργε χιτῶνα. Quem morem Orientalibus populis solennem esse, constat passim ex sacris.

CAP. VII.

DE INDUMENTO CAPITIS, PEDUM, ALIISQUE CORPORIS ORNAMENTIS.

Capitis virilis integumentum, quod *pileum* vocamus, nullibi extat apud Homerum. Galea tantum amicit, in cujus medio πῖλος. *Iliad.*

> —— μέσσῃ δ᾽ ἐνὶ πῖλος ἀρήρει.

Ubi intelliguntur coacta & impilia, quæ *peltra* vulgo dicimus, quibus interior galeæ pars obiri solet, ne capiti sit gravior. Hesiodus vero Ἔργοις vult agricolam pileo caput muniri, ne madefiat hyberna pluvia: Κεφαλῆφι δ᾽ ὕπερθεν πῖλον ἔχειν ἀσκητὸν, ἵν᾽ οὔατα μὴ καταδεύῃ. Qua ratione & Ulyssis pater ruri habebat αἰγείην κυνέην, *caprinam veluti galeam*, *Odys.* XXIV. quæ Thessalis usitata; unde Sophocles in *Oedipode Coloneo*, ἡλιοστερὴς κυνῆ Θεσσαλίς celebrat. Et Philostratus narrat, Indis esse κυνῆν ὁπότε ὕοι *cum pluit*. Sed enim in more fuit Veteribus, pingere Ulyssem cum pileo; teste Plinio *lib.* XXXV. *cap.* X. ejusque rei monumentum extat apud Ursinum in *antiquo denario*. Et Cato apud Plutarchum ait, Polybium veluti Ulyssem voluisse denuo in Cyclopis antrum ingredi τὸ πιλίον ἐκεῖ καὶ τὴν ζώνην ἐπιλελησμένον. Cæteroquin prisci Græci magna ex parte capite erant nudo; quod Ægyptiis perpetuum fuisse scribit Herodotus in *Thalia*; & apud Romanos a multis factum, constat exemplo Cæsaris & aliorum.

At mulieres passim habebant capitis tegumentum. Καλύπτραν Poeta appellat, loquens de Calypso & Circe:

> Κεφαλῇ δ᾽ ἐπέθηκε καλύπτρην.

Sic Hesiodus in *Theogonia*:

> —— κατὰ κρῆθεν δὲ καλύπτρην
> Δαιδαλέην χείρεσσι κατέσχεθε. ——

Et apud Plutarchum Hellanius, mulier ἀπάγουσα θάτερον μέρος τοῦ προσώπου τῆς καλύπτρας. Accedebant & alia capitis ornamenta, quæ complectitur Homerus his verbis, *Iliad.* XXII. ubi de luctu Andromaches loquitur.

> Τῆλε δ᾽ ἀπὸ κρατὸς χέε δέσματα σιγαλόεντα,
> Ἄμπυκα, κεκρύφαλόν τ᾽ ἠδὲ πλεκτὴν ἀναδέσμην,
> Κρήδεμνόν θ᾽ ὅ ῥά οἱ δῶκε χρυσῆ Ἀφροδίτη.

Primum ponitur ἄμπυξ, quem Scholiastes vetus interpretatur κόσμον τινὰ περὶ τὴν κεφαλὴν ἀνέχοντα τὰς τρίχας τῆς κεφαλῆς. Unde & Pausanias dici censet apud Eustathium διὰ τὸ ἀμπέχειν τὰς τρίχας, *quod crines retineat*. Ipse vero ait fuisse διαδήματι πρὸς αἰσθησιν τριχῶν, ἃς περιστέλλει. τοὺς γὰρ παλαιοὺς ὑπότευ

ἤγον, fasciam nempe quandam sub qua capilli erant colligati. A Περικεφαλαίαν Scholiastes Theocriti interpretatur, *Idyl.* I. ubi γυνὴ, ἀσκητὰ πέπλῳ τε καὶ ἄμπυκι. Κεκρύφαλον vero Scholiastes ait, non κροκύφαντον, qui alias dicitur reticulum forte, quo plexa coma distringitur, ne diffluat. Denique κρήδεμνον, vitta, velamen capitis, quod ad humeros usque dimittebatur, ut tradit Eustathius *ad Odyss.* I. ubi Penelope, ἄντα παρειάων σχομένη λιπαρὰ κρήδεμνα. Sic Juno *Iliad* XIV.

Κρηδέμνῳ δ' ἐφύπερθε καλύψατο δῖα θεάων.

Tale quid etiam ὀθόνη fuit, qua velata Helena, cum egrederetur ad videndum prælium, *Iliad.* III. B

—— ἀργεννῇσι καλυψαμένη ὀθόνῃσι.

Mos hic gentibus illius tractus jam inde ab antiquissimis temporibus, ut non nisi velatæ egrederentur ac prodirent mulieres.

Auribus imponi solita a mulieribus ἕρματα *inaures*. *Iliad.* XIV. de Junone,

Ἐν δ' ἄρα ἕρματα ἧκεν ἐϋτρήτοισι λοβοῖσι,
Τρίγληνα μορόεντα. ——

Eustathius, τὰ τοῖς ὠτίοις ἐνειρόμενα κόσμια. Sic *Odyss.* XVIII. inter alia procorum dona, C

Ἕρματα δ' Εὐρυδάμαντι δύω θεράποντες ἔνεικαν.

Eis similes ἕλικες *volvulæ*, Eustathio ψέλλια, ἢ ὅ, τε καὶ ἐνώτια. Venus in *Hymno*:

Εἶχε δ' ἐπιγναμπτὰς ἕλικας, κάλυκάς τε φαεινάς.

Sic in ornatu mulierum *Iliad.* XVIII. ponit Homerus,

Πόρπας τε γναμπτάς θ' ἕλικας, κάλυκάς τε καὶ ὅρμους.

Κάλυκας ait Eustathius nonnullis esse aureos tubulos, quibus cincinni redimiebantur. Ita quoque D Hesychio κάλυξ, χρυσῆ σύριγξ, ἥτις τοὺς πλοκαμοὺς συνέχουσα. At ὅρμος monile est, collo injectum, περιτραχήλιος κόσμος. Ut in Veneris ornatu, in *Hymno*,

Ὅρμοι δ' ἀμφ' ἁπαλῇ δειρῇ περικαλλέες ἦσαν,
Καλοὶ, χρύσειοι, παμποίκιλοι. ——

Similiter inter Penelopes dona,

Ὅρμον δ' Εὐρυμάχῳ πολυδαίδαλον αὐτίκ' ἔνεικε.
Χρύσεον, ἠλέκτροισιν ἐερμένον ἠέλιον ὥς,

Meminit Pausanias in *Bœoticis* extremis, & distinguit ὅρμους variegatos ab iis, qui erant simpliciter E facti ex auro, qualis ὅρμος Eriphyles, quem χρυσὸν vocat Homerus, *Odyss.* XI. Ita quoque ὅρμον Helenæ Menelaus dedicavit Delphis, quem πάγχρυσον κόσμον vocat Pythia, apud Athen. *lib.* VI. Coronas quoque gestasse mulieres, liquet ex *Iliad.* XVIII.

—— καὶ ῥ' αἱ μὲν καλὰς στεφάνας ἔχον,

Cæterum annulorum usum fuisse nullum contendit F Plinius *lib.* XXXIII. *cap.* I. *Nec Iliacis temporibus*, ait, *ullos fuisse anulos video; nusquam certe Homerus dicit, cum & codicillos missitatos epistolarum gratia indicit, & conditas artis vestes ac vasa aurea argenteaque, & ea colligata nodi, non anuli nota. Sortiri quoque contra provocationem duces, non anulis tradit. Fabricam etiam Deum fibulas, & alia muliebris cultus, sicut inaures, in primordio factitasse, sine mentione anulorum.*

Manibus indutæ χειρῖδες a Laerte dicuntur *Odyss.* XXIV. sed ne a rubis in colendo viridario læderentur,

Χειρῖδάς τ' ἐπὶ χερσὶν βάτων ἕνεκ'. ——

Eusthatius dicit esse τὰ τῶν χειρῶν καλύμματα ἐκ δερμάτων, *manuum ex corio integumenta*; additque non solum adversus spinas adhibita, sed etiam ἐπ' ἔργων δ' ἀχρείων; nam & sagittariis iis usos esse, itemque τοὺς πλύνοντας καὶ τοὺς ζυμοῦντας. Cæterum chirothecarum, quibus hodie utimur, nullus fuit apud antiquiores Græcos usus; ut constat ex Xenophonte, qui inter cætera luxuriæ apud Persas exempla ponit, quod non contenti capitis ac pedum tegumentis, etiam manus digitabulis adversus frigus munirent, ἀλλὰ καὶ περὶ ἄκραις ταῖς χερσὶ χειρῖδας δασείας, καὶ δακτυλήθρας ἔχουσι.

Tibias etiam Laertes communitas habebat ocreis bovinis, *Odyss.* XXIV.

—— περὶ δὲ κνημῖσι βοείας
Κνημῖδας ῥαπτὰς δέδετο γραπτῦς ἀλεείνων.

Alias contenti subligaculis, quæ πέδιλα Homerus vocat, ut *Iliad.* II. de Agamemnone surgente;

Ποσσὶ δ' ὑπαὶ λιπαροῖσιν ἐδήσατο καλὰ πέδιλα.

quod & de Junone dicitur, *Iliad.* XIV. & alibi de aliis, cum aliquo egrederentur; velut, cum subulcus exit stabulo, *Odyss.* XVI. Nimirum Veteres illi non erant semper calceati, uti hodie fit; sed cum essent exituri, potissimum suscepto longiori itinere. Ita vero & Mercurius in *Hymno*, cum abigere pararet Apollinis boves,

—— ὑπὸ ποσσὶν ἐδήσατο σάνδαλα κοῦφα
Οἷά τ' ἐπειγόμενος δολιχὴν ὁδόν.

Cæterum σάνδαλα proprie mulierum erant calciamenta, ut ait Hesychius. Inde Omphale dicitur sandalo percussisse Herculem, apud Lucianum. Venus etiam Bioni, in *Adonide mortuo*, ἀσάνδαλος fertur ivisse per sylvas αἱμάσσοισα πόδας. Omninoque Ælianus lib. I. cap. XVIII. *Var. Hist.* loquens de priscarum mulierum luxu inter alia dicit, eas sandalis pedes induisse: Ἐπὶ μὲν γὰρ τῆς κεφαλῆς στεφάνην ἐτίθεντο ὑψηλὴν, τοὺς δὲ πόδας σανδάλοις ὑπεδοῦντο. ἐκ δὲ τῶν ὤτων αὐταῖς ἐνώτια μακρὰ ἀπεκρέμαντο· τῶν δὲ χιτώνων τὰ περὶ τοὺς ὤμους ἄχρι τῶν χειρῶν οὐ συνέρραπτον, ἀλλὰ περόναις χρυσαῖς καὶ ἀργυρέαις συνεχέσι κατελάμβανον.

CAP. VIII.

DE LECTIS.

Vestes exuebant, quoties somni gratia ad lectum se recipiebant; & in cubiculo ex trabe suspendebant, donec experrecti resumerent; ut videre est *Odyss.* I. ubi Telemachus mollem exuit tunicam, quam Ancillo reliquit ἐν πασσάλῳ, & dormivit κεκαλυμμένος οἰὸς ἀώτῳ.

Porro lecti constabant potissimum e ligno; quod testatur ille Ulyssis *Odyss.* XXIII. quem ex olea a se fabricatum extendit, auroque & argento ac ebore exornavit, funiculis ex loro bubulo hinc inde confertis; nempe e fulcris quæ ἑρμῖνας vocat. Qua ratione λέχεα τρητὰ *lectos perforatos* subinde appellat scilicet πρὸς τὴν τῶν σχοινίων δέσιν, ob foramina in spondis facta, per quæ τόνοι trajiciebantur, qui sustinerent ipsum lectisternium. Id vero sæpius Homerus hoc complectitur;

Δέμνια καὶ χλαῖναι καὶ ῥήγεα σιγαλόεντα.

Δέμνια quidem fuerunt culcita, ut arbitror, plumis, tomentove, aut alia re farta, unde sæpius pro toto strato apud Poetam collocantur. His imponebantur ῥήγεα καὶ χλαῖναι, ut luculenter apparet ex *Iliad.* XXIV. ubi Achilles lectum jubet Priamo componi,

Δέμνι᾽ ὑπ᾽ αἰθούσῃ θέμεναι καὶ ῥήγεα καλὰ
Πορφύρε᾽ ἐμβαλέειν, στορέσαι τ᾽ ἐφ᾽ ὕπερθε τάπητας,
Χλαίνας τ᾽ ἐνθέμεναι οὔλας καθύπερθεν ἕσασθαι.

Eustathius ait, *ὑποκεῖσθαι μὲν δέμνια δίκην κλίνης, καὶ ῥήγεα χάριν ἀναπτώσεως. ὑπερκεῖσθαι δὲ τάπητας μὲν εἰς σκέπην. χλαίνας δὲ εἰς ἔνδυσιν.* Porro *ῥήγεα* proprie vult esse *βαπτὰ ἱμάτια, ἢ ὑφάσματα, ἢ καὶ ἄλλως τὰ περιστρώματα: καὶ πάντα τὰ βαπτὰ*, *omnia tincta*. At vestis crassior Polluci *ἐνδυναιον περιβόλαιον*, seu *ἱμάτιον δυναῖον καὶ παρδυναῖον μέγα καὶ δασύ*, forte lodices crassiores ex lana vel tomento: unde & *οὔλας hirsutas* Poeta vocat; sicut etiam Theocritus *Idyl.* XXIV. ubi draco Herculem in cunis dormientem invadens, eam dicitur a pedibus dejecisse, *οὔλαν δ᾽ ποσὶν διελάκτισε χλαῖναν, φεύγέμεν ὁρμαίνων*; & post Amphitruo reposuit, *ὑπ᾽ ἀμνείαν θέτο χλαῖναν*. Tapetes quoque villosi magnum habuere in lectis usum. Anacreon: *Διὰ νυκτὸς ἐγκάθευδον ἁλιπορφύροις τάπησιν.* Sic Aristophanes in *Pluto*: *Οὐχ ἕξεις οὔτ᾽ ἐν κλίνῃ καταδαρθεῖν, οὔτ᾽ ἐν τάπητι.* Similiter Virgilius de Rhamnete *Æneid.* IX. vers. 325.

—— tapetibus altis
Extructus, toto proflabat pectore somnos:

utique imitatione Homeri *Iliad.* X.

Αὐτὰρ ὑπὸ κράτεσφι τάπης τετάνυστο φαεινός.

ubi cervical intelligi videtur; unde & *προσκεφάλαιον* vertit Hesychius.

Pellium quoque magnus ad dormiendum usus. Ita Achilles *Iliad.* X. Phœnici jubet sterni,

Κώεά τε: ῥῆγός τε, λίνοιό τε λεπτόν.

Ulysses etiam apud Eumæum dormivit inter caprarum ac ovium pelles, læna superinjecta, *Odyss.* XIV. & super *ἀδέψητον βοείην pellem bovinam non subactam*, *lib.* XX. Sic Anchisæ *λέχος* in *Hymno*:

Χλαίνῃσιν μαλακῇς ἐστρωμένον, αὐτὰρ ὕπερθεν
Ἄρκτων δέρματ᾽ ἔκειτο. ——

Ursorum pelles, quos occiderat: quemadmodum apud Virgilium *Æneid.* VIII. vers. 367.

—— stratisque locavit
Effultum foliis & pelle Libystidos ursæ.

Sic Daphnis apud Theocritum *Idyl.* IX. ait, sibi thorum stratum pellibus vaccarum,

—— ἐν δὲ νένασται,
Λευκᾶν ἐκ δαμαλᾶν καλὰ δέρματα. ——

Sed enim & lini in hanc rem fuit usus: ut præter illum locum *Iliad.* IX. constat etiam ex *Odyss.* XIII. Ubi Phæaces Ulyssi *στόρεσαν ῥῆγός τε λίνοντε*. Didymus exponit *λεπτὸν ἱμάτιον*. Eustathius *σκεπάσματι σινδονοειδές*. Celebrat id ipsum impense Apollonius apud Philostratum *lib.* VIII. ubi ait, *καθαρὸν τὸ ἐνευδεῖν ὑπὸ λίνῳ*.

Cæterum humi etiam cubabant, qui austeriorem vitam instituebant. Tales ad Dodonam Sellæ Jovis *ὑποφῆται*, quos *χαμαιεύνας* Homerus vocat, *Iliad.* XVI. *Ὡς κάτω περὶ γῆν αὐτοὺς κειμένους, καὶ μὴ ἐπὶ στιβάδων ἢ δεμνίων ὑπνοῦντας.* Philostratus quoque lib. III. *de Vita Apoll.* ait, Indorum Brachmanas *χαμευνίᾳ χρῆσθαι*, substernentes sibi quas invenerint herbas. Foliis quoque substratis Laertes ruri decumbebat, *Odyss.* XI. Similiter apud Theocritum *Idy.* VIII. thorus densatus ad cubitum usque

Κνύζᾳ τ᾽ ἀσφοδέλῳ τε πολυγνάμπτῳ τε σελίνῳ.

Quomodo & Atticæ mulieres in Thesmophoriis e viticis foliis cubile sibi apparabant, ut est apud Dioscoridem *lib.* I. *cap.* XXVI. Denique & Plutarchus lib. *de Dæm. Socrat.* *ἄγνου καὶ μυρίκης χαμεύνας* commemorat.

CAP. IX.

DE LAVATIONE AC UNCTIONE.

FRequentissime erant apud Græcos corporis lavationes ac unctiones; quibus non tam sordes abluerent, quam voluptatem aliquam sibi compararent. Utrumque finem Veteres spectasse, testatur Eustathius, quum ait introductum esse *βαλανεῖον*, ut esset *ῥύπου μὲν ἀποθετικὸν, ἀναψυχῆς δέ τινος αἴτιον*. Quamobrem perpetuum fere est apud Homerum, ut qui a prælio redeunt, aut alioqui e longinquo itinere in ædes alicujus divertuntur, laventur ac ungantur, idque ad epulas lautiores concedant. Exemplo Diomedis ac Ulyssis, qui ab exploratione redeuntes

—— λοεσσαμένω καὶ ἀλειψαμένω λίπ᾽ ἐλαίῳ
Δείπνῳ ἐφιζανέτην. ——

Iliad. X. Similiter Telemachus ac Pisistratus in ædes Menelai adventantes, ab ancilla loti & uncti, ad epulandum invitantur, *Odyss.* IV. Unde Athenæus *l.* IV. ex Homero censet, *δεῖν θεραπεύσαντα τὸ σωμάτιον καὶ λουσάμενον ἰέναι πρὸς δεῖπνον*. Idem factum, quotiescunque remota tristitia jucunditati se cupiebant dare; uti Penelope *Odyss.* XVIII. quam missis lacrumis se lavare ac faciem inungere jubet Eurynome. Atque hoc etiam fuisse in moribus Romanorum, infinitis constat testimoniis, qui nonnisi probe loti ac uncti genio indulgebant.

Porro solebant Heroes aqua marina se abluere; uti Diomedes ac Ulysses *Iliad.* X.

—— Ἱδρῶ πολλὸν ἀπενίζοντο θαλάσσῃ
Ἐσβάντες. ——

Nimirum quia admodum *καθαρτικὴ* hæc aqua, & nervis utilissima; ut asserit Athenæus *lib.* I. *Κόπον μὲν θαλάττῃ λούοντες, ἣ μάλιστα τοῖς νεύροις ἐστὶ πρόσφορος.* Qua de causa Romani quoque balnea marina impense expetebant. Minutius Felix: *Placuit Ostiam petere amœnissimam civitatem, quod esset corpori meo siccandis humoribus de marinis lavacris blanda & apposita curatio.* Nausicae vero etiam cum sociis puellis ideo it lotum ad fluvii ostia, *Odyss.* VI. Non absimili ratione atque Europa apud Moschum,

Ἥποτε φαιδρύνοιτο χρόα προχοαῖσιν Ἀναύρῳ.

Alioqui & fluviis soliti veteres Heroes se abluere: quemadmodum Agenor *Iliad.* XXI.

—— λοεσσάμενος ποταμοῖο
Ἱδρῶ ἀποψυχθείς. ——

Quod solenne fuisse Lacedæmoniis in Eurota, jam inde ab Heroicis temporibus, indicat Theocritus in *Helenæ Epithalamio*, ubi puellæ Spartanæ canunt, se ungi virorum more ad Eurotæ fluenta:

Χρισαμέναις ἀνδριστὶ παρ᾽ Εὐρώταο λοετροῖς.

Sæpius tamen domi soliti in calidis lavacris versari. Unde & Diomedes ac Ulysses postquam mari se abluissent,

Ἐς ῥ᾽ ἀσαμίνθους βάντες ἐϋξέστας λούσαντο.

Iliad. X. Sic Nestor vult ab Hecameda calefieri *θερμὰ λόετρα*, *Iliad.* XI. Andromache etiam Hectori, a pugna reduci, aquam lebete calefieri procurat, *Iliad.* XXII. Et Phæacibus unice placere dicuntur.

Εἵματά τ᾽ ἐξημοιβὰ, λοετρά τε θερμὰ, καὶ εὐναί.

Ita

Ita Pindarus *Olymp.* od. XII. laudat θερμὰ Νυμφᾶν λȣτρὰ; & *Nem.* od. IV. calidis lavacris ait membra refocillari: Οὐδὲ θερμὸν ὕδωρ τόσον μαλθακὰ τεύχει γυῖα. Nota quoque Ηρακλεῖα λȣτρὰ, admodum ferventia, quæ Vulcanus Herculi ſubmiſit, ut eſt apud Ariſtophanis Scholiaſtem, in *Nebulis*:

Πȣ̃ ψυχρὰ δῆθεν πώποτ' εἶδες Ηρακλεῖα λȣτρά.

Lapſus vero Plinius *lib.* XXXI. *cap.* VI. ait: *Homerum calidorum fontium mentionem non feciſſe, cum alioquin lavari calida frequenter induceret, videlicet quia medicina tunc non erat hæc, quæ nunc aquarum perfugio utitur.* Etenim *Iliad.* XXII. ex altero Scamandri fonte aquam calidam profluere dicit:

Η' μὲν γάρ θ' ὕδατι χλιαρῷ ῥέει. ——

Nec dubium quin a natura acceperit, quod arte conquiſiverunt.

Cæterum poſt lautionem ſe ungebant, ut hoc pacto obſtruerentur corporis ſpiramenta. Sic enim Euſtathius *in Iliad.* X. Ελαίῳ δὲ ἐχρίζοντο οἱ λȣσάμενοι ἐμφράττοντες τȣ̀ς σωματικȣ̀ς πόρȣς, ὡς ἂν μὴ λȣτρὸν ςέγοιεν τὴν ὑγρότητα. Non erant autem unguenta Iliacis temporibus, teſte Plinio *lib.* XIII. *cap.* I. nimirum qualia poſterioribus ſeculis fuerunt in uſu. Oleum duntaxat adhibebant, admiſto e fruticibus odore, præſertim roſa, unde roſaceum oleum Poeta laudat *Iliad.* XXIII. quo Venus Hectorem inunxit ῥοδόεντι δὲ χρῖεν ἐλαίῳ. Alias τεθυωμένον odoribus conditum vocat, cum de Junone agit lib. XIV. *Iliad.*

—— ἀλείψατο δὲ χρόα καλὸν
Αμβροσίῳ ἑανῷ, τό ῥα οἱ τεθυωμένον ἦεν.

Meminit Athenæus *lib.* XV. ubi multus eſt in re unguentaria exponenda; contenditque Homerum noviſſe χρῆσιν τῶν μύρων; etſi ἔλαια vocem cum epitheto. Ut ut ſit, Homerus non introducit μύροις ἀλειφομένȣς τȣ̀ς Ηρωας, vel ipſius ſententia Athenæi *lib.* I. Paris tantum κάλλει ςίλβων.

Veſtes etiam ſæpius lavari ſolitæ a mulieribus; uti Nauſicaa, *Odyſſ.* VI. & Phœniſſa illa, qua cum raptus Eumæus, *Odyſſ.* XV. Sic Simonides de muliere turpi, αὐτὴ δὲ ἄλȣτος ἄπλυτός τε εἵμασι. Erant in hanc rem labra prope urbes ſtructa; uti de Troja teſtatur Homerus *Iliad.* XXII.

—— πλυνοὶ εὐρέες ἐγγὺς ἔασι
Καλοὶ, λαΐνεοι, ὅθι εἵματα σιγαλόεντα
Πλύνεσκον Τρώων ἄλοχοι, καλαί τε θύγατρες.

Fiebat hoc potiſſimum cum lætitiæ ſe daturi erant; quemadmodum de filiis Alcinoi dicitur, *Odyſſ.* VI.

Οἱ δ' αἰεὶ ἐθέλȣσι νεόπλυτα εἵματ' ἔχοντες
Ες χορὸν ἔρχεσθαι. ——

CAP. X.

DE COMÆ ORNATU

AD corporis cultum etiam pertinet coma, in qua alenda non parum decoris Græci poſuerunt. Quare Homerus paſſim celebrat καρηκομόωντας Αχαιȣ̀ς, hoc eſt, κομόωντας τὰ κάρηνα καὶ πολύτριχας, Euſtathius ait eos hoc factitaſſe, non venuſtatis tantum gratia, ſed etiam formidinis: Εθος γὰρ αὐτοῖς κόμην τρέφειν, ȣ̓ μόνον ἐς κάλλος, ἀλλὰ καὶ διὰ τὸ φοβερόν. Οὕτω γὰρ καὶ λέων χαιτήεις φοβερώτερος τȣ̃ μὴ χαίτην ἔχοντος. Ita quoque de Leonida Spartanorum rege ſcribit Philoſtratus *lib.* VIII. Εγένετο κομῶν ὑπὲρ ἀνδρείας, καὶ τȣ̃ σεμνὸς μὲν φίλοις, φοβερὸς δὲ ἐχθροῖς φαίνεσθαι.

Coma autem præcipue flava fuit celebrata: quam in Achille, & Meleagro & Menelao laudat Homerus. Talem deſcribit Circen Orpheus:

—— ἀπὸ κρατὸς γὰρ ἔθειραι
Πυρσαῖς ἀκτίνεσσιν ἐναλίγκιοι ἠώρηντο.

Sic Virgilius prædicat *Æneid.* IV. verſ. 559.

Et flavos crines & membra decora juventæ.

Et Catullus celebrat auream Berenices comam. Adeoque in univerſum Euripides ait, Amorem capi flava coma, φιλεῖ κάτοπτρα καὶ κόμης ξανθίσματα.

Criſpi etiam capilli fuerunt laudati. Inde eſt quod Minerva, cum Ulyſſi gratiam vellet conciliare, ȣ̓́λας ὑακινθίνῳ ἄνθει ὁμοίας, *Odyſſ.* VI. quare idem ȣ̓λοκάρηνος Homero dictus. Ita quoque Moſchus Bucoliaſtes Cupidinis caput inumbrat criſpis capillis. Arte etiam hoc conſectati, crinibus in nodum tortis lamina candente, acu, & id genus aliis inſtrumentis. Cincinnos paſſim prædicat Homerus, quos πλοκάμȣς ſeu πλοχμȣ̀ς vocat. Sic de Junone *Iliad.* XIV.

—— χαίτας
Πεξαμένη, χερσὶ πλοκάμȣς ἔπλεξε φαεινȣ̀ς.

Euphorbo etiam tribuuntur *Iliad.* XVII. comæ Gratiis ſimiles:

Πλοχμοί θ' οἳ χρυσῷ τε καὶ ἀργύρῳ ἐσφήκωντο

Quo reſpexit Plin. *lib.* XXXI. *cap.* I. *apud Homerum virorum crinibus aurum implexum* dicit. Athenienſibus hoc antiquitus fuit patrium, qui cicadas aureas capillitio inſerebant, ut eſt apud Thucydidem *lib.* I. Ita & Plutarchus ſcribit Colophonios aureis redimiculis digeſtos crines decore ornaſſe. Cæteroquin cincinnos hoſce inſtar cornu ſolebant effigiare; qua ratione Paris dictus κέρ' ἀγλαὸς, *Iliad.* XI. uti interpretatur Herodotus & Apion Grammaticus. Ita quoque Sophro Mimorum ſcriptor κορώνας ἀναδȣμένȣς eos dicit, quibus cincinni in modum cornuum arcus faſtigiarentur.

In certam etiam formam comas præcidebant. Abantes Eubœæ populi Homero dicuntur ὄπιθεν κομόωντες, quia anteriora capillorum reſecabant. Unde Statius *Abantiadas in terga comatos* prædicat. Eorum more tonſum Delphis Theſeum narrat Plutarchus. Hoc vero obſervaſſe cenſet, ὅπως μὴ παρέχοιεν ἐκ τῶν τριχῶν ἀντίληψιν τοῖς πολεμίοις, *quo minus pugnantes hoſtibus darent anſam capiendi*; quod etiam factitaſſe Curetes ſcribit Antimachus Euboicus. Talem etiam fuiſſe Εκτόρειαν κȣρὰν vult Iſaacius Tzetzes, quam laudat Euſtatius *in Iliad.* XXIII. ex Lycophrone. At Homerus *Iliad.* IV. Thracas vocat ἀκροκόμȣς, quod in ſummo vertice eſſent comati.

Porro mos fuit priſcis, ut provectiores ætate comas patriis fluminibus abſcinderent, quippe quæ ex humore natæ. Ita Homerus narrat Achillem in Patrocli funere dempſiſſe comam, quam pater poſt ejus reditum voverat Sperchio, *Iliad.* XXIII. Meminit hujus loci Pauſanias in *Atticis*; & omnibus Græcis hunc fuiſſe ritum colligit. Exemplum etiam adfert filii Mneſimaches, cujus extabat ſimulacrum ad Cephiſſum amnem, crine eidem detonſo. Philoſtratus ſimiliter tradit Memnonem Nilo comam ſuam præcidiſſe.

Cæterum, etſi in viris æque ac mulieribus apud priſcos Græcos fuerit comæ ſtudium, non tamen ſemper laudatum; ut ex eo liquet, quod Paridi veluti effœminato coma objicitur ab Hectore & Diomede, *Iliad.* III. & XI. Inde Philoſtratus in *Heroicis*: Διαβέβλητο δὲ πρὸς τὸν Πάριν, ὡς δειλὸν καὶ ἥττω τȣ̃ κομᾶσθαι. Ita & Theſeus ignotus cum veniret Athenas pexa coma, dicterio exceptus fuit a fabris lignariis, Παρθένος ἐν ὥρᾳ γάμου πλανᾶται μόνη. Et inſignes in hanc rem ſunt Phocylidis verſus:

Μὴ μὲν ἐπ' ἄρσενι παιδὶ τρέφειν χαίτην πλοκαμῖδος,
Μὴ κορυφὴν πλέξῃς, μήθ' ἄρματα λοξὰ κορύμβων
Ἄρσεσιν οὐκ ἐπέοικε κόμη' χλιδαὶ δὲ γυναιξί.

CAP. XI.
DE DOMO.

POST victum & amictum confideranda venit habitatio. Homerus quidem potiffimum defcribit magnatum domus, quas δώματα καὶ μέγαρα vocat, ut etiam obfervavit Athenæus *libro* IV. Itaque de his etiam præcipue hæc commentatio inftituenda.

Domum extrinfecus ambiebat murus ἕρκος, Euftathio τὸ περὶ αὐλὴν τοιχίον· μεθ' ὃ πύλαι, *poft quod portæ*. Ibi canes de more foliti excubare ad cuftodiendam domum, quos ideo πυλαωροὺς vocat Priamus *Iliad*. XXII. Antiphanes Poeta φρουροδόμους. Euftathius: Ἔθος ἦν τὰς αὐλείους θύρας τηρεῖσθαι ὑπὸ κυνῶν. Talis erat Argus ille Ulyffis canis, qui jacebat

Ἐν πολλῇ κόπρῳ ἥ οἱ προπάροιθε θυράων.

Odyff. XVII. Quin & factitii canes ad fores collocati; quales illi quos ex auro & argento fabricarat Vulcanus:

Δῶμα φυλασσέμεναι μεγαλήτορος Ἀλκινόοιο,

Quod Romanis etiam in more fuiffe docet Petronius Arbiter: *Non longe*, inquit, *ab oftiarii cella canis ingens catena vinctus in pariete erat pictus, fuperque quadrata litera fcriptum*, CAVE CANEM.

Erant præ foribus etiam fedilia lapidea, quibus foliti confidere; ut in regia Neftoris, *Odyf*. III.

—— κατ' ἄρ' ἕζετ' ἐπὶ ξεστοῖσι λίθοισιν
Οἵ οἱ ἔσαν προπάροιθε θυράων ὑψηλάων,
Λευκοὶ ἀποστίλβοντες ἀλείφατος. ——

Sic proci Penelopes;

Ἐκ δ' ἦλθον μεγάροιο παρὲκ μέγα τειχίον αὐλῆς
Αὐτοῦ δὲ προπάροιθε θυράων ἑδριόωντο,

Odyff. XVI.

Sequebatur αὐλὴ, τόπος ὑπαίθριος, *locus fubdivalis*, ait Athenæus *lib*. V. apertus & vacuus, ubi erat ara Jovis Hercei, in qua facrificabat Peleus, αὐλῆς ἐν χόρτοισι, *Iliad*. XI. Ei juncta αἴθουσα, quæ Scholiaftæ *in* IX. *Iliad*. dicitur περίστυλον, τοῦτ' ἔστι πρὸς ἥλιον τετραμμένη στοά, *ad folem converfa porticus*, παρὰ τὸ αἴθεσθαι. *Odyff*. XVIII.

—— ὄφρ' ἵκετ' αὐλὴν
Αἰθούσης τε θύρας. ——

Conftabat ex politis lapidibus, unde αἰθούσας ξεστὰς Homerus paffim appellat. Atque heic erat πρόδομος, ubi hofpitibus foliti fterni lecti; uti videre peculiariter *Iliad*. XXIV. quo loco Achilles jubet

—— Δέμνι' ὑπ' αἰθούσῃ θέμεναι.

Pofteaque,

—— ἐν προδόμῳ δόμου αὐτόθι κοιμήσαντο
Κῆρυξ καὶ Πρίαμος. ——

Venit deinde ipfa princeps domus, cujus frontifpicium variis ornamentis erat infigne, unde ἐνώπια παμφανόωντα dixit Homerus, *Odyff*. IV. & alibi. Hefychius, τὰ καταντικρὺ τοῦ πυλῶνος φαινόμενα μέρη, ἃ καὶ διεκόσμουν ἕνεκα τῶν παριόντων. Ipfa intus fplendidiffime quoque inftructa; ut in regia meminit Plinius *lib*. XXXIII. *cap*. IV. *Et electro auctoritas, Homero tefte, qui Menelai regiam auro, electro, argento, ebore fulgere tradit*. Ita quoque magnifice ornatæ ædes Alcinoi regis Phæacum, *Odyf*. VII. In hac fupellectile præcipue celebratæ fedes, circa parietes undequaque difpofitæ, quibus ipfi infidebant convivantes, aliofque advenientes excipiebant.

Ἐν δὲ θρόνοι περὶ τοῖχον ἐρηρέδατ' ἔνθα καὶ ἔνθα
Ἐς μυχὸν ἐξ οὐδοῖο διαμπερές. ——

Erant illæ varie exornatæ; *Odyff*. VIII. θρόνον ἀργυρόηλον dicit, *argenteis clavis diftinctum*; Penelopes vero fedem auro & ebore infignit, *Odyff*. XVIII. Elegantibus quoque ftragulis componebant; ut factum *Odyff*. XX.

—— ἔβαλλε θρόνοις ἔνι ῥήγεα καλὰ
Πορφύρεα καθύπερθ', ὑπένερθε δὲ λῖθ' ὑπέβαλλεν.

Euryclea etiam jubet fuas ancillas, *Odyff*. XX.

Κώεα κάστορνυσαι θρόνοις ἔνι δαιδαλέοισι.

Domus pavimentum δάπεδον, τὸ τοῦ μεγάρου ἔδαφος, lapidibus ftratum, ut conftat ex eo, quod κραταίπεδον οὖδας Homerus vocat, iterum λάϊνον οὐδὸν *limen lapideum*, *Odyff*. XXIII. & alibi.

Columnæ quoque per domum interiorem difpofitæ, quibus fuftinebatur fuperior contignatio, *Odyff*. XVIII.

—— τοῖχοι μεγάρων καλαί τε μεσόδμαι
Εἰλάτιναί τε δοκοὶ καὶ κίονες ὑψόσ' ἔχοντες.

Earum una, ad quam haftas fufpendere erat moris. *Odyff*. I.

Ἔγχος μέν ῥ' ἔστησε φέρων πρὸς κίονα μακρὴν
Δουροδόκης ἔντοσθεν ἐΰξόου, ἔνθα περ ἄλλα,
Ἔγχε' Ὀδυσσῆος ταλασίφρονος ἵστατο πολλά.

Superior vero domus pars ὑπερῷον dicitur Homero. Euftathius: Τὰ μετέωρα τῶν οἰκημάτων ὦα καλοῦσιν οἱ Λακεδαιμόνιοι· ὅθεν ὑπερῷον τὸ οἷον εἰπεῖν ὑπερύψηλον. Unde Clearchus apud Athenæum *lib*. II. Helenam ἐν τοιούτοις οἰκήμασι τρεφομένην, δόξαν ἀπενέγκασθαι παρὰ πολλοῖς, ὡς ἐξ ᾠοῦ εἴη γεγεννημένη. Homerus utique paffim ibi collocat mulieres: uti Penelopen *Odyff*. XV. ἀπὸ τῶν ὑπερώων ἱστὸν ὑφαίνει, & alibi. Illic etiam cum Marte concubuit Aftyoche παρθένος αἰδοίη ὑπερώϊον εἰσαναβᾶσα, *Iliad*. II. & Mars cum Polymela, εἰς ὑπερῷ' ἀναβὰς παρελέξατο λάθρα, *Iliad*. XVI. Thalamus heic erat, quo apud prifcos Græcos mulieres, præfertim virgines, degere folebant. Ita namque *Odyff*. IV. Penelope ὑπερῷ' ἀναβᾶσα in θαλάμῳ collocatur. Similiter Helena *Iliad*. IV.

Εἰς ὑψόροφον θάλαμον κίε δῖα γυναικῶν.

Hinc Theocritus dicit πάρθενον ἐκ θαλάμοιο; quia ibi conclufæ puellæ ante nuptias; uti jubet Phocylides,

Παρθενικὴν δὲ φύλασσε πολυκλείστοις θαλάμοισι,

Γυναικωνῖτις erat diftincta ab eo, quo viri agebant, loco, qui ἀνδρὼν dictus.

Erant vero & viris θάλαμοι, ubi cubabant; quemadmodum Telemacho *Odyff*. I.

—— ὅθι οἱ θάλαμος περικαλλέος αὐλῆς
Ὑψηλὸς δέδμητο, περισκέπτῳ ἐνὶ χώρῳ,
Ἔνθ' ἔβη εἰς εὐνήν. ——

Sic in ædibus Priami quinquaginta erant thalami ex lapide polito junctim ftructi, ubi filii ejus cum uxoribus cubabant; & alii ex adverfo, ubi cum filiabus generi, *Iliad*. VI.

Omnino vero complures erant θάλαμοι, veluti promptuaria, in quibus variæ res reponebantur; unde ἔσχατος θάλαμος in Ulyffis æde recenfetur, *Odyff*. XXI. Arma ibi collocata, quæ Melanthus deprompfit; uti & in Hectoris thalamo, *Iliad*. VI.

Sed enim *Odyss.* II. in thalamo etiam Ulyssis ponitur aurum, argentum, vestis, vinum, oleum. Præerat veluti custos ancilla, uti Euryclea apud Ulyssem.

Fores claudebantur sera adhibito loro, ut *Odyss.* I. ancilla attrahit januam thalami Telemachi:

—— θύρην δ' ἐπέρυσε κορώνη
Ἀργυρέῃ, ἐπὶ δὲ κληῗδ' ἐτάνυσσεν ἱμάντι.

Minerva quoque introiit thalamum Penelopes παρὰ κληῗδος ἱμάντα, *Odyss.* IV. Idem fit *Odyss.* XXI.

Cæterum forma tectorum erat plana, non fastigiata; adeo ut super his sæpius cubarent: quemadmodum constat de Elpenore, qui καταντικρὺ τέγεος πέσεν, *tecto delapsus ab alto Odyss.* XI. Eustathius: Πίπτει δὲ καταντικρὺ τέγεος ὁ Ἐλπήνωρ ἐν ὑπαίθρῳ ἀνακείμενος, διὰ τὸ τὰ δώματα μὴ κεραμωτὰ, ἀλλ' ὁποῖα καὶ νῦν ὡς εἰκὸς μυελαχοῦ. ὧν ταῖς δοκοῖς γῆ ἐπαμᾶται ὡς ἐντεῦθεν τὴν στέγην χρήσιμον εἶναι καὶ πρὸς τὸ ἐγκοιμᾶσθαι. Morem hunc quoque obtinuisse patet apud Hebræos, qui ἐπὶ δωμάτων *super tecti* agere soliti; adeo ut Dei Lege loricam circumducere jussi sint, ad evitandum discrimen, *Deuteron.* XXII. Idem hodie in plerisque orientalibus ac meridionalibus regionibus videre est; etiam apud Romanos, quos olim planis tectis usos constat ex Vitruvio *lib.* II. aliisque Auctoribus, qui eos subinde in tectis spectasse ac lampadas prætulisse docent.

CAP. XII.

DE HOSPITII JURE.

Domum ac larem familiarem habere, maximopere commendatum fuit apud Græcos; imo in viri boni laude positum. Unde *Iliad.* IX. Ἀφρήτωρ, ἀθέμιστος, ἀνέστιος esse dicitur, qui bellum expetit civile. Et Athenæo Cynici vituperantur, quod sint κακολόγοι, καὶ βόροι, καὶ ἄνοικοι, καὶ ἀνέστιοι. Veruntamen magn afuit eorum humanitas in illos, qui fati malignitate domus, ac rei inopes oberrarent; adeoque erga quoslibet, qui ad eos se recipiebant, Deos horum curam gerere credebant, & offensorum injurias vindicare. Sic enim cum Ulysses mendicus ab Autonoo esset percussus, mendicorum furias adversus eum implorat, reliquis procis factum detestantibus, *Odyss.* XVII. Hercules quoque vituperatur, quod Iphitum hospitem occidisset, nec Deorum vocem veritus, nec mensam quam ei apposuerant, *Odyss.* XXI. At Eumæus nefas ducit hospitem contemnere,

Οὔ μοι θέμις ἔστ' οὐδ' εἰ κακίων σέθεν ἔλθοι
Ξεῖνον ἀτιμῆσαι. πρὸς γὰρ Διός εἰσιν ἅπαντες
Ξεῖνοί τε πτωχοί τε. ——

Jovem præcipue hoc curare censebant, qui ideo Ξένιος Græcis dictus. *Odyss.* IX.

Ζεὺς δ' ἐπιτιμήτωρ ἱκετάων τε ξείνων τε
Ξείνιος, ὃς ξείνοισιν ἅμ' αἰδοίοισιν ὀπηδεῖ.

Ita Virgilius *Æneid.* I. vers. 735.

Jupiter hospitibus nam te dare jura loquuntur.

Explicat hoc Servius exemplo Lycaonis, qui cum hospites suos necaret, a suscepto Jove postquam ei epulas humanas apposuit, versus in lupum ostendit, jura hospitii non esse violanda.

Hinc Ægypti rex Pariclem a Menelao ad pœnam repetitum reddere noluit, veritus iram Διὸς ξενίου, *Odyss.* XIV. Quomodo nec Admetus rex Molossorum Themistoclem restituere voluit Lacedæmoniis utcunque obsides offerrent, teste Plutarcho.

Contra quoque, qui in eos, a quibus erant hospitio excepti, delinquebant, Jovis iram experiri credebantur; quomodo Menelaus *Iliad.* III. cum precatur ut Paridem occidat, ut alius quispiam metuat,

A Ξεινοδόκον κακὰ ῥέξαι, ὅ κεν φιλότητα παράσχῃ.

Porro carebant antiquiores Græci, ut & Romani, publicis, qualia hodie apud nos extant, diversoriis. Quod si foras proficiscebantur, in amicorum ædes se recipiebant, quibuscum illis intercedebat hospitii jus: ut infinitis pene Scriptorum testimoniis comprobatur. Et quidem hæc necessitudo jam inde a majoribus apud homines societate junctos observabatur: sicut videre est in Glauco & Diomede, qui audito alter alterius nomine, ob hospitii inter majores jus, a pugna destiterunt. *Iliad.*
B VI.

Ἦ ῥά νύ μοι ξεῖνος πατρώϊός ἐσσι παλαιός.
Τῷ νῦν μὲν σοὶ ἐγὼ ξεῖνος φίλος Ἄργεϊ μέσσῳ
Εἰμὶ, σὺ δ' ἐν Λυκίῃ. ——

Ita *Odyss.* I. Minerva, præ se ferens Mentæ filium, ait Telemacho:

Ξεῖνοι δ' ἀλλήλων πατρώϊοι εὐχόμεθ' εἶναι.

Nestoris quoque filius & Thelemachus dicti hospites ἐκ πατέρων φιλότητος, *Odyss.* XV. Ea de causa antiqui moris fuit, tesseram utrinque habere dimidiatam, quam qui ad hospitem attulisset, continuo posset agnosci, & excipi hospitio contractæ necessitudinis. Σύμβολον Græci vocarunt, de quo eleganter Plato in *Symposio*. Ita Plautus in *Pœnulo*,
C Act. V. Sc. II. vers. 86.

Ego sum ipsus quem tu quæris. Ha. *Hem! quid ego audio?*
Ag. *Antidamæ gnatum me esse.* Ha. *Si ita est, tesseram*
Conferre si vis hospitalem: eccam attuli.
Ag. *Agedum huc ostende: est par probe.*

Porro non erat modo inter privatos homines hoc hospitii jus, sed etiam inter civitates, gentes, principes: quod proprie προξενίαν dixerunt. Sic Nicias πρόξενος τῶν Λακεδαιμονίων apud Plutarchum: & Callias apud Xenophontem *Hellen.* VI. jam inde a
D majoribus, Τὴν μὲν προξενίαν οὐκ ἐγὼ μόνος, ἀλλὰ καὶ πατρὸς πατὴρ πατρῴαν ἔχων παρεδίδου τῷ γένει. Atque hoc fine etiam σύμβολα servata, ut testatur Lysias, de Aristophanis pecunia: Ἐδεήθη μου προσελθεῖν αὐτῷ λέγων, ὅτι ἔλαβε σύμβολον παρὰ βασιλέως τοῦ μεγάλου. Ita hospitium inter principes veluti fœdus quoddam ac societas contractum. Alyattes Lydorum rex pactum cum Mysiis inivit, ἐφ' ᾧ τε ξείνους ἀλλήλοισι εἶναι καὶ ξυμμάχους, teste Herodoto in *Clio*. Et Livius scribit, Æneam cum Latino hujusmodi inisse pactum. *Ibi*, inquit, *Latinum apud Penates Deos domesticum publico adjunxisse*
E *fœdus, filia Æneæ in matrimonium data, lib.* I.

CAP. XIII.

DE RITU EXCIPIENDI HOSPITES.

Hospites primum adventantes manibus prehensabant. Ita Pylii exceperunt Telemachum ac Minervam. *Odyss.* III.

Ὡς οὖν ξείνους ἴδον ἀθρόοι ἦλθον ἅπαντες
Χερσίν τ' ἠσπάζοντο. ——

Similiter Autolyci filii Ulyssem, *Odyss.* XIX.

Χερσίν τ' ἠσπάζοντο, ἔπεσσί τε μειλιχίοισι.

F Sic Philostratus VII. *de Vita Apoll.* scribit, exceptum ab Indis Apollonium: Προσιόντα δὲ τὸν Ἀπολλώνιον οἱ μὲν ἄλλοι σοφοὶ προσήγοντο, ἀσπαζόμενοι ταῖς χερσίν. Apud Virgilium *Æneid.* VII. vers. 124. etiam Pallas Æneam

Excepitque manu, dextramque amplexus inhæsit.

Nempe dextra potissimum huic usui inserviebat: ut ipsemet Homerus notat *Iliad.* X.

Δεξιῇ ἠσπάζοντο ἔπεσσί τε μειλιχίοισι,

Majorum, ait Servius, *hæc erat salutatio; cujus rei τὸ αἴτιον id est, causam, Varro Callimachum secutus exposuit, asserens omnem eorum honorem dexterarum constituisse virtute, ob quam rem hac se venerabantur corporis parte*. Omnino vero, quotiescunque se invicem alloquebantur, dexteram prehendere erat moris; uti Menelaum affaturus Agamemnon, *Iliad.* VII.

Δεξιτερῆς ἕλε χειρὸς, ἔπος, τ' ἔφατ' ἔκ τ' ὀνόμαζεν.

Eoque pertinet ille toties repetitus versus,

Ἔν τ' ἄρα οἱ φῦ χειρὶ ἔπος τ' ἔφατ' ἔκ τ' ὀνόμαζε.

Quem Eustathium ait esse φιλικὸν, ac notate τὸ δεξιώσασθαι, *Iliad.* VI. Simili ritu Xenophon IV. *Hellan.* de Agesilao, Ἀκούσας ταῦτα ὁ Ἀγησίλαος ἔλαβε τῆς χειρὸς αὐτοῦ, καὶ εἶπε. Porro in salutatione vox solennis fuit χαῖρε; sicut *Odyss.* VIII. Ulyssem excipiens Alcinous, ait, χαῖρε πάτερ ὦ ξεῖνε; cui respondens Ulysses, Καὶ σὺ φίλος μάλα χαῖρε. Simili ratione Crœsus alloquitur Cyrum, χαῖρε ὦ δέσποτα. Cui ille: καὶ σύγε ὦ Κροῖσε, apud Xenophontem *Pædiæ* VII.

Accedebant sæpe oscula. Chiron advenientibus Argonautis apud Orpheum:

Ἀσπασίως ἀνόρουσε, κύσεν δ' ἄρα φῶτα ἕκαστον.

Sic Apulejus *Milesia* I. *Amplexusque ac comiter deosculatus, mi Luci, ait, sat pol diu est, quod intervisimus te*. Erat autem moris varias corporis partes deosculari, præcipue caput, oculos, humeros, manus; uti factum ab Eumæo, adventante Telemacho, *Odyss.* XVII.

Κύσσε δέ μιν κεφαλήν τε καὶ ἄμφω φάεα καλὰ
Χεῖράς τ' ἀμφοτέρας. ——

Hoc modo & famuli Ulyssem complexi, *Odyss.* XXI.

Καὶ κύνεον ἀγαπαζόμενοι κεφαλήν τε καὶ ὤμους.

Ipseque vicissim

—— κεφαλὰς καὶ χεῖρας ἔκυσσε.

Manu prehensos hospites domi considere protinus jubebant. *Iliad.* XI. Achilles Diomedem ac Ulyssem in patris ædes adventantibus,

Ἐς δ' ἄγε χειρὸς ἑλὼν, κατὰ δ' ἑδριάασθαι ἄνωγε.

Idemque legatos ab Agamemnone missos,

Εἷσεν δ' ἐν κλισμοῖσι τάπησί τε πορφυρέοισι.

Jussit vero etiam pocula iis misceri, quod & alibi factum ingredientibus. Qua de Athenæus initio *lib.* VI. Δοκεῖ γὰρ ἔχειν πρὸς φιλίαν τι ὁ οἶνος ἑλκυστικὸν, παραθερμαίνων τὴν ψυχὴν καὶ διαχέων, διόπερ οὐδὲ πρότερον ἠρώτων οἵτινες εἶεν, ἀλλ' ὕστερον ὡς τὴν ξενίαν τιμῶντες, ἀλλ' οὐ τὰς ἐν μέρει καὶ καθ' ἕκαστον ἡμῶν.

Porro ingressos hospites frequenter soliti lavare ac ungere. Ita Telemachum ac Minervam apud Nestorem

—— Δμωαὶ λοῦσαν καὶ χρῖσαν ἐλαίῳ.

Odyss. III. Ulisses quoque a Piræo in ædes introductus, lotus fuit ac unctus ab ancillis, tunicis etiam injectis, *Odyss.* XVII. Ita disponebantur ad convivium, ut supra diximus. Sed & noctu cubituris repetita lavatio, præsertim pedum, quod Ulyssi ab Euryclea jubet præstari Penelope, *Odyss.* XIX. Eadem quoque summo mane jubet ancillas lavare ac ungere Ulyssem. Denique idem factum hospitibus discedentibus. *Odyss.* I. Telemachus ad Palladem hospitem,

Ὄφρα λοεσσάμενός τε, τεταρπόμενός τε φίλον κῆρ
Δῶρον ἔχων ἐπὶ νῆα κίῃς ——

A Sic *Odyss.* V. Calypso Ulyssem discedentem lavat. Qua in re notandum, mulierum, & præsertim virginum, fuisse adhibitum ministerium, magno temperantiæ Veterum argumento; quod observavit Athenæus *lib.* I. morem hunc pervetustum dicens; quem illustrat exemplo Cocali gnatarum, quæ Minoem in Siciliam advenientem lavarunt, sed injecta calidæ loco pice; unde interemptus, teste Zenobio.

Discedentes hospites etiam poculis libare solebant, vicissim multa optantes bona: quod factum Ulysse a Phæacibus discedente, *Odyss.* XIII. & Telemacho ex Menelai regia abeunte, *Odyss.* XV. Cumulabantur cibo, potu, aliisque rebus itineri necessariis: præsertim vero hospitalibus muneribus donabantur, de quibus libro superiori diximus. Ita factum sæpe, ut multas divitias hinc inde corrogarint; quod gloriatur Ulysses, *Odyss.* XIX. Unde Ælianus *lib.* IV. *cap.* XX. ait, eundem ac Menelaum instar Phœnicum mercatorum ad colligendas opes per varias ragiones oberrasse.

CAP. XIV.

DE SUPPLICATIONE.

Hospitibus vicini sunt supplices, eodem nomine quoque insigniti, ut patet ex Ulysse, *Odyss.* IX. qui hospitem se dicit & supplicem Polyphemo. Et pari religione utrique culti; siquidem Jupiter ἐπιτιμήτωρ ἱκετάων τε, ξείνων τε creditus. Quod etiam scripsit Hesiodus Ἔργοις:

Ἶσον δ' ὅς θ' ἱκέτην ὅς τε ξεῖνον κακὸν ἔρξει.

Itaque Ulysses se offensum ratus a Phæacibus, qui hospitem deduxerant, a Jove illis ultionem imprecatur, Ζεὺς σφᾶς τίσαιτο ἱκετήσιος, *Odyss.* XIII. Necessarium vero ducebant supplicum preces exaudire; ut fuse disceptat Phœnix in oratione ad Achillem, *Iliad.* IX. Ubi Λιταὶ Jovis filiæ dicuntur, quæ eum incitant ad noxam recusantibus immittendam. Quare eas in suppplicationibus nominare erat moris, uti apud Orpheum *Argonaut.* Οὐ γὰρ ἄτιμοι Ἱκεσίου Ζηνὸς κοῦραι Λιταί. Per Jovem ipsum sæpius supplicabant. *Odyss.* II.

Λίσσομαι ἠμὲν Ζηνὸς Ὀλυμπίου, ἠδὲ Θέμιστος.

Hymno Veneris:

Ἀλλά σε πρὸς Ζηνὸς γουνάζομαι. ——

At Apollon. II. *Argonaut.*

Ἱκεσίου πρὸς Ζηνός. ——

Lucianus simpliciter: Ἀλλὰ πρὸς Ἱκεσίου λύσασθέ με. Aliquando adjiciebant res carissimas, parentes, uxores, liberos, possessiones, quæ simul complectitur Nestor *Iliad.* XV.

Τῶν ὑπὲρ ἐνθάδ' ἐγὼ γουνάζομαι, οὐ παρεόντων.

Ita Virgilius *Æneid.* X. vers. 524.

Per patrios manes, per spem surgentis Iuli,
Te precor, ——

Et post vers. 524.

Per te, per qui te talem genuere parentes.

Sic Sallustius *Bell. Jugurth. Oro vos per liberos atque parentes vestros*. Per caput, genua, animam etiam obsecrabant. *Odyss.* XV.

Λίσσομ' ὑπὲρ θυέων καὶ δαίμονος, αὐτὰρ ἔπειτα
Σῆς τ' αὐτοῦ κεφαλῆς, καὶ ἑταίρων οἵ τοι ἕπονται.

Iliad. XXII.

Λίσσομ' ὑπὲρ ψυχῆς καὶ γούνων, σῶν τε τοκήων.

Cæterum singulare est, quod Hecuba Hectori supplicat per exhibitam mammam, *Iliad.* XXII.

Εἴποτέ τοι λαθικηδέα μαζὸν ἐπέσχον,

Porro moris fuit, ut supplicantes manus supinas protenderent. Achilles

—— μητρὶ φίλῃ ἠρήσατο χεῖρας ὀρεγνύς.

Iliad. I. Lycaon Achillis

—— ἕζετο χεῖρε πετάσσας.

Iliad. XXI. Sic Europa apud Moschum

—— φίλας καλέεσκεν ἑταίρας χεῖρας ὀρεγνυμένη.

Plutarchus in *Camillo*: Δεομένων δὲ καὶ τὰς χεῖρας προϊσχομένων. Virgilius *Æneid.* XII. vers. 930.

Ille humilis supplexque oculos, dextramque precantem
Protendens. ——

Denique Latinis *precari* dictum a porricienda manu censetur Grammaticis.

Manus etiam habebant velatas. Ita Chryses *Iliad.* I.

Στέμματ' ἔχων ἐν χερσὶν ἑκηβόλου Ἀπόλλωνος.

Ἱκετηρίαν Græci dixerunt id, quo manus velabant. Harpocrationi κλάδος ἐλαίας στέμματι ἐστεμμένος, *ramus oleæ lana involutus*, quem supplices prætendebant, cujusmodi illa apud Plutarchum in *Theseo*. Ita Virgilius *Æneid.* XI. vers. 101.

Velati ramis oleæ, veniamque rogantes.

Livius quoque lib. IV. *de Bello Punico*: *Ramos oleæ ac velamenta alia supplicum porrigentes orare, ut se reciperent.* Indeque illud Plauti in *Amphitruone*, Act. I. Sc. I. vers. 100.

—— *ad nos veniunt flentes principes,*
Velatis manibus orant, ignoscamus peccatum suum.

Ad genua fere soliti protendere ac deponere. Euripides:

Ἱκετηρίας δὲ γόνασιν ἐξάπτων τίθει.

Et Andromache:

—— Στεμμάτων δ' οὐχ ἥσσονας
Σοῖς προστίθημι γόνασιν ὠλένας ἐμάς.

Ita vero in universum supplices genua tangebant accidentes. *Iliad.* II.

Γούνων ἁψάμενοι λιτανεύσομεν, αἴκ' ἐλεήσῃ.

Odyss. X.

Αὐτὰρ ὅγ' ἀμφοτέρῃσι λαβὼν ἐλλίσσετο γούνων.

& infinitis aliis locis. Ita quoque Orestes supplex Menelaum fratrem alloquitur apud Euripidem:

Τῶν σῶν γονάτων πρωτόλεια θιγγάνω.

Similiter apud Pindarum *Nem.* VIII.

Ἱκέτις Αἰακοῦ σεμνῶν γονάτων ἅπτομαι.

Apud Plutarchum quoque Perseus dicitur Æmilii γονάτων ὀρεξάμενος: de quo Livius *lib.* XLV. *Submittentemque se ad pedes sustulit; nec attingere genua passus est.* Sic Virgilius *Æneid.* X. vers. 523.

Et genua amplectens effatur talia supplex.

Meminit hujus ritus Plinius *lib.* XI. *cap.* XLV. *Hominis genubus*, inquit, *quædam & religio inest, observatione gentium. Hæc supplices attingunt; hæc, ut aras, adorant; fortasse quia in ipsis inest vitalitas.* Addit ibidem morem fuisse etiam antiquis Græcis in supplicando mentum attingere. Cujus exempla non pauca apud Homerum extant; ut *Iliad.* I. de Thetide:

Καὶ ῥα πάροιθ' αὐτοῖο καθέζετο καὶ λάβε γούνων

Σκαιῇ, δεξιτερῇ δ' ἄρ' ὑπ' ἀνθερεῶνος ἑλοῦσα.
Λισσομένη προσέειπε. ——

Et *Iliad.* X. de Dolone:

— ὁ μέλλε γενείου χειρὶ παχείῃ
Ἁψάμενος λίσσεσθαι. —

At Achilles manum Priami ad os suum porrectam modeste removet, *Iliad.* XXIV. Hecuba quoque apud Euripidem Ulyssi, ut inexorabili, objicit, quod vultum avertisset, ὡς μὴ προσθίγειν γενειάδος.

Osculari quoque genua soliti supplicantes. Id se Ægyptiorum regi fecisse affirmat Ulysses, *Odyss.* XIV.

Καὶ κύσα γούναθ' ἑλών· ὁ δ' ἐρύσατο καί μ' ἐλέησε.

Thetis quoque *Iliad.* VIII. Jovi

Γούνατ' ἔκυσσε καὶ ἔλλαβε χειρὶ γενείου.

Quin & manus osculabantur, uti Priamus *Iliad.* XXIV.

Χερσὶν Ἀχιλλῆος λάβε γούνατα καὶ κύσε χεῖρας.

Sic Apulejus *Milesia* II. *Hujus diu manus exosculatus & ipsa genua contingens, miserere ait sacerdos.*

Ad focum etiam seu larem sedere mos erat. Huc pertinet, quod Ulysses apud Alcinoum supplex, *Odyss.* VI.

— κατ' ἄρ' ἕζετ' ἐπ' ἐσχάρῃ ἐν κονίῃσι.

Similiter Apollon. *Argonaut.* IV.

Τὼ δ' ἄνεω καὶ ἄναυδοι ἐφ' ἑστίῃ ἀΐξαντες
Ἵζανον, ἥτε δίκη λυγροῖς ἱκέτῃσι τέτυκται.

Themistocles quoque apud Plutarchum dicitur ἐπὶ τὴν ἑστίαν καθίσαι, cum ad Molossorum regem confugisset. Quod fecisse idem narrat Coriolanum, Roma exactum, apud Tullum Aufidium principem Volscorum.

Ad aras quoque supplices se recipiebant. Talis illas Διὸς Ἑρκείου, ad quam confugere parabat Phemius, ut sibi parceret Ulysses, *Odyss.* XXII. Priamus quoque ad similem se recepit, quam describit Pausanias in *Corinthiacis*: Τοῦτον τὸν Δία Πριάμῳ φασὶν εἶναι τῷ Λαομέδοντος πατρῷον ἐν ὑπαίθρῳ τῆς αὐλῆς ἱδρυμένον, καὶ ὅτε ἡλίσκετο ὑπὸ Ἑλλήνων Ἴλιον ἐπὶ τοῦτον κατέφυγεν ὁ Πρίαμος τὸν βωμόν. Ab hoc ritu Euripides in *Hecuba*:

Ἀλλ' ἴθι πρὸς ναοὺς, ἴθι πρὸς βωμούς.
Ἵζε Ἀγαμέμνονος ἱκέτις γονάτων.

Adeoque in supplicibus ait refugium feris esse πέτρας, servis βωμοὺς θεῶν. Nempe quia servi potissimum hoc faciebant, ad evitandam dominorum sævitiam; unde Etymologico ἱδρῦται οἱ οἰκέται ἀπὸ τοῦ καταφεύγειν εἰς τὴν ἑστίαν. Mos hic omnibus antiquitus gentibus fuit solennis, ipsis etiam Hebræis, ut ad loca sacra Diis, velut asyla, confugerent supplices: cujus hodieque non obscura exstant apud plerasque nationes vestigia.

CAP. XV.

DE RATIONE LUGENDI.

POSTREMO loco subjiciendus hic modus, quem servabant Græci in luctu. Principio a natura omnibus commune est lacrumas emittere, quas a dolore gigni, ut fructus ab arboribus, scribit Plutarchus. In maximis utique ac fortissimis apud Græcos viris hunc affectum ponit Homerus; velut Achille, Agamemnone, aliisque. Ita Agesilaus, conspecto hostis cadavere, flevisse dicitur a Xenophonte, *Hellen.* V. Cyrus Abradata mortuo, VII. *Pædiæ*. Quin & Alexander Magnus in Nearchi &

Archiæ obitu, teste Arriano in *Indicis*. Ipsius morte audita Porus apud Philostr. *lib.* II. Cæsar conspecto annulo Pompeii, auctore Plutarcho, aliique innumeri. Et in universum pronunciat Menelaus apud Euripidem in *Helena*, id esse viri generosi.

Caput quoque lugentes soliti percutere. Priamus metuens Hectoris in pugna interitum,

—— κεφαλὴν δ᾽ ὅγε κόψατο χερσὶν.
Ὑψόσ᾽ ἀνασχόμενος. ——

Iliad. XXII. Sic Plutarchus Solonem narrat, audita filii morte, *παίειν τὴν κεφαλὴν καὶ τ᾽ ἄλλα ποιεῖν καὶ λέγειν, ἃ συμβαίνει τοῖς περιπαθοῦσι.* Similiter Herodotus in *Thalia* scribit, Psammetichum captivum Ægypti regem, cum vidisset senem mendici habitu, quem opulentum inter amicos olim habuerat, caput percussisse, *ἐπλήξατο τὴν κεφαλήν.*

Comam quoque violabant evulsis pilis. Fecit id ipsum Agamemnon, *Iliad.* X.

Πολλὰς ἐκ κεφαλῆς προθελύμνους ἕλκετο χαίτας.

Achilles quoque *Iliad.* XVIII.

—— χερσὶ κόμην ᾔσχυνε δαΐζων.

Et socii Ulyssis, ituri ad inferos,

—— γόων, τίλλοντό τε χαίτας.

Sic Virgilius *Æneid.* IX vers. 477. de matre Euryali:

—— & fœmineo ululatu
Scissa comam. ——

Et *lib.* XII. vers. 870.

Infœlix crines scindit Juturna solutos,
Unguibus ora soror fœdans & pectora pugnis.

Aristophanes in *Pace*:

Ἐκεινονὶ τὸν λοφοποιὸν οὐχ ὁρᾷς τίλλονθ᾽ ἑαυτόν.

Lucianus:

Παύσῃ τιλλόμενος τὴν κόμην.

Denique Martialis *lib.* V. *epigram.* XXXVII.

Pectusque pulsans, pariter & comam vellens.

Sordibus etiam caput conspurcabant: ut Achilles lib. XVIII. *Iliad.*

Ἀμφοτέρῃσι δὲ χερσὶν ἑλὼν κόνιν αἰθαλόεσσαν
Χεύατο κὰκ κεφαλῆς. ——

quod totidem verbis refertur de Laerte *Odys.* XXIV. Sic apud Virgilium *Æneid.* X. vers. 844. pater Lausi occisi

Canitiem multo deformat pulvere. ——

Et Latinus interempta uxore *Æneid.* XII. vers. 511.

Canitiem multo perfusam pulvere turpans.

Electra quoque apud Euripidem *πιναρὰν κόμην* ostendit ob patris mortem. Similiter apud Apulejum *Milesia* IX. *Et discerptæ comæ sordentes inspersu cineris, plerumque ejus anteventulæ contegebant faciem.* Mos hic Hebræis aliisque Orientalibus populis patrius; ut liquet ex Sacris Historiis.

Discerptæ quoque genæ, ut *Iliad.* XI. de vidua:

Τοῦ δέ τε γυναικὸς μέν τ᾽ ἀμφίδρυφοι εἰσὶ παρειαί.

quod & de Protesilai occisi uxore dicitur, *Iliad.* II. *ἀμφιδρυφὴς ἄλοχος.* Sic mulieres apud Hesiodum *Scuto Herculis*,

—— κατὰ δ᾽ ἐδρύπτοντο παρειάς.

apud Virgilium quoque *Æneid.* XII. vers. 605.

—— flavos Lavinia crines
Et roseas laniat genas. ——

Briseis etiam audita Patrocli morte, faciem, collum ac pectus lacerat,

—— χερσὶ δ᾽ ἄμυσσε
Στήθεά τ᾽ ἠδ᾽ ἁπαλὴν δειρὴν, ἰδὲ καλὰ πρόσωπα.

Similiter uxor Cyzici interfecti apud Orpheum *Argonaut.* *στήθεα δρυπτομένη λίγ᾽ ἐκώκυεν.* Philostratus de matre filii dæmone agitati: *Κἀγὼ μὲν ἐπὶ τούτοις κλάω, καὶ ἐμαυτὴν δρύπτω.* Quod a Cleopatra captiva factum refert Plutarchus in *Antonio*.

Alias creberrimum fuit tundere pectora; uti ancillæ Achillis factitant, *Iliad.* XVIII.

—— χερσὶ δὲ πᾶσαι
Στήθεα πεπλήγοντο. ——

Tryphiodorus in excidio Ilii de Cassandra.

—— πυκνὰ δὲ χαίτην
Κοπτομένη καὶ στέρνον ἀνίαχε μαινάδι φωνῇ.

Et apud Virgilium *Æneid.* XI. vers. 37.

Ingentem gemitum tunsis ad sidera tollunt
Pectoribus. ——

Quin & femora cædere soliti; ut Asius

—— ᾤμωξέν τε καὶ ὣ πεπλήγετο μηρώ.

Iliad. XI. quod etiam dicitur de Patroclo *Iliad.* XV. & Achille *lib.* XVI. Sic apud Plutarchum Fabius, cum videret suos obseptos fugere, *μηρόν τε πληξάμενος καὶ στενάξας μέγα.* Ex quo ritu illud Ciceronis *de clar. Orat. Frons non percussa, non femur.*

Volutabant se quoque terra pulverulenta. *Iliad.* XVIII. Achilles

—— ἐν κονίῃσι μέγας μεγαλωστὶ τανυσθεὶς
Κεῖτο. ——

Priamus quoque

Αὐλῆς ἐν χόρτοισι κυλινδόμενος κατὰ κόπρον.

Iliad. XXIV. & Menelaus se etiam volutasse, audita morte fratris, dicit, *Odyss.* IV.

Denique præ dolore etiam se interimebant, quod veretur de Achille Thetis *μὴ λαιμὸν ἀποτμήξειε σιδήρῳ.* *Iliad.* XVIII. Factum ab Epicasta, *Odyss.* XI. eodem modo atque Amata apud Virgilium *Æneid.* XII. Idem commisit Ajax apud Sophoclem aliosque Tragicos Scriptores, quorum monumenta plena sunt ejusmodi *αὐτοχειρίας*, ad quam Veteres illos impense constat fuisse proclives.

EVERARDI FEITHII
ANTIQUITATUM HOMERICARUM
LIBER IV.

CAP. I.
DE AGRICULTURA.



RELIQUUM est, ut de variis exercitiis, quibus occupabantur antiquitus Græci, nonnihil dicamus. In iis primum locum tenet *Agricultura*. Agri cuique colendi suis terminis distinguebantur, nimirum lapidibus. Sic *Iliad.* XXI. Minerva Martem prosternit lapide:

Τόν ῥ' ἄνδρες πρότεροι θέσαν ἔμμεναι οὖρον ἀρούρης.

Simili ratione atque apud Virgilium Turnus *Æneid.* XII. vers. 897. torquet in Æneam

Saxum antiquum, ingens, campo qui forte jacebat
Limes agro positus, litem ut discerneret arvis.

Eos religiose observabant, summum scelus ducentes exarare, aut dimovere. Quare vetustiores Romani Termino divinitatem adscripsere; nec nisi cum sacris ceremoniis statuerunt, ut est apud Dionys. Halicarnass. *lib.* II. Hinc & servi antiquitus constituti, qui agrorum fines custodirent, qualis πάρουρος Eustathio intelligitur apud Homerum *Odyss.* XI. Ὀρεοφύλακες alias Græci dixere, qui *Saltuarius* Latinis, apud Ulpianum *l.* 12. *Digest. de Instrument.* vel *Instruct. legato*. Tales in Augiæ regis campis apud Theocritum *Idyl.* XXV. Οὔρους μὲν ἴσασι φυτοσκάφοι. Quod si controversia movebatur de finibus agrorum statuendis, mensuris dirimebant; sicuti *Iliad.* XII.

Ἀλλ' ὥς' ἀμφ' οὔροισι δύ' ἀνέρε δηριάασθον
Μέτρ' ἐν χερσὶν ἔχοντες ἐν ἀρούρῃ,
Ὥ τ' ὀλίγῳ ἐνὶ χώρῳ ἐρίζητον περὶ ἴσης.

Arabant potissimum bobus; qui inde ἀροτῆρες dicti Hesiodo. Mulis quoque usi, qui celeriores in arando prædicantur. *Odyss.* VIII.

Ὅσσον τ' ἐν νειῷ οὖρον πέλει ἡμιονοῖιν.

Inde apud Hesiodum Ἔργοις;

Ἔργα βοῶν δ' ἀπόλοιτο καὶ ἡμιόνων ταλαεργῶν.

Eosdemque in curru jungebant ad vehendum, *Iliad.* XVII. & XXIII. & *Odyss.* VI. Sed peculiaris boum usus erat in terendis frugibus, *Iliad.* XX.

Ὡς δ' ὅτε τις ζεύξῃ βόας ἄρσενας εὐρυμετώπους
Τριβέμεναι κρῖ λευκὸν ἐϋκτιμένῃ ἐν ἀλωῇ.

Mos idem Hebræis, ut constat ex Lege Dei, qua vetabatur *os obturare bovis trituranti*, quam refert Paulus I. *Tim* V. Βοῦν ἀλοῶντα οὐ φιμώσεις. At Ælianus *Var. Hist.* lib. XIV. refert, solitos Veteres stercore bovino ora inungere, quo minus fruges gustarent, ὅταν ἀλοητὸς ᾖ, καὶ στρέφονται περὶ δῖνον οἱ βόες.

Erant præterea vineæ, vireta arboribus ac plantis obsita, quæ studiose colebant; prata etiam omni pecorum genere referta; uti elegantissime describitur *Iliad.* XVIII. in clypeo Achillis In his vero primum obtinebant locum boves, quos præcipuo quo-

A dam studio veteres Græcos deamasse passim constat apud Homerum; & ex eo confirmat Pausanias in *Messeniacis*; Ταῦτα μὲν τὸν λόγον μοι βεβαιοῖ, βοῦς τοὺς τότε μάλιστα χαίρειν ἀνθρώπους. In hanc rem stabula habebant extructa, quibus pastores ex servis domesticis præfecti, canumque præsidio adversus feras stipati; uti videre est in gregibus Ulyssis, *Odyss.* XIV. & Augiæ regis Elidis apud Theocritum, *Idyl.* XXV.

Atque ex hac re pecuaria omnes pene veterum Græcorum divitiæ censebantur; quam acquisitionis speciem omnium justissimam prædicat Aristoteles, velut a natura subministratam, *Polit.* V. Sic
B Diomedes commendans opes patris sui, *Iliad.* XIV.

—— ἅλις δέ οἱ ἦσαν ἄρουραι
Πυροφόροι, πολλοὶ δὲ φυτῶν ἔσαν ὄρχατοι ἀμφὶς,
Πολλὰ δέ οἱ πρόβατ' ἔσκε. ——

Similiter *Iliad.* XX. Erichthonius ditissimus mortalium dicitur, τοῦ τρισχίλιαι ἵπποι ἕλος κατὰ βουκολέοντο. Et *Iliad.* IX. urbes commendantur, in quibus habitent ἄνδρες πολύρρηνες, πολυβοῦται; omninoque in universum homines opulenti Homero vocantur πολύαρνες, πολύμηλοι; quod etiam observavit Varro lib. II. *de Re Rust.* cap. II. Ita vero apud Theocritum, *Idyl.* XXIV.

C Εὔρυτος ἐκ πατέρων μεγάλαις ἀφνειὸς ἀρούραις.

Et Augiæ κλῆρος omnis ex re agraria, potissimum bobus, constabat; qui dicitur,

—— πολὺς καὶ ἀθέσφατος ὄλβος.

Similiter apud Pindarum ode IV. *Pyth.* Salmonei regis opes in boum armentis ac agris collocantur, quas in partem hæreditatis accipit a Jasone Peleus, πλοῦτον πιαίνων. Herodotus quoque in *Urania* regis Macedonum divitias variis in gregibus ponit. Sic apud Virgilium *Æneid.* X. vers. 563. Volscens,

—— *Ditissimus agri*
Qui fuit Ausonidum, & tacitis regnavit Amyclis.

Plinius vero etiam *locupletem* dici vult, quasi *loci*,
D id est, *agri plenum*. Et *pecunia* Latinis inde dicta, quod in *pecore pecunia* tunc consistebat, ait Varro *de Re Rust.* cap. IV. & Plutarchus notat *Problem.* XLI. Εὐπορῶντες ἀπὸ τῶν θρεμμάτων μάλιστα καὶ τὴν περιουσίαν ἀπὸ τούτων ἔχοντες.

Cæterum in re rustica principes etiam viri operam ponere non censebant indignum: ut videre est ex Laerte XXIV. *Odyss.* & Augia apud Theocritum. Regum etiam filii paternis gregibus pascendis addicti; quod Homerus tradit factum a septem natis Eetionis Thebarum regis, *Iliad.* VI. ab Iso & Antipho Priami filiis, *Iliad.* XI. ab Anchise, *Iliad.* V.
E ab Ænea, *l.* XX. aliisque. Et morem hunc per omnem Orientem antiquitus observatum, constat ex sacris Historiis. Ab agro utique ad regnum non semel videmus homines vocatos, nec illum, hoc assumpto, penitus reliquisse; ut liquet exemplo Saulis, qui ex pastore designatur rex, *veniebat de agro & sequebatur boves*, I. *Samuel.* cap. XXI. Apud Romanos quoque principes viri re rustica occupati, ut ipsa etiam testantur nobilissimorum hominum

A nomina, Fabiorum, Lentulorum, Vitelliorum, Porcorum, Suilliorum, Bubulcorum, & similium; quemadmodum in hanc rem notavit Plutarchus.

CAP. II.

DE VENATU.

Ad rem rusticam pertinet *Venatus*, quem oppido frequenter Veteres exercebant, qui potissimum in agris degebant ad pascendos greges, uti *Iliad.* XI. aliisque locis apparet; & exemplo Anchisæ quoque confirmatur, qui in *Hymno* dicitur cubuisse pellibus ursorum, quos interemerat venando. Frugum etiam gratia hoc suscipiebant, quas belluæ tum temporis majores sæpius vastabant, qualis aper ille Calydonius, *Iliad.* IX. ad quem tollendum se contulerunt Curetes ac Ætoli; & leo ille Nemæus, quem Hercules confecit apud Theocritum, *Idyl.* XXV. Similiter taurus ille apud Cretenses, quem occidit Theseus, auctore Pausania in *Atticis*: Πάλαι δὲ ἄρα τὰ θηρία φοβερώτερα ἦν τοῖς ἀνθρώποις, ὡς ὅτ' ἐν Νεμέᾳ λέων καὶ ὁ Παρνάσιος, καὶ δράκοντες τῆς Ἑλλάδος πολλαχοῦ, καὶ ὗς περί τε Καλυδῶνα καὶ Ἐρύμανθον, καὶ τῆς Κορινθίας Κρομυῶνιν.

Erant autem vario armorum genere instructi cum ibant venatum. Securis ad feriendum bovem agrestem *Iliad.* XVII. adhibetur a juvenibus. Arcum etiam & hastas sumpserunt Ulysses cum sociis, ad configendum capreas, *Odyss.* IX. Idem venatum exiens cum filiis Autolyci hastam in aprum torsit, a quo vulneratur, *Odyss.* XIX. Quomodo & apud Herodotum in *Clio* læsus jaculo filius Crœsi. Hercules etiam leonem sagittis petiit, & oleagina clava exanimavit, *Idyl.* XXV. Sed & jacula dicuntur a pastoribus emissa in leonem, *Iliad.* XI. & XVII. addito igne, quo illud animal maxime terretur, ut Homeri etiam testimonio confirmat Aristoteles lib. IX. *Hist. Animal.* cap. XLIV. & Ælianus *l.* XII. *cap.* VIII. qui causam inde petit, quod leo impense calidi sit temperamenti. Modum hunc etiam aperit Oppianus *lib.* XIV. a quo cætera quæ ad venatum pertinent fuse ac eleganter pertractantur.

Canum quoque opera in venatu fuit permagna, unde κυνηγεσία Græcis dicta. Hac re præstitisse dicitur Argus ille Ulyssis, *Odyss.* XVII.

Οὐ μὲν γάρ τι φύγεσκε βαθείης βένθεσιν ὕλης
Κνώδαλον ὅ, ττι ἴδοιτο· καὶ ἴχνεσι γὰρ περιῄδη.

Et *lib.* XIX. in venatu Ulyssis, canes præcedebant ἴχνη ἐρευνῶντες, *vestigia scrutantes*: ipse

Ἄγχι κυνῶν κραδάων δολιχόσκιον ἔγχος.

Erant alioqui veteribus principibus etiam κύνες τραπεζῆες, *canes mensales*, quos delitiarum ergo nutriebant, *Odyss.* XVII.

—— ἀγλαΐης δ' ἕνεκεν κομέουσιν ἄνακτες.

Tales duodecim Patroclo erant, ex quibus duos in rogum conjecit Achilles, *Iliad.* XXIII.

Porro aucupio quoque usos veteres Heroas contendit Athenæus *lib.* I. dicens columbis & turdis eos retia & laqueos tetendisse; & se exercuisse ad ὀρνεοθηρευτικὴν, columba e malo navis suspensa funiculo, quam sagitta procul ex arcu emissa ferirent, ut ex ludis funebribus apparet, *Iliad.* XXIII, Piscatui etiam fuisse addictos, idem arguit ex sociis Ulyssis, *Odyss.* IX. qui venati

Ἰχθῦς τ' ὄρνιθάς τε φίλας θ' ὅτι χεῖρας ἵκοιτο
Γναμπτοῖς ἀγκίστροισιν. ——

Eo refert quod *Iliad.* V. Sarpedon Trojam in potestatem hostium redactam retis capturæ similem dicit,

Μήπως ὡς ἁψῖσι λίνου ἁλόντε πανάγρου,
Ἀνδράσι δυσμενέεσσιν ἕλωρ καὶ κύρμα γένησθε.

Alii ad aves hoc referunt, nonnulli ad feras. Sed enim & ostreorum capturam Homerus aperte docet, *Iliad.* XVI. ubi Cebrionis lapsum e curru confert cum urinatore desiliente e navi:

Πολλοὺς ἂν κορέσειεν ἀνὴρ ὅδε τήθεα διφῶν.
Νηὸς ἀποθρώσκων. ——

Verum enim vero prisci illi Heroes magis gaudebant pedestri ferarum venatu, quem viris fortibus maxime dignum laudat Plato VII. *de Leg.* Μόνη δὴ πᾶσι λοιπὴ καὶ ἀρίστη ἡ τῶν τετραπόδων ἵπποις καὶ κυσὶ καὶ τοῖς ἑαυτῶν θήρα σώμασιν· ὧν ἁπάντων κρατοῦσι δρόμοις καὶ πληγαῖς καὶ βολαῖς αὐτόχειρες θηρεύοντες ὅσοις ἀνδρείας τῆς θείας ἐπιμελές. Itaque ad hanc præcipue exercebantur Heroes illi jam inde a pueris; ut constat exemplo Ulyssis, *Odyss.* XIX. & Achillis apud Pindarum, *Nem.* III. ubi ille puer sexennis leonibus ac apris cædem jaculis moliebatur, corpora ad Chironem magistrum deportans; ipsos etiam cervos sine canibus aut septis interficiebat, ποσσὶ γὰρ κράτεσκε. Ita apud Virgilium priscorum Latinorum

Venatu invigilant pueri, sylvasque fatigant.

Æneid. IX. vers. 605. Quod Persarum juventuti patrium fuisse scribit Xenophon; ut hoc pacto ad bellum exercerentur. Hanc quoque Homericis Heroibus præcipuam venatus causam dicit fuisse Athenæus *lib.* I. Καὶ ἐπὶ κυνηγεσίας δὲ ἐξιᾶσιν οἱ νέοι πρὸς μελέτην τῶν πολεμικῶν κινδύνων. Nimirum quia venatus rei bellicæ quædam pars est aut imago, ut ait Aristides Oratione *in Minervam*: Πολεμικῆς μόριον τέχνης ἐστὶν, μᾶλλον δὲ εἰκών. eleganter bella vocat θήρας ἀνθρώπων.

CAP. III.

DE MULIERUM EXERCITIIS.

His rebus potissimum occupabantur viri: at mulieres rem domesticam curabant, suo quæque operi sedulo intentæ. Commune omnium studium in ducenda lana, telaque texenda versabatur. Ita namque Hector Andromachen, conantem sese avertere a pugna, domum concedere jubet, suaque opera curare, ἱστόν τ' ἠλακάτην τε, *telam ac colum*; quemadmodum Telemachus matrem Penelopen, *Odyss.* I.

Et quidem, quod ad colum attinet, eam Helena habet auro ac argento insignem, a qua violaceam lanam trahebat, *Odyss.* IV. In ejus utique laudibus ponit Theocritus *Idyl.* XVIII. quod nulla puellarum æqualium perinde nere sciebat. Sic Arete regina ad focum cum ancillis sedens ἠλάκατα στρωφῶσ' ἁλιπόρφυρα, *Odyss.* VI. & Penelope consedit ad valvas portæ λέπτ' ἠλάκατα στρωφῶσα, *Odyss.* XVII. Adeoque Ulysses *l.* XVIII. jubet ancillas circa colum versari ac lanas pectere. Ita vero Moschus quoque *Idyl.* II. Europæ regiæ puellæ colum multis emblematibus exornatam describit. Apud Xenophontem *Hellan.* V. etiam uxor Leontiadis principis apud Thebanos viri ἐριουργοῦσα προεκάθητο.

Telam vero Helena quoque texit, *Iliad.* III.

—— ἱστὸν ὕφαινε,
Δίπλακα, μαρμαρέην. ——

ubi res a Græcis ac Trojanis gestas inserit. Ita Andromache. *Iliad.* XXII. ἐν δὲ θρόνα ποικίλ' ἔπασσε: ipsa-

ipsaque vestes sua manu elaboratas donat Æneæ apud Virgilium *Æneid.* III. Idem Circe & Calypso Nymphæ factitant, *Odyss.* v. & IX. Denique nota tela Penelopes triennio texta, & retexta; cui similis illa filiarum Tarchetii regis Albani apud Plutarchum in *Romulo*. Ad vestem funebrem illa Laerti parata; uti Euryalo a matre, *Æneid.* IX.

Ita vestes ipsæ a mulieribus textæ ac consutæ; qualia Hectori vestimenta jacebant in ædibus

—— τετυγμένα χερσὶ γυναικῶν.

Sic *Æneid.* VII. vers. 248.

Iliadumque labor, vestes. ——

Dido quoque Æneæ dedit lænam sua opera factam, *Æneid.* IV. Sicuti apud Herodotum in *Calliope* Amestris Xerxis uxor ἐξυφήνασα φᾶρος μέγα τε ϗ ποικίλον ϗ θέης ἄξιον διδοῖ Ξέρξῃ.

At Sisyngambis Persarum regina captiva in mœrorem ac lacrumas soluta est, cum Alexander ei lanam ac purpuram tradi jussisset: cui ille, *Mater*, inquit, *hanc vestem sororum non solum donum, sed & opus vides*. Ita vero Augustus filias & neptes instituit, ut etiam lanificio adsuefaceret, ut narrat Suetonius; additque, *illum non alia veste, quam domestica usum*. Idem optat Domitiano Imperatori Roma apud Statium IV. *Sylvarum:*

Et properata tuæ manibus prætexta Minervæ.

Vetus hic apud Romanos mos; ex quo factum, ut inter alios ritus nuptiarum colum comptam lana & fusum cum stamine uxores in maritorum ædes deductæ portarent, virique januam lanificio coronarent; quemadmodum traditum a Plutarcho ac Plinio.

Panem insuper solitæ mulieres parare, & cætera quæ ad victum pertinebant. Sic in aula Alcinoi quinquaginta ancillæ, quarum aliæ frumentum mola contundebant, aliæ texebant, *Odyss.* VI. & in ædibus Ulyssis ancillæ duodecim, quæ noctu molebant. Theophrastus, *de Rusticitate*, similiter ancillam molentem introducit, cui operam addit homo insulsus, κᾆτ' ἀλέσας μετ' αὐτῆς τοῖς ἔνδον πᾶσι ϗ αὐτῷ τὰ ἐπιτήδεια. Sic Simonides de Mulierib. Η δ' ὢλὶ ἔργα ϗ δούλια περιτρέπει, Κ' ὄτ' ἂν μύλης ψαύσειεν, ὄτε κόσκινον ἄρειεν. Eo pertinet quod dicitur in Evangelio *Matth.* cap. XXIV. 41. Δύο ἀλήθουσαι ἐν τῷ μύλωνι· μία παραλαμβάνεται, ϗ μία ἀφίεται. Hinc Pollux *lib.* III. *cap.* II. in solemnibus nuptiarum a Græcis observatum scribit, pistillum sponsæ ante thalamum offerri solitum, puella etiam cribrum ferente, σημεῖα ὡς εἰκὸς αὐτουργίας. In exercitu vero etiam Xerxis dicuntur fuisse γυναῖκες σιτοποιοῦσαι, apud Herodotum in *Polymnia*: uti in urbe Platæensium a Thucydide *lib.* II. mulieres σιτοποιοὶ decem & centum recensentur.

Sed & Herodotus in *Urania* narrat, ipsam Macedonum reginam pastoribus regiis panem confecisse: ἡ δὲ γυνὴ τοῦ βασιλέως αὐτὴ τὰ σιτία σφι ἔπεσσε.

Inde mulieri etiam data in universum penus cura, ut in ædibus Ulyssis Eurycleæ, *Odyss.* I.

Σῖτον δ' αἰδοίη ταμίη παρέθηκε φέρουσα,
Εἴδατα πόλλ' ἐπιθεῖσα. ——

Morem hunc etiam fuisse Atheniensibus tradit Aristophanes in *Concionantibus*:

Ταῖς γὰρ γυναιξὶ φημὶ χρῆναι τὴν πόλιν
Ὑμᾶς παραδοῦναι, ϗ γὰρ ἐν ταῖς οἰκίαις
Ταύταις ἐπιτρόποις ϗ ταμίαις χρώμεθα.

Aquam etiam e fonte mulieres consueverant afferre. Id agere ancillas jubet Euryclea, *Odyss.* XX.

—— ταὶ δὲ μεθ' ὕδωρ
Ἔρχεσθε κρήνηνδε, ϗ οἴσετε θᾶσσον ἰοῦσαι.

Post:

Αἱ μὲν ἐείκοσι βῆσαν ἐπὶ κρήνην μελάνυδρον.

Hector quoque metuit uxori Andromachæ, ne se mortuo captiva Argis aquam ferre cogatur, ac telam alienam texere:

Καί κεν ὕδωρ φορέοις Μεσσηΐδος ἢ Ὑπερείης
Πόλλ' ἀεκαζομένη. ——

Iliad. VI. Ita vero Cambyses Psammeniti regis filiam veste servili amictam emisse dicitur apud Herodotum in *Thalia*, ἐπ' ὕδωρ ἔχουσαν ὑδρήιον; unde ipsa flevit. Atqui idem in *Erato* hunc morem fuisse docet ingenuis puellis apud Athenienses pervetustum. Et apud Homerum *Odyss.* X. regis Læstrygonum filia ὑδρεύουσα ad fontem concedit.

CAP. IV.

DE MUSICA.

ATQUE hæc exercitia erant necessaria; accedebant etiam delectabilia, & voluptatis gratia comparata, in quibus primas tenent cantus & saltatio. Cantus quidem constat voce, aut instrumentis, quæ Musica vulgo dicuntur. Ea partim sunt φυσητικὰ, quæ inflantur, ut αὐλὸς, σῦριγξ, *tibia*, *fistula*, *Iliad.* X. ἐνταστικὰ, quæ chordis extenduntur, ut κιθάρα, seu κίθαρις, φόρμιγξ, λύρα: quæ unum idemque esse tradit Pollux, & ipsemet Homerus aperte docet. Etenim dicit φόρμιγγι κιθαρίζειν, *Iliad.* XVIII. & λύρῃ κιθαρίζειν, in *Hymno Mercurii*; ubi indifferenter omnes has voces usurpat. Eustathius vero etiam scribit χέλυν vocatam fuisse πᾶσαν κιθάραν.

Intendebantur hæc septem chordis, quæ plerumque erant ex intestinis ovium; unde Homerus *Odyss.* XXI. chordam vocat εὐστρεφὲς ἔντερον οἰός. Ex lino etiam constitisse censet vetus Scholiastes, *Iliad.* XVIII. ubi dicitur, λίνον δ' ὑπὸ καλὸν ἄειδε. Porro septem extitisse chordas in testitudine a Mercurio constructa, docet Homerus in *Hymno Mercurii*:

Ἑπτὰ δὲ συμφώνους οἴων ἐτανύσσατο χορδάς.

Quod expressit Horatius lib. III. *Carm.* ode XI.

Tuque testudo resonare septem
Callida nervis.

Quare Pindarus *Pyth.* II. φόρμιγγα ἑπτάτονον vocat, & *Nem.* V. ἑπτάγλωσσον.

Plectro autem tangebantur chordæ, *Hymno Mercurii*:

Πλήκτρῳ ἐπειρήτιζε κατὰ μέρος· ἡ δ' ὑπὸ χειρὸς
Σμερδαλέον κονάβησε.

Idem sæpius repetitur apud Lyricum vatem Pindarum; itemque apud Anacreontem:

Ἐλεφαντίνῳ δὲ πλήκτρῳ λιγυρὸν μέλος κροαίνων.

Quemadmodum apud Virgilium *Æneid.* VI. vers. 647.

—— *jam pectine pulsat eburno.*

Sic Aristoteles *Polit.* I. Εἰ αἱ κερκίδες ἐκέρκιζον αὐταὶ ϗ τὰ πλῆκτρα ἐκιθάριζεν. Quod usque adeo observatum fuit, ut Lacedæmonii ψάλτην ἐπιδημήσαντα ἐζημίωσαν, ὅτι δακτύλοις κιθαρίζει, teste Plutarcho.

Fuiſſe vero plectrum hoc non ita exile, conſtat ex eo, quod Ælianus *lib.* XII. ſcribit, Herculem occidiſſe illo Linum, a quo Muſicam edocebatur: & quod Stratonicus ait apud Athenæum *lib.* VIII. aliud eſſe plectrum, aliud ſceptrum, ἕτερον, ὦ βασιλεῦ, σκῆπτρον, ἕτερον δὲ πλῆκτρον; ut proinde nonnulla interceſſerit affinitas.

Cum citharæ ſono jungebant vocem, uti Mercurius

—— τάχα δ᾽ λιγέως κιθαρίζων
Γαρύετ᾽ ἀμβολάδην· ἐρατὴ δὲ οἱ ἕσπετο φωνή.

Similiter *Iliad.* I. Apolline citharam feriente, Muſæ canebant

Αμειβόμεναι ὀπὶ καλῇ. ——

Sic Orpheus apud Argonautas

—— Ελὼν φόρμιγγα λιγείαν
Εκ ςόματος μελίγηρυν ἱεὶς ἀπέπεμπεν ἀοιδήν.

Canebant variis de rebus, tam divinis, quam humanis. Ita Mercurius cantu celebrat Deos immortales, terramque, & quomodo quæque nata ac diſpoſita ſunt in univerſo. Similiter Orpheus apud Chironem Centaurum canit de rerum principiis, & quæ memoratu digna antiquitus evenerunt. Apud Virgilium *Æneid.* I. verſ. 745.

—— cithara crinitus Iopas
Perſonat aurata, docuit quæ maximus Atlas:
Hic canit errantem lunam ſoliſque labores,

& quæ ſequuntur. Helena quoque apud Theocritum, *Idyl.* XVIII. Dianam ac Minervam cantu celebrat:

Αρτεμιν ἀείδοισα καὶ εὐρύςερνον Αθάναν.

Demodocus in *Odyſſea* canit de Martis ac Veneris furtivo congreſſu; de contentione Achillis; de equo Trojano: Phemius de reditu Achivorum: Achilles vero *Iliad.* IX. canebat cithara κλέα ἀνδρῶν, *laudes clarorum virorum*, ut ait Cicero in *Tuſculan.* Chiron etiam Centaurus de bello Lapitharum ac Centaurorum cantat. Sic *Æneid.* IX. verſ. 777. Cretheus

Semper equos atque arma virum pugnaſque canebat.

Omnino vero ſoliti Veteres hunc in modum cantilenas de rebus quibuſque memorabilibus componere, quarum antiquiſſima λίνον, de quo Euſtathius *Iliad.* XVIII. & Pauſanias in *Bœoticis*. Idem factum iri de cæde Agamemnoni a Clytæmneſtra illata, dicit Homerus, *Odyſ.* XXIV. ςυγερὴ δὲ ἀοιδὴ ἔσσετ᾽ ἐπ᾽ ἀνθρώποις, itemque de Oreſte, Clytæmneſtram ac Ægyſthum perimente, *Odyſſ.* III.

Οἵ σησι κλέος εὐρὺ καὶ ἐσσομένοισιν ἀοιδήν.

A Lacedæmoniis hoc omni tempore fuiſſe religioſe obſervatum ſcribit Athenæus *lib.* XIV. Τηρῦσι γε νῦν τὰς ἀρχαίας ᾠδὰς ἐπιμελῶς, πολυμαθεῖς τε εἰς ταύτας εἰσὶ καὶ ἀκριβεῖς. Queriturque luxuria depravatam in Græcia Veterum Muſicam, & eorum more optat denuo Deorum laudes Heroumque acta cantu celebrari.

In ſolennioribus Deorum ſacris ac celebritatibus potiſſimum hic cantus obtinebat; quemadmodum videre eſt in *Hymno Apollinis*; ubi Iaones cum liberis ac uxoribus dicuntur congregari in Delum, & cantu Apollinem exhilarant; Deliades præcipue puellæ, quæ celebrato Apolline, Latona ac Diana, factaque mentione virorum antiquorum ac mulierum,

Υμνον ἀείδωσι, θέλγωσι δὲ φῦλ᾽ ἀνθρώπων.

Υμνυς hoc genus cantus dixerunt, quos Theocritus ἀθανάτων γέρας appellat, *Idyl.* XVII. Erant autem variis Diis varii, uti ſuis nominibus diſtinguuntur apud Pollucem *lib.* I. *cap.* I. Παιὰν Απόλλωνος, ὔπιγγος Αρτέμιδος, Διονύσυ διθύραμβος, Δήμητρος Ιυλος, & ſimiles. Princeps ille Apollinis,

A a quo & cæteri παιᾶνες dicti. Eo uſi Achivi in ſolenni Apollinis ſacrificio, *Iliad.* I. καλὸν ἀείδοντες παιήονα.

Porro erat antiquis Heroibus Muſices ſtudium familiare: ut conſtat exemplo Herculis, Achillis, Eetionis Thebanorum regis, Chironis, & aliorum. Etiam poſterioribus ſeculis apud viros principes in uſu, quod docet Themiſtocles, qui cum recuſaſſet lyram, habitus eſt indoctior. Ipſi vero cantores, quos ἀοιδὺς Homerus vocat, omnibus ſapientiæ partibus erant inſtructi: quod ex Phemio liquet, quem Penelope dicit noſſe omnia Deorum ac hominum acta,

B *Εργ᾽ ἀνδρῶν τε θεῶν τε τά τε κλείυσ᾽ ἀοιδοί.*

Odyſſ. I. Unde Euſtathius eum θείων καὶ ἀνθρωπίνων πραγμάτων ἐπιςήμονα appellat. Philoſophorum utique nomen Muſici antiquitus obtinebant, ut teſtatur Scholiaſtes *Odyſ.* III. Τὸ ἀρχαῖον οἱ ἀοιδοὶ φιλοσόφων τάξιν ἐπεῖχον. Æſchylus quoque σοφιςὰς vocat: Εἶτ᾽ ὖν σοφιςὴς καλὰ παραπαίων χέλυν. Sic Pindarus *Iſthm.* V.

—— μελέταν δὲ σοφιςαῖς
Διός ἕκατι πρόσβαλλον σεβιζόμενοι.

Scholiaſtes: Σοφιςὰς καὶ σοφὺς ἔλεγον τὺς ποιητάς. Temperantiæ ac omnium virtutum magiſtros extitiſſe, auctor Athenæus *lib.* I. Σῶφρον δέ τι ἦν τὸ τῶν
C ἀοιδῶν γένος καὶ φιλοσόφων διάθεσιν ἐπέχον. Unde & Agamemnon diſcedens reliquit Clytæmneſtræ ἀοιδὸν φύλακα καὶ παραινετῆρά τινα, qui, honeſtarum mulierum laudibus decantatis, probitatis ſtudium in ea accenderet, & ſua conſuetudine illam a nefariis cogitationibus diverteret: quare non ante ab Ægyſtho corrupta fuit, quam hoc occiſo, *Odyſ.* III. Atque adeo in univerſum idem pronuntiat *lib.* XIV. veterem Græcorum ſapientiam Muſica potiſſimum conſtitiſſe: Τὸ δὲ ὅλον ἔοικεν ἡ παλαιὰ τῶν Ελλήνων σοφία τῇ Μυσικῇ μάλιςα δεδομένη. Hinc Orphei, Muſæi, Lini θεολογία Muſicis nu-
D meris compoſita; eorumque exemplo conſtructa univerſa Homeri poeſis, ὃ διὰ τὸ μεμελοποιηκέναι πᾶσαν ἑαυτῦ τὴν ποίησιν ἀφροντιςὶ τὺς πολλὺς ἀκεφάλυς ποιεῖ ςίχυς καὶ λαγαρὺς, ἔτι δὲ μειύρυς, ait Athenæus.

Cæterum tritus fuit vulgo Muſicæ uſus in conviviis, ut ex iis, qui citati ſupra ſunt, locis apparet. Unde Homerus citharam conviviorum ſociam appellat:

Φόρμιγγός θ᾽ ἣν δαιτὶ θεοὶ ποίησαν ἑταίραν.

Odyſſ. XVII. Quod laudat Diogenianus apud Plutarchum *Sympoſ.* lib. VII. cap. VIII. Ita vero & Pindarus *Olymp.* ode I.

E *Οἷα παίζομεν φίλαν*
Ανδρες ἀμφὶ θαμὰ
Τράπεζαν.

Horatio etiam lib. III. *Carm.* ode XI. teſtudo,

———————— nunc &
Divitum menſis & amica templis.

Sed & alibi cantus obtinuit; ſicuti in caſtris Trojanorum, *Iliad.* X.

Αὐλῶν συρίγγων τ᾽ ἐνοπήν. ——

In agris etiam, tempore vindemiæ, *Iliad.* XVIII.

Τοῖσιν δ᾽ ἐν μέσσοισι πάϊς φόρμιγγι λιγείῃ
Ιμερόεν κιθάριζε. ——

F Ibidem etiam paſtores τερπόμενοι σύριγξι. Sic Anchiſes in ſtabulo βυκολέων κιθαρίζει. Quo pertinent Bucolica Theocriti, Moſchi, Virgilii, & aliorum.

CAP. V.

DE SALTATIONE.

AFFINIS cantici saltatio, quo nomine Plato in *Theagene* Musicam definit, qua canentes regimus in choris ἢ τῶν ᾀδόντων ἐπιστάμεθα ἐν τοῖς χοροῖς ἄρχειν. Itaque apud Homerum semper fere conjunguntur, præsertim in conviviis; quorum ornamenta vocat, *Odyss.* I.

Μολπή τ' ὀρχηστύς τε, τὰ γάρ τ' ἀναθήματα δαιτός.

Quæ ἀκροάματα vocat Diogenianus apud Plutarchum. Hinc Athenæus loquens de Homericis Heroibus: Εχρῶντο δὲ ἐν τοῖς συμποσίοις καὶ κιθαρῳδοῖς δὲ ὀρχησταῖς. Ex quo ritu Dion Chrysostomus Orat. *ad Alexandr.* Τοὺς μὲν ἄλλους ἀνθρώπους ἡ μέθη πρὸς ᾠδὴν τρέπει καὶ ὄρχησιν, παρ' ἡμῖν δὲ τοὐναντίον ἐστιν, ἡ γὰρ ᾠδὴ μέθην ἐμποιεῖ καὶ ὄρχησιν.

In Deorum quoque sacris saltationem cum cantu sociabant: uti videmus factum Apollini in Delo, in *Hymno*. Perpetuam illic saltationem fuisse tradit Lucianus περὶ ὀρχήσεως. Cujus exemplum apud Plutarchum in *Theseo*: Εχόρευσε μετὰ τῶν ἠϊθέων χορείαν, ἣν ἔτι νῦν ἐπιτελεῖν Δηλίους λέγουσι. Ita Thyades Atticæ mulieres, quotannis ad Bacchi sacra Delphos proficiscentes, per viam solitæ saltare, maxime ad Panopeum, quam ideo καλλίχορον Homerus vocavit, *Odyss.* XI. ut notat Pausanias in *Phocicis*. Atque adeo antiquiores Græcos in honorem Deorum choreas, maxime celebritatibus publicis, agitare solitos, ex infinitis auctoribus comprobatur.

Duum generum saltationes apud Homerum observat Athenæus: Ορχήσεις δ' εἰσὶ παρ' Ομήρῳ αἱ μὲν τινες τῶν κυβιστήρων, αἱ δὲ διὰ τῆς σφαίρας. Κυβιστῆρες eodem ac petauristæ modo in caput provolvebantur, corpore in spiram contracto, pedesque ac manus huc illuc diducebant. Ut *Odyss.* IV.

—— δοιὼ δὲ κυβιστητῆρε κατ' αὐτοὺς
Μολπῆς ἐξάρχοντες ἐδίνευον κατὰ μέσσον.

At διὰ σφαίρας cum pila saltasse legitur Nausicae *Odyss.* VI. una cum sociis puellis ludens. Eique Agallis Corcyræa inventionem hujus ritus adscribit, teste Athenæo. Post apud Phæacas *Odyss.* VIII. etiam pilæ lusus extitit, subjuncta saltatione. Etsi hanc ab illo discernat Athenæus, asserens Phæacas seorsim alterne junctos saltasse, dum alii erecti starent ac digitis numeros sonarent.

Sed enim apertissime sine pila saltant juvenes virginesque manu junctæ, in choro illo, qui Dædali illius apud Cnossum exemplo descriptus est in clypeo Achillis. Observat vero hic Eustathius, vulgo censeri apud plerosque, antiquitus morem fuisse, ut viri ac mulieres seorsim choreas agitarent; primum eos, qui cum Theseo fuerunt servati, septem adolescentes, totidemque puellas ἀναμὶξ promiscue saltasse, duce ac præceptore Dædalo. Dionysius vero Halicarnasseus lib. VII. *Antiquit. Rom.* etiam notat, priscum Græciæ ritum, ut juvenis saltaret cum armis, quam πυῤῥίχην dixerunt. Nam in hac saltatione aureos gestabant enses, οἱ δὲ μαχαίρας εἶχον χρυσείας ἐξ ἀργυρέων τελαμώνων. Hoc nimirum Cretensibus erat patrium, ut testatur Nicolaus apud Stobæum: Οἱ δὲ Κρητῶν παῖδες ἀγελάζονται κοινῇ, καὶ τὴν ἐνόπλιον πυῤῥίχην ἐκπονοῦντες, ἥντινα πρῶτος εὗρε Πύῤῥος Κωτονιάτης Κρὴς τὸ γένος. Ita quoque Scholiastes Homeri *Iliad.* XVI. Επυῤῥίχιζον γὰρ τοῖς ὅπλοις οἱ Κρῆτες πρὸς ἄσκησιν τῶν πολεμικῶν.

In hunc modum saltatio exercitatio quædam bellica Veteribus fuit, προγύμνασμα οὖσα τοῦ πολέμου, ait Athenæus de Lacedæmoniis, apud quos ea post alios Græcos remansit, *lib.* XIV. Unde Socrates eos, qui optime saltant, bello optimos affirmat: Οἱ δὲ θεοὺς κάλλιστα χόροις τιμῶσιν, ἄριστοι ἐν πολέμῳ. Itaque Æneas Merionis fortitudinem exaggerat, quod bonus esset saltator:

Μηριόνη τάχα κέν σε, καὶ ὀρχηστὴν περ ἐόντα,
Εγχος ἐμὸν κατέπαυσε διαμπερὲς, εἴ σ' ἔβαλόν περ.

Iliad. XVI. At vero Priamus reprehendit suos filios, quod essent

—— ὀρχησταί τε χοροιτυπίῃσιν ἄριστοι.

Iliad. XXIV. Sed mollem & effœminatam illis saltationem objicit; quomodo & Paridi citharam Hector; nempe quia haud canebat Heroum fortium gesta, ut Achilles; sed lasciva carmina, μέλη μοιχικά, καὶ οἷα αἱρεῖν γυναῖκας καὶ θέλειν, ut ait Ælianus *lib.* IX. *cap.* XXXVIII.

CAP. VI.

DE VARIIS LUDORUM GENERIBUS.

ERANT quoque apud Græcos in usu varii ludi, saltus, cursus, jactus, lucta, pugilatus. Ii potissimum instituebantur in Deorum honorem, solennibus populi conventibus ac celebritatibus, quas Πανηγύρεις Græci dixerunt. Quemadmodum in *Hymno Apollinis* congregari dicuntur Iones,

Οἱ δέ σε πυγμαχίῃ τε καὶ ὀρχηθμῷ καὶ ἀοιδῇ
Μνησάμενοι τέρπουσιν, ὅταν στήσωνται ἀγῶνα.

Idem obtinuit Olympiæ in honorem Jovis, cujus meminit Homerus *Iliad.* IX. Ad Pytho quoque, Nemeam, & Isthmum, in honorem Apollinis, Neptuni, seu, ut alii, Palæmonis, ac Archemori. Quibus quatuor locis totius Græciæ concursu varii generis certamina edebantur, præmiis victoribus propositis; quæ complectens Lucianus *de Gymnasiis*: Ολυμπίασι μὲν, inquit, στέφανος ἐκ κοτίνου, Ισθμοῖ δὲ ἐκ πίτυος, ἐν Νεμέᾳ δὲ σέλινον πεπλεγμένος, Πυθοῖ δὲ μῆλα τῶν ἱερῶν τοῦ θεοῦ. Sed & in funere alicujus defuncti principis viri ejusmodi ludos edere fuit moris; ut videre est toto libro *Iliad.* XXIII. factum Patroclo. In gratiam quoque hospitis illustrioris varia certamina a viris principibus instituta: ut Ulyssi evenit apud Phæacas, *Odyss.* VIII. Illic sorte electi novem præsides ludorum, qui in certamine singula administrabant:

Αἰσυμνῆται δὲ κριτοὶ ἐννέα πάντες ἀνέσταν
Δήμιοι, οἳ κατ' ἀγῶνας ἐὺ πρήσσεσκον ἕκαστα.

In ludis vero funebribus Patrocli Achilles omnia disponit, & sorte jacta, singulos inter se committit victores, præmiis propositis donans.

Saltu apud Phæacas vincit Amphialus *ibid.*

Αλματι δ' Αμφίαλος πάντων προφερέστερος ἦεν.

Cursus erat alius pedestris, alius equestris. Pedibus apud Phæacas certant Laodamas, Halius & Clytoneus ἀπὸ νύσσης e carceribus ad terminum præfinitum contendentes, quorum postremus attigit primum. Ita quoque Ajax Oilei & Ulysses pari nisu concurrunt, Ulysse Ajacem lapsum prævertente.

Equis curru junctis certarunt complures; meta ligno querno, aut picea, ulnæ altitudine erecto, cui lapides bini utrinque appositi; circa quam qui primus currum flexisset, victoriam obtinebat.

A Erant quoque Veteribus in usu equi sine curru, quibus junctis inter currendum huc illuc alternatim transiliebant; quod *κεμητίζειν* dixerunt; uti est *Iliad.* xv. ubi quatuor ejusmodi equi a viro per viam aguntur:

—— ὃ δ' ἔμπεδον ἀσφαλὲς αἰεὶ
Θρώσκων, ἄλλοτ' ἐπ' ἄλλον ἀμείβεται, οἱ δὲ πέτονται.

Demetrius memoriæ prodidit, se equitem ejusmodi vidisse. *Desultores* Romani vocarunt; sed duobus tantum usi equis, ut est apud Sextum Pompejum. Cæterum Eustathius censet, hoc *κατὰ πρόληψιν* B ab Homero scriptum; siquidem Troicis temporibus ignoti ejusmodi equites existimantur; quod etiam scribit Gellius *lib.* X. *cap.* XVI.

Jactus fiebat disco, qui Scholiastæ Homeri dicitur *βαρὺς λίθος, ὃν ἔῤῥιπτον οἱ γυμναζόμενοι, quem jaciebant concertantes*, quis nimirum longius propelleret, quod notis solebat designari. Ita Epeus, Ajax Telamonius, & Polypœtes contenderunt, hoc reliquos vincente. Ulysses quoque Phæacas omnes disco superavit. Achillis etiam copiæ ad littus

Δίσκοισιν τέρποντο καὶ αἰγανέῃσιν ἱέντες. C

Iliad. II. quemadmodum & proci Penelopes in pavimento aulæ, *Odys.* IV. Tragulæ ibi additæ, ut alias jacula; & sagittæ arcu emissæ; nempe in columbam malo navis appensam, *Iliad.* XXIII. in securis foramen, *Odys.* XXI.

Lucta inter Ajacem ac Ulyssem facta, qui manibus se invicem corripuerunt, & huc illuc percusserunt, contendentes, uter prior adversarium humi prosterneret. Similiter luctati Ulysses & Irus, qui ab illo dejectus ac pene exanimatus fuit, *Odys.* XVIII.

D Pugilatus fiebat, pugnis loro bovino munitis, quibus se percutiebant; uti videmus factum ab Euryalo & Epeo, *Iliad.* XXIII. Sic Theocritus *Idyl.* XXII. ait Pollucem pugnis metuendum,

Χεῖρας ἐπισφίγξαντα μέσοις βοέοισιν ἱμᾶσι.

Quod postea clarius liquet ex illius cum Amyco certamine. Similiter apud Virgilium *Æneid.* v. vers. 401.

In medium geminos immani pondere cæstus
Projecit, quibus acer Eryx in prælia suetus
Ferre manum, dextroque intendere brachia tergo. E

Antiquitus autem habebant pugiles lorulos e crudo bovis corio implicatos, qui ad volam manus erant revincti, ita ut digiti essent nudi, unguibus se decerpere liceret: *μείλιχας* prisci dixerunt. Postea cæstus fuerunt in usu, attenuato in acutum loro, quos ad utriusque manus *καρπὸν* religabant; uti tradit Pausanias in *Arcadicis*. At Pollux *lib.* II. *cap.* XXX. dicit, glandibus plumbeis insutis riguisse: ideoque *σφαιρομαχεῖν* pugiles dicit.

F Porro tam in lucta, quam pugilatu, Veteres, dempta veste, media corporis parte cingebantur. Sic enim de Ulysse & Ajace luctaturis Homerus loquitur, *Iliad.* XXIII.

Τὼ δὲ ζωσαμένω βήτην ἐς μέσσον ἀγῶνα.

Ulysses quoque concertaturus cum Iro, *Odyss.* XVIII.

Ζώσατο μὲν ῥάκεσι περὶ μήδεα, φαῖνε δὲ μηροὺς
Καλούς τε μεγάλους τε, φάνεν δὲ οἱ εὐρέες ὦμοι,
Στήθεά τε, στιβαροί τε βραχίονες. ——

Confirmat hunc veteris Græciæ morem ex Homero Dionysius Halicarnasseus *Antiq. Roman.* l. VII.

Τὰ δὲ πρὸ τούτων δι' αἰσχύνης εἶχον ἅπαντες οἱ Ἕλληνες ὅλα γυμνὰ φαίνειν ἐν ταῖς ἀγωνίαις τὰ σώματα, ὡς Ὅμηρος τεκμηροῖ μαρτύρων ἀξιοπιστότερός τε καὶ ἀρχαιότατος ὢν ζωννυμένους τοὺς ἥρωας ποιῶν. Primus se totum nudavit in Olympico stadio Acanthas Lacedæmonius Olympiade xv. ut idem auctor tradit. Thucydides quoque *lib.* I. narrat Lacedæmonios primum corpora nudasse, cum antea athletæ subligacula haberent circum verenda: *Ἐγυμνώθησάν τε πρῶτοι καὶ ἐς τὸ φανερὸν ἀποδύντες, λίπα μετὰ τοῦ γυμνάζεσθαι ἠλείψαντο. τὸ δὲ πάλαι καὶ ἐν τῷ Ὀλυμπιακῷ ἀγῶνι διαζώματα ἔχοντες περὶ τὰ αἰδοῖα οἱ ἀθληταὶ ἠγωνίζοντο.* Additque Barbaros permultos peculiariter Asianos, cinctos concertare. Quod apud Romanos etiam obtinuisse constat.

Cæterum erant alia quoque ludicra exercitia veteribus Græcis in usu, ut *ἀστραγάλου πεττοί*. Patroclus *Iliad.* XXIII. dicit se occidisse parvulum Amphidamantis filium, ludo *ἀστραγάλων*, *ἀμφ' ἀστραγάλοισι χολωθείς, ob talos iratum*. Puerilis nimirum ille ludus fuit, ut testatur Pausanias in *Eliacis*, ubi narrat Gratiarum mediam pictam cum talo: *Ἀστράγαλόν τε μειρακίων τε καὶ παρθένων, οἷς ἄχαρι οὐδὲν πω πρόσεστιν ἐκ γήρως, τούτων εἶναι τὸν ἀστράγαλον παίγνιον.* Hinc apud Apollonium *Argonaut.* Cupido ac Ganymedes talis ludunt,

—— Ἀμφ' ἀστραγάλοισι δὲ τώ γε
Χρυσείοις, ἅτε κοῦροι ὁμηθέες, ἑψιόωντο.

Notum quoque illud Dionysii apud Plutarchum *de fortitud. Alex.* pueros talis, viros juramentis esse fallendos: *Τοὺς μὲν παῖδας ἀστραγάλοις, τοὺς δὲ ἄνδρας ὅρκοις ἐξαπατᾶν.* At vero proci Penelopes ludebant

—— Πεσσοῖσι προπάροιθε θυράων.

Odyss. I. qua de re Athenæus *lib.* I.

CAP. VII.

DE BELLO.

Ad bellica exercitia postremum veniamus, quorum reliqua omnia fuerunt *προγυμνάσματα* ac præludia. Hac una namque in re prisci Græci omnem virtutem posuerunt; quemadmodum præclare scribit Athenæus *lib.* XIV. *Οἱ παλαιοὶ τὴν ἀνδρείαν ὑπελάμβανον εἶναι μεγίστην τῶν πολιτικῶν ἀρετῶν καὶ ταύτῃ τὰ πολλὰ προσνέμειν, οὐ τοῖς ἄλλοις.* Et optimus quisque dictus *ἄριστος*, qui Ἄρει *Marte* esset præstantissimus. In hanc rem arma perpetuo ferre erat moris, uti initio suæ *Historiæ* scripsit Thucydides: *Πᾶσα γὰρ ἡ Ἑλλὰς ἐσιδηροφόρει. διὰ τὰς ἀφράκτους τε οἰκήσεις καὶ οὐκ ἀσφαλεῖς παρ' ἀλλήλους ἐφόδους, καὶ συνήθη τὴν δίαιταν μεθ' ὅπλων ἐποιήσαντο, ὥσπερ οἱ βάρβαροι.* Quod Persis peculiariter adscribit Ammian. Marcellinus *l.* XXIII. Omnes tamen promiscue vel inter epulas festosque dies gladiis cincti cernuntur, quem Græcorum veterum morem abjecisse primos Athenienses Thucidides est auctor amplissimus.

Armis hisce usi cum ad se adversus aliorum injurias defendendum, tum ad alios infestandos, quod antiquis illis temporibus in more atque adeo laude positum erat. Violentia utique maxima, in alienis rebus armata manu occupandis, passim apud Homerum apparet. Indeque nata bella, quibus referta veteris Græciæ monumenta. Ita Ulysses ab Ilio enavigans Ciconum urbem depopulatus est, & ab iisdem pugna impetitus, magnam sociorum partem amisit, *Odys.* IX. Similiter *Odyss.* XIV. narrat se, cum in Ægyptum appulisset, cum sociis agros

vastasse, omniaque abegisse, viris plerisque interfectis. Eaque ratione apud inferos mortis caussam ab Agamemnone postulans, num ab inimicis cæsus sit, boves aut oves occidens, *Odyss.* XI. Sic Nestor cum Elidensibus pugnavit ἀμφὶ βοηλασίῃ, *ob boum abactionem*, *Iliad.* XI. Itaque Achilles *Iliad.* IX. cum causam sibi non esse dicit, cur cum Trojanis belligeretur, Οὐ μὲν πώποτ' ἐμὰς, inquit, βοῦς ἤλασαν, οὐδὲ μὲν ἵππους. Plutarchus quoque in *Theseo* ait, hunc armis insecutum Pirithoum, qui ei abegerat boves. Sic apud Hesiodum in *Scuto*, Amphitruo dicitur occidisse Electryonem regem Thebarum, vi domitum χωσάμενος περὶ βουσί. Ita boum abactio præcipuam belli causam priscis dedit.

Mulierum quoque raptus, non minus illo tempore infrequens, sæpe bellum peperit; quale hoc quod tota *Iliade* ab Homero est descriptum. Cum enim Alexander Priami filius Helenam Menelai uxorem ex Lacedæmone in Troadem abduxisset, lectissimi Græciæ principes sacramento a Tyndareo patre obstricti, duce Agamemnone illuc enavigarunt, & post varia certamina ultro citroque commissa, tandem exacto decennio, urbem ceperunt, & funditus everterunt. Atque hanc esse omnium bellorum originem, quæ inter Græcos & Asiaticos fuerunt gesta, affirmant Persæ apud Herodotum in *Clio*. Ipsi injuriorum quidem virorum rati fœminas rapere, amentium vero raptas vindicare, prudentium nihil eas curare, quippe quæ, nisi voluissent, raptæ non fuissent. Ita vero etiam Duris lib. II. *Historiarum* narrat, bellum, quod *sacrum* Græci appellarunt, extitisse ob mulierem quandam Thebanam, nomine Theano, raptam a quodam Phocensi. Callisthenes quoque de bello sacro scribit, bellum Cirrhaicum inde exortum, quod Cirrhæi Megisto Phocensis Pelagontis filiam & Achivorum gnatas ex Pythico sacro redeuntes per vim abduxissent. Denique Horatius *Satyra* III. *lib.* I.

Nam fuit ante Helenam cunnus teterrima belli
Causa; sed ignotis perierunt mortibus illi,
Quos Venerem incertam rapientes more ferarum
Viribus editior cædebat, ut in grege taurus.

Porro Thucydides *lib.* I. tradit, Agamemnonem coegisse classem, quod tunc viribus ac potentia inter Græcos, maxime Peloponnenses, præstaret; nec tantopere quod duceret Helenæ procos Tyndarei metu adactos; omninoque exercitum comparasse non pluribus gratia quam metu adductis: Τήν στρατιὰν οὐ χάριτι τὸ πλέον ἢ φόβῳ ξυναγαγὼν, ποιήσασθαι. Ægre utique multi ad Trojam profecti; ut constat de Ulysse, qui in fabulis dicitur insaniam simulasse, ne cum reliquis abiret. Ipse vero *Odyss.* XIV. fingens se Castoris Cretensis filium, cum Idomeneo dicit profectum, quod non esset ratio abnuendi,

—— Οὐδέ τι μῆχος
Ἦεν ἀνήνασθαι, χαλεπὴ δ' ἔχε δήμου φῆμις.

At *Iliad.* XI. cum Nestore per universam Græciam idem milites Agamemnonis jussu fertur collegisse: & Achillem ex Pelei ædibus abduxisse. Ille tamen in Lycomedis gynæceo, mulieribus permistus, traditur delituisse in Scyro, ut hoc pacto falleret Græcorum duces. Sorte quoque jacta ex familiis adscitos filios liquet ex *Iliad.* XXIV. ubi Mercurius se filium Polyctoris Myrmidonis dicit, cui septem cum essent filii, jactaque esset sors, se designatum ad sequendum Achillem,

Τῶν μεταπαλλόμενος κλήρῳ λάχον ἐνθάδ' ἕπεσθαι.

A Porro copiæ quæque Priami magna ex parte constitere ex auxiliariis, qui finitima loca incolebant, etiamsi e longinquo etiam essent advocati, qui πολύκλυτοι ἐπίκουροι dicti *Iliad.* XIV. Qualis fuit Memnon Æthiopum rex, *Odyss.* XI. quem Pausanias in *Phocicis* narrat e Susis Persarum civitate ad Trojam cum numerosa manu venisse. Cæterum universus exercitus tam Græcorum quam Trojanorum cum suis ducibus ac turmis exacte describitur, *Iliad. lib.* II.

CAP. VIII.

DE GALEA, THORACE, OCREIS, SCUTO.

B ARMORUM alia ad corpus adversus hostium impetum muniendum pertinent; alia ad adversarios lædendum. In primo genere sunt galea, thorax, ocreæ, scutum seu clypeus.

Galeam capiti imponebant, quam κυνέην sæpius Homerus vocat, quasi *caninam*; quia antiquitus canis fluviatilis pellis ad tegendum caput sumebatur, ut ait Eustathius: δορὰ κυνὸς ποταμίου σκέπουσα τὰς κεφαλὰς τοῖς παλαιοῖς. Post nomen remansit, licet
C variata materia. *Iliad.* X.

—— ἀμφὶ δ' οἱ κυνέην κεφαλῆφιν ἔθηκε
Ταυρείην, ——

Et *ibidem:*

Κρατὶ δ' ἐπ' ἰκτιδέην κυνέην θέτο δ' ὀξὺν ἄκοντα,

mustelinam galeam, ἐξ ἰκτίδος δέρματος πεποιημένην, Scholiastes. Erant ei plerumque impositi λόφοι *cristæ*, seu setæ equinæ in apice exsurgentes, *Iliad.* III.

D Κρατὶ δ' ἐπ' ἰφθίμῳ κυνέην εὔτυκτον ἔθηκεν,
Ἵππουριν, δεινὸν δὲ λόφος καθύπερθεν ἔνευεν.

Iliad. XIX.

—— ἀπέλαμπεν
Ἵππουρις τρυφάλεια· περισσείοντο δ' ἔθειραι
Χρύσειαι, ἃς Ἥφαιστος ἵει λόφον ἀμφὶ θαμειάς.

Sic Theocritus de Hierone rege *Idyl.* XVI.

Ἱππείαι δὲ κόρυν σκεπάουσιν ἔθειραι.

Et apud Aristophanem *Acharnan.* de Lamacho du-
E ce:

Τὸ λοφεῖον ἐξένεγκε τῶν τριῶν λόφων.

Sic Virgilius *Æneid.* III. vers. 468. Grajas jubas celebrat:

Et conum insignis galeæ, cristasque comantes,
Arma Neoptolemi. ——

Et *Æneid.* VII. vers. 784. de Turno.

Cui triplici crinita juba galea alta Chimæram
Sustinet, ——

F Mos hic antiquitus plerisque gentibus familiaris; ut Caribus apud Plutarchum in *Artoxerxe*, quos ideo Persæ ἀλεκτρυόνας Gallos vocarunt, διὰ τοὺς λόφους οἷς κοσμοῦσι τὰ κράνη. Simili ratione apud Suetonium in *Cæsare* Gallica legio *Alauda* dicta. Cæterum galeam loro sub collo habebant adnexam, quem ὀχέα Homerus vocat. *Iliad.* III. de Paride:

Ἄγχε δέ μιν πολύκεστος ἱμὰς ἁπαλὴν ὑπὸ δειρὴν,
Ὅς οἱ ὑπ' ἀνθερεῶνος ὀχεὺς τέτατο τρυφαλείης.

Pectori circumponebatur θώραξ. *Iliad.* III. de A Paride,

Δεύτερον αὖ θώρηκα περὶ στήθεσσιν ἔδυνε.

Quæ verba de Hercule armato protulit Hesiodus quoque in *Scuto*. Ita & Xenophon: Θώραξ μὲν γὰρ περὶ τὰ στέρνα ἁρμόζων ἑκάστῳ ἔστω. Hesychius λωρίκιον vertit, Romana voce; ut a lorica Romanorum non multum distitisse censeatur. Apollonius pectori apponit θώρηκα στάδιον, *Argon.* III. cujusmodi longum ac erectum fuisse arbitrantur; cum reliqui θώρηκες essent ἁλυσιδωτοὶ, *conserti fibulis*, qualem Virgilius celebrat *Æneid.* III. B vers. 467.

Loricam consertam hamis auroque trilicem.

Plerumque θώραξ constabat ex solidiore metallo, velut ære, unde sæpius χάλκεος θώρηξ apud Homerum. Alias etiam ex lino. *Iliad.* II. de Ajace Oilei,

—— ὀλίγος μὲν ἔην λινοθώρηξ.

Ab Alcæo quoque celebrantur θώρηκές τε νέῳ λίνῳ: quemadmodum apud Xenophontem etiam recensetur λινοῦς θώραξ. Atque hac ratione Homerus etiam χιτῶνα armatis assignat, quam χάλκεον *æneam* vocat; στρεπτὸν quoque, ut sit lorica ex annulis tortis compacta. *Iliad.* II. C

Στρεπτὸν τε χιτῶνα περὶ στήθεσσι δαΐξαι.

Et *Iliad.* X. Agamemnon

—— ἔνδυνε περὶ στήθεσσι χιτῶνα.

Idem superinduit pellem leoninam *ibid.*

Ἀμφὶ δ' ἔπειτα δαφοινὸν ἑέσσατο δέρμα λέοντος.

Similiter Menelaus *ibid.*

Παρδαλέῃ μὲν πρῶτα μετάφρενον εὐρὺ κάλυψε
Ποικίλῃ. ——

Quomodo & Pindarus assignat Peliæ regi παρδαλέαν, Ode IV. *Pythior.* Ita quoque Hercules pelle leonina se induit, apud Theocritum *Idyl.* XXIV. & seq. ut esset ἕρκος Ἐνυαλίου, *Martis septum*. Apud Orpheum etiam Ancæus ursinam pellem gestabat,

Ἀρκτοϋλάσιον στέρνοις ἀμπίσχετο δέρμα.

Sic apud Apollonium lib. I. *Argonaut.* Argus amictus tauri pelle,

Δέρμα δ' ὁ μὲν ταύροιο ποδηνεκὲς ἀμπέχετ' ὤμους
Ἄργος Ἀρεστορίδης λάχνῃ μέλαν.

Ubi Scholiastes morem hunc omnibus fuisse Heroibus priscis tradit: Σύνηθες τοῖς ἥρωσι τὸ δερματοφορεῖν. Simili ratione apud Virgilium *Æneid.* V. vers. 36.

—— —— —— —— *Acestes*
Horridus in jaculis & pelle Libystidos ursæ.

Et *lib.* VIII. vers. 552.

—— —— —— *quem fulva leonis*
Pellis obit totum, præfulgens unguibus aureis.

Accedebat cingulum, quo lumbos constringebant; ζώνην Homerus vocat, seu μίτρην. Sic *Iliad.* V. Mars vulneratus ad imum ventrem

Νείατον ἐς κενεῶνα, ὅθι ζωννύσκετο μίτρην.

Et Iphidamas percussit Agamemnonem
—— κατὰ ζώνην, θώρηκος ἔνερθε.

Iliad. XI. Menelaum quoque, tota μίτρη ex ære confecta, ne sagitta Pandari ventrem trajiceret. *Iliad.* IV. Scholiastæ χαλκῆ λεπὶς, ἣν ζώννυνται περὶ τὸν κενεῶνα χάριν πλείονος ἀσφαλείας. At vero *Iliad.* XVI. ἀμιτροχίτωνες dicti, qui in acie ceciderunt, ἀζώστους interpretatur Athenæus *lib.* XII. Cingebant se, cum prælium esset ineundum, *Iliad.* XI.

Ἀτρείδης δ' ἐβόησεν, ἰδὲ ζώννυσθαι ἄνωγεν,

id est, armari. Unde Pausanias in *Bœoticis*: Τὸ δὲ ἐνδῦναι τὰ ὅπλα ἐκάλουν ἄρα οἱ παλαιοὶ ζώννυσθαι. Καὶ δὴ Ὅμηρον Ἄρει τὸν Ἀγαμέμνονα ποιήσαντα ἐοικέναι τὴν ζώνην, τῶν ὅπλων σκευὴν φασὶν εἰκάζειν. In eundem modum cingi soliti Romani; ut cum ex aliis Scriptoribus, tum Plutarcho constat, in *Vita Coriolani*: Ἦν δὲ τότε τοῖς Ῥωμαίοις ἔθος, εἰς τάξιν καθισταμένοις καὶ μέλλουσι τοὺς θυρεοὺς λαμβάνειν καὶ περιζώννυσθαι τὴν τήβεννον. Prælio commisso zonam deponebant; unde Xerxes apud Herodotum in *Urania*, cum fugeret Athenis, Abderæ zonam solvisse dicitur, veluti loco ab hostibus tuto, ὡς ἐν ἀδείῃ ἐών.

Tibiarum quoque habebant munimenta, quæ κνημῖδας *ocreas* Homerus vocat: ut cum Paridis ac Achillis armaturam describit. *Iliad.* III. & XIX.

Κνημῖδας μὲν πρῶτα περὶ κνήμῃσιν ἔθηκε
Καλὰς, ἀργυρέοισιν ἐπισφυρίοις ἀραρυίας,

argenteis fibulis adaptatas. Sic Hercules apud Hesiodum in *Scuto:*

—— κνημῖδας ὀρειχάλκοιο φαεινοῦ
Ἡφαίστου κλυτὰ δῶρα περὶ κνήμῃσιν ἔθηκε.

Alcæus apud Athenæum *lib.* XIV. de domo quadam, quam Ἄρει κεκοσμῆσθαι dicit, Marte ornatam, instructamque, χάλκεαι δὲ πασσάλοις κρυπτοῖσι περικείμεναι λαμπραὶ κνημῖδες. D

Postremum scuto seu clypeo universum corpus protegebant

Μηρούς τε κνήμας τε κάτω καὶ στέρνα καὶ ὤμους
Ἀσπίδος εὐρείης γαστρὶ καλυψάμενος.

ait Tyrthæus. Ex corio bubulo plerumque constabat, unde ἀσπίδες βοείας Homerus sæpe vocat. Erat hoc multiplex, quo clypei essent fortiores, ære superinducto: quomodo describit Sarpedonis scutum. *Iliad.* XII.

Αὐτίκα δ' ἀσπίδα μὲν πρόσθ' ἔσχετο πάντοσε ἴσην E
Καλὴν, χαλκείην, ἐξήλατον, ἣν ἄρα χαλκεὺς
Ἤλασεν, ἔντοσθεν δὲ βοείας ῥάψε θαμειὰς,
Χρυσείοις ῥάβδοισιν διηνεκέσι περὶ κύκλον.

Ita Ajacis scutum dicerem fuisse ἑπταβόειον, *e septem boum pellibus*, quibus octavum accedebat æs. *Iliad.* VII.

—— —— σάκος αἰόλον ἑπταβόειον
Ταύρων ζατρεφέων, ἐπὶ δ' ὄγδοον ἤλασε χαλκόν.

At Æneæ clypeus quinque plicas habebat, duas F æneas, duas stanneas, & unam auream,

Λεπτοτάτη δ' ἐπὶ ἦν ῥινὸς βοὸς, ——

Iliad. XX. Quinque etiam plicæ dicuntur fuisse in clypeo Achillis, qui describitur *Iliad.* XVIII.

Πέντε δ' ἄρ' αὐτοῦ ἔσαν σάκεος πτύχες. ——

Teucer quoque,

—— ἀμφ' ὤμοισι σάκος θέτο τετραθέλυμνον.

Iliad. XV. Heſychio, *τετράπτυχον, ἐκ τεσσάρων πτυχῶν τεθειμένον*, e quadruplici bovis tergore conſutum *ἐκ τεσσάρων δερμάτων συνεςὸς*, ut ait Scholiaſtes. Circularis erat figuræ, unde *εὐκύκλυς ἀσπίδας* dixit Homerus, *Iliad.* V. Et *ἄντυγα* paſſim celebrat exteriorem *περιφέρειαν circumferentiam*, quæ etiam varia erat ac multiplex, corio extrema parte prominente, ut de Hectore *Iliad.* VI.

Αμφὶ δέ μιν σφυρὰ τύπτε καὶ αὐχένα δέρμα κελαινὸν
Αντυξ ἣ πυμάτη θέεν ἀσπίδος ὀμφαλοέσσης.

Adnexum erat lorum, quod *τελαμῶνα* Homerus appellat, quale argenteum in clypeo Achillis laudat *Iliad.* VIII.

—— περὶ δ' ἄντυγα βάλλε φαεινὴν
Τρίπλακα μαρμαρέην, ἐκ δ' ἀργύρεον τελαμῶνα.

Hoc ſuſpenſum erat ex humeris ſcutum, *Iliad.* XVI.

—— αὐτὰρ ἀπ' ὤμων
Ασπὶς σὺν τελαμῶνι χαμαὶ πέσε τερμιόεσσα.

Ex ſiniſtra vero parte propendebat, ut dextera hoſtem libere aggrederentur. *Iliad.* XVI. de Ajace,

—— ὁ δ' ἀριςερὸν ὦμον ἔκαμνεν,
Εμπεδον αἰὲν ἔχων σάκος αἰόλον. —— ——

Hinc apud Virgilium *Æneid.* II. verſ. 671.

—— clypeoque ſiniſtram
Inſertabam aptans. ——

Ælianus quoque narrat *lib.* XI. *cap.* IX. Scipionem oſtentanti affabre ſcutum militi dixiſſe, non in læva, ſed in dextra homini Romano ſpem ponendam. Plinius *lib.* XXXIII. *cap.* I. *Qui annuli uſum primus inſtituit, cunctanter id fecit, lævisque manibus ac latentibus induit, cum ſi bonos ſecurus fuiſſet, dextra fuerit oſtentandus. Quod ſi impedimentum aliquod in ea potuit intelligi, etiam inſertorii uſu argumentum eſt majus, in læva fuiſſe, qua ſcutum rapitur. Inſertorium* utique vocat quod Homerus *τελαμῶνα*; niſi malimus intelligere *κάνονας*, quas in clypeo appellat; uti illo Idomenei *Iliad.* XIII.

Δινωτὴν φορέεσκε δύω κανόνεσσ' ἀραρυῖαν.

Et *Iliad.* VIII.

Ασπίδα Νεςορέην, τῆ νῦν κλέος οὐρανὸν ἵκει,
Πᾶσαν χρυσείην ἔμεναι, κανόνας τε καὶ αὐτάς.

Scholiaſtes: *ῥάβδυς αἷς ἐκράτυν τὰς ἀσπίδας*. Euſtathius tradit ex Veterum ſententia eſſe *ῥάβδυς ἀναφορέας τῆς ἀσπίδος*, quippe nondum inventa *ὄχανα*, id eſt, *οἱ διὰ ἱμάντων πόρπακες*. Et Heſychius: *Κανόνες, αἱ τῆς ἀσπίδος ῥάβδοι, ἀφ' ὧν ὁ τελαμὼν ἐξῆπτο.*

CAP. IX.

DE HASTA, GLADIO, ARCU, ALIISQUE ARMIS.

IN armis, quæ ad lædendum hoſtem ſunt comparata, primum locum tenet *haſta*; cujus ſolo nomine reliqua omnia ſæpius veniunt notanda. Conſtabat ex ligno, plerumque fraxineo; unde *μελίην* ſæpe appellat Poeta; peculiariter illam Achillis,

Πηλιάδα μελίην, τὴν πατρὶ φίλῳ τάμε Χείρων
Πηλίυ ἐκ κορυφῆς, φόνον ἔμμεναι ἡρώεσσι.

Iliad. XIX. Unde Plinius *lib.* XVI. *cap.* XIII. de fraxino loquens: ***Procera hæc ac teres, pennata & ipſa folio, multumque Homeri præconio & Achillis haſta nobilitata.*** Cuſpis *αἰχμὴ* erat ænea, unde paſſim *χάλκεον ἔγχος*. Erat quoque ima parte æs acuminatum, quo in terram defixo, haſtæ ſtabant erectæ. *Σαυρωτῆρα* Homerus vocat, *Iliad.* X. Heſy-

A chius *τὸ ἔσχατον σιδήρεον τῦ δόρατος*. Ita Pollux *lib.* I. *cap.* V. Et Euſtathius ait Veteribus dictum *τὸ ἐν ἑτέρῳ ἄκρῳ τῦ δόρατος ἔσχατον ὀπίσθιον σιδήρεον.* Ait vero ipſe fuiſſe *σιδήρεον κοῖλον ἐπ' ἄκρυ ὀξὺ, ᾧ ἐντιθέμενον τὸ ὀπίσω ἄκρον τῦ δόρατος ὀρθὸν αὐτὸ ἱςάναι ποιεῖ, πηγνύμενον κατὰ γῆς*: utique *κατὰ σκόλοπα ἤγυν ςαυρόν*. Ut ſit quaſi *ςαυρωτὴρ*. Utcumque res habeat, certum eſt, ſolitos Veteres *σαυρωτῆρι* haſtas erigere, cum a bellico labore ſe reficerent, quemadmodum videmus factum a Diomede ac ſociis dormientibus:

Εγχεα δέ σφιν ὄρθ' ἐπὶ σαυρωτῆρος ἐλήλατο.

Idem obſervatum ab Illyriis ſua tempeſtate tradit
B Ariſtoteles *lib. de Art. Poetica*: & ſimile quid apud Hebræos obtinuiſſe conſtat ex I. *Samuel. cap.* XXVI. Alias haſtis ſtabant inclinati, quemadmodum Achilles defeſſus,

Στῆ δ' ἄρ' ἐπὶ μελίης χαλκογλώχινος ἐρεισθείς.

Iliad. XXII.

Porro duplex erat haſtarum genus; unum quo cominus, alterum quo eminus pugnabant. Strabo *lib.* X. *Διττὴ γὰρ ἡ τῶν δοράτων χρῆσις· ἡ μὲν ἐκ χειρὸς, ἡ δ' ὡς παλτοῖς.* Homerus Eubœenſes maxime celebrat *Iliad.* II. ubi dicuntur

C *Αἰχμηταὶ μεμαῶτες ὀρεκτῇσι μελίῃσι*
Θώρηκας ῥήσσειν. ——

Taliſque fuit Achillis haſta, quam nemo præter eum poterat agitare. Ex altero genere fuit Hectoris illa haſta, quam in Achillem conjecit, *Iliad.* XXII.

Στῆ δὲ κατηφήσας ὐδ' ἄλλ' ἔχε μείλινον ἔγχος:

indeque gladio diſtricto eum aggreſſus eſt. Ita Paris & Menelaus inter ſe ſortiti, uter prior emitteret haſtam; quod cum utrinque eſſet factum, gladio depugnarunt, *Iliad.* III. Simili ratione apud
D Theocritum *Idyl.* XXII. Caſtor & Lynceus haſtas in ſe invicem contorſerunt, quibus clypeorum umbone diffractis gladios evaginarunt,

Τὼ δ' ἄορ ἐν κολεοῖσιν ἐρυσσαμένω φόνον αὖτις
Τεῦχον ἐν ἀλλήλοισι· ——

Gladium ferebant ab humeris loro ſuſpenſum, *Iliad.* II. & XI. de Agamemnone:

Αμφὶ δ' ἄρ' ὤμοισιν βάλετο ξίφος ἀργυρόηλον,

argenteis clavis diſtinctum. Et *Odyſſ.* II. de Telemacho:

—— περὶ δὲ ξίφος ὀξὺ θέτ' ὤμῳ.

E Et Heſiodus in *Scuto* Herculis,

Ωμοισιν δέ μιν ἀμφὶ μελάνδετον ἄορ ἔκειτο
Χάλκεον ἐκ τελαμῶνος. ——

In latus vero deſinebat; unde paſſim dicti milites extrahere *παρὰ μηρῦ*, *a femore*, ut *Iliad.* I.

—— φάσγανον ὀξὺ ἐρυσσάμενος παρὰ μηρῦ.

Et alibi. Sic apud Virgilium *Æneid.* X. verſ. 786. Æneas

—— ocyus enſem
Eripit a femore. ——

F Et *lib.* VIII. verſ. 459. Turnus

Tum lateri atque humeris Tegæum ſubligat enſem.

Gladiorum vero vaginis appendebant pugiones, *μαχαίρας*, uti patet ex Agamemnone, *Iliad.* III.

Ατρείδης δὲ ἐρυσσάμενος χείρεσσι μάχαιραν,
Η' οἱ πὰρ ξίφεος μέγα κυλεὸν αἰὲν ἄωρτο,
Αρνῶν ἐκ κεφαλέων τάμνε τρίχας. ——

Et vero ſimile eſt, hoc veluti cultro uſos in menſa; quando apud Græcos non alia vox huic rei ſignif-

candæ apta. Morem hunc veteribus Gallis tribuit Possidonius apud Athenæum *lib.* XIV. quem hodieque apud plerosque milites obtinere videmus.

Post gladium venit arcus, quem etiam humeris habebant aptatum cum pharetra sagittis instructa; ut videre licet in Apolline *Iliad.* I.

Τόξ' ὤμοισιν ἔχων ἀμφηρεφέα τε φαρέτρην.

Sic Hercules apud Hesiodum:

—— κοίλην δὲ περὶ στήθεσσι φαρέτρην
Καββάλετ' ἐξόπιθεν. ——

Et Chloreo apud Virgil. *Æneid.* XI. verf. 652.

Aureus ex humeris sonat arcus. ——

Sagittationis graphica descriptio est *Iliad.* IV. ubi Pandarus Menelaum vulnerat. Cornua arcus ex capra silvestri facta; aurea imposita κορώνη, ad quam ponebantur sagittæ, crena nervo bovino ex altera parte immissa. Jaculaturus autem nervum mammæ admovet; qui mos etiam fuit Amazonum. At nunc in aurem dextram trahitur, ait Eustathius; quod facere etiam solitos Persas testatur Procopius lib. I. *de Bell. Perf.* Ελκεται δὲ αὐτοῖς κατὰ τὸ μέτωπον ἡ νευρὰ, παρ' αὐτὸ μάλιστα τ̃ ὤτων τὸ δεξιόν. Porro σίδηρον *ferrum* vocat Homerus telum, a cuspide fortassis ferro præmunita. Alias tela quoque veneno fuisse armata, liquet ex *Odyss.* I. ubi Ulysses fertur profectus in Ephyram,

Φάρμακον ἀνδροφόνον διζήμενος, ὄφρα οἱ εἴη
Ἰοὺς χρίεσθαι χαλκήρεας.

Ita Virgilius *Æneid.* IX. verf. 772. de Amyco:

—— —— *quo non felicior alter*
Ungere tela manu, ferrumque armare veneno.

Mos hic Parthis ac Scythis magis usitatus quam Græcis. Cæterum non modo sagittis arcu emissis utebantur, sed vel maxime jaculis, quæ ἀκόντας Homerus vocat, manu vibratis.

Arcui vicina σφενδόνη *funda*: quam Poeta appellat ἐϋστρόφον οἰὸς ἄωτον, *tortam ovis lanam*, *Iliad.* XIII. ubi ait Locros non usos scutis vel hastis, sed arcubus ac fundis. Hac lana quoque obligata Agenori manus, hasta vulnerata:

Αὐτὴν δὲ ξυνέδησεν ἐϋστρόφῳ οἰὸς ἀώτῳ
Σφενδόνῃ, ἣν ἄρα οἱ θεράπων ἔχε ποιμένι λαῶν.

Δουλικώτερον hoc armaturæ genus censet Cyrus apud Xenophontem VII. *Pædiæ*: eoque vult inermem multitudinem uti. Et Alexander apud Curtium *lib.* IV. hostiles copias elevans: *Intuerentur*, inquit, *barbarorum inconditum agmen, alium nihil præter jaculum habere, alium funda saxa vibrare, paucis justa arma esse.*

Sed & ipsi Heroes manu saxa contorquebant. Sic namque Agamemnon *Iliad.* XI. pugnabat

Ἔγχεΐ τε, ἄορί τε, μεγάλοισί τε χερμαδίοισι.

Et Ajax Hectorem saxo ferit, *Iliad.* VII. & XIV. Hector Epigeum, Patroclus Sthenelaum, *Iliad.* XVI. Sic apud Pindarum ode IV. *Nem.* πέτρῳ *saxo* occisi duodecim Heroes. Mardonium quoque lapide occidit in prælio Spartiata, λίθῳ τὴν κεφαλὴν πατάξας, ut est apud Plutarchum in *Aristide*. Ex muris præcipue saxa dejicere soliti in invadentem hostem; quemadmodum Danai *Iliad.* XII.

—— χερμαδίοισιν ἐϋδμήτων ἀπὸ πύργων
Βάλλον ἀμυνόμενοι.

Sic apud Virgilium *Æneid.* IX. verf. 512. Teucri

Saxa quoque infesto volvebant pondere.

Et Herodotus in *Urania* narrat, Athenienses in Barbaros portas subeuntes saxa molaria devolvisse. Atque hoc modo ad Argos interemptus *Pyrrhus Epirota, qui, dum Antigonum in urbe clausum expugnare conatur, inter confertissimos violentissime dimicans, saxo de muris ictus*; ut ait Justinus *lib.* XXV.

Bipennes quoque, quas ἀξίνας Homerus vocat, usurparunt. Hoc armorum genere Pisander excepit Agamemnonem, cum gladio invadentem, *Iliad.* XIII. In navali etiam pugna adhibuerunt, *Iliad.* XV.

Οξέσι δὴ πελέκεσσι καὶ ἀξίνῃσι μάχοντο.

Ibidem & contis usi,

Μακροῖσι ξυστοῖσι, τά ῥά σφ' ἐπὶ νηυσὶν ἔκειτο
Ναύμαχα, κολλήεντα, κατὰ στόμα εἱμένα χαλκῷ.

Postremum clava quoque in bello usi, ut Ereithous cognomento κορυνήτης, qui non arcu, vel hasta pugnabat, sed clava ferrea,

Ἀλλὰ σιδηρείῃ κορύνῃ ῥήγνυσκε φάλαγγας.

Iliad. VII. Talis quoque Periphetes ille κορυνήτης dictus apud Plutarchum, unica clava armatus, quam abstulit victor Theseus: ut etiam retulit Diodor. Sicul. *lib.* IV.

CAP. X.

DE ARMORUM MATERIA AC FORMA.

ARMA pleraque veterum Heroum ex ære componit Homerus; eumque secuti antiquiores Poetæ Græci ac Latini. Multus est in hac re astruenda Pausanias in *Laconicis*, & ænea fuisse Veterum arma confirmat ex Pisandri bipenni seu securi, ac Memnonis telo, quas æneas prodidit Homerus; itemque ex Achillis hasta Phacelide in Minervæ templo posita, & Memnonis ense apud Nicomedenses in Æsculapii fano asservato, qui totus ex ære, cum hastæ illius ima tantum & summa cuspis sit ærea. Plutarchus quoque in *Vita Thesei* narrat, cuspidem hastæ æneam, ensemque æneum repertum a Cimone Miltiadis, cum ex ejus sepulcro, quod extabat in insula Saro, Athenas ossa transportaret. Similiter Herodotus in *Euterpe* memoria prodidit, Ionas quosdam & Cares prædandi gratia in Ægyptum venientes, ære fuisse armatos, ὁπλισθέντας χαλκῷ. Huc pertinet quod scribit Dionysius Halicarnasseus lib. IV. *Antiq. Rom.* Servium Tullum selectæ cuidam tribui imperasse arma ænea: ἀσπίδας ἀργολικὰς, καὶ δόρατα. καὶ κράνη χάλκεα, καὶ θώρακας, καὶ κνήμας, καὶ ξίφη. Inde Livius *lib.* I. *Arma his imperata galea, clypeus, ocreæ, lorica, omnia ex ære.* Nimirum prior apud mortales fuit æris quam ferri usus: ut testatur Hesiodus Ἔργοις, ubi de variis mundi ætatibus agit:

Τοῖς δ' ἦν χάλκεα μὲν τεύχεα, χάλκεοι δὲ τε οἶκοι,
Χαλκῷ δ' εἰργάζοντο. μέλας δ' οὐκ ἔσκε σίδηρος.

Confirmat hanc sententiam Lucretius, *lib.* V. sub finem:

Arma antiqua manus, ungues, dentesque fuere,
Et lapides, & item sylvarum fragmina rami,
Et flammæ atque ignes, postquam sunt cognita primum;
Posterius ferri vis est ærisque reperta:
Sed prius æris erat, quam ferri cognitus usus.

Hinc factum, ut, postquam jam invaluisset ferri usus, tamen æri sua dignitas permanserit, armaque Heroum ex eo composita fuerint. Quin & æris nomine denotatum ferrum; siquidem χαλκεὺς dictus ὁ σίδηρον ἐργαζόμενος, ait Aristoteles in *Poetica*; cujus exemplum apud Homerum *Odyss.* I. ubi cum χαλκεὺς dictus esset securim stridentem aqua tingere, subjungitur:

—— τὸ γὰρ αὖ τε σίδηρόν γε κράτος ἐστί.

Ita Plutarchus in *Camillo*: ἐχαλκεύσατο κράνη τοῖς πλείστοις ὁλοσίδηρα. Quod movit nonnullos, ut, quæ χάλκεα Homerus appellat, *ferrea* verterent. Sed ferrum ab ære manifeste distinguit Poeta in Heroum armatura. In qua hoc videtur observasse, ut ferri usum pene ad arma defensionis gratia comparata restringat; in cæteris promiscue ponat æs. Nimirum, ut post Aristotelem scripsit Plutarchus in *Symposiacῶn* III. vulnera ære inflicta minus dolent, faciliusque curantur. Ut proinde generosi illi Heroes ære hostem aggredi, quam ferro maluerint. Stannum quoque fuit in Heroum armis; ut in thorace Agamemnonis, *Iliad.* XI. ocreis Achillis, *Iliad.* XVIII. clypeo Æneæ, *Iliad.* XX. & aliis id genus. Auri quoque & argenti maximus usus Heroum armis passim apparet. At *Iliad.* II. Amphimachus vituperatur, quod instar puellæ aurum gestans ad bellum profectus sit:

Ος καὶ χρυσὸν ἔχων πόλεμόνδ' ἴεν ἠΰτε κούρη,
Νήπιος. ——

Ita quoque Persis aurum vitio versum apud Plutarchum in *Aristide*: ἐσθῆτος ποικίλματα, καὶ χρυσὸς ἐπὶ σώμασι μαλακοῖς καὶ ψυχαῖς ἀνάνδροις. Eorum tamen more ornatos Homericos Heroas dicit Dion Chrysostom. Orat. II. *de Regno*: Οὔκουν φαίνεται χρυσοφορίας ἐπαινῶν Ομηρος, καὶ ταῦτα εἰς πόλεμον, ψελλίων τε καὶ στρεπτῶν ἴσασι δὲ χρυσῶν φαλαρίων καὶ χαλινῶν, ὁπόσα τοὺς Πέρσας φασὶν ἐπιτηδεύειν.

Armorum quoque splendor valde ab Heroibus affectatus; non tam ad decus, quam ad metum hostibus incutiendum; uti *Iliad.* XIII.

—— ὄσσε δ' ἄμερδεν
Αὐγὴ χαλκείη. ——

In hunc modum variis quoque picturis distinguebant. Qualis thorax ille Agamemnonis, cujus decem semitæ ex nigro cyaneo metallo, duodecim ex auro, viginti ex stanno; cærulei vero dracones tres juxta collum erant protensi, *Iliad.* XIV. In clypeis potissimum hoc obtinebat, qualis supra alios ab Homero describitur ille Achillis factus a Vulcano variarum rerum imaginibus insignis, *Iliad.* XVII. Cui similis is, quem singulari poemate complexus Hesiodus, *Scuto Herculis*: quem item Æneæ datum a Vulcano scribit Virgilius *Æneid.* VIII. Turni quoque clypeus depictam habebat Io cum custode Argo, & Inachum amnem vina fundentem. Ita vero moris fuit perpetuo insigne aliquod in scuto gestare. Servius *ad* II. *Æneid.* scribit, in Græcorum clypeis Neptunum fuisse pictum, Minervam in illis Trojanorum. At Ulysses delphinis insigne habuisse dicitur Plutarcho περὶ ἀγχινοίας. Agamemnon vero Terrorem leonis capite expressum, apud Pausaniam in *Eliacis*. Plutarchus quoque narrat Alcibiadem notatum ob ἀσπίδος διὰ χρύσου ποίησιν, οὐδὲν ἐπίσημον τῶν πατρίων ἔχουσαν, ἀλλ' ἔρωτα κεραυνοφόρον. *Amorem fulmen tenentem*. Primi hujus rei auctores dicti Cares apud Herodotum in *Clio*: Καὶ γὰρ ἐπὶ τὰ κράνεα λόφους ἐπιδέεσθαι Κᾶρές εἰσι οἱ καταδέξαντες, καὶ ἐπὶ τὰς ἀσπίδας τὰ σημεῖα ποιέεσθαι, καὶ ὄχανα ἀσπίσι οὗτοί εἰσι οἱ ποιησάμενοι πρῶτοι. Atque hæc de veterum Græciæ Heroum armatura ex Homero dicta sunto; quibus corollarii loco subjiciendum, quod notavit Plutarchus in *Pelopida*, eum fortissimos quosque ac pugnacissimos viros quam optime armatos in certamen educere, ut vita non temere sit exponenda: Οθεν Ομηρος μὲν ἀεὶ τοὺς θαρραλεωτάτους καὶ μαχιμωτάτους ἄνδρας διὰ καὶ καλῶς ὡπλισμένους ἐξάγει πρὸς τοὺς ἀγῶνας.

CAP. XI.

DE EQUIS.

EQUORUM magnus quoque Heroibus in bello usus, unde passim ἱππόδαμοι, ἱπποκορυσταὶ dicti. Illi variis ornamentis insigniebantur. Χρυσάμπυκες subinde appellati ob aurea frena; qualis ille Masistii etiam apud Herodotum in *Calliope*, ἵππον ἔχων Νισαῖον χρυσοχάλινόν τε καὶ ἄλλα καλῶς κεκοσμημένον. At Mydoni frena ebore candentia *Iliad.* V.

Ηνία λεύκ' ἐλέφαντι χαμαὶ πέσον. ——

Maxillare quoque παρήϊον ebore ornatum; & purpura russatum, *Iliad.* IV. qui mos regibus potissimum adscriptus, βασιλῆϊ δὲ κεῖται ἄγαλμα. Erat & funiculus auratus, quo comæ in equorum frontibus sparsæ colligantur, ἄμπυξ Homero dictus. Eustathio, σειρὰ κατάχρυσος τὰς περὶ τὸ μέτωπον τρίχας τῶν ἵππων συνδέουσα. Hinc equi χρυσάμπυκες denominati. Coma etiam ζεύγλῃ circa jugum revincta, ut *Iliad.* XVII. in equis Achillis,

—— —— μιαίνετο χαίτη
Ζεύγλης ἐξεριποῦσα παρὰ ζυγόν.

Aqua vero jubas equorum lavare soliti, oleo deinde affuso, quod sæpius equis suis a Patroclo dicit præstitum Achilles. *Iliad.* XXIII.

—— πολλάκις ὑγρὸν ἔλαιον
Χαιτάων κατέχευε, λοέσσας ὕδατι λευκῷ.

Nempe, ut hoc pacto vegetiores ac nitidiores apparerent. In pastum vero habebant lotum & apium:

Λωτὸν ἐρεπτόμενοι, ἐλεόθρεπτόν τε σέλινον.

Iliad. II. At equi Pandari mandentes hordeum ac avenam,

—— κρῖ λευκὸν ἐρεπτόμενοι καὶ ὀλύρας.

Iliad. V. Diomedis vero triticum,

—— μελιηδέα πυρὸν ἔδοντες.

Idem traditur de Hectoris equis; addito in potum vino, quod ipsa Andromache suppeditabat, *Iliad.* VIII. Hoc utique equis macilentis dari, auctor Columella.

Pugnabant equis, nonnisi curru junctis; quem variis etiam ornamentis habebant insignem. *Iliad.* X. de curru Rhesi:

Αρμα δέ οἱ χρυσῷ τε καὶ ἀργύρῳ εὖ ἤσκηται.

Sic *Iliad.* XIII. Diomedis

Αρματά τε χρυσῷ πεπυκασμένα κασσιτέρῳ τε

auro ac stanno tecta. Simili modo apud Curtium *lib.* X. Orsinis Persæ currus auro & argento adornati. Velis quoque tecti currus. *Iliad.* V. de rhedis Lycaonis,

—— ἀμφὶ δὲ πέπλοι
Πέπτανται. —— ——

Et ἅρματα Achillis εὖ πεπυκασμένα, *Iliad.* II.

Equi ut plurimum bini jungebantur, uti Lycaoni *Iliad.* V.

—— παρὰ δέ σφιν ἑκάστῳ δίζυγες ἵπποι
Εστᾶσι. —— ——

Sic duo equi Achilli xanthus & balius, *Iliad.* XIX. Ita *Æneid.* VII. vers. 280.

Absenti Æneæ currum, geminosque jugales.

Addebatur nonnunquam tertius, παρήορος Homero dictus, ὁ παρεζευγμένος, ἤγουν ὁ ἐγγὺς ὢν τῶν ζυγίτων ἢ ζυγίων, ait Eustathius: additque eos non stricte & firmiter currui alligari solitos, sicut jugales, sed

A liberos, ἀφέτας παραείρεσθαι, ἢ τὸ παραζεύγνυσθαι. Lorum, quo continebantur, παρηορίαν vocat Homerus, *Iliad.* VIII. ubi recidit Nestor, equo lethali vulnere afflicto, ne esset aliis impedimento,

> Ὀφρ' ὁ γέρων ἵπποιο παρηορίας ἀπέταμνε
> Φασγάνῳ ἀΐσσων.

Talis quoque extrajugalis equus Sarpedoni, quem similiter vulneratum abscidit Automedon:

> Αἴξας ἀπέκοψε παρήορον. ——

B *Iliad.* XVI. Meminit hujus ritus Dionysius Halicarnasseus *Antiquit. Rom.* VII. Ἀρχαῖον ἐπιτήδευμα καὶ ἡρωικὸν, ᾧ ποιεῖ τοὺς Ἕλληνας Ὅμηρος ἐν ταῖς μάχαις χρωμένους, Δυσὶ γὰρ ἵπποις ἐζευγμένοις, ὃν τρόπον ζεύγνυται συνωρὶς, τρίτος παρείπετο σειραῖος ἵππος ῥυτῆρσι συνεχόμενος, ὃν ἀπὸ τοῦ παρηωρῆσθαι, καὶ συνεζεῦχθαι παρήορον ἐκάλουν οἱ παλαιοί. Addit autem ætate hanc consuetudinem desiisse; apud Romanos tamen adhuc observari. Cæterum *Iliad.* VIII. videntur quatuor equi in curru Hectoris juncti; sic namque eos alloquitur,

> C Ξάνθε τε, καὶ σὺ Πόδαργε, καὶ Αἴθων, Λάμπε τε δῖε.

Sic veteres Critici censent, duo priora nomina esse ἐπίθετα posteriorum, quos binos tantum agnoverunt equos; ea fulti ratione, quod duali numero Hector utatur, Νῦν μοι τὴν κομιδὴν ἀποτίνετον. Alioqui constat etiam quadrigarum usum Homero non fuisse ignotum, ex *Odyss.* XIII. ubi dicit, navem Phæacum currere,

> —— ὡς ἐν πεδίῳ τετράοροι ἄρσενες ἵπποι.

D Equis his regendis sedebat ἐν δίφῳ auriga, qui scutica impellebat. Aderat παραιβάτης, qui ex curru pugnabat, simulque illi dictabat, quo frena vellet torqueri, ut notat Eustathius *Iliad.* VIII. Priori munere sæpe functi magni viri, uti Pandarus Lycaonis filius; etsi Æneæ παραιβάτῃ cesserit, certa de causa, *Æneid.* V. Nestor etiam in curru Diomedis, *Iliad.* VIII. Similiter duo filii Priami in curru, nothus & legitimus, quorum ille aurigabatur, hic pugnabat, *Iliad.* XI. Imo & Hector scutica impellit equos, *Iliad.* XVII. Id vero Persarum principibus indecorum habitum, qui lege regia vetiti tangere frena, ut liquet ex Diodoro *lib.* XVII. E ubi Darius extrema coactus necessitate equos habenis retrahit. Cæterum ex curru subinde desiliebant pugnaturi; uti Paris *Iliad.* III.

> —— ἐξ ὀχέων σὺν τεύχεσιν ἆλτο χαμᾶζε.

Similiter Agamemnon *Iliad.* XI. Idem factum ab Hercule & Cygno pugnaturis:

> —— εὐπλεκέων δίφρων θόρον αἶψ' ἐπὶ γαῖαν.

Hesiodus in *Scuto*, & apud Virgilium *Æneid.* X. vers. 453.

> *Desiluit Turnus bijugis, pedes apparat ire.*

CAP. XII.

F

DE NAVIBUS.

Ad bellicum apparatum etiam pertinent naves. Iis enim Græci ad Trojam expugnandam profecti, numero MCLXXXVI. ut liquet ex catalogo, qui est *Iliad.* II. etsi Thucydides MCC. enumeret. In illis quoque pugnarunt armis nauticis instructi: qualia ξυστὰ ναύμαχα, *Iliad.* XV. Achilles utique *Iliad.* IX. ait, se navali classe duodecim civitates expugnasse:

> Δώδεκα δὲ σὺν νηυσὶ πόλεις ἀλάπαξ' ἀνθρώπων.

Et Ulysses prædicat se novies bello navali imperasse, *Odyss.* XIV.

> Εἰνάκις ἀνδράσιν ἦρξα καὶ ὠκυπόροισι νέεσσιν
> Ἄνδρας ἐς ἀλλοδαπούς.

Ita vero piratæ veteres, passim navibus omni armaturæ genere instructis, huc illuc grassabantur & mari terraque infesta bellis ac latrociniis omnia loca habebant, ut ex multis Homeri locis constat, & ex Thucydide confirmatur initio *libri* I. Et quidem tradit, eorum more constructas habuisse suas naves Heroas Homericos, non utique tectas σεσανιδωμένας, sed concavas magis, ut apparatus bellicus cum ipsis infra in navi jaceret: sicuti explicat Scholiastes. Ab hoc utique hominum genere processerunt navales pugnæ, quæ postea in Græcia fuerunt celebratæ. Earum primam inierunt Iones cum Cyro; postea Polycrates, qui varias insulas sibi subjecit: tum Phocenses prælio navali Carthaginenses superarunt; donec tandem Medico bello, Darii ac Xerxis tempore, majoribus classibus dimicatum, ut narrat Thucydides. Ac primæ quidem naves erant longæ, longoque remorum ordine agebantur. Qui modo plures, modo pauciores fuere. *Odyss.* IX. mentio fit νηὸς εἰκοσόροιο, *navis viginti remis actæ*. At *Iliad.* II. quinquaginta remiges, iidemque sagittarii in septem Philoctetæ navibus ab Homero collocantur, ἐρέται δ' ἐν ἑκάστῃ πεντήκοντα. Quales naves πεντηκόντοροι communiter Græcis dictæ, quæ maximum omnium habuerunt usum. Primum apud Græcos his navigasse tradit Phocæenses Herodotus in *Clio*: Οἱ δὲ Φωκαιέες οὗτοι ναυτιλίῃσι μακρῇσι πρῶτοι Ἑλλήνων ἐχρήσαντο, καὶ τόν τε Ἀδρίην, καὶ τὴν Τυρσηνίην, καὶ τὴν Ἰβηρίην, καὶ τὸν Ταρτησσὸν οὗτοί εἰσι οἱ καταδέξαντες· ἐναυτίλλοντο δὲ οὐ στρογγύλῃσι νηυσὶ, ἀλλὰ πεντηκοντέροισι. Ejusmodi fuit Argo πεντηκόντορος; ut ex Argonautarum numero constat, qui fuere αὐτερέται. Etsi Theocritus in *Hyla* τριακοντάζυγον dicat, tricenis utrinque remis impulsam. Fuit utique hoc navis genus affine galeæ, quæ hodie obtinet apud plerasque gentes. Cæterum τριήρεις *triremes*, quibus creberrime usi Veteres, longo tempore post Heroas inventæ; & quidem primum Corinthi, ut tradit Thucydides.

Solebant porro naves pingi ac illustrari variis coloribus: unde eas subinde Homerus vocat μιλτοπαρῄους, φοινικοπαρῄους, *miniatis* ac *punicatis* veluti *genis*. Ita Virgilius quoque *Æneid.* VIII. *pictas carinas* celebrat: uti Servius: *Homerus meminit, quod naves pingebantur rubrica.* Morem hunc pervetustum tradit Herodotus in *Thalia*: Τὸ δὲ παλαιὸν ἅπασαι αἱ νέες ἦσαν μιλτηλιφέες. Posterioribus quoque seculis passim naves pictæ. Seneca *Epistola* LXXVII. *Navis bona dicitur, non quæ speciosis coloribus picta est, nec cui argentum rostrum est, nec cujus tutela ebore cælata est.* Consueverant autem certas imagines in iis depingere, a quibus ipsæ naves habebant nomen. Ita apud Virgilium *Æneid.* V. naves dictæ *Pistrix*, *Centaurus*, *Chimæra*. Tauri quoque nomine insignis fuit illa, qua transvecta Europa, ut traditum est ab Agatarchide Cnidio in *Reb. Europicis*. Sic apud Lucianum πλοίῳ, navis prora utrinque habet τὴν ἐπώνυμον τῆς νεὼς θεὸν Ἶσιν. Sed enim soliti quoque Deorum imagines habere in navibus tutelæ ergo, quales Phœnicibus Πάταικοι apud Herodotum in *Thalia*: τοὺς οἱ Φοίνικες ἐν τῇσι πρῴρῃσι τῶν τριηρέων περιάγουσι. Similem morem in Homericis navibus observat vetus Scholiastes *Iliad.* IX. ubi Hector jactat se præcisurum navium ἄκρα κόρυμβα. Ἐπειδὴ, inquit, ἐπὶ τῶν ἀκροστολίων ἦσαν ἀγάλματα καὶ εἰκόνες τῶν θεῶν. Cæterum, hæc potissimum solitos in navali pugna tollere Veteres, liquet ex Dio-

doro Siculo *lib.* XX. ubi Rhodii ταχέως τὰ μὲν ἀκροςόλια περιέσπασαν, ὕλην δὲ ξηρὰν καὶ δᾶδας ταῖς ναυσὶν ἐνέντες ἐνέπρησαν. Docetque idem in more fuisse, ut his veluti spoliis naves victrices ornarentur, αὐτὸς δὲ τὰς ἰδίας ναῦς κοσμήσας τοῖς ἀκροςολίοις, καὶ ἀλώσας ἐφελκόμενος, τὸν πλοῦν ἐποιεῖτο. Non absimili ratione apud Plutarchum in *Themistocle*, narratur Lycomedes Athenienſium Trierarcha primam navem Xerxis cepiſſe, ἧς τὰ παράσημα περικόψας, ἀνέθηκεν Ἀπόλλωνι δαφνηφόρῳ.

CAP. XIII.

DE OBSIDIONE.

INITIO omnes Græciæ urbes carebant muris, eoque perviæ erant variis, quæ antiquitus promiſcue fiebant, direptionibus, ut teſtatur Thucydides *lib.* I. Adverſus has poſtmodum extructi muri, turribusque muniti; uti de Thebanorum urbe teſtatur Homerus, factum ab Amphione & Zetho, *Odyſſ.* XI.

> Οἳ πρῶτοι Θήβης ἕδος ἔκτισαν ἑπταπύλοιο
> Πύργωσάν τ', ἐπεὶ οὐ μιν ἀπύργωτόν γ' ἐδύναντο
> Ναιέμεν. ——

Nempe ob Phlegyas, a quibus continuo infeſtabantur, ut ait Scholiaſtes. Ea de cauſa Laomedon quoque muris circundari urbem Trojanam coactus, cui operam navavit Neptunus, *Iliad.* XX. Et in univerſum Homerus civitates εὐπύργους, εὐτειχέας vocat, ob turres mœniaque, quibus munitæ. Solitum autem aggerem e terra muris accumulari, exemplo Troja, cui ἀμφίχυτον τεῖχος tribuitur *Iliad.* XX.

Hinc natæ obſidiones, quibus urbes expugnarentur. Ejuſmodi decennalis fuit ad Trojam: cujus moræ cauſſam extitiſſe Thucydides ait, non tam hominum, quam pecuniarum penuriam. Quippe minorem exercitum commeatus defectu duxere pro numero, quem belligerando ibi alitum iri credebant. Nec omnibus etiam copiis uſi, ſed ad agriculturam Cherroneſi ſe converterunt ac latrocinium, quandoquidem non ſufficiebat commeatus.

Unde Trojani tam diuturno tempore Græcis reſtiterunt, certantes cum exiguo hominum diſperſorum numero, cui erant pares. Finitimas urbes hinc inde vaſtarunt, ne auxilio eſſent Trojanis, ait Plutarchus in *Homero*. Achilles illis dux; qui hoc nomine prædicat, ſe claſſe depopulatum duodecim civitates: pedeſtri vero militia undecim circa Trojam. In quibus Lyrneſſa fuit, ex qua abſtulit Briſeidem, *Iliad.* XIX.

Caſtra muris obſepire ac concludere moris fuit. Hoc namque Græcos feciſſe, ſimul atque ad Trojam venerunt, auctor Thucydides: Ἐπειδὴ δὲ ἀφικόμενοι μάχῃ ἐκράτησαν, δῆλον δέ· τὸ γὰρ ἔρυμα τῷ ςρατοπέδῳ οὐκ ἂν ἐτειχίσαντο. Scholiaſtes factum ait, *ob barbarorum incurſiones* διὰ τὰς τῶν βαρβάρων ἐπιδρομάς. In hunc modum ingens ille murus *Iliad.* VIII. ſub finem obſidionis a Græcis dicitur Homero extructus, quum Trojani urbe egreſſi eorum caſtra invaderent. Foſſa huic erat acuminatis palis prætexta; ipſe turribus, pinnis, propugnaculis, pilisque munitus, uti deſcribitur *Iliad.* XII. Quanquam non me latet, fictum ab Homero priſcis viſum, apud Strabonem *lib.* XIII. ubi Ariſtoteles, ὁ δὲ πλάσας ποιητὴς ἠφάνισεν, ait. At enim Veteribus uſitatum morem in re ſimili Poeta oſtendit.

In caſtris erant *tentoria* κλισίαι; quæ incolebant Heroes apud naves. Quale illud Achillis deſcri-

A ptum *Iliad.* XXIV. ex abietibus conſtructum ac coopertum lanuginoſo culmine e pratis deprompto; aula frequentibus ſurcis circumpoſita. Illi vero ac Ajaci Telamonis in extremis partibus erat locus, *Iliad.* VIII. quod eſſent

> —— ἠνορέῃ πίσυνοι καὶ κάρτεϊ χειρῶν.

ſingulari fortitudine adverſus hoſtilia diſcrimina prævalentes. At Ulyſſes ſtationem habebat in medio navium, qui locus tutior, & prudentiæ ejus ſervandæ aptior. Ante tentoria vero erat ſpecula, ex qua rerum omnium proſpicerent ſtatum: quod

B factitat Neſtor, *Iliad.* XIV.

> Αὐτὰρ ἐγὼν ἐλθὼν τάχα εἴσομαι εἰς περιωπήν.

Excubiæ quoque noctu ſtudioſe factæ, diſpoſitis per caſtra vigilibus, multisque ignibus accenſis. Hoc jubet Neſtor, *Iliad.* IX.

> —— —— φυλακτῆρες δ' ἕκαςοι
> Λεξάσθων παρὰ τάφρον ὀρυκτὴν τείχεος ἐκτός.

Principes etiam noctu diſcurrebant per caſtra, viſuri an cuſtodiæ rite haberent: quod facit Neſtor cum Ulyſſe ac Diomede. Sic in Rutulorum caſtris

C apud Virgil. *Æneid.* IX. verſ. 166.

> *Collucent ignes, noctem cuſtodia ducit*
> *Inſomnem ludo.*

Nec ſecus fecere obſeſſi: uti imperat Priamus:

> Καὶ φυλακῆς μνήσασθε, καὶ ἐγρήγορθε ἕκαςος.

Iliad. VII. & VIII. Hector per præcones jubet ſenes juvenesque vigilare circa urbem; ac mulieres ignem habere in domibus luculentum. Ex hoc more Xenophon *Pædiæ* III. Καὶ τότε μὲν δειπνοποιησάμενοι, καὶ φυλακὰς καταςησάμενοι, καὶ πυρὰ πολλὰ πρὸ

D τῶν φυλάκων καύσαντες, ἐκοιμήθησαν. Exploratores quoque utrinque miſſi, qui, quæ ab hoſtibus agerentur, perviderent, ut fit *Iliad.* X. & apud Virgilium *Æneid.* IX. Trojanis quoque noctu αὐλοὶ καὶ σύριγγες in uſu: quos audiſſe dicitur Agamemnon, *Iliad.* XI. Barbaris hoc familiare fuiſſe olim in Aſia, liquet ex Herodoto in *Clio:* ubi Alyattes rex Lydorum ἐςρατεύετο ὑπὸ συρίγγων τε, καὶ πηκτίδων, καὶ αὐλοῦ γυναικηΐου τε καὶ ἀνδρείου. Tubæ quoque uſum in obſidione notat Homerus *Iliad.* XVIII.

E
> —— — — ὅτε τ' ἴαχε σάλπιγξ
> Ἄςυ περιπλομένων δηΐων ὑπὸ θυμοραϊςέων.

Scholiaſtes tamen vult hoc κατὰ πρόληψιν ab Homero dictum; quia heroicis temporibus nondum inventa tuba, concha duntaxat utebantur marina.

CAP. XIV.

DE PUGNA.

PRÆCIPUA belli pars conſiſtit in pugna; ea Græcos ſuperaſſe ſtatim poſt appulſum Troja-

F nos auctor eſt Thucydides; & Plutarchus narrat hac occiſum Proteſilaum, cujus mors notatur *Iliad.* II. Exin legati ad repetendam Helenam miſſi Menelaus ac Ulyſſes, de quibus *Iliad.* XVI. Quod cum negaſſent, denuo pugna Græci eos laceſſere, qua adhuc permanſerunt ſuperiores. Inde diviſo exercitu, alia commiſerunt certamina complura, in quibus ſæpe Trojani victores, præſertim cum Achilles a bello deſiſteret: uſque adeo ut urbe magna ex parte exceſſerint, caſtraque ſua Græcorum caſtris junxerint, dirupto muro, naves adurere parantes:

qua de re *Iliad.* VIII. & seq. Cujusmodi irruptiones ab obsessis fieri solitas docet Homerus, *Iliad.* VIII. in clypeo Achillis, uti & Hesiodus, in *Scuto Herculis*.

Antequam prælium inirent, in more habebant cibum capere, ut ad sustinendum belli laborem essent fortiores. Jubet hoc fieri a Græcis Ulysses, *Iliad.* XIX.

Ἀλλὰ πάσασθαι ἄνωχθι θοῇς ἐπὶ νηυσὶν Ἀχαιοὺς
Σίτου καὶ οἴνοιο· τὸ γὰρ μένος ἐστὶ καὶ ἀλκή.

Cibo ac vino, quæ robur mortalium. Quod etiam Plato confirmat lib. I. *de Leg.* Unde & Livius *lib.* IX. scribit: *In Romanorum militaribus institutis fuisse positum, ut milites pasti educerentur in aciem.*

Aciei dispositio priscis Græcis usitata describitur *Iliad.* IV. ubi Nestor primo loco collocat equites, pedites postremo, ignavos in medio:

Ἱππῆας μὲν πρῶτα σὺν ἵπποισι καὶ ὄχεσφι,
Πεζοὺς δ' ἐξόπιθεν στῆσεν πολέας τε καὶ ἐσθλοὺς
Ἕρκος ἔμεν πολέμοιο, κακοὺς δ' ἐς μέσσον ἔλασσεν,
Ὄφρα τις οὐκ ἐθέλων καὶ ἀναγκαίῃ πολεμίζῃ.

Varie tamen hoc intellectum fuisse a Veteribus scribit Eustathius. Quidam enim *τὸ πρῶτον* pro dextro cornu accipiebant, *τὸ ὄπιθεν* pro sinistro, dicebantque *φάλαγγα ἐπὶ μετώπου*, non *κατὰ βάθος* ordinatam. At Herodotus & Apion censebant hanc dispositionem *κατὰ πλινθίον* factam, id est, ad longos ordines ejusdem numeri; iterque quoddam intercessisse, ut per illud irent ac redirent qui vellent.

Plutarchus vero, lib. *de Homero*, statuit præcessisse equites; secutos a tergo pedites: quod videtur convenientius vero. Eustathius porro censet, in medio duorum militum unum ignavum fuisse collocatum, ut a generosis traheretur ad officium. Hoc vero esse, quod ait Arrianus in *Indicis ἐπὶ τειῶν ταχθῆναι φάλαγγα*. Fuisse utique exercitum in acie ampliorem, liquet ex eo, quod *Iliad.* XIII. Meriones dubitat, num ad dextram, an sinistram Trojanæ aciei partem irruat, an vero in medium prorumpat:

Ἢ ἐπὶ δεξιόφιν παντὸς στρατοῦ, ἢ ἀνὰ μέσσους,
Ἢ ἐπ' ἀριστερόφιν. ——

Quam arctissime autem junctos milites innuit Homerus, cum ait, *Iliad.* XIII.

Φράξαντες δόρυ δουρί, σάκος σάκεϊ προθελύμνῳ,
Ἀσπὶς ἐπ' ἀσπίδ' ἔρειδε, κόρυς κόρυν, ἀνέρα δ' ἀνήρ.

Quod etiam repetitur *Iliad.* XVI. ubi Achillis copiæ educuntur. Sic Virgilius *Æneid.* X. vers. 361.

Concurrunt, hæret pede pes, densusque viro vir.

Porro Nestor quoque jubet equos contineri suo ordine, ne versentur in peditum turba. Ita nempe equites aggressi equites, pedites pedites. *Iliad.* XI.

Πεζοὶ μὲν πεζοὺς ὄλεκον φεύγοντας ἀνάγκῃ,
Ἱππεῖς δ' ἱππῆας. ——

Initio pugnæ religiose Deos victoriæ consequendæ ergo precabantur; quod passim testantur certamina sive ab exercitu universo, sive a singularibus militibus commissa. Concipiebant & vota de armis præsertim hostium consecrandis; ut constat exemplo Hectoris *Iliad.* VII. & Ulyssis *lib.* X. Inde quoque sacerdotes ac vates in exercitu habebant, qui victimas Diis offerrent, & ex visceribus animalium, avium volatu, aliisque divinationibus Deorum voluntatem edocerent. Et moris fuit, ut vates lauro coronatus, facemque gestans, in acie præcederet, a quo milites religiose abstinebant, quemadmodum tradit Eustathius *Iliad.* XII.

Porro duces orationem soliti habere ad milites in acie collocatos, qua hortabantur strenue ut pugnarent se invicem veriti, proposita victoriæ gloria ac utilitate. Minis etiam usi, ut Hector *Iliad.* XV.

Ὃν δ' ἂν ἐγὼν ἀπάνευθε νεῶν ἑτέρωθι νοήσω
Αὐτοῦ οἱ θάνατον μητίσομαι. ——

Meminit Aristoteles *Ethic.* III. cap. VII. ubi etiam tradit, nonnullos imperatores fossas a tergo copiarum, aut aliquid aliud struxisse, ut cogerentur præliari: quomodo fluvio exercitum suum coercuisse Alexandrum refert Diodorus Siculus *lib.* XVII.

Nec verbis modo, sed suo quoque exemplo duces militibus præivere. Primi enim fere in acie apud Homerum apparent: uti peculiariter videre est *Iliad.* XIII. ubi Æneas, Deiphobus, Paris, ac reliqui Trojanorum duces dicuntur præcessisse copias suas, ut arietem bibituræ oves,

—— *ὡσεί τε μετὰ κτίλον ἕσπετο μῆλα*
Πιόμεν' ἐκ βοτάνης. ——

Et principes fortissimi *πρόμαχοι* audire gestiunt variis apud Homerum locis.

Cum vero acies concurrebant, ingens excitabatur clamor: quem Poeta cum gruum clangore confert, *Iliad.* III. cum torrentibus e monte defluentibus, *lib.* IV. cum fluctibus maris agitatis, *lib.* V. *Ἀλαλητὸν* vocat *Iliad.* IV. quæ vox etiam apud posteriores Græcos obtinuit; in quorum historiis subinde *ἀλαλάζειν* dicti milites, acie congredientes. Forte a repetita voce *ἀλάλ*. Suidas *ἐλελεῦ* clamare solitos tradit: *Οἱ προσιόντες ἐς τὸν πόλεμον τὸ ἐλελεῦ ἐφώνουν μετά τινος ἐμμελοῦς κινήσεως.* Mos hic apud omnes pene gentes antiquitus observatus: sic enim Tacitus Germanis *barritum* tribuit; Livius Gallis *ululatum & cantum moris sui*; Curtius Persis *trucem & inconditum clamorem*. Barbaricæ vero gentes hoc nomine maxime fuerunt celebratæ; unde Festus quoque *Barbaricum clamorem* exercitus vocat. Inde Plutarchus scribit, ab Homero *Iliad.* III. Græcis silentium tribui, cum Barbari Trojani immensum tollerent clamorem: quod & factum *Iliad.* IV. & quidem reverentiam imperatorum *σιγῇ δειδιότες σημάντορας*. Quod Lacedæmoniis etiam consuetum fuisse constat, ut *μετὰ σιγῆς καὶ κόσμου* in aciem prodirent; quo ducum mandata facilius exaudirent; unde & fracti clamore ab Atheniensibus suscitato *τὰ ἐν αὐτοῖς παραγγελλόμενα οὐκ ἐσακούοντες*, apud Thucydidem *lib.* IV. Utrinque tamen ab exercitu excitatum clamorem patet *Iliad.* XIII. & XV. nominatim vero, etiam a Myrmidonibus hostiles copias aggredientibus, *Iliad.* XVI.

Ἐκ νηῶν ἐχέοντο. βοὴ δ' ἄσβεστος ὀρώρει.

Et passim a clamore Heroes Homerici commendantur, *βοὴν ἀγαθοὶ* dicti, id est, *πολεμισταί*, ait Scholiastes. Nempe, quia clamor multum facit ad hostem perterrendum: quomodo Hector clamans Danaos equites percellit, *Iliad.* XV. Achilles Trojanos, *Iliad.* XVIII. Ita vero & Cato bonum militem terribilem volebat esse, *οὐ χειρὶ μόνον καὶ πληγῇ, ἀλλὰ καὶ τόνῳ φωνῆς, καὶ ὄψει προσώπου.* Omninoque prælium universum clamore ac strepitu passim ab Homero repletur; unde *φύλοπις* dicta Eustathio, quasi *φύλον ὄψ*.

Lacessebant sese mutuo in præliis, præsertim duces, & variis opprobriis insultabant. Peculiariter hoc factitat Hector, poscens sibi aliquem e principibus Græcis venire, quicum pugnet. Sorte autem jacta in galeam designatus Ajax, *Iliad.* VII. Simile quid observatum a Timoleonte apud Plutarchum, qui sumpto a decurionibus singulis anulo, miscensque chlamyde primum exemit tropæi signo; unde subsecuta ab eo pugna.

Cæterum pugna fere semper noctu terminabatur. *Iliad.* V.

—— ἠέλιος μὲν ἔδυ, παύσαντο δ' δῖοι
Ἀχαιοὶ φυλόπιδος. ——

Et *Iliad.* II.

Νὺξ ἐλθοῦσα διακρινέει μένος ἀνδρῶν.

Sic Salluft. *de Bello Jugurth. Utrinque prælium nox diremit*. Plutarchus vero etiam in *Crasso* narrat, Parthis ἐ πάτριον fuisse νυκτομαχεῖν.

CAP. XV.

DE CÆSIS IN ACIE.

QUI vulnera in prælio acceperant, a Medicis curabantur. Qualis Machaon *Iliad.* IV. qui telo e vulnere Menelai extracto dicitur illius

Αἷμ' ἐκμυζήσας, ἐπ' ἄρ' ἤπια φάρμακα εἰδώς

Sic Pœon *Iliad.* V. in Marte vulnerato
—— ὀδυνήφατα φάρμακα πάσσων.
Eurypylus quoque læsus *Iliad.* XI. petit a Patroclo, ut sagitta excisa vulnus aqua tepida abluat; & medicamina inspergat, quæ edoctus erat ab Achille e Chironis schola; quod hic statim præstitit μαχαίρῃ, & amaram radicem imposuit, quæ nonnullis *Achillea* dicitur, aliis *Aristolochia*, seu ἴσχαιμος, a sistendo sanguine; quia hac protinus desiit sanguinis fluxus. Porro apud Virgilium *Æneid.* XII. vers. 420.

Fovit ea vulnus lympha longævus Iapis.

Similiter Nestor vult Machaoni vulnerato humeris aquam calidam affundi, *Iliad.* XIV. sed & vinum generosum πράμνειον jubet propinari; nempe quia hoc ταῖς φλεγμοναῖς ἐναντιώτατον, *inflammationibus maxime contrarium*, ait Athenæus *lib.* I. At tepidæ aquæ ablutionem cur adhibuerint, docet Eustathius: Τὸ μὲν γὰρ θερμὸν, εἰ καὶ πραΰνει τὰς ἀλγεδόνας, αἵματός ἐστιν ἀγωγὸν· τὸ δ' αὖ ψυχρὸν φρίκην ἐμποιεῖ, ἄριστον οὖν καὶ ἐνταῦθα τὸ μέσον. Hector vero ictu pene exanimatus aqua fluviatili aspersus est, & simul ea recreatus. Sic Xenarchus Comicus apud Athen. *lib.* VI. ait piscarios verberatos ac animo deficientes aqua injecta solitos refocillari. Simili ratione apud Plautum in *Amphitruone* Act. V. Sc. I. vers. 5. Bromia:

—— væ miseræ mihi!
Animo male 'st. aquam velim! corrupta sum, atque absumpta sum.

Docet hoc remedium Hippocrates lib. *de Humidior. Usu*: Κατὰ ἀκρέων ἐν λειποθυμίαις τὸ ψυχρὸν καταχεόμενον ὠφελέει. Atque hæc de re medica Veteribus usitata apud Homerum extant; ex quibus apparet, summos Heroas medendi artem exercuisse, etiam χειρουργικῇ admista.

Mortui in acie ab hostibus projiciebantur, a feris ac avibus dilaniandi. Hoc enim summæ ignominiæ loco sibi passim minitantur, ac factitant. Sic initio Achilles,

Πολλὰς δ' ἰφθίμους ψυχὰς ἄϊδι προΐαψε
Ἡρώων, αὐτοὺς δὲ ἑλώρια τεῦχε κύνεσσιν
Οἰωνοῖσί τε πᾶσι. ——

Idem in Hectore voluit peragere, *Iliad.* XXI. & sequentibus, raptato bigis ejus cadavere circum muros Trojanos. Sed & hic vulneribus multis post mortem ab Achivis fuit dilaniatus. Quod Servius ait in more fuisse, scilicet, ut interemptos duces omnis vulneraret exercitus. Sic Virgilius *Æneid.* XI. vers. 9. ait de Mezentio:

—— bis sex thoraca petitum,
Perfossumque locis. ——

Sed & in aliorum cadaveribus præter vulnera letifera, etiam nunc manus, nunc caput abscissum apud Homerum videmus, *Iliad.* XII. XIII. & XVII. Simili ratione *Æneid.* IX. Nisus regis Rhamnetis caput demit; quod ipsi vicissim obtigit cum Euryalo, quorum capita a Rutulis infixa pilis. Mos hic barbaris Asiaticis valde usitatus; ut constat ex Xerxe ac Mardonio apud Herodotum in *Calliope*: qui Leonidæ regis Spartani caput præciderunt, truncumque in crucem egerunt. Quod cum cæso Mardonio referre auctor esset Pausaniæ nepos Lampon; ille recusavit, quod tali facinore patriæ decus ac victoriæ laudem obtereret. Νεκρῷ, inquit, λυμαίνεσθαι πρέπει μᾶλλον βαρβάροισι ποιέειν, ἤπερ Ἕλλησι, κακείνοισι δὲ ἐπιφθονέομεν. Præclare in hominem Archilochus:

Ζῶντας κολάζειν, οὐ θανόντας, εὐσεβές.
Οὐ γὰρ ἐσθλὰ κατθανοῦσι κερτομεῖν ἐπ' ἀνδράσι.

Et ipse Homerus:

Οὐχ ὁσίη κταμένοισιν ἐπ' ἀνδράσιν εὐχετάασθαι.

Quare rectius Achilles, cum cæsum Thebarum regem Eetionem sepulcri honore decoravit, *Iliad.* VI. Quem imitatus Annibal in funerando Marcello apud Plutarchum, aliique.

Hinc maxima contentio inter milites fuit, ut cadavera sociorum hostibus præriperent: ut liquet ex Sarpedone, *Iliad.* XVI. & Patroclo, *Iliad.* XVII. quos hinc Trojani, illinc Græci auferre conati non sine magna cæde. Quod etiam a Persis & Græcis factum cæso Misistio apud Herodotum. Aliquando etiam cadavera redempta, ut illud Hectoris a Priamo, *Iliad.* XXIV. & pretio eodem illud Achillis postmodum a Græcis, teste Lycophrone in *Alexandra*:

Αὖτις δὲ ἀντίποινον ἐγχέας ἴσον
Πακτώλιον σταθμοῖσι πλαυγῆ μύδρον.

Ita Nisus apud Virgilium *Æneid.* IX. vers. 213.

Sit qui me raptum pugna, pretiove redemptum
Mandet humo. ——

Pactum etiam initum de cadaveribus ad sepulturam reddendis, commissa pugna: quod Hector satagit, *Iliad.* VII. Mos hic passim in Græcorum historiis apparet; ut ex fœdere qui victi essent cadavera cæsorum post pugnam repeterent misso caduceatore; quos ὑποσπόνδους νεκροὺς Thucydides ac Xenophon vocant. In hunc modum quoque induciæ inter Trojanos ac Græcos factæ, ad sepeliendos mortuos, *Iliad.* VII. Qua in re Gallos dissimiles Græcis notat Pausanias in *Phocicis*: Οἱ μὲν Ἕλληνες τούς τε αὐτῶν καὶ ἐσκυλάκευον τοὺς βαρβάρους. Οἱ Γαλάται δὲ ὑπὲρ ἀναιρέσεως τῶν νεκρῶν ἐπικηρυκεύοντο.

το, ἔποιτό τε ἐπίσης γῆς σφᾶς τυχεῖν, ἢ θηρία τε αὐτῶν ἐμφορηθῆναι κάλλιον τεθνεῶσι πολέμιόν ἐστιν ὀρνίθων.

CAP. XVI.

DE PRÆDA BELLICA.

BELLICÆ prædæ primam ac maximam partem habent arma hostibus detracta; cujus totidem exempla in *Iliade*, quot pugnæ aut cædes. Ea victores partim in laudem ac utilitatem sibi sumebant, partim Diis ex voto dedicabant. Ita vero qui subsecuti sunt Græci, finita pugna, soliti armis hostes spoliare; tropæo inde erecto, & manubiis in publicos privatosque usus ablatis. At Plato lib. v. *de Repub.* censet illiberale esse & sordidæ avaritiæ, γυναικείας τε καὶ σμικρᾶς διανοίας mortuorum, præsertim Græcorum cadavera spoliare, exuviasque templis inferre.

Quare & Lacedæmoniis hac re interdictum a Lycurgo; ut testatur Ælianus *lib.* VI. ὅτι οὐκ ἐξῆν ἀνδρὶ Λάκωνι οὐδὲ σκυλακεῦσαι τὸν πολέμιον. Quanquam non satis exacte cæsis Argivis ac Mantineis hoc observasse dicatur apud Thucydidem *lib.* v.

Præter arma, etiam aurum, æs, ferrum, cæteraque hostium bona in prædam venerunt; quippe quæ belli jure omnia victoribus cedunt; quemadmodum Xenophon III. *Pædiæ* & Plato I. *de Leg.* pronunciant, Πάντα τὰ τῶν νικωμένων ἀγαθὰ τῶν νικώντων γίγνεσθαι. Ipsi etiam hostes vivi prædæ partem constituerunt. Neque enim perpetuo occidebant, sed captivos servabant; & vel sibi servos retinebant, vel aliis divendebant.

Reddebant etiam suis numerato redemptionis pretio; uti Achilles uxorem Eetionis

—— ἀπέλυσε λαβὼν ἀπερείσι' ἄποινα.

Iliad. VI. Idem de Chryseide filia contendit Chryses, *Iliad.* I. & Priamus de filiis, *Iliad.* XXII. Ita quoque apud posteriores Græcos, certo constituto pretio, hostes captivi redimebantur. Minam dixit Aristoteles lib. v. *Ethic.* cap. x. Νόμιμον τὸ μνᾶς λυτροῦσθαι. Quod peculiariter obtinuisse inter Athenienses ac Lacedæmonios, memoriæ prodidit Herodotus.

In prædæ distributione magna habita ratio æquitatis, ne quis justa portione fraudaretur. Ita factum ab Ulysse dereptis Ciconibus:

Δασσάμεθ', ὡς μήτις μοι ἀτεμβόμενος κίοι ἴσης.

Odyss. IX. Idemque repetitum in dividenda præda venatus sub finem. Similiter Neleus Elidensibus ablata spolia

Δαιτρεύειν, μήτις οἱ ἀτεμβόμενος κίοι ἴσης.

Iliad. XI. Quare Ulysses *Odyss.* XIII. ait, se Orsilochum, Cretensis regis filium, occidisse, quod se privare vellet præda,

Οὕνεκά με στερέσαι τῆς ληΐδος ἤθελε πάσης.

Porro prædam dividere inter milites solitus princeps, exercitus dux, ad quem ideo singuli, quæ ceperant, deferebant; quod Achilles ait se fecisse, vastatis urbibus viginti & tribus, quarum spolia tradiderit Agamemnoni, eundem quæstus non satis juste distribuisse.

Verum enim vero princeps expeditionis ex omni præda portionem aliquam extra sortem auferebat. Quemadmodum Neleus

Ἐξέλετ' ἄσπετα πολλά, τὰ δ' ἄλλ' ἐς δῆμον ἔδωκε.

Iliad. XI. multa exemit, reliquis populo relictis. Ulyssi quoque, ex præda a Cyclope congesta, eximius cessit aries:

Ἀρνειὸν δ' ἐμοὶ οἴῳ ἐϋκνήμιδες Ἀχαιοὶ
Μήλων δαιομένων δόσαν ἔξοχα. ——

Odyss. IX. Adeoque ex venatu decem habuit capreas, cum socii haberent novem, ἐμοὶ δὲ δέκ' ἔξελον οἴῳ. Simili ratione apud Herodotum in *Calliope*, cæso Mardonio, cum præda viritim distribueretur, Pausaniæ imperatori selectæ mulieres, equi, talenta, cameli, aliaque extra sortem. Et apud Romanos veteres Tarquinius, capto Corniculo, Ocrysiam insignem genere ac forma mulierem excepit, ἐκ τῶν λαφύρων Ταρκύνιος βασιλεὺς ἐξαίρετον λαμβάνει, ait Dionysius Halicarnasseus *Antiquit. Rom.* lib. IV.

Præmia quoque rei bene gestæ ex præda exempta ducibus aliis, virisque fortissimis; uti fecisse Agamemnonem ait Achilles *Iliad.* IX.

Ἄλλα δ' ἀριστήεσσι δίδου γέρα καὶ βασιλεῦσι.

eoque modo ipse accepit Briseidem. Sic Neoptolemus ejusdem filius post direptam Trojam,

Μοῖραν καὶ γέρας ἐσθλὸν ἔχων ἐπὶ νηὸς ἔβαινεν.

Odyss. XI. accepta Andromache, ut testatur Justinus *lib.* XVII. Theseus quoque, secutus Herculem adversus Amazonas, γέρας ἀριστεῖον Ἀντιόπην ἔλαβεν, ait Plutarchus in *ejus Vita*.

Hac ratione duces soliti militibus præmia polliceri, ut ad bellica certamina vehementius concitarentur. Ita Hector spondet, se daturum spoliorum dimidium ei, qui Patrocli cadaver adduxerit, *Iliad.* XVII. Agamemnon quoque Teucro munus honorarium pollicetur a capta Troja, tripodem, equos curules, aut mulierem,

Πρώτῳ τοι μετ' ἐμὲ πρεσβήϊον ἐν χερὶ θήσω.

Iliad. VIII. Apud Virgilium *Æneid.* IX. Ascanius Niso promittit, se excepturum ei ex præda arma Turni, aliaque complura fortitudinis præmia concessurum. In iis etiam ponentur campi,

—— *quod rex habet ipse Latinus.*

Virg. *Aeneid.* IX. vers. 274. Nempe τέμενος, quale apud Homerum sæpius fortissimo cuique viro decernitur; peculiariter *Iliad.* XX. ubi Achilles petit ab Ænea, num ad se cædendum venerit spe τεμένους a Trojanis promissi,

Ἤ νύ τι τοι Τρῶες τέμενος τάμον ἔξοχον ἄλλων
Καλὸν φυταλιῆς καὶ ἀρούρης, ὄφρα νέμηαι
Αἴκεν με κτείνῃς. ——

Extant id genus alia pene infinita, non solum apud Græcos, sed apud Romanos aliosque populos, quibus, veluti facibus, militum virtutem duces accenderunt.

CAP. XVII.

DE PACE ET FOEDERIBUS.

BELLI finis, eademque hujus operis *Pax*. Ea constat vel armorum vi, cum hostibus domitis victores legem, quam volunt, ferunt: vel fœdere certis conditionibus ab utraque parte composito. Æquius hoc postremum, & longe tutius, fiebat per legatos; quales Menelaus & Ulysses, post aliquot certamina, ab Agamemnone ad Priamum missi, qui, rebus repetitis, pacem postularent:

quo intelligit Poeta *Iliad.* III. ubi Priamum introducit ita Helenam alloquentem,

Ἤδη γὰρ καὶ δεῦρό ποτ' ἤλυθε δῖος Ὀδυσσεύς,
Σεῦ ἕνεκ' ἀγγελίης σὺν ἀρηϊφίλῳ Μενελάῳ.

Idem notat *Ilid.* XI. ubi ab Hectore corruptus Antimachus dicitur Ulyssi ac Menelao legatis restitisse in concione, auctorque fuisse Trojanis, ut eos de medio tollerent: quod scelus in liberis ab Agamemnone vindicatur. Nimirum omnibus locis ac temporibus sacri inviolabilesque habiti, omnium gentium consensu, legati. Qua de causa θεῖοι *divini* dicti κήρυκες ab Homero, qui huc illuc publicis de causis a regibus ablegabantur. Ab ipso etiam Mercurio eorum originem Veteres deduxerunt. Lacedæmonii utique hac ratione Talthybio, κήρυκι Agamemnonis, divinos honores decreverunt, templumque religiose dedicarunt; simulque apud ejus gentiles Talthybiadas legationis munus perpetuum esse voluerunt: ut testatur Herodotus in *Melpomene*, & Pausanias in *Laconicis*.

Fœdera inter ipsos reges contrahebantur, sicuti videre est *Iliad.* III. ubi Agamemnon & Priamus conveniunt, certisque ritibus, inspectantibus Græcis ac Trojanis, pacifcuntur. Agnus ibi ex utraque parte collatus, & quidem Terræ, Jovi ac Soli immolatus. Jugulum præcidit Agamemnon, & pilos e capite exsecat, qui adstantibus optimatibus a præconibus distributi: hoc signo notans, ita excisum iri, qui fœdus violaret; ut ille dicit apud Sophoclem,

Κακὸς κακῶς ἄθαπτος ἐκπέσει χθονὸς
Γένους ἅπαντος ῥίζαν ἐξημημένος,
Αὕτως ὅπωσπερ τόνδ' ἐγὼ τέμνω πλόκον.

Sed enim hoc pacto mactari solebat in quovis jurejurando sanctiori victima; veluti *Iliad.* XIX. ubi Agamemnon, cæso apro, resectisque e fronte pilis, jurat, se cum Briseide rem non habuisse. Pausanias quoque in *Messeniacis* tradit, Herculem cum Nelei liberis fœdus, ultro citroque data fide, icisse ἐπὶ τομίων κάπρου, *super exsectis apri partibus*, quæ nonnulli *exta* interpretantur, alii *testes*; quemadmodum & Tyndareus procos Helenæ jurejurando obstrinxit ἐπὶ τῶν τομίων, eodem in *Laconicis* auctore. Simile quid in sanctiore affirmatione observatum in Areopago ab eo, qui cædis aliquem postularet, notat Demostenes Oratione *contra Aristocrat.* Στὰς ἐπὶ τῶν τομίων κάπρου καὶ κριοῦ καὶ ταύρων ἐσφαγμένων, ὑφ' ὧν δεῖ καὶ ἐν αἷς ἡμέραις προσήκει. Cæterum ejusmodi victimæ non solebant venire in cibum, sed abjici, quod videmus in apro illo Agamemnonis *Iliad.* XIX. quem Talthybius

—— πολιῆς ἁλὸς ἐς μέγα λαῖτμα
Ῥῖψ' ἐπιδινήσας βόσιν ἰχθύσιν. ——

Inde Pausanias, τοῖς γε ἀρχαιοτέροις ἐς τὰ ἱερεῖα ἦν καθεστηκὸς, ἐφ' ᾧ τις ὅρκον ἐποιήσατο, μηδὲ ἐδώδιμον εἶναι τοῦτο ἀνθρώπῳ. Quem etiam morem observatum scribit in Olympiis, ubi athletæ ac gymnastæ apud Hellanodicas jurabant ἐπὶ κάπρου τομίων.

Vinum deinde ab utraque parte allatum, eoque misto, libationes e phiala factæ; unde σπονδαὶ fœdera vocata; & ὑπερφίαλοι dicti fœdifragi. Ex hoc ritu apud Virgilium *Æneid.* VIII. vers. 640.

—— *pateramque tenentes*
Stabant, & cæsa jungebant fœdera porca.

Ita significabant, sanguinem fœdifragorum iri effusum; quemadmodum sibi ac suis posteris imprecantur apud Homerum *Iliad.* III.

Ὧδέ σφ' ἐγκέφαλος χαμάδις ῥέοι, ὡς ὅδε οἶνος·

Dextras quoque jungere in fœderibus erat moris. *Iliad.* II.

Πῇ δὴ συνθεσίαι τε καὶ ὅρκια βήσεται ἡμῖν;
Σπονδαί τ' ἄκρητοι, καὶ δεξιαὶ αἷς ἐπέπιθμεν.

Sic Virgil. *Æneid.* XI. vers. 292.

—— *coeant in fœdera dextræ.*

Nempe dextra fidei symbolum ac arrha Veteribus habita: ut ex Glauci ac Diomedis sponsione mutua liquet, *Iliad.* VI.

Χεῖράς τ' ἀλλήλων λαβέτην καὶ πιστώσαντο.

Inde Achilles *lib.* XXIV. ut confirmaret securitatem Priamo,

Ἔλλαβε δεξιτερὴν, μήπως δείσειεν ἐνὶ θυμῷ.

Simili ratione Aristophanes in *Nubibus*:

Κύσόν με καὶ τὴν χεῖρα δὸς τὴν δεξιάν.

Scholiastes: ἔθος ἦν ὅτι πίστει καὶ συνθήκαις βεβαίαις τὰς δεξιὰς διδόναι ἀλλήλων. Mos hic Persis maxime solennis, quibus dextram sanctissimum fidei pignus fuisse scribit Diodorus.

Dii vero sacris hisce ritibus testes & inspectores advocabantur, atque vindices fœdifragorum: quemadmodum Agamemnon invocat Jovem Opt. Max. Solem omnia videntem ac audientem, Terram, Fluvios, Plutonem, ac Proserpinam, & si quod aliud est Numinum, quæ sceleratos homines sub terra castigant. Cui non absimilis illa obtestatio Æneæ apud Virgilium lib. XII. *Æneid.* Quod in omnibus omnino pactis obtinuit, ut non, nisi Diis testibus, inirentur. *Iliad.* XXII.

Ἀλλ' ἄγε δεῦρο θεοὺς ἐπιδώμεθα· τοὶ γὰρ ἄριστοι
Μάρτυροι ἔσσονται καὶ ἐπίσκοποι ἁρμονιάων.

Similiter *Odyss.* XIV.

Ἀλλ' ἄγε νῦν ῥήτρην ποιησόμεθ'· αὐτὰρ ὕπερθε
Μάρτυροι ἀμφοτέροισι θεοὶ, τοὶ Ὄλυμπον ἔχουσι,

ait Ulysses ad Eumæum.

Ex omnibus vero Diis Jovem præcipue in fœderum sanctione invocabant; cui ideo primum locum dedit Agamemnon. Inde ὅρκιος ille dictus, & fulmine armatus in eorum exitium, qui jurejurando fallerent. Id vero certissimum credebant, ut maxime differretur. Ita namque Agamemnon, postquam, violato fœdere, Menelaum perfide vulnerasset Pandarus, pronunciat, non irritum fore juramentum, & agnorum sanguinem, libaminaque mero facta, ac dextras, quibus erant fisi. Etsi namque Jupiter non statim in Trojanos animadvertat, sero tamen ei luituros pœnam, cum uxoribus ac filiis. Ita in posteris etiam vindicatum perjurium, quemadmodum Pythra Glauco Epicydidæ respondit apud Herodotum in *Erato* Ἀλλ' ὅρκου παῖς ἐστιν ἀνώνυμος, οὐδέ τι χεῖρες οὐδὲ πόδες· κραιπνὸς δὲ μετέρχεται εἰσόκε πᾶσαν Συμμάρψας ὀλέσῃ γενεὴν καὶ οἶκον ἅπαντα. Et notarunt Græcorum Historici Philippo Macedoni, omnium principum maxime perfido ac perjuro, pœnam a Numine immissam; quæ in omnem ejus posteritatem derivata. Quamobrem veteres Græci perjurium Deo soli puniendum reliquerunt, ut docet Demosthenes *in Aristocratem.* Unde etiam apud Ciceronem *de Leg.* perjurii pœna divina exitium, humana dedecus.

Porro in fœderibus hoc primum statuebatur: ut

res ablatæ restituerentur. Itaque Agamemnon stipulatur Achivis reddi Helenam, omniaque, quæ cum ea abripuerat Paris. Accessit etiam mulcta, eaque singularis, a Priamo Græcis persolvenda, nempe ad compensandos sumptus ac labores, quos expeditione sua sustinuerant Græci.

Cæterum peculiare in hoc fœdere fuit, quod singulari certamine inter Hectorem ac Menelaum ita omne transigitur negotium, ut, uno occiso, alter rebus controversis perfruatur. Antiquissimus utique mos, ejusmodi *μονομαχίᾳ* universam belli contentionem dirimere. Cujus exemplum pervetustum extat apud Herodotum in *Calliope*: ubi commissi Hyllus Herculis filius & Echemus Tegeatum rex, ille ab Heraclidarum exercitu, hic Peloponnensium, ea conditione, ut, si ille hunc superaret, Heraclidæ in paternam Peloponnesi ditionem reverterentur; sin minus, recederent in centum annos. Diodor. Siculus *lib.* IV. *cap.* CLXXXIII. Alias quoque plurium commissione salus exercituum redempta; ut cum Argivi ac Lacedæmonii de Thyrea contendentes, tricenos ex utroque exercitu delegerunt ad pugnam, qua qui superiores forent, regionem controversam possiderent. Ita etiam Tegeates & Pheneates trium fratrum utrinque commissorum certamine bellum composuerunt, auctore Demarato in *Arcadicis*. Cui confert Plutarchus in *Parallelis* pugnam inter totidem fratres Horatios ac Curiatios peractam.

Sed minus frequens ejusmodi belli compositio fuit, sæpius universæ acies concurrerunt, & internecione finem statuerunt. Nec doli ac technæ ad eum consequendum prætermissæ. Quorum fœcundus parens ab Homero laudatur Ulysses. Illius consilio equus ille ab Epeo fabricatus, quo conclusus ipse cum optimatibus Græcorum, Trojanam urbem occupavit, & ferro flammaque penitus delevit. Ita finis impositus bello Trojano, paxque hostium supremo excidio a Græcis constituta.

F I N I S.



NICO.

NICOLAI DAMASCENI

DE

MORIBUS GRÆCORUM,

ALIARUMQUE GENTIUM,

LIBELLUS.

CUM INTERPRETATIONE LATINA

NICOLAI CRAGII.

VIRTUTE, ERUDITIONE ET GENERE NOBILISSIMO

OLIGERO ROSÆCRANTIO

ILL. D. GEORGII ROSÆCR. F.

NIC. CRAGIUS S. D.



RÆDICATUR a multis, Nobil. OLIGERE, & quidem doctissimis viris, singularis tui ingenii felicitas, necnon egregium circa Philosophiam studium. Et tu ipse re fidem facis, nihil ad gratiam ab illis fingi, sed quantum laude eorum fertur, tantum merito tibi tribui. Præclarum vero institutum, nec scio an generoso & excelso tuo animo aliud dignius. Ac gratulor patriæ familiæque talem Rosæcrantium; gratulor parentibus tam insignem filium. Sed patere tamen, mi OLIGERE, amore tui, patriæque studio, hoc a me dici, non tantum convenire tibi tam illustri loco orto, eam quæ in contemplatione naturæ occupata est Philosophiam; sed multo magis alteram, quæ de Virtutis actionibus differit, & vitæ civilis præcepta tradit. Nam hæc propius ipsum hominem, id est, mentem nostram attingit, & in ea humanæ sapientiæ meditatio & exercitatio præcipue consistit. Quod haud dubie ita saniores quique Philosophorum judicarunt, qui illa non contenti, istius studium vel maxime sibi excolendum existimarunt. Id quod ne longe petitis exemplis tibi confirmare necesse sit, a Principibus Philosophorum disces. Vide mihi septem Sapientes Græciæ, qui Philosophiam ipsam condiderunt, eorum solum Thaletem habes naturæ arcana scrutantem, reliqui in Politia versati. Et ex illis ipsis Philosophis, quos maximi facere potes, Socrates, Plato, Aristoteles, Theophrastus, permagnam in hanc operam & studium posuerunt. Atque ut paucis absolvam, fuit hoc familiare cunctis fere Philosophis, ac in primis Academicis tum Peripateticis. Quorum e numero est Nic. Damascenus haud postremus, qui ad exemplum Aristotelis ac Theophrasti, hujus generis scripsit libros octoginta Καθολικῆς Ιςορίας: ut vocat, seu de moribus gentium universarum, plenos haud dubie bonæ frugis & multiplicis doctrinæ. Utinam extarent tantummodo, tum hujus, tum istorum auctorum quos dixi, scripta, non esset ista eruditæ doctrinæ pars a cultoribus adeo deserta: sed inveniret complures tui similes vere nobiles, id est, ad virtutis gloriam recta via grassantes, quorum animis efficacissimum sui amorem excitaret. Sed quia manca præceptorum aliquatenus Philosophia, & historia hujusmodi politica destituimur, haud nullo in operæpretio studium ab iis occupari putandum, quibus ad curam est hæc qualiacunque veterum Rerumpublicarum monumenta conservare. Quapropter quæ istius Nic. Damasceni in Collectaneis apud Stobæum reperi, placuit descripta & seorsum excusa hoc tempore evulgare, ac quod ad Gnomas seu sententias proprie non pertineant, suo quasi auctori ex aliena possessione asserta restituere. Nam quæ apud Athenæum sunt, vel quæ alia eo pertinentia observare licuerit, alias additurus. Ac tametsi non sint hæc ejus generis, ut politicum efficiant, sicut nec item philosophòrum præcepta: eo tamen loco habenda, ut cum usu rerum conjuncta prudentiæ & consilii fundamenta majorem in modum confirment. Sed præcepta & instituta politica, Nobiliss. OLIGERE, ex hisce & aliis philosophorum libris petes: usum certe non aliunde melius disces, quam ab illustri parente tuo, in quo Deus tibi vivum sapientiæ & aliarum magnarum virtutum exemplum statuit. Ad cujus imitationem si totum te compares, eique te quam simillimum præstes, nihil fere majus est, quod a te patria desiderarit. Quod tibi ut contingat, omnes patriæ amantes precamur, idque ut de te indubitate speremus virtus & eruditio jubet tua. Per quam virtutem tuam, Nobiliss. OLIGERE, te majorem in modum rogo velis hunc libellum tuo nomini dicatum, gratum habere, & præ illo animum, unde prodiit, longe magis acceptare. Quod si feceris, hoc quod jam studii mei erga te pignus, hujus libelli oblatione habes, dabo operam uti postmodum aliquo cum fœnore luam & redimam. Vale feliciter, Nobilissime OLIGERE.

NICOLAI DAMASCENI
DE
MORIBUS GRÆCORUM,
ALIARUMQUE GENTIUM,
LIBELLUS.
CUM INTERPRETATIONE LATINA
NICOLAI CRAGII

ΘΥΝΟΙ.

ΘΥΝΟΙ τοὺς ναυαγοὺς φιλανθρώπως δεχόμενοι, φίλους ποιοῦνται. Τῶν δὲ ξένων, τοὺς μὲν ἑκουσίως ἐλθόντας, σφόδρα τιμῶσι· τοὺς δὲ ἀκουσίως, κολάζουσι.

ΑΡΙΤΟΝΟΙ.

Αρίτονοι τῶν ἐμψύχων οὐδὲν ἀποκτείνουσι. τὰ δὲ κεράμεα τῶν χρηστηρίων ἐν χρυσοῖς ἐλύτροις φυλάττουσι.

ΔΑΡΔΑΝΟΙ.

Δαρδανεῖς, Ἰλλυρικὸν ἔθνος, τρὶς ἐν τῷ βίῳ λούονται μόνον, ὅταν γεννῶνται, καὶ ἐπὶ γάμοις, καὶ τελευτῶντες.

ΓΑΛΑΚΤΟΦΑΓΟΙ.

Γαλακατοφάγοι, Σκυθικὸν ἔθνος, ἄοικοί εἰσιν, ὥσπερ καὶ οἱ πλεῖστοι Σκυθῶν.

Τροφὴν δὲ ἔχουσι γάλα μόνον ἵππειον, ἐξ οὗ τυροποιοῦντες, ἐσθίουσι καὶ πίνουσι. Καὶ εἰσὶ διὰ τοῦτο δυσμαχώτατοι, σὺν αὐτοῖς πάντη τὴν τροφὴν ἔχοντες. οὗτοι καὶ Δάρειον ἐτρέψαντο.

Εἰσὶ δὲ καὶ δικαιότατοι, κοινὰ ἔχοντες τά τε κτήματα καὶ τὰς γυναῖκας. ὥστε τοὺς μὲν πρεσβυτέρους αὐτῶν πατέρας ὀνομάζειν, τοὺς δὲ νέους παῖδας, τοὺς δὲ ἥλικας ἀδελφούς.

Ὧν ἦν καὶ Ἀνάχαρσις, εἷς τῶν ἑπτὰ σοφῶν νομισθείς· ὃς ἦλθεν εἰς τὴν Ἑλλάδα, ἵνα ἱστορήσῃ τὰ τῶν ἄλλων νόμιμα.

Τούτων καὶ Ὅμηρος μέμνηται, ἐν οἷς φησί·

Μυσῶν τ' ἀγχιμάχων, καὶ Ἀγαυῶν ἱππομολγῶν,
Γαλακτοφάγων, Ἀβίων τε, δικαιοτάτων ἀνθρώπων.

Ἀβίους δ' αὐτοὺς λέγει, ἢ διὰ τὸ τὴν γῆν μὴ γεωργεῖν, ἢ διὰ τὸ ἀοίκους εἶναι, ἢ διὰ τὸ χρῆσθαι τούτους μόνους τόξοις. βιὸν γὰρ λέγει τὸ τόξον.

Παρὰ τούτοις οὐδὲ εἷς, οὔτε φθονῶν (ὥς φασιν) οὔτε μισῶν, οὔτε φοβούμενος ἱστορήθη, διὰ τὴν τοῦ βίου κοινότητα, καὶ δικαιοσύνην.

Μάχιμοι δ' οὐχ ἧττον αὐτῶν αἱ γυναῖκες, ἢ οἱ ἄνδρες, καὶ συμπολεμοῦσιν αὐτοῖς, ὅταν δέῃ. Καὶ διὰ τοῦτο Ἀμάζονας γενναιοτάτας εἶναι, ὥστε ποτὲ ἐλάσαι μέχρι Ἀθηνῶν καὶ Κιλικίας, ὅτι ποτε παρῴκουν ἐγγὺς τῆς Μαιώτιδος λίμνης.

ΙΒΗΡΟΙ.

Ἰβήρων αἱ γυναῖκες κατ' ἔτος, ὅ τι ἂν ἐξυφάνωσιν, ἐν κοινῷ δεικνύουσιν. Ἄνδρες δὲ χειροτόνητοι κρίναντες, τὰ πλεῖστα ἐργασαμένην προτιμῶσιν.

A

THYNI.

THYNI naufragos humaniter excipiunt, & amicitia ſibi devinciunt. Sed & ex peregrinis eos, qui ſponte accedunt, eximie honorant: qui vero inviti ad ipſos delati fuerint, puniuntur.

ARITONI.

Aritoni nullum animal mactant. Oracula ſua teſtis inſcripta habent, quæ in aureis involucris cuſtodiunt.

DARDANI.

Dardani, gens Illyrica, ter ſaltem in vita lavantur, quum in lucem recens editi ſunt, quum nuptias contrahunt, quum fato ſunt functi.

B

GALACTOPHAGI.

Galactophagi, gens Scythica, non in ædibus degunt, ut alii Scytharum.

Victus eis ſaltem equarum lacte conſtat, unde caſeos conficiunt, ut ita eo tum potu tum cibo utantur. Itaque non facile bello ſuperantur, quod commeatus ubique ipſis præſto ſit. Hi & Darium domum remeare coegerunt.

Sunt autem invicem juſtiſſimi, utpote qui facultates & uxores communes habeant. Unde inter ſe ſeniores quoſvis patres ſuos appellant, juniores filios, & æquales fratres.

C

Ex his oriundus Anacharſis, in ſeptem Sapientum numero habitus, qui in Græciam venit, ut leges & inſtituta aliorum diſceret.

Quin meminit eorum & Homerus, ubi inquit:

Myſorum cominus pugnantium, & Agavorum equas mulgentium,
Et Galactophagorum, Abiorumque juſtiſſimorum hominum.

Abios autem vocat eos, ſive quod terram non colerent, ſive quod ſine domibus degerent, ſive etiam quod hi ſoli arcus in bellis uſurparent. Arcus enim Poetæ haud raro βιὸς dicitur.

D

Apud hos (ut ferunt) neminem deprehendere eſt invidia laborantem, aut odio flagrantem, ſive metu perculſum, propter vitæ iſtam communionem & juſtitiam.

Bellicoſæ autem ipſorum non minus mulieres ſunt, quam viri, quæ & una in prælium eunt, quum ita facto opus. Itaque & Amazonas fœminas generoſiſſimas eſſe, adeo ut progreſſæ ſint cum exercitu olim Athenas, & in Ciliciam uſque, quando videlicet juxta Mæotim paludem habitarunt.

IBERI.

Iberorum mulieres quotannis in publicum exhibent, quod telas confecerunt. Viri autem ſuffragiis lecti de ipſis judicant, & quam earum plurimum laboraſſe inveniunt, ei primos honores deferunt.

A Ἔχουσι δὲ καὶ μέτρον τι ζώνης, ἧς τὴν γαστέρα περιλαβεῖν ἂν μὴ δυνηθῶσιν, αἰσχρὸν ἡγοῦνται.

ΟΜΒΡΙΚΟΙ.

Ὀμβρικοὶ ἐν ταῖς πρὸς τοὺς πολεμίους μάχαις αἴσχιστον ἡγοῦνται ἡττημένοι ζῆν, ἀλλ' ἀναγκαῖον ἢ νικᾶν, ἢ ἀποθνήσκειν.

Ὀμβρικοὶ ὅταν πρὸς ἀλλήλους ἔχωσιν ἀμφισβήτησιν, καθοπλισθέντες, ὡς ἐν πολέμῳ, μάχονται· καὶ δοκοῦσι δικαιότερα λέγειν, οἱ τοὺς ἐναντίους ἀποσφάξαντες.

ΚΕΛΤΟΙ.

Κελτοὶ οἱ τῷ ὠκεανῷ γειτνιῶντες, αἰσχρὸν ἡγοῦνται τοῖχον καταπίπτοντα ἢ οἰκίαν φεύγειν.

B Πλημμυρίδος δὲ ἐκ τῆς ἔξω θαλάττης ἐπερχομένης, μεθ' ὅπλων ἀπαντῶντες ὑπομένουσιν ἕως κατακλύζονται, ἵνα μὴ δοκῶσι φεύγοντες τὸν θάνατον φοβεῖσθαι.

Κελτοὶ σιδηροφοροῦντες τὰ κατὰ πόλιν πράττουσιν.

Μείζω δ' ἐστὶν ἐπιτίμια κατὰ τοῦ ξένον ἀνελόντος, ἢ πολίτην. ὑπὲρ τοῦ μὲν γὰρ θάνατος ἡ ζημία· ὑπὲρ δὲ τοῦ πολίτου φυγή.

Τιμῶσι μάλιστα τοὺς χώραν τῷ κοινῷ προσκτωμένους.

Τὰς δὲ θύρας τῶν οἰκιῶν οὐδέποτε κλείουσι.

ΠΑΙΔΑΛΙΟΙ.

C Ἐν Παιδαλίοις, Ἰνδικῷ ἔθνει, οὐχ ὁ θύων, ἀλλ' ὁ συνετώτατος τῶν παρόντων κατάρχεται τῶν ἱερῶν. αἰτεῖται δ' ἀεὶ παρὰ τῶν θεῶν οὐδὲν ἄλλο, πλὴν δικαιοσύνης.

ΠΡΑΥΣΙΟΙ.

Πραύσιοι τοὺς ἀστυγείτονας, ἐὰν λιμῷ πιεσθῶσι, τρέφουσι.

ΤΕΛΧΙΝΕΣ.

Τελχῖνες ἄνθρωποι ὀνομαζόμενοι τὸ μὲν ἀνέκαθεν Κρῆτες, οἰκήσαντές τε καὶ ἐν Κύπρῳ. μεταναστάντες δ' εἰς Ῥόδον, καὶ πρῶτοι τὴν νῆσον κατασχόντες, βάσκανοί τε σφόδρα ἦσαν καὶ φθονεροί.

D Τεχνῖται δὲ ὄντες, καὶ τὰ τῶν προτέρων ἔργα μιμησάμενοι, Ἀθηνᾶς Τελχινίας ἄγαλμα πρῶτοι ἱδρύσαντο, ὥσπερ εἴ τις λέγει, Ἀθηνᾶς βασκάνου.

ΤΑΡΤΗΣΣΟΙ.

Παρὰ Ταρτησσίοις νεωτέρῳ πρεσβυτέρου καταμαρτυρεῖν οὐκ ἔξεστι.

ΛΕΥΚΑΝΟΙ.

Λευκανοὶ δικάζονται ἀλλήλοις, ὥσπερ ἄλλου τινὸς ἀδικήματος, οὕτω καὶ ἀσωτίας καὶ ἀργίας.

Ἐὰν δέ τις ἀσώτῳ δανείσας χρέος ἐλεγχθῇ, στέρεται αὐτοῦ.

ΣΑΥΝΙΤΑΙ.

E Παρὰ Σαυνίταις κατ' ἔτος, οἵ τε ἤϊθεοι κρίνονται δημοσίᾳ, καὶ αἱ παρθένοι. ὁ δὲ κριθεὶς ἄριστος εἶναι, λαμβάνει ἣν βούλεται, εἶθ' ὁ μετ' ἐκεῖνον δεύτερος, καὶ οὕτως ἐφεξῆς.

ΛΙΜΥΡΝΙΟΙ.

Λιμύρνιοι κοινὰς τὰς γυναῖκας ἔχουσι, καὶ τὰ τέκνα ἐν κοινῷ τρέφουσι μέχρι ἐτῶν πέντε. εἶτα τῷ ἕκτῳ συνενέγκαντες ἅπαντα τὰ παιδία, τὰς ὁμοιότητας πρὸς τοὺς ἄνδρας εἰκάζουσι, καὶ ἑκάστῳ τὸ ὅμοιον ἀποδιδόασι F πατρί· ἀφ' ἧς δ' ἂν ὑπολάβῃ τὸ παιδίον, ἕκαστος υἱὸν ἀπολαμβάνει.

ΣΑΥΡΟΜΑΤΑΙ.

Σαυρομάται διὰ τριῶν ἡμερῶν σιτοῦνται εἰς πλήρωσιν.

Ταῖς δὲ γυναιξὶ πάντα πείθονται ὡς δεσποίναις.

Παρθένον δὲ οὐ πρότερον συνοικίζουσι πρὸς γάμον πρὶν ἂν πολέμιον ἄνδρα κτείνῃ.

Habent quoque zonam certæ mensuræ, intra quam si venter cujusquam comprehendi nequeat, pro dedecore id magno habetur.

UMBRICI.

Umbrici in pugnis adversus hostes vinci & vivere turpissimum ducunt, necesse autem vincere aut mori.

Umbrici quum controversias inter se habent, pugnant armati ac si bello congrediendum esset: & videntur justiorem habuisse causam, qui adversarium interemerint.

CELTÆ

Celtæ Oceani accolæ, pro dedecore habent, si quis muro aut domui ruenti se subducat.

Inundatio quum ex mari exteriori accedit, armis induti ei obviam eunt, subsistuntque donec mergantur, idque ne fugientes videantur quoquo modo mortem formidare.

Celtæ gladiis cincti Reipub. negotia tractant.

Graviorem etiam pœnam apud eos luit, qui peregrinum, quam qui civem interemerit: illi enim mors irrogatur, isti exilium indicitur.

Ante omnes honore eos afficiunt, qui victoria potiti agrum aliquem in publicum acquisiverunt.

Januas ædium nunquam occlusas habent.

PÆDALII.

Apud Pædalios, gentem Indicam, non sacrificus, sed prudentissimus omnium qui præsto sunt, sacra auspicatur. Petitur autem a Diis nihil aliud quam justitia.

PRAYSII.

Praysii vicinos fame afflictos alimento sublevant.

TELCHINES.

Homines illi qui Telchines dicti, antea quidem Cretenses erant, sed postea & Cyprum inhabitarunt. Unde quum in Rhodum migrassent, primique eam insulam occupassent, maligni admodum & invidi extiterunt.

Quum vero & hi artes mechanicas exercerent, majorumque opera imitarentur, Minervæ Telchiniæ statuam primi erexerunt, quod nomen sonat ac si dicas, Minervæ invidæ.

TARTESSII.

Apud Tartessios minori natu adversus majorem testimonium ferre non licet.

LUCANI.

Lucani, tanquam criminis alicujus, etiam luxuriæ ignaviæque judicia agitant.

Si quis convictus luxurioso mutuum dedisset, mutuo isto multatur.

SAMNITES.

Apud Samnitas vel Samnites de adolescentibus & virginibus quotannis publicum habetur judicium. Quem igitur eorum optimum esse sententia judicum pronunciarit, is sibi ex virginibus eligit uxorem quam vult, deinde secundus ab eo alteram, & sic de cæteris fit deinceps.

LIMYRNII.

Limyrnii uxores habent communes, & liberos communiter alunt usque ad annum ætatis quintum. Anno autem sexto in unum convocant omnes pueros, atque tum ex similitudine ad quemlibet virorum conjecturam facientes, cuilibet similem patri filium assignant. Quum itaque quis agnoverit puerum suum, tum quilibet eum ut filium educat.

SAUROMATÆ.

Sauromatæ (vel Sarmatæ) tribus diebus cibo se ita ingurgitant, ut repleantur.

Uxoribus in omnibus obtemperant tanquam dominabus.

Virgini non prius nuptias concedunt, quam hostem aliquem interfecerit.

ΚΕΡΚΕΤΑΙ.

Κερκέται τοὺς ἀδικήσαντας ὁτιοῦν, τῶν ἱερῶν ἀπείργουσιν.

Ἐὰν δέ τις κυβερνῶν σκάφος διαμάρτῃ, προσιόντες ἐφεξῆς ἕκαστοι ἐμπτύουσι αὐτῷ.

ΜΟΣΥΝΟΙ.

Μόσυνοι τὸν ἑαυτῶν βασιλέα τρέφουσιν ἐν πύργῳ κατάκλειστον.

Ἐὰν δέ τις δόξῃ κακῶς ποτὲ βεβουλεῦσθαι, τῷ λιμῷ αὐτὸν ἀποκτείνουσι.

Τὸν δὲ τρεφόμενον σῖτον ἐξ ἴσου διαιροῦσι, μέρος κοινῇ ἐξελόντες τοῖς ἀφικνουμένοις ξένοις.

ΦΡΥΓΕΣ.

Φρύγες ὅρκοις οὐ χρῶνται, οὔτ' ὀμνύντες, οὔτε ἄλλους ἐξορκοῦντες.

Ἐὰν δέ τις παρ' αὐτοῖς γεωργικὸν βοῦν ἀποκτείνῃ, ἢ σκεῦος τῶν περὶ γεωργίαν κλέψῃ, θανάτῳ ζημιοῦσι.

Φρύγες οὐ κατορύττουσι τοὺς ἱερεῖς τελευτήσαντας, ἀλλ' ἐπὶ λίθους δεκαπήχεας τιθέασιν ὀρθούς.

ΛΥΚΙΟΙ.

Λύκιοι τὰς γυναῖκας μᾶλλον ἢ τοὺς ἄνδρας τιμῶσι, καὶ καλοῦνται μητρόθεν. Τάς τε κληρονομίας ταῖς θυγατράσι λείπουσιν, οὐ τοῖς υἱοῖς.

Ὃς δ' ἂν ἐλεύθερος ἁλῷ κλέπτων, δοῦλος γίνεται.

Τὰς δὲ μαρτυρίας ἐν ταῖς δίκαις οὐκ εὐθὺ παρέχονται, ἀλλὰ κατὰ μῆνα.

ΠΙΣΙΔΑΙ.

Πισίδαι δειπνοῦντες ἀπάρχονται τοῖς γονεῦσιν, ὡς ἡμεῖς τοῖς θεοῖς παρασπονδίοις.

Ἡ δὲ μεγίστη κρίσις ἐστὶ παρακαταθήκης· τὸν δὲ ἀποστερήσαντα θανατοῦσιν.

Ἐὰν δὲ μοιχὸς ἁλῷ, περιάγεται τὴν πόλιν ἐπὶ ὄνου μετὰ τῆς γυναικὸς, ἐπὶ ἡμέρας τακτάς.

ΑΙΘΙΟΠΕΣ.

Αἰθίοπες τὰς ἀδελφὰς μάλιστα τιμῶσι, καὶ τὰς διαδοχὰς μάλιστα καταλείπουσιν οἱ βασιλεῖς, οὐ τοῖς ἑαυτῶν, ἀλλὰ τοῖς τῶν ἀδελφῶν υἱοῖς. Ὅταν δ' ὁ διαδεξάμενος μὴ ᾖ, τὸν κάλλιστον ἐκ πάντων καὶ μαχιμώτατον αἱροῦνται βασιλέα.

Ἀσκοῦσι δὲ εὐσέβειαν καὶ δικαιοσύνην.

Ἄθυροι δ' αὐτῶν αἱ οἰκίαι, καὶ ἐν ταῖς ὁδοῖς κειμένων πολλῶν, οὐδὲ εἷς κλέπτει.

ΒΥΑΟΙ.

Ἐν Βυάοις Λίβυσιν ἀνὴρ μὲν ἀνδρῶν βασιλεύει, γυνὴ δὲ γυναικῶν.

ΒΑΣΟΥΛΙΕΙΣ.

Βασουλιεῖς Λίβυες, ὅταν πολεμῶσι, τὰς μὲν νύκτας μάχονται, τὰς δ' ἡμέρας εἰρήνην ἄγουσι.

ΔΑΨΟΛΙΒΥΕΣ.

Δαψολίβυες ὅταν συναχθῶσι, πάντες ἅμα γαμοῦσιν ἐν μιᾷ ἡμέρᾳ, μετὰ δύσιν Πλειάδος. καὶ μετὰ τὴν ἑστίασιν χωρὶς τῶν γυναικῶν κατακειμένων κατασβέσαντες τὸν λύχνον εἰσέρχονται, καὶ ὁ τυχὼν, ἣν ἂν τύχῃ λαμβάνει.

ΙΑΛΧΛΕΥΕΙΣ.

Ἰαλχλευεῖς Λίβυες, ὅταν πολλοὶ μνηστεύσωνται γυναῖκα, παρὰ τῷ κηδεστῇ δειπνοῦσι, παρούσης τῆς γυναικός. πολλὰ δὲ σκωπτόντων, ἐφ' ᾧ ἂν ἡ γυνὴ γελάσῃ, τούτῳ συνοικεῖ.

ΣΟΡΔΟΛΙΒΥΕΣ.

Σορδολίβυες οὐδὲν κέκτηνται σκεῦος, ἔξω κύλικος καὶ μαχαίρας.

CERCETÆ.

A Cercetæ reos cujuſcunque admiſſi criminis ita puniunt, ut ſacris interdicant.

Si quis ſcapham gubernans impegerit, accedentes ordine ſinguli illi inſpuunt.

MOSYNI.

Moſyni regem ſuum educant turri incluſum.

Si quis judicatus ſit minus bene in publicum conſuluiſſe, eum fame enecant.

Frumentum, quod ipſis ex agris provenit, æqualiter diſtribuunt, partem inde aliquam in commune conferentes pro peregrinis advenientibus.

PHRYGES.

B Phryges omni abſtinent jurejurando, ita ut nec ipſi jurent, nec alios ad jurandum adigant.

Si quis apud eos bovem aratorem interfecerit, aut agriculturæ inſtrumentum ſurripuerit, morte multatur.

Phryges non defodiunt in terram ſacerdotes mortuos, ſed ſuper columnas lapideas decem cubitorum erectos ſtatuunt.

LYCII.

Lycii plus honoris mulieribus quam viris deferunt, nominaque eis a matribus induntur. Itemque bonorum hæredes filias, non filios relinquunt.

C Si quis liber condemnatus fuerit furti, pœna ſervitutis ei irrogatur.

Teſtimonia in cauſis non protinus ferunt, ſed poſt menſem demum.

PISIDÆ.

Piſidæ convivantes parentibus epularum primitias libant, perinde uti nos Diis fœderum amicitiæque præſidibus.

Graviſſimum apud eos judicium depoſiti agitur, quod qui fraude invertere convictus fuerit, morte afficitur.

Si quis in adulterio comprehenſus fuerit, is cum adultera aſino inſidens per urbem circumducitur,

D idque ad conſtitutum aliquod dierum ſpatium.

ÆTHIOPES.

Æthiopes ſororibus potiſſimum honorem exhibent, & ſucceſſionem tradunt reges, non ſuis, ſed ſororum filiis. Quod ſi ex iis nullus ſuperſit, cui ſuccedere jus ſit, tum pulcherrimum omnium & bellicoſiſſimum regem deligunt.

Exercent ii præcipue pietatem & juſtitiam.

Ædibus ipſorum nullæ ſunt januæ, cumque in viis publicis multa ſita jaceant, nemo eorum aliquid furatur.

BUAI.

E Apud Buaos, Libyæ ſeu Africæ gentem, vir inter viros dominatum gerit, mulier inter mulieres.

BASULIENSES.

Baſulienſes, Libyæ gens, quum bellum gerunt, noctu quidem prælium committunt, interdiu vero pacem ſervant.

DAPSOLIBYES.

Dapſolibyes ſimulatque in unum convenere, univerſi ſimul nuptias contrahunt eodem die, poſt occaſum Pleiadum. Etenim ut convivati ſunt ad mulieres ſeorſim accumbentes extinctis luminibus adeunt, quamque earum forte quiſpiam nactus fuerit,

F eam & uxorem ducit.

JALCHLEVENSES.

Jalchlevenſes, gens Libyca, quum multi ſimul eandem ſponſam ambiant, apud ſocerum ſeu ſponſæ peritæ patrem cœnant. Dum vero multis dicteriis ſibi invicem illudunt, cui eorum ſponſa arriſerit, is eam ducit.

SARDOLIBYES.

Sardolibyes nullam ſupellectilem ſibi parant, præter calicem & gladium.

ΑΛΙΤΕΜΙΟΙ.

Αλιτέμιοι Λίβυες τοὺς ταχυτάτους αὐτῶν αἱροῦνται βασιλεῖς· τῶν δ' ἄλλων τιμῶσι τὸν δικαιότατον.

ΝΟΜΑΔΕΣ.

Οἱ Νομάδες τῶν Λιβύων, οὐ ταῖς ἡμέραις, ἀλλὰ ταῖς νυξὶν, αὐτῶν ἀριθμοῦσι τὸν χρόνον.

ΑΦΑΡΑΝΤΕΣ.

Αφάραντες Λίβυες ὀνόματα οὐκ ἔχουσιν· ἡλίῳ δὲ ἀνίσχοντι λοιδοροῦνται, ὡς πολλὰ κακὰ φήναντι.

Τῶν δὲ θυγατέρων ἀρίστας κρίνουσι, τὰς πλεῖστον χρόνον μεμενηκυίας παρθένους.

ΒΟΙΩΤΟΙ.

Βοιωτῶν ἔνιοι τοὺς χρέος οὐκ ἀποδιδόντας εἰς ἀγορὰν ἄγοντες, καθίσαι κελεύουσιν, εἶτα κόφινον ἐπιβάλλουσιν αὐτῷ· ὃς δ' ἂν κοφινωθῇ ἄτιμος γίνεται. δοκεῖ δὲ τοῦτο πεπονθέναι, καὶ ὁ Εὐριπίδου πατὴρ, Βοιωτὸς ὢν τὸ γένος.

ΑΣΣΥΡΙΟΙ.

Ασσύριοι τὰς παρθένους ἐν ἀγορᾷ πωλοῦσι τοῖς θέλουσι συνοικεῖν· πρώτας μὲν τὰς εὐγενεστάτας καὶ καλλίστας, εἶτα τὰς λοιπὰς ἐφεξῆς. Οταν δὲ ἔλθωσι ἐπὶ τὰς φαυλοτάτας, κηρύττουσι, πόσον τὶς θέλει προσλαβὼν ταύτας συνοικεῖν, καὶ τὸ συναχθὲν ἐκ τῆς τῶν εὐπρεπῶν τιμῆς ταύταις προστίθενται.

Ασκοῦσι δὲ μάλιστα βαθύτητα καὶ ἀοργησίαν.

ΠΕΡΣΑΙ.

Πέρσαις ὃ μὴ ποιεῖν ἔξεστιν, οὐδὲ λέγουσιν.

Εὰν δὲ τις πατέρα κτείνῃ, ὑπόβλητον αὐτὸν οἴονται.

Εὰν δὲ τινα προστάξῃ βασιλεὺς μαστιγῶσαι, εὐχαριστεῖ, ὡς ἀγαθοῦ τυχὼν, ὅτι αὐτοῦ ἐμνήσθη βασιλεύς.

Αθλα δὲ λαμβάνουσι παρὰ βασιλέως πολυτεκνίας.

Οἱ δὲ παῖδες παρ' αὐτοῖς, ὥσπερ μαθήματα, τὸ ἀληθεύειν διδάσκονται.

ΙΝΔΟΙ.

Παρ' Ινδοῖς ἐάν τις ἀποστερηθῇ δανείου, ἢ παρακαταθήκης, οὐκ ἔστι κρίσις, ἀλλ' αὐτὸν αἰτιᾶται ὁ πιστεύσας.

Ο δὲ τεχνίτου πηρώσας χεῖρα ἢ ὀφθαλμὸν, θανάτῳ ζημιοῦται.

Τὸν δὲ μέγιστα ἀδικήσαντα, ὁ βασιλεὺς κελεύει κείρασθαι, ὡς ἐσχάτης οὔσης ταύτης ἀτιμίας.

Ινδοὶ συγκατακαίουσιν, ὅταν τελευτήσωσι, τῶν γυναικῶν τὴν προφιλεστάτην, αὐτῶν δὲ ἐκείνων ἀγὼν μέγιστος γίνεται, σπουδαζόντων νικῆσαι ἑκάστην τῶν φίλων.

ΛΑΚΕΔΑΙΜΟΝΙΟΙ.

Λακεδαιμονίοις τέχνας μανθάνειν ἄλλας ἢ τὰς εἰς πόλεμον, αἰσχρὸν ἐστίν.

Εστιῶνται δὲ πάντες ἐν κοινῷ.

Τοὺς δὲ γέροντας αἰσχύνονται, οὐδὲν ἧττον ἢ πατέρας. Γυμνάσια ὥσπερ ἀνδρῶν ἐστὶ, οὕτω καὶ παρθένων.

Ξένοις δ' ἐμβιοῦν οὐκ ἔξεστιν ἐν Σπάρτῃ, οὔτε Σπαρτιάταις ξενιτεύειν.

Ταῖς δὲ αὐτῶν γυναιξὶ παρακελεύονται ἐκ τῶν εὐειδεστάτων κύεσθαι, καὶ ἀστῶν καὶ ξένων.

Χρηματίζεσθαι δ' αἰσχρὸν Σπαρτιάτῃ.

Νομίσματι δὲ χρῶνται σκυτίνῳ· ἐὰν δὲ παρά τινι εὑρεθῇ χρυσὸς ἢ ἄργυρος, θανάτῳ ζημιοῦται.

Σεμνύνονται δὲ πάντες, ἐπὶ τῷ ταπεινοὺς αὐτοὺς παρέχειν, καὶ κατηκόους ταῖς ἀρχαῖς.

A

ALITEMII.

Alitemii Libyes pernicissimos reges eligunt: ex reliquis prout quisque maxime justus est, ita & dignitate eminet.

NOMADES.

Nomades & ipsi Libyum gens, in temporum dinumeratione non diebus, sed noctibus utuntur.

APHARANTES.

Apharantes Libyes nominibus carent, soli orienti convicium faciunt, ut qui multa mala in lucem proferat & ostendat.

Ex filiabus optimas eas censent, quæ tempore
B
quam longissimo virgines manent.

BOEOTI.

Quidam Bœotorum decoctores qui non sunt solvendo in forum adducunt, & considere jussis cophinum superinjiciunt: ac qui hoc cophini pœna affectus fuerit, inde infamis fit. Quam pœnam irrogatam etiam Euripidæ patri, qui ex Bœotis oriundus erat, sunt qui existimant.

ASSYRII.

Assyrii virgines in foro vendunt quibuslibet eas sibi jungi desiderantibus. Ac primo quidem veneunt, quæ forma omnium sunt venustissima, tum deinceps reliquæ. Quum vero ventum tandem fue-
C
rit ad maxime deformes, per præconem divulgant, quantum quisque pecuniæ accipiat, ut eam ducat. Atque ita pretium ex formosarum venditione redactum in elocandas deformes impendunt.

Conjungunt pariter exercentes in moribus potissimum gravitatem & mansuetudinem.

PERSÆ.

Apud Persas quod factum turpe existimatur, id nec dictu honestum censent.

Si quis patrem necaverit, eum subdititium, non genuinum filium existimant.

Si quem jusserit rex flagris cædi, is tanquam be-
D
neficio affectus, gratias agit, quod ejus rex meminisset.

Quibus soboles numerosa est, ii præmium eo nomine a rege ferunt.

Pueri apud ipsos, vera dicere, non secus atque disciplinam aliquam discunt.

INDI.

Apud Indos quum quis fraudatur mutuo aut deposito, actionem non habet, sed sibi culpam imputare debet, quod credidit.

Si quis artificem manu vel oculo privaverit, morte pœnam luit.

Qui gravissimo obnoxius delicto est, jubente re-
E
getondetur, tanquam hoc extremæ sit ignominiæ.

Indis mortuis jungitur in rogum uxor ex omnibus dilectissima una cremanda. Inter ipsas autem acerrimum certamen oritur, adjuvantibus quamlibet suis amicis, uti vincat.

LACEDÆMONII.

Lacedæmonii non satis honestum ducunt, aliis operam navare artibus, quam ad res bellicas pertinentibus.

Cibum omnes viri una capiunt.

Senes quosvis omnes reverentur, non secus ac parentes suos. Ut viris sua sunt exercitia, ita sunt virginibus item sua.

Peregrinis Spartæ degere fas non est, nec Spar-
F
tanum peregre proficisci.

Uxoribus suis potestatem faciunt prolem suscipiendi ex pulcerrimis, tum civium tum peregrinorum.

Quæstum facere Spartano indecorum.

Nomismate utuntur ex corio: quod si vero contingat aurum domi alicujus vel argentum deprehendi, morte pœnam luit.

Maxima omnibus hinc gloria, si se humiles & obedientes magistratibus suis præbeant.

A Μακαρίζονται δὲ μᾶλλον παρ᾽ αὐτοῖς οἱ γενναίως ἀποθνήσκοντες, ἢ οἱ εὐτυχῶς ζῶντες.

Οἱ δὲ παῖδες νομίμως περί τινα βωμὸν περιιόντες μαστιγοῦνται, ἕως ἂν ὀλίγοι λειφθέντες στεφανωθῶσιν.

Αἰσχρὸν δὲ ἐστι δειλῶν σύσκηνον, ἢ συγγυμναστὴν, ἢ φίλον γενέσθαι.

Κρίσις δὲ ταῖς γερουσίαις ἐπὶ τῷ τέρματι τοῦ βίου προστίθεται, τοῖς τε εὖ ἢ κακῶς ζῶσιν.

Οταν δὲ στρατεύονται ἔξω χώρας, πῦρ ἀπὸ βωμοῦ τοῦ ἀγήτορος Διὸς ἐναυσάμενος πυρφόρος λεγόμενος, B σύνεστι τῷ βασιλεῖ ἄσβεστον αὐτὸ τηρῶν.

Συνεκπέμπονται τῷ βασιλεῖ μάντεις, καὶ ἰατροὶ, καὶ αὐληταὶ, οἷς ἐν ταῖς μάχαις ἀντὶ σαλπίγγων ἀεὶ χρῶνται. μάχονται δὲ ἐστεφανωμένοι.

Υπανίστανται δὲ βασιλεῖ πάντες, πλὴν Εφόρων. Ομνύει τε πρὸ τῆς ἀρχῆς ὁ βασιλεὺς, κατὰ τοὺς τῆς πόλεως νόμους βασιλεύειν.

ΚΡΗΤΕΣ.

Κρῆτες πρῶτοι Ελλήνων, νόμους ἔσχον Μίνωος θεμένου, ὃς καὶ πρῶτος ἐθαλασσοκράτησε. C προσεποιεῖτο δὲ Μίνως παρὰ τοῦ Διὸς αὐτοὺς μεμαθηκέναι, δι᾽ ἐννέα ἐτῶν εἴς τι ὄρος φοιτῶν, ἐν ᾧ Διὸς ἄντρον ἐλέγετο, κἀκεῖθεν ἀεί τινας νόμους φέρων τοῖς Κρησί. Μέμνηται δὲ τούτου καὶ Ομηρος, ἐν οἷς λέγει.

Τοῖσι δ᾽ ἐνὶ Κνωσσὸς μεγάλη πόλις, ἔνθα Μίνως γε.
Εννέωρος βασίλευε, Διὸς μεγάλοιο ὀαριστής.

Οἱ δὲ Κρητῶν παῖδες ἀγελάζονται κοινῇ μετ᾽ ἀλλήλων σκληραγωγούμενοι, καὶ θήρας καὶ δρόμους ἀνάντεις ἄνυ πόδυτοι κατανύοντες, καὶ τὴν ἐνόπλιον πυῤῥίχην D ἐκπονοῦντες, ἥν τινα πρῶτος εὗρε Πύῤῥιχος Κυδωνιάτης, Κρὴς τὸ γένος.

Συσσιτοῦσι δ᾽ ἐν κοινῷ οἱ ἄνδρες, τὴν αὐτὴν δίαιταν ἔχοντες ἐξ ἴσου πάντες.

Δῶρα δὲ αὐτοῖς ἐστιν ὅπλα τιμιώτατα

ΑΥΤΑΡΙΑΤΑΙ.

Αὐταριάται τοὺς ἀδυνάτους τῶν στρατιωτῶν ἐν ταῖς ὁδοιπορίαις οὐδέποτε ζῶντας ἀπολείπουσι.

ΤΡΙΒΑΛΛΟΙ.

E Τριβαλλοὶ τέτταρας φάλαγγας ἐν ταῖς μάχαις ποιοῦνται· τὴν πρώτην τῶν ἀσθενῶν· τὴν ἐχομένην τῶν κρατίστων· τὴν τρίτην τῶν ἱππέων· καὶ τελευταίαν τὴν τῶν γυναικῶν, αἳ αὐτοὺς εἰς φυγὴν τρεπομένους κωλύουσι βλασφημοῦσαι.

ΚΑΥΣΙΑΝΟΙ.

Καυσιανοὶ τοὺς μὲν γεννωμένους θρηνοῦσι· τοὺς δὲ τελευτήσαντας μακαρίζουσι.

ΚΙΟΙ.

Κίοι τοὺς ἀποθανόντας κατακαύσαντες καὶ ὀστολογήσαντες ἐν ὅλμῳ τὰ ὀστᾶ καταπτίσσουσιν, εἶτα ἐνθέντες F εἰς πλοῖον, καὶ κόσκινον λαβόντες ἀναπλέουσιν εἰς πέλαγος, καὶ πρὸς τὸν ἄνεμον ἐξοδιάζουσιν, ἄχρις ἂν πάντα ἐκφυσηθῇ καὶ ἀφανῆ γένηται.

ΤΑΥΡΟΙ.

Ταῦροι, Σκυθικὸν ἔθνος, τοῖς βασιλεῦσι τοὺς δυνατώτατους τῶν φίλων συγκαταθάπτουσιν. ὁ δὲ βασιλεὺς ἀποθανόντος φίλου, ἢ μέρος ἢ τὸ ὅλον ἀποτέμνει ὠτίον, πρὸς τὴν ἀξίαν τοῦ τελευτήσαντος.

A Beatiores apud eos judicantur, qui præclaram mortem oppetunt, quam qui in magna prosperitate vivunt.

Pueri ex lege quadam aram circumeuntes flagellantur, donec pauci ex iis reliqui, perdurantes sub flagris, coronas præmium auferunt.

Minus honestum censetur timidum aliquem, contubernalem vel gymnasii socium, vel amicum sibi jungere.

De senibus judicium fit circa finem vitæ, quinam ex iis bene, qui sequius vitam suam traduxerint.

Quum exercitus educitur extra limites regionis, ignem incendit sacerdos, qui Pyrphorus, id est, B ignifer, dicitur, ab ara Jovis ductoris, quem a rege non procul remotus præfert, inextinctum servans.

Adjunguntur autem regi in bellum eunti, vates, medici, tibicines: nam tibiis in bellis vice tubarum utuntur: pugnantes autem coronis ornantur.

Regi assurgunt omnes præterquam Ephori. Jurat autem rex antequam regnum adeat, imperaturum se juxta leges Reipublicæ.

CRETENSES.

Cretenses primi inter Græcos leges habuerunt, a Minoe rege conditas, qui & primus maris imperio C potitus est. Fingebat autem Minos se ab ipso Jove didicisse, quod per annos novem ad montem quendam commearet. Ubi antrum Jovi sacrum erat, a quo reversus semper leges aliquas Cretensibus attulit. Cujus meminit Homerus suis versibus, quorum hæc sententia:

Inter illas est Gnossus urbs magna, ubi Minos
Novem annis imperavit, qui Jovis magni confabulator erat.

Cretensium pueri in unum publice congregantur, ibique una duriter educantur, & venationibus dediti per acclivia nudis pedibus discurrunt, & D armati ad saltationem Pyrrhicham dictam magno labore assuefiunt, cujus inventor fertur fuisse Pyrrhichus Cydoniates, genere Cretensis.

Viri autem simul in publico cibum capiunt, eadem victus ratione æqualiter omnia ipsis præbentur.

Dona apud ipsos plurimi æstimata sunt arma.

AUTARIATÆ.

Autariatæ milites per viam ægros imbecillesque factos in vivis nunquam relinquunt.

TRIBALLI.

E Triballi quatuor phalanges seu ordines in acie instruunt: primam phalangem faciunt imbecillium: alteram ab ea fortissimorum quorumque: tertiam equitum: ultimam mulierum, quæ reliquos in fugam versos conviciis sistunt.

CAUSIANI.

Causiani eos qui in lucem eduntur, deplorant; qui autem e vita excedunt, eos beatos judicant.

CII.

Cii mortuos quum cremarunt, ossa eorum colligunt, quæ in mortario contundunt. Tum in na- F vigium imponentes in altum navigant, ubi per cribrum ea ad ventos dispergunt, donec omnia difflantur & evanescunt.

TAURI.

Tauri, gens Scythica, una cum regibus mortuis gratissimos quosque eorum amicos humare solent. Rex vero quum amicum aliquem morte amittit, aut partem auriculæ, aut totam eam abscindit, prout dignitas amici mortui merebatur.

A

ΣΙΝΔΟΙ.

Σινδοὶ τοσούτους ἰχθῦς ἐπὶ τοὺς τάφους ἐπιβάλλουσιν, ὅσους πολεμίους ὁ θαπτόμενος ἀπεκτονὼς ᾖ.

ΚΟΛΧΟΙ.

Κολχοὶ τοὺς τελευτήσαντας οὐ θάπτουσιν, ἀλλὰ κρεμῶσιν ἀπὸ δένδρων.

ΠΑΝΗΒΟΙ.

Πάνηβοι Λίβυες, ὅταν αὐτοῖς βασιλεὺς ἀποθάνῃ, τὸ μὲν σῶμα κατορύττουσι, τὴν δὲ κεφαλὴν ἀποκόψαντες καὶ χρυσώσαντες ἀνατιθέασιν ἐν ἱερῷ.

SINDI.

Sindi quum quenquam ſepeliunt, tum quot hoſtes in vita occiderit, totidem piſces ejus ſepulcro injiciunt.

COLCHI.

Colchi vita functos non humi ſepeliunt, ſed ab arboribus ſuſpendunt.

PANEBI.

Panebi Libyes mortuo rege corpus reliquum terra condunt, caput autem trunco amputatum jnaurantes in ſacris ſtatuunt.

F I N I S.





